5 vols, 4 vol. [illegible]

Benziger Brothers
Booksellers & Importers of Vestments & Church Ornaments etc.
NEW-YORK & CINCINNATI.

W Vilas

JUS CANONICUM UNIVERSUM,

AUTHORE

R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL,

Ordinis Minorum S. Franciſci Reformat.

JUS CANONICUM UNIVERSUM,

CLARA METHODO JUXTA TITULOS QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM IN QUÆSTIONES

diſtributum,
Solidisque Reſponſionibus, & Objectionum Solutionibus
dilucidatum.

AUTHORE
R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL,
Ordinis Minorum S. Franciſci Reformat. Provinciæ
Bavaricæ Lectore Jubilato.

TOMUS PRIMUS.

EDITIO SECUNDA
Multò correctior & auctior.

Cum Privil. Sac. Cæſ. Majeſt. &c. & Sereniſſ. Electoris Bavariæ, &c.
Ac Facultate Superiorum.

INGOLSTADII,
Sumptibus JOANNIS ANDREÆ de la HAYE, Bibliopolæ Acad.
Anno M DCC XXVIII.
Monachij Typis MARIÆ MAGDALENÆ Riedlin, Viduæ.

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO DOMINO DOMINO
JOANNI FRANCISCO,
EPISCOPO FRISINGENSI
ET
Sac. Rom. Imp.
PRINCIPI
Domino Domino Clementiſſimo.

Reverendiſſime & Celſiſſime S. R. I. Princeps,
Domine Domine Clementiſſime.

MItram Pontificalem CELSITUDINIS TUÆ omni cum demiſſione veneraturi, Pedumque Paſtorale reverentialiter deoſculaturi accedimus, præſens, ac recenter è preli fuligine eluctatum Volumen Canonicum humillimè dedicantes, Nominique Tuo in perenne ſubmiſſiſſimæ devotionis pignus conſecrantes. Auſum hunc, cæteroquin demiſſiſſimum, vel ipſa operis, licèt de materia cæteroquin haud ignobili tractantis, modicitas, diſſuadere potuiſſet: ſed perſpecta animi TUI Benignitas, & Principem ſummè commendans Clementia, ſuaviter alliciebat trepidantes; acceſſumque nonnihil hærentem animosè provocavit ſummè ſuſpicienda Dignitas Epiſcopalis, urgenter promovit conjuncta cæteris egregiis Boni Principis dotibus liberaliſſima Beneficentia, fortiterque compulit debita reciproca gratitudo, virtus tum ſuperis, tum hominibus exoptata. Nihil enim adeo fontem obſtruit Beneficentiæ, quàm ingratitudo, quæ meretur *amittere quæ habet, nec alia accipere*, uti loquitur Doctor Seraphicus *lib.* 2. *de Profect. Religioſ. cap.* 63.

Cæterùm non immeritò ad auſum hunc longè humillimum provocavit nos congenita Tibi, PRINCEPS CELSISSIME, Benignitas, atque in ſubjectos Clementia: injuriam quippe facit Magnis Principibus, qui exiſtimat, Illos non eâ pollere virtute, quâ & magna præſtare, & parva viciſſim reſpicere non dedignentur, difficilem aliàs ſocietatem Gravitatis cum Clementia in hoc ipſo luculenter præſeferentes. Verùm conjuncta cæteris virtutibus Principem decentibus mentis TUÆ demiſſio calamum ſiſtere jubet: ſed & glorioſiùs facta loquuntur, dum verba ſilent; atque honorificentiùs deprædicat ſingularis devotorum ſubditorum obſervantia, ſub umbra MITRÆ TUÆ EPISCOPALIS, PEDIQUE PASTORALIS robore, fortiter, ſuaviterque ſeſe protegi, ſuſtentarique lætantium.

Sed vel maximè ipſamet Epiſcopalis dignitas, mirà Dei dignatione CELSITUDINI TUÆ meritiſſimè collata, ſubmiſſiſſimum hunc acceſſum noſtrum à ſiniſtra temeritatis nota excuſare poterit: cùm enim *Epiſcopos in locum ſucceſſiſſe Apoſtolorum*, ſacri atteſtentur Canones, ut *can. In novo. diſt.* 21. & *can. Quorum vice. diſt.* 68. atque noviſſimè declaravit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. vel hinc Tibi, utpote genuino Apoſtolorum Succeſſori, præ cæteris ſeſe deberi, venerabundè recognovit ipſummet præſens Volumen, utpote tractans de Sacris Canonibus, atque Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, aut per ipſosmet Sanctos Apoſtolos, aut per eorundem Succeſſores legitimâ authoritate traditis, ſeu promulgatis. Nam ut flumina ad mare, unde exeunt, revertuntur, ita quælibet res ad ſuam primævam naturam, ſeu originem de facili redire ſolet, *§. In ſumma, Inſtit. de Aſſignat. libertor.* Certè, cùm Epiſcopi ſint Dei locum tenentes in Mundo, *Clemens I. Epiſt.* 3. & Throni ipſiusmet Dei nuncupentur, *Felix II. Epiſt.* 1. *cap.* 17. haud immeritò præ cæteris omnibus honorari debent, *c. Solitæ, de Majorit. & obedient.* quinimò S. Ambroſius *lib. de Dignit. Sacerd. cap.* 2. relatus in *can. Duo ſunt. diſt.* 96. pluribus conteſtatur, quòd aurum non tam pretioſius ſit argento, quàm Regia poteſtate altior ſit Dignitas Sacerdotalis: *Honor* (inquit) *& ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati: longe erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares &c.* Quin etiam, quantùm claritas ſolis exuperat claritatem lunæ, tantùm Dignitas Epiſcopalis præcellit cuilibet Dignitati temporali, per textum expreſſum *cit. c. Solitæ. de Majorit. & Obedient.* ubi inter alia ſic legitur: *Ad firmamentum igitur Cœli, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo magna Luminaria, id eſt, duas inſtituit Dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, major eſt; quæ verò carnalis, minor: ut quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur.* Meritò proinde præſens Volumen in Clementiſſimas Manus CELSITUDINIS TUÆ ſeſe venerabundè ſubmittit, ut vel ejus modicitas fulgore Auri, Epiſcopalis videlicet Tuæ Dignitatis irradietur, vel tenebræ ipſius Luce Solari Tuâ benigniſſimè diſpellantur.

Verùm cur longiùs ſtamus ſupplicabundi, hærentes in terminis duntaxat generalibus, hoc eſt, prærogativis illis, quæ omnibus Epiſcopali Dignitate in Sancta Dei Eccleſia præfulgentibus exiſtunt comunes. Propiorem acceſſum ſuadet, quin etiam fortiſſimè extorquet magnifica Beneficentia, beneficaque Magnificentia, tum per CELSITUDINEM TUAM pluribus jam annis, tum per REVERENDISSIMOS, omniq; piâ memoriâ Digniſſimos ANTECESSORES TUOS, erga pauperculum Ordinem S. P. N. FRANCISCI quinto abhinc jam ſæculo indeſinenter, beniginiſſiméque exhibita: & quia omnium receptorum beneficiorum multitudo copioſa, & propemodum infinita, ſingula enarrandi denegat facultatem, id duntaxat devotæ Gratitudini noſtræ ſupereſt, ut DEUM ſummè pium, ſuméque miſericordem, tantarum gratiarum, favorum, beneficiorumq; perennium, pauperculis famulis ſuis hactenus clementiſſimè præſtitorum, jugibus precibus invocemus Remuneratorem largiſſimum, atque æviter-

æviternum. Unum eſt, quod tacere non licet, quódque præſentem demiſſiſſimum auſum noſtrum præ cæteris animoſiùs provocavit, & fortiùs extimulavit. Unum quidem, ſed idipſum perenne, neque diſertiſſimis eloquentiæ verbis, aut formoſiſſimis calami velociter ſcribentis characteribus pro dignitate ſufficienter explicandum. Hic ipſiſſimus eſt annus centeſimus, ſicque Jubilæus, quo Friſinga, civitas celeberrima, ſedésque Epiſcopalis Tua dignisſima, de Clementiſſimo aſſenſu, ac ſingulari erga Seraphicum Ordinem devotione REVERENDISSIMI & SERENISSIMI Domini Domini ERNESTI, è Ducibus Bavariæ Archiepiſcopi Colonienſis, & Epiſcopi Friſingenſis &c. &c. altæ memoriæ, primum Concionatorem Cathedralem ex memorato Ordine Seraphico publicè pro ſuggeſtu Principis Templi dicentem audire meruit, dum Adm. R. P. Joannes Franciſcus Ampherle, cujus memoria in benedictione eſt, Anno Domini Milleſimo, ſexcenteſimo, Dominicâ quartâ Adventûs, prædicandi initium fecit; atque munus iſtud Apoſtolicum magnâ Friſingenſium ædificatione per annos quadraginta ſex pro DEI Gloria, Fideliumque ſalute, perſonaliter labore indefeſſo continuavit, & per ſuccedentes Fratres ſuos ex pari Clementiſſimo aſſenſu, inſignique erga eundem Seraphicum Ordinem jugiter conſervata devotione REVERENDISSIMORUM Epiſcoporum Friſingenſium, TUÆque impræſentiarum CELSITUDINIS, in hunc uſque diem continuat. Et quia inſuper præſentis Voluminis Canonici author, de ſingulari pariter CELSITUDINIS TUÆ indulgentia per plures jam annos in noſtrò Friſingenſi Conventu clementiſſimè toleratus, ipſiſſimo recurrente Año Jubilæi conceſſæ Cathedræ Epiſcopalis, Tomum præſentem, DEO ſic ſuaviter diſponente, abſolvere meruit: non niſi maximæ ingratitudinis notâ jure damnari poſſemus, ſi Jubilæum iſtud receptorum innumerabilium beneficiorum memnoſynon REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ Nomini inſcribere, dedicare & conſecrare negligeremus. Suſcipe igitur iſtud, cæteroquin equidem tenue, ſed maximarum gratiarum, & innumerabilium beneficiorum rememorativum Opuſculum, omni cum reverentia & demiſſione oblatum: & quod ex propria tenuitate deeſt Operi, Epiſcopalis Dignitatis TUÆ aureus fulgor irradiet, Cœleſtis luminis ſplendor illuſtret, & Paſtoralis Baculus unà cum univerſo commiſſo Tibi grege contra inſurgentium motus potentiſſimè defendat. Aſſiduis de cætero precibus Deum Ter Opt. Max. exorare ſtudebimus, ut pro ſua majori gloria, & perpetuâ concrediti Tibi Dominici Gregis ſalute, quin & totius Eccleſiæ Univerſalis emolumento, communíque Reipublicæ Litterariæ bono, propriorumque cœleſtium meritorum incremento, CELSITUDINEM TUAM in præſenti ſæculo diutiſſimè conſervet incolumem; concedátque ex immenſo Miſerationum ſuarum pelago vitam in terris longævam, & in cœlis glorioſè perennem. Ita vovent, precanturque

Reverendiſſimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimi & Devotiſſimi Capellani
FF. Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci Reform.
Provinciæ Bavariæ S. Antonij de Padua.

FACUL-

Facultas & Cenſura Ordinarij.

CUm Jus Canonicum Rev. P. Anacleti Reiffenſtuel, Ordinis Minorum S. Franciſci Reformatorum Theologi jubilati &c. à Theologis perlectum, nihil Fidei Orthodoxæ aut bonis moribus contrarium contineat, ſed imò ob claram methodum, ſententiarum gravitatem, & rationum ſubtilitatem Jus dicentibus, & in utroque Foro verſantibus apprimè utile futurum ſit: ideò, ut publicam lucem videre poſſit, licentiam & facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum &c.

Friſingæ die 30. Septembris 1700.

FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS,
SS. Theolog. Doctor, Canon.Capitul.S.Scholaſticus, Vicarius Generalis & Officialis.

Licentia & Approbatio Ordinis.

FR. Matthæus à Sancto Stephano, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, ac Totius Ordinis S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & Servus: Dilecto Nobis in Chriſto R. P. F. Anacleto Reiffenſtuel, Lectori Jubilato & Concionatori noſtræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ, ſalutem, & omne bonum.

CUm juxta Apoſtolicas, noſtríque Ordinis Conſtitutiones, & idoneos Cenſores, reviſum fuerit opus quoddam à Te compoſitum, cujus Titulus eſt: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæſtiones diſtributum &c.* Tenore præſentium, ad Salutaris Obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenus ſervatis ſervandis, illud Typis mandare valeas.

Datis Romæ, die 10. Aprilis 1700.

Fr. MATTHÆUS à S. STEPHANO
Miniſter Generalis.

De Mandato S. P. Reverendiſſimæ
Fr. Petrus ab Urbino, Secretarius Generalis.

FACULTAS
Admodùm Reverendi Patris Miniſtri Provincialis.

CUM à Reverendo Patre Anacleto Reiffenſtuel, Ord. Min. S. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Ex-Cuſtode, Lectore Jubilato, opus quoddam, cui Titulus, *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæſtiones diſtributum*, ſic compoſitum; illúdque à duobus Theologis jamjam ſit reviſum & approbatum, plurimúmque recommendatum, & omnia, quæ de Jure in Editione Librorum ſunt ſervanda, ſint obſervata: tenore præſentium facultatem impertior, ut hoc laudatiſſimum Opus pro utilitate publica Typis mandari poſſit. Actum Friſingæ 4. Septembris Anno 1700.

Fr. BENNO MAIR, Ord. Min. S. Franciſci Reformat. Lector Jubilatus, & Provinciæ Bavariæ iteratò Miniſter Provincialis.

Cenſura

Cenſura Theologica.

Q Uamvis Religioſis Familijs non tantùm *decorum* ſit, Theologicis, Aſceticis, Controverſiſticis, Concionatorijs, Philoſophicis, Hiſtoricis, & alijs hujusmodi Myſticis, Dogmaticis, aut Scholaſticis Lucubrationibus occupari; ſed etiam ſubinde *neceſſarium*, ad Canoniſticum Studium ſeſe convertere, ac publicis Scholis, Typis, Scriptis, dictis, vel conſultis, Sacros Canones intelligendos docere, practicandos intelligere, proponere & propugnare: *Arduum* tamen manet, Summorum Pontificum, & Oecumenicorum Conciliorum ſenſa, Sæcularium Principum Decretis ſolidare, Codicis ac Digeſtorum Statutis conformare, Sacerrimæ Æquitati totum Jurium nervum addicere, Canonicas & Eccleſiaſticas Quæſtiones cum Civilibus laborioſè ac perplexè controverſas ita combinare, reſolvere & explanare, ut ſaluberrimarum Legum Claritas ex obſcuritate in Litteris ac Decretis, Sanctitas ex dimenſione à Primo Legislatore, & facilitas ex difficultate Conciliationum atque explicationum elucefcant. Quæ omnia, inſigni *Laudis*, & *Utilitatis* encomio, præſens Author R. P. Anacletus Reiffenſtuel in hoc *Primo Decretalium* Tomo præſtat. Et quia inſuper *Orthodoxæ Fidei*, ac *bonis moribus ſingulariſſimè* ſeſe conformat, *ſingularitatem* in Ipſo veneror, non exitialem, neque reprehenſibilem, ſed talem, quæ *ſingulariter* ſit commendabilis, hoc eſt, *unicè*, *excellenter*, *magnoperè*, *mirum in modum &c.* Ideòque etiam hoſce Commentarios privato ſtudio, ac publico Bono utiliſſimos fore cenſeo, conſequenter Typo ac prælo digniſſimos. Monachij. Die. 16. Aug. Anno 1700.

Fr. FORTUNATUS HUEBER, Totius Ord. S. P. Franciſci & Reform. Provinciæ Bavariæ Pater, Lector & Concionator Generalis, Scriptor publicus & Chronologus Germaniæ.

P Rodit in lucem, ſpeciali ſtudio congeſta, magnóque judicio digeſta, à Clariſſimo Authore R. P. Anacleto Reiffenſtuel, Ordinis Minorum S. P. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Lectore Jubilato, *Juris Canonici univerſi, juxta Titulos quinque librorum Decretalium in quæſtiones diſtributi, ſolidíſque reſponſionibus, & objectionum Solutionibus dilucidati clara Methodus*, quam ego infrà Scriptus, & ad hoc Superiorum juſſu & annutu deputatus, ſolerter revidi, ſtudioſéque recognovi. Cúmque non tantùm à ſolidiſſimis Fidei Orthodoxæ principijs, & Canonicis SS. Pontificum ſtatutis, in ullo non deflectat; ſed inſuper Juris utriusque addiſcendi principia in Procemio hujus primi Tomi ex fundamentis doceat, pragmaticisque Quæſtionibus, & Quæſtionum reſolutionibus, præcipuè in Foro Eccleſiaſtico uſu frequentioribus, ad amuſſim Juris communis Veteris ac Novi in progreſſu mirè illuſtret. Idcircò cenſui Opus hoc quoad primum Tomum typo præloque digniſſimum, ut ad communem omnium, & ſingulariter cauſas Eccleſiaſticas pertractantium utilitatem, maximúmque Sacro Juri operam navantium emolumentum, in lucem edatur. Datum Friſingæ in Conventu S. P. N. Franciſci ſtigmatizati, die 25. Auguſti. Anno Domini 1700.

Fr. FLORIDUS MOSMILLER, Ord. Min. S. P. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Lector Jubilatus, & SS. Canonum Actualis.

FACULTAS
Typographo facta.

E Go infrà Scriptus virtute Privilegij Sacræ Cæſareæ Maieſtatis ſuper impreſſione & diſtractione Librorum Fratribus Minoribus Regularis ac Strictioris Obſervantiæ conceſſi, facultatem facio Nobili ac ſtrenuæ Dominæ Mariæ Eliſabeth de Gelderen, ejúsque hæredibus, ut imprime-

re, ſuisque ſumptibus & emolumentis diſtrahere valeant opus quoddam, cui Titulus, *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæſtiones diſtributum*, à R. P. Anacleto Reiffenſtuel, Ord. Min. S. P. Franciſci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Ex-Cuſtode, & Lectore Jubilato compoſitum, cum plenario uſu Privilegij Cæſarei, idque pro prima illius Editione. Actum Friſingæ. 4. Septembris. Anno 1700.

Fr. BENNO MAIR, Ord. Min. S. P. Franciſci Reformat. Lector Jubilatus, & Provinciæ Bavariæ iteratò Miniſter Provincialis.

PRÆFATIO
Authoris ad Lectorem.

NOn ita pridem (Benevole Lector) iteratò in Germania, ac noviſſimè in Italia, publicam lucem aſpicere meruit Theologia Moralis, labore meo per plures annos indefeſsè continuato ad Dei gloriam feliciter abſoluta. Sed ei, qui velle & nolle non habet, *c. Si Religioſus. de Election. in 6.* non idcircò quieſcere licuit: quin potiùs, tum ob inſtantiam Virorum Præcellentium, omni reverentiâ atque obſervantiâ digniſſimorum, tum ad mandatum legitimorum Superiorum, labores novos ſuſcipere, atque Juri Canonico clariùs explicando memet accingere oportuit. Adeſt proinde Tomus primus, complectens Proœmium, Librúmque primum Decretalium Gregorij IX. juxta ordinem Titulorum explicatum; cæteri, favente Deo, ſequentur in proximo. Atque pro majori claritate operis, meliorique, Lector Benevole, commoditate tua, modum & ordinem procedendi ſequentem obſervare placuit: dividendo videlicet ſingulos longiores Titulos in Paragraphos, hos ſubſecando in Quæſtiones, & Quæſtiones partiendo in Numeros. Et ut horum contentum faciliùs intelligatur, ſpecialia ſingulis Paragraphis Summaria præmittuntur, juncto materiarum præcipuarum copioſo Indice ad finem libri appoſito: Simúlque circa initium ejusdem Libri extat Elenchus omnium Paragraphorum, & Quæſtionum in ſingulis Titulis examinatarum, ut omnia minori cum labore cognoſci, atque reperiri valeant. In delectu opinionum, tutior, probabiliórque pars videbatur tenenda: ita tamen, ut, cùm ſecundùm Philoſophos contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, oppoſitæ aliorum ſententiæ non taceantur; ſed ipſorum præcipuæ rationes, ſaltem per modum objectionis, ſeu inſtantiæ cujuspiam, fideliter allegentur, ſimúlque reſolvantur. Salvo in omnibus meliori aliorum, ac præſertim Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio, cui hæc omnia humillimè ſint ſubjecta: & ſi quid præter ſpem in progreſſu Operis ex ignorantia, ſeu inconſideratione humana irrepſiſſet, ejusdem S. R. Eccleſiæ Judicio contrarium, id totum ex nunc cenſeatur expunctum, annullatum, & ex animo retractatum. Cæterùm, ubi quid minùs benè dictum, aut obſcurum, oculis tuis occurrerit, illud, Lector Benevole, vitio ſcribentis attribue: ſi verò gratum aliquid, aut laude dignum repereris, ſoli Deo adſcribe, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, *Jacob cap. 1.*

ELEN-

ELENCHUS TITULORUM, PARAGRAPHORUM, ET QUÆSTIONUM,

In Tomo Primo Juris Canonici Univerſi contentorum.

PROOEMIUM.

§. I.

De Natura, & Diviſione Juris ut ſic.

Quæſtio I. Unde derivetur Juris vocabulum? Fol. 1.
II. Quot modis Jus accipiatur? 2.
III. Quomodo Jus pro legibus acceptum dividatur, & quid ſit Lex æterna? Ibid.
IV. Quid ſit Jus naturale, ac poſitivum? 3.

§. II.

De Diviſione Juris Poſitivi, ac de Jure Gentium.

Quæſtio I. Quâ ratione dividatur Jus poſitivum? 5.
II. Quid ſit Jus gentium, & an differat à Jure naturali? 6.

§. III.

De Jure Canonico, ejúsque excellentiâ, & diviſione.

Quæſtio I. Quid ſit Jus Canonicum? 7.
II. Quanta ſit excellentia ſcientiæ Juris Canonici? 8.
III. Quomodo dividatur, & ex quibus conſtituatur Jus Canonicum? 9.

§. IV.

De Origine, & partibus Juris Canonici.

Quæſtio I. A quo, vel quibus, ſuam originem deſumpſerit Jus Canonicum? 10.
II. Quot, & quænam ſint partes Corporis Juris Canonici? 11.

§. V.

De Authoritate Decreti Gratiani, ejúſque Paleis.

Quæſtio I. An, & qualem authoritatem vímque obligandi, habeat Decretum Gratiani? 13.
II. Cur nonnulla Capitula, ſeu Canones, Decreti Gratiani, inſcribantur *Paleæ*? Fol. 17.

§. VI.

De Authoritate Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, ſuarúmque Rubricarum.

Quæſtio I. Quæ ſit authoritas horum Librorum Juris Canonici? 18.
II. Utrùm Rubricæ Corporis Juris Canonici ſint authenticæ? 19.

§. VII.

De Superſcriptionibus, & Summarijs Capitulorum, & ſuperfluitate verborum vitanda.

Quæſtio I. Cujus authoritatis exiſtant Superſcriptiones, ac ſummaria Capitulorum? 22.
II. Cur plura Capitula habeant hanc Superſcriptionem, *Innocentius III. in Concilio Generali*? Ibid.
III. An in Libris Decretalium, & alijs partibus Juris, omninò nihil ſuperfluum admitti poſſit? 23.

§. VIII.

De Declarationibus Cardinalium, Deciſionibus Rotæ Romanæ, & authoritate Gloſſæ.

Quæſtio I. Quid ſint Declarationes Cardinalium, & quando fidem faciant? 25.
II. Quam vim, & authoritatem habeant Declarationes Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum? 26.
III. Quid ſit Rota Romana, & cujus authoritatis ſint Deciſiones ejus? 27.
IV. Quantæ authoritatis ſit Gloſſa? 29.

§. IX.

De Jure Civili, ejúſque Diviſione, & Partibus.

Quæſtio I. Quid ſit Jus Civile, & abſolutè prolatum pro quo ſupponat? Fol. 30.
II. Quomodo dividatur Jus Civile? Ibid.
III. Ex quibus partibus conſtet Jus Civile? 31.

§. X.

De Convenientijs, & Differentijs Juris Civilis cum Canonico.

Quæſtio I. In quibus generatim conveniat, & differat Jus Civile à Canonico? 34.
II. In quibus caſibus, ſive materijs in ſpecie, Jus Civile differat à Canonico? 36.

§. XI.

Quinquaginta Differentiæ, ſeu Contrarietates ſpeciales inter utrumque Jus, breviter referuntur. Ibid.

§. XII.

De Concordatione Jurium, & obſervandis circa manifeſtam eorum contrarietatem.

Quæſtio I. An, & qualiter Jura inter ſe ſint concordanda? 40.
II. Quid agendum, quando inter diverſas Juris Canonici partes, vel inter Jus antiquum & Concilium Tridentinum, reperitur quædam manifeſta contrarietas, quæ congruâ interpretatione concordari nequit? 41.
III. Quid ſit obſervandum circa manifeſtas contrarietates Juris Canonici & Civilis? 43.

§. XIII.

De Confœderatione Juris Civilis cum Canonico.

Quæſtio I. Quid ſentiendum ſit de confœderatione Juris utriusq; inter ſe? 44.
II. Cùm tanta inter Jus Civile & Canonicum intercedat confœderatio, cur Religioſis tam ſeverè prohibeatur, ne è clauſtris ſuis exeant ad audiendas Leges &c. 45.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO. 47.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

§. I.

De Myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis.

Quæſtio I. Quid per Summam Trinitatem intelligatur? Fol. 48.
II. Cur dicatur, quòd *alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud*? 50.
III. Quomodo intelligendum ſit illud, *Unigenitus Dei Filius, JESUS Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus*? Ibid.

§. II.

De Proceſſione Spiritûs Sancti à Filio.

Quæſtio I. Quid ſit ſentiendum de Proceſſione Spiritûs Sancti à Filio, & quomodo ipſa contra Græcos probetur? 51. & ſeqq.

§. III.

De Fide Catholica, varijsq; Fidei acceptionibus, ac definitione.

Quæſtio I. Quot modis Fidei nomen accipiatur, & quomodo ſumatur in altera parte Rubricæ præſentis Tituli? 55.
II. Utrùm bona ſit definitio Fidei, quæ traditur ab Apoſtolo *Hebr. c. 11.* 56.

§. IV.

De Symbolis Fidem Catholicam profitentibus.

Quæſtio I. Quid ſit Symbolum Fidei, & quotuplex? 58.
II. Quid ſpeciatim ſit dicendum de Symbolo Apoſtolorum? 59.
III. Quale ſit Symbolum Nicænum, & cur poſt Symbolum Apoſtolorum fuerit conditum? 60.
IV. Quale ſit Symbolum S. Athanaſij, & unde habeat Authoritatem? 62.
V. Quid ſentiendum de Symbolo quarto *in c. Firmiter. h. t.* relato? 63.

§. V.

Ponitur brevis explicatio Symboli Fidei, in cap. Firmiter. h. t. *relati.* 63.

Non habet Quæſtiones.

§. VI.

Continuatur brevis Explicatio Symboli Fidei in §. Et tandem. eod. cap. & Tit. *relati.*

Non habet Quæſtiones.

§. VII.

Continuatur brevis Explicatio Symboli Fidei in §. Una verò. eod. cap. & Tit. *relati.*

Non habet Quæſtiones.

§. VIII.

De Obligatione emittendi Profeſſionem Fidei.

Quæſtio I. Quinam Jure Eccleſiaſtico

obli-

obligentur ad emittendam Fidei profeſſionem? Fol. 76.

II. Utrùm omnes prorſus promoti ad Beneficia Eccleſiaſtica teneantur emittere profeſſionem Fidei? 78.

III. Coram quibus proviſi de Canonicatibus, vel Dignitatibus Cathedralibus, aut Beneficijs curam animarum annexam habentibus, teneantur emittere profeſſionem Fidei? Ibid.

IV. Quo tempore facienda ſit Fidei profeſſio? 79.

V. An ſæpè dicta profeſſio Fidei poſſit fieri per Procuratorem? 80.

§. IX.

De Pœnis Beneficiariorum omittentium facere Profeſſionem debitam Fidei.

Quæſtio I. Quæ generatim pœnæ ſint impoſitæ Clericis Beneficiarijs, qui omittunt facere debitam profeſſionem Fidei? 82.

II. An, qui ob omiſſam intra bimeſtre profeſſionem Fidei fructus Beneficij non fecit ſuos, ita eos perdiderit, ut in Conſcientia teneatur ipſos reſtituere ante omnem Sententiam Judicis? Ibid.

III. In quo ſenſu Concilium Tridentinum *cap. 12. Seſſ. 24. de Reform.* addat, quòd proviſis de Beneficio, & debitam Fidei Profeſſionem omittentibus, *profeſſio non ſuffragetur?* 83.

IV. Cui applicandi ſint fructus Beneficij, ob intermiſſam Fidei Profeſſionem à Beneficiario non acquiſiti? 84.

§. X.

De Erroribus Joachim Abbatis, & damnatione ſui libelli.

Quæſtio I. Quis fuerit Joachim Abbas, & quæ ejus cauſa ſcribendi contra Petrum Lombardum? 85.

II. Quot fuerint errores Joachim Abbatis, *cap. Damnamus. h. t.* relati, & quis effectus factæ ab eo proteſtationis, quâ judicio Sedis Apoſtolicæ ſcripta ſua ſubmiſerat? Ibid.

III. An damnato Authore, libri quoque ipſius cenſeantur damnati, & econtra? 86.

IV. Cur error Joachim Abbatis, & damnatio libri ſui, nihil obfuerit Monaſterio Florenſi, per ipſum inſtituto & gubernato? Fol. 87.

§. XI.

De Erroribus Almarici, & alijs hoc Titulo tractatis.

Quæſtio I. Quis fuerit Almaricus, & qui errores ipſius? 88.

II. Quænam Dogmata Fidei in Concilio Viennenſi, relato *Clem. un. h. t.* proponantur? Ibid.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

§. I.

De Varijs acceptionibus & nominibus Conſtitutionum, Bulla, & Brevi Apoſtolico.

Quæſtio I. Conſtitutio unde ſic dicatur, & quot modis accipiatur? 90.

II. Quibus nominibus appellentur Conſtitutiones Eccleſiaſticæ? 91.

III. Quid ſit Breve Apoſtolicum, & Bulla, & quæ differentia horum? 92.

§. II.

De Lege, ejúsque Conditionibus, ac differentia à Simplici Præcepto.

Quæſtio I. Quid ſit Lex, & quæ ejus utilitas? 93.

II. Quæ requirantur conditiones ad Legem, ſeu Conſtitutionem? 94.

III. Quomodo Lex differat à Simplici Præcepto? 95.

§. III.

De Poteſtate Legislativa, & quomodo hæc competat Papæ, atque Concilijs?

Quæſtio I. Quotuplex ſit Poteſtas Legislativa humana? 97.

II. Quomodo Papa poſſit ferre Leges, ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticas? Ibid.

III. Utrùm Concilia poſſint condere Conſtitutiones vim Legis habentes? 98.

§. IV.

De Poteſtate Legislativa Epiſcoporum, Capitulorum, & aliorum.

Quæſtio I. Quam poteſtatem faciendi novas Conſtitutiones, ſeu Statuta pro ſuis ſubditis, habeant Epiſcopi & Archiepiſcopi? 101.

II. Utrùm Capitulum Cathedrale habeat poteſta-

poteſtatem ferendi quasdam leges, ſeu Statuta? Fol. 104.
III. An Eccleſiæ Collegiatæ inferiores, aliæque Univerſitates, & Societates, poſſint facere leges proprium ſtatum concernentes? 106.
IV. An Ordines Religioſi poſſint condere Leges, & Statuta ad Succeſſores transeuntia? 107.
V. Penes quos ſit poteſtas condendi Leges Civiles? Ibid.

§. V.
De Promulgatione Legum, ſive Conſtitutionum.

Quæſtio I. An ſemper ad hoc, ut Lex obliget ſubditos, ſit neceſſaria ejus promulgatio? 108.
II. Qualis requiratur promulgatio Legis, ſeu Conſtitutionis de novo edendæ? 109.
III. Utrùm Lex, ſive Conſtitutio Pontificia Romæ promulgata, illicò obliget pro toto mundo, vel inſuper ejusdem publicatio in ſingulis Provincijs, & Diœceſibus fieri debeat? 110.

§. VI.
De Acceptione Legum, ſeu Conſtitutionum.

Quæſtio I. Utrùm ad Legem humanam requiratur acceptatio populi? 114.
II. Quid Juris, ſi populus juſtam habeat cauſam nõ acceptandi legem, vel eandem cæteroquin legitimè factam, & promulgatam non acceptet? 115.

§. VII.
De Obligatione Legum humanarum in genere, ac fundatarum in præſumptione.

Quæſtio I. Utrùm Leges humanæ cæteroquin juſtæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles obligent in conſcientia? 117.
II. An, & quomodo Lex, quæ fundatur in præſumptione, ſit obligatoria? 118.

§. VIII.
De Legibus in Fictione juris fundatis, earúmque obligatione.

Quæſtio I. Quid ſit Fictio juris, & quæ ejus exempla? 121.
II. In quibus Fictio juris differat à Præſumptione juris? Ibid.
III. Utrùm Leges in Fictione Juris fundatæ locum habeant etiam in Foro conſcientiæ? Fol. 122.
IV. Quæ Regulæ circa Fictionem juris ſint attendendæ? Ibid.

§. IX.
De Lege Pœnali, ac Pœnis latæ & ferendæ ſententiæ.

Quæſtio I. Quæ ſit Lex pœnalis, & an detur aliqua merè pœnalis? 124.
II. Unde dignoſcendum, quòd aliqua Lex ſit merè pœnalis? 125.
III. Unde Colligi poſſit, pœnam eſſe latæ, vel ferendæ ſententiæ? Ibid.

§. X.
De Obligatione Legum Pœnalium.

Quæſtio I. Quâ ratione obligent leges, ſeu conſtitutiones pœnam ferendæ ſententiæ continentes? 128.
II. Quomodo obligent Leges pœnam latæ ſententiæ continentes? 129.

§. XI.
De Lege Irritante, ejúsque Obligatione, ac Effectu.

Quæſtio I. An, & quibus modis per Leges, ſive Conſtitutiones, poſſint irritari contractus, electiones, aliíque actus? 132.
II. Quæ ſit obligatio, atque effectus Legum irritantium contractus, electiones, aut alias diſpoſitiones? Ibid.
III. Quid juris, ſi Lex ipſo jure irritet contractus, electiones, aut alias diſpoſitiones? 133.

§. XII.
De Subjecto Obligationis Conſtitutionum, præſertim Eccleſiaſticarum.

Quæſtio I. Quinam generatim obligentur Sacris Canonibus, aliíſque Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? 136.
II. Utrùm Legislator proprijs Legibus teneatur? 137.
III. Utrùm Hæretici obligentur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? 138.
IV. Quid cenſendum de Judæis, Paganis, & Catechumenis, quoad obligationem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum? 139.

§. XIII.

Quæſtio I. An Leges Juris Civilis, & Statuta Sæcularia, quæ nominatim ac ſpecificè diſponunt de Eccleſijs, perſo-

perſonis, rebúsque Eccleſiaſticis, vim habeant ipſos obligandi? Fol. 141.
II. Utrùm Clerici teneantur Legibus Civilibus, & Statutis Laicorum, quæ non factâ expreſsâ mentione Eccleſiarum, rerum ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, quidpiam generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec ſtatui Clericali cæteroquin præjudicant? 143.

§ XIV.
De Obligatione Legum, & Statutorum Sæcularium quoad Clericos, quæ diſponunt de Contractibus, aliiſque rebus merè profanis.

Quæſtio I. Num Leges Sæculares de Contractibus, aliiſque rebus profanis quidquam generaliter diſponentes, extendantur ad Clericos, ſive dein his ſint favorabiles, ſive præjudiciales? 146.
II. An Leges corpori Juris Civilis inſertæ, quæ generaliter diſponunt, ſive aliquid ſtatuunt circa contractus, modum ſuccedendi ab inteſtato, & alia merè profana, cæteroquin autem Sacris Canonibus, aut Immunitati Eccleſiaſticæ non contrariantur, etiam ad Clericos, résque Eccleſiaſticas extendantur; haud obſtante, quòd quandoque incommodum afferant? 147.
III. Utrùm proximè dicta de Legibus inſertis corpori Juris Civilis, procedant pariter in Statutis inferiorum Principum, & Magiſtratuum Sæcularium; adeo ut ſi talia Laicorum Statuta diſponant circa Contractus, vel alias res profanas, ſimúlque de ſe non ſint Clericis præjudicialia, neque Sacris Canonibus, aut Immunitati Eccleſiaſticæ adverſentur, extendantur ad Clericos, eóſque obligent? 148.
IV. In quibus caſibus Statuta Laicorum generaliter diſponentia extendantur ad Clericos, vel iſtos afficiant? 149.

§. XV.
De Interpretatione Legum, ſive Conſtitutionum.

Quæſtio I. Quid ſit Interpretatio legum, præſertim propriè dicta? Fol. 152.
II. Quibus modis dividatur Interpretatio? 153.
III. Utrùm Interpretatio authentica legis per Principem legiſlatorem, vel ejus Succeſſorem facta, debeat publicari eâ ſolemnitate, quâ Lex, ut obliget? 155.
IV. Quid ſit Epicheia, quomodo differat ab Interpretatione, & an quandoque locum habeat? 156.

§. XVI.
De Regulis in Legum Interpretatione generatim obſervandis.

Non habet Quæſtiones.

§. XVII.
De Regulis in Interpretatione Legum corrigentium, exorbitantium, pœnalium, ſeu odioſarum, atque favorabilium obſervandis.

Non habet Quæſtiones.

§. XVIII.
De Diſpenſatione Legum, ſeu Conſtitutionum.

Quæſtio I. Quid ſit Diſpenſatio? 166.
II. In quibus poſſit Summus Pontifex diſpenſare? 167.
III. Utrùm Epiſcopus poſſit diſpenſare quoad Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Conciliorum Generalium? 168.
IV. Utrùm valida ſit diſpenſatio, ſi concedatur abſque juſta cauſa? 171.
V. Utrùm, ſi Papa, vel Epiſcopus, ſcienter aſſumat inhabilem ad officium vel dignitatem, cenſeatur hoc ipſo cum eo diſpenſare? 171.

§. XIX.
De Revocatione Legum, ſeu Conſtitutionum.

Quæſtio I. Quid ſit Abrogatio, Derogatio, & Irritatio legis, & quomodo differant? 172.
II. An Leges ſemel juſtè latæ, poſſint denuò revocari? 173.
III. Quandonam Lex prior cenſeatur eſſe ſublata per poſteriorem? Ibid.
IV. Utrùm revocatio, ſive correctio Jurium rectè inducatur per tacitos intellectus, aut ſubauditum ſermonem? 175.

§. XX.

§. XX.

De Revocatione Decretorum Concilij Generalis.

Quæſtio I. Utrùm ad derogandum Decretis Concilij Generalis requiratur hujus expreſſa mentio? 178.

II. Utrùm ad derogandum Decretis Concilij Tridentini requiratur ſpecialis ejus mentio? 180.

§. XXI.

De Revocatione ſtatutorum ab inferioribus juratorum, vel à Superiore Confirmatorum.

Quæſtio I. Utrùm Capitula, & aliæ Communitates poſſint tollere, & revocare Statuta à Capitularibus jurata? 181.

II. Utrùm ſtatuta per ſuperiorem, v. g. Summum Pontificem confirmata, poſſint ab inferioribus ſtatuentibus revocari? 182.

TITULUS III.
De Reſcriptis.

§. I.

De Natura, & Diviſione Reſcriptorum.

Quæſtio I. Quid ſit Reſcriptum, quibúsque partibus conſtet? 184.

II. An Reſcriptum habeat vim legis? 185.

III. Utrùm ſit differentia inter Reſcriptum, Privilegium, Beneficium, & Mandatum? 186.

IV. Quotuplex ſit Reſcriptum? Ibid.

§. II.

De Impetratione Reſcriptorum.

Quæſtio I. Quis poſſit, vel non poſſit impetrare Reſcriptum à Principe? 188.

II. Utrùm Excommunicati poſſint impetrare Reſcriptum Pontificium? 189.

III. An Reſcriptum ab excommunicato impetratum ſit ipſo jure nullum, vel duntaxat ope exceptionis, adeóque valeant geſta virtute talis Reſcripti, ſi nemo contra illud excipiat? 190.

IV. Utrùm quis poſſit impetrare Reſcrip. tum pro alio absque ejus ſpeciali mandato? 191.

§. III.

De Præſentatione Reſcriptorum.

Quæſtio I. Intra quod tempus Reſcripta ſint præſentanda? 192.

II. Utrùm in Reſcriptis Papalibus attendatur tempus *Præſentatæ*, ſeu factæ præſentationis, vel potiùs tempus *Datæ*? 193.

§. IV.

De Prælatione, ſeu Prævaliditate Reſcriptorum, quando plura ſunt impetrata.

Quæſtio I. Quodnam ex pluribus Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites impetratis, ſit præferendum? 196.

II. Quodnam Reſcriptum Beneficiale prævaleat, ſi diverſa à duobus Reſcripta ſuper Beneficio in eadem Eccleſia ſibi conferendo impetrantur? 198.

III. Quid dicendum de alijs Reſcriptis gratioſis, ipſíſque Privilegijs, & quodnam eorum ſit præferendum, ſi plura à diverſis ſint impetrata circa idem? 200.

§. V.

De Interpretatione Reſcriptorum, nec non & Privilegiorum.

Quæſtio I. Qualis interpretatio in Reſcriptis præſertim juſtitiæ, ſeu ad Lites, ſit facienda? 202.

II. Qualiter in dubio interpretanda ſint Reſcripta gratiæ, atque ad Beneficia Eccleſiaſtica? 203.

III. Qualis interpretatio locum habeat in Privilegijs? Ibid.

§. VI.

De Clauſulis, & Forma Reſcriptorum neceſſariò Obſervanda.

Quæſtio I. Quænam Clauſulæ in Reſcriptis communiter apponantur, vel ſaltem ſubintelligi debeant? 205.

II. An, & quâ neceſſitate, forma in Reſcriptis præſcripta obſervari debeat? Ibid.

III. Ex quibus ſignis colligi poſſit, quidpiam in Reſcriptis eſſe poſitum, ſeu præſcriptum pro forma ſubſtantiali, nec ne? 206.

§. VII.

De Obreptione, ac Subreptione Reſcriptorum.

Quæſtio I. Quid ſit Obreptio, & Subreptio, & an differant? 207.

II. An

II. An, & quando Obreptio, ſive ſubreptio vitiet Reſcriptum? Fol. 208.
III. Utrùm Deciſio Apoſtolica in *c. Super litteris. h. t.* contenta, quæ ex profeſſo loquitur de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, ac Regulæ inde formatæ pariter locum habeant in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, nec non & in Privilegijs? Ibid.
IV. Utrùm Reſcriptum ſubreptitium ipſo jure ſit nullum, vel duntaxat ope exceptionis? 210.

§. VIII.

Alia Dubia circa ſubreptionem Reſcriptorum ſolvuntur.

Quæſtio I. Utrùm ſubreptio contingens in una parte Reſcripti, habentis plures partes, ſive Capitula, vitiet totum? 211.
II. Utrùm per Subreptionem, quæ contingit circa cauſam non motivam, ſed impulſivam tantùm, vitientur Reſcripta? 212.
III. Unde cognoſci poſſit, quòd Princeps veriſimiliter cognitâ rei veritate Reſcriptum fuiſſet conceſſurus; adeoque ſubreptio contingat ſolummodò circa cauſam impulſivam ac ſecundariam, & non circa motivam & primariam? 214.
IV. De quibus oporteat facere mentionem in Reſcriptis, ne veluti tacitâ veritate obtenta, cenſeantur ſubreptitia? 215.
V. Utrùm Motus proprius tollat vitium ſubreptionis in Reſcriptis? 216.

§. IX.

De Erroribus, & Raſura Reſcriptorum.

Quæſtio I. Utrùm error latinitatis vitiet Reſcriptum, vel Teſtamenta, aut publica Inſtrumenta? 217.
II. Quid dicendum de errore in nomine, vel pronomine, & an vitiet Reſcriptum, vel alia Inſtrumenta? 218.
III. An, & quando Raſura vitiet Reſcriptum, vel alia Inſtrumenta? 219.

§. X.

De Expiratione Reſcriptorum ob mortem Concedentis.

Quæſtio I. Utrùm Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, morte Concedentis ſupervenientе expirent? 221.
II. Quandonam res deſinat eſſe integra, ita ut valor Reſcripti ad lites, ac juriſdictio delegata, non ampliùs morte concedentis cenſeatur expirare? Fol. 222.
III. An, & quando Reſcripta gratiæ, ſeu ad Beneficia, expirent morte concedentis? 224.
IV. Quænam Reſcripta, ſeu Commiſſiones gratioſæ, præſertim, in favorem aliorum conceſſæ, cenſeantur continere *gratiam factam*, & quænam *faciendam*? Ibid.
V. An morte concedentis expirent Reſcripta, ſive gratiæ illæ, quæ fuerunt conceſſæ ſub clauſula, *Uſque ad beneplacitum noſtrum*, *Uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, *Donec revocavero*, & hujusmodi? 225.

§. XI.

De Renunciatione, ac Revocatione Reſcriptorum.

Quæſtio I. Utrùm Reſcripto ritè impetrato poſſit quis renuntiare? 226.
II. Utrùm ſpecialiter loquendo de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, poſſit quis eisdem renunciare, etiam invito adverſario? Ibid.
III. Quâ ratione revocentur Reſcripta? 227.

TITULUS IV.
De Conſuetudine.

§. I.

De Natura, & diviſione Conſuetudinis.

Quæſtio I. Unde derivetur, & quid ſit Conſuetudo? 228.
II. Quotuplex ſit Conſuetudo? 229.
III. Quâ ratione Conſuetudo differat à Legibus, & Statutis? 230.
IV. Quomodo Conſuetudo differat à Traditionibus? Ibid.

§. II.

De Conditionibus ad Conſuetudinem requiſitis, & cumprimis de ejus Rationabilitate.

Quæſtio I. Quænam generatim conditiones ad legitimam conſuetudinem requirantur? 232.
II. Quænam Conſuetudo generatim cenſeatur eſſe rationabilis, & quæ irrationabilis? Ibid.

III. Utrùm Conſuetudo, cui Jus reſiſtit, hoc ipſo ſit cenſenda irrationabilis, ac proinde invalida? Fol. 233.

§. III.

De nonnullis Conſuetudinibus irrationabilibus, à Jure reprobatis.

Quæſtio I. Utrùm valeat Conſuetudo, per quam rumpitur Nervus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ? 235.

II. Quid dicendum de Valore Conſuetudinis, per quam impeditur correctio morum? 236.

III. Utrùm valeat Conſuetudo adversùs Libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam? Ibid.

IV. Utrùm valeat Conſuetudo, vi cujus quis in eadem Eccleſia habet duas Dignitates, Perſonatus, vel Officia unacum Canonicatu absque diſpenſatione Papæ? 238.

V. Quid dicendum de Conſuetudine, anſam peccandi, aut bona ſua diſſipandi præbente? Ibid.

VI. An valida ſit Conſuetudo appellandi à Vicario Generali ad Epiſcopum? 239.

VII. Quænam aliæ Conſuetudines ſpecialiter à Jure Canonico ſint reprobatæ? Ibid.

§. IV.

De Tempore ad præſcribendam, ſeu inducendam Conſuetudinem requiſito.

Quæſtio I. In quo ſenſu dicatur Conſuetudo legitimè præſcripta, & quo tempore Conſuetudo præter jus inducatur? 241.

II. Quantum temporis requiratur, ut conſuetudo contra jus cenſeatur legitimè præſcripta, ita ut legem præſertim Civilem, aboleat? 242.

III. An etiam ſufficiat decennium ad inducendam conſuetudinem contra Jus Canonicum, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas? 243.

§. V.

De alijs ad Conſuetudinem iducendam requiſitis.

Quæſtio I. Per quos poſſit, vel non poſſit induci conſuetudo? 245.

II. An ad inducendam Conſuetudinem requiratur aliqua frequentia actuum, & quot horum ſufficiant? 246.

III. Quales actus requirantur ad inducendam Conſuetudinem? 247.

IV. Utrùm Conſuetudo debeat eſſe non interrupta; & quâ ratione non interrumpatur? Fol. 248.

V. An ad inducendam Conſuetudinem requiratur ſcientia, & conſenſus Principis potentis legem condere? Ibid.

VI. An ad conſuetudinem inducendam contra legem requiratur bona fides? 249.

VII. Utrùm ad Conſuetudinem requiratur, ut etiam in contradictorio judicio ſit obtenta? 250.

§. VI.

De Effectibus Conſuetudinis.

Quæſtio I. Quot generatim ſint effectus Conſuetudinis? 251.

II. Quibus modis Conſuetudo poſſit interpretari legem præexiſtentem. Ibid.

III. Quâ ratione Conſuetudo poſſit abrogare Legem præexiſtentem. 252.

IV. Utrùm Conſuetudo legitimè introducta habeat vim obligandi etiam pro Foro conſcientiæ? 252.

V. An Conſuetudo unius loci, v.g Civitatis, obliget alium locum, ſeu Civitatem vicinam? Ibid.

VI. Utrùm Conſuetudo diuturna, minùs tamen juſta, ſeu mala, nullum penitùs habeat effectum? 253.

§. VII.

De Probatione Conſuetudinis.

Quæſtio I. An, & cur Conſuetudo ſit difficilis probationis? 254.

II. Cui incumbat onus probandi conſuetudinem? Ibid.

III. Quibus Modis Conſuetudo probetur? Ibid.

§. VIII.

De Abrogatione Conſuetudinis.

Quæſtio I. Quibus modis generatim Conſuetudo ritè introducta, denuò tolli, ſeu abrogari poſſit? 256.

II. An per clauſulam generalem, *non obſtante quâcunque conſuetudine*, etiam derogetur Conſuetudini futuræ, ſeu impoſterum introducendæ? Ibid.

III. Utrùm per clauſulam generalem, *non obſtante quâcunque conſuetudine*, aut hujus-

hujuſmodi, cenſeatur ſublata conſuetudo immemorialis? Fol. 257.
IV. An, & quâ ratione Conſuetudo abrogetur per contrariam Conſuetudinem? Ibid.

TITULUS V.
De Poſtulatione Prælatorum.

§. I.
De Natura & diviſione Poſtulationis, ejúsque differentijs ab Electione.

Quæſtio I. Quid ſit Poſtulatio? 259.
II. Quotuplex ſit Poſtulatio? 260.
III. In quibus Poſtulatio ſolemnis differat ab Electione? Ibid.

§. II.
De ijs, qui poſtulare, vel poſtulari poſſunt.

Quæſtio I. Quinam poſtulare poſſint? 263.
II. Qui generatim poſſint poſtulari? Ibid.
III. Utrùm Epiſcopi, Archiepiſcopi, & his Superiores, debeant ad alium Epiſcopatum poſtulari, vel eligi? 264.
IV. An Epiſcopi Titulares ad alium Epiſcopum ſint poſtulandi; non autem eligendi? Ibid.
V. Utrùm Cardinales S. Rom. Eccleſiæ poſſint eligi in Epiſcopum, vel debeant poſtulari? 265.
VI. Utrùm Abbates, aliíque Clerici Epiſcopis inferiores, ad aliam Eccleſiam, ſeu Dignitatem poſſint eligi, vel potiùs ſint poſtulandi? 266.
VII. Quæ ſint pœnæ Poſtulantium indignum? 267.

§. III.
De Forma Poſtulationis, & alijs eam concernentibus.

Quæſtio I. Utrùm forma ſcrutinij ſit neceſſaria ad Poſtulationem ſolemnem? 268.
II. Quænam formæ poſtulandi à Jure Canonico ſint ſpecialiter reprobatæ? Ibid.
III. Quo tempore Poſtulato præſentanda ſit Poſtulatio, ab eóque conſenſus præſtandus? Ibid.
IV. Utrùm ſuperior teneatur admittere Poſtulationem, vel hanc poſſit repellere abſque ullius injuria? 269.

TITULUS VI.
De Electione & Electi Poteſtate.

§. I.
De Natura Electionis, ejúsque differentijs ab alijs modis providendi Eccleſiæ.

Quæſtio I. Quot modis Electio ſumatur? Fol. 270.
II. Quid ſit Electio propriè dicta? Ibid.
III. Quid ſit Nominatio, & quomodo differat ab Electione, & Poſtulatione? 271.
IV. Quid ſit ſimplex petitio, proviſio, præſentatio, & collatio Beneficij, & quomodo differat ab Electione? 272.

§. II.
De Jure Electis obveniente vi Electionis.

Quæſtio I. An, & quâ ratione competat Electo jus petendi confirmationem? 274.
II. Utrùm Electio tribuat Electo jus in re, vel ſolummodò jus ad rem reſpectu Prælaturæ? Ibid.
III. Utrùm Electo ante obtentam Confirmationem ſit prohibita adminiſtratio Prælaturæ, & quâ ratione? 275.
IV. Utrùm nullus omninò detur caſus, in quo Electus poſſit adminiſtrare ante obtentam Confirmationem? 276.

§. III.
De Præparatorijs, ipsáque Electione per inſpirationem & Compromiſſum.

Quæſtio I. Quænam inter Præparatoria ad Electiones connumerentur? 276.
II. Quid, & quotuplex ſit forma Electionis? Ibid.
III. Quid ſit Electio per inſpirationem, vel quaſi inſpirationem? 279.
IV. Quid ſit Electio per Compromiſſum, & quando locum habeat? Ibid.

§. IV.
Varia dubia circa Electionem per Compromiſſum reſolvuntur.

Quæſtio I. An, & quâ ratione Compromiſſum, ſeu poteſtas eligendi data Compromiſſarijs, revocari valeat? 281.

II. Utrùm Compromittentes teneantur recipere eum, quem elegerunt Compromiſſarij? Fol.282.
III. Quid Juris, ſi Compromiſſarius eligat indignum? Ibid.
IV. Quid adhuc Juris, ſi Compromiſſarius negligat eligere intra tempus à Jure ſtatutum, aut Electus conſentire nolit electioni? 283.
V. An Compromiſſarij poſſint eligere aliquem ex ſeipſis, vel unus ſemetipſum? Ibid.

§. V.
De Electione per Scrutinium.

Quæſtio I. Quid ſit Electio per formam Scrutinij, & quæ obligatio Decretalis *in c. Quia propter. h.t.* relatæ? 285.
II. Quomodo Electio juxta dictam formam Scrutinij debeat fieri præſentibus omnibus? 287.
III. Quinam ad Electionem debeant vocari? Ibid.
IV. Quâ ratione Scrutatores conſtitui, & coram ipſis Scrutinium fieri debeat? 289.
V. An, & quomodo poſt publicatum Scrutinium, teneantur Scrutatores procedere ad collationem votorum? 290.

§. VI.
De Electione facienda à majori & Saniori parte Capituli, vel in Concurſu poſtulationis.

Quæſtio I. Quænam cenſeatur major pars Capituli? 292.
II. Utrùm ad electionem validam requiratur, ut ſit facta ſimul à Majori, & Saniori parte Capituli? Ibid.
III. An in omni prorſus electione requirantur, & ſufficiant vota majora? 293.
IV. Qualis numerus votorum, ſeu ſuffragiorum Capitularium ſufficiat ad valorem electionis, quando hæc concurrit cum Poſtulatione? Ibid.

§. VII.
De illis, qui eligere poſſunt, vel non poſſunt.

Quæſtio I. Ad quem pertineat electio Prælatorum? 295.
II. Quinam cenſeantur inhabiles ad eligendum, ita ut prohibeantur eligere ad Prælaturas Eccleſiaſticas? Ibid.

§. VIII.
De Procuratoribus in Electionis negotio conſtituendis, ac de Vocalibus infirmis, vel ſe abſentantibus.

Quæſtio I. An in Electionis negotio poſſit conſtitui Procurator? Fol.298.
II. Utrùm in Electionis negotio unus duntaxat Procurator, & quidem de ipſomet Collegio, conſtitui poſſit, atque admitti debeat? Ibid.
III. Quid juris de infirmis, qui in Monaſterio, in quo electio peragitur, vel ſaltem in Civitate exiſtunt, locum tamen electionis ob infirmitatem accedere nequeunt? 299.
IV. Quid juris, ſi electione debito tempore, ac loco inſtitutâ, aliqui Vocales adeſſe nolint, vel inde egrediantur, aut Schedulam vacuam mittant in urnam? 300.

§. IX.
De Qualitatibus Eligendorum.

Quæſtio I. Quæ qualitates generatim requirantur in eligendis ac promovendis ad Prælaturas Beneficia & Eccleſiaſtica? 302.
II. Qualis litterarum ſcientia requiratur in eligendis ad Prælaturas, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica? Ibid.
III. Qualis ætas requiratur in eligendis, atque promovendis ad Prælaturas, Dignitates, atque Beneficia Eccleſiaſtica? 303.
IV. Quænam aliæ qualitates, ac præſertim concernentes gravitatem morum, requirantur ex parte Eligendorum? 304.

§. X.
De Electione Dignioris præ minùs Digno.

Quæſtio I. An licitè poſſit eligi dignus omiſſo digniori? 306.
II. Utrùm allata doctrina de eligendo dignori ad Prælaturas Eccleſiaſticas, etiam locum habeat in promovendis ad Eccleſias Parochiales? 307.
III. Utrùm valida ſit electio digni, prætermiſſo digniore facta? 309.

§. XI.

§. XI.

De Pœnis Eligentium indignum, aut nonſervatâ debitâ formâ, ſeu tempore à Jure Statuto.

Quæſtio I. An, & quâ ratione Eligentes indignum priventur jure eligendi? F. 310.

II. An, & qualiter Eligentes indignum, pœnam ſuſpenſionis à Beneficijs incurrant? 311.

III. Quæ ſit pœna eorum, qui eligunt Prælatū in Eccleſia viduata non ſervatâ formâ Scrutinij in *c. Quia propter 42. h. t.* præſcriptâ? 312.

IV. Quæ ſit pœna non eligentium intra tempus à Jure præfixum? 313.

§. XII.

De Publicatione Scrutinij, atque Electionis; variatione votorum, & Acceſſu minoris partis ad majorem.

Quæſtio I. Quid generatim notandum ſit circa publicationem Scrutinij, atque electionis? 314.

II. An Electores variare, ſeu à dato ſemel ſuffragio recedere, illúdque mutare valeant? 315.

III. An in Electionibus valeat acceſſus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, quando priùs neutra pars habuit vota ſufficientia? 216.

§. XIII.

De Præſentatione Electionis, & Conſenſu Electi in eam, hujúſque Confirmatione, & Appellatione ab ipſa.

Quæſtio I. Quo tempore, & ſub quibus pœnis, electio ſit intimanda Electo, ejúſque conſenſus petendus? 318.

II. Intra quod tempus teneatur Electus conſentire electioni de ſe factæ, & quid de Religioſo extra Monaſterium electo? Ibid.

III. Intra quod tempus, & à quo petenda ſit confirmatio electionis? 319.

IV. Quænam ſint obſervanda ante confirmationem electionis concedendam? 320.

V. Quæ ſit forma appellandi ab electione? Ibid.

VI. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra eos, qui appellantes ab electione deficiunt in probatione eorum, quæ objecerant? Ibid.

§. XIV.

Specialia de Electionibus Regularium.

Quæſtio I. An per Decretum Concilij Tridentini *Seſſ. 25. cap. 6. de Regularib.* ſit abrogata Decretalis, *Quia propter. 42. h. t.* quoad electiones Regularium? Fol. 321.

II. An Regulares in ſuis electionibus teneantur obſervare formam in Decretali, *Quia propter*, præſcriptam? 322.

III. Cur, & ſub qua obligatione, Conciliū Tridentinum præceperit Regularibus, ut facerent electiones per vota Secreta, ita ut Eligentium nomina nunquam publicentur? 323.

IV. An forma eligendi per Compromiſſum, & quaſi inſpirationem, ſit ſublata quoad Regulares virtute citati Decreti Tridentini? 324.

TITULUS VII.
De Translatione Epiſcopi.

§. I.

Diſcutiuntur generalia circa Translationem Epiſcopi.

Quæſtio I. Quid ſit, & à quo fieri poſſit Translatio Epiſcopi? 325.

II. Quomodo, quibúſque de cauſis fiat Translatio Epiſcopi? 326.

III. Quinam ſint effectus Translationis Epiſcopi? Ibid.

IV. Quomodo verificetur textus ille Innocentij III. relatus in principio *cap. 2. h. t.* illis verbis: *Inter corporalia & ſpiritualia eam cognovimus eſſe differentiam, quòd corporalia faciliùs deſtruantur, quàm conſtruantur: ſpiritualia verò faciliùs conſtruantur, quàm deſtruantur* &c. Ibid.

§. II.

Reſolvuntur tres notabiles Quæſtiones concernentes Translationem Epiſcopi.

Quæſtio I. An Papa poſſit Epiſcopum invitum ab una ad aliam Eccleſiam transferre? 328.

II. An incontinenti, quòd Epiſcopus in Curia, ſeu Conſiſtorio Papæ, eſt translatus, cenſeatur prior Sedes Epiſcopalis vacare? 330.

III. Utrùm Epiſcopus translatus de uno Epiſcopatu ad alium, poſſit ſecum aſportare bona ex redditibus prioris Eccle-

Eccleſiæ ſeu Epiſcopatûs acquiſita? Fol. 332.

TITULUS VIII.
De Authoritate & Uſu Pallij.

Quæſtio I. Quid ſit Pallium, à quo, & quibus conferatur, quidque deſignet? 334.
II. Ubi, & quando ſit utendum Pallio? 336.
III. Utrùm unus Archiepiſcopus poſſit alteri Pallium ſuum commodare? 337.

TITULUS IX.
De Renunciatione.

§. I.
De Renunciatione ut ſic, & an propriâ Authoritate fieri poſſit.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Renunciatio? 338.
II. An Clericus Beneficiarius poſſit propriâ Authoritate ſine conſenſu Superioris, Beneficium reſignare? 340.
III. Utrùm Clericus Beneficiarius poſſit liberè renunciare Beneficio Eccleſiaſtico ex cauſa ingrediendi Religionem? 341.
IV. Utrùm Renunciatio Beneficij Eccleſiaſtici comprehendatur ſub Decreto Concilij Tridentini *Seſſ. 25. cap. 16. de Regularibus*? Ibid.

§. II.
De cauſis Renunciationis Beneficiorum, & an pœnitere liceat?

Quæſtio I. Ex quibus cauſis Renunciationes Beneficiorum fieri poſſint? 343.
II. An reſignans poſſit pœnitere, ſeu redire ad Beneficium reſignatum? Ibid.

§. III.
Per quos, & quæ Beneficia poſſint, vel non poſſint renunciari?

Quæſtio I. An quilibet Clericus poſſit renunciare ſuo Beneficio Eccleſiaſtico? 345.
II. An dentur aliqua Beneficia Eccleſiaſtica, quæ reſignari non poſſunt? 346.
III. Quid Juris de Reſignantibus causâ infirmitatis, ſeu ante mortem? 347.

§. IV.
De Renunciatione Pura, & Conditionali.

Quæſtio I. Qualiter renunciatio Beneficij Eccleſiaſtici debeat eſſe pura? Fol. 349.
II. Quâ ratione renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis ſit inſtituenda? 351.

§. V.
De Renunciatione Beneficij in favorem Tertij.

Quæſtio I. An illicita, quin & ſimoniaca ſit Reſignatio Beneficij in favorem tertij, ſeu cum clauſula *non aliter*? 353.
II. An factâ renunciatione Beneficij in favorem tertij cum clauſula, *non aliter*, poſſit eandem Epiſcopus acceptare, & rejecta conditione tanquam turpi conferre Beneficium, cui voluerit? 355.
III. An licita ſit Renunciatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum reciproca, triangularis, & quadrangularis? 356.

§. VI.
De publicatione Reſignationis, bujúsq; effectibus; ubi & de diviſione fructuum inter Reſignantem & Reſignatarium.

Quæſtio I. An, & qualiter publicandæ ſint Renunciationes Beneficiorum? 357.
II. Qui ſint effectus Renunciationis Beneficiorum, & quando ab ea inducantur? 359.
III. Utrùm Clericus Beneficium reſignans, poſſit percipere fructus ejus? 360.
IV. Utrùm fructus pendentes Beneficij pro rata temporis ſint dividendi inter Reſignantem & Reſignatarium? 361.

TITULUS X.
De Supplenda Negligentia Prælatorum.

§. I.
De Negligentia Prælatorum in genere, ac Epiſcopi in ſpecie.

Quæſtio I. Quid ſit negligentia Prælatorum; quibúſque modis generatim contingat, & deprehendatur? 362.
II. An univerſaliter, poteſtas, & juriſdictio Epiſcopi, propter ejus negligentiam

gentiam devolvatur ad Archiepiſcopum? Fol. 363.

§. II.

De Caſibus illis, in quibus per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi; & quid de hujus impotentia?

Quæſtio I. Quinam ſint caſus illi, in quibus Jure ſic diſponente per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi, hujúsque poteſtas ob ſuam negligentiam devolvitur ad Archiepiſcopum? 365.

II. Quâ ratione Archiepiſcopus ſuppleat negligentiam Epiſcopi in cauſa *Denegata*, vel protractæ juſtitiæ? 366.

III. Utrùm Archiepiſcopus ſuppleat etiam impotentiam Epiſcopi, qui vel eſt excommunicatus, vel ab hoſtibus Fidei captus, vel in amentiam lapſus, aut alio impedimento diu durabili omninò inutilis effectus ad adminiſtrationem Epiſcopatûs? 367.

§. III.

De ſupplenda Negligentia inferiorum Prælatorum, Judicum, & Regum.

Quæſtio I. Quâ ratione ſuppleatur negligentia inferiorum Prælatorum? 368.

II. Utrùm Judex Eccleſiaſticus poſſit ſupplere negligentiam Judicis ſæcularis, & econtrà? Ibid.

III. Quâ ratione ſit ſupplenda negligentia Regum Chriſtianorum circa adminiſtrationem Regni ſui? 370.

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

§. I.

De Quidditate, ac Numero Ordinum.

Quæſtio I. Quid, & quot ſint Ordines? 371.

II. Utrùm reverà prima Tonſura ſit Ordo? 372.

III. Utrùm Epiſcopatus ſit Ordo propriè dictus? 375.

§. II.

De Temporibus faciendarum Ordinationum.

Quæſtio I. Quo tempore ſinguli Ordines ſint conferendi? 376.

II. An in caſu, quo Epiſcopus continuato jejunio perficit Ordinationem die Dominico, oporteat jejunium illud eſſe naturale, vel ſufficiat Eccleſiaſticum? Fol. 377.

III. Utrùm Fratres Minores, aliíque Regulares communicationem Privilegiorum habentes, defactò poſſint ordinari extra tempora à Jure ſtatuta? Ibid.

IV. Quid intelligatur nomine *Diei Feſtivi*, quo tum Ordines Minores, tum etiam virtute privilegiorum Ordines Majores conferri poſſunt? 380.

§. III.

De Qualitatibus Ordinandorum.

Quæſtio I. Quænam generatim requirantur ex parte Ordinandorum? 381.

II. An, & qualis Titulus ſuſtentationis requiratur, ut quis poſſit ordinari? 383.

§. IV.

De ſubditis Epiſcopi quoad effectum Ordinationum.

Quæſtio I. An quivis à proprio Epiſcopo ſit ordinandus; & quot modis quis cenſeatur ſubditus ejus? 385.

II. An, & quibus concurrentibus, poſſit quis ordinari ab Epiſcopo ratione Beneficij Eccleſiaſtici in ejus Diœceſi obtenti? Ibid.

III. An, & quando poſſit quis ordinari ab Epiſcopo loci ratione Originis? 386.

IV. Quomodo ratione Domicilij efficiatur quis Subditus Epiſcopi quoad Ordines ab ipſo recipiendos? 387.

V. Quæ requirantur, ut Epiſcopus Familiarem ſuum, ſibi cæteroquin non ſubditum, ordinare valeat? 388.

§. V.

De Litteris Dimiſſorijs, & facultate eas concedendi.

Quæſtio I. Quid ſint Litteræ Dimiſſoriæ, & in quo differant à Commendatitiis ſeu Teſtimonialibus, & formatis? 390.

II. Quæ ſint attendenda, atque exprimenda in conceſſione Litterarum Dimiſſoriarum? Ibid.

III. Quinam poſſint, vel non poſſint concedere Dimiſſorias? 391.

IV. Utrùm

IV. Utrùm Prælati Regulares poſſint concedere ſubditis ſuis Regularibus Literas Dimiſſorias ad Ordines? Fol. 393.
V. Utrùm Litteræ Dimiſſoriæ expirent morte concedentis? 394.

§. VI.

De Interſtitijs temporum ad Ordinationem requiſitis.

Quæſtio I. Quæ ſint temporum Interſtitia, quibus conferendi ſunt Ordines, & cur à Jure ſtatuta? 395.
II. Ex quibus cauſis poſſit diſpenſari in Interſtitijs? 395.
III. Cujus ſit diſpenſare in Interſtitijs, & quando id fieri cenſeatur? 397.
IV. Utrùm poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu Regularium, ſpectet ad Epiſcopum, vel Prælatum Regularem? Ibid.
V. Utrùm poſſint plures Ordines eodem die cuipiam conferri, & recipi? 398.

§. VII.

De pœnis malè Ordinantium, & Ordinatorum.

Quæſtio I. Quæ generatim circa pœnas contra malè Ordinantes, & Ordinatos ſtatutas, ſint obſervanda? 400.
II. Quæ ſint pœnæ Ordinantium, vel Ordinatorum ante legitimam ætatem? Ibid.
III. Quæ ſit pœna Ordinantis, & Ordinati extra Legitima Tempora? 401.
IV. Quæ ſit pœna Ordinantis alienum ſubditum ſine Dimiſſorijs, & ſic Ordinati? 402.
V. Quæ ſit pœna Ordinantis aliquem, & Ordinari abſque competenti Titulo ſuſtentationis? 403.
VI. Quas pœnas incurrat Ordinans, & Ordinatus, non ſervatis temporum Interſtitijs? 405.

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Scrutinium? 406.
II. Utrùm is, qui ordinari deſiderat, in dubio præſumatur dignus atque idoneus, vel potiùs teneatur probare ſuam idoneitatem? Ibid.
III. Quâ ratione idoneitas Ordinandorum poſſit probari? 408.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.

Quæſtio I. Quot modis poſſit fieri renunciatio Epiſcopatûs? 409.
II. An rectè conferantur Ordines ab eo, qui renunciavit Epiſcopatui? Ibid.
III. Quid Juris, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato? 410.
IV. Utrùm ex privilegio, ſeu commiſſione Papæ poſſit Abbas, vel alius Sacerdos conferre Ordines, præſertim Sacros? Ibid.

TITULUS XIV.

De Ætate, & Qualitate, & Ordine Præficiendorum.

Quæſtio I. Quæ qualitates requirantur in præficiendis, ſeu promovendis ad Beneficia Eccleſiaſtica? 413.
II. Qualis Ordo requiratur in Præficiendis?
III. Quæ pœnæ ſint ſtatutæ contra Clericos Beneficiarios, qui non recipiunt Ordines à Jure requiſitos? 415.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione.

Non habet Quæſtiones.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

Quæſtio I. Quæ Sacramenta non ſint iteranda, & quomodo? 419.
II. Quâ ratione de Ordinato in Subdiaconum ſine impoſitione manuum, *cap. 1. h. t.* dicatur, hanc eſſe cautè ſupplendam? 420.
III. An, & quâ ratione impoſitio manûs ſit ſupplenda, quando ea fuit prætermiſſa in Ordinatione Diaconi, vel Sacerdotis? 421.
IV. Quid agendum, ſi in conferendo Confirmationis Sacramento quiſpiam per errorem non Chriſmate, ſed Oleo inungatur? 422.

V. An

V. An iterandum ſit Sacramentum extremæ Unctionis, ſi per errorem Chriſma pro Oleo infirmorum adhibeatur? Ibid.

VI. Utrùm Sepulti à Schiſmaticis debeant exhumari, aut veſtes Sacerdotales iterum benedici, vel Altaria conſecrari, cum quibus, vel in quibus degradati Presbyteri celebrârunt? 423.

VII. Utrùm Calix conſecratus, ſi poſteà deauretur, indigeat novâ conſecratione? Ibid.

TITULUS XVII.
De Filijs Presbyterorum Ordinandis, vel non?

Quæſtio I. Quinam omnes ex defectu natalium ab Ordinibus repellantur? 426.

II. Quis poſſit cum illegitimis diſpenſare ad Ordines, atque Beneficia Eccleſiaſtica? 427.

III. Utrùm diſpenſatio cum illegitimis ſit ſtrictæ interpretationis, & qualiter? 427.

IV. Utrùm Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimis ad Sacros Ordines ſaltem virtute Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* quando eorum illegitimitas eſt occulta? 428.

V. An Filius Sacerdotis, ſive legitimus, ſive illegitimus, poſſit miniſtrare in Eccleſia, cui pater ipſius præfuit? 429.

VI. An ab immediata Succeſſione in Beneficijs Eccleſiaſticis etiam Pater, vel Nepotes, aliíque Conſanguinei prioris Beneficiarij excludantur? 430.

TITULUS XVIII.
De Servis non Ordinandis, & eorum manumiſſione.

Quæſtio I. Servi qui dicantur, & quot ſint eorum genera? 431.

II. Quibus modis quis fiat ſervus? 432.

III. An, & cur Servi ordinari prohibeantur? Ibid.

IV. Qualis conſenſus domini requiratur, ut Servus ejus ordinari valeat? 433.

V. Quid juris, ſi ſervus de facto fuerit ordinatus ignorante, atque invito domino ſuo? Ibid.

TITULUS XIX.
De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vel non?

Quæſtio I. Quid ſint Ratiocinia, quíque dicantur ad ea obligari? Fol. 434.

II. Qui omnes hoc Titulo ordinari prohibeantur? Ibid.

III. Quid agendum, ſi quis adhuc ad ratiocinia obligatus, contra prohibitionem creditoris de facto fuerit ordinatus? 435.

TITULUS XX.
De corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

Quæſtio I. Corpore vitiati qui ſint, & an ordinari valeant? 437.

II. Quandonam corpore vitiati cenſeantur irregulares, atque ordinari prohibeantur? Ibid.

III. Ad quem in dubio pertineat judicare de gravitate vitij corporalis circa Ordinandos? 438.

IV. Utrùm mutilantes ſeipſos, aut mutilationem perpeſſi cenſeantur irregulares, & ab Ordinibus repellendi? 439.

V. Utrùm is, qui dans operam rei illicitæ caſu amiſit virilia, ſeu aliud membrum non impediens Ordinis executionem, vel in pœnam commiſſi delicti ab alio ijsdem privatus eſt, cenſeatur irregularis? 440.

VI. Quis poſſit diſpenſare ſuper irregularitate orta ex vitio corporis? Ibid.

TITULUS XXI.
De Bigamis non Ordinandis.

Quæſtio I. Quid ſit Bigamia, & unde inducat irregularitatem? 441.

II. Quotuplex ſit Bigamia? 442.

III. An bigamiam ſeu irregularitatem ex defectu Sacramenti incurrat, qui extra matrimonium conſtitutus cum pluribus fornicatur, aut plures habet concubinas? 443.

IV. An efficiatur bigamus, & irregularis, qui à ſe ſolo priùs defloratam duxit in uxorem? 444.

V. Quomodo intelligendum ſit *cap. un. h. t. in 6.* ubi declaratur, bigamos omni privilegio Clericali eſſe privatos, ac jurisdictioni Fori ſæcularis ſubjectos? 444.

VI. Quis poſſit diſpenſare in Bigamia? 445.

TITULUS XXII.
De Clericis Peregrinis.

Quæſtio I. Quâ ratione præſens Titulus differat â Titulo penultimo Libri ſecundi Decretalium, qui inſcribitur, *de Clericis peregrinantibus*? Fol. 447.
II. Quid obſervandum circa Clericos peregrinos, ut admitti valeant ad celebrandum, vel miniſtrandum Sacramenta? Ibid.
III. Quid agendum, ſi Clericus per injuriam belli, vel ſpoliationem latronum aut alio improviſo caſu Litteras ſuas Teſtimoniales amiſit? Ibid.

TITULUS XXIII.
De Officio Archidiaconi.

Quæſtio I. Quid ſit Archidiaconus, & quæ ejus dignitas? 448.
II. Quod ſit officium Archidiaconi? 449.

TITULUS XXIV.
De Officio Archipresbyteri.

Non habet Quæſtiones.

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.
De Officio Primicerij, Sacriſtæ, & Cuſtodis.

Non habet Quæſtiones.

TITULUS XXVIII.
De Officio Vicarij.

§. I.

De Vicarijs ingenere, eorúmque diviſione.

Quæſtio I. Vicarius quis dicatur, & an habeat locum in Eccleſiaſticis? 453.
II. Quæ ſit diviſio Vicariorum? 454.

§. II.

De Vicarijs perpetuis, ac temporalibus.

Quæſtio I. Qui ſint Vicarij perpetui, & temporales? 456.
II. A quo, quibúsque de cauſis, inſtituendus ſit Vicarius perpetuus? Ibid.
III. Quid juris competat perpetuis Eccleſiarum Vicarijs? 457.
IV. Quid dicendum de Vicarijs temporalibus? 458.
V. Utrùm Vicarius poſſit ſubſtituere alium Vicarium? 459.

§. III.

De Vicario Generali Epiſcopi, & Capituli, Sede vacante, ac utriusque Conſtitutione.

Quæſtio I. Utrùm ſit diſcrimen inter Vicarium Generalem, & Officialem Epiſcopi? Ibid.
II. Quæ ſit poteſtas Epiſcopi conſtituendi Vicarium Generalem? 460.
III. Quâ ratione Capitulum Sede vacante teneatur conſtituere Vicarium? 461.

§. IV.

De Poteſtate Vicarij Generalis ac Ceſſatione ſui Officij.

Quæſtio I. Quænam Vicarius Generalis poſſit, vel non poſſit facere, vi Officij ſui generaliter commiſſi? 462.
II. An poteſtas Vicarij Generalis ſit ordinaria, vel delegata? 464.
III. Quibus modis ceſſet officium ac jurisdictio Vicarij Generalis? 466.

TITULUS XXIX.
De Officio & Poteſtate Judicis Delegati.

§. I.

De Jurisdictione ut ſic, & varijs ejus diviſionibus.

Quæſtio I. Quid ſit jurisdictio? 468.
II. Quomodo generatim dividatur Jurisdictio? Ibid.
III. Utrùm Jurisdictio mandata differat à delegata? 469.
IV. Quid ſit Jurisdictio ſimplex, ac Imperium mixtum & merum? 470.
V. An etiam de Jure Canonico detur Imperium merum? Ibid.

§. II.

De Judice Delegato, ejúsque differentijs ab Ordinario.

Quæſtio I. Quid & quotuplex ſit Judex delegatus? 471.
II. Quâ ratione differat Judex delegatus ab Ordinario? 472.

§. III.

De Poteſtate delegandi, quíque poſſint eſſe Judices delegati?

Quæſtio I. An Judices Ordinarij habeant poteſtatem delegandi? 474.
II. Utrùm Judex delegatus habeat poteſtatem ſubdelegandi? 475.

III. Qui

III. Qui poſſint eſſe Judices Delegati? Fol. 476.

§. IV.

De Cauſis Delegabilibus.

Quæſtio I. Quæ cauſæ,ſeu negotia poſſint delegari? 478.

II. Utrùm cauſæ meri, & mixti Imperij poſſint delegari? Ibid.

III. An etiam ea,quæ ſunt poteſtatis Ordinis, delegari valeant? 479.

IV. Utrùm Laico poſſint delegari cauſæ Eccleſiaſticæ,vel Criminales, aut ſaltem Civiles Clericorum? Ibid.

§. V.

De Officio & poteſtate Delegati, ſeu plurium Delegatorum.

Quæſtio I. Quæ pertineant ad Officium Judicis delegati? 481.

II. Quâ ratione Delegatus Papæ poſſit ſuam ſententiam exequi, vel alteri ejus executionem committere? 482.

III. An pluribus Judicibus eadem cauſa ſimul delegari poſſit, & quis eorum tunc cenſeatur dignior? 483.

IV. Quomodo plures Delegati ſuper eadem cauſa debeant procedere? 484.

§. VI.

De Ceſſatione Officij Judicis Delegati.

Quæſtio I. Quibus modis generatim ceſſet officium,& poteſtas Judicis delegati? 486.

II. An,& quando morte Delegati,vel Delegantis expiret illius officium,ipſáq; delegatio? Ibid.

III. Quâ ratione finiatur officium Delegati ex pronunciatione ejus, quòd juriſdictio in cauſa ſibi non competat? Ibid.

IV. Utrùm, & quâ ratione finiatur officium Delegati per revocationem à Delegante, vel hujus Superiore factam? 487.

V. Utrùm, & quomodo officium, atque juriſdictio Delegati ceſſet lapſu temporis, aut finito negotio? 488.

VI. Utrùm,& quomodo recuſatione ceſſet officium Judicis Delegati? 489.

§. VII.

De Appellatione à Judice delegato, vel ſubdelegato; ubi & de conſervatoribus.

Quæſtio I. An à Delegato,vel ſubdelegato, poſſit appellari? 490.

II. Ad quem ſit appellandum à Delegato, vel Subdelegato? Ibid.

III. Quid ſit cenſendum de Conſervatoribus,eorúmque officio, & qualitatibus? 491.

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

Quæſtio I. Legati generatim unde, & qui dicantur? 493.

II. Quotuplex ſit Legatus Apoſtolicus? Ibid.

III. Quale ſit officium, atque poteſtas communis omnibus Legatis Apoſtolicis? 494.

IV. Quæ ſint ſpecialia in legatis à latere? 496.

V. Utrùm Nuntij Apoſtolici cum poteſtate Legati â Latere miſſi, eandem cum Legatis Cardinalibus poteſtatem habeant? 498.

VI. Quibus modis finiatur officium Legati Sedis Apoſtolicæ? Ibid.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarij.

§. I.

De ijs, qui appellatione Ordinarij, & Epiſcopi veniunt.

Quæſtio I. Appellatione Ordinarij, qui veniant? 499.

II. Quinam in ſpecie ſecundùm Canones veniant appellatione Ordinarij? 500.

III. Quis nomine Epiſcopi intelligatur,& an eo nomine quandoque veniant inferiores Ordinarij? 501.

IV. Utrùm Parochi veniant nomine Prælatorum, ſive Ordinariorum juriſdictionem in foro externo habentium?

§. II. 502.

De Juriſdictione Archiepiſcopi in Suffraganeos, horúmque Subditos.

Quæſtio I. An, & qualem juriſdictionem Archiepiſcopus habeat in Suffraganeos Epiſcopos? 503.

II. An,& in quibus caſibus habeat Archiepiſcopus juriſdictionem in Subditos ſui Suffraganei? 504.

§. III.

De Poteſtate Epiſcopi generatim.

Quæſtio I. Quotuplex,& qualis ſit poteſtas Epiſcopi? 507.

II. An poteſtas juriſdictionis competat Epi-

Epiſcopis immediatè à Deo, vel potiùs mediante Papâ? Ibid.
III. Utrùm illum, quem inferior Prælatus excommunicavit, poſſit Epiſcopus hoc inſcio abſolvere? 509.

§. IV.

De Lege Diœceſana, & Lege Jurisdictionis Epiſcoporum.

Quæſtio I. Quid generatim ſit tenendum de Lege Diœceſana, & jurisdictionis, & an Monaſteria ab eis ſint exempta? 510.
II. Quomodo interpretanda ſit *Lex Diœceſana*, & *Lex Jurisdictionis*? 511.
III. Quænam ſint illa, quæ ſpecialiter pertinent ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum? Ibid.

§. V.

De Caſibus illis, in quibus Epiſcopi habent Jurisdictionem in Regulares exemptos.

Non habet Quæſtiones.

§. VI.

Referuntur alij caſus, in quibus Regulares exempti Epiſcopis ſunt ſubjecti.

Non habet Quæſtiones.

TITULUS XXXII.
De Officio Judicis.

§. I.

De Judice, ejúsque Officio generatim.

Quæſtio I. Quid ſit Judex? 522.
II. Quænam requirantur in Judice, quæq; ejus judicium pervertant? 523.
III. An Judici liceat accipere munera, vel ſaltem xenia conſiſtentia in eſculentis, & poculentis? Ibid.
IV. Utrùm Judex pro ſuo labore poſſit exigere Sportulas? 524.
V. Quotuplex ſit Officium Judicis? 525.
VI. In quo differat Imploratio Officij judicis ab Actione? 526.

§. II.

De Obligatione judicandi ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam ſcientiam Judicis.

Quæſtio I. Utrùm Judex teneatur judicare ſecundùm allegata & probata? 527.
II. An Judex poſſit, ac debeat judicare ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam conſcientiam: id eſt, condemnare eum, qui per teſtes, aut alias probationes convictus eſt ſive de crimine, ſive de debito aliquo, quem tamen Judex privatâ ſcientiâ certò ſcit eſſe innocentem; vel Actore non probante abſolvere Reum, quem tamen certò ſcit eſſe nocentem, vel debitorem? Ibid.

§. III.

De Officio Judicis circa cauſas probabiles, vel multùm intricatas, atque defectum Advocatorum.

Quæſtio I. Utrùm Judex poſſit judicare ſecundùm opinionem minùs probabilem, vel ſaltem juxta æquè probabilem acceptâ pecuniâ, ſeu in favorem amici? 530.
II. Quid agendum ſit Judici, quando utraque litigantium pars videtur habere cauſam æquè probabilem? Ibid.
III. An in caſu multùm intricato poſſit Judex partibus compoſitionem, ſeu tranſactionem imperare? 531.
IV. An Judicis ſit providere parti non habenti idoneum Advocatum, & qualiter? 532.
V. Utrùm, ſi â litigantibus, vel eorum Advocatis, aliquid minus dictum fuit, illud Judex ſupplere poſſit, ac debeat? Ibid.

TITULUS XXXIII.
De Majoritate & Obedientia.

Quæſtio I. Quid ſit, & quibus ex cauſis Majoritas inter Clericos attendatur? 533.
II. Quid ſit obedientia, & in quibus generatim conſiſtat, ſeu attendatur? Ibid.
III. Cui magis ſit obediendum, ſi quis duos habeat Superiores, & unus præcipiat unum, alter contrarium? 535.
IV. Quæ ſint pœnæ inobedientium? 537.

TITULUS XXXIV.
De Treuga & Pace.

Quæſtio I. Quid ſit Pax, & quæ ejus commoda? 538.
II. Quid, & quotuplex ſit Treuga? 539.
III. An cum hoſtibus inita Pax, & Treuga frangi poſſit? Ibid.

TITULUS XXXV.
De Pactis.

§. I.

De natura, & diviſione Pactorum, horúmque effectu.

Quæ-

Quæſtio I. Quid ſit Pactum, & an differat à Contractu? Fol. 541.
II. Quomodo Pactum ut ſic dividatur? 542.
III. Quibus modis Pactum veſtiatur? 543.
IV. Qui ſint effectus Pactorum? Ibid.
V. Utrùm ex pacto nudo detur actio? 544.

§. II.

Qui, quibúsque de rebus poſſint paciſci?

Quæſtio I. Quinam generaliter poſſint, vel non poſſint paciſci, ſeu pacta inire? 545.
II. An, ſicut aliquis poteſt ſibi paciſci, ita poſſit & alteri? 546.
III. De quibus rebus liceat paciſci? 547.

§. III.

De nonnullis Pactis illicitis, & à Jure reprobatis.

Quæſtio I. An valeat Pactum pro obtinendis rebus ſpiritualibus? 548.
II. Quænam pacta circa Beneficia Eccleſiaſtica in hoc Titulo ſpecialiter prohibeantur? 549.
III. Utrùm valeat pactum in præjudicium juris Parochialis? Ibid.
IV. Utrùm valeant pacta & Compoſitiones, quas Superiores Locales Religioſorum Mendicantium, ut putà Priores Fratrum Prædicatorum, vel Guardiani Fratrum Minorum abſque licentia Miniſtrorum, vel Capitulorum Provincialium, ineunt cum Prælatis, ſeu Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, ſuper juribus Parochialibus, & alijs articulis? 550.
V. Utrùm valeat pactum, quòd filia dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat? Ibid.
VI. Utrùm pacta inferiorum cæteroquin invalida, per conſenſum Superioris convalidentur? 551.

§. IV.

De Contractibus in genere.

Quæſtio I. Quid ſit Contractus, & quomodo dividatur? 552.
II. Quot, quibúsque modis perficiantur contractus? 553.
III. Quænam dicantur ſubſtantialia, naturalia, ſolemnia, & accidentalia Contractuum? Ibid.

§. V.

De Contractibus nominatis, & innominatis.

Quæſtio I. Qui dicantur Contractus nominati, & innominati? Fol. 554.
II. Quæ ſint differentiæ inter contractus nominatos, & innominatos? Ibid.

§. VI.

De Contractibus bonæ fidei, & ſtricti juris.

Quæſtio I. Quid, & quot ſint contractus bonæ fidei, & ſtricti juris? 556.
II. Quæ ſint differentiæ inter Contractus bonæ fidei, ac ſtricti juris? Ibid.
III. An allata diviſio in Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, etiam de Jure Canonico procedat? 557.

TITULUS XXXVI.
De Transactionibus.

§. I.

De natura Transactionis, ejúſque requiſitis.

Quæſtio I. Quibus modis ſumatur Transactio, & quid ſit? 558.
II. Qualis contractus ſit Transactio? 559.
III. Quæ requirantur ad Transactionem? Ibid.

§. II.

De rebus, ſuper quibus poteſt, vel non poteſt fieri Transactio.

Quæſtio I. De quibus generatim poſſit fieri Transactio? 560.
II. An ſuper Matrimonio poſſit fieri transactio, vel ſaltem amicabilis compoſitio? Ibid.
III. An ſit licitum tranſigere ſuper relictis in Teſtamento, vel Codicillo? 561.
IV. An ſit licitum tranſigere ſuper crimine, dando videlicet Adverſario ſuo pecuniam, vel aliud pretio æſtimabile, ut ab accuſatione ejus deſiſtat? 562.

§. III.

De Transactione ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, aliíſque Rebus ſpiritualibus.

Quæſtio I. An ſit licita Transactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, aliíſque rebus ſpiritualibus? 563.
II. Quomodo ſuper Beneficio Eccleſiaſtico poſſit fieri amicabilis compoſitio,

juxta *c. ſuper eo. h. t.* quod expreſsè loquitur *de Beneficio Eccleſiaſtico in litigium deducto?* Ibid.
III. Utrùm valeat Transactio ſuper ſpirituali ſubjectione? Ibid.

§. IV.

De effectibus Transactionis, ejúsque obligatione, ſi fiat per Prælatum de rebus Eccleſiæ.

Quæſtio I. Qui ſint effectus Transactionis? 564.
II. Utrùm Transactio ita imponat finem litibus, ut non poſſit reſcindi ob læſionem ultra dimidium? 565.
III. Quâ ratione valeat, atque obliget Transactio facta per Prælatum de rebus Eccleſiæ? 566.

TITULUS XXXVII.

De Poſtulando.

§. I.

De Munere, & Poteſtate Poſtulandi.

Quæſtio I. Quid, & quale munus ſit Poſtulare? 567.
II. Quinam poſtulare, vel Advocatum in Judicio agere prohibeantur? 568.
III. Utrùm Clerici poſſint poſtulare, ſeu agere Advocatum ad lites? 569.
IV. Utrùm Monachi, aliíque Religioſi poſſint poſtulare, ſeu Advocatum agere in Judicio? 570.

§. II.

De obligatione Poſtulantium, ſeu Advocatorum.

Quæſtio I. Quotuplex generatim ſit obligatio Poſtulantium, ſeu Advocatorum? 571.
II. Quâ ratione Advocatus teneatur ſervare modeſtiam, veritatem, & fidelitatem? Ibid.
III. Quâ ratione teneatur Advocatus ſervare competentiam in Salario? 572.
IV. Utrùm Advocatus poſſit cum ſuo Clientulo paciſci de quota litis, vel alium contractum inire? Ibid.
V. Utrùm licitum ſit Advocatis, alienas lites redimere? 573.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

§. I.

De Natura, & diviſione Procuratorum.

Quæſtio I. Quid ſit Procurator? 574.
II. Quomodo Procurator differat à Poſtulatore, ſeu Advocato? 575.
III. Quæ ſit Procuratorum diviſio, & diſtinctio? Ibid.

§. II.

De ijs, qui conſtituere, vel conſtitui poſſunt Procuratores.

Quæſtio I. Quis poſſit, vel non poſſit conſtituere Procuratorem? 577.
II. Utrùm Procurator poſſit conſtituere, ſeu ſubſtituere alium Procuratorem? 578.
III. Quis poſſit, vel non poſſit conſtitui Procurator? Ibid.
IV. An Procurator non niſi certus conſtitui poſſit? 580.

§. III.

De cauſis, in quibus poteſt intervenire Procurator.

Quæſtio I. In quibus cauſis poſſit, vel non poſſit intervenire Procurator? 581.
II. An etiam in Cauſis Criminalibus poſſit intervenire Procurator? Ibid.
III. An, & quâ ratione in contrahendo matrimonio poſſit intervenire Procurator? 582.

§. IV.

De Mandato Procuratorio, ac poteſtate per illud conceſſa.

Quæſtio I. Quid ſit, & qualiter probetur Mandatum Procuratorium? 583.

II. Utrùm in Procuratore requiratur ſpeciale Mandatum procuratorium? Fol. 584.
III. Quam poteſtatem tribuat Mandatum generale Procuratori datum? 585.
IV. Quid poſſit Procurator generaliter conſtitutus ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale? Ibid.
V. Qui ſint caſus illi, in quibus Procurator procedere nequit absque ſpeciali mandato? 586.

§. V.

De alijs effectibus Mandati Procuratorij.

Quæſtio I. Qui ſint effectus Mandati procuratorii? 587.
II. An, ubi intervenit Procurator, verba ſententiæ condemnatoriæ concipienda ſint in perſonam Procuratoris præſentis, vel Domini abſentis? 588.
III. Utrùm negligentia, vel dolus Procuratoris noceat Domino? 589.

§. VI.

De Ceſſatione, ac Revocatione Officij Procuratoris.

Quæſtio I. Quibus modis generatim finiatur officium Procuratoris? 590.
II. Utrùm Procurator ſemel conſtitutus, liberè poſſit revocari, quibúsque modis ejus revocatio fiat? 591.
III. Quâ ratione officium Procuratoris finiatur renunciatione, ſeu mutuo Principalium conſenſu? 592.

§. VII.

De geſtis per falſum, ſeu Revocatum Procuratorem, ac intimatione ſuæ Revocationis.

Quæſtio I. Utrùm geſta per falſum, ſeu revocatum Procuratorem ſint valida? 592.
II. Utrùm revocatio Procuratoris habeat effectum, atque operetur nullitatem geſtorum, licèt ipſi nondum ſit intimata? Fol. 593.
III. Quibus ſit intimanda revocatio Procuratoris, ut habeat effectum ad inducendam nullitatem geſtorum per ipſum? 594.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

Non habet Quæſtiones.

TITULUS LX.

De ijs, quæ vi metúsve cauſa fiunt.

§. I.

De vi, ac rebus per violentiam ablatis.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Vis? 596.
II. An geſta per vim valeant? Ibid.
III. Quid agendum, ſi cuipiam in bonis fortunæ aliquid per vim ablatum fuerit? 597.

§. II.

De Metu, & varijs ipſum concernentibus.

Quæſtio I. Quid, & quotuplex ſit Metus, & an cauſet involuntarium? 598.
II. An, & qualis metus invalidet contractus? 599.
III. Qualiter contractus, aliíque actus ex metu gravi, atque ad extorquendum conſenſum injuſtè incuſſo procedentes, invalidentur? 600.
IV. Quodnam remedium Juris competat metum paſſis? Ibid.

§. III.

De nonnullis caſibus, in quibus Metus vel

vel non excuſat, vel irritat actum ipſo jure.

Quæſtio I. Quando metus non excuſet, ſeu non faciat actum reſcindi per ſententiam Judicis? Fol. 601.
II. Utrùm matrimonium gravi metu contractum ſit invalidum, & quo jure? 602.
III. Quinam alij actus, ſive contractus ſint ipſo Jure irriti ob metum gravem, atque injuſtè incuſſum? 603.

§. IV.

De probatione, ac duratione Metûs, ubi & de Metu reverentiali.

Quæſtio I. Quid generatim ſit ſentiendum de probatione Metûs? 606.
II. Quibus probationibus, ſeu conjecturis in ſpecie, Metus illatus probetur? 607.
III. Quid ſit Metus reverentialis, & an ſufficiat ad invalidandos contractus? 608.
IV. Quamdiu metus ſemel illatus durare præſumatur? 609.

TITULUS XLI.

De in integrum Reſtitutione.

§. I.

De natura, requiſitis, ac forma petendæ Reſtitutionis in integrum.

Quæſtio I. Quid ſit Reſtitutio in integrum, & quale remedium juris? 611.
II. Quæ requirantur ad Reſtitutionem in integrum? Ibid.
III. Quâ formâ Reſtitutio in integrum peti, ac fieri debeat? 612.

§. II.

Quibus competat beneficium Reſtitutionis in integrum.

Quæſtio I. Utrùm Minorennibus competat beneficium reſtitutionis in integrum? Fol. 613.
II. Utrùm beneficio reſtitutionis in integrum gaudeant Eccleſiæ, Clauſtra, aliáque pia Loca, unà cum Republica, & Univerſitatibus? 614.
III. An ſemel denegatum reſtitutionis beneficium, adhuc Eccleſiæ vel Minori concedi debeat? 615.
IV. An Eccleſia, vel Minor, contra aliam Eccleſiam vel Minorem, poſſit petere reſtitutionem in integrum? Ibid.
V. Utrùm Majorennibus quandoque competat beneficium reſtitutionis in integrum, & quando? 616.

§. III.

De tempore petendæ Reſtitutionis in integrum.

Quæſtio I. Utrùm reſtitutio in integrum ſit petenda intra quadriennium, ac tempus iſtud ſit utile, vel continuum? 617.
II. A quo tempore currere incipiat quadriennium, pro petenda in integrum reſtitutione conceſſum? 618.
III. Utrùm Eccleſia poſt quadriennium poſſit aliquando petere reſtitutionem in integrum? Ibid.
IV. An, & qualiter locum habeat Reſtitutio in integrum, quando Eccleſia graviter ſe læſam aſſerit per lapſum temporis? 619.

§. IV.

De cauſis, in quibus Reſtitutio in integrum locum habet, vel non habet.

Quæſtio I. Utrùm Clerico minorenni, in renunciatione Beneficij Eccleſiaſtici graviter læſo, danda ſit Reſtitutio in integrum? 621.
II. Utrùm adversùs Profeſſionem Religioſam

gioſam detur Reſtitutio in integrum? Fol. 622.
III. Utrùm Reſtitutio in integrum competat adversùs matrimonium? Ibid.
IV. Utrùm minor reſtituatur contra propriam confeſſionem? 623.
V. Utrùm minor in delectis ſit reſtituendus? Ibid.

§. V.

De effectibus Reſtitutionis in integrum.

Quæſtio I. Quos effectus habeat Reſtitutio obtinenda, ſed nondum petita? 624.
II. Utrùm Reſtitutio obtinenda, ſed nondum petita, etiam hunc operetur effectum, ut illum, qui ſcit rem per reſtitutionis beneficium à ſe avocabilem eſſe, conſtituat in mala fide, adeò, ut omnes fructus, etiam conſumptos, reſtituere teneatur? 625.
III. Quis ſit effectus Reſtitutionis in integrum petitæ, ſed nondum obtentæ? 626.
IV. Quis ſit effectus Reſtitutionis obtentæ? Ibid.
V. Utrùm obtentâ in integrum reſtitutione, v. g. fundi, non tantùm ipſa res principalis, verùm etiam fructus ejus ſint reſtituendi? 627.
VI. Utrùm reſtitutio in integrum habeat etiam hunc effectum, ut conceſſa Minori proſit etiam Majori communem cauſam cum eo habenti. 628.

TITULUS XLII.

De alienatione judicij mutandi causâ factâ.

Quæſtio I. Alienatio judicij mutandi causâ quid ſit, & qualis actio, quibúſque concurrentibus requiſitis ex ea competat? Fol. 628.
II. Utrùm Edictum de alienatione judicij mutandi causâ, etiam locum habeat in Actore, qui actionem ſuam judicij mutandi causâ doloſè alteri ceſſit? 629.
III. Quidnam Jure Canonico circa Alienationem Judicij mutandi causâ ſpecialiter ſtatutum habeatur? 630.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

§. I.

De natura, & diviſione Arbitrorum, horúmque differentijs ab Arbitratore & Judice.

Quæſtio I. Quid ſit Arbiter, & in quo differat ab Arbitratore? 631.
II. Quotuplex ſit genus Arbitrorum, quæque inter hos differentia? 632.
III. An, & in quibus Arbiter differat à Judice? 633.

§. II.

De illis, qui compromittere in Arbitros, vel Arbitri eſſe poſſunt?

Quæſtio I. Qui poſſint compromittere in Arbitros? 634.
II. Qui poſſint, vel non poſſint eſſe Arbitri? Ibid.
III. Utrùm laicus in cauſa ſpirituali, & Judex reſpectu causæ coram eo agitatæ, poſſit eſſe Arbiter? 635.
IV. In quot Arbitros compromitti poſſit, & debeat? 636.

§. III.

De poteſtate Arbitrorum, causíſque, ſuper quibus in eos compromitti poſſit.

Quæſtio I. Qualis ſit poteſtas Arbitrorum? 637.
II. De quibus cauſis poſſit compromitti in Arbitros? 638.

III. An præter memoratas quatuor cauſas dentur aliæ, in quibus nequit intervenire Arbiter? 639.

§. IV.

De effectibus compromiſſi in Arbitros, & Laudi per hos pronunciati.

Quæſtio I. Quis ſit effectus, atque obligatio Compromiſſi in Arbitros ſimpliciter facti absque appoſitione pœnæ, & Laudi per hos pronunciati? 640.

II. Quis ſit effectus Compromiſſi in Arbitros cum appoſitione pœnæ facti, & Laudi per hos pronunciati? Ibid.

III. Intra quantum tempus committatur pœna, ſi non detur id, quod Arbiter dari juſſerit? 641.

§. V.

De remedijs contra injuſtum Laudum competentibus, ac ceſſatione poteſtatis Arbitrorum.

Quæſtio I. Utrùm contra injuſtum Laudum Arbitri aliquod Juris remedium competat? 642.

II. Quibus modis finiatur Compromiſſum, ac poteſtas Arbitrorum? Ibid.

PROOËMIUM.

§. I.

De Naturâ, & Diviſione Juris ut ſic.

SUMMARIUM.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Juris vocabulum, unde derivetur? an à Juſtitiâ?*
3. *Solvitur inſtantia, ex c.* Jus dictum. de Verb. ſignif.
4. *Alia inſtantia: & mens* Ulpiani in L. 1. ff. de juſtit. & jur. *declaratur.*
5. Et 6. *Variæ Juris acceptiones referuntur.*
7. *Quomodo hîc accipiatur Jus, & an differat à Lege?*
8. *Jus primâ ſui diviſione dividitur in æternum, naturale, poſitivum.*
9. *Lex æterna dupliciter ſumitur; primò in ſua generalitate, ac prout cadit ſuper creaturas, tum rationales, tum irrationales.*
10. *Sed diverſo modo.*
11. *Creaturæ irrationales, in quo ſenſu ſint capaces Legis?*
12. *Secundò capitur Lex æterna reſtrictè ac prout reſpicit ſolas creaturas rationales.*
13. *Sic à Lege æterna derivantur omnes aliæ leges.*
14. *Nominatim Lex naturalis.*
15. *Lex naturalis, quæ?*
16. *Bifariè accipitur Jus naturale.*
17. *Jus poſitivum, quod?*
18. *Omnésque Leges poſitivæ, tum Divinæ, tum humanæ;*
19. *Et in quibus differat à Jure naturali?*
20. Et 21. Jure naturali omnia ſunt communia, *quomodo ſit intelligendum?*
22. *Bella, & ſervitutes ſunt Juri naturali contrariæ; quomodo?*

1. J*Uri*, ſive addiſcendo, ſive pertractando, *operam daturum priùs noſſe oportet, unde nomen Juris deſcendat;* prout notatur *L. 1. ff. de juſtit. & jur.* Neque enim omiſſis initijs oportet illicò medium apprehendere: quia in omnibus rebus illud duntaxat perfectum exiſtit, quod ex omnibus ſuis partibus conſtat: certum autem eſt, cujuscunque rei potiſſimam partem eſſe principium, *L. 1. ff. de Origine Juris.* Ordiendo igitur in nomine illius, qui eſt Alpha, & Omega, Principium & Finis. *Apocal. c. 1.* & quod attinet ad nominis etymologiam,

2. Quæritur I. Unde derivetur Juris vocabulum? Reſp. *Jus* per quandam ſyncopen derivatur à *Juſto*, uti notatur *in can. Jus generale diſt. 1.* ibi, *Jus autem eſt dictum, quia juſtum eſt.* vel, ut *in cit. L. 1. ff. de juſtit. & jur.* legitur, *Jus à juſtitia appellatum eſt: nam Jus eſt ars boni, & æqui:* tradens videlicet id, quod bonum eſt, & æquum, per quasdam collectas regulas ad communem utilitatem ordinatas.

3. Nec obſtat textus *in c. Jus dictum. de Verb. ſignif.* ubi Iſidorus *in Libro Etymologiarum*, dixiſſe refertur: *Jus dictum eſt à jure poſſidendi: hoc enim jure poſſidetur, quod juſtè.* Reſp. enim, hîc per Iſidorum poni etymologiam Juris, non prout Jus eſt generale nomen, ſed prout applicatur ad rem certam, v. g. dicendo: *Habeo Jus in tali re:* ſic enim Jus rectè dicitur à Jure poſſidendi. Abbas Panormitanus *ad cit. c. Jus dictum. de Verb. ſignif.* Et in hac acceptione idem Iſidorus, relatus *in c. Omnes. diſt. 1.* diſtinguit ab invicem Jus, & Fas: *nam tranſire* (inquit) *per agrum alienum, fas eſt,* ſivè licitum eſt: *jus non eſt.*

Dices. Juris vocabulum eſt ſimplicius 4.
Juſtô, & Juſtitiâ; ſimúlque Jus, utpote objectum Juſtitiæ, eſt antiquius ipsâ Juſtitiâ: ergo non Jus à Juſtitia, ut vult Ulpianus *cit. L. 1. ff. de juſtit. & jur.* ſed potiùs Juſtitia à Jure, ſecundùm ipſas etiam Grammaticæ leges, derivatur. Ob hanc inſtantiam non deſunt, qui *Jus à juſſu*, ſive jubendo, derivari cenſeant; ut Ariſtoteles. *5. Ethic. c. 1.* & Calepinus. ℣. *Jus;* quaſi Jus idem ſit ac juſſum Superioris: quo dato Ulpianus *loc. cit.* tantùm vulgariter locutus eſſe cenſebitur; idque ob nimiam Juſtitiæ cum Lege naturali cohærentiam; ut propemodum Jus à Juſtitiâ derivari videatur. Joachim Mynſinger. *Lib. 1. Inſtit. tit. 1. §. Juſtitia. n. 2.* Vel dicas cum Alberto Bologneto, *Tom. 1. Tractatuum, tract. de Lege, Jure, & æquitate, cap. 14. n. 18.* & quibusdam alijs, Ulpianum *c. L. 1.* Juſtitiam non ut habitum & virtutem, ſed ut Deam conſiderâſſe (etenim Gentilitas Juſtitiam colebat ut Deam, Jovisque filiam faciebat) prout deſumi poteſt ex ſubſequentibus verbis ipſius Ulpiani *loc. cit.* dum ſubjungit: *Cujus meritò quis nos Sacerdotes appellet:* ſicque cenſuiſſe videtur, quòd Jus ab ea derivetur. Quâ ratione ſenſu catholico dici poterit, Jus appellari & derivari à Juſtitia, per hanc intelligendo Juſtitiam Increatam, Deum videlicet Ter Opt. Max. à quo omne Jus procedit, originatur, & derivatur.

5. Quæritur II. Quot modis Jus accipiatur? Reſp. I. Jus pluribus modis dicitur, ut notatur *L. penult. & ult. ff. de juſtit. & jur.* Primò pro ipſiſmet Legibus, ſeu Conſtitutionibus: prout dicitur *Jus Naturale, Jus Civile, Jus Canonicum &c.* Deinde pro Scriptura, in qua ejusmodi Leges, ſive Conſtitutiones deſcriptæ continentur: ſic dicitur *Corpus Juris Canonici,* hoc eſt, Liber ſcriptus continens ipſas Conſtitutiones Canonicas: item *Jus ſcriptum,* prout contra diſtinguitur à Jure non ſcripto, ſive conſuetudinario; ut *§. Conſtat autem. Inſtit. de Jure naturali, gentium, & civili.* Tertiò accipitur Jus pro ipſamet ſcientia, ſeu notitia Legum, & Conſtitutionum; juxta illud jam allegatum: *Jus eſt ars boni, & æqui:* hoc eſt, ſcientia dictans, quid bonum ſit & æquum. Et hæc proprio nomine appellatur *Jurisprudentia,* ut habetur *§. Jurisprudentia. Inſtit. de juſt. & jure,* ibi: *Jurisprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.* Quartò ſumitur Jus pro materia, ſive objecto legum, docentium genus humanum, *ut honeſtè vivat, alterum non lædat, jus ſuum cuique tribuat;* uti notatur in Proœmio Decretralium Gregorij Papæ IX. Quintò Jus accipitur pro facultate, aliquid legitimè, & licitè agendi: ſic dicitur quis *jure ſuo uti:* Item illud, *Nullus videtur dolo facere, qui jure ſuo utitur.* L. Nullus. ff. de Regul. Jur. Item, *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur,* juxta Reg. 79. Juris in 6. Item, *qui juri ſuo ſemel renuntiat, non poteſt poſteà ad illud redire,* ut dicitur *c. Cùm inter R. de Electionib.* & alibi. Sextò accipitur Jus pro eo, quod cuipiam debetur debito legali (hoc eſt, debito ſtrictè & propriè dicto) ad quod videlicet reddendum, & quidem quoad æqualitatem, quis lege adſtringitur: & Jus taliter acceptum, eſt objectum Juſtitiæ propriè dictæ, quæ communiter cum Ulpiano *l. Juſtitia. ff. de juſt. & jur.* definitur, dicendo, *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuens,* ſive, ut alij legunt, *tribuendi.*

6. Sunt & aliæ adhuc Juris acceptiones: quandoque enim illud ſumitur pro æquo & juſto, juxta allegatum *can. Jus generale. diſt. 1.* ibi, *Jus eſt dictum, quia juſtum eſt.* Quandoque pro ſententia judiciali: ſic Judex pro Tribunali ſedens, & ſententiam proferens, cenſetur *Jus dicere,* juxta *l. Jus pluribus. ff. de juſt. & jure.* Item aliâ ſignificatione Jus dicitur locus, in quo jus redditur, appellatione collatâ ab eo, quod fit, in id, ubi fit; prout notatur *cit. l. Jus pluribus.* Nonunquam etiam Jus accipitur pro neceſſitudine (id eſt, Jure ſanguinis, juxta illud Job. *c. 6. Neceſſarij quoque mei receſſerunt à me.*) veluti eſt Jus cognationis, & affinitatis, *L. ult. ff. eod.*

7 Reſp. II. Quantùm ad propoſitum attinet, Jus potiſſimùm accipitur pro legibus, atq; ipsâ legum ſcientiâ, quamvis adhuc ſtrictiùs loquendo, inter hæc ſit nonnulla differentia. Siquidem, ut *can. Jus generale. diſt. 1.* dicitur, *Jus generale nomen eſt, Lex autem Juris eſt ſpecies:* ſub uno enim Jure, Divino vel humano, Canonico vel civili, leges plurimæ continentur.

Quæritur III. Quomodo Jus pro legibus 8.
acceptũ dividatur, & quid ſit Lex æterna? Reſp. I. Jus taliter acceptum primâ ſui diviſione rectè dividitur in Jus æternum, naturale, ac poſitivum. Ita D. Thomas *1. 2. quæſt. 91. art. 1. & ſeqq.* Emanuel Gonzalez Tellez *in Apparatu Juris Canonici, n. 2.* Suarez *lib. 2. de Legibus, cap. 2. ac ſeqq.* Maſtrius *diſp. 2. Theolog. Mor. n. 23. & ſeqq.* & alij, præſertim Theologi: nam Juriſtæ de Jure, ſeu Lege æterna, (quam Scotus *in 1. ſent. diſt. 3. q. 5. §. Ad quæſtionem* appellat *Regulas æternas*) vix, aut parùm curaverunt; haud obſtante, quòd hæc ſit radix, atque origo omnium aliarum legum: & ipſa ſit talis per eſſentiam, cæteræ omnes verò tales ſolùm per participationem illius. De qua D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbit. cap. 6.* ait, quòd Lex æterna ſit ſumma ratio, cui ſemper obtemperandum eſt.

Reſp. II. Lex æterna dupliciter poteſt acci- 9.
pi. Primò in ſua generalitate, ac prout cadit ſuper omnes creaturas tam rationales, quàm irrationales. Quâ ratione Doctor Angelicus *1. 2. q. 93. art. 1.* ipſam accipit, dum ait: *Lex æterna nihil aliud eſt, quàm ratio Divinæ Sapientiæ, ſecundùm quod eſt directiva omnium actuum, & motionum creaturarum in ſuos fines.* Sicut enim in quolibet artifice præexiſtit ratio eorum, quæ fiunt per artem: ita & in quolibet Gubernante oportet, quòd præexiſtat ratio ordinis eorum, quæ agenda ſunt per eos, qui ſuæ gubernationi ſubduntur. Cùm igitur Deus ſit Gubernator ſapientiſſimus omnium actuum & motionum, quæ in ſingulis creaturis inveniuntur, neceſſe eſt, quòd in Deo ab æterno præexiſtat ratio directionis, ſive ordinis illius, juxta quem in tempore creaturas dirigere decrevit; & talis rectè *Lex æterna* appellatur. *Lex* quidem, quia ipſa eſt ratio gubernationis rerum, in Deo ut in Principe Univerſitatis exiſtens. *Æterna* verò, quia ab æterno jam exiſtebat in mente Divina, nihil enim de novo cognoſcit, aut vult Deus in tempore, quaſi nova ei ſuccedat cogitatio, & volitio: hoc enim repugnat infinitæ Sapientiæ, atq; Imutabilitati Dei, apud quem *non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio,* uti liquet *ex Canonica S. Jacobi, cap. 1.*

Reſp. III. Lex æterna in hac generalitate ca- 10
dit ſuper omnes res creatas, ſive rationales, ſive irrationales; ſed diverſo modo. Prior pars liquet ex S. Auguſtino *lib. 19. de Civit. Dei, cap. 12.* dicente: *Nihil à legibus ſummi Creatoris ſubtrahitur, à quo pars Univerſitatis adminiſtratur.* Accedit ratio: quia per Legem æternam taliter acceptam intelligitur perpetua Dei ratio, exiſtens in mente Divina, quâ gubernantur omnia; juxta illud Boëtij *lib. 3. de Conſideratione,* exclamantis: *O qui perpetuâ mundum ratione gubernas!* Altera pars ex eo liquet: quia hæc ipſa Divina ratio, atque voluntas, conſtituit veluti generales regulas, ſecundùm quas debent omnes res moveri, & operari: hinc ipſa, omnium rerum naturis ſeſe attem-

temperando, contulit quidem agentibus naturalibus modum agendi naturalem, ac neceſſarium, ipſorum naturis congruentem, & accommodatum; agentibus verò liberis conceſſit modum agendi liberum. Ex quo clarè patet, diverſo modo ſub Lege æterna cadere creaturas rationales, & irrationales.

11. Dices. Creaturæ irrationales, hoc ipſo, quòd ſint irrationales, non videntur eſſe capaces legis; ergo nequeunt cadere ſub Lege æterna. Reſp. Imprimis opponendo illud *Proverb. cap. 8. Et legem ponebat aquis, ne transirent fines ſuos.* Item *Pſalm. 77. Et mandavit nubibus deſuper.* Item *Pſalm. 148.* ubi generaliter de omnibus creaturis pronunciatur: *Præceptum poſuit, & non præteribit*, cum ſimilibus. Reſp. ulterius, quamvis creaturæ irrationales non ſint capaces legis, eo modo, quo creaturæ rationales, ita videlicet, ut illis correſpondeat propriè dicta obedientia; adhuc tamen ipſæ ſuo modo ſunt capaces legis, quatenus nimirum ſubſunt imperio Divinæ voluntatis, & ab hac gubernari valent. Si enim voluntas humana exterioribus membris corporis, licèt ſecundùm ſe non habentibus rationem, poteſt imperare, eiſque ſuo imperio certam legem, neceſſitatemque operandi imponere: quantò magis Divina voluntas imperat creaturis etiam irrationalibus, eiſque certas leges, ac neceſſitatem operandi imponit conformiter naturis ſuis? Ex eo tamen, quòd creaturæ illæ ſint irrationales, ſequitur, quòd naturali quadam neceſſitate Divinæ Legi obtemperent, quæ eſt ſolùm obedientia latè, & metaphoricè dicta: non autem id præſtent ex propriè dicta obedientia, qualem exercent creaturæ rationales Legibus Divinis obtemperantes.

12. Secundo modo Lex æterna (ſive Jus æternum) accipitur non in tanta ſua generalitate, ſed reſtrictè duntaxat, ac quatenus reſpicit ſolas creaturas rationales. Et ſub hac ratione potiſſimùm Lex æterna impræſentiarum conſideratur, utpote cùm de ipſa ſermo ſit, quatenus eſt radix, & origo aliarum legum. Et *Lex æterna* taliter accepta aliud non eſt, quàm actus Divinæ mentis, quo Deus incipit, atque judicat, quaſdam regulas practicas neceſſarias, & æternæ veritatis, eſſe à creatura rationali obſervandas, cum voluntate ipſam obligandi. Cujusmodi regulæ practicæ neceſſariæ, atque æternæ veritatis (hoc eſt, penitus immutabiles, & ex ſe ipſis formaliter, atque intrinſecè tales) ſunt hæ: videlicet, Deum eſſe colendum, parentes honorandos, Superioribus obediendum, non mentiendum, nemini injuriam faciendam, ac hujusmodi, quæ ex ſe ac ex ſua natura ſunt tales, ſicque naturaliter cognitæ. Et Lex æterna hoc modo accepta, non ſolùm dicitur æterna ex eo, quòd exiſtit ab æterno in mente Divina; ſed præſertim ex eo, quia eſt de regulis practicis, neceſſariæ & æternæ veritatis, ſeu invariabilibus. Barth. Maſtrius *diſp. 2. Theolog. Moral. n. 26. & ſeqq.* cum alijs.

13. Reſp. IV. A lege æterna, tanquam à prima radice, atque origine, derivantur omnes aliæ Leges. Ita communis; & patet ex illo *Proverb. cap. 8. Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.* Unde D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 6.* inquit: *Nihil eſt in temporali lege juſtum, quod ex Lege æterna non derivetur.* Et lib. de vera & falſa Religione cap. 31. *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit.* Accedit ratio: quia Lex æterna eſt regula, & ratio gubernandi exiſtens in ſummo Deo, qui eſt omnium Gubernatorum primus, ac ſupremus; ergo omnes leges, in quantùm ſunt rationabiles & juſtæ, ab hac prima regula derivari debent.

Idem oſtenditur inductione, diſcurrendo de ſingulis Legibus. Imprimis enim Lex naturalis in nobis eſt quædam impreſſio, atque irradiatio Divini luminis, & participatio illius æternæ Legis, quæ in mente Divina præeminet, oſtendens nobis, ea eſſe facienda, quæ recta ſunt ac juſta; & econtrà fugienda ea, quæ à juſtitia & rectitudine deflectunt. 14. Siquidem judicium illud intellectûs Divini, qui (ut Scotus *quodlib. 18. litt. C.* loquitur) *eſt menſura totius naturæ*, & conformiter naturis ſingulorum judicat, ſicque cognoſcit, hanc v. g. propoſitionem, *Deus eſt amandus, mendacium eſt fugiendum*, ex ſe atque ipſa natura terminorum eſſe veram, ac proinde amorem Dei eſſe bonum & honeſtum, mendacium verò malum atque inhoneſtum. Iſtud, inquam, judicium, ùt ſe tenet ex parte Dei, ſive intellectûs Divini, dicitur *Lex æterna*: prout verò à natura nobis congenitum, ipſóque naturali lumine dictatum inexiſtit, *Lex naturalis* appellatur. Deinde quòd Leges poſitivæ deriventur à Lege æterna, paulò inferiùs *ſub num. 18.* oſtendetur. Occaſione quarum

Quæritur IV. Quid ſit Jus naturale, ac poſitivum? Reſp. I. *Jus naturale* (quod alio nomine *Lex naturalis* nuncupatur) illud eſt, quod non ex alicujus Legislatoris voluntate conſtitutum fuit (prout accidit in Jure poſitivo) ſed nobis congenitum eſt cum ipſa natura, & ab hac profluit, dictans homini prima quædam præcepta, & regulas honeſtatis: ùt Deum eſſe colendum, parentibus obediendum, nemini injuriam faciendam, juxta illud lumine naturali notum, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ac hujusmodi. Et talem Legem naturalem, ſive Jus naturale dari in hominibus, de fide eſt; atque deſumitur ex illo *Pſalm. 4.* ubi, cùm Propheta introduxiſſet quoſdam interrogantes, & dicentes: *Quis oſtendit nobis bona*, ut videlicet ea ſequamur? Reſpondet ipſis, divino afflatus Spiritu: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui Domine.* Quaſi diceret: Non eſt opus alio Doctore, quilibet enim habet impreſſum lumen à Dei vultu, ſive à Deo profectum, quo bonum à malo ſecernat. Hoc ipſum, & adhuc clariùs, habetur *ad Rom. cap. 2.* ibi: *Gentes, quæ legem non habent* (id eſt ſcriptam) *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt Lex: qui oſtendunt opus legis ſcript*

ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum. Concordat illud *can. Jus naturale diſt. 1.* ubi dicitur: *Jus naturale eſt commune omnium Nationum, eò, quòd ubique Jure naturæ, non conſtitutione aliquâ habetur.*

16 Sciendum tamen, quòd Jus naturale bifariè accipiatur. Primò in largiſſima ſignificatione, ac prout à cauſa efficiente definitur, & brutis quoque animantibus convenit. Quâ ratione id ab Hoſtienſi *in Procemio Summæ. §. Sed & alia*, & Archidiacono *can. Jus autem naturale. n. 1. diſt. 2.* appellatur *Lex naturalis communis*, eò quòd Jus naturale taliter acceptū brutis etiam commune ſit. Hoc modo accipitur illud in Jure Civili *L. 1. §. Jus naturale. ff. de juſt. & jure*, ubi dicitur: *Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: nam Jus iſtud non humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ terrâ marique naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjugatio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio: videmus etenim cætera quoque animalia fera etiam iſtius Juris peritiâ cenſeri.* Secundò Jus naturale accipitur pro eo, quod verè ac propriè eſt tale, ac hominibus tantùm, non autem brutis convenit, atque in ipſa naturali ratione, quâ à cœteris animantibus differimus, conquieſcit; & alio nomine dicitur *Lex naturalis rationalis*, de qua procedunt dicta *num. præced.* In brutis etenim, cùm nulla ſit ratio, ſic etiam propriè Jus aliquod eſſe non poteſt; quamvis dentur in ipſis affectus, & inclinationes quædam naturales, quæ hominibus etiam ſunt comunes, atque à natura enaſcuntur, Mynſinger *lib. 1. Inſtit. §. Jus naturale. n. 2. ac ſeqq. tit. de Jure nat. gent. & civili*, ac alij.

17 Reſp. II. Jus poſitivum dicitur illud, quod ex libera Dei, vel hominis voluntate pendet. Et dicitur *poſitivum*: quia à ſuperiore, non ex quadam neceſſitate, atque intrinſecâ exigentiâ objecti, ſed liberè & contingenter ponitur. Hinc Jus merè poſitivum illa duntaxat præcipit, vel prohibet, quæ à Jure naturali nondum præcipiebantur, vel prohibebantur. Dicitur notanter, *Jus merè poſitivum*: quia nihil impedit, quò minùs illud, quod Jure naturali jam eſt præceptum, vel prohibitum, per novam Legem in tempore latam etiam præcipiatur, vel prohibeatur Jure poſitivo, Divino, aut humano: ſic etiam honor parentum præcipitur, furtum autem & perjurium prohibetur Lege poſitivâ, haud obſtante, quòd jam ſint præcepta, vel prohibita ex ipſa Lege naturali. Verùm hujusmodi Leges non ſunt merè poſitivæ.

18 Cæterùm, quòd Leges poſitivæ, tam Divinæ, quàm humanæ deriventur à Lege æterna, veluti à prima radice atque origine, ut dictum *num. 13.* vel ex eo liquet: quia ex hac v. g. regula Legis æternæ, *Deus eſt colendus, Deo eſt obediendum*, deducuntur omnes illæ Leges, & cæremoniæ ſacræ à Deo diverſis legibus tum in veteri, tum in novo Teſtamento hominibus injunctæ, atque præſcriptæ circa Fidem, Sacrificia, Sacramenta, aliáq; ad cultū Divinū pertinentia. Deinde ex illâ regula Legis æternæ, *Injuriam nemini feceris*, derivantur quàm plures Leges humanæ, quæ ad juſtitiā, & rectitudinē humanæ converſationis, bonámque Reipublicæ gubernationē ſpectant. Tandē unô verbô, ex illa regula Legis æternæ, *Obediendum eſt Superioribus legitimè præcipientibus*, derivantur, vimque ſuam obligandi originaliter deducunt omnes Leges poſitivæ.

Porro Ius poſitivū multipliciter differt à Iure naturali. Siquidē hoc eſt invariabile, illud autem variabile. Illud deſcendit ex libera voluntate Legislatoris, juxta diverſam temporū, locorū, perſonarū, aliarúmq; circumſtantiarum exigentiam, pro comuni utilitate diverſas, & ſpeciales leges ſtatuentis, *can. Sciendum. & ſeqq. diſt. 29.* Non item Ius naturale, utpote quod ex intrinſecâ ratione, atq; exigentiâ objecti provenit. Ulteriùs, quæ Iure naturali ſunt prohibita, ideò ſunt prohibita, quia ex ſe mala; quæ autem Iure poſitivo prohibentur, ideò ſunt mala, quia prohibita. Sic enim comeſtio pomi vetiti in paradiſo ideò fuit mala, & peccaminoſa, quia prohibita à Deo: ac defactò comeſtio carnium tempore Iejunij ideò eſt mala, quia prohibita à S. Matre Eccleſiâ. 19

Dices. Iure naturali omnia ſunt comunia omnibus, *arg. can. Quo Iure. diſt. 8.* juncto *can. Dilectiſſimis. 12. q. 1.* ubi Clemens Papa ſic loquitur: *Communis uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo omnibus eſſe debuit:* & tamen poſt lapſum generis humani, iſtud eſt revocatū, atq; introducta bonorū diviſio; ergo etiam Ius naturale poteſt mutari. Reſp. diſt. ant. Iure naturali permiſſivo omnia ſunt communia, conced. Præceptivo, neg. ant. & eodem modo diſt. conſeq. Nam data doctrina de invariabilitate Iuris naturalis, loquitur de Iure naturali præceptivo, quo poſitivè aliquid per lumen naturale præcipitur, aut prohibetur: non autem de permiſſivo tantùm, quo pro ſtatu Innocentiæ, & ante factam bonorū diviſionē, cuilibet homini id, quod primò ſibi occurriſſet conveniens, permiſsū erat occupare ad uſū ſuū neceſſariū. Per hoc quippe neutiquā præcipiebatur, in perpetuum ſervare iſtā rerū comunitatem; neq; prohibebatur, impoſterū inter homines introducere rerum, bonorúmq; diviſionem, præſertim novis emergentibus de cauſis: alioquin Ius illud nō fuiſſet duntaxat permiſſivū, ſed etiam præceptivum. 20

Alij ſub alijs terminis, & quidem expeditiùs, ad præfatam inſtantiam reſpondent, diſt. ant. Iure naturali omnia ſunt omnibus communia poſitivè, quaſi hoc Iure fuerit præcepta rerum communitas, & oppoſitum prohibitum, neg. Sunt omnia omnibus communia negativè ſolùm, quatenus iſto Iure nulla eſt facta diviſio rerum, neque de tali quidpiam ſtatutum, conced. ant. Sed neg. conſeq. Siquidem hoc non obſtante, poſtmodùm pro ſtatu naturæ corruptæ ob novas cauſas emergentes, conſtitui potuit, atq; defacto conſtituta fuit rerum diviſio: idque rationabiliter, quia poſt lapſum primorum Parentum, & depravatam naturam 21

generis

generis humani, communitas omnium rerum fuiſſet contra pacificam converſationem hominum: cùm mali & cupidi occuparent ultra ea, quæ ſibi eſſent neceſſaria, & hoc etiam inferendo violentiam alijs magìs probis, aut minùs fortibus, qui vellent ſecum eisdem rebus participare, atque uti ad neceſſitatem. Scotus 4. *diſt.* 15. *q.* 2. §. *Secunda concluſio.* Maſtrius. *diſp.* 2. *Theolog. Mor. num.* 46.

22 Urgebis. Bella, captivitates, & ſervitutes, Jure Gentium ſunt introductæ, & de ſe licitæ: atqui hæ ſunt contra Jus naturale. §. *Jus autem Gentium. Inſtit. de Iure naturæ, gent. civil.* ubi dicitur: *Bella etenim ſunt orta, & captivitates ſecutæ, & ſervitutes, quæ ſunt Iuri naturali contrariæ;* ergo. Reſp. conformiter dictis, talia eſſe Juri naturali contraria, non poſitivè, quaſi iſto Jure fuiſſent prohibita: ſed duntaxat negative, quatenus Jure naturali, quo omnes homines ab initio liberi naſcebantur, nondum introducta fuerunt; ſed poſteà primùm, ſic exigentibus rerum neceſſitatibus ad compeſcendos malos, injuriàsque propulſandas, & propria jura tuenda, cōmuni populorum conſenſu atque uſu inventa ſunt. Accedit, quòd libertas homini quidem naturaliter conveniat, niſi ſubſit culpa, vel juſta cauſa: ſecùs tamen eſt, ubi talis culpa, vel cauſa intervenit. Nam ſicut quis ob culpam, aut in bello juſto, licitè poteſt vitâ privari, & unà cū tota ſua poſteritate extingui: ita etiam, & quidem à fortiori, poteſt privari libertate, & unà cum poſteris ſuis in ſervitutem redigi.

§. II.
De Diviſione Juris Poſitivi, ac de Jure Gentium.

SUMMARIUM.

23. *Quâ ratione dividatur Ius poſitivum?*
Ius poſitivum Divinum, & humanum, quid? Ibid.
24. *Divinum ſubdividitur in Legem veterem, & novam, ſeu Evangelicam.*
25. *In Lege Evangelica, quæ præcepta immediatè obligent ex Iure Divino?*
26. *Non omnia præcepta, quæ condiderunt Apoſtoli, ſunt Iuris Divini.*
27. *Declaratur hoc in præcepto abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato.* Act. 15.
28. *Ius poſitivum humanum ſubdividitur in Ius Gentium, Civile, & Eccleſiaſticum.*
29. *Homo poteſt quadrupliciter conſiderari, ſicq; utitur diverſo Iure.*
30. *Ius gentium, quid?*
31. *Eſt duplex, primarium,*
32. *Et ſecundarium ſeu propriè dictum.*
33. *Varia Iuris gentium ſecundarij exempla.*
34. *Ius gentium non conſtituit diſtinctam ſpeciem inter Ius naturale, & poſitivum humanum.*
35. *Solvitur inſtantia ex* c. Jus autem. diſt. 1.
Ius gentium propriè dictum, quâ ratione differat à Civili. Ibid.

23 Quæritur I. Quâ ratione dividatur Jus poſitivum? Reſp. I. Præcipua, & primaria hujus diviſio, deſumpta ex diverſitate cauſæ efficientis, eſt in Jus poſitivum Divinum, & humanum. Et quidem *Ius poſitivum Divinum* eſt, quod immediate à ſupremo Legislatore Deo Ter. Opt. Max. in tempore latum, & hominibus poſitum fuit. Econtrà *Ius poſitivum humanum* dicitur, quod immediatè fertur ab hominibus: ſive, quod proximè ab auctoritate humana procedit.

24 Reſp. II. Ius poſitivum Divinum ſubdividitur in *Legem veterem*, quam pro tempore antiqui Teſtamenti Deus ipſe condidit de multis diſponendo, quæ ad Ius naturale non ſpectant: ut lex Crcumciſionis, lex Agni Paſchalis, diverſi Ritus Sacrificiorū, plurimaque alia circa cæremonialia, & judicialia veteris Teſtamenti. Et in *Legem novam,* ſive *Evangelicam*, quam Chriſtus Dn̄s verus De⁹ & Homo inſtituit, atq; in novo Teſtamento obſervari mandavit: ut Lex lata pro univerſo Mundo de recipiendo Baptiſmo, juxta illud Matth. *cap. ult. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti.* Item præceptū de receptione Sacramenti Pœnitentiæ poſt lapſum baptizati in peccatū mortale, nec non de receptione Sacramenti Euchariſtiæ aliquoties per vitæ decurſum, ac de indiſſolubilitate Matrimonij, & hujuſmodi.

25 Ubi generaliter eſt notandum cum Doctore Angelico. 1. 2. *q.* 108. *art.* 1. & 2. Scoto *in* 3. *diſt.* 40. §. *In lege autem nova.* Gonzalez *in Proœmio Iuris Canonici. n.* 27. & 28. Fagnano *c. Cùm eſſes, n.* 119. *de Teſtament.* & alijs, quòd in Lege Evangelica præter Præcepta moralia, quæ ſunt Iuris naturalis, ſicque invariabilia, nullum exſtet præceptum immediatè obligans Iure Divino, niſi circa Sacramenta novæ Legis, utpote ab ipſomet Chriſto Domino inſtituta, & circa præcepta Fidei, cujus quædam Myſteria per Legem Evangelicam magìs explicata fuerunt: prout patet de præcepto credendi in Sanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem Verbi Divini, Paſſionem Chriſti Dn̄i, ejusq; glorioſam Reſurrectionem, atque in cœlum Aſcenſionem, &c.

Nec obſtat, quòd nonnulla alia præcepta tum ex S. Scriptura, tum ex traditione Apoſtolica habeantur: ut illud de Bigamis non ordinandis, 1. *Timoth.* 3. de abſtinentiâ à ſanguine, & ſuffocato, indictâ ab Apoſtolis in primo Concilio Hieroſolymitano, *Actor. c.* 15. de Iejunio quadrageſimali, ac hujuſmodi. Reſp. enim: non omnia præcepta illa, quæ condiderunt Apoſtoli, eſſe Iuris Divini, ſed illa duntaxat, quæ veluti ex ore Chriſti accepta Fidelibus tradiderunt, atq; promulgaverunt: alia verò, quæ Apoſtoli tanquam Paſtores, & Rectores Eccleſiæ ſtatuerunt, ad Ius humanum Eccleſiaſticum ſpectant; ut fit in enumeratis exemplis, ac nonnullis alijs. 26

Et hoc ſpecialiter patet de memorato præcepto abſtinendi à ſanguine, & ſuffocato, *Act.* 15 quod Apoſtoli Gentibus ad Chriſtum converſis de novo impoſuerunt: non quidem ad obſer- 27

ſervandum cæremonias veteris Legis (harum enim obligatio jam ceſſaverat, prout ibidem SS. Apoſtoli ex inſtinctu Spiritûs ſancti definierant) ſed vitandi ſcandali causâ; hoc eſt, ut faciliùs Iudæi, ac Gentiles ad Fidem converſi, coaleſcerent in unũ, & non propter eſum ſanguinis, vel ſuffocati, quē Iudæi ex antiqua conſuetudine plurimùm abominabantur, ipſi Iudæi à Gentilibus ſimul habitantibus ſeſe abalienarent: quâ causâ ſublatâ, & Iudæorum atq; Gentilium animis ſenſim jam in unum coaleſcentibus, atque coadunatis, etiam Lex illa fuit abrogata, & totius Eccleſiæ Occidentalis conſenſu, atq; conſuetudine laudabiliter antiquata. Unde D. Auguſtinus *lib. 32. contra Fauſtum, cap. 3.* inquit, *Quis jam hoc Chriſtianus obſervet, ut turdos & minutiores aviculas non attingat, niſi quarum ſanguis effuſus eſt? Aut leporem non edat, ſi manu à cervice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt?* Cùm igitur contra Legem Divinam nulla valeat conſuetudo, *cap. ult. de Conſuet.* ſimulq; *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poſſit*, ut dicitur *Clem. Ne Romani de Elect.* manifeſtè ſequitur, memoratam legem de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, in primitiva Eccleſia ab Apoſtolis poſitam, fuiſſe merè humanam Eccleſiaſticam, haud obſtante, quòd fuerit inſerta S. Scripturæ. Fuit enim lata ab Apoſtolis ſolùm ut Paſtoribus, & Rectoribus Eccleſiæ, ex aſſiſtentia tamen Spiritûs ſancti, id ordinantibus pro communi bono naſcentis Eccleſiæ: non autem, veluti immediatè accepta ex ore Chriſti Domini.

28 Reſp. III. Ius poſitivum humanum rectè ſubdividitur in Ius Gentium, Civile, & Eccleſiaſticum. Ita cōmunis. Siquidem Ius gentium cōmuni omnium, aut ferè omnium populorũ uſu, & conſuetudine fuit conſtitutum, ut proximè fuſiùs dicetur; ergo hoc ipſo rectè reducitur ad Ius poſitivũ humanum. Deinde, quòd Ius Civile, atq; Eccleſiaſticum, ſint ſpecies Iuris poſitivi humani, in confeſſo eſt inter Chriſtianos; cùm quodlibet eorum ſit conſtitutum ex poteſtate legislativâ humanâ, Civili videlicet, aut Eccleſiaſticâ: quamvis alterũ membrũ, ſive Jus Eccleſiaſticum, gentiles Philoſophi nō agnoverint; idq; defectu veræ Fidei, ratione cujus finem ſupernaturalem, & ſpiritualem poteſtatem à Deo Eccleſiæ conceſſam non intellexerunt.

29 Accedit alia ratio datæ diviſionis Iuris. Etenim homo poteſt quadrupliciter conſiderari, videlicet in genere ut animal, in ſpecie ut homo, item ut ſubditus Romano Imperio, & tandem ut Chriſtianus, ſive ſubjectus ſanctæ Matri Eccleſiæ. Si homo ſpectetur primo modo, nempe ut animal, utitur is Iure naturali, ſaltem large accepto: ſi conſideretur ſecundo modo, videlicet ut homo, utitur Iure gentium, tum primario, tum ſecundario: ſi tertio modo, nimirum ut ſubditus Romano Imperio ejusq; civis, utitur Iure Civili, quod ſimpliciter prolatum intelligitur de Romano: ſi tandem homo conſideretur quarto modo, nempe ut Chriſtianus, & ſubjectus Eccleſiæ, utitur Iure Canonico, ſive Eccleſiaſtico. Poteſt is etiam ſpectari quinto modo, ſcilicet ut Civis Monacenſis, Bonnoienſis, & tunc utitur Legibus municipalibus talis determinati loci, v. g. Statutis Monacenſibus, Bononienſibus, Lancellotus *in principio lib. 1. Inſtit. in Gloſſa. ℣. Eſt igitur.* Gonzalez *in Procemio n. 30.* Verùm, ut proximè data Iuris diviſio meliùs intelligatur, expedit de ſingulis ejus membris ſingulatim agere. Hinc

Quæritur II. Quid ſit Ius gentium, & an differat à Iure naturali? Reſp. I. *Ius gentium* dicitur illud, quo omnes gentes, vel fermè omnes, utuntur. Ita habetur *L. 1. §. Ius gentium. ff. de juſt. & jur.* junctâ *l. Omnes ff. eod.* ubi dicitur: *Quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræquè cuſtoditur: vocaturque Ius gentium, quaſi quo jure omnes homines utuntur.* Concordat D. Thomas *1. 2. q. 57. art. 3.* & ſequuntur Doctores communiter. 30

31 Notandum tamen, quòd Ius gentium per juris Interpretes paſſim duplex aſſignetur, primarium videlicet, & ſecundarium. *Ius gentium primarium* (quod & *antiquum Ius gentium* appellatur *L. 1. ff. de acquirend. rer. dominio*: item *Ius Divinum*, eò quòd Divinâ quâdam providentiâ conſtitutum, nobisque à Deo inditum fuerit, *§. Sed naturalia. Inſtit. de Iure natur. gent. & civil.*) coincidit cum Iure naturali propriè dicto, ac prout iſtud ſolis hominibus convenit: eſtque illud, quod naturalis ratio inter omnes Gentes conſtituit, quodque mentibus hominum à Deo naturaliter inditum eſt, & ab omnibus populis cuſtoditur, *§. Ius autem. Inſtit. de Iure natur. gent. & civil.* juncto. *§. Singulorum. Inſtit. de Rerum diviſ.* cum concordantijs. Et in hac acceptione *L. 1. §. Ius gentium. ff. de juſt. & jure*, ad Ius gentium revocatur *Religio erga Deum; Ut parentibus & patriæ pareamus*: patet ſiquidem, talia jam præcipi per Ius naturale propriè dictum, ac prout ſolis hominibus convenit, non autem brutis. Inſuper *L. 2. ff. eod.* ad Ius gentium taliter acceptum reducitur, *ut vim atque injuriam propulſemus*: item, quòd *hominem homini inſidiari, nefas ſit; cùm inter nos cognationem quandam natura conſtituerit.*

32 *Ius gentium ſecundarium* (quod & *Ius gentium propriè dictum*, item *Ius gentium humanum* appellant, idque ad differentiam prioris) dicitur illud, quod ex naturali quidem ratione proficiſcitur, non tamen ſimpliciter ex ſolo rationis inſtinctu nobis eſt inditum, ſed neceſſitate humani convictûs ſic exigente, mediante diſcurſu aliquo practico inter omnes, vel fermè omnes gentes, ipſo uſu, atq; moribus conſtitutum fuit: idq; vel per modum legis præceptivæ, aut prohibitivæ, ſive per modum poteſtatis permiſſivæ quidquam agendi, quod conſuetudine omnium, vel penè omnium Gentium præcipitur, prohibetur, aut conceditur tanquam neceſſarium, vel utile hominibus, cōmunem inter ſe ſocietatem foventibus. Homo ſiquidem, cùm ſibi ipſi non ſufficiat, ſed præ omnibus alijs animalibus per totã vitam ſuam indigeat ope

ope proximorum, naturaliter eſt animal ſociale: ac proinde nonnulla ad conſervandam, vel redintegrandam hanc communem inter ſe ſocietatem neceſſaria, aut utilia, omnes propemodùm gentes mutuo conſenſu, ipſoque uſu conſtituerunt, quæ hac ratione ad Jus gentium ſpectare dignoſcuntur.

33 Exempla hujus Juris gentium ſecundarij, ſeu propriè dicti, referuntur *in can. Jus gentium, diſt. 1.* illis verbis: *Jus gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita: hoc inde Jus gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur.* Concordat textus *l. Manumiſſiones & l. Ex hoc. ff. de juſt. & jure*, ubi etiam manumiſſiones, diſcretio gentium, dominiorum diſtinctio, ac hujusmodi, ad Jus gentium reducuntur. Talia ſiquidē non illicò Jure naturali ſunt nota, nobisq; à natura congenita; ſed ex principijs practicis jure naturali cognitis, veluti concluſiones ex ſuis præmiſſis, per diſcurſum practicum deducuntur eſſe vel neceſſaria, vel utilia, ad conſervandam inter omnes gentes, ac homines communem vitæ ſocietatem. Mynſinger *loc. cit. n. 8. & ſeqq.* Pirhing *in Proœmio, n. 10.* Vallenſis *§. 4. Proœmij n. 5.* & alij.

34 Reſp. II. Jus gentium partim refertur ad Jus naturale, partim ad Jus poſitivum humanum; per ſe autem ſpeciem diſtinctam non facit. Ita Archidiaconus *in can. Jus autem naturale. diſp. 1. n. 2.* Mynſinger *cit. §. Jus naturale. n. 14.* & alij; ac ſequitur ex dictis. Siquidem Jus gentium primarium pertinet ad Jus naturale; cùm illud naturalis ratio inter omnes homines conſtituerit, adeoque apud omnes populos peræquè cuſtodiatur. At verò Jus gentium ſecundarium refertur ad Jus poſitivum humanum: tum quia, quæ ad illud pertinent, non illicò ſecundùm ſe ſunt nota, nobisque indita & congenita à natura, ſed per diſcurſum practicum derivantur primùm ex Jure naturali, ſicut concluſiones ex principijs ſuis. Tum quia hujusmodi Jus gentium ſecundarium communi uſu, atque moribus omnium, aut ferme omnium populorum conſtitutum eſt; unde & *Jus humanum* appellatur à Livio *lib. 5. de Urbe condita*, ut quod plurima hominum pars ubique receperit: ac proinde meritò ad Jus poſitivum humanum reducitur, juxta dicta *num. 28.* ubi idcircò Jus gentium inter membra diviſionis Juris poſitivi humani reponitur, quod de Jure gentium ſecundario dictum intelligatur.

35 Dices. In *can. Jus autem. diſt. 1.* Jus ut ſic immediatè dividitur in naturale, civile, ac gentium, ibi: *Jus autem aut naturale eſt, aut civile, aut gentium;* ergo Jus gentium eſt ſpecies diſtincta à cæteris. Reſp. Ly *Gentium* hîc ſupponere pro Jure gentium ſecundario, de quo certum eſt, quòd diſtinguatur tū à Jure naturali, utpote à quo derivatur; tum à Jure civili, utpote quod non omnibus populis cōmune eſt, ſed à quolibet populo, vel civitate, ob ſpeciales cauſas ſibi proprium conſtituitur, *c. Jus civile. diſt. 1.* Inſuper Jus gentium differt à civili ratione diverſi modi, quo utrumque derivatur à Jure naturali: nam ad Jus gentium ſecundarium pertinent ea, quæ derivantur à Jure naturali velut concluſiones practicæ ex ſuis principijs: econtrà ad Jus civile ſpectant particulares illæ determinationes, quæ conformiter Juri naturali, ſecundùm diverſam locorum, temporum, aliarumque circumſtantiarum exigentiam, ab unaquaque civitate, regno, vel provinciâ, fiunt ad propriam ſuorum ſubditorum utilitatem, ſive commodum. Ex his tamen non ſequitur, neque in allegato textu habetur, quòd Jus gentium per ſe ſit ſpecies diſtincta à Jure poſitivo humano; quinimò illud continetur ſub iſto, velut inferius ſub ſuo ſuperiore. Hinc conformiter dictis diſting. conſeq. Ergo Jus gentium (loquendo de ſecundario) eſt ſpecies diſtincta à Jure naturali, & civili; conced. Eſt ſpecies diſtincta etiam à Jure poſitivo humano ut ſic, neg. conſeq.

§. III.

De Jure Canonico, ejúsque excellentiâ, & diviſione.

SUMMARIUM.

36. *Quid ſit Jus Canonicum: Et ſeqq. uſque ad num. 41.*
37. *Canon, quid?*
38. *Jus Canonicum, dicitur etiam Eccleſiaſticum.*
39. & 40. *Et Jus Divinum. Cur?*
41. *Finis Juris Canonici, qualis? Et num. ſeq.*
42. *Magna excellentia Juris Canonici ſuper Jus civile. Et n. 191.*
43. *Non tamen eſt excellentius SS. Theologiâ.*
44. & 45. *In promotione ad Dignitates Eccleſiaſticas, an Theologus ſit præferendus Canoniſtæ?*
46. *Sententia S. Joannis Capiſtrani circa hoc.*
47. *Jus Canonicum dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum.*
48. *In commune, & ſpeciale.*
49. *In redactum in Corpus Juris Canonici, & extra illud vagans.*
50. *Jus Canonicum ſcriptum, ex quibus fuerit deſumptum?*

36 Quæritur I. Quid ſit Jus Canonicum? Reſp. *Jus Canonicum* eſt Jus poſitivum, ex ſacris Canonibus (hoc eſt, Regulis Eccleſiaſticis) collectum, & ad rectè vivendū, æternámq; ſalutem conſequendam, & Juſtitiam in populo chriſtiano conſervandam con-

conſtitutum. Ita in re communis. Nam,ut *in Proœmio Decretalium* Pontifex atteſtatur, ideò *Lex proditur* (ſive aperitur,ac de novo promulgatur) *ut appetitus noxius ſub juris regulâ limitetur, per quam genus humanum,ut honeſtè vivat,alterum non lædat, jus ſuum unicuique tribuat, informatur.*

37 Dicitur imprimis, *Jus poſitivum*, utpote authoritate humanâ, ſive poteſtate Eccleſiaſticâ, B. Petro, ejúsque legitimis Succeſſoribus Romanis Pontificibus, divinitùs conceſſâ conſtitutum. Et additur, *ex ſacris Canonibus &c.* Siquidem Jus Canonicum, juxta nominis etymon, derivatur à græco verbo *Canon*, quod juxta Iſidorum *lib. 6. Etymolog. cap. 16.* latinè *Regula* dicitur: Regula verò inde appellatur, quòd rectè ducat, ſive regat, normamque rectè vivendi præbeat, & quod diſtortum, pravúmque corrigat, *can. 2. & 3. diſt. 3.* Quinimò Canon per antonomaſiam paſſim accipitur pro Regula Eccleſiaſtica, *ut cap. 1. de Conſtitut.* ibi: *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus.*

38 Porrò Jus Canonicum, hoc eſt, ex ſacris Canonibus, ſeu Regulis Eccleſiaſticis, ad rectè vivendum inſtitutis collectum, alio nomine vocatur *Jus Eccleſiaſticum.* Idque tum ratione materiæ, eò quòd contineat ipſas Conſtitutiones Eccleſiaſticas; ſimúlq; tractet potiſſimùm de Perſonis, rebusq; Eccleſiaſticis: tum ratione originis, quia nimirum authoritate Eccleſiaſticâ conſtitutum fuit, & confirmatum. Appellatur quoque *Jus Pontificium,* utpote per ſumos Pontifices, Chriſti in terris Vicarios, pro bono regimine Eccleſiæ univerſalis, ac ſpirituali Fideliũ Salute inſtitutum, collectum, & approbatũ.

39 Inſuper Jus Canonicum quandoque dicitur *Jus Divinum.* prout obſervat Abbas *cap. Qualiter & quando. 24. n. 3. de Accuſationib* & communis aliorum. Patet hoc *ex cap. Nimis. 30. de Jurejurand.* ibi: *Nimis de Jure Divino quidam laici uſurpare nituntur, &c.* Et clariùs *ex cap. Cùm de diverſis. 2. de Privileg. in 6.* ubi ſtatuitur, *quòd ibidem* (nempe apud Sedem Apoſtolicam) *de cætero regatur, & vigeat ſtudium Juris Divini & humani, Canonici videlicet & Civilis.* Idem agnovit quoque Imperator, cujus verba *cap. 1. de Juramento calumniæ* relata, ſunt hæc: *Nos itaque Divinæ, & humanæ Legis intentione ſervatâ decernimus &c.* per illam intelligendo Jus Canonicum, & per hanc Jus civile, ut patet ex contextu.

40 Ratio autem hujus denominationis, adeò honorificæ, eſt: tum quia Sacri Canones partim inſtinctu, ac ſpeciali aſſiſtentia Spiritûs Sancti fuerunt editi, *can. Violatores. 25. q. 1.* Partim verò ex ipſis Divinis Scripturis, veluti ex veritatis fontibus dimanârunt, atque ex his, veluti concluſiones ex ſuis principijs deducti ſunt, *arg. c. Qualiter & quando. 24. de Accuſationib.* ubi dicitur, quòd *ex authoritatibus novi & veteris Teſtamenti poſteà proceſſerunt Canonicæ Sanctiones.* Tum etiam, quia ijdem SS. Canones authoritate Divinâ conſtituti ſunt per Eccleſiam, ipsumq; *Romanum Pontificem, qui non puri hominis, ſed veri DEI vicem gerit in terris*; ac proinde ſacros Canones *non humanâ, ſed Divinâ potiùs Authoritate* conſtituit, ut notatur in *cap. Quanto. 3. de Tranſlat. Epiſcop.* juncto *c. Inter corporalia, eod.* ubi Abbas *n. 5.* notanter tradit, quòd *factum à Papa ut à Vicario Dei, cenſetur eſſe factum ab ipſo Deo; & quòd geſta per ipſum Vicarium, videntur eſſe geſta per ipſum Dominum.* Quinimò Juris Canonici origo nedum à Papa, ſed à Chriſto Domino procedit. Barboſa *in can. Regula. num. 6. diſt. 3.* & Franciſcus Coſcius *in Repetit. Rubr. de Conſtit. n. 93.* dicens: *Quantùm attinet ad Jus Canonicum, neceſſe eſt à Chriſto ſumere initium.* c. Tranſlato. infrà. eod. Quamquàm, quia Jus Canonicum verè eſt Jus humanum, illud non niſi largè appelletur *Jus Divinum, arg. c. Non debet.* ac notat Abbas *ib n. 4.* & Fagnanus *num. 13. de Conſanguinit. & Affinit.*

Dicitur tandem in definitione Juris Cano- 41
nici, *ad rectè vivendum, æternámque ſalutem conſequendam &c.* Quibus verbis indicatur finis primarius, & principaliter intentus ipſius; nempe cultus Divinus, & puritas Fidei, morumque honeſtas in populo chriſtiano jugiter conſervanda: ſimúlque finis ultimatus, videlicet Salus æterna hominis, per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, poſt hanc vitam in cælis conſequenda.

Quæritur II. Quanta ſit excellentia ſcientiæ 42
Juris Canonici? Reſp. I. Etſi Juris Canonici magna ſit dignitas & excellentia, multumque præſtet Juri civili; non tamen eſt excellentius SS. Theologiâ. Ita communis. Et quidem prima pars probatur imprimis authoritate: nam, ut inter alios S. Antoninus Archi-Epiſcopus Florentinus *Tom. 7. Tractatuum. tract. de Uſuris, n. 11.* loquitur: *Super omnes humanas Leges eſt Jus Canonicum, quod reſultat ex Decretis & Decretalibus & Sanctorum authoritatibus Doctorum.* Deinde ex eo: quia Jus Canonicum habet ſe ad Civile, ut anima ad corpus; nam Jus civile intendit dirigere in bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ ſocietati civiliter, & temporaliter viventi, quod fieri poteſt per Legalem Juſtitiam, & civilem amicitiam. Jus Canonicum verò intendit dirigere hominem in bonum commune, ſecundùm quòd congruit humanæ ſocietati; non ſolùm civiliter, ſed etiam chriſtianè viventi, videlicet per veram Fidem intendendo in Deum tanquam ultimũ Finem ſuum, ad quem creatus eſt: quod fit per juſtitiam chriſtianam, & cœleſtem illam amicitiam, quæ charitas appellatur, éſtque vinculum perfectionis, & ad quam principaliter, ultimatè autem ad vitam æternam, Jus Canonicum intendit hominem dirigere. Abbas *in Proœmio primo Decretalium, num. 16.* Fortunius Garcias *Tom. 1. Tractatuum. tract. De ultimo fine Juris Canonici. n. 19.* Thomas Cananus *Repetit. in Proœmium Decreti. num. 193. & ſeqq.* & alij. Meritò proindè concluditur; quòd quantò anima præfertur corpori, tantò Jus Canonicum eſt dignius Civili. Accedunt dicenda inferiùs *n. 182.* & ſeq. agendo de cauſis, atque differentijs Juris Canonici, & Civilis.

Altera

43 Altera pars eſt Doctoris ſubtilis *Quæſt. 3. Prologi, §. Contra iſtam opinionem.* ubi docet, Theologiam ſolam eſſe unicam & eminentiſſimam ſcientiã, quæ ſola eſt primò de primo Subjecto, hoc eſt, EſſentiâDivinâ, quâ tali. Idem tradit D. Thomas *part. 1. q. 1. art. 5.* & conſentiunt non ſolùm Theologi, ſed ipſi etiam Canoniſtæ. Ratio eſt: quia excellentia ſcientiæ vel maximè deſumitur ab objecto, hujusque præſtantiâ: atqui SS. Theologia longè præſtantius habet objectum, quàm Ius Canonicum, ergo: min: patet ex eo: quia objectum Theologiæ eſt Deus, quâ Deus eſt, econcontrà *Subjectum*, ſive objectum attributionis ſcientiæ Iuris Canonici, eſt homo dirigibilis non ſolùm in bonum commune, ſed in Deum, ut ait Gloſſa *in Reg. 2. Iuris in 6. ℣. Pro expeditione.* Nam omnia, quæ traduntur in Iure Canonico, ordinantur ad hominem dirigendum in Deum, veluti finẽ ultimũ, æternamq; ſalutem conſequendam; ac proinde homo, quà taliter dirigibilis, cenſetur ſubjectum attributionis Iuris Canonici.

44 Reſp. II. Nihilominùs, ſi agatur de promotione ad Dignitates Eccleſiaſticas, quibus incumbit cura animarum, ac præſertim ventilatio cauſarum, & ampla juriſdictio, v. g. ad Epiſcopatum; non illicò Theologus cæteris paribus eſt præferendus Canoniſtæ, ſed erit obſervanda qualitas Eccleſiæ, hujusque exigentia, ſive neceſſitas. Et quidem in locis de hæreſi non ſuſpectis, ac ubi magis verſatur ventilatio cauſarum Eccleſiaſticarum, Canoniſta præferendus eſt Theologo; ut notat S. Joannes Capiſtranus. *Tom. 1. Tractatuum, tract. Speculum Conſcientiæ,* inticulato, *part. 1. n. 31.* poſt Hoſtienſem *in cap. 1. de Conſanguinit. & Affinit.* inter alia dicentem, quòd per ſolam Theologiam non poſſit regi Clerus. Abbas *eod. cap. 1. n. 9. de Conſanguinit. & Affinit.* Felinus *in c. Clerici, n. 5. de Iudicijs.* & Fagnanus *c. Eam te, n. 43. de Ætate & Qualitat. præfic.* citans inſuper Ioan. Andream, & cæteros Doctores.

45 Cæterùm in locis, ubi pullulant hæreſes, aut Hæretici ſunt vicini, præferendum eſſe Theologum, cenſent Felinus, & Abbas *loc. cit.* Idque probant *ex c. In cauſis. 30. §. final. de Elect.* ubi in Epiſcopo requiritur, quòd ejus perſona ſit utilis & neceſſaria ad regimen talis Eccleſiæ, ſimulque idonea tam ſcientiâ litterarum, quàm ſuæ converſationis exemplô, ad Hæreticorum perfidiam de ſua Diœceſi extirpandam: atqui ad hæreſes extirpandas magis idonea cenſetur ſcientia Theologica, quàm Canonica. Si tamen adeſſet mixtus, qui nimirum foret & Theologus, & Canoniſta, hic præferendus foret: nam mixtum, utpote habens qualitates utriusque ſimul, foret excellentius; & talis ſimul & præeſſe Eccleſiæ propter ſcientiam Iuris Canonici, & prodeſſe ad hæreſum extirpationem propter ſcientiam Theologicam valeret, *arg. c. Ex parte. 8. de Cleric. non reſident.* juncto *c. Officij. 38. de Elect.*

46 Verùm S. Ioannes Capiſtranus *cit. n. 31.* poſt Hoſtienſem, arbitratur, etiam in ſecundo caſu, ſeu concurrente puro Theologo, & puro Canoniſtâ, præferendum eſſe Canoniſtam. Idque inter alia ex eo probat; quia Canoniſta eſt mixtus, & mixtum eſt præferendũ, per rationes, & Iura jam allegata. Canoniſta enim, hoc ipſo, quòd talis ſit, præter notitiam ventilandi alias cauſas Eccleſiaſticas in Iudicijs, etiam habet ſcientiã competentem de Sumã Trinitate, & Fide Catholicâ, ac de Hæreticis, & de Proceſſu judiciario contra iſtos formando: ſimúlq; ſatis eſt, quòd circa hæc habeat ſcientiam competentẽ; quia competens ſcientia toleratur in Prælato, licèt eminens exoptetur, *c. Niſi cùm pridem. 5. de Renunciat. & c. Cùm nobis. 19. de Elect. & c. Venerabilis. 37. de præbend.* Econtrà verò purus Theologus nullam penitus haberet notitiam ventilandi judicialiter cauſas Eccleſiaſticas, aut procedendi contra Hæreticos. Et per hoc patet reſponſio ad rationes in oppoſitum.

Quæritur III. Quomodo dividatur, & ex quibus conſtituatur Jus Canonicum? Reſp. I. Jus Canonicũ primâ ſui diviſione dividitur in *Scriptum,* & *non Scriptum,* can. Eccleſiaſticarum. diſt. 11. Quia enim, ut *can. Ius generale. diſt. 1.* notatur, *omne Ius legibus, & moribus conſtat,* (hoc eſt, Conſtitutionibus ſcriptis, aut conſuetudine, quæ *Ius non Scriptum* appellatur, §. *Ex non ſcripto. Inſtit. de Iure nat. gent. civil.*) non ſolùm Ius Civile, ſed & Canonicum, meritò in *Scriptum*, & *non Scriptum* dividitur. 47

Alia Iuris Canonici diviſio eſt in Jus commune, & in ſpeciale. *Jus Canonicum commune* dicitur, quod pro univerſa Eccleſia latum eſt, ſicque obligat quoslibet Fideles. *Speciale* verò, quod pro certo loco, Provincia, Diœceſi, vel Communitate latum fuit, ac proinde extra fines ipſius non obligat: ut ſunt diverſæ Conſtitutiones Synodales Diœceſium, aut Provinciarum. Tholoſanus *lib. 1. part. Juris Canon. Tit. 2. cap. 14.* 48

Rurſum Jus commune Canonicum ſubdividitur in illud, quod legitimâ authoritate in Corpus Juris Canonici translatum fuit: & hoc per *Jus Canonicum* abſolutè prolatum communiter intelligitur, atque ſpeciali ratione *Jus commune* appellatur *in c. Paſtoralis 8. de Fide inſtrument.* de quo, ejusq; partibus ex profeſſo dicetur in progreſſu. Item in illud, quod extra Corpus Juris Canonici continetur, & vagatur: ut ſunt varia Decreta Conciliorum Generalium, ac præſertim Concilij Tridentini; item quàm plures Decretales Summorum Pontificum, quæ Corpori Iuris Canonici necdum ſunt inſertæ. 49

Reſp. II. Jus Canonicum *Scriptum* conſtituitur, atque deſumptum eſt, partim Jure Divino, & Sacrâ Scripturâ veteris, atque novi Teſtamenti; partim ex Decretis Conciliorum authoritate Pontificiâ confirmatorum; partim ex diverſis Reſcriptis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum; partim ex Placitis, ſive legibus Principum Sacularium; atque etiam ex ſententijs Sanctorum Patrum: at verò Jus Canonicum *non Scriptum* continet Traditiones, & laudabiles Conſuetudines Eccleſiaſticas. Ita Communis; & patet tum *ex can. Eccleſiaſticarum, & ſeqq. diſt. 11.* Tum *ex can. Apoſtolicis. & ſeqq. diſt. 12.* Tum ex ipſomet contextu totius Juris Canonici. Verùm pro exactiori Juris Canonici intelligentia ſit. 50

§. IV.
De Origine, & Partibus Juris Canonici.

SUMMARIUM.

51. *Primaria Juris Canonici origo refundenda eſt in Deum.*
52. *Qui eſt cauſa primaria, remota tamen ac mediata Juris Canonici.*
53. *Proxima verò, ac immediata cauſa efficiens ipſius, fuerunt SS. Apoſtoli, Summi Pontifices, & Concilia. Et num. ſeq.*
54. *Quatuor Concilia Oecumenica, ut quatuor Evangelia veneranda; & quæ ſint?*
55. *Primi Collectores Sacrorum Canonum, qui?*
56. *Decretum Gratiani, quando compilatum?*
57. *Ejúsque Emendatio ſub Gregorio XIII. facta.*
58. *Univerſim ſunt ſex partes Corporis Juris Canonici: quæ?*
59. *Quomodo dividatur, quidque contineat Decretum Gratiani?*
60. *Et quomodo aliæ Juris Canonici partes ſubdividantur?*
61. *Quid dicendum de Libro ſeptimo Decretalium Petri Matthæi. J. C.*
62. *Relatio de quedam alio Libro ſeptimo Decretalium; hujúsque ſuppreſſio.*

51 QUæritur I. A quo, vel quibus, ſuam originem deſumpſerit Jus Canonicum? Reſp. I. Loquendo de primaria Juris Canonici origine, hæc meritò refunditur in ſupremum Legislatorem Deum Ter. Opt. Max. utpote à quo bona cuncta procedunt, quique primus Præcepta Decalogi, aliasque rectè vivendi regulas in Sacris Litteris humano generi tradere, atq; præcipere dignatus fuit: ut eſt illud lumine naturali notum, & Tobiæ *cap. 4. v. 16.* repetitum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* Et Matth. *cap. 7. Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & hoc facite illis: hæc eſt enim Lex, & Prophetæ.* Hæc enim, & alia hujusmodi Præcepta Divina, Jus Canonicum circa materias ſingulares, atque hypotheſes ſpeciales, ad rectam Populi Chriſtiani gubernationem latiùs exponere ſatagit: declarando ſimul, quando, & qualiter in ſingulis factis, contra ejusmodi Præcepta peccetur; & ſtatuendo etiam, ubi opus videbatur, debitas in transgreſſores pœnas, eò quòd plures *pœnarum gravitas, quàm Dei timor arcere ſoleat à voluntate peccandi*, prout notatur *in Extravag. Cùm deteſtabile. de Simonia.*

Et quidem, quòd Deus ſit cauſa primaria; ſive
52 principalis, remota tamen & mediata Juris Canonici promulgans Jura per Romanos Pontifices, tradit Abbas Panormitanus *in cit. Procemio primo Decretalium, num. 18.* Franciſcus Coſcius Senenſis *Repetit. in Rubric. de Conſtitut. n. 93.* dicens: *Quantùm attinet ad Jus Canonicum, neceſſe eſt à Chriſto ſumere initium, cap. Translato. de Conſtitut. & ſucceſſivè à Papa & Succeſſoribus.* Card. Tuſchus. *Litt. I. Concl. 577.* dicens: *A Spiritu Sancto proceſſit Ius Canonicum,* can. Si quis Diaconus. diſt. 50. Calderinus *cap. Naviganti. n. 17. de Uſuris,* & alij. Nec obſtat, quòd ea, quæ Deus præcepit, ſpectent ad Jus naturale, vel Divinum. Nam hinc ſolùm ſequitur, quòd Deus non ſit Author proximus & immediatus Juris Canonici, ſed mediatus duntaxat & primarius.

Reſp. II. Loquendo de causâ efficiente pro-
53 pinquâ, & immediatâ Juris Canonici, illud jam incæpit ab exordio naſcentis Eccleſiæ, & ſumpſit initium ab ipſis SS. Apoſtolis, crevitque ſucceſſu temporis paulatim additis diverſis Conciliorum, tum Generalium, tum Provincialium Decretis, atque Conſtitutionibus per Summos Pontifices pro exigentia negotiorum Eccleſiaſticorum, & bono Regimine totius Eccleſiæ ſucceſſivè editis, vel approbatis; donec tandem in eam, quàm nunc habet, formam redactum eſt. Ita certa, & communis Doctorum, ac patet inductione. Primò ſiquidem SS. Apoſtoli, veluti Paſtores & Rectores Eccleſiæ, ex inſtinctu Spiritûs ſancti plura ſtatuerunt ad rectam, & chriſtianam univerſalis Eccleſiæ gubernationem deſervientia; quæ continentur partim in SS. Litteris; ut de Bigamis non ordinandis, 1. *Timoth.* 3. de abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, *Act.* 15. quòd mulieres debeant velare caput ſuum, 1. *Cor.* 11. & hujusmodi. Partim habentur in Canonibus per eosdem SS. Apoſtolos ſancitis, & poſtmodùm per S. Clementem I. Romanum Pontificem, quondam S. Petri Apoſtoli Diſcipulum, in unum congeſtis, qui idcircò proprio nomine *Canones Apoſtolorum* nuncupantur, atque referuntur ad finem Decreti Gratiani. Partim verò conſtant per Traditiones Apoſtolicas; quæ ab Apoſtolis pro bono totiùs Eccleſiæ ex aſſiſtentia Spiritûs ſancti inſtitutæ fuerunt, non tamen ſcriptis comprehenſæ: ut tenetur de Jejunio quadrageſimali, de quatuor anni Temporibus, & de nonnullis legitimam Sacramentorum adminiſtrationem concernentibus, juxta illud D. Pauli 1. *Corinth. 11. Cætera autem, cùm venero, diſponam.*

Deinde poſt mortem SS. Apoſtolo- 54
rum, D. Clemens I. circa Annum Domini 91. Et S. Anacletus I. circa Annum Domini 100. alijque Succeſſores Romani Pontifices, plura ſcripſerunt, & ſtatuerunt pro bono regimine Eccleſiæ, utilitate Fidelium, quæ paſſim citantur in Decreto Gratiani, atque per extenſum referuntur *Tomo 1. Conciliorum.* Succeſſerunt plura Concilia Generalia, & præſertim illa quatuor Oecumenica, videlicet Nicænum I. trecentorum decem & octo Patrum, celebratum Anno Domini 325. ſub

S. Syl-

S. Sylveſtro Papa I. Conſtantinopolitanum, centum quinquaginta Patrum. Anno 382. ſub S. Damaſo Papa I. Epheſinum I. Anno 431. ſub S. Cæleſtino Papa I. Et Calcedonenſe, Anno 451. ſub S. Leone Papa I. Quæ quidem quatuor Concilia principalia, ſicut quatuor Evangelia, ſuſcipit, ac veneratur S. Gregorius Papa, relatus *can. Sicut Sancti. diſt. 15.* Imò & tota Eccleſia Catholica, *c. Poſt translationem.* §. *Verùm. de Renuntiat.* Quin & Imperator Juſtinianus, *Novella 131. De Eccleſiaſticis Titulis. Collat. 9.* ſic de ipſis proteſtatur: *Prædictarum enim quatuor Synodorum dogmata, ſicut ſanctas Scripturas accipimus, & Regulas ſicut Leges obſervamus.* His accedunt plura alia Concilia, tum Generalia, tum Provincialia, de quibus fit mentio *in can. Quoniam. & ſeqq.* ac fuſiùs *can. Prima. diſt. 16.* Et in Tomis Conciliorum: item ea, quæ per Leonem IV. approbata leguntur *in can. De libellis. diſt. 20.* Porrò de Conſtitutionibus Summorum Pontificum, eorumque Decretalibus Epiſtolis, ex quibus in unum compilatis Corpus Juris Canonici majori ex parte conſtat, ſicut & de ſacro Oecumenico Concilio Tridentino, alijsque Pontificijs Decretis, ſuperfluum foret; hoc loco plura dicere, cùm de eiſdem frequens futura ſit mentio in progreſſu.

55 Reſp. III. Multiplicatis jam Canonibus Conciliorum, & Summorum Pontificum Decretalibus Epiſtolis, plures ſucceſſivè fuerunt Viri clariſſimi, qui eoſdem privato labore, ne diutiùs extra unum Corpus Decretorum incerti vagarentur, in unum Volumen colligere ſtuduerunt. Et quidem perantiqua, & olim uſitata Collectio, videtur illa fuiſſe, de qua fit mentio, *in can. Si Romanorum. diſt. 19.* atque ibidem appellatur *Codex Canonum.* Deinde ex privatis Collectoribus, qui multò plura congerere ſtuduerunt, per vetuſtus eſt Iſidorus, cujus collectio juxta ordinem temporis, quo ſingula Decreta emanaverant, absque alio rerum ordine facta, protenditur à Canonibus Apoſtolorum usque ad Concilium Hiſpalenſe ſecundum, circa Annum Domini. 630. celebratum. Secuti poſtmodùm ſunt Burchardus, Wormacienſis Epiſcopus, & Ivo Epiſcopus Carnotenſis: item Gregorius, Anſelmus, Deusdedit Cardinalis, & Gregorius Presbyter, atque nonnulli alij Viri graviſſimi, qui in colligendis Sacris Canonibus, & Decretis præclare ſe geſſerunt, ſuamque operam fructuoſiùs exercuerunt: prout notatur *in Admonitione ad Lectorem*, Decreto Gratiani præfixâ, licèt Hoſtienſis *in Præfatione ad Summam*, aliâ nonnihil ratione Collectores Decretorum enumeret.

56 His omnibus tandem ſucceſſit Gratianus, Monachus S. Felicis Bononienſis, Ordinis Divi Benedicti, qui *Decretum*, ab ejuſdem nomine *Gratiani* intitulatum, in dicto Monaſterio compilavit Anno Domini 1151. tempore Eugenij Papæ Tertij: illudque ex varijs Sacræ Scripturæ ſententijs, Conciliorum Decretis, atque Conſtitutionibus & Decretalibus Epiſtolis Summorum Pontificum, legibus Imperatorum, nec non ſelectiſſimis ſanctorum Patrum ſententijs, juxta exactum rerum, atque cauſarum ordinem in unum Volumen collectis, compoſuit. Et hoc quidem in pleriſque vetuſtis hujus Collectionis exemplaribus abſolutè inſcribitur: *Concordia diſcordantium Canonum*, ſine ulla Gratiani mentione. Verùm defactò communiter prænotatur, atque à ſuo Authore appellatur *Decretum Gratiani.*

57 Quia verò longum illud, ac perdifficile Opus, publicæq; cæteroquin utilitati plurimùm deſerviens, mendis & teſtimoniorum depravationibus admodùm ſcatebat: quod acciderat vel ob incuriam Librariorum ſucceſſivè commiſſam, vel quia ipſemet Gratianus teſtimonia ex depravatis jam Codicibus deprompſerat, aut ut homo nonnulla minùs benè viderat. Hinc ne hujuſce utiliſſimi & graviſſimi Voluminis vacillaret authoritas, placuit primùm Pio IV. & poſteà B. Pio V. ac tandem Gregorio XIII. Romanis Pontificibus, ut ſelectis ad hoc negotium quibusdam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, alijsque adhibitis Viris eruditiſſimis, eidem corrigendo ſumma opera daretur, ac vetuſtiſſimis Codicibus undique conquiſitis, Auctoribusque ipſis, quorum teſtimonijs uſus fuerat Gratianus, perlectis, menda Librariorum tollerentur, & capita quæcunque ſuis fontibus quàm diligentiſſimè reſtituerentur. Et hoc quidem negotium ob varia impedimenta priùs nonnihil retardatum, tandem adhibitis ſummis laboribus ſub eodem Pontifice feliciter abſolutum fuit, atque perfectum, juſſitque poſtmodùm idem Gregorius XIII. *ut quæ emendata, & repoſita ſunt, omnia quàm diligentiſſimè retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*: prout patet ex Brevi Apoſtolica dicti Pontificis, quod præfixum habetur Decreto Gratiani jam emendato.

58 Quæritur II. Quot, & quænam ſint partes Corporis Juris Canonici? *Reſp.* I. Totum Corpus Juris Canonici plures, & univerſim ſex continet partes; quæ ſunt. I. *Decretum Gratiani*, de quo proximè dictum. II. *Decretales Gregorij Papæ IX.* in quinque Libros diſtributas, & ſic dictas, quia Gregorius Papa Nonus varias Conſtitutiones, ſeu Decretales Epiſtolas ſuorum Prædeceſſorum, per S. Raymundum de Pennafort, Ordinis FF. Prædicatorum (cujus Feſtum nunc ab Eccleſia celebratur die 23. Januarij.) in unum Volumen colligendas curavit: quibus idem Pontifex multas Conſtitutiones ſuas, & Decretales Epiſtolas adjecit. III. *Liber ſextus Decretalium*, ſic dictus, quòd ipſe authoritate Bonifacij Papæ VIII. compilatus, alijs quinque Decretalium Gregorij Noni Libris fuerit annexus; ac reſpectu eorum ſexti Decretalium Libri locum occupet, quamvis & ipſe in quinque Libros ſit diviſus. IV. *Clementinæ* (intellige, *Conſtitutiones*) ſic dictæ quòd à Clemente V. fuerint editæ. V. *Extravagantes Joannis XXII.* ſic appellatæ, quia *extravagantur*, ſeu vagantur extra ſex Libros Decretalium: ob quam rationem etiam *Clementinæ* nonnunquam vocantur *Extravagantes*, Addi-

tur verò ly *Joannis XXII.* eò quòd ſint editæ à Joanne Papa XXII. ſimulque ad differentiam aliarum Extravagantium. VI. & ultimò *Extravagantes communes*, ſic dictæ, quòd à diverſis Romanis Pontificibus poſt *Sextum* emanaverint.

59 Reſp. II. Quælibet harum partium Corporis Juris Canonici rurſum in alias ſubdividitur. Et quidem *Decretum Gratiani* in tres principales dividitur partes: & harum prima continet centum & unam *Diſtinctiones*, quarum fermè quælibet in plures ſubdividitur Canones, ſive (ut nonnulli loquuntur) Capitula: & in iſtis agitur imprimis de Jure, ac ejus ſpeciebus, harúmque differentijs ad invicem; tum de Officijs Eccleſiaſticis, Epiſcopis, alijſque Miniſtris Eccleſiæ, eorúmque Ordinationibus, Electionibus, atque Obligationibus. Altera Decreti pars continet triginta ſex Cauſas, in quibus tractatur de negotijs Clericorum, & Laicorum: & earum fermè quælibet plures continet Quæſtiones, & quælibet Quæſtio plures Canones: atque inſuper Cauſæ trigeſimæ tertiæ, ejúſque Quæſtioni tertiæ, inſeritur *Tractatus de Pœnitentia*, qui continet in ſe ſeptem Diſtinctiones, quæ poſtmodùm dividuntur in Canones. Tertia tandem Decreti pars agit de Sacramentis novæ Legis, Miſſæque Sacrificio; & hinc meritò intitulatur *De Conſecratione*: dividitúrque in quinque Diſtinctiones, & hæ rurſum in Canones. Porrò ad finem Decreti Gratiani adjunguntur *Canones Pœnitentiales*, nec non *Canones Apoſtolorum.*

60 Deinde *Decretales Gregorij Noni* continent quinque Libros (qui etiam abſolutè vocari conſueverunt *Quinque Libri Decretalium*) Libri verò dividuntur in Titulos, & Tituli in Capitula. *Sextus Liber Decretalium* etiam dividitur in quinque Libros partiales, qui ſubdividuntur in Titulos, juxta ordinem in quinque Decretalium Libris obſervatum (omiſſis tamen illis Titulis, circa quos ſpecialis controverſia de novo non emerſerat) ac Tituli in Capitula. Idem fit *in Clementinis*, quæ pariter quinque Libros, & eoſdem cum prioribus per ordinem continent Titulos (licet non omnes) poſtmodùm ſubdiviſos in Capitula. *Extravagantes Joannis XXII.* continent viginti Conſtitutiones dicti Pontificis, in quatuordecim Titulos diſtributas. Tandem *Extravagantes communes* dividuntur in quinque Libros, Libri in Titulos, Tituli in Capitula, quorum ſingula novam, & diſtinctam continent Conſtitutionem, ſive Extravagantem.

61 Noviſſimè etiam in lucem prodijt, & in quibuſdam recentioribus exemplaribus Juris Canonici ad finem appoſitus habetur, *Liber Septimus Decretalium*, operâ Petri Matthæi Juris Conſulti Lugdunenſis, varias Conſtitutiones Pontificias in unum colligentis, & juxta ordinem Titulorum, in quinque Decretalium Libris contentorum, diſtribuentis compilatus, prout liquet ex Præfatione ad Lectorem, dicto Libro præfixâ. Cæterùm opus iſtud, haud obſtante, quòd meras Conſtitutiones Apoſtolicas contineat, nondum debitâ Superiorum authoritate receptus, aut in Corpus Juris Canonici relatus, ſed privatâ ſolùm operâ compoſitus, & per typographos alijs Juris Canonici Libris appoſitus fuit; ac proinde non cenſetur undequaque authenticus. Siquidem *Extravagantes Bullæ*, quas non conſtat, debito modo publicatas, aut in uſum deductas fuiſſe, & an cum ſuis Originalibus in omnibus, & per omnia correſpondeant (unica enim littera immutata, vel particula omiſſa, maximæ conſiderationis eſſe poteſt) in rigore non obligant, niſi producantur in formâ authenticâ cum plumbo, & debitâ ſubſcriptione, per ea, quæ notantur *in Procemio Clementinarum* circa finem. Ludov. Engel. *in Procemio Collegij Juris Canonici. n.* 11. poſt Franciſcum de Pavinis *in Præludio ad Extravag. Joannis XXII. ℣. Debet autem.*

De alio *Septimo Decretalium Libro* memoratu 62 dignam relationem facit Proſper Fagnanus *in c. Cùm veniſſent. num.* 61. *&* 62. *de Judicijs.* Illius equidem compilatio, ſub Gregorio XIII. atque de ejusdem commiſſione, per plures S. R. E. Cardinales inchoata, & ſub Sixto V. continuata, tandem ſub Clemente VIII. abſoluta fuit, Pontificijs Juribus, atque Conciliorum Decretis trecentorum prope Annorum, in quinque Libros diſpoſitis, atque compendiariâ quâdam Summâ in proprios Titulos diſtributis. Verùm Opus iſtud, miris elucubratum laboribus, atque vigilijs, & Præſulum, Gymnaſiorum, ac totius Eccleſiæ vocibus efflagitatum, imò & typis jam excuſum ſub nomine *Septimi Libri Decretalium Clementis VIII.* poſteà ſubſiſtere cæpit, & hactenus publicatum non fuit. Nam, cùm Decreta fermè omnia Concilij Tridentini in eodem ſuis locis haberentur inſerta; ſi hæc per authenticam publicationem memorati Voluminis in ipſum Corpus Juris Canonici redacta fuiſſent, pariter Juriſperitis conceſſum videri poterat applicare in illud Gloſſas, & Commentarios; prout in alijs præcedentibus compilationibus per plures Gloſſatores, atque Interpretes, factum erat. Iſtud autem è diametro adverſabatur Bullæ Pij IV. ſuper confirmatione Oecumenici Concilij Tridentini 1563. VII. Kal. Februarij editæ, (quæ incipit: *Benedictus Deus*) generaliter prohibentis, ne quis ſine authoritate Apoſtolica ullos Commentarios, Gloſſas, Annotationes, Scholia, ullúmve omnino Interpretationis genus ſuper ipſius Concilij Decretis quocunque modo edere audeat. Unde ob rationes proximè dictas de *Septimo Decretalium* impoſterùm mentio non fiet.

(+)

§ V.

§. V.

De Authoritate Decreti Gratiani, ejúſque Paleis.

SUMMARIUM.

63. *Decretum Gratiani an ſit authenticum? Et rationes pro parte affirmativa.*
64. *Aliæ hujus rationes, & authoritates quamplures.*
65. *Vera Reſolutio.*
66. *Et hujus Probatio.*
67. *Solvuntur rationes pro parte affirmativa allatæ. Et ſeqq.*
68. *Leges civiles in Decretum Gratiani relatæ, an per hoc cenſeantur canonizatæ?*
69. *Doctores Juris Canonici dicuntur* Doctores Decretorum.
70. *Gregorius XIII. confirmavit Emendationem Decreti Gratiani, non verò omnia in ipſo contenta.*
71. *Jus Canonicum comprehendit ſub ſe Decretum Gratiani, cur?*
72. *An iſtud fuerit approbatum per Gelaſium Papam, & Eugenium III.*
73. *Contenta in Decreto Gratiani revocantur ad ſuam primævam authoritatem.*
74. *Sex generatim in Decreto Gratiani continentur; nempe*
75. *Decreta SS. Pontificum, & Conciliorum Generalium: quæ obligant.*
76. *Decreta Conciliorum Provincialium. Ubi & de horum obligatione.*
77. *Dicta Sanctorum Patrum. Et cujus ſint authoritatis?*
78. *Leges Imperiales. Et quæ harum acceperint novam vim obligandi.*
79. *Dicta, & Reſolutiones ipſius Gratiani: quæ ſunt magiſteriales.*
80. & 82. *Nonnulli errores Gratiani referuntur.*
81. *Ejus verba* in §. Humanum. diſt. 1. *modeſtè exponuntur. Et cit. num. 80.*
83. *Ac Paleæ.*
Capitula Palea *inſcripta non continent res merè leves. Ibid.*
84. *Sed ſunt additiones quædam.*
85. *Cur Additiones ejusmodi nomine* Paleæ *prænotentur? refertur prima quorundam opinio.*
86. *Verior ſententia, ex notabili facto ortum hujus inſcriptionis deſumens.*

63 QUæritur I. An, & qualem authoritatem, vimque obligandi, habeat Decretum Gratiani? Ratio dubitandi, & Decretum iſtud pro authentico habendi, eſt multiplex. Siquidem imprimis Volumen iſtud, haud obſtante; quòd à Gratiano, privato Doctore, fuerit collectum in unum, communiter, atque à plurimis jam annis, legitur in Scholis, & quotidie allegatur, ac recipitur in Judicijs; ergo videtur hoc ipſo tacitè approbatum, ipsóque uſu immemoriali receptum, & confirmatum: ídque eò magìs, quia conſuetudo ipſa dat jurisdictionem, & vim obtinet legis. Accedit, quòd ipſimet Summi Pontifices Decretum iſtud in ſuis poſterioribns Conſtitutionibus pro ſe allegent; ut patet *ex c. Cùm Apoſtolica. De his quæ fiunt à Prælatis &c.* ubi authoritas tum S. Hieronymi, tum Leonis Papæ, iteratò allegatur ex Decreto Gratiani, prout Gloſſa *ibidem* ℣. *Hieronymi &* ℣. *Leonis* oſtendit. Item contingit *c. Continebatur. de Deſponſat. impuberum.* ibi. *Cùm in Decretis habeatur expreſſum. Et c. Nobis.* junctâ Gloſsâ fin. *de Jure patronat.* Et *Clem. un. de Jurejurando*, ubi circa medium hæc verba habentur: *ſecùndùm formam in Decretis, quæ incipit: Tibi Domino* (& habetur *can. Tibi Domino. Diſt. 63*) ac alibi. Atqui non eſt veriſimilie, Summos Pontifices allegaturos fuiſſe Decretum Gratiani, niſi illud agnoviſſent canonicum, & pro authentico reputâſſent: alioquin enim probationes ipſorum extitiſſent minùs ſufficientes. Huc facit communis modus loquendi Gloſſæ, & Doctorum aſſerentium, quòd Leges civiles in Decretum Gratiani relatæ, per hoc ſint canonizatæ; ut loquitur Gloſſa marginalis in *Auth. Quas actiones C. de Sacroſanctis Eccleſijs; & L. 1. C. de Epiſcopis & Clericis*, ac alibi ſæpe. Inſuper Doctores Juris Canonici paſſim vocantur *Doctores Decretorum*; ac proinde oportet etiam Decretum eſſe authenticum: nam nomina debent eſſe convenientia rebus ſuis. §. *Eſt, & aliud Inſtit. de Donationib.*

Confirmatur eadem opinio vel maximè ex 64
accuratiſſimâ emendatione Decreti Gratiani, quondam mendis, & teſtimoniorum depravationibus pleniſſimi, quæ facta fuit authoritate Summorum Pontificum, atque ſolemnibus Litteris confirmata per Gregorium XIII. prout liquet ex ejusdem confirmatione Decreto Gratiani præfixâ: nam fruſtrà Summi Pontifices, inter alia graviſſima Reipublicæ Chriſtianæ negotia, viderentur manum appoſuiſſe pro emendatione tam accuratâ Decreti, niſi hoc pro authentico habuiſſent. Quinimò idem Gregorius XIII. in Privilegio ſolis Impreſſoribus Romanis dato ad decennium, imprimendi Decretum Gratiani, cum Decretalibus Gregorij Papæ Noni, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, ac die 1. Junij 1580. emanato, illud ipſum Gratiani Decretum unà cum alijs enumeratis Libris in ſimul appellat Ius Canonicum, dicendo: *Nos opportunè providere volentes, ut hoc Jus Canonicum ſic expurgatum ad omnes ubiq; Chriſti Fideles ſartum perveniat*: & conſequenter illud pariter unà cum cæteris præfatis Libris

cenſuit eſſe canonicum, atque authenticum. Eadem Sententia probatur ulteriùs authoritate extrinſecâ Doctorum: ſic quippe Decretum Gratiani eſſe approbatum, & authenticum, atque vim legis habere cenſet, Abbas Panormitanus in *cap. Ex parte 2. n. 12. de Reſcirpt.* ubi excipiens ſolummodò dicta Gratiani, & Leges civiles ab ipſo inſertas, quoad alia probat Decretum eſſe approbatum, eò quòd communiter, & à multis retrò annis, fuerit publicè lectum in Scholis, & ipſius dicta communiter recepta, ſicque hodie tacitè approbata, & recipienda. Idem reſolvit Felinus *in d. c. Ex parte n. 52.* Archidiaconus *can. Quis neſciat. n. 2. diſt. 9.* dicens, *quòd Opus iſtud ab Eccleſia eſt receptum, & approbatum quoad authoritates, quas Gratianus inducit, non autem quoad ſolutiones Gratiani.* Molfeſius *in Summa tom. 1. tract. 9. cap. 5. n. 73.* mordicùs (ut loquitur Diana *part. 5. tract. 14. Reſol. 68*) affirmativam ſententiam tenens, & inter alia referens, quòd *Gelaſius, Papa approbaverit tale Decretum; atque Eugenius III. approbaverit omnia contenta in Decreto.* Auguſt. Barboſa *in Proœmio Decreti Gratiani. n. 7.* docens cum nonnullis alijs, quos citat, *Teſtimonia SS. Patrum in Decreti Volumine contenta, ex longa conſuetudine Eccleſiæ Statuti Canonici robur obtinere, dummodò in contrarium aliqua Pontificia Conſtitutio non appareat;* quamvis poſteà ſecùs eſſe cenſeat de dictis Gratiani Paleis, & Legibus civilibus Decreto inſertis. Hoc idem docet Maranta *in Speculo Aureo, part. 3. n. 34.* ubi inquit: *Quia Liber Decretorum eſt communiter approbatus à populo, & publicè legitur in Scholis, ſicut alij libri authentici, ex hoc cenſetur authenticus, & facit plenam fidem.* Cardinalis Tuſchus *Litt. D. Concl. 110. n. 2. & 11.* ubi ait: *Hodie temporibus noſtris fuit approbatum Decretum, & contenta in eo ſunt Leges Canonicæ effectæ; ut in Bulla fel. record. Gregorij XIII.* Martha *de Juriſdict. part. 1. cap. 30. n. 37.* & nonnulli alij. His tamen non obſtantibus,

65 Reſp. I. Necdum ſufficienter conſtat, quòd Decreto Gratiani univerſim fuerit attributa authoritas Legis Canonicæ totum Mundum obligantis: nihilominus propter abſolutam & perfectam emendationem, hujúſque emendationis approbationem à Gregorio XIII. factam, meretur omnimodam fidem, quòd Canones in ipſo relati, aliæque authoritates, cum ſuis originalibus ſine errore aut falſitate correſpondeant. Ita Scotus *4. diſt. 6. q. 8. §. Sed non videtur.* ubi loquens pro ſtatu ſui temporis, inquit: *Neque etiam authoritas hujus cap. Quibis. de confeſ. diſt. 4. videtur ſatis certa: nullus enim poteſt infligere irregularitatem toti Eccleſiæ, niſi Caput Eccleſiæ. Illud autem capitulum, ſicut intitulatur, accipitur ex Pœnitentiali Theodori, qui fuit Epiſcopus Centuriæ; ergò in quantum eſt hujus Authoris, nullum robur habet infligendi pœnam irregularitatis: ergo oportet dicere, quòd quodcunque capitulum incorporatum in corpore Decretorum à Gratiano, confirmatum ſit à Papa, vel multa capitula ibi poſita non ligant totam Eccleſiam. Unde autem poſſit doceri, quòd omnia illa capitula ibi compilata Papa confirmat, non eſt manifeſtum, nec etiam eo modo, quo eſt manifeſtum, de omnibus capitulis poſitis in Decretalibus.* Hæc Scotus. Eandem ſententiam olim tenuit Jo. Andreas *in cap. 1. de Reſcript.* Anchoranus *in cap. Canonum ſtatutæ. n. 48. de Conſtit.* Butrius *in Proœmio Decretalium. §. Sanè n. 10. & 17.* Federicus de Senis, *Conſil. 76. dicens, quòd compilatio Decreti dicitur approbata per Romanam Eccleſiam, ſed non omnia, quæ ſunt in illa compilatione.* Imola, aliique plures. Ac loquendo de moderno tempore, tradunt ipſam Suarez *lib. 4. de Legibus. cap. 5. n. 6.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſput. 12. n. 5.* Salas *tract. 14. de Legibus. diſput. 8. ſect. 13.* Cajetanus, Valentia, Major, quos citat, & ſequitur Diana *part. 5. tract. 14. reſolut. 68.* Conzalez Tellez *in Proœmio, n. 51.* pro hac ſententia ulteriùs allegans Martinez à Prado, Mendam, Alciatum, Granados, Antonium à Matre Dei, & alios. Uſelius in notis ad Covarruviam *lib. 4. variar. Reſolut. cap. 11.* Layman *lib. 1. Theolog. mor. cap. 6. §. 3.* Zoëſius *in Præfatione ad jus Canonicum, n. 9.* id inter alia deſumens ex ijs, quæ habentur *Diſt. 20. à principio.* Engel *in Proœm. Collegij Juris Canon. n. 5.* Pirhing *in Proœm. n. 22.* & communior aliorum.

Ratio fundamentalis hujus ſententiæ eſt illa, 66
quam attulit Doctor Subtilis *loc. cit.* Quia necdum ſufficienter, aut manifeſtè conſtat, Decretum Gratiani quoad omnia Capitula in ipſo contenta eſſe confirmatum per Papam; à ſolo autem Gratiano, utpote perſonâ privatâ non potuit habere vim, & authoritatem Legis Eccleſiaſticæ, obligantis totum Mundum: atqui in dubio, & niſi manifeſtè probetur, non eſt aſſerenda tam gravis obligatio, & quidem reſpectu totius Mundi, *arg. l. Arrianus. ff. de Action. & obligat.* ibi: *Ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debemus nos. ſi habeamus occaſionem, ad negandum: ubi de liberando quæritur, ex diverſo, ut faciliores ſimus ad liberationem:* ergò. Maj. probatur tum ex ſolutione rationum in oppoſitum allatarum. Tum ex eo: quia Decretum Gratiani non habet in fronte talem approbationem Apoſtolicam, qualem habent Decretales Gregorij IX. ac Sextus Decretalium Bonifacij VIII. ipſæque Clementinæ: neque ipſum continet ſolas Conſtitutiones Pontificias, prout accidit in Extravagantibus Joannis XXII. Et Extravagantibus communibus; ergo. Et quidem, quantùm attinet ſolutionem rationum oppoſitæ ſententiæ;

Non urgent rationes ſuperiùs *num. 63.* in con- 67
trarium adductæ. Nam primò, quòd attinet ad uſum immemorabilem legendi in Scholis, atq; citandi in Judicijs Decretum Gratiani, per hoc nihil convincitur: cùm textus ex eo citati revocentur ad ſuam primævam authoritatem, & nonnulli quidem habeant vim legis, atque deciſivam in judicijs; alij verò ſint ſolùm doctrinales ſeu magiſteriales, prout uberiùs *Concl. ſeq.* declarabitur. Porrò Summi Pontifices, dum quandoq; in ſuis Decretalibus allegaverunt Decreta ſuorum Anteceſſorum, ea non deſumpſerunt

primùm ex Volumine, ſive Decreto Gratiani, ſed jam priùs, & aliunde habuerunt in forma authentica; & idcircò probationes ipſorum erant fortiſſimæ, atque convincentes.

68 Deinde communis ille modus loquendi Gloſſæ, & Doctorum, aſſerentium, Leges civiles in Decretum Gratiani relatas, per hoc cenſeri canonizatas, large duntaxat accipiendus eſt: ita, ut ſolùm indicare velit, æquitatem ſeu convenientiam illarum legum talem exiſtere, ut Compilatori Decreti viderentur eſſe dignæ, quòd pro meliori notitia eorum, qui in ſtudio SS. Canonum verſantur, in illud referrentur. Alioquin, ſi plùs intendatur, negari oportebit, Leges civiles propter collectionem in Decretum Gratiani eſſe canonizatas. Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta, n. 38. & 39. de Conſtitut.* & Conzalez Tellez, *loc. cit. n. 50.* Neque enim, ut inquit Federicus de Senis *cit. Conſil. 76.* canonizatio Legis facta per Gratianum eſt tantæ authoritatis, quòd faciat Legem haberi pro Canone.

69 Nec urget id, quod ſubjungitur, videlicet, Doctores Juris Canonici appellari *Doctores Decretorum*. Nam per ly *Decretorum*, denotantur diverſæ Conſtitutiones, ſive Decreta Summorum Pontificum, quorum illi cenſentur Doctores: non autem Decretum Gratiani (aliàs illi potiùs *Doctores Decreti, quàm Decretorum* nuncupandi forent, quod abſit dicere) quamvis Volumini Gratiani, multa Decreta Summorum Pontificum inſerta eſſe, eáque præſertim poſt emendationem Gregorij XIII. correſpondere cum ſuis authographis, neutiquam negetur.

70 Neque ulteriùs dictis obſtant rationes in Confirmatione *num. 64.* allegatæ. Non quidem prior deſumpta ex eo, quòd Decretum Gratiani ex commiſſione Summorum Pontificum ſit quàm diligentiſſimè emendatum, ipsáque emendatio per Breve Apoſtolicum Decreto præfixum, à Gregorio XIII. confirmata. Reſp. enim, fuiſſe quidem per dictum Breve approbatam, & confirmatam ipſam Decreti emendationem, addito Mandato Apoſtolico, *ut quæ emendata, & repoſita ſunt, omnia quàm diligentiſſimè retineantur, ita, ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*, prout loquitur citatum Breve: non tamen hinc ſequi, quòd per dictum Breve fuerint approbata, & Apoſtolicâ authoritate confirmata, omnia & ſingula contenta in eodem Gratiani Decreto, utpote cùm de hoc neque minima mentio fiat. Quinimò, ne forſan ex illis verbis, *omnia quàm diligentiſſimè retineantur*, ejusmodi approbatio deduci, atque inferri poſſet; notanter ſubjungitur interpretatio atque reſtrictio illorum verborum, per ly *ita, ut nihil addatur, mutetur &c.* Et quia in memorata Decreti emendatione *magna ratio habita eſt Operis ipſius dignitatis, & publicæ utilitatis*, prout loquitur ſæpè dictum Breve Gregorianum; jam non fruſtrà in eadem accuratiſſimè facienda manum appoſuiſſe dignoſcuntur Summi Pontifices.

71 Inſuper non urget, quòd per *Jus Canonicum* idem Pontifex etiam denotare voluerit Decretum Gratiani. Nam & nos quoque paulò ſuperiùs inter partes Corporis Juris Canonici (quod per ly *Jus Canonicum*, abſolute prolatum, datur intelligi) unà cum communi Doctorum connumeravimus Decretum Gratiani; idque ex eo, quia plures Sacros Canones vim Legis Eccleſiaſticæ habentes complectitur, ut proximè magis declarabitur: inde tamen inferre non licet, quòd omnia in ipſo contenta vim legis habeant, aut per Summum Pontificem approbata fuerint.

Quantùm attinet ad authoritatem extrinſeçam Doctorum, citatis ſuprà Doctoribus oppònimus plurimos alios, imò & communiorem aliorum. Dum autem Molfeſius, & Card. Tuſchus, nec non Scriptor vitæ Gratiani (ut ait Thomas Cananus, *Repetit. in Proœm. Decreti num. 615. & 625.*) referunt, dictum Decretum eſſe approbatum per Gelaſium Papam, & Eugenium. III. 72
Reſp. Optandū fore, ut pariter attuliſſent exemplar dictæ approbationis, quatenus hac ratione conſtare poſſet, an illud approbatum fuiſſet, quoad omnia & ſingula tanquam vim legis univerſalis habentia, vel ſolùm quoad aliqua. Interim, quia de tali approbatione, an, quo anno, ac die, & quomodo fuerit facta, certi nihil invenire licuit, & quidem neque in Bullario Romano, neque in alijs Libris de hac materia tractantibus, prout inter alios notavit Cananus *cit. num. 615.* nudæ horum Doctorum aſſertioni in contrarium opponitur; & pro majori datæ noſtræ reſponſionis comprobatione affertur Deciſio Rotæ *apud Pennam. Deciſ. 480.* ubi inter alia ſic habetur. *Nec refert illos Canones recenſeri in Decreto à Gratiano compilato: quia cùm Gratianus non publica authoritate inſinita quæque illa Canonum Eccleſiaſticorum, & legum etiam ſæcularium Capitula in ſuum Librum contulerit, nec legis condendæ authoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice Liber ille* (NB.) *tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit: inde fit, quòd quilibet Canon inibi relatus, ex eo tantùm, quòd ibi referatur, non habeat majorem authoritatem, quàm in proprio loco conſiſtens de ſui naturâ eſſet habiturus. Nec Gregorius XIII. Gratiani Librum, tanquam Legalem authentizavit, cùm ſolùm emendari juſſerit, & emendationes ſine additionibus, aut detractionibus mandaverit obſervari.* Hactenus citata Deciſio Rotæ.

Reſp. II. Canones, aliáque contenta in Decreto Gratiani, debent revocari ad ſuam primævam authoritatem, id eſt, ad illam, quam à ſuis conditoribus acceperunt: ut proinde ex eo, quòd in Decreto referuntur, majorem non habeant authoritatem, quàm de ſe haberent, ſi extra illud atque in proprio loco exiſterent. Ita proximè relata Deciſio Rotæ, Scotus, Conzalez Tellez, Layman, Engel, aliíque *num. 65.* allegati. Ratio eſt: quia ex una parte Gratianus compilationem Decreti fecit duntaxat authoritate privatâ, neque habuit poteſtatem condendæ legis; ex altera verò parte necdum ſufficienter conſtat, Decretum illud ab aliquo Romano Pontifice approbatum fuiſſe tanquam authenticum, & habens vim Legis univerſalis; imò hoc per citatam Rotæ Deciſionem expreſsè nega- 73

gatur: ergo manifeſtè ſequitur, quòd contenta in ſæpè dicto Gratiani Decreto aliam authoritatem non habeant, præter eam, quam ex ſe habent, atque à ſuis Conditoribus acceperunt. Probatur hoc ipſum inductione, ſimúlque

Declaratur ampliùs data Concluſio. Siqui-
74 dem ſex generatim ſunt, quæ continentur in Decreto Gratiani, videlicet. I. Decreta, ſive Conſtitutiones Summorum Pontificum. II. Decreta Conciliorum tum Generalium, tum Provincialium. III. Dicta Sanctorum Patrum. IV. Leges Imperiales, ſeu Iuris civilis. V. Dicta, & Reſolutiones ipſius Gratiani. Et VI. Canones illi, qui *Palea* inſcribuntur; quamquàm hi ad unum aliorum membrorum commodè reducantur, ac proinde, quod de illis dicitur, ſervatâ proportione, de Paleis dictum intelligatur.

75 Et quidem, quantùm attinet ad primum, & ſecundum, ea, quæ refert Gratianus ex Decretis Summorum Pontificum, aut Conciliorum Generalium, ſimúlque inveniuntur in ſuis Authographis, procul dubio habent vim Legis univerſalis, & authoritatem *deciſivam:* quia iſtam habent jam ex ſe ipſis, atque acceperunt à ſuis Conditoribus, neque eam amiſerunt per hoc, quòd poſtmodùm inſerta fuerint Libro Gratiani. Additur notanter, *ſimúlque inveniuntur in ſuis Authographis.* Nam ſi in iſtis non habeantur (quod defactò poſt emendationem Gregorij XIII. videre licet in Annotationibus ad ſingula Capitula poſitis) vim Legis Eccleſiaſticæ non habebunt: hanc enim à Gratiano, vel approbatione Pontificiâ non habent, ut ſæpè jam dictum; à Conditoribus verò ſuis non acceperunt, cùm à Concilio Generali, vel Romano Pontifice reverà non emanaverint.

Cæterùm loquendo de Concilijs Provincia-
76 libus horúmque Decretis, hæc potiſſimùm concernunt proprias Provincias, pro quibus lata fuerunt, niſi per Sedem Apoſtolicam approbata ſint. Et hoc ultimum idcircò additur, quia *can. De libellis. diſt. 20.* præter quatuor Concilia Generalia, nempe Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calcedonenſe, plura alia Concilia per Leonem IV. fuerunt approbata, veluti talia, quorum Canonibus utendum eſt in judicijs Eccleſiaſticis: nominatim Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Antiochenſe, Laodicenſe, Sardicenſe, Africanenſe, & Carthaginenſe. Nam horum Canones anteà jam Sedes Apoſtolica videtur approbâſſe, eiſque uſa fuiſſe, quando in Codicem Canonum, de quo fit mentio *in can. Si Romanorum diſt. 19.* eos referendos curavit; prout ibidem in *Annotationibus*, *℣. Carthaginenſium,* notatur.

Quantùm ad dicta SS. Patrum Decreto Gra-
77 tiani inſerta, ſciendum, quòd ea per hoc nullam legis authoritatem acceperint, ob rationes hactenùs allatas; atque etiam ex ſeipſis vim Iuris, ac *deciſivam* in judicijs non habeant: ſiquidem in jure condendo, cauſiſque definiendis, non ſola ſanctitas, aut ſcientia, ſed magìs poteſtas eſt neceſſaria; prout notat Gratianus *in §. Sed aliud eſt. diſt. 20.* Nihilominùs, cùm SS. Patres pleniori gratiâ ſancti Spiritûs, ampliorique ſcientiâ alijs præcelluerint, ac proinde in ſuis dictis magìs veritati, rationíque adhæſiſſe probentur: ex diuturna conſuetudine, uſúque Tribunalium, eorum dicta etiam in Foro externo, atque ad cauſarum deciſionem frequenter, nec otiosè, ſed nervosè allegantur; cùm multùm deſerviant ad directionem, & correſpondentium cauſarum deciſionis æquitatem oſtendendam. Et hoc vel maximè, ſi tale emerſerit negotium, quod minimè poſſit per ſacros Canones definiri: Tunc enim *dicta Sanctorum Doctorum, ſi reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apoſtolicam Sedem referendum de talibus;* prout ſtatuitur *cit. can. de Libellis. diſt. 20.* Uno verbo: Dicta SS. Patrum ſunt doctrinalia, ſive magiſterialia; non verò undequaque authentica, ſeu vim legis habentia. 78

Leges Imperiales, ſive ex Jure civili in Decretum Gratiani relatæ, per hoc novam vim obligandi non acquiſiêrunt, ob rationes jam allatas, ſed remanent in antiquo ſuo robore. Excipe tamen illas Leges civiles, quas Gregorius Papa *in can. Imprimis 2. q. 1.* acceptavit; ſimúlque eas, quæ poſtmodùm Decretalibus Gregorij IX. vel Bonifacij VIII. aut alijs Conſtitutionibus Apoſtolicis inſertæ ſunt: nam eæ per hoc Authoritate Apoſtolicâ approbantur, ſicque vim Legis Canonicæ, & obligantis totum Mundum Chriſtianum accipiunt, juxta illud: *Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur,* ut dicitur *in L. 1. §. Sed neque C. de veteri Iure enucleand. & c. Si Apoſtolicæ, de Præbend. in 6.* atque in ſimili notat Abbas *in cap. 1.* à principio *de Præſumpt.* & Felinus ibidem *n. 1.* Quinimò Fagnanus *c. Inter alia. n. 6. de Immunit. Eccleſ.* addit, quòd Lex civilis inſerta Canonibus, per hoc cenſeatur canonizata, & non ampliùs dicatur *Lex civilis,* ſed mutato nomine *Canon*, juxta illud jam allegatum: *Omnia noſtra facimus &c.*

Quantùm attinet ad dicta, atque reſolutiones 79
ipſius Gratiani (quæ communiter curſivo charactere imprimi ſolent, ad differentiam aliorum textuum) major authoritas ipſis non ineſt, niſi magiſterialis, ſive Doctoris alicujus privati. Quinimò non ſemel Gratianus, ut homo, lapſus eſt, & errores ſuis dictis immiſcuit, in quibus proinde relinquendus, & modeſtè corrigendus, aut explicandus erit.

Sic imprimis Scotus *in 4. diſt. 17. q. un. §. In iſta* 80
quæſtione, optimè notavit, quòd, dum Gratianus *in §. Humanum. diſt. 1.* inquit, *Ius naturale eſt, quod in Lege & Evangelio continetur,* is non rectè loquatur de Iure Legis naturæ: quia nec omnia illa, quæ continentur in Scriptura veteris, & novi Teſtamenti, ſunt principia practica nota ex terminis, nec concluſiones practicæ demonſtratæ, nec vera evidenter conſona talibus principijs, & concluſionibus. *Exponendus ergo eſt* (ſubdit modeſtè Doct. ſubtilis) *quòd extendit Ius naturale ad*

Jus poſitum ab Auctore naturæ, ut diſtinguitur contra Jus poſitum ab aliquo, qui non eſt Author naturæ.

81 Sunt equidem non pauci, qui Gratiani verba in alio ſenſu explicare conantur, videlicet, quòd non intenderit dicere, omnia quæ in Lege & Evangelio continentur, eſſe Jus naturale (oppoſitum enim idem docuerat *in §. His itaque reſpondetur, diſt. 6.*) ſed econverſò, quòd omne Jus naturale contineatur in Lege, & Evangelio; prout poſt D. Thomam *1. 2. q. 94. art. 4. ad 1.* interpretatur Navarrus *de Pœnit. diſt. 5. n. 9.* & Barboſa *in §. Humanum. n. 4. diſt. 1.* citans Scotum, & alios. Sed ſciendum, quòd juxta hanc explicationem, vel verba Gratiani ſint legenda per parentheſin, taliter: *Jus naturale eſt (quod in Lege, & Evangelio continetur) quo quisque jubetur alij facere, quod ſibi vult fieri; & prohibetur alij inferre, quod ſibi nolit fieri.* Vel verba illa intermedia, *quod in Lege, & Evangelio continetur*, in fine collocari debeant, ut ſenſum prædictum faciant. Quia igitur juxta mandatum Gregorij XIII. in Decreto Gratiani jam emendato debent *omnia quàm diligentiſſimè retineri, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*, prout loquitur Breve Apoſtolicum citati Pontificis: hæc explicatio non caret difficultate. Igitur vel retineatur interpretatio Doctoris Subtilis, vel dictum iſtud inter errores Gratiani connumeretur.

82 Deinde Gratianus *in § Neceſſario. & §. ſeqq. diſt. 76.* erravit, docendo, quòd Vigilia Pentecoſtes non ſit neceſſariò jejunanda: unde meritò ibidem taxatur *à Gloſſa. ℣. Obſervantiæ.* Item *in §. Opponitur 2. q. 7.* ait, quòd Laici non criminoſi poſſint accuſare Clericos: *Quod falſum eſt* (inquit Gloſſa ibidem. *℣. Opponitur.*) niſi ſuam vel ſuorum injuriam proſequantur. *c. De cætero. 14. de Teſtibus*, cum concordantijs ibidem à Gloſſa, *℣. Canonum.* allatis. Inſuper poſt *can. Placuit. §. Quas actiones. 16. q. 3.* Gratianus, quantùm ad tempus præſcriptionis complendæ, facit diſcrimen inter Eccleſiam & Monaſterium; & ait, quòd Eccleſia adversùs Eccleſiam triginta annis, Monaſterium adversùs Eccleſiam non niſi quadraginta annis præſcribere permittatur: atqui in hoc non benè diſtinxit, quia hodiè ſola quadraginta annorum præſcriptio currit adversùs Eccleſiam nullâ factâ diſtinctione inter Eccleſiam & Monaſterium, *c. De quarta.* junctâ Gloſſâ, *℣. Quadragenaria. de Præſcription.* Plures alios Gratiani errores refert Bartholom. Cepolla, *Tom. 1. Tractatum, tract. de Cognitione Librorum Juris Canonici. num. 14. & ſeqq.* Exinde *n. 27.* meritò concludens, quòd Liber Decretorum non eſt approbatus quantùm ad dicta Gratiani, quæ quotidie reprehenduntur.

83 Quæritur II. Cur nonnulla Capitula, ſeu Canones Decreti Gratiani, inſcribantur *Palea?* Reſp. I. Etſi non defuerint, qui per Capitula *Palea* inſcripta intelligebant illa, in quibus res inanes ac leves continerentur, hæc tamen opinio neutiquam ſubſiſtit. Ratio eſt: quia dantur plura talia Capitula, *Palea* inſcripta, in quibus agitur de graviſſimis rebus ac negotijs: ut *can. Conſtantinus. diſt. 96.* ubi ſub duplici capitulo, *Palea* prænotato, fit præclariſſima mentio, quòd Conſtantinus Imperator Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli conſtruxerit; Palatium Lateranenſe, & Romam Urbem, Coronam inſuper, omnemq; Regiam Dignitatem in Italia, & partibus Occidentalibus, Beato Sylveſtro Papæ, omnibúsque ejus Succeſſoribus Pontificibus, qui usque in finem Mundi in Sede Beati Petri erunt ſeſſuri, conceſſerit, atque reliquerit; & Imperium, & Regni poteſtatem in Orientem, ſeu Bizantium tranſtulerit; atque inter alia decreverit, ut Sedes Romana Principatum teneat, tam ſuper quatuor præcipuas Sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam, & Conſtantinopolitanam, quàm ſuper omnes in univerſo Orbe Eccleſias Dei: qualia procul dubio non ſunt res inanes, ac leves. Accedunt plura ſimilia Capitula, quæ *Palea* inſcribuntur; *ut can. Sed penſandum. diſt. 6. & can. Nullus Presbyterorum, ac ſeqq. diſt. 44.* in quibus agitur partim de tribus, quibus peccatum impletur nimirum ſuggeſtione, delectatione & conſenſu: partim de ijs, quæ Presbyteris vel maximè vitanda ſunt; ac proinde levia non exiſtunt. Omittuntur alia Capitula, materias tam utiles, atque excellentes continentia, ut nullus Decretorum Liber de cætero cenſeatur eſſe perfectus, qui *Paleas* non habeat; prout loquitur Cepolla *loc. cit. n. 4.*

Reſp. II. Capitula illa, quæ *Palea* inſcribuntur, ſunt *Additiones* quædam; ſive talia Capitula, quæ primitùs per Gratianum in Decreto poſita non fuerunt, ſed poſteà primùm eidem inſerta ſunt. Ita *Admonitio ad Lectorem* Decreto Gratiani præfixa, *§. In alio*; ubi pluribus alijs præmiſſis, *colligit, has Paleas eſſe additiones non eodem tempore factas ad primam Collectionem Gratiani, in margine primùm adſcriptas.* Idem tradit Fagnanus *in c. Canonum ſtatutum. 44. de Conſtitut. dicens: Illud tamen ferè apud omnes in confeſſo eſt, Gratianum non fuiſſe illarum* Palearum *Authorem: quod inde convincitur, quod in vetuſtis & emendationibus Codicibus non reperiuntur.* Concordat Barboſa *loc. cit. n. 8.* Cepolla *num. 3.* atque communior Doctorum. Et deſumitur hoc ex eo: quia ejusmodi Capitula, *Palea* inſcripta, abſunt à primo Vaticani exemplari (prout notatur in Annotationibus *ad can. Sed penſandum. ℣. Palea. diſt. 6.* & alibi) atq; etiam à pluribus alijs, præſertim antiquis Decretorum Libris, qui Paleas hujusmodi vel omninò non habent, vel ſaltem non omnes, utpote quas primitùs ad marginem adſcriptas, poſteà quidam Librariorum omiſerunt, quidam verò in contextu poſuerunt: donec tandem cognito, quòd iſthæc Capitula utilia ſint, ea omnia Decreto inſerta fuerint. Ex quibus manifeſtè liquet, quòd Capitula illa, *Palea* inſcripta ſint quædam Additiones. 84

Quæres autem, cur ejusmodi Additiones nomine *Paleæ* prænotentur? Reſp. Varias circa hoc extare Doctorum ſententias, uti videre eſt *in Admonitione ad Lectorem*, Decreto Gratiani præfixâ. Et quidem, dimiſſis aliorum opinionibus minùs pro- 85

probabilibus, non pauci ſunt, qui exiſtimant, Authorem dictarum Additionum fuiſſe quemdam Diſcipulum Gratiani, qui vocabatur *Palea* (Jo. Andreas *in Additione ad Specul. Tit. de Diſputat. & allegat.* §. *fin.* appellat ipſam *Protopaleam*: at verò Baptiſt. de S. Blaſio, *Repetit. in Rubricam Decreti, n. 42.* illum vocat *Pochapaleam*) quique poſteà propter eminentem ſcientiam ſuam ad Cardinalatûs Dignitatem evectus fuiſſe, atque ejuſmodi Capitula per ipſum addita, à ſuo nomine *Palea* inſcripſiſſe dicitur: prout cenſent Thomas Cananus *in Repetit. in Procemium Decreti, n. 618. & 624.* Maranta *part. 3. Speculi Aurei, n. 36.* citans plures alios. Card. Tuſchus *Litt. D. Concl. 110. n. 7.* Imola, Jo. Andreas, & alij.

86 Verùm magìs credibile, ac veritati conſonum videtur illud, quod tradit Cepolla *cit. Tract. de Cognitione Librorum Juris Canonici, n. 2.* & poſt ipſum Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta. n. 44. de Conſtitut.* videlicet, nomen illud *Palea* fuiſſe præfixum Additionibus Decreti occaſione ſequentis notabilis facti. Nam (inquiunt) cùm Gratianus Monachus Decretum à ſe compilatum Romam detuliſſet, ut à Summo Pontifice probaretur, id Cardinali cuidam Doctiſſimo primùm tradidit, ut Pontifici probandum præſentaret. Cardinalis alienæ laudis & gloriæ cupidus, Operis intelligens nobilitatem, ſeſe Auctorem ejus oſtendere in animo conſtituit: unde multa Sanctorum Patrum, & Pontificum dicta, Gratiani ordinem ſecutus, addidit. Ortâ deinde apud Pontificem quæſtione, quis eorum illius Operis Author extiterit, offert ſe Gratianus, ut ipſe ſcriptor eſſe ab omnibus intelligi poſſet, ordinem Libri, & partes, ac ſingula ejus Capitula ad ſenſum, non autem ad verba memoriter recitare. Cardinalis aſſentit, putans, ſe Authorem declarandum, cùm multa de ſuo addita fuiſſent, quæ Gratiano certè ignota eſſe ſciebat. Dum igitur Gratianus omnia ſingulariter, prout ſtatutum erat, perfectè referret, prætermittebat quandoque Capitula, quæ Cardinalis addiderat, quorum penitùs erat ignarus. Igitur à Cardinali quamprimùm opponitur, quòd Librum neſciat, adeòque ipſum non compoſuerit. Gratianus econtrà, intelligens ea, quæ prætermiſerat, non eſſe de ſuo Opere, ſed Additiones Cardinalis, reſpondit: *Ubi ſunt hujuſmodi Capitula, Palea ſunt, nec de meo grano.* Et exinde Capitula illa, quæ Cardinalis addiderat, *Palea* appellata ſunt. Huc reſpexiſſe videtur Archidiaconus *diſt. 91. can. Presbyter. n. 1.* dicens: *hoc Capitulum habetur hîc pro Paleâ, ſed pro grano ponitur extrà de Celebrat. Miſſar. cap. 1.*

§. VI.

De Auctoritate Decretalium, Clementinarum, Extravagantium, ſuarúmque Rubricarum.

SUMMARIUM.

87. *Libri Decretalium, Clementinarum, & Extravagantes, habent indubiam authoritatem Legis.*
88. *Cur ſolis Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus à principio fuerint transmiſſi?*
89. & 90. *Decretales Epiſtolæ ad particulares perſonas per Papam directæ, cur obtineant vim Legis univerſalis?*
91. *Extravagantes communes, unde obligent?*
92. *Per* Rubricas, *quid intelligatur?*
93. *Rubricæ Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium ſunt authenticæ.*
94. *Non item Rubricæ Decreti Gratiani.*
95. *Etiam loquendo de prima ejuſdem Rubrica.*
96. *Rubricæ Decretalium &c. rectè allegantur ad deciſionem cauſarum.*
Valet argumentum à Rubro ad Nigrum. Ibid.
97. *Dummodò Nigrum non contradicat Rubro.*
98. *Rubricæ quædam continent perfectum ſenſum, aliæ non.*
99. *Rubricæ poſſunt utiliter allegari. I. Diſpoſitivè. II. Declarativè.*
100. *III. Extenſivè.*
101. *Dummodò inde non inſurgat correctio Nigri.*
102. *Nec aliud obſtet.*
103. *Et IV. Arguendo ex ſituatione, ſive ordine Rubricarum.*
104. *Ex pluribus Lecturis ejuſdem Canonis prævalet, quæ magìs convenit Rubricæ, ſub qua Canon ille ſituatur.*
105. *Alius modus arguendi ex ſituatione Rubricarum.*

87 QUæritur I. Quæ ſit authoritas horum Librorum Juris Canonici? Reſp. Breviter cum communi. Certum eſt, atque indubitatum, quinque Libros Decretalium, Sextum item, & Clementinas, unà cum Extravagantibus tum Joannis XXII. Tum Communibus, habere authoritatem Legis, vimque deciſivam in Judicijs: idque de Decretalibus Gregorij IX. Sextòque Bonifacij VIII. jam ſuo tempore editis, apertè tradit Scotus *in 4. diſt. 6. q. 8.* §. *Sed non videtur.* Ratio clara eſt: quia omnium illorum Librorum Authores ſunt Summi Pontifices, quorum juſſu & authoritate ijdem (collectis diverſis Decretalibus Epiſtolis, atque poſt reſecata ſuperflua in debitum ordinem redactis) compilati, & approbati fuerunt, prout liquet ex Procemijs eorundem. Atqui Summis illis Pontificibus neque poteſtas, neque voluntas condendi

dendi Leges Eccleſiaſticas defuit: hanc enim in ſuis Litteris expreſſerunt, illam verò immediatè à Deo acceperunt, dicente Chriſto ad Petrū, & in ipſo ad legitimos ejus Succeſſores, Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*, cum concordantijs.

88 Nec obſtat primò, quòd Summi Pontifices quinque Libros Decretalium: Sextū item & Clementinas, *ſolis Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus*, à principio tranſmiſerint, uti patet ex Proœmijs dictorum Librorum. Reſp. enim cum Gloſſa *in Proœmio Decretalium Gregorij IX. ℣. Bononiæ*, & alijs, id factum eſſe propter ſtudium, quod Bononiæ eſt communius & generalius, præſertim in utroque Jure, & ibi quaſi de omnibus Mundi partibus ſunt ſtudentes (unde & *Mater Studiorum* Bononia appellatur, ut refert Horatius Lutius *Tractatuum Tom. 18. tract. De Privilegijs Scholarium n. 23.*) atque ideò potiùs Bononiam diriguntur, & obligant omnes; cùm non ſit neceſſarium, eorum notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare, *cap. 1. de Poſtulat. Prælator.*

89 Nec obſtat ſecundò, quòd pleræque Decretales Epiſtolæ ad particulares Epiſcopos, vel Prælatos, ſuper certis controverſijs, vel cauſis Papam conſulentes, dirigantur, prout liquet ex Inſcriptionibus Capitulorum: ac proinde non videantur per modum Legis univerſalis afficere totam Eccleſiam. Reſp. enim, neg. ſeq. Nam, ex quo ejusmodi Decretales publicâ authoritate in Corpus Juris Canonici redactæ fuerunt, nullus relinquitur dubitandi locus, quin Legis univerſalis vim & robur obtinuerint: prout hoc ipſum in civilibus Imperatorum Reſponſis obſervatur, utpote ex quibus ad particulares Præſides Provinciarum, Præfectos, vel Conſules directis (ut taceantur dicta Juris-Conſultorum) magnâ ex parte conflatur Codex Juſtiniani, vim Legis univerſalis in Romano Imperio indubitanter obtinens. Et ratio eſt: quia hinc Imperator, illinc Romanus Pontifex, Compilationem Juris communis ſuâ authoritate comprobavit, eámque confirmando ſuam effecit, juxta illud vulgatum: *Omnia noſtra facimus, quibus noſtram impartimur authoritatem*; ut loquitur Imperator. *L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucleand.* Et concordat. *c. Si Apoſtolicæ, 22. de Præbendis in 6.* ibi: *Cùm ipſa poſt impertitam à nobis authoritatem, noſtra cenſeatur effecta.*

90 Accedit alia ratio. Siquidem generaliter loquendo, quando Papa reſpondet ad conſultationem alicujus, etſi verba dirigat ad caſum conſulentis; tamen cenſetur oſtendere (vel etiam condere) Jus commune per ſuam reſponſionem. Gloſſa *in c. Ex tua ℣. Conſultationem. de Filijs Presbyter.* Felinus *in c. Canonum ſtatuta n. 17. de Conſtitut.* Abbas *c. Paſtoralis. n. 1. juncto Textu. ibidem de Exceptionib.* id intelligens, quando conſtitutio illa non venit in præjudicium cauſæ præcedentis. Imola, & alij apud Felinum *loco citato* Idque habetur *in c. Ex multa, 9. de Voto*, ibi: *Ad hoc igitur reſpondemus, quòd in conſultatione noſtra Jus editur.* Et meritò: nam, ut *L. 1. ff. de Conſtitut. Princip.* notatur, *quod Principi placuit, legis habet vigorem.*

91 Nec obſtat tertiò, quod non conſtet, an Extravagantes communes de alicujus Summi Pontificis Decreto publicatæ, & in Corpus Juris Canonici redactæ fuerint. Reſp. enim, dictas Extravagantes fuiſſe editas de authoritate Summorum Pontificum, ſatis patet ex ſuperſcriptionibus ipſarum, quarum ſingulæ in fronte præſeferunt nomen Papæ, à quo emanârunt. Deinde, cùm eædem à pluribus jam ſæculis poſſeſſionem in Corpore Juris acceperint, ſemperque hactenus pro authenticis habitæ ſint, ſcientibus, & conſentientibus etiam ipſis Romanis Pontificibus: meritò, ſimúlque communiter ex uſu, & ſenſu Eccleſiæ univerſalis, tanto jam tractu temporis firmato, habentur pro ſufficienter promulgatis, & pro authenticis. Nam, quia ipſæ fuerant paucæ, haud merebantur nomen peculiaris alicujus Voluminis Decretalium, neque ſpecialem approbationem Pontificiam: quinimo ſufficiebat ea, quam ſingulæ iſtæ Extravagantes habebant ſibi propriam.

92 Quæritur II. Utrum Rubricæ Corporis Juris Canonici ſint Authenticæ? ubi ſciendum, quòd impræſentiarum per *Rubricas* intelligantur illæ ſuperſcriptiones, quibus Tituli Librorum, Diſtinctionum, Legum, ſeu Statutorum prænotantur; ac per verba generalia exprimunt illud, de quo potiſſimùm ibidem tractatur. Et dicuntur *Rubricæ*, eò quòd antiquitùs rubro charactere communiter ſcribi conſueverint. Item *Rubrum*, ad differentiam *Nigri*: per hoc intelligendo Textum ipſum Librorum, Legum, Statutorum: per illud autem, Titulos eorum. Sic fit, dum quæritur, *An valeat argumentum à Rubro ad Nigrum*, hoc eſt, ab Inſcriptione Tituli ad Textum. Hoc prænotato.

93 Reſp. I. Rubricæ Decretalium, Clementinarum, atque Extravagantium, ſunt authenticæ; non item Rubricæ Decreto Gratiani inſertæ. Ita Gloſſa *in Proœmio Sexti Decretalium. ℣. Tituli.* Abbas *in Proœmio, Rex pacificus n. 8.* Jaſon *in l. Benè eſt. n. 2. ac ſeqq. ff. Si certum petatur.* & communis. Ratio eſt: quia Rubricæ Decretalium ſunt authoritate Pontificiâ additæ, & unà cum tota Compilatione approbatæ: prout deſumitur ex Proœmio tum Decretalium Gregorij IX. ibi: *Illas in unum Volumen, reſecatis ſuperfluis, providimus redigendas*, Tum Sexti Decretalium, ibi: *In unum Librum redigi mandavimus, & ſub debitis Titulis collocari.* Accedit *Reg. 80. Juris in 6. In toto, partem non eſt dubium contineri*; ac proinde Princeps, totum Librum approbans, hoc ipſo ſingulas ejus partes approbare cenſetur, & conſequenter etiam Rubricas: eò præſertim, quòd hæ, reſecatis jam ſuperfluis, de Pontificis authoritate remanſerint.

94 Secùs eſt dicendum de Rubricis Decreti Gratiani. Tum quia non fuerunt editæ à Magiſtro Gratiano, ſed à quodam alio; prout tradit Abbas *loc. cit.* Cepolla *cit. Tract. De Cognitione Librorum*

Juris Canonici. n. 16. allegans Speculatorem, & alios: & indicatur *in Annotatione ad §. Humanum genus. diſt. 1.* Tum quia aliquæ ejus Rubricæ reperiuntur falſæ, & corruptæ, ut notat Gloſſa *in can. Chartæ. 3. quæſt. 9. ℣. Reo.* Imò potiùs ſunt Summaria Capitulorum, quàm Rubricæ, juxta Cepollam *loc. cit. n. 17.* Tum tandem, quia non apparet, quòd ipſum totum Opus Decreti fuerit approbatum pro authentico; ergo neque Rubricæ illius, quæ proinde non poſſunt allegari, neque Jus ponunt.

95 Nec obſtat, quòd Jo. Andreas, Butrius, Imola, & quidem alij, hinc excipiant primam Rubricam Decreti, quam ajunt eſſe authenticam. Siquidem etiam hoc videtur negandum, ob rationes allatas: quinimò prima illa Rubrica non loquitur diſpoſitivè, ſed ſolùm addita fuit ad declarandam finalem intentionem Libri; ſicque potiùs debet dici vera, quàm authentica. Abbas *loc. cit.*

96 Reſp. II. Rubricæ Decretalium, & Legum rectè allegantur in Judicijs, atque ad Deciſionem Cauſarum: & benè *valet argumentum à Rubro ad Nigrum* (hoc eſt, à Rubrica ad textum Canonis, ſeu Legis) dummodo Rubrum non contradicat Nigro; idque ad multplicem effectum. Ita Gloſſa *loc. cit* ſubjungens, Rubricas eſſe de textu; ac proinde *Scriptorem, qui promiſit textum ſcribere, illas ponere debere.* Et alia Gloſſa in *can. Hæc autem verba. ℣. Statuit. de Pœnitent. diſt. 1.* ubi inquit: *Arg. quòd Rubricæ ſint authenticæ; nam ex verbis Rubricæ argumentatur hæc Lex.* Abbas, & Jaſon, *ubi ſuprà.* Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 379.* & alij communiter. Idque convincunt rationes hactenùs adductæ, oſtendentes, quòd Rubricæ ſint authenticæ. Idem ampliùs declaratur inductione, oſtendendo diverſos illos effectus, in ordine ad quos Rubricæ utiliter allegantur, argumentando à Rubro ad Nigrum, ut loquuntur.

97 Generatim enim loquendo, aut Rubrica conſonat Nigro, aut contradicit Nigro. Si hoc poſterius, tunc quidem non licet argumentari à Rubro (prout in concluſione caſus hic jam eſt exceptus) ſed ſtatur Nigro, ſive claro textui Canonis, Legis, aut Statuti, tanquam magis deliberato, magiſque ſpeciali, ſimùlque poſteriori. *Nam generali per ſpeciale procul dubio derogatur. c. Paſtoralis. 14. de Reſcript. junctâ Reg. 34. Juris in 6.* cum concordantijs. Atqui non eſt rarum, quòd à Rubrica generaliter loquente, poſtmodùm excipiantur caſus ſpeciales: ſic quippe *cap. 1. Ne Sede vacante aliquid innovetur. in 6.* ab hac Rubricâ generaliter loquente, excipitur collatio Præbendarum, communiter ſpectans ad Epiſcopum & Capitulum. Similiter *L. un. C. de Præbendo ſalario. lib.* 10. haud obſtante, quòd Rubrica videatur eſſe affirmativa, ſubjungitur in Nigro caſus, in quo illud non eſt præſtanſtandum. Abbas *in cit. Procemio Rex pacificus. n. 8.* Jaſon, *ubi ſuprà. n. 12.* & alij. Inſuper, quòd poſteriora, & ultima derogent prioribus, patet ex *c. 1. de Conſtit. in 6. & l. Pacta noviſſima. C. de Pactis*, cum ſimilibus; ergò idem fiet in caſu, quo Nigrum eſt contrarium Rubro.

Quòd ſi verò Rubrica conſonet Nigro, tunc ea vel continet perfectam orationem, ut hæc: *Ne Sede vacante aliquid innovetur, ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur: Ne Clerici, vel Monachi, ſæcularibus negotijs ſe immiſceant: Ne quis in ſua cauſa judicet, vel jus ſibi dicat: Ut nemo invitus agere, vel accuſare cogatur:* & aliæ hujuſmodi. Vel non continet ſic perfectam orationem; ut illa: *de Summa Trinitate, & Fide Catholica: de Conſtitutionibus: de Reſcriptis*, & conſimiles. Si primum, tunc Rubrica illa, utpote perfectum ſenſum continens, ſimúlque authentica exiſtens, poteſt allegari non ſolùm ad effectus ſequentes, ſed etiam diſpoſitivè; prout quotidie allegantur Rubricæ illæ, *Ne Sede vacante aliquid innovetur; Ne quis in ſua cauſa judicet*, & conſimiles. Secùs eſt dicendum de alijs Rubricis non continentibus perfectam orationem: hæ enim non poſſunt allegari diſpoſitivè (de nullo enim diſponunt, ob imperfectionem ſenſûs, ſive orationis, quam habent) benè tamen declarativè, & ad alios effectus illicò referendos. Unde 98

Reſp. III. Rubricæ authenticæ utiliter poſſunt allegari ad quatuor potiſſimùm effectus. I. *Diſpoſitivè*, dummodò contineant perfectam orationem, ut proximè dictum. II. *Declarativè*: nam quotieſcunque verba Canonis, Legis, vel Statuti, adeóque Nigri, ſunt obſcura, vel ambigua, poſſunt, ac debent ea declarari per Rubricam præcedentem. Gloſſa *L. 1. ℣. Retractare. C. Ne liceat in una eadémque cauſa tertiò provocare*: ubi inquit: *Et quòd ſic ſit intelligenda Lex, probat Rubrica.* Jaſon *loc. cit. n. 2.* Abbas, *ubi ſuprà.* docens, quòd, quando ex una Lege, vel uno Canone eliciuntur variæ lecturæ, accipienda ſit illa, quæ congruit Rubro, juxta Gloſſam *in c. Cùm Monaſterium. ℣. Poſtulantis de Electiion.* inferentem ex Rubricâ illius Capituli, quòd ibi facta ſit Electio, & non mera Poſtulatio; cùm illud non ponatur ſub Rubrica *de Poſtulatione*, ſed *de Electione.* 99

III. *Extenſivè*: nam Rubrica generalior Nigro, & habens perfectam orationem, debet attendi, ac ſufficit ad deciſionem cauſarum, & non reſtringitur per Nigrum magis ſpeciale, ſed potiùs iſtud ampliat; dummodò hoc intelligatur ſub certis limitationibus. Ita fusè Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 370. n. 1. & ſeqq.* Jaſon *loc. cit. n. 3. & ſeqq.* Albertus Brunus Aſtenſis *Tom. 2. Tractat. tract. De Statutis. art. 8. n. 94. ac ſeqq.* & alij, quos citant, poſt Gloſſam *L. un. C. de Capitatione civium cenſibus eximenda. lib. 11.* Et meritò: ſiquidem Rubrica habens orationem perfectam, habetur pro textu. Proinde Jaſon *n. 8.* poſt Salicetum, hoc exemplificans infert, quòd ſi Rubrica Statuti diceret, quòd in cauſis Laboratorum, & Notariorum procedatur ſummariè, & in Nigro Statuti nulla fiat mentio de Notarijs, idem tamen judicandum ſit de Notarijs; cùm Rubrica generalior 100

lior generaliter intelligi debeat. Favet textus *in L. 1. C. de Diverſ. Reſcript.* junctâ *l. Titia.* §. 2. *ff. de Verb. Obligation.* ubi notatur, quòd ea, quæ in Præfationibus dicuntur, in ſequentibus repetita intelligantur.

101 Additur notanter, *dummodò hoc intelligatur ſub certis limitationibus.* Nam imprimis hoc limitandum eſt, niſi intelligendo Rubricam generaliter, inſurgeret correctio Nigri, ſive contradictio inter Rubricam & Nigrum: tunc enim Nigrum, veluti poſterius, & magis ſpeciale, magiſque deliberatum, reſtringit Rubricam, ut dictum *num. 97.* Accedit alia ratio: quia ita demum Rubrica generalior declarat Nigrum, illúdque ampliat, quando Nigrum eſt dubium: ſi autem eſt clarum, prævalet Rubricæ, & non recipit interpretationem, ſive ampliationem ab ipſa. Card. Tuſchus *loc. cit.* poſt Romanum *Conſil.* 104. *num.* 5.

102 Limitandum eſt ſecundò, niſi conſuetudo practica, vel ſtylus ſit contrarius. Siquidem conſetudo eſt optima legum interpres. *c. Cùm dilectus. de Conſuetud. & l. Si de interpretatione. ff. de Legibus.* Aut niſi talis Rubrica generalis extenderetur ad aliquid durum, vel iniquum, contra vel præter ſignificationem verborum, & mentem ſtatuentium: nam in materia odioſa, locutio indefinita non æquipollet univerſali, imò ſtrictiſſimè debet intelligi, *c. Odia. de Reg. Juris in 6.* junctis illis, quæ notantur *in l. Venia edicti. C. De in jus vocando.* Jaſon. *n. 7.* Aſtenſis. *loc. cit. n. 96.* Card. Tuſchus, & alij.

103 IV. Rubricæ authenticæ utiliter allegantur, arguendo non ſolùm ex verbis (modo hactenùs declarato) ſed etiam ex ſituatione, ſive ordine ipſarum Rubricarum, interpretando videlicet textum, ſive Nigrum, ut conveniat Titulo, ſive Rubricæ, ſub qua ſituatus eſt. Abbas. *loc. cit. & c. Bonæ. §. fin. de Confirmat. utili, vel inut.* Jaſon. *n.* 14. & alij, poſt Gloſſam, varijs in locis proximè allegandis. Neque enim in Jure aliquid inordinatum, incorrectum, aut ſuperfluum admitti debet, contra Prooemium Decretalibus præfixum.

Infertur proinde cum cit. Abbate, quòd ubicunque plures Lecturæ poſſunt elici ex uno textu Canonis, Legis, vel ſtatuti, illa ſit amplectenda tanquam verior, quæ magis convenit, & adaptatur Rubricæ, ſub qua textus ille ſituatur. Et hic eſt unus modus arguendi à ſituatione Rubricæ. Exemplum hujus habetur *ex cit. c. Bonæ,* ubi Gloſſa, ℣. *Tamdiu*, ex hoc infert, quòd ibi fuerit facta per Papam ſimplex confirmatio alicujus ſententiæ, abſque eo, quòd ſuper obſervatione illius ſententiæ Litteræ commiſſionis ad Judices impetrarentur. *Alias* (inquit Gloſſa) *quare fuiſſet poſita hæc Decretalis in Titulo iſto*, De Confirmatione utili, vel inutili? *Potiùs debuiſſet poni in Titulo, De Appellatione, ſi deberet intelligi ſecundùm illam Decretalem Oblatæ. de Appellat.* Hæc Gloſſa. 104

Alia ratione licitum eſt arguere ex ſituatione, ſeu ordine Rubricarum, inferendo pro contentis ſub Rubrica rationem, ſeu qualitates ipſius Rubricæ. Hinc Gloſſa *in c. Tibi qui 12.* ℣. *Certo. de Reſcript. in 6. & Clem. un.* ℣. *Executores. de Officio Delegat.* rectè infert, quòd Executores à Sede Apoſtolica deputati habeant delegatam juriſdictionem, eò quòd materia de Executoribus ponatur ſub Titulo, *de Officio Delegati*: Ut habetur *in c. Si. ſuper gratia.* §. 9. *de Officio Delegati. in 6. & Clem. un. eod.* Inſuper, quia materia Conſervatorum, quos Sedes Apoſtolica concedere ſolet ad defendendum ſibi commiſſos à manifeſtis injurijs, & violentijs, etiam ponitur ſub Titulo, ſive Rubrica, *de Officio Delegati*; prout liquet *ex cap. 1. & 2. & cap. ult. eod. in 6.* Hinc Gloſſa *cit. cap. 1.* ℣. *Conſervatores. de Offic. Delegat. in 6.* & Doctores paſſim rectè inferunt, etiam Conſervatores habere juriſdictionem delegatam: alioquin enim eorum materia malè poneretur ſub Rubrica, *de Officio Delegati.* Abbas *in Prooemio, Rex Pacificus, cit. num. 8. & cap. ult. num. 22. de Sent. & re judic.* ubi ſimilem illationem facit: nam *valet* (inquit) *argumentum a ſituatione Rubricæ, ut not. in c. Tibi qui de Reſcript. lib. 6. & c. Si ſuper gratia. de Offic. Delegat. in 6. & c. Bonæ. de Confirmat. util.* 105

§. VII.

De Superſcriptionibus, & Summarijs Capitulorum, ac Superfluitate verborum vitanda.

SUMMARIUM.

106. *Summaria Capitulorum non ſunt de Textu.*
107. *Tamen ſunt habenda in magna æſtimatione.* *Quomodo ea differant à Notabilibus. Ibid.*
108. *Superſcriptiones Capitulorum ſunt authenticæ. Et n. ſeqq.*
109. *Sedes Patriarchales, quæ?*
110. *FF. Prædicatores præcedunt FF. Minoribus; cur?*
111. *Qualitates Reſcriptis Pontificijs inſertæ, per hoc non probantur; ſecùs de Superſcriptionibus Capitulorum.*
112. *Per* Concilium Generale *abſolutè poſitum, & per* Concilium Lateranenſe, *quale intelligatur?*
113. *In Jure, atque alijs Diſpoſitionibus omnis verborum ſuperfluitas eſt vitanda.*
114. *Unde verba ſunt interpretanda, ut aliquid operentur.*
115. *Argumentum à ſuperfluitate vitanda, eſt fortiſſimum in Jure.*
116. *Et potiùs verba debent impropriari, quàm quòd ſint ſuperflua.*
117. *Dummodò inde non ſequatur aliquid abſurdum, vel iniquum. Et num.* 123.

118. *Dantur tamen caſus, in quibus vel ſuperfluitas verborum non cenſetur intervenire, vel toleratur. Et ſeqq.*

Ut fit, quando in diſpoſitione eſt mixtum aliquid novi Ibid.

119. *Aut quando aliquid apponitur ad majorem cautelam.*

120. *Vel ad majorem declarationem, tollendámque ſophiſticam malignorum interpretationem.*

121. *Seu quando per verba inculcata quidpiam diſponitur.*

122. *Quin etiam conſuetudo alicubi vigens excuſat verborum ſuperfluitatem.*

106 QUæritur I. Cujus authoritatis exiſtant Superſcriptiones, ac Summaria Capitulorum? *R*eſp. I. Quantùm attinet ad Summaria, quibus nimirum Capitula ſummantur, horúmque contentum in brevem Summam redigitur: ea non ſunt de Textu, ſed pro majori legentium commoditate primùm addita fuerunt ex Scriptis diverſorum Doctorum, præſertim Abbatis Panormitani, Joannis Andreæ, Dominici, & aliorum, qui in ipſiſmet Summarijs non rarò allegantur. Patet proinde, quòd hæc ſint quædam doctrinalia, ſed vim authenticam, & deciſivam in Judicijs non habeant, niſi in quantùm concordant cum Textu ſubſequenti.

107 Quia verò Summaria conſtituuntur ex his, quæ Canonum, ſive Legum expreſſa verba ſonant: & per hoc differunt à Notabilibus, qualia ſunt conſtituenda ex illis, quæ tacitè intelliguntur, ut ait Ant. Maſſa Galleſius *Tom. 1. Tractatuum, tract. De Exercitatione Juriſperitorum lib. 3. n. 70.* meritò Summaria in magna æſtimatione ſunt habenda.

108 *R*eſp. II. Superſcriptiones Capitulorum in Decretalibus poſitæ exiſtunt authenticæ, atque ex illis in Jure validum eſt argumentum. Ita Petrus à Monte, *Tom. 13. Tractatuum, tract. De poteſtate Pontificia. §. Quinto quæro. n. 2.* poſt Gloſſam *in c. Quorundam. 24. ℣. Prædicatorum. de Electione in 6.* & alios communiter. Ratio eſt clara: quia totum Volumen Decretalium à Papa approbatum, & in ipſo omnia ſuperflua ſunt reſecata, uti liquet; ergò, cùm relictæ ſint Superſcriptiones Capitulorum, etiam ipſæ cenſentur authenticæ, ſicque valet argumentum ex ipſis depromptum.

Hinc, quia *in c. Conſtitutis. 23. de Appellation.*
109 Superſcriptio ſic ſonat: *Idem Grandenſi Patriarchæ, & S. Vitalis Presbytero Cardinali*: rectè concluditur, quòd ſpectato Jure communi, & ubi aliud non habet conſuetudo Curiæ Romanæ (hæc enim cumprimis attendenda eſt) non ſolùm quatuor Sedes Patriarchales, videlicet Conſtantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hieroſolymitana, ſint præferendæ Presbyteris Cardinalibus. *can. Renovantes. & can. Diffinivimus. diſt. 22.* juncto *c. Antiqua. 23. de Privilegijs*: ſed etiam Sedes Patriarchales minùs principales, quales juxta Archidiaconum *in can. Cleros. n. 20. diſt. 21.* ſunt Aquileienſis, Bituricenſis, Grandenſis, & Piſana, quibus Gloſſa in *d. can. Cleros. ℣. Archiepiſcopus*, addit Cantuarienſem. Siquidem Papa in allegata Superſcriptione Patriarcham Grandenſem præponit Presbytero Cardinali: clarum autem eſt, quòd Superſcriptiones Decretalium faciunt Ius, atque ex ipſis validum in Iure depromatur argumentum. Petrus à Monte *loc. cit. n. 1. & 2.*

Inſuper, quia *cap. 1. de Decimis. in 6.* habetur iſthæc Superſcriptio: *Gregorius Nonus Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus*, infert citata Gloſſa, quòd, cùm illi præponantur in dicta Superſcriptione, Fratres Prædicatores debeant præferri Fratribus Minoribus; prout ipſi etiam præferuntur *c. un. §. fin. de Exceſſibus Prælat. in 6.* Idque fit ex eo: quia Ordo Prædicatorum priùs per Breve Apoſtolicum confirmatus fuit, videlicet anno 1216. & Pontificatûs Honorij Papæ III. anno primo: cùm tamen Ordinem, ac Regulam FF. Minorum, idem Pontifex primùm in Scriptis confirmaverit anno Domini 1223. Pontificatûs verò ſui anno octavo; quidquid ſit de aliâ Confirmatione Innocentij III. utpote duntaxat vivæ vocis Oraculo factâ. 110

Dices. Concluſioni allatæ videtur obſtare *c. Si Papa. 10. de Privileg. in 6.* ubi dicitur, Eccleſiam non per hoc probari exemptam, quòd Papa in aliquo Privilegio, vel Scriptura principaliter non facta ſuper donatione, vel ſententia exemptionis, aut libertatis, eam appellet exemptam. Item. *Clem. Si ſummus. 4. §. fin. de Sentent. excommun.* ubi deciditur, quòd ſi Papa quempiam ſub titulo cujuslibet Dignitatis, ex certa etiam ſcientia, verbo, conſtitutione, vel litteris nominet, honoret, aut quovis modo tractet; per hoc non intelligatur ipſum in tali Dignitate approbare, aut novum jus eidem tribuere. *R*eſp. Concluſionem datam procedere de Capitulis, eorúmque Superſcriptionibus Juri communi inſertis, atque ſummâ maturitate (reſecatis quibuscunque ſuperfluis, factíſque correctionibus, detractionibus, vel additionibus, quando expedire videbatur) authoritate Pontificiâ in unum Volumen collectis, & confirmatis. Porrò præallegata Capitula, *Si Papa*, & *Si ſummus &c.* procedunt de *R*eſcriptis novis, in quorum impetratione præſumuntur tales qualitates *R*eſcribenti, ſive Summo Pontifici, priùs per Supplicantem eſſe ſuggeſtæ. Et quia ea, quæ ſunt facti, atque in facto conſiſtunt, *R*omanus Pontifex probabiliter poteſt ignorare, *cap. 1. de Conſtit. in 6.* hinc ejusmodi qualitates, *R*eſcriptis Pontificijs inſertæ, per hoc non probantur; niſi de ipſis principaliter facta fuerit mentio, *juxta cit. c. Si Papa de Privileg. in 6.* aut niſi de ijs aliunde doceatur. Engel *tit. de Reſcriptis. n. 8.* 111

Quæritur II. Cùm plura Capitula, præſertim *cap. 1. de Summa Trinitate*, habeant hanc Superſcriptionem, *Innocentius III. in Concilio Generali* quale Conciliũ ſub hac loquendi formula intelligatur? *R*eſp. breviter, per hoc intelligi Concilium 112

cilium Generale Lateranenſe, ſub Innocentio III. anno Domini 1215. celebratum, quod in ſacris Canonibus per quandam antonomaſiam abſolutè dicitur *Concilium Generale.* Et hoc accidit ad differentiam alterius Concilij Generalis Lateranenſis, quod paulò ante, videlicet 1179. ſub Alexandro III. celebratum fuerat, quódque jam anteà ubique locorum abſolutè dicebatur *Concilium Lateranenſe*, etiam ſine ulla Pontificis mentione; prout liquet *ex cap. 2. De Statu Monachorum,* cujus Superſcriptio ſic habet: *Ex Concilio Lateranenſi:* & concordat textus *in c. Quod DEI timorem. eod.* ibi: *Licèt autem in Lateranenſi Concilio caveatur &c.* Et hoc totum clarè deſumitur *ex Clem. un. de Immunit. Eccleſiarum,* ibi *in Lateranenſi, & Generali Concilijs.* Ubi per *Lateranenſe Concilium,* intelligitur Concilium Generale Lateranenſe, ſub Alexandro III. celebratum; per *Generale* verò ſimpliciter prolatum, denotatur poſterius Concilium Generale Lateranenſe, habitum ſub Innocentio III. prout notat Gloſſa ibidem ℣. *Concilijs*, & ſequitur Fagnanus *in c. Firmiter. n. 11. de ſumma Trinit.*

113 Quæritur IV. An in Libris Decretalium, & alijs partibus Juris, omninò nihil ſuperfluum admitti poſſit? *Reſp.* I. Non ſolùm in Libris Decretalium, aliísque partibus Iuris communis, ſed etiam in alijs diſpoſitionibus ſuperfluitas verborum eſt evitanda, nec admittenda. Ita Gloſſa communiter recepta *in c. Solitæ. ℣. Tanquam. de Majorit. & obed.* ubi ex textu illius Decretalis notanter infert, *quòd nulla dictio debet vacare in Reſcripto* (quantò magis in canone, ſive in Lege communiter ſtatuta) *alioquin fruſtrà membranas occuparet.* Et alia Gloſſa *in can. Si Romanorum. ℣. Membranas. diſt. 19.* ex illis verbis dicti Canonis, *Ut quid vel membranas occupant?* pariter concludens, *quòd nullum verbum poſitum in aliqua Scriptura debet vacare, vel ſuperfluè poni.* Idem præter Iura jam allegata, clarè deſumitur ex Prooemio Decretalium Gregorij IX. ibi: *Reſecatis ſuperfluis:* juncto Prooemio Sexti Decretalium, ubi pariter Pontifex atteſtatur, Compilationem illam fuiſſe factam *ſuperfluis penitùs reſecatis.* Concordat textus *in L. 1. §. Quibus. C. de Novo Codice faciendo*, ibi: *Reſecatis tam ſuperfluis.* Et *L. ult. C. Qui admitti ad bonorum poſſeſſ.* ibi: *Verborum inanium excludimus captiones*, cum ſimilibus.

114 Deducitur proinde primò, cùm omnis ſuperfluitas in Lege, aut Decreto vitanda ſit, ejus verba taliter eſſe interpretanda, ut aliquid operentur. Patet hoc *ex c. Si Papa. 10. de Privilegijs in 6.* ibi: *Cùm verba aliquid operari debeant.* Concordat textus *in l. Ait Prætor. §. 1. ff. de Jurejurando.* ibi: *Nec fruſtra adjicitur &c.* Et *l. Si quando. 112. §. 1. ff. de Legatis. 1.* ubi proinde Gloſſa ℣. *Fruſtrà.* allegatis alijs Iuribus concludit, dicens: *Sic nota, intelligi ſcripturam, ut aliquid operetur, & addat.* Quod adeò verum eſt, ut non ſolùm verbum, aut dictio aliqua, non debeat eſſe ſine effectu aliquid operandi, ſed etiam quælibet ſyllaba. Sanchez, *lib. 3. de Matrim. diſp. 26. n. 6.* poſt Staphilæum, *de Litt. gratiæ. Tit. De vi & effectu Clauſulæ. §. 1. n. 9.* & alios. Et Fagnanus *in c. Tuarum. n. 26. de Privileg.* pariter docens, quòd in Lege nec ſyllaba debeat eſſe ſuperflua, & ſine myſterio aliquid operandi. Card. Tuſchus *Litt. V. Concl. 895. n. 7. & 9.* poſt Rolandum à valle, *Conſil. 1. n. 122. & 123. lib. 3.* & Gravettam *Conſil. 294. n. 3.* Barboſa *Axiomat. 222. n. 12.* cum alijs, quos citat. Idque probatur per Iura hactenus allegata: & alioquin fruſtra ejuſmodi Dictio, vel ſyllaba, membranam occuparet.

Deducitur ſecundò, quòd argumentum à ſuperfluitate vitanda fortiſſimum ſit in Iure. 115 Petrus de Murga. *tom. 2. Diſquiſit. Moral. & Canon. Diſquiſit. 11. num. 172.* poſt Stephanum Gratianum *Diſceptation. Forenſium. cap. 306. n. 16.* Federicus de Senis *Conſil. 45.* paulò ante finem, ubi à ſuperfluitate vitanda fortiſſimum argumentum depromit, hinc inferendo, quòd nomine Monaſterij non ſemper intelligatur Monaſterium Ordinis non Mendicantium: quia *in cap. 1. §. Sanè. de Statu Regularium*, inquit Pontifex: *In Monaſterijs Ordinum non Mendicantium:* ergo, ſi ly *Monaſterium,* ex ſui natura, & primæva ſignificatione, jam importaret Monaſterium Ordinum non Mendicantium, fruſtrà Pontifex addidiſſet verba illa, *Ordinum non mendicantium,* & hæc forent ſuperflua: atqui hujusmodi ſuperfluitates ſunt fugiendæ, & conſequenter dicendum, quòd quædam ſunt Monaſteria Ordinis non Mendicantium, & quædam Ordinis Mendicantium. Ita diſcurrit Federicus de Senis *loc. cit.* Qui modus argumentandi etiam in alijs materijs deſervire poterit. Concordat Card. Tuſchus *Litt. S. Concl. 895. n. 1.* ubi ex eo, quòd verba ſuperflua non debent admitti ad interpretationem ſumendam, ſubinfert, quòd licita eſt interpretatio, per quam omnia verba operentur etiam à contrario, & tacito ſenſu.

Deducitur tertiò, in tantùm verum eſſe, quòd 116 verba debeant aliquid operari, atque ita interpretari, ut evitetur ſuperfluitas in ipſis; quòd potiùs verba impropriari, & ad impropriam ſignificationem trahi debeant, quàm quòd ſint ſuperflua. Card. Tuſchus. *cit. Concl. 895. n. 30.* poſt Rolandum à valle *Conſil. 61. n. 16. lib. 3.* & Cravettam *Conſil. 294. n. 3. & Conſil. 714. n. 19.* Barboſa *Axiomat. 222. n. 22.* citans plures alios: ac favet textus. *l. Si tam anguſti 13. ff. de Servitut. & l. Si tibi. 20. ff. Si certum petatur.* Et hoc procedit etiam in odioſis, ac pœnalibus, *arg. c. Si ſententia 16. de Sent. excommun. in 6.* Barboſa *loc. cit. n. 14.* Tuſchus. *n. 13.* & alij.

Intellige, dummodò inde non ſequatur ali- 117 quid iniquum, vel abſurdum: quia potiùs admittitur ſuperfluitas in ſtatuto, quàm quòd ſtatuentes voluerint aliquid illicitum, & non permiſſum, vel abſurdum ſtatuere. Barboſa *Axiomat. 216. n. 10. & 11.* Card. Tuſchus *n. 55. & ſeqq.* Gravetta *Conſil. 70. n. 26.* & alij. Inſuper admittitur ſuperfluitas, ne tollatur voluntas Teſtatoris, vel Diſponentis; aut ne quid fiat contra mentem ipſius juxta Barboſam *cit. Axiom. 216. num. 9.* & alios. Siquidem verba ſunt in-

intelligenda, non ſecundùm quod ſonant, ſed ſecundùm mentem proferentis, dummodò de hac ſufficienter conſtet: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus. *c. Intelligentia. 6. de Verb. ſignif.*

118 Reſp. II. Dantur nihilominùs plures Caſus, in quibus vel ſuperfluitas verborum non cenſetur intervenire, vel toleratur. Ita Felinus *in c. Solitæ n. 4. de Majorit. & obed.* poſt Dominicum *in Proœmio Decretalium*, Baldum, Imolam, & alios. Card. Tuſchus *Litt. S. Concl. 895. n. 44. & ſeqq.* Barboſa *Axiomat. 216. n. 6. & ſeqq.* & alij. Idque probatur inductione. Sic imprimis toleratur, vel non intervenit ſuperfluitas, quando in diſpoſitione eſt mixtum aliquid novi, *arg. c. Si tibi abſenti. 17. de Præbend. in 6.* ibi: *ſi tibi abſenti per tuum Epiſcopum conferatur beneficium &c.* Nam idem fuiſſet, etiamſi alius contuliſſet Beneficium; ſicque verba illa, *per tuum Epiſcopum*, poſſent videri ſuperflua: ſed vel tolerantur, vel non ſunt ſuperflua, quia ponunt factum, quod tunc acciderat, ſicque habent mixtum aliquid novi. Idem accidit in pluribus alijs.

119 II. Expreſſio eorum, quæ tacitè inſunt, nihil operatur, *l. non rectè ff. de Fidejuſſor.* juncto Summario, ac Doctoribus ibidem. Idem accidit, quando alicui id, quod ei competit, de Iure communi conceditur, ut mos ipſi geratur. Et tamen talia non ſuperfluè exprimuntur; partim quia poni cenſentur ad majorem cautelam, quæ non nocet, *l. Teſtamentum. C. de Teſtament.* partim, quia *plùs timeri ſolet, quod ſpecialiter injungitur*, ut notatur *in c. Si adverſùs. 11. de Hæreticis.* Abbas. *in c. Licèt vobis. num. 4. de Præbend.*

120 III. Hoc ipſum accidit, quando aliquid apponitur causâ tollendæ dubitationis, vel ad majorem declarationem, aut ad tollendam ſophiſticam malignorum interpretationem. Quinimò hujusmodi verba declarativa, ſeu ſpecialem cautelam continentia, reverà non ſunt ſuperflua, cùm habeant proprium effectum, videlicet majorem expreſſionem: vix etenim diſpoſitio fieri poteſt tam clara, quin recipiat ſophiſticam interpretationem. Unde ſi alicubi vigeat ſtatutum, prohibens ſuperfluos Articulos, ſæpiùs ex præallegatis rationibus excuſabitur ſuperfluitas. Felinus *loc. cit.* Card. Tuſchus & alij.

IV. Sæpe in Legibus, & Statutis ſemel diſpoſitum, per verba inculcata, idem importantia diſponitur; idque plus non operatur, niſi majorem declarationem. Card. Tuſchus *cit. Concl. 895. n. 44.* poſt Caſtrenſem *Conſil. 175. n. 2. lib. 2.* & verbatim ſequitur Barboſa *loc. cit. n. 6.* citans plures alios. Sic in Bullis Pontificijs ſæpiùs ſimul ponuntur, ſive inculcantur ejusmodi verba, *uti, frui, & potiri liberè poſſit, ac valeat*: quæ idem omninò, vel fermè idem ſignificant; multiplicantur tamen ob majorem energiam, atque ad explicandum concedentis affectum. Suarez *lib. 8. de Legibus, cap. 16. n. 8.* & alij. 121

V. Superfluitatem verborum excuſat conſuetudo, ſicubi ea introducta eſt, inculcandi verba ſuperflua: ut ſi juxta receptam loci conſuetudinem Notarius dicat in Inſtrumento à ſe confecto: *Titius fecit, conſtituit, & creavit talem Procuratorem.* Felinus *ibidem* poſt Speculatorem *Tit. de Procuratoribus. §. Ut autem. ℣. Sed opponitur.* 122

Porrò quòd admittatur, ſeu toleretur verbornm ſuperfluitas, ne invertatur voluntas Diſponentis v. g. Teſtatoris, de qua aliunde liquet; atque etiam, ut evitetur iniquitas, ſive ut non ſequatur illicitum, vel abſurdum, paulò ſuperiùs *num.* 117. jam dictum eſt.

§. VIII.

De Declarationibus Cardinalium, Deciſionibus Rotæ Romanæ, & authoritate Gloſſæ.

SUMMARIUM.

124. *Declarationes Cardinalium, quæ?*
Eſt probibitum, in Decreta Concilij Tridentini Gloſſas, ullùmve interpretationis genus edere. Ibid.
125. *Sed hoc ſpecialiter conceſſum Sac. Congregationi Cardinalium; & quâ ratione?*
126. *Declarationes Cardinalium fidem non faciunt, niſi afferantur in forma authentica.*
127. & 128. *Nec tamen fruſtrà allegantur in Libris; & cur?*
129. *Declarationes Cardinalium, an habeant vim obligandi? Afferuntur rationes partis negativæ.*
130. *Vera Sententia, ſeu affirmativa ſtatuitur.*
131. *Ejúsque ratio fundamentalis.*
132. *Solvuntur rationes contrariæ ſententiæ. Et num.* 135. & 136.
Declaratio legis jam ab initio cenſetur legi inſuiſſe. d. n. 132.
133. *Solemnitas publicationis requiritur in legis editione, non item in legis declaratione.*
134. *Declarationes Cardinalium, quæ ſoleant publicari, vel non? Et num.* 135.
136. *Recipiuntur reverenter à Rota Romana.*
137. *Quando ſint applicabiles ad alios caſus particulares?*
138. *Rota Romana, quid, & unde ſit dicta? num.* 139.
139. *Quot Auditores, & quales in ea reperiantur?*
140. *Deciſiones Rotæ Romanæ ſunt magiſtrales tantùm, nec faciunt Ius univerſale.*
141. *Solvitur inſtantia.*
142. *Habent nihilominùs magnum pondus authoritatis.*
143. *Ac faciunt jus inter partes; & quando?*
144. *Qua ratione Auditores Rotæ ſoleant votum ſuum proferre?*
145. *Deciſiones Rotæ jus faciunt in Curia ad modum*

dum ſtyli, quando ſæpiùs ſecundùm eas fuit judicatum.
146. & 147. *Magna eſt Gloſſæ authoritas.*
148. *Ea tamen non habet vim legis.*
149. *Poteſtque per jura meliora & rationes reprobari.*
150. *Gloſſæ authoritas eſt duntaxat probabilis, non neceſſaria.*
151. *Quam opinionem ex pluribus allegatis præſumatur approbare?*
152. *Quando inaniter allegetur?*

24 Quæritur I. Quid ſint Declarationes Cardinalium, & quando fidem faciant? Reſp. I. *Declarationes Cardinalium* aliud non ſunt, quàm interpretationes Decretorum Concilij Tridentini ad reformationem morum pertinentium, facta à Sac. Congregatione Cardinalium in hunc finem per Romanos Pontifices inſtitutâ. Nam, cùm Pius IV. in Bulla confirmationis Sacri & Oecumenici Concilij Tridentini, quæ incipit, *Benedictus Deus*, data Romæ. 16. Februarij 1564. (& refertur circa finem ejusdem Concilij) ad vitandam perverſionem & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret pro libitu in Decreta Concilij Commentarios, & interpretationes ſuas edere: authoritate Apoſtolicâ omnibus & ſingulis *inhibuerit, Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſûs Eccleſiæ, alijs verò ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine authoritate Romani Pontificis audeat ullos Commentarios, Gloſſas, Annotationes, Scholia, ullúmve omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilij Decretis quocunque modo edere, aut quidquam quocunque nomine, etiam ſub prætextu majoris Decretorum corroborationis, aut executionis, aliòve quæſito colore, ſtatuere.* Sed ſi quid obſcurius in ijs dictum, & ſtatutum fuiſſe, eámque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliquâ egere videbitur, ad Sedem Apoſtolicam recurratur, prout uberiùs in citata Bulla continetur.

25 Hinc idem Pius IV. *motu proprio* eodem Anno, die 5. Auguſti emanato, qui incipit: *Aliàs nonnullas* (& habetur *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit. 81.* dicti Pontificis) imprimis inſtituit Congregationem S. R. E. Cardinalium ſuper executione, & obſervantiâ Sacri Concilij Tridentini. Deinde Sixtus V. ut Decreta Concilij Tridentini, ad mores, diſciplinámque pertinentia, eò magis ab omnibus obſervarentur, in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Immenſa.* 1587. 11. Cal. Februarij edita (ac refertur *cit. Tom. 2. Bullarij, Conſtitut. 74.* dicti Pontificis) §. *Deo autem Patri*, ampliavit poteſtatem memoratæ Sac. Congregationis Cardinalium; eidémque inſuper conceſſit facultatem interpretandi Decreta ejusdem Oecumenici Concilij Tridentini, quæ de morum reformatione, diſciplinâ, ac moderatione, & Eccleſiaſticis judicijs, alijsque hujusmodi ſtatuta ſunt, ſi quando in ipſis dubietas, aut difficultas emerſerit: ita tamen, ut hoc fiat conſulto priùs Romano Pontifice, ſive (ut idem Papa loquitur) *Nobis tamen conſultis*: ſimúlque eorum Decretorum, quæ ad Fidei dogmata pertinent, interpretatio ipſimet Papæ reſervata maneat; prout ampliùs habetur in præfata Conſtitutione Sixtina.

26 Reſp. II. Declarationes Cardinalium fidem non faciunt, niſi afferantur in forma authentica. Ita communis, & ratio eſt: quia, cùm olim plurimas falſas, & quandoque inter ſe contrarias hujus Sac. Congregationis Declarationes circumferri compertum fuiſſet: eadem Sac. Congregatio, de ſpeciali juſſu Urbani Papæ VIII. Anno 1631. mandavit, & præcepit: *hujusmodi Declarationibus, tam impreſſis & imprimendis, quàm manuſcriptis, nullam fidem eſſe in judicio, vel extra à quoquam adhibendam; ſed tantùm illis, quæ in authenticâ formâ, ſolito Sigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij ejusdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 2. Auguſti 1631.* Ita verbatim ſonat citata ſpecialis Declaratio ejusdem Sac. Congregationis, quam per totum refert Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 4. n. 83.* cujus etiam meminit Ludov. Engel *in Prooemio Collegij Juris Canonici num. 16.* Card. de Luca *in Annotat. ad Concilium Tridentinum, Diſcurſ. 1. n. 17.* Lantuſca *in Theatro Regularium. V. Congregatio Concilij Tridentini n. 2.* & Proſper Fagnanus *Tom. 1. in Monitione ad Lectorem*, expreſse proteſtatus, quòd, licèt ipſe in ſuis Commentarijs Reſponſa Sac. Congregationis Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, fermè omnia exſcripſerit fideliter, dum eidem Sac. Congregationi eſſet à Secretis: ea tamen minimè habenda pro authenticis, quando Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarij ſubſcriptione, ſignóque carent.

Dices. Si hæc ita ſe habent, ergo fruſtrà in progreſſu præſentis Libri, & alijs paſſim, allegantur tot Declarationes Cardinalium: ut quid enim membranam occupant, ex quo nullam in judicio, vel extra, fidem faciunt? Reſp. neg. ſeq. Imprimis enim Declarationes Cardinalium, quæ per elaboratos Collectores ad publicam utilitatem diligenter referuntur, vel maximè proſunt in Curia Romana, eò quòd ibidem nimis facile ſit, de earum veritate ſeſe certum reddere, perquirendo Sac. Congregationis Cardinalium Adnotationes, vel Regiſtra: prout frequenter eadem Congregatio demandare ſolet, quando occaſione diſputationis particularium Caſuum circumferuntur Declarationes, quæ diverſæ, vel adverſæ videntur, aut aliquam probabilem dubitandi rationem continent. Card. de Luca. *Annot. ad S. Concilium. Trident. Diſcurſ. 1. n. 17.* 127

Deinde juvant ejuſmodi Declarationes etiam pro alijs locis: tum quia hauſtâ præviâ notitiâ ex diligentibus Collectoribus, eas fideliter allegantibus, difficile non erit, quamlibet illarum pro occurrentis negotij qualitate, à memorata Sacra Congregatione in forma authentica obtinere, ac dein in judicio pro plena fide facienda producere. Tum quia ſæpè dictas Declarationes Cardinalium, cæteroquin in probatis Collectoribus fideliter allegatas, & de quarum veritate nulla ſubeſt 128

ſubeſt probabilis ratio dubitandi, ex eo duntaxat reijcere, quòd non afferantur in forma authentica, atque idcircò liberè contrariam ſententiam tueri, vix abeſt ab irreverentia & temeritate; uti notat Fagnanus *in c. Quoniam. n. 59. de Conſtitut.* Ubi ſubdit poſt Salas *de Legib. tract. 14. diſput. 21. q. 97. ſect. 12. in fin.* quòd rectè faciat Judex, qui Declarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum Authorem, ut veras habuerit, & ſequatur, etiamſi nec à parte allegentur, nec producantur.

129 Quæritur II. Quam vim, & authoritatem habeant Declarationes Cardinalium Sacri Concilij Tridentini Interpretum? Ratio dubitandi eſt: quia, ut lex obliget, neceſſe eſt, quòd promulgetur: atqui Declarationes Cardinalium non ſolent publicari; ergo. Accedit, quòd Declarationes illæ transmittantur Epiſcopis, aut alijs petentibus, nullo adjecto in eis mandato, ſed tantùm ſimpliciter ad propoſita Dubia reſpondendo; & conſequenter nullam videntur inducere obligationem, præſertim pro Foro conſcientiæ. Idque eò magis, quòd necdum conſtet, Romanum Pontificem aliquando ſtatuiſſe, ſeu præcepiſſe, ut Declarationes Cardinalium tanquam leges recipiantur. Et hiſce de cauſis non deſunt Authores præſertim Theologi, qui volunt, ejusmodi Declarationes Cardinalium eſſe tantùm probabiles, & doctrinales: & quamvis magnum habeant pondus authoritatis, præſertim in dubijs, & cauſis decidendis; tamen vim legis non habere, neque obligare, niſi in caſu illo particulari, ſuper quo Cardinales fuerunt conſulti: prout tenuit Vega *tom. 1. Summ. cap. 62. caſ. 41.* Bonacina *diſp. 1. de Leg. q. 1. punct. 8. n. 4.* Baſil. Pontius *lib. 5. de Matrim. c. 15. §. 2. n. 7.* Ledeſma, Hurtado, & plures alij, apud Barboſam *cit. lib. 1. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 4. n. 82.* Quibus tamen non obſtantibus

130 Reſp. Declarationes Cardinalium Sac. Concilij Tridentini Interpretum, conſultô Sanctiſſimô factæ, & in forma authentica exiſtentes (juxta dicta *num. 126.*) non ſolùm ut probabiles, & doctrinales habendæ ſunt, ſed etiam ut auctoritativæ, atque neceſſariæ, ita ut habeant vim obligandi in utroque Foro. Ita Barboſa *loc. cit. n. 81.* Emmanuel Rodericus *Quæſt. Regul. tom. 1. q. 11. art. 1. & 2.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. q. 26. art. 11.* Lezana *tom. 3. Summ. ℣. Sacra Congregatio. n* 8. Nicolaus Garcia *de Benefic. in Præfat. Tomi I.* hanc ſententiam certam appellans, & alij: atque eandem ſententiam ex profeſſo, & fuſiſſimè propugnat Fagnanus *d. c. Quoniam. n. 6. & ſeqq. de Conſtit.*

131 Ratio fundamentalis hujus Concluſionis deſumitur ex facultate, huic Sac. Congregationi conceſsâ à Summis Pontificibus, & nominatim à Pio V. (ut probat Fagnanus *n. 7.*) & Sixto V. *in cit. Conſtitutione. 74.* Quæ incipit: *Immenſa. §. Deo autem Patri.* ibi: *Cardinalibus verò Præfectis interpretationi, & executioni Concil. Tridentini ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis Judicijs, aliisve hujusmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerit, interpretandi facultatem, nobis tamen conſultis, impertimur.* Ergò, cùm Sacr. Congregatio Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, faciat ſæpè dictas Declarationes, ſeu Interpretationes ex ſpeciali commiſſione Summi Pontificis, & ejusdem authoritate, ac nomine, quin & ipſomet priùs conſulto: pari lege, quâ tenemur recipere Declarationes Papales, tanquam certas & veras, etiam recipere tenemur Declarationes dictæ Sac. Congregationis, tanquam certas, veras, & intentionem Legislatoris ritè explicantes. Siquidem poſt impertitam à Sede Apoſtolica memoratam authoritatem, talis Cardinalium Declaratio non merè cenſetur eſſe ipſorũ, ſed eſſe potiùs aliqua Apoſtolica Declaratio; prout in ſimili habetur *c. Cùm aliquibus. 4. de Reſcript. in 6. & c. Si Apoſtolicæ. 22. de Præbend. in 6.* Et concordat notiſſimũ illud Imperatoris effatum *L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucleand.* ibi: *Omnia meritò noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur auctoritas.* Qua de cauſa etiam Reſponſa Prudentum, quibus à Cæſare jus reſpondendi, ſeu Jura publicè interpretandi conceſſum fuerat (qui idcircò *Juris Conſulti* appellabantur) eam tenebant authoritatem, ut Judici ab eorũ reſponſo recedere non licuerit, *§. Reſponſa Prudentum. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* Quod ipſum defactò obſervat Rota Romana reſpectu Declarationum Sac. Congregationis, juxta dicenda *num. 136.*

Nec obſtant rationes dubitandi *n.* 129. in contrarium allatæ. Non prima: nam quòd requiratur promulgatio, procedit in legibus, quæ novũ jus conſtituunt; non item in Declarationibus legum, quæ legibus ipſis intrinſecè inſunt, ac proinde non faciunt jus novum, ſed ſolummodò jus, quod priùs erat, manifeſtant, atque declarant. Hujuſmodi enim Declarationes, cùm contineant meram legis jam præexiſtentis explicationem, retrotrahuntur ad tempus conditæ legis, atque huic à principio jam ineſſe, & infuiſſe cenſentur, & juxta ipſas Lex ſemper fuit intelligenda juxta Gloſſam *in c. Sicut nobis. ℣. Reſpondemus. de verb. ſignif.* ac deſumitur *ex Auth. De raptis mulierib. §. fin. Collat. 9.* ubi Imperator de tali Legum ſuarum declaratione loquens, ait: *Quam interpretationem non in futuris tantummodò caſibus, verùm in præteritis etiam valere ſancimus: tanquam ſi noſtra Lex ab initio, cum interpretatione tali promulgata fuiſſet à nobis.* Concordat textus *l. Ita fidei. 40. ff. de Jure Fiſci*; ibi: *Non tantùm legem circumvenire voluit, ſed etiam interpretationem legis.* 132

Hæc ad propoſitum applicando, quando Declarationes Cardinalium Sac. Concilij Tridentini Interpretum non faciunt Jus novum, ſed continent meram Legis jam præexiſtentis declarationem, prout communiter fieri ſolet; hoc ipſo nullâ indigent ſpeciali publicatione; ſed retrotrahuntur ad tempus conditæ legis, utpote cui intrinſecè inſunt, atque à principio jam infuerunt, ac proinde ab ipſamet primæva legis promulgatione vim obligandi obtinent. Nam ſolemnitas publicationis requiritur quidem in legis editione, 133

tione, non item in legis declaratione, per Jura allegata. Barboſa *cit. cap. 4. n. 83.* Emmanuel Rodericus, Miranda, & alij, *ubi ſuprà.* Fagnanus *d. c. quoniam. n. 42. & 43. de Conſtitut.* citans ulteriùs Bartolum *in l. Hæredes quem. §. Si quid.* Imolam, Baldum, *ibid. ff. de Teſtament.* ubi in ſimili dicitur, quod in declarando Teſtamento non requiratur eadem ſolemnitas, quæ in conſtituendo. *Nihil enim*, qui declarat aliquid obſcurius in Teſtamento poſitum, *nunc dat, ſed datum ſignificat*, prout ibidem argumentatur Juris-Conſultus.

134 Additur hic notanter, *quando Declarationes Cardinalium non faciunt Jus novum &c.* Siquidem proximè dicta procedunt ſolùm de illis Declarationibus Cardinalium, quæ Jus novum non faciunt, ſed duntaxat præexiſtens declarant, ejúsque mentem ac genuinum ſenſum explicant: ac proinde non ſolent publicari, nec affigi Romæ in publicis locis, ſed ſimpliciter eduntur partibus, quarum intereſt, in forma authentica, ſigillo ac ſubſcriptione munitæ, ut refert Fagnanus *loc. cit. num. 42.* Quòd ſi verò à Sac. Congregatione Cardinalium edantur Decreta per modum novæ Legis, tunc ad inſtar aliarum Conſtitutionum Apoſtolicarum de novo conditarum, etiam talium Deretorum ſit ſolemnis Romæ promulgatio, & affixio in locis conſuetis: uti videre eſt in Decreto ejusdem Sac. Congregationis, *De Regularibus Apoſtatis & ejectis*, edito die 21. Septembris. 1624. (ac refertur *Tom. 4. Bullarij Romani, Conſtitut. 28. Urbani VIII.*) & in alio Decreto, *De Celebratione Miſſarum*, quod incipit, *Cùm ſæpè contingat.* die 21. Junij emanato (ac refertur *in eodem Bullario, Conſtit. 45. d. Pontif.*) & nonnullis alijs, quæ poſtmodùm in locis conſuetis Romæ affixa, & publicata fuerunt, prout notatur ad finem eorundem Decretorum.

135 Ad ſecundam rationem dubitandi, *num. 129.* allatam, patet Reſponſio ex dictis. Nam quia ſæpè dictæ Declarationes Cardinalium novum Jus non conſtituunt, ſed duntaxat Jus antiquum interpretantur, ac declarant, prout communiter accidere ſolet; hinc neutiquam opus eſt ſpeciali mandato ad inducendam obligationem, ſed ſufficit primum illud mandatum, ſub quo lex nunc declarata olim publicabatur, & ſubditis obſervanda proponebatur.

136 Ad ultimum patet etiam ex dictis. Nam, quia Summi Pontifices dederunt (ipſis tamen conſultis) memoratæ Sac. Congregationi facultatem interpretandi Decreta Concilij Tridentini; hoc ipſo Apoſtolicam eisdem Declarationibus authoritatem, vimque legis impertiti fuerunt. Unde etiam Rota Romana dictas Declarationes Cardinalium absque ulla oppoſitione, vel ambiguitate, reverenter ſuſcipit, atque omnimodis obſervat, etiam dimiſſis ipſis Rotæ Deciſionibus, quando in contrarium adſunt Declarationes ſæpè dictæ Sac. Congregationis. Barboſa *cit. cap. 4. n. 81.* Fagnanus, *ut ſuprà, n. 72.* Card. de Luca, *Diſcurſ. 6. de Parochis, num. 5.* & alij.

Ubi tamen notandum, quòd illæ Cardinalium Declarationes, quæ ſingulos, vel particulares concernunt caſus, ex horum ſpeciali qualitate, & circumſtantijs, manare ſoleant; ideóque alteri diverſis circumſtantias habenti non ſemper ſint applicabiles: cùm diverſimodè, ob diverſam Facti qualitatem, ſæpiùs decernere congruat. Card. de Luca *in Annotat. ad Concilium Tridentinum, Diſcurſ. 1. num. 11.* At verò Decreta, vel Declarationes generales ejusdem Sac. Congregationis, in omni caſu locum obtinent: idémq; dicendum de Declarationibus particularibus (ſeu editis ad conſultationem Epiſcoporum, aut Partium litigantium in aliquo ſpeciali caſu) quoties eædem rationes, & circumſtantiæ, in alijs caſibus concurrunt: nam tam ſæpè dictæ Declarationes Cardinalium in iſtis pariter ſunt obſervandæ, cùm Decreta Concilij Tridentini, quæ generaliter ligant omnes, ſemper habuerint, & habeant in ventre ſenſum, ſeu intellectum illum, quem Sac. Congregatio ſuâ Declaratione manifeſtat. Fagnanus *loc. cit. n. 66.* 137

Quæritur II. Quid ſit Rota Romana, & cujus auctoritatis ſint Deciſiones ejus? *Reſp.* I. *Rota Romana* eſt Summi Pontificis in cauſis litigioſis Tribunal, & Judicium. Quia enim Papa eſt Judex Ordinarius omnium hominum, de qualibet Mundi parte in Cauſis Eccleſiaſticis poteſt ad ipſum appellari, *can. Cuncta per mundum. 9. q. 3.* Et quidem etiam immediatè, ſeu omiſſis Judicibus intermedijs, propter plenitudinem poteſtatis Apoſtolicæ, *can. Si quis veſtrûm. & ſeqq. 2. q. 6.* ac notat Gloſſa *in c. Dilecti. 66. ℣. Poſt hujusmodi. de Appellat.* Unde contingit, quòd, cùm ob ingentem molem cauſarum, & negotiorum explicandorum, ſingulis Pontifex Romanus per ſeipſum ſolum, humanâ imbecillitate præpediente, pro voto ſatisfacere non ſufficiat; præter *Conſiſtorium*, in quo Papa pro expediendis primarijs, & majoribus negotijs ſolet Adjutores, & Conſiliarios adhibere Cardinales; ab antiquo jam erectum fuerit *Auditorium Rotæ*, in quo univerſorum Chriſti Fidelium Cauſæ Eccleſiaſticæ, ac etiam Sæculares eorum, qui temporali Jurisdictioni Pontificiæ ſubſunt, ex Commiſſione Pontificiâ cognoſcantur, & juſtè terminentur: quamvis defactò poſt erectas præſertim tot alias Sacras Congregationes, de quibus fit mentio in Conſtitutione 74. Sixti V. quæ incipit *Immenſa*, non ampliùs tam copioſus ſit numerus Cauſarum ſpiritualium, ſeu Eccleſiaſticarum, in hoc Tribunali diſcutiendarum, ſicut antiquitùs. Cardinal. de Luca *in Relatione Romanæ Curiæ Forenſ. Diſcurſ. 32. n. 61.* 138

139 Et quidem olim quatuordecim, & quandóque plures, pro arbitrio Pontificum, extiterunt Auditores Rotæ: verùm Sixtus IV. in Conſtitutione *Romanus Pontifex* (& habetur *Tom. 1. Bullarij Rom. Conſtitut. 2. d. Pont.*) Auditores Rotæ Romanæ ad numerum duodenarium reduxit: ijdémque non niſi ex famoſis Juris Doctoribus, ac præcipuè expertimentatis, ſimúlq; ex diverſis aliu-

aſſumunturNationibus,ut hac ratione in eoTribunali exiſtant Viri, qui in ſingulis reſpectivè Provincijs, & Nationibus verſati ſunt. Et quia omnes illi duodecimAuditores in eadē circulari menſâ accumbunt,ad formam Rotæ, veriſimile eſt,inde promanâſſe appellationem *RotæRomanæ*. Card. de Luca.*cit. Diſcurſ.*32. præſertim *n.* 16. *&* 17. *&* 34.

140 Reſp. II. Deciſiones Rotæ Romanæ non faciunt Jus univerſale,ſed ſunt magiſtrales,& probabiles tantùm, licèt cæteroquin magnum habeant pondus authoritatis. Ita Card. de Luca *loc. cit.n.66.* aſſerens,quòd Deciſiones Rotæ, licèt magnæ ſint authoritatis in Curia, non faciant authoritatem neceſſariam apud inferiores Magiſtratus, tanquam Deciſiones Papales. Felinus *c. Paſtoralis. n. 10. de Fide Inſtrument.* dicens, quòd Auditores Rotæ non habeant authoritatem legis condendæ. Nicol. Garcias *in cit. Præfat. Tom. 1.* Engel *in Procœmio Collegij Juris Canon. n. 17.* Fagnanus *c. Cùm veniſſent. n.* 31. *de Judicijs*, citans Geminianum *in c. Duobus n. 9.* & ibi Francum *n.* 10. *de Reſcript. in 6.* Præpoſitum, Bellameram, & alios. Ratio eſt: quia nullibi reperitur, Auditoribus Rotæ Romanæ fuiſſe conceſſam poteſtatem Jus novum condendi,ſed duntaxat ſecundùm Jura jam poſita in cauſis particularibus judicandi, ac ſententiam ferendi: prout in ſimili de Deciſionibus Cameræ Imperialis paſſim ſentiunt Doctores, quòd Aſſeſſoribus Cameræ data fuerit ab Imperatore poteſtas ſecundùm leges judicandi, non autem novas condendi.

141 Nec obſtat textus *c. In cauſis.* 19. *de Sent. & re judic.* ubi dicitur,quòd,ſi cauſæ Summi Pontificis judiciô decidantur, in ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter judicare: ac proinde, ut ibidem loquitur Gloſſa in caſu, quòd ſententia Papæ jus faciat quoad omnes. Non obſtat,inquam: quia,ut patet ex allegatis verbis, ibi ſermo eſt de Deciſione ipſius Papæ; prout etiam *L. ult. C. de Legib.* dicitur, quòd ſententia definitiva ipſius Principis lata ſuper cauſa, de qua plenè cognovit vim habeat legis generalis: non autem textus ille loquitur de Deciſione Senatûs Pontificij, ſeu Rotæ Romanæ. Accedit,quòd ipſamet Rota mutet quandoque opinionem ſuam; idque frequenter contingere, notat Card. de Luca *loc. cit. num.* 102. & Cardinalis *in c. Paſtoralis. de Fide Inſtrument.* & Nicol. Moronus *Tractatuum tom.* 11. *part.* 1. *tract. de Fide, Treuga & Pace. quæſt.* 121. *num.* 193. poſt Decium *Conſil.* 494. & alios. Id autem fieri non poſſet, ſi Deciſiones ejus vim Legis univerſalis obtinerent.

142 Additur notanter *num.* 140. *licèt cæteroquin magnum habeant pondus authoritatis.* Nam quia Deciſiones Rotæ Romanæ non niſi ſummâ cum maturitate prodeunt,ſimúlque ab uno ex ſupremis totius Orbis Chriſtiani Tribunali,& Capellam,ſeu Aulam Pontificiam repræſentante,promanant: hinc ipſius Reſolutiones meritò per inferiores Judices, & Magiſtratus, imò & per ſuperiores Sacras Congregationes habentur in veneratione, magnám que faciunt fidem. Unde pariter aliarum Nationum Profeſſores,atque eximij Scriptores, magnam ſæpè dicti Tribunalis agnoſcunt authoritatem, eámque frequentibus ſuarum Deciſionum allegationibus conteſtantur. Quinimò,quòd Rotæ Romanæ Deciſiones prævaleant communi opinioni, cenſet Imola *in cap.* 1. *de Litis conteſt.* & Fagnanus *in c. Cùm veniſſent. n.* 32. *de Judicijs.* & Garcias *loc. cit.* citans alios. Atque,ut inquit Quintilianus Mandoſius *Tractatuum tom. 3. tract. de Monitorijs. q. 27. n. 6.* Rotâ loquente cætera Tribunalia obmuteſcunt. Quamquàm,quia dictæ Rotæ Romanæ non licet Concilij Tridentini Decreta interpretari, ob prohibitionem Pij IV. eadem Declarationibus Sac. Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretū reverenter deferre conſueverit.

Ulteriùs notanter additur *cit. n. 140. Non faciunt Jus univerſale.* 143 Quia imprimis fatendum eſt,quòd Rotæ Deciſiones jus faciant inter partes litigantes: nam iſtud eſt commune cæteris ſententijs judicialibus,à quibus vel legitimo tempore (hoc eſt, inter decennium) non fuit appellatum: tunc enim ſententia tranſit in rem judicatam, *c. Quod ad conſultationem. 15. de Sent. & re judic.* & ſimilibus. Vel ſi ab ipſis ſecundâ vice fuerit appellatum,& pars victa ſuccubuit in duplici appellatione, ſicque tres conformes contra ſe reportavit ſententias: nam tunc ea tenetur acquieſcere, non poteſt in una eadémque causâ tertiò appellare, *L. un. C. Ne liceat in una eademq́; cauſa tertiò provocare.* Idque etiam locum obtinet in Rota Romana.

Ubi ſciendum,quòd in Rota Romana ordina- 144 riè,(ſeu niſi pro caſu ſpeciali aliud Pontifex mandaverit) ſolùm quatuor ex duodecim Auditoribus circa ſingulas cauſas votū proferant; atque,ſi in eandem concorditer deveniant ſententiam, vel ſaltem tres ipſorum concordent, capiatur reſolutio: à qua ſi Pars ſuccumbens appellârit, alijs quatuor Auditoribus cauſa examinanda, & definienda committitur, niſi quis in duplici jam appellatione ſuccubuerit. Card. de Luca *cit. Diſcurſ.* 32. *Relat. Rom. Curiæ. n.* 34. *& n. 57. ac ſeqq.*

Deinde,quòd Deciſiones Rotæ jus faciant in 145 Curia ad inſtar Styli, ſaltem quando ſecundùm eas ſæpiùs fuit judicatum, tradit Joan. Franciſcus Pavinus *in Præludijs Extravag. Joannis XXII. ℣. Deciſiones Rotæ*, & poſt ipſum Fagnanus *c. Cùm veniſſent. n.* 23. *de Judicijs*, & Engel, *cit. num.* 17. Ratio eſt: quia ad Rotam ſpectat interpretari verba, & mentem Papæ in Reſcriptis, & in hac quaſi poſſeſſione exiſtit ſciente,patiente, imò & mandante Summo Pontifice: unde ſi ſuper eâdem Juris quæſtione, licèt cæteroquin inter Doctores admodùm controversâ, uniformes, ac ſæpiùs repetitæ procedant Deciſiones Rotæ tandem faciunt conſuetudinem,& Stylum in Curia Romana, *l. Si de Interpretatione. & l. Nam Imperator. ff. de Legibus.* Quo poſteriori in loco dicitur, *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem,aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.* Per hoc tamen dictæ Deciſiones Rotæ non conſtituunt Jus uni-

univerſale, nec alij Judices præciſè ſecundùm eas tenentur judicare, niſi quatenus meliora Juris fundamenta aliunde non ſuppetant.

Quæritur III. Quantæ authoritatis ſit Gloſ-
146 ſa? Reſp. I. Licèt magna, & cæteribus paribus major ſit authoritas Gloſſæ, quàm alterius Authoris; nihilominùs ipſa neque habet authoritatem legis, neque eſt attendenda, quando meliora Iuris fundamenta, & rationes contra ipſam militant. Ita in re communis. Et quidem

Prior pars patet ex encomijs illis, quæ Gloſſæ
147 attribui ſolent: nam quia Gloſſa digna judicata fuit, ut ad Canonis, ſeu Legis declarationem in Corpore Iuris poneretur: hinc quòd authoritas Gloſſæ major ſit, quàm aliorum Doctorum, tradit Bartolus *in l. Ut vim.* & ibi Iaſon. *n. 34. ff. de juſt. & jur.* & Baldus *in l. Cùm hæreditas. C. Depoſiti*, & alibi, dicens, quòd Gloſſæ authoritas omnes alias authoritates antecedat, à qua proin in cauſis magnis recedendum non eſt. Item Iacob. Butrius *in L. 1. C. Qui pro ſua jurisdict.* inquit, quòd, ubi cum Gloſſa concordat aliquis Doctor, illa opinio cenſeatur communis in judicando. Et rurſum Baldus *in l. ult. §. Neceſſitate. C. De bonis quæ liber.* ait: *Adhæreas carotio veritatis Gloſſæ, & in æternum non errabis.* Inſuper opinionem Gloſſæ communi opinioni præferendam eſſe, cenſet Felinus *in cap. 1. num. 54. de Conſtitut.* citans Imolam, Salicetum, & alios. Unde Gloſſæ opinio appellatur *Idolum Advocatorum*, ſecundùm Cynum *in l. Non moriturum. C. De contrahend. & committ. ſtipulat.* quem refert, ac ſequitur Alexander *Conſil. 51. n. 4. lib. 4.* Quibus ſimilia paſſim habent alij Doctores.

148 Altera pars, quòd Gloſſæ authoritas vim legis non habeat, eſt communis. Nullibi enim authoritas legis condendæ eidem attributa legitur: quinimò Gloſſa à privatis Authoribus, videlicet, Bernardo, Tancredo, Io. Andrea, & alijs, quorum nomina plerumque ad finem Gloſſarum apponuntur, textui Canonum appoſita fuit: atqui tales privati Authores poteſtatem condendi leges non habuerunt. Accedit, quòd dentur nonnunquam Gloſſæ inter ſe contrariæ.

Et per hoc patet ad tertiam partem. Nam 149
quia Gloſſæ opinio authoritatem legis non habet, meritò per jura meliora, & rationes in oppoſitum occurrentes rejici poteſt, & non rarò reprobatur. Siquidem inter plures opiniones illa eſt præferenda, & ſequenda, quæ meliori & ſubtiliori nititur ratione, ut inquit Abbas *in c. Capellanus. n. 3. de Ferijs.* Neque enim in delectu opinionum habendus eſt reſpectus ad qualitatem perſonæ, v. g. Gloſſæ, illam opinionem foventis, ſed ad rationem ipſius, *text. notab. in L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri jure enuclean.* ibi: *ſed neque ex multitudine authorum, quod melius & æquius eſt, judicatote; cùm poſſit unus forſan & deterioris ſententiæ & multos, & majores in aliqua parte ſuperare.*

Nec obſtant encomia Gloſſæ in contrarium 150
allegata. Nam illa procedunt non de neceſſitate, ſed per modum conſilij: quia enim veritas non facilè poteſt inveniri, utilius eſt accedere opinioni Gloſſæ, cujus authoritate defendimur, & excuſamur, quàm alterius privati Authoris non afferentis clariora Iuris, aut rationum fundamenta. Non tamen idcirco cogimur ſequi Gloſſam, utpote cujus authoritas eſt duntaxat probabilis, non neceſſaria, ut fatetur ipſemet Baldus *in l. Conventiculam. n. 3. C. de Epiſcop. & Cleric.*

Reſp. II. Quando Gloſſa plures refert opinio- 151
nes, tunc in dubio, & niſi aliud ex verbis ejus colligi poſſit, præſumitur approbare ultimam. Ita Felinus *in c. Canonum ſtatuta. n. 55. de Conſtitut.* citans Ludov. Romanum *in Conſil. 83.* Hoſtienſem, Io. Andream, & alios.

Solùm adde cum Laymano *in d. c. Canonum* 152
ſtatuta. n. 20. & alijs. Gloſſæ authoritatem inaniter allegari abſque textu, ſi ipſum Ius expreſſum habeatur, utpote ex quo tota pendet reſolutio. Et ob eandem rationem fruſtrà laborant illi, qui Doctorum authoritates cumulant prætermiſſo Canone, aut Lege, ex qua fuit tota doctrina deſumpta.

§. IX.

De Jure Civili, ejusque Diviſione, & Partibus.

SUMMARIUM.

153. *Ratio ordinis, ſeu præſentis Paragraphi.*
154. *Jus Civile, quid?*
155. *Abſolutè prolatum intelligitur de Romano.* *Verba ſimpliciter prolata intelliguntur in digniori ſignificato. Ibid.*
156. *Jus Civile commune, & particulare, ſeu municipale, quid?*
157. *Dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum.*
158. *Jus non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium, quid?*
159. *Jus ſcriptum, quid? Et an ſcriptura ſit de ejus eſſentia?*
160. *Ius Civile dividitur rurſus in publicum, & privatum.*
161. *Ius publicum, quid, & in quibus conſiſtat?*
162. *Aliud eſt commune, ſeu antiquum; aliud ſpeciale, ſeu hodiernum.*
163. *Ius privatum, quid? Et quomodo differat à Privilegio.*
164. *Quomodo omne Ius dicatur publicum?*
165. *Corpus Iuris Civilis, quibus libris conſtet?*
166. *Et quo ordine, & tempore, ſinguli libri Iuris Civilis evulgati fuerint?*
167. *Novellæ Conſtitutiones, ſeu Liber Authenticorum per Iuſtinianum poſtremo loco editæ, earúmque præſtantia.*
168. *A quo nonnullæ Authenticæ Conſtitutiones Codici hodie uſitato fuerint inſertæ?*
169. *Et ſi inſertæ non probant, niſi in quantum con-*

cordant ſuis fontibus, ſeu Novellis, ex quibus deſumptæ ſunt.
170. *Libri Feudorum unde ſumpſerint initium?*
171. *Alia diviſio partium Iuris Civilis in Leges, Plebis-ſcita, Senatûs-Conſulta &c.*
172. *Ratione triplicis Status, ſive Regiminis Populi Romani ſucceſſivè prodita.*
173. *Lex, prout contradiſtinguitur à cæteris partibus Iuris Civilis, quid, & quomodo olim condita?*
174. *Aliæ Legis definitiones declarantur.*
175. *Plebis-ſcitum, quid? Et quomodo differat à Lege? Differentia inter* Populi, *&* Plebis *vocabulum. Ibid.*
176. *Senatûs-Conſultum, quid?*
177. *Principum Placita, quæ? Et an rectè dicantur Leges?*
178. *Magiſtratuum Edicta, idem ſunt, ac Prætorum Edicta.*
Prætorum Origo, & authoritas. Ibid.
Ius honorarium, quod? Ibid.
179. *Reſponſa Prudentûm, quæ?*

153 REctiſſimè obſervavit Pontifex *in c. Solitæ. 6. de Majoritat. & obedient.* quòd, ſicut olim in creatione Mundi, ita & poſteà, *ad firmamentum Cœli, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ, fecit Deus duo magna Luminaria, hoc eſt, duas conſtituit Dignitates, quæ ſunt Pontificalis Authoritas, & Regalis* (ſive Imperialis) *Poteſtas. Sed illa, quæ præeſt diebus, id eſt, ſpiritualis, major eſt: quæ verò carnalibus, minor: ut quanta eſt inter ſolem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoſcatur.* Ad illuſtrandum igitur veram Chriſti Eccleſiam Ius Canonicum, Pontificali Authoritate conſtitutum, ſimúlque præcellentius, ex profeſſo pertractandum venit: ſimul tamen de Iure civili, Imperatoriâ Poteſtate condito, atque inſtar Luminaris minoris Eccleſiam Chriſti irradiante, nonnulla mentio habenda occurrit: non quòd falcem intendamus mittere in meſſem alienam, ſed quia magna inter utrumque Ius eſt confœderatio, prout ampliùs ex progreſſu patebit. Simúlque quia de ipſis Legibus Imperatorijs frequens tũ in Decreto Gratiani, tum in Libris Decretalium, ſermo recurrit: prout liquet *ex can. Ius Civile. & ſeqq. diſt. 1. & ex cap. 1. & 2. de Novi operis nunciat. & c. Cùm dilecta. §. Nos igitur. de Confirmat. util.* & alibi ſæpè. Proinde

154 Quæritur I. Quid ſit Ius Civile, & abſolutè prolatum pro quo ſupponat? Reſp. I. *Ius Civile* eſt, quod authoritate Principis, ſive Magiſtratûs Sæcularis, ad tranquillam Reipublicæ gubernationem, & communem civium ſalutem conſervandam, conſtitutum eſt. Ita in re communis; & concordat textus *in can. Ius Civile. diſt. 1.* ibi: *Ius Civile eſt, quod quiſque Populus, vel quæque Civitas, ſibi proprium divinâ, humanâque causâ conſtituit.* Et dicitur Ius Civile, *quaſi Ius proprium ipſius Civitatis*: & hoc ad differentiam Iuris gentium, quo omnes, vel ferè omnes Gentes utuntur, *§. Ius autem Civile. Inſtitut. de iure nat. gent. civil.* Proinde, cùm Ius Civile ab unaquaque Civitate appelletur, nihil prohibet, Leges v. g. Solonis appellare *Ius Civile Athenienſium*: & Ius, quo Romanus populus utitur, *Ius Civile Romanorum*: vel *Ius Quiritum*; cùm Romani à Romulo, Quirites à Quirino nuncupentur, *§. Sed jus quidem. Inſtit. eod.*

155 Reſp. II. Nihilominùs Ius Civile ſimpliciter & abſolutè prolatum, de Romano intelligitur; idque per antonomaſiam: qua ratione in ſimili nomen *Urbis* abſolutè prolatum Romam, & *Poëta* absque alio addito dictus, apud Græcos egregium Homerum, apud Latinos Virgilium denotat. Ita habetur *cit. §. Sed jus quidem. Inſtit. eod.* tradúntque Interpretes communiter. Et hinc deſumitur argumentum cum Baldo ibidem, quòd verba ſimpliciter prolata in potentiori, & digniori ſignificato intelligantur. Intellige, ſtante dubio, ac niſi aliud ex contextu pateat.

Quæritur II. Quomodo dividatur Ius Civile? Reſp. I. Illud variè dividitur; & primò quidem in Ius commune, & Ius particulare, ſeu Municipale. *Ius Civile Commune* dicitur, quod eſt commune omnibus Provincijs & incolis, Romano Imperio ſubjectis, illóſque omnes obligat. Et hoc continetur in Corpore Iuris Civilis, videlicet in Digeſtis, Inſtitutionibus, Codice, Authenticis, ſeu Novellis Conſtitutionibus, & Libris Feudorum, quibus poſtmodùm acceſſerunt nonnullæ Imperiales Conſtitutiones. *Ius Civile particulare*, ſeu *Municipale*, dicitur illud, quod non obligat totum Populum Romanum, ſed tantùm ſubditos determinati loci, vel Territorij, pro quo illud conditum eſt: ac proinde tale Ius, rectè *Municipale appellatur.* In propoſito potiſſimùm erit Sermo de Jure Civili communi. 156

Reſp. II. Jus Civile dividitur ulteriùs in ſcriptum, & non ſcriptum, *can. Ius Generale. & ſeqq. diſt. 1. & §. Conſtat autem. Inſtit. de Iure nat. gent. civil.* Et hoc ad ſimilitudinem Græcorum, qui Jure partim ſcripto, partim non ſcripto utebantur: nam Jus ſcriptum à civitate Athenienſium; Jus conſuetudinariũ verò magìs à civitate Lacedæmoniorum cuſtodiebatur, *§. Et non ineleganter. Inſtit. eod.* Romani verò utrumque recipiendum & obſervandum cenſuerunt. Itaque 157

Per *Ius non ſcriptum* intelligitur Jus conſuetudinarium, ſive illud, quod diuturnis moribus, tacito utentium conſenſu comprobatis, introducitur: uti ſunt Uſus Feudales. Nec obſtat, quòd hi poſtmodùm in ſcripturam fuerint redacti, prout patet ex duobus Libris Feudorum. Nam ad Jus conſuetudinarium ſufficit, quòd illud primitùs, abſque expreſſo Principis conſenſu, ſolis utentium moribus fuerit introductum: quidquid ſit, an illud poſteà memoriæ causâ in ſcripturam redigatur, nec ne: hoc enim eſt per accidens. 158

Jus ſcriptum econtrà dicitur illud, quod expreſſo conſenſu Principis, ſive Magiſtratûs legis con- 159

condendæ poteſtatem habentis, conſtitutum eſt. Et dicitur, *Jus ſcriptum*, non quòd ſcriptura ſit de eſſentia illius: nam ſi Princeps quidpiam oretenùs in bonum commune ſtatueret, illúdque ſolâ voce præconis Communitati promulgaret absque interventu alicujus ſcripturæ, adhuc illud ad Jus ſcriptum pertineret; eò quòd expreſſo Principis conſenſu conſtitutum fuiſſet. Sed dicitur *Jus ſcriptum*, partim ad differentiam Juris conſuetudinarij, quod *Jus non ſcriptum appellatur*: partim, quia illud communiter in ſcripturam redigi conſuevit, ut hac ratione meliùs promulgari, Poquloq; innoteſcere, ac præ oculis legentium, ad conſervandam perpetuam ejus memoriam, jugiter haberi poſſet. Unde ſcriptura non eſt neceſſaria ad ſubſtantiam legis, ſed juvat ad probationem ejus, *arg. l. Contrahitur. ff. de Pignorib. & cap. 1. de Renunciat. in 6.* ubi Succeſſor Pontifex redegit in ſcriptis Conſtitutionem ſui Prædeceſſoris, ne traderetur oblivioni; & conſequenter Conſtitutio illa priùs valuit, antequàm redigeretur in ſcriptis, prout argumentatur Abbas *cap. 1. n. 19. de Poſtulat. Prælat.*

160 Reſp. III. Jus Civile dividitur etiam in Jus publicum, & privatum, *arg. L. 1. §. Hujus ſtudij. ff. de juſtit. & jure. & §. fin. Inſtit. eod.* ubi ſic legitur: *Hujus ſtudij duæ ſunt poſitiones* (id eſt, diviſiones ſeu ſpecies, ut explicat Gloſſa) *Publicum, & Privatum. Publicum Jus eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat*, ſcilicet principaliter. *Privatum eſt, quod ad ſingulorum utilitatem pertinet*; ſubintellige, principaliter. Nam ſecundariò & hoc ad publicam utilitatem ſpectat: expedit enim Reipublicæ ſalus ſubditorum, ac ne quis ſuâ re malè utatur, *§. Sed & major. Inſtit. De ijs, qui ſui vel alieni Juris &c.* Sicut & viciſſim ſecùndariò, ac per quandam ſequelam, ſingulorum civium eſt utilitas, Rempublicam ſalvam conſervari. Itaque

161 *Jus publicum eſt*, quod ad totum Reipublicæ corpus pertinet, & publicam utilitatem (hoc eſt totius Populi univerſim & collectivè ſumpti) reſpicit, non verò ſingulorum, niſi ſecundariò, & in conſequentiam. Et hujusmodi Jus publicum conſiſtit in tribus, videlicet in *Sacris*. v. g. in Eccleſijs Deo dicatis, *& in Sacerdotibus, & in Magiſtratibus*, ut habetur *in can. Jus publicum. diſt. 1. & L. 1. §. Hujus ſtudij. ff. de juſt. & jure.* Siquidem hæ res, vel perſonæ, principaliter ad ſtatum totius Reipublicæ pertinent: nam per Magiſtratus, & alias Perſonas publicas ipſamet Reſpublica gubernari, & regi debet; atque idcircò conſtituuntur Præfecti, Prætores, Conſules &c. ut juri dicendo præſint. Porrò Eccleſiæ Deo dicatæ, ſicut & aliæ Res ſacræ, atque Sacerdotum Miniſteria, principaliter ordinantur ad hoc, ut ijs mediantibus à tota Republica debitus DEO Cultus jugiter perſolvatur; utpote de quo veriſſimè Propheta vaticinatur, Iſaiæ cap. 60. *Gens enim & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Et plùs Eccleſiæ orationibus, quàm auxilio militari conſiſtere Imperium, ipſimet ultrò confitentur Imperatores, *ſcientes magis religionibus quàm officijs, & labore corporis, vel ſudore Rempublicam contineri*, prout refertur *in can. In qualibet. 23. q. 8.* 162

Et hujusmodi *ius civile publicum* per modernos Juris Civilis Interpretes ſubdividitur in *commune, ſeu antiquum*, de quo in Digeſtis, Codice, Novellis, atque Hiſtoricis Romanorum. Et in *ſpeciale, ſeu hodiernum*, quod poſt translationem Romani Imperij in Germanos, authoritate Sedis Apoſtolicæ factam in perſonam Caroli Magni (ut habetur *c. Venerabilem. 34.* junctâ Gloſsâ *℣. Tranſtulit. & ℣. In Germanos. de Electión*) obſervari cœpit: atque conſiſtit in moderni Romano-Germanici Imperij Conſtitutionibus, utputa in Bulla Aurea Caroli IV. Inſtrumenta Pacis Monaſterienſis 1614. ſolemniter erecto, Capitulationibus Imperatorijs aliiſque Imperij Receſſibus. Chriſtoph. Chlingenſperger *lib. 1. Inſtitut. Iuſtinian. tit.. 1. quæſt. 17.* 163

Jus privatum econtrà dicitur illud, quod principaliter, ſimúlque generaliter, ad ſingulorum utilitatem privatam pertinet: uti fit in Legibus contractuum, Vindicationibus injuriarum, Tutelis, Teſtamentis, ac hujusmodi. Talia ſiquidem principaliter conſiderant commoda hominum privatorum, & concernunt privatas res familiares civium, quamvìs horum proſperitas ſecundariò, & per quandam ſequelam, redùndet etiam in bonum univerſalis Reipublicæ. Additur verò in data definitione Juris privati, *ſimúlque generaliter.* Per hoc ſiquidem Ius privatum commune (de quo duntaxat impræſentiarum ſermo eſt) diſtinguitur ab alio quodam Iure privato, vel ſingulari tantùm, quod *Privilegium* nuncupatur: & pertinet quidem ad privatam utilitatem eorum, quibus conceditur; ſed in ſpecie, ſeu ſingulariter ſolùm, non generaliter, ſicut Jus privatum commune. Mynſinger *§. Hujus autem. n. 6. & 7. Inſtit. de juſt. & jure.* 164

Dices. Omnis lex eſt publica; ergò etiam omne Ius eſt publicum, & conſequenter non rectè Ius dividitur in publicum & privatum. Antecedens patet ex eo; quia lex nequit fieri, niſi authoritate publicâ, & in bonum Reipublicæ, debétque publicè denuntiari Communitati, ut obliget. Reſp. Dato anteced. diſt. conſeq. Ergo etiam omne Ius eſt publicum, authoritate, atque intentione, quatenùs non niſi ab habentibus publicam authoritatem, & in bonum communitatis, condi poteſt. conced. Utilitate, atq; executione ita videlicet, ut non tantùm intentio, verùm etiam executio ipſius publicam utilitatē principaliter concernat. neg. conſeq. Nam Ius commune publicum, prout opponitur privato, eſt id, quod etiam in executione principaliter, ac immediatè publicam utilitatem reſpicit: hoc quippe Iuri privato non convenit, niſi ſecundariò duntaxat.

165 Quæritur III. Ex quibus partibus conſtet Ius Civile? Reſp. I. Si per partes Iuris Civilis intelligere placeat ipſos Libros, ex quibus totū Corpus Iuris Civilis componitur, facilè patebit intuenti citatum Corpus Iuris, quòd hæ ſint *Digeſtum*, ſive quinquaginta Libri Pandectarum: *Inſtitutiones Iuſtiniani*, in quatuor libros diſtributæ, &

fo-

fores quodammodò aperientes volentibus ingredi ad penetralia Iuris: *Codicis Juſtiniani* libri duodecim: *Novellæ* Conſtitutiones, ſive *Liber Authenticorum*: & duo Libri, ſive *Conſuetudines Feudorum.* Quibus poſtmodùm acceſſerunt, atque in recentioribus editionibus appoſitæ habentur Leges Longobardorum, item Leonis Imperatoris, ac nonnullæ aliæ Imperiales Conſtitutiones.

166 Ut autem cognoſcatur, quo ordine præfati Libri Juris Civilis evulgati fuerint, ſicque appareat, quibus veluti poſterioribus legibus potiſſima fides danda ſit, ſi quando contrariæ leges occurrant: patet enim, quòd lex præcedens determinetur per ſequentem, *l. Non eſt novum. & l. ſeq. ff. de Legibus.* imò priorem directè contrariam penitùs tollat, quamvis de ea mentionem non faciat, *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* Hinc ſciendum, quòd anno Chriſti 531. Juſtinianus Auguſtus ex tribus veteribus Codicibus, Gregoriano ſcilicet Hermogeniano, & Theodoſiano, rejectis inde inutilibus, & additis neceſſarijs, Codicem Sacrarum Conſtitutionum primùm ediderit; qui tamen poſteà emendatus, & ſubſtituto ipſi novo Codice abrogatus fuit, neque ampliùs exſtat, *l. un. ff. Repetita. C. de Emendatione Codicis.* Deinde anno 535. *Quinquaginta Libri Digeſtorum*, ſeu *Pandectarum*, in quibus tota Juris Civilis, ex veteri Jure enucleati, & in compendium, novúmque ordinem redacti ratio continetur, authoritate dicti Imperatoris ſunt promulgati. His acceſſerunt *quatuor Inſtitutionum Libri*, circa idem tempus evulgati. Poſteà anno Domini 536. *Codex* jam emendatus, quo etiamnum utimur, priore ſuppreſſo, abſolutus, & publicatus fuit. Ita habet *Annorum Digeſtio per Conſules Romanos*, ad finem Codicis appoſita, id colligens ex die, & Conſulatu, plerisque Conſtitutionibus adſcripto.

167 Poſtremò Iuſtinianus Auguſtus protulit *Novellas Conſtitutiones*, ſive *Authenticorum Librum*, Partem Iuris Civilis præſtantiſſimam, & maximè neceſſariam, ac veluti complementum ipſius. Siquidem hæ ſolæ, utpote poſteriores, cæteris partibus authoritatem addunt, ſolæ detrahunt, ſolæ novam formam & normam attribuunt. Mynſinger *in Proœmio, Inſtit. §. Quorum utramque num.* 11.

168 Nec obſtat, quòd plures authenticæ Conſtitutiones Codici hodie uſitato jam ſuis locis inſertæ habeantur; ſicque Liber Authenticorum videatur anteceſſiſſe ptomulgationem Codicis emendati. Reſp. enim, hujusmodi Authenticas, & quidem plerumque nimis generaliter conceptas, poſteà primùm ſub correſpondentibus legibus Codici inſertas fuiſſe, prout inter alios notat Alexander Sperellus *Deciſ.* 33. *Fori Eccleſiaſtici. n. 8. dicens*, quòd *palàm ſit, Authenticas ab Himerio* (alij hunc unà cum Annotatione ad *can. Si ſervus ſciente. diſt.* 54. appellant Irnerium) *in Codice inſertas, fuiſſe ab Authenticorum Volumine deſumptas.*

169 Et quia hæ generaliter ſolùm conceptæ ſunt, ſimúlque in illis partim aliqua ſatis neceſſaria fuerunt omiſſa, partim nonnulla addita, quæ in Novellis, ex quibus deſumuntur, non habentur (ut patet *in Auth. Quas actiones. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* ubi nonnulla, præſertim circa triennalem rerum mobilium Eccleſiaſticarum præſcriptionem habentur, quæ non exſtant *in Auth. de Eccleſiaſticis Titulis*, unde deſumitur.) Hinc ipſæ fidem non faciunt, niſi in quantùm concordant cum fontibus: hoc eſt, Authenticæ in Codice poſitæ tantùm probant, quantùm correſpondent Novellis, ex quibus deſumptæ ſunt. Engel *Tit. de Præſcription. num.* 82. Chriſtoph. Chlingenſperger *lib. 1. Colleg. Inſtitut. Tit. 15. quæſt. 6. Object.* 2. Porrò Librum Authenticorum eſſe poſteriorem moderno Codice tradit Ægidius Perrinus *in Juſtiniani vita, Libris Inſtitutionum præfixa, circa medium*; atque deſumitur *ex L. un. §. His igitur C. de Emendat. Codicis.* ubi Imperator promittit novam Conſtitutionum congregationem, quæ *Novellarum nomine Conſtitutionum ſignificetur.* 170

Tandem prædictis Iuris Civilis partibus acceſſerunt *Feudorum Conſuetudines*, quas veteres appellare ſolebant *Jura Militaria*, & defactò duobus Libris Feudorum concluduntur. Verùm hæ utpote merâ conſuetudine primitùs introductæ, pro auctore Iuſtinianum Auguſtum non agnoſcunt, ſed continent merum *Ius conſuetudinarium*, quod poſteà pro meliori Poſterorum memoriâ præfatis duobus Libris annotatum fuit. 171

Reſp. II. Loquendo nunc de partibus, ex quibus non ſolùm Corpus Iuris Civilis, ſed ipſi ejusdem Libri conſtant, in eisque totum Ius Civile ſcriptum, veluti in ſuis ſpeciebus conſiſtit, ſic ſunt ſex partes ipſius. Patet *hoc ex §. Conſtat autem. Inſt. de Iure nat. gent. civil.* ubi partes illæ ſequentibus verbis enumerantur. *Scriptum autem Ius eſt Lex, Plebis ſcita, Senatûs-Conſulta, Principum Placita, Magiſtratuum Edicta, Reſponſa Prudentûm.*

Idque accidit ratione triplicis Statûs, ſive Regiminis, nempe Monarchici, Ariſtocratici, & Democratici, quo ſucceſſive uſus fuit Populus Romanus; prout liquet tum ex Livio, aliisque Hiſtoricis, tum ex *l. Neceſſarium ff. de Origine Iuris.* Et quidem in ſtatu Democratico, quo penes Populum fuerat ſuprema poteſtas, potiſſimùm latæ ſunt leges (in ſenſu, quo hîc accipiuntur) ac Plebiſcita. In ſtatu Ariſtocratico, quo penes paucos Optimates, omnia ad publicam utilitatem adminiſtrantes, ut puta penes Senatū, fuerat Principatus, prodierunt Senatûs-Conſulta, & Magiſtratuum Edicta. Ac tandem in ſtatu Monarchico, quo poſt extinctum Pompejū Iulius Cæſar ſolus in Urbe regnavit, atque ſublatâ omni ſpe libertatis recuperandæ populus Romanus, jam ſervitutis jugum ferre aſſuetus, Lege Regiâ latâ omne ſuum Imperium & poteſtatem in Principem contulit, *L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* emanârunt Conſtitutiones, ſive Placita Principum, & Reſponſa Prudentûm. Mynſinger *ff. Senatûs Conſultum. & ſeqq. Inſtit. de Iure nat. gent. civil.* Nunc de ſingulis hiſce partibus loquendo. 172

Lex

173 *Lex* varias quidem habet acceptiones, tamen in propoſito non ſumitur ample, ſive in ſua generali acceptione, prout extenditur ad Legem etiam naturalem, Divinam, & humanam quamcunque, aut prout coincidit cum Jure ſcripto; prout accipitur *in can. Jus generale. & can. Lex. diſt. 1.* Sic enim Lex foret genus ad omnes enumeratas Juris ſcripti ſpecies, eáſque ſub ſe complecteretur, veluti ſuperius ſua inferiora. Igitur *Lex* accipitur hîc in magìs ſpeciali & ſtrictiore ſignificatione, ac prout contradiſtinguitur à præfatis partibus, ſive ſpeciebus Juris Civilis ſcripti: quâ ratione ipſa cumprimìs complectitur Legem duodecim Tabularum, deinde alias leges ſucceſſivè à Populo Romano conditas; atque hâc ratione Lex per causam efficientem deſcribitur *in §. Lex eſt. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* taliter: *Lex eſt, quod Populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat.* Concordat *can. 1. diſt. 2.* Olim ſiquidem, dum ſumma Poteſtas adhuc fuerat penes Populum Romanum, emergente aliqua quæſtione, quæ nondum erat ſoluta per aliam priorem Legem, Populus pulſatâ campanâ convocabatur, & per Senatorium Magiſtratum (hoc eſt, per Majorem eorum, v. g. Conſulem, vice omnium Senatorum loquentem) interrogabatur: *Domini mei, talis quæſtio emergit de novo, quam nondùm invenimus deciſam in noſtro Jure: placétne vobis, ut ad deciſionem illius ſic, vel ſic ſtatuatur?* Et populus ſimul, vel diviſim, clamabat dicens: *Sic fiat, vel ſic fiat.* Et taliter à Populo conſtitutum, interrogante Senatu, dicebatur *Lex.* Gloſſa *cit. §. Conſtat autem. Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.*

174 Nec obſtat *can. Lex. diſt. 1.* ubi dicitur: *Lex eſt conſtitutio ſcripta.* Item textus *L. 1. ff. de Legib.* ibi: *Lex eſt commune præceptum, virorum prudentûm Conſultum, delictorum, quæ ſpontè, vel ignorantiâ contrahuntur, coërctio, communis Reipublicæ ſponſio.* Nam in priori loco deſcribitur Lex in ampliori acceptione, ac prout coincidit cum Jure ſcripto, differtque à Jure Conſuetudinario. Poſterior autem Legis deſcriptio coincidit in re cum ea, quæ ſuperiùs ex *cit. §. Inſtit.* allata eſt: niſi quòd illa detur tum per quidditatem, ac ſubſtantiam Legis, tum per ejus cauſam finalem, atque efficientem; altera verò fiat per ſolam cauſam efficientem. Et hoc ultimum pariter accidit in ſequentibus definitionibus Plebiſciti, & Senatûs-Conſulti &c. cùm & ipſæ dentur per ſolam cauſam efficientem. Igitur

175 *Plebiſcitum* eſt, quod plebs Plebejo Magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituit, *§. Plebiſcitum. Inſtit. eod.* Sive, ut *can. 2. diſt. 2.* habetur, *Plebiſcita ſunt, quæ Plebes tantùm conſtituunt: & vocantur Plebiſcita, quòd ea Plebs ſciat* (hoc eſt, ſciſcat, ſive ſtatuat) *vel quod ſciſcitatur, & rogat, ut fiant.* Hinc Plebiſcitum differt à Lege, in ſenſu proximo explicato acceptâ, quòd hæc conſtituebatur à Populo, illud ſolùm à Plebe. Plebs autem eo modo differt à Populo, quo ſpecies à genere: ſiquidem *Populi* nomen latiùs ſeſe extendit, atque appellatione ejus univerſi Cives ſignificantur, connumeratis etiam Patritijs & Senatoribus: *Plebis* autem appellatione ſine Patritijs, & Senatoribus, ſoli cæteri Cives ſignificantur; prout notatur *cit. §. Plebiſcitum. Inſtit. eod.*

Senatûs-Conſultum eſt, quod Senatus jubet, atque conſtituit, *§. Senatûs-Conſultum. Inſtit. eod. & can. 3. diſt. 2.* Nam, cùm aucto jam Populo Romano difficile fuiſſet, ipſum Legis conſtituendæ gratiâ in unum convocari, æquum viſum eſt, ut non ampliùs univerſus Populus (prout anteà acciderat) ſed ſoli Senatores, quorum centum erant, per Conſulem interrogarentur, ut ſuprà in Lege condenda fiebat. Et quod hi ad commune bonum Reipublicæ decreverant, *Senatûs-Conſultum* appellabatur. 176

Principum Placita, ſive id, *quod Principi placuit, legis habere vigorem*, patet tum ex *L. 1. ff. de Conſtitut. Princip.* Tum *ex §. Sed & quod. Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.* Siquidem Lege Regiâ, quæ de ipſius Imperio lata eſt, Populus in Principem omne imperium ſuum, & poteſtatem tranſtulit; prout ibidem notatur. Et hæc Principum Placita, alio nomine *Conſtitutiones* appellantur, *cit. §. Sed & quod. Inſtit. eod.* Nam magìs ſtrictè, ac propriè loquendo, Lex eſt Populi, Conſtitutiones ſunt Principum. *can. 1. & 4. diſt. 2.* junctâ Gloſsâ *ibid.* & aliâ Gloſsâ *L. un. §. Deciſiones. C. de Emendat. Codicis*, quamvìs & hi termini non rarò inter ſe confundantur. Quinimò, cùm Imperator omne ſuum imperium, & poteſtatem immediatè à Populo acceperit, ſicque quoad jus condendi novas leges eidem ſucceſſerit: ſicut olim, quæ ſtatuebantur à toto Populo, Leges appellabantur, ſic defactò, præſertim magìs ſtrictè loquendo, Jura, ſive Conſtitutiones Principum Sæcularium, communiùs *Leges* nuncupantur, juxta illud jam allegatum; *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* 177

Magiſtratuum Edicta, idem ſunt, ac Edicta Prætorum. Nam, cùm Patres (ut ſcribit Livius *lib. 5. Hiſtoriarum*) rebus, & diuturnis certaminibus victi, alterum Conſulem è Plebe creari permiſiſſent: viciſſim Patribus conceſſum fuit, ut unicus ex ipſis Magiſtratus crearetur, qui à præeſſendo diceretur Prætor. Et hujus quidem tanta erat poteſtas, ut novum Jus condere, ac vetera Jura abrogare ſolus valeret, crevítque poſtmodùm adeò ejus authoritas & honor, ut quod Prætor ipſe dixiſſet, *Jus Honorarium* appellari conſueverit, *§. Prætorum. Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.* Et dicebatur *Honorarium, quòd ad honorem Prætoris venerat;* prout notatur in *L. 2. §. Eodem tempore. ff. de Origine Iuris*, atque ampliùs declarat Mynſinger *§. Prætorum quoque n. 2. & ſeqq. Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.* ſubjungens, quòd creſcente Romano Imperio amplificatus ſit numerus Prætorum, eò quòd unicus non ſufficeret. 178

Tandem *Reſponſa Prudentûm*, ſunt ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum fuerat interrogantibus circa jus reſpondere. Porrò ejuſmodi Prudentes, quibus olim jus reſpondendi ſuper aliquo Iuris articulo à Cæſare conceſſum fuerat, appellabantur *Iuris-Conſulti*: quorum 179

omnium ſententiæ eam authoritatem tenebant, ut Judici recedere ab ipſorum Reſponſis non licuerit. *§. Reſponſa. Inſt. eod.* Ubi tamen obſervat Mynſinger *num. 8. & 9.* quòd ly *omnium* debeat accipi conjunctim, ſeu collectivè: nam ſi non omnes Juris-Conſulti in eandem ſententiam conſenſiſſent, ſed aliqui diſſenſiſſent, haud fuiſſet illicitum ab ea recedere.

§. X.

De Convenientijs, & Differentijs Juris Civilis cum Canonico.

SUMMARIUM.

180. *Convenientiæ & differentiæ Juris utriusque deſumuntur ex omnibus quatuor cauſarum generibus.*
181. *Convenientia utriusque Juris quoad cauſam finalem declaratur.*
182. *Simul & differentia. Et num. ſeqq.*
183. *Iuris Canonici, & Civilis, finis primarius, ac ultimatus qualis?*
184. *Ius Civile docet honeſtè vivere, Iuſtitiam colere &c. in quo ſenſu? Et n. 185.*
185. *Poteſtas Pontificalis, & Imperatoria, ſunt diſtinctæ, ſe tamen mutuò adjuvare debent.*
186. *Jus Civile quoad cauſam efficientem, quomodo conveniat cum Canonico?*
187. *Et quomodo differat?*
188. *Quoad cauſam materialem, quomodo conveniat Jus Civile cum Canonico?*
189. *Et quomodo differat?* *Objectum materiale remotum, ſeu* Materia circa quam *Juris utriusque, quale? d. num. 188.*
190. *Objectum materiale proximum, ſive objectum attributionis utriusque Juris, quale?*
191. *Convenientia, & differentia utriusque Juris quoad cauſam ſuam formalem.*
192. *Plurimæ differentiæ, ſeu contrarietates Juris Civilis à Canonico in caſibus ſpecialibus referuntur, ſed remiſſive.*

180 QUæritur I. In quibus generatim conveniat, & differat Jus Civile à Canonico? Reſp. cum communi, Convenientias & differentias Juris Civilis cum Canonico eſſe multiplices, eásque generatim ex omnibus quatuor cauſarum generibus deſumi poſſe, prout clarè patebit inductione. Et quidem imprimis

181 Quantùm ad cauſam finalem conveniunt, quia utrumque Jus intendit hominem dirigere in bonum commune: Canonicum quidem in bonum commune Eccleſiaſticum, ſeu concernens ſtatum univerſalis Eccleſiæ, ejúsque rectam gubernationem; Civile verò in bonum commune politicum, atque reſpiciens commoda, rectamque gubernationem totius Reipublicæ Civilis. Inſuper conveniunt ex eo: quia utriusque *Juris præcepta ſunt hæc: honeſtè vivere, alterum non lædere, Jus ſuum cuique tribuere*; prout notatur *in §. Juris præcepta. Inſtit. de juſt. & jur.* juncto Procemio Decretalium Gregorij Papæ IX.

182 Differunt tamen ex parte cauſæ finalis ambo Iura plurimùm inter ſe. Primò quidem quoad modum inducendi in bonum commune. Nam Ius Civile intendit hominem inducere in bonum commune, prout congruit humanæ Societati, civiliter, & temporaliter viventi: quod fieri poteſt per legalem Iuſtitiam, & civilem amicitiam. At verò Ius Canonicum intendit hominem dirigere in bonum commune, ſecundùm quod congruit humanæ Societati, non ſolùm civiliter, ſed & chriſtianè viventi, ac tendenti ad ultimum finem ſuum: quod fieri non poteſt, niſi per veram Iuſtitiam Chriſtianam, atque obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, Fidémque (ut loquitur Apoſtolus *ad Galat. cap. 5.*) quæ per charitatem operatur.

Differunt ulteriùs: quia Iuris Canonici finis 183 proximus, primarius, & principaliter intentus, eſt Cultus Divinus, atque obſervantia Iuſtitiæ Chriſtianæ in Populo Fideli: remotus verò, ac mediatus, qui ſequitur ex primario, ſimúlque ultimatus, vita æterna, ſive conſecutio cœleſtis Beatitudinis, quam adipiſcuntur Fideles ritè Ius iſtud obſervantes: ac tandem finis minùs principalis, bonum commune Populi Chriſtiani, quod ex recta obſervantia mandatorum Dei, & SS. Canonum, toti Communitati obvenit; dum tribuitur cuilibet, quod ſuum eſt, & Iuſtitia, cæteræque virtutes undique floreſcunt, ac publica pax & tranquillitas conſervatur. E-contrà Jus Civile reſpicit finem merè temporalem, videlicet politicam Reipublicæ gubernationem, civiúmque pacificam inter ſe Societatem, & quidem principaliter, neque ulteriùs quantùm ex ſe eſt, procedit: prout notavit Pontifex *in c. Exijt. §. Nec quisquam. de Verb. ſignificat. in 6.* ubi ait, quòd *civilis providentia in humanis rebus humanè conſtituit &c. temporalem utilitatem tantùm in conſtituendo proſpiciens.* Hoc ipſum ingenuè fatetur ipſemet Juſtinianus Imperator, *L. 1. §. 1. & 2. C. De novo Codic. faciend.* dum ex illo fine temporali, videlicet, *prolixitatem litium amputare* volens, & *ad ipſius Reipublicæ ſuſtentationem reſpiciens*, novum Codicem faciendum cenſuit. Accedit, quòd primi Legum Civilium Conditores, videlicet Populus Romanus, & Imperatores etiamnum gentiles, veræque Fidei lumine deſtituti, alium finem ſupernaturalem, atque æternam Beatitudinem non agnoverint, neque reſpexerint.

Nec

184 Nec obſtat, quòd Jus Civile doceat honeſtè vivere, juſtitiam colere, neminémque lædere, §. *Juris præcepta. Inſtit. de Juſt. & Jur.* & alibi. Simúlque *Jurisprudentia ſit divinarum & humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia*; ut dicitur §. *Jurisprudentia. Inſtit. eod.* Atque etiam in ipſo Corpore Juris Civilis, prout à Juſtiniano Imperatore Chriſtiano in meliorem, & compendioſiorem formam redactum eſt, plura habeantur de Summa Trinitate & Fide Catholica, & de SS. Eccleſijs, Epiſcopis & Clericis, item & de Hæreticis; eorumque pœnis ac hujusmodi: ſicque non videatur habere finem merè temporalem. Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, quòd operam daturus Juri Civili, ſive addiſcendo, ſive pertractando, poſſit huic ſuo labori finem ſupernaturalem ex propria pia intentione præfigere (qualis dicitur *Finis operantis*) utpote cùm hac ratione quilibet alius actus cæteroquin indifferens, ſive de ſe non malus, ex propria operantis intentione poſſit in Deum, veluti ultimum Finem noſtrum, referri. Negatur tamen, hunc finem ex ſe jam intendi ab ipſomet Jure Civili; cùm per ſe loquendo ordinetur ſolùm ad conſervandum bonum commune Reipublicæ, ipsósque hominum mores informandos, ſecundùm quod expediens videbatur ad pacificam Subditorum converſationem: ſtatúmque Reipublicæ tranquillum manutenendum: hic enim illicò perturbaretur, ſi vitijs apertus daretur aditus, virtutes exularent, & crimina remanerent impunita. Deinde ex allatis rationibus ſolùm ſequitur, quòd Jus Civile per accidens reſpiciat ſalutem ſpiritualem animarũ, in quantùm vitia cohibet, & honeſtè vivere docet: negatur tamen conformiter dictis, hunc finem ab eodem per ſe & directè intendi.

185 Igitur mens Legum Civilium, ipſorúmque Imperatorum, dum quandoque aliqua immiſcent de Religione, ipſisque Eccleſijs, & Clericis, alia non fuit, niſi curæ ſuæ, commiſſionique à Deo ſibi factæ incumbere, procurandi videlicet temporalem ſuorum Subditorum utilitatem, & communem Reipublicæ pacem, quæ per ſciſſuras hæreſum, & ſacrarum rerum profanationem, atque impunitatem vitiorum, vel maximè læditur, & conturbatur: ad altiora verò ſeſe non extendit. Et hoc vel ex eo patet: quia alioquin Jus Civile, ipsique Imperatores ſe extendiſſent ultra poteſtatem ſuam, quam à Deo acceperunt: nam Chriſtus Dominus actibus proprijs, & Dignitatibus diſtinctis, diſcrevit officia Poteſtatis Pontificalis, & Imperatoriæ, *can. Cùm ad verum. & can. Duo ſunt. diſt. 96.* juncto *c. Solitæ. de Major. & Obed.* cum ſimilibus: ita tamen, quòd utraque poteſtas ſeſe mutuò juvare debeat, & quod Sacerdotes efficere docendo non valent, diſciplinæ terrore poteſtas ſæcularis extorqueat, *can. Principes. cum ſeqq. 23. q. 5.* De reliquo autem Principibus Sæculi, ac Regibus Civilibus, vires non ſuppetunt ad tractandum ſpiritualia, & res ad æternam vitam ſpectantes, *arg. can. Benè quidem. diſt. 96. & c. Eccleſia S. Mariæ. de Conſtitut.* cum concordantijs: ſed talia ſpectant ad Jurisdictionem Eccleſiaſticam, Summúmque Pontificem Chriſti in terris Vicarium. Proinde citatæ Leges de SS. Eccleſijs, Clericis, ac hujusmodi diſponentes, aliter non obligant, niſi quatenùs ab Eccleſia ſunt receptæ, & approbatæ, prout ſuo loco ampliùs dicetur. Ex quibus etiam patet, quomodo Jurisprudentia ſit rerum Divinarum & humanarum notitia: nam ipſa eſt talis notitia, quatenus circa res tum Divinas, tum humanas, docet adminiſtrari juſtitiam, arceri injurias, juvátque ad gubernandam Rempublicam, ſemper tamen ſiſtendo intra limites ſuæ Poteſtatis.

Quantùm ad cauſam efficientem attinet, convenit equidem Jus Civile cum Canonico quoad cauſam principalem remotam, ac mediatam: utrumque enim Jus primariò procedit à Deo, tanquam à Supremo Legislatore, *& per quem Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt; per quem Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam.* Proverb. cap. 8. *Non eſt enim Poteſtas, niſi à Deo.* Rom. cap. 13. Qui proinde, quod juſtum eſt, decernit, & promulgat omnia Jura humana, remotè tamen ac mediatè, videlicet mediantibus Romanis Pontificibus, & Imperatoribus, quibus ipſe contulit Poteſtatem Legislativam; prout liquet *ex can. Quo Jure. diſt. 8.* ibi: *Quia ipſa Jura humana per Imperatores, & Reges ſæculi Deus diſtribuit generi humano.* Concordat textus *can. ult. 10. q. 3. & can. Imperatores. 11. q. 3. & L. ult. C. de Præſcript. longi tempor.* junctâ Gloſſâ. *ℽ. Divino*, cum concordantijs per hanc allegatis, ubi notatur, Leges per ora Principum divinitùs, ſive *Divino quodam motu*, eſſe factas, & promulgatas. 186

187 Cæterùm ex parte cauſæ efficientis proximæ, ſeu immediatæ, differentia inter utrumque Jus eſt maxima. Siquidem Jus Canonicum tum per Sanctos Apoſtolos, tum Summos Pontifices, legitimos S. Petri Succeſſores, Chriſtique in terris Vicarios, ſive in Concilijs Generalibus, ſive extra illa conſtitutum, eorumq; authoritate in unum Corpus redactum, & confirmatum fuit: idque poteſtate Eccleſiaſticâ, extendente ſe in univerſum Orbem Chriſtianum, & proximè ac imediatè à Deo acceptâ; uti liquet *ex Matth. cap. 16. & Joan. 21.* ac fuſiùs declaratur *in c. Solitæ. 6. de Majorit. & Obed. & c. Novit. 13. §. Cùm enim de Judicijs. ac Extravag. Unam Sanctam. §. In hac de Majorit. & Obed.* Econtrà Jus Civile vel per Populum Romanum, vel per ſuos Imperatores, & quidem uſque ad Conſtantinum Magnum, Gentiles, ſancitum atque conſtitutum fuit; idque immediatè proveniente à Populo, qui per Legem Regiam omne Imperium ſuum, & Poteſtatem, in Imperatorem contulit, *L. 1. ff. de Conſtit. Principum, & §. Sed & quod. Inſtit. de Jure nat. gent. & civil.* Simúlque non pro toto Orbe terrarum, ſed pro ſolis Regnis, ac Provincijs, Romano Imperio ſubjectis; prout inter alia conſtat *ex c. Super ſpecula. 28. de Privileg.* ibi: *Quia tamen in Francia, & nonnullis Provincijs, Laici Romanorum Imperatorum legibus non utuntur.*

188 Quoad cauſam materialem Jus Civile convenit cum Canonico in hoc, quòd utriusque Juris objectum materiale remotum, ſive *Materia circa quam*, ſint Perſonæ, Res, & Actiones ſive Judicia. De his ſiquidem non tantùm Jus Civile per totum tractat, *arg. L. 1. ff. de Statu homin.* ibi: *Omne Jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones*: ſed etiam Jus Canonicum, utpote in Primo, Tertio, & Quarto Decretalium præcipuè tractans de Perſonis, & Rebus Eccleſiaſticis; in Secundo autem, & Quinto, de Actionibus tum civilibus, tum criminalibus.

189 Differt autem ſecundùm cauſam materialem Jus Civile à Canonico, quòd iſtud præcipuè verſetur circa perſonas, resq; ſacras, & Eccleſiaſticas, ut puta circa Epiſcopos, Clericos tum Sæculares, tum Regulares, Eccleſias, & Eccleſiaſtica Beneficia, nec non Sacramenta novæ Legis, & alia hujusmodi, ad rectam Eccleſiæ gubernationem, ſalutem animarum, & ſpiritualem Fidelium profectum pertinentia, unà cum annexis cauſis judiciariis, & actionibus huc ſpectantibus: &, ſi quandoque nonnulla profana immiſceat, v. g. agendo de Contractibus & Teſtamentis, hæc ipſa præcipuè in ordine ad memoratas perſonas, vel res ſacras contemplatur, cavendo ſimul vel maximè, ne ulla in talibus peccati labes irrepat, v. g. ne res Eccleſiæ illicitè alienentur, ne in contractibus, vel teſtamentis, aut horum executione iniquitas committatur, &c. Econtrà Jus Civile verſatur circa perſonas, res, & actiones merè profanas & civiles, ac prout hæ conſtituunt ipſam Rempublicam politicam, atque tranquillam ejus gubernationem, & pacificam duntaxat Civium inter ſe converſationem reſpiciunt.

190 Additur notanter *Objectum materiale remotum, ſive Materia circa quam &c.* Nam loquendo de objecto materiali proximo, quod una cum formali conſtituit unum objectum adæquatum attributionis utriusque Juris, ſic illud eſt homo dirigibilis ſecundùm boni & æqui rationem, ipſiúsque Juris præſcriptum: ad hoc enim, ut homo tali ratione rectè dirigatur, tractat utrumq; jus, & de perſonis, & de rebus, & de actionibus: & in hoc proinde convenit utrumq; Jus. Differt tamen Jus Civile à Canonico taliter, ſecundùm rationem formalem conſiderando hominem: nam Jus Civile conſiderat hominē ut dirigibilē in bonum commune Reipublicæ politicæ, & ad pacificam Civium inter ſe ſocietatem; neque ultrà progreditur: Canonicum verò reſpicit hominem ut dirigibilem principaliter in Deum, atque conſequendam ultimatè vitam æternam; & minùs principaliter, ut dirigibilem in bonum commune Statûs Eccleſiaſtici, Populique Chriſtiani, juxta Gloſſam *in Reg. 2. Juris in 6. ℣. Pro Expeditione*, eſtque dictum ſuprà *num. 43. & num.* 183. *& ſeqq.*

Et per hoc ultimum patet etiam convenientia, & differentia Juris utriusque quoad cauſam 191
ſuam formalem; illa enim habetur ex eo, quòd unumquodque eorum dirigat hominem in bonum commune, atque ſub hac ratione tractet & de perſonis & de rebus, & de actionibus: iſta verò, nimirum differentia ipſorum, deſumitur ex diverſa dirigibilitate hominis, ejúsque directione jam explicata. Patet inſuper, magísque clareſcit excellentia Juris Canonici præ Civili: ea ſiquidem non ex ſolo fine (de quo ſuprà *num.* 42. *& num.* 182. & 183. jam dictum) ſed ab omnibus quatuor cauſarū generibus rectè deſumitur, ponderando differentias utriusq; juxta quatuor genera cauſarum proximè declaratas.

Quæritur II. In quibus caſibus, ſive materiis in ſpecie, Jus Civile differat à Canonico? Reſp.
Ejusmodi caſus ſunt plures, adeò ut Galvaccus 192
Bononienſis, *Tom. 1. Tractatuum, tract. De Differentiis Legum & Canonum*, nonaginta octo, & poſt ipſum Proſdócimus de Comitibus ultra centum & ſexaginta tales differentias, ſeu contrarietates inter Jus utrumque adducat. Quinimò Baptiſta à S. Blaſio. *eod. Tom. 1. tract. Contradictionum Juris Canonici cum Jure Civili*, duas Centurias hujusmodi differentiarum, ſeu contrarietatum inter Jus Civile, & Canonicum, recenſet. Ipſarum aliquas, cæteris dimiſſis, ſequens Paragraphus exhibebit.

§. XI.

Quinquaginta Differentiæ, ſeu Contrarietates ſpeciales inter utrumque Jus breviter referuntur.

SUMMARIUM.

193. *Differentiæ, ſeu Contrarietates ſpeciales inter utrumque Jus, generatim ad quinque capita reducuntur.*

194. *Referuntur aliquæ, quæ concernunt materiam Conſcientiæ, & periculum peccati.*

195. *Aliæ contrarietates inter Jus utrumque quoad Res Eccleſiaſticas, & ſpirituales.*

196. *Quoad Proceſſum Judiciarium plures inter Jus utrumque differentiæ enumerantur.*

197. *Differentiæ nonnullæ Juris utriusque circa alias materias profanas extra Proceſſum Judiciarium recenſentur.*

198. *Plures inter Jus utrumque dantur differentiæ quantùm ad pœnas.*

199. *Pœna ſanguinis nunquam imponitur per Sacros Canones.*

Eccleſia non utitur gladio materiali, ſed ſpirituali. Ibid.

200. *Mortis nomine, qualis intelligatur in Sacris Canonibus?*

Diffe-

193 Differentiæ, ſeu Contrarietates ſpeciales inter Jus utrumque repertæ, generatim ad quinque capita reducuntur. Vel enim concernunt materiam conſcientiæ, & ubi periculum imminet peccati: vel Res Eccleſiaſticas, & Spirituales: vel Proceſſum Judiciarium: vel res, ſeu materias profanas: vel pœnas delinquentibus debitas. Et quidem, quantùm ad primum capitulum, prima inter utrumque Ius differentia eſt: quia

I. De Iure Civili, Poſſeſſor malæ fidei res ſic
194 poſſeſſas præſcribit tempore longiſſimo, *l. Sicut. & l. Omnes. & l. Cùm notiſſimi. C. de Præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* Secùs eſt de Iure Canonico, *cap. ult. de Præſcript.* ubi Leges Civiles allegatæ, velut nutritivæ peccati, expreſsè revocantur.

II. Pactum factum patri à filia, dum nuptui tradebatur, quòd contenta eſſe cum dote, ac nullum ad bona paterna velit habere regreſſum, non valet de Iure Civili, quamvìs ſit juratum, *l. Pactum Dotali. C. de Collationibus*, junctâ *L. ult. C. de Pactis*, ubi pacta de ſuccedendo, vel non ſuccedendo, velut contra bonos mores inita repelluntur. Secùs dicendum de Iure Canonico, *c. Quamvis. de Pactis in 6.* Eò, quòd obſervatio talis Iuramenti non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, neque redundet in alterius detrimentum.

III. Secundùm Canones, Iuramentum in Pupillo doli capace ſervandum eſt, ac proinde valet *arg. can. Parvuli.* 22. *q.* 5. juncto *cap. 1. de Delictis puerorum.* Secùs videtur eſſe de Iure Civili, *arg. l. Sacramenta puberum. C. Si adversùs venditionem &c. & l. Qui juráſſe. ff. de Jurejurando.*

IV. De Iure Canonico non licet jurare per creaturas, *can. Conſiderate. & can. Si quis per capillum.* 22. *q.* 1. præterquàm per ſanctaEvangelia, Altare, & Sanctorum Reliquias, *arg. can. Si aliqua cauſa. & can. Habemus.* 22. *q.* 1. Sed ſpectato Iure Civili licitum eſt jurare per creaturas, dummodò non juretur per capillos Dei, vel caput ejus, neque alijs verbis blaſphemis, *l. Non erit ratum. ff. de Jurejurando.* junctâ *Auth. Ut non luxurientur homines &c. Collat.* 6.

V. De Iure Civili filiusfamilias ſine patris authoritate voto non obligatur, *l. Si quis rem. ff. de Pollicitat.* Secùs eſt de Iure Canonico, *arg. can. Puella.* 20. *q.* 1. *& can. Puellæ.* 20. *q.* 2. cum concordantijs.

VI. De Iure Civili debent ordinandi aliquid offerre Epiſcopo ordinanti, juxta *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis. §.* 1. *Collat.* 9. Secùs eſt de Iure Canonico: imò id cenſetur ſimoniacum, *can. Ordinationes.* 1. *q.* 1. *& can. Sicut Epiſcopum.* 1. *q.* 2. ac ſimilibus.

VII. De Jure Canonico uſuræ ſub graviſſimis pœnis prohibitæ ſunt, & pertinaciter aſſerens, exercere uſuras non eſſe peccatum, veluti Hæreticus punitur, *cap.* 4. *de Uſuris*, junctâ *Clement. un. eod.* & alibi. At ſecundùm Leges, uſuræ vel cenſentur licitæ, *L.* 1. *ff. de Uſuris.* ibi: *Placuit, licitas Uſuras peti poſſe.* junctâ *l. Eos qui. C. eod.* cum concordantijs; vel ſaltem ibidem permittuntur.

VIII. Secundùm Canones non eſt licitum, aliquid facere ad oſtentationem virium, *cap. un. de Torneamentis.* Benè tamen ſecundùm Leges, *l. Solent. & l. Quibus rebus. ff. de Aleæ luſu.*

IX. De Jure Civili licitum eſt patri occidere adulterum in flagranti crimine cum filia deprehenſum, dùmmodò & filiam occidat, *l. Patri. & ſeqq. ff. ad Legem Juliam. de Adulterijs.* Idémque permittitur marito reſpectu certarum perſonarum, ſi deprehendantur in adulterio cum uxore ſua, *l. Marito ff. eod.* Utrumque horum execrantur Sacri Canones, *can. Si non licet.* 23. *q.* 5. *& can. Inter hæc. & can. Admonere.* 33. *q.* 2.

X. De Jure Canonico, quando conjux cauſâ captivitatis, vel peregrinationis, aut hujusmodi, diutiùs abeſt, non licet alteri conjugi novum Matrimonium inire, donec certum nuntium acceperit de morte prioris conjugis, *c. In præſentia 19. De Sponſalibus. & c. Dominus. 2. de ſecundis Nuptijs.* Secùs eſt de Jure Civili, nam juxta hoc, ſi non conſtet priorem conjugem eſſe ſuperſtitem, ſufficit exſpectare per quinquenniũ; quo elapſo, & altero conjuge non comparente, permittitur novum Matrimonium, *Auth. de Nuptijs. §. Sed & Captivitatis. Collat.* 4. cum concordantijs.

XI. De Jure Civili Matrimonium, etiam conſummatum, diſſolvitur quoad vinculum per ingreſſum Religionis; quia Religionem ingrediens, quantùm ad Matrimonium, videtur mori, *Auth. de Nuptijs. §. Diſtrahuntur. Collat.* 4. Secundùm Canones diſſolvitur duntaxat Matrimonium ratum, non conſummatum, *c. Verùm.* 2. *& c. Ex publico.* 7. *de Converſion. Conjugator.*

XII. De Jure Civili requiritur conſenſus Parentum ad validitatem Matrimonij; adeò, quòd ſine eo nuptiæ non conſiſtant, *l. Nuptiæ. ff. de Ritu nuptiarum. & l. Nec filium. C. de Nuptijs. & §.* 1. *Inſtit. eod.* Secùs eſt ſpectato Jure Canonico, ubi talis conſenſus non requiritur, niſi de honeſtate, *can. Sufficiat.* 27. *q.* 2. *& can. Hoc Sanctum.* 32. *q.* 2. juncto Concilio Tridentino. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* ubi oppoſitum aſſerentes, anathemate damnantur.

XIII. De Iure Civili poſſunt Conſobrini, ſeu duorum fratrum vel ſororum Liberi, licitè Matrimonium contrahere, *l. Celebrandis. C. de Nuptijs. & §. Duorum fratrum. Inſtit. eod.* Non ſic de Jure Canonico, *c. Non debet. de Conſang. & affinit.* ac alibi.

XIV. De Jure Civili cum ancillis, hoc eſt, mancipijs, non poteſt eſſe connubium, ſive Matrimonium, ſed tantùm contubernium, *l. Cum ancillis. C. de Inceſtis*: ac proinde ſervi ob violatum contubernium ſuum adulterij crimine non poſſunt accuſari, *l. Servi. C. ad Leg. Jul. de Adulterijs.* Secùs eſt de Iure Canonico, *cap.* 1. *&* 2. *de Conjugio ſervorum.*

XV. De Jure Civili vox unius teſtis non admittitur in quacunque causâ, quantumvis teſtis ille ſit magnæ authoritatis, *l. Jurisjurandi. C. de Teſtibus.* De Jure Canonico ad dictum ſolius matris, de impedimento deponentis, impeditur Ma-

Matrimonium contrahendum, *c. Super eo. 22. de Teſtibus.* Idque ad devitandum omne periculum peccati, ſi forſan ſubeſſet impedimentum dirimens. Tacentur nonnulla alia hujusmodi diſcrimina.

195 Quantùm ad Res Eccleſiaſticas, & Spirituales, præter jam enumeratas, multiplex adhuc inter utrumque Jus datur differentia. Siquidem ulteriùs, &c.

XVI. De Jure Canonico gradus Conſanguinitatis ita computantur, ut duo fratres ſint in primo gradu, & filij duorum fratrum in ſecundo gradu conjuncti, *can. Ad Sedem. & can. ult. 35. q. 5.* De Iure Civili autem duo fratres in ſecundo, & filij eorum in quarto Conſanguinitatis gradu exiſtunt, §. *Secundo gradu. & ſeqq. Inſtit. de Gradibus cognationum. & cit. can. Ad ſedem. 35. q. 5.*

XVII. De Iure Canonico, Patronus laicus præſentans indignum ad Beneficiũ Eccleſiaſticum, non privatur eâ vice jure præſentandi, ſed jubendus eſt præſentare alium, *arg. c. Cùm vos. 4.* junctâ Gloſsâ ℣. *Minùs idoneæ. de Officio Ordinarij.* Secùs eſt de Jure Civili: nam juxta hoc devolvitur tunc jus præſentandi ad Superiorem, v. g. ad Epiſcopum, *Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis. §. Si quis Oratorij. Collat. 9.*

XVIII. De Jure Civili, Clericis cenſetur eſſe prohibitum jurare, *l. Cùm Clericis. C. de Epiſcopis & Cleric.* De Jure Canonico econtà Clerici, imò & Religioſi, ex cauſa juſta jurare poſſunt, *c. Cæterùm. 5. de Jurament. calumn. & c. Etſi Chriſtus. 26. de Jurejurand.*

XIX. Secundùm Canones, ille Locus dicitur religioſus, qui ad cultum Religionis authoritate Epiſcopi deſtinatus fuit, *c. Ad hæc. 4. de Religioſ. Domib. & can. Nemo Eccleſiam. de Conſecrat. diſt. 1.* Econtrà ſecundùm Leges, Locus dicitur religioſus, in quo homo mortuus ſepultus eſt, *l. Locum. & l. Cùm in diverſis. ff. de Religioſis, & ſumpt. funer.*

XX. De Jure Canonico confugiens ad Eccleſiam gaudet Immunitate Eccleſiaſticâ, niſi fuerit publicus latro, vel nocturnus Depopulator agrorum. *c. Inter alia. 6. de Immunit. Eccleſ.* Aut niſi commiſerit aliud Crimen in Bullâ Gregorij Papæ XIV. quæ incipit, *Cùm aliàs*, exceptum. De Jure Civili ulteriùs dictâ Immunitate non gaudent Homicidæ quicunque, Adulteri, & Raptores virginum, *Auth. de Mandatis Principum. §. Sed neque. Collat. 3.*

XXI. De Jure Civili Imperator poteſt Eccleſijs, ac Perſonis Eccleſiaſticis, imponere collectas, *l. Nemini. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Secùs eſt de Jure Canonico, *c. Non minùs. & c. Adversùs de Immunit. Eccleſ. & Clem. un. eod.*

XXII. De Iure Civili in alienatione Rerum Eccleſiaſticarum immobilium certæ ſolemnitates ſunt obſervandæ, quæ præſcribuntur in *Auth. Hoc Ius porrectum. C. de Sacroſanctis Eccleſijs.* De Jure Canonico autem illæ non requiruntur, ſed ſufficit, ac neceſſe eſt eas obſervare, quæ habentur *toto Tit. De Rebus Eccleſiæ non alienand.* ac præſertim *in Extravag. Ambitioſæ. eod.*

XXIII. De Jure Civili mortuorum corpora intra Civitatem ſepeliri prohibitum eſt, *l. Mortuorum de Religioſis, & ſumpt. funer.* De Jure Canonico ſepeliuntur in Eccleſijs, & Cæmeterijs, *can. Cùm gravia. & can. Nullus. 13. q. 2.* & alibi.

XXIV. Secundùm Canones manifeſtus Uſurarius non poteſt Teſtamentum facere, & factum non valet, niſi de uſuris ſatisfecerit, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum idoneam cautionem præſtiterit, *c. Quamquàm §. fin. de Uſuris in 6.* De Jure Civili hoc non reperitur ſtatutum.

Quoad Proceſſum Judiciarium plura inter utrumque Jus habentur diſcrimina: ſic enim 196

XXV. De Jure Civili ex pacto nudo non naſcitur actio, *l. Iurisgentium. §. Quinimò. ff. de Pactis.* Secùs eſt de Jure Canonico, *cap. 1. de Pactis.*

XXVI. De Jure Canonico in omni Reſcripto Papæ ſubintelligitur illa clauſula, *Si preces veritate nituntur*, licèt non apponatur, *c. Ex parte 2. de Reſcriptis.* Verùm de Jure Civili clauſula illa neceſſariò eſt apponenda; alioquin non valent Reſcripta Principis, *l. Univerſa. 7. C. de Diverſis Reſcriptis.*

XXVII. De Iure Canonico non eſt neceſſe, in Libello exprimere nomen actionis, *c. Dilecti. 6. de Iudicijs.* Secùs loquendo de rigore Iuris Civilis, *arg. L. 1. §. 1. ff. de Edendo.*

XXVIII. Secundùm Canones, Judex ordinarius poteſt recuſari ut ſuſpectus ex cauſa juſta, & ritè probata coram Arbitris, *c. Cùm ſpeciali. 61. de Appellat.* Secundùm Leges autem Judex ordinarius ex toto recuſari nequit, ſed ipſi ratione ſuſpicionis aſſociatur Epiſcopus, ut ambo ſimul in cauſa procedant, *Auth. Si verò contigerit. C. de Iudicijs:* quidquid ſit, an hoc, quod de aſſociatione Epiſcopi dicitur, de conſuetudine ſit receptum, nec ne.

XXIX. De Jure Canonico, non licet Judici ſæculari etiam incidenter cognoſcere de Cauſa ſpirituali, *c. Tuam. 3. de Ordine cognition. & c. Cauſam. 4. & c. Tuam. 5. Qui Filij ſint legitimi.* Secùs foret ſecundùm Leges dicendum, *arg. l. Cui Iurisdictio ff. de Iurisdict. omn. Judic. & l. Quoties. C. de Judicijs.*

XXX. De Jure Civili, ſenes & valetudinarij teſtimonium inviti ferre non compelluntur. *l. Inviti. ff. de Teſtibus.* Secundùm Canones autem ad detegendum peccatum proximi, compelluntur tales ferre teſtimonium, *c. Si qui teſtium. 8. de Teſtibus.* junctâ Gloſsâ. ℣. *Valetudinarij. & can. Quisquis. 11. q. 3. & cap. 1. de Crimine falſi.*

XXXI. De Jure Canonico poteſt à quocunque Judice appellari ad Papam, etiam omiſſis intermediis, *can. Ad Romanam. 2. q. 6. & c. Si duobus. 7. de Appellat.* & alibi. Secùs eſt de Jure Civili, ubi non rectè appellatur ab Inferioribus ad Imperatorem omiſſis medijs, *l. Imperatores. 21. ff. de Appellation.*

XXXII. Secundùm Canones à ſententia Epiſcopi debet appellari vel ad Metropolitanum, *arg. c. Duo ſunt. 9. de officio Ordinarij:* vel ad Summum Pontificem, *d. can. Ad Romanam. 2. q. 6.* Secundùm Leges poſſet appellari ad Judicẽ ſæcula-

cula-

cularem loci, *Auth. Si quis litigantium. C. de Epiſcopal. Audient.*

XXXIII. De Jure Canonico, Judex à quo appellatum eſt in una cauſa, poteſt pendente appellatione per appellantem ut ſuſpectus recuſari in alia cauſa, *c. Ad hæc, ſi in qua. 6. & c. Propoſuit. 24. de Appellation.* Non ſic de Jure Civili, *L. un. ff. Apud eum à quo appellatur &c.*

XXXIV. Secundùm Leges, quando cauſa excedit ſum̃am centum aureorum, Judex delegatus Sportularum nomine accipit duos aureos à qualibet parte in exordio litis, & alios duos in fine ipſius, *Auth. de Judicibus.* §. *Ne autem. Collat. 6.* Secùs de Jure Canonico, ubi præter moderatas expenſas, ac ſponte oblata modica eſculenta, vel poculenta, Sportularum nomine nihil recipere poteſt, *c. Cùm ab omni. 10. de vita & honeſt. Cleric. & c. Statutum.* §. *Inſuper. 11. de Reſcriptis in 6.*

197 Quoad alias Res, ſeu materias profanas extra Proceſſum Judiciarium, habetur etiam multiplex diſcrimen inter utrumque Jus. Etenim

XXXV. Secundùm Canones per *Novale* intelligitur illa terra, quæ de novo reducta eſt ad culturam, de cujus culturâ in præteritum factâ non extat memoria hominum, *c. Quid per Novale. 21. de Verb. ſignif.* Secundùm Leges autem, *Novale* eſt terra præciſa, quæ anno ceſſavit arari, ut poſteà uberiores fructus producat, *l. Sylva cædua. ff. de Verb. ſignif.* Et hinc, ſi in Privilegio, vel ultima voluntate, fiat diſpoſitio aliqua de Novali, terminus iſte erit interpretandus juxta ſtylum cujuslibet Fori.

XXXVI. Secundùm Canones, *Provincia* dicitur, quæ habet unum Archiepiſcopum, & decem vel undecim Suffraganeos Epiſcopos, *can. Scitote. 6. q. 3.* Secundùm Leges *Provinciæ* appellantur, quæ reguntur per proprios Præſides, *arg. L. 1. & ſeqq. ff. de Officio Præſidis.* Et cùm hodie ſingulæ Civitates habeant ſua Regimina, quælibet Civitas poteſt dici Provincia: & ſic, qui ſunt in eadem Civitate, cenſentur eſſe in una Provincia, alias extrà *arg. L. ult. C.* junctâ Gloſſâ, *℣. Id eſt in una Provinciâ. de Præſcript. longi temp.* Hieron. Zanetinus. *Tom. 1. Tractat. tract. de Different. Juris Civil. & Canon. n. 19.*

XXXVII. Secundùm Jus Civile ætas virilis interpretatur eſſe viginti quinque annorum, *L. 1. ff. de Minorib. & L. ult. C. De his, qui veniam ætatis &c.* Secùs dicendum de Jure Canonico, utpote ad ætatem virilem requirente triginta annos, *can. Epiſcopus. diſt. 77.* ibi: *ante triginta Annos, id eſt, antequàm ad viri perfecti ætatem perveniat.*

XXXVIII. De Jure Civili requiruntur ad ſubſtantiam Teſtamenti non privilegiati ſeptem Teſtes, *l. Hâc conſultiſſimâ. & l. Si unus. C. de Teſtamentis*, cum concordantijs. Secùs de Jure Canonico, *c. Cùm eſſet. 10. & c. Relatum. 11. de Teſtament.* Item ſecundùm Canones, Legatum rei alienæ non valet, *arg. c. Filius. 5. de Teſtament.* Secùs eſt juxta Leges, dum quis ſcienter legavit rem alienam, *cit. c. Filij. & l. Cùm alienam rem. C. de Legatis*, & alibi.

XXXIX. De Jure Civili non valet inſtitutio hæredis nutu facta; nam nomen hæredis aut ſcripturâ, aut voce per Teſtatorem coram teſtibus exprimendum eſt, *l. Jubemus. C. de Teſtamentis.* Secùs dicendum de æquitate Canonica, juxta Gloſſam *in c. Cum tibi. 13. ℣. Diſpoſitionem de Teſtament.* & ampliùs declarat Abbas ibidem.

XL. De Jure Canonico, poteſt quis voluntatem ſuam teſtandi committere in alterius diſpoſitionem, *c. Cùm tibi 13. de Teſtamentis.* Secùs dicendum de Jure Civili, *l. Illa inſtitutio. & l. Captatorias. ff. de Hæredibus inſtituendis.*

XLI. De Jure Civili, filijs ſpurijs, ſive ex damnato complexu procreatis, poſſunt parentes etiam alimenta negare, *Auth. Ex Complexu C. de Inceſt. & Auth. Licet Patri. ff. fin. C. de Natural. liberis*, junct. cap. *Per venerabilem.* §. *fin. Qui filij ſint legitimi.* Secùs dicendum de Jure Canonico, *c. Cùm haberet. ff. fin. De eo, qui duxit in Matrim. &c.*

Pœnas quòd attinet, differunt ambo Jura ab invicem plùs, quàm in alijs. Sic quippe, ac 198

XLII. De Jure Civili, vidua non poteſt nubere intra annum luctûs abſque pœna infamiæ, *L. 1. & ſeqq. C. de Secundis Nuptijs.* At de Jure Canonico poteſt liberè nubere, cui voluerit, ſine pœna infamiæ, *cap. penult. & ult. de Secundis Nuptijs*, juxta permiſſionem Apoſtoli, *1. Corinth. 7.*

XLIII. De Jure Canonico, bona Hæreticorum confiſcantur ipſo Jure, *c. Cùm ſecundùm. de Hæreticis, in 6.* Secundùm Leges iſta pœna non incurritur.

XLIV. Secundùm Canones Actor petens plùs re, loco, vel causâ, condemnatur ſimpliciter in expenſas, ſive ad reſarciendum damnum, ac intereſſe, quod ex ſua plùs petitione Reo evênit, *cap. un. De plùs petitionibus*, & tradunt ibidem Doctores. At ſecundùm Leges condemnatur ulteriùs in triplo ejus, quod ob majorem quantitatem Libello conventionis inſertam, executoribus litium Sportularum nomine præſtandum fuit, *ff. Triplici verò. Inſtit. de Action.*

XLV. De Jure Civili, carcer eſt inductus ad cuſtodiam, non ad pœnam, *l. Aut damnum.* §. *Solent. ff. de Pœnis.* ubi idcircò redarguuntur Præſides, qui quosdam ſolebant ad perpetuos carceres damnare. Secùs eſt de Jure Canonico, *c. Quamquam. 3. de Pœnis. in 6.* ubi delinquentes permittuntur puniri carceribus, vel in perpetuum, vel ad tempus.

XLVI. De Jure Civili, ſi unus percuſſit primò & vulneravit, alter verò vulneratum omninò occidat, primus non tenetur, niſi de percuſſione & vulnere, *arg. l. Huic ſcripturæ. ff. ad Legem Aquiliam.* Secùs dicendum de Jure Canonico, *arg. can. Si quatuor.* junctâ Gloſſâ. *℣. Quicunque 23. q. 8. & c. Significâſti.* cum Gloſſâ, *℣. Quod ſic diſcerni. de Homicid.*

XLVII. Secundùm Canones, fugiens è bello infamis eſt, *can. Infames. 6. q. 1.* Secundùm Leges punitur capite, *l. Omne.* §. *Qui in Acie. ff. de Re militari.*

XLVIII.

XLVIII. Inſuper fabricator Libelli famoſi, aut hunc alijs manifeſtans, juxta Jus Civile punitur pœnâ capitis, *L. un. C. de Libellis famoſis.* Secùs eſt de Jure Canonico, ubi talis punitur pœnâ Excommunicationis, aut flagellationis, *can. Qui in alterius. & can. Si qui inventi. 5. q. 1.*

XLIX. Simile quid accidit in pœnis contra alia crimina ſtatutis. Sic enim de Jure Civili (conſideratis tamen ſimul ſeptem illis modis, videlicet causâ, Perſonâ, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu, de quibus habetur *l. aut facta ff. de Pœnis.*) Sacrilegi capite plectuntur, *Sacrilegi. ff. Ad Legem Juliam Peculatus.* Incendiarij ignibus necantur, *l. Qui ædes. ff. de Incendio.* Peccans cum fœmina contra naturam, plectitur capite, *l. Cùm vir. C. Ad Leg. Juliam, de Adulterijs.* Et pleraque alia crimina graviora de rigore Juris Civilis pœnâ mortis puniuntur. Secùs eſt de Jure Canonico, ubi talium criminum Rei, ſi Clerici fuerint, excommunicantur, interdicuntur, vel à ſuis Officijs, & Beneficijs ſuſpenduntur, incarcerantur, deponuntur, aut omninò degradantur, & traduntur Curiæ ſæculari, vel mittuntur in exilium, aut etiam ad triremes: Laicis verò criminoſis tum pœna Excommunicationis, aut Interdicti, tum publica pœnitentia imponitur; prout liquet tum ex Canonibus SS. Apoſtolorum, illíſque, qui *Canones Pœnitentiales* intitulantur, & habentur ad finem Decreti Gratiani; tum ex diſcurſu totius Juris Canonici.

199 L. Pœna ſanguinis per Leges frequenter injungi conſuevit: at verò generaliter loquendo, per Sacros Canones nunquam imponitur pœna ſanguinis, hoc eſt, mortis corporalis, vel mutilationis. Siquidem Eccleſia criminoſos non materiali gladio, ſed ſpirituali feriri jubet, illo videlicet gladio, quo B. Petrus jubetur mactare, & manducare, *Actor. cap. 10.* Simúlque *Sancta Dei Eccleſia gladium non habet niſi ſpiritualem: Non occidit ſed vivificat;* prout notatur *can. Interfectores. §. In hoc. & can. Inter hæc. 33. q. 2.* Et hinc

200 Si per Canones ſermo fiat de morte, prout fit, *cap. 1. de Homicid.* id non de morte corporali, ſed de morte Civili, atque Eccleſiaſticâ, hoc eſt, de Excommunicatione majori accipiendum erit, *arg. c. Per venerabilem. §. Sunt autem. Qui filij ſint legitimi*, ibi: *Cujus* (Apoſtolica Sedes) *ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit obſervare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam, velut mortuus à communione Fidelium ſeparari.* Abbas Panormit. *in cit. cap. 1. n. 2. de Homicid.* & alij.

§. XII.

De Concordatione Jurium, & obſervandis circa manifeſtam eorum Contrarietatem.

SUMMARIUM.

201. *Jura Juribus, quantùm fieri poteſt, ſunt concordanda.*
202. *Correctio Jurium eſt odioſa.*
203. *Apparens Jurium contrarietas eſt concilianda.*
204. *Salvâ tamen verborum proprietate.*
205. *In eadem Compilatione non eſt admittenda contrarietas.*
206. *Sicut nec in Codice Juſtiniano.*
207. *Niſi poſterior Canon expreſſè deroget priori.*
208. *Lex abrogata non ſuperfluit in Jure.*
209. *An, & quando Lex abrogata poſſit allegari? Et num.* 208.
210. *Præſertim ob ſui rationem?*
211. *Ubi eſt manifeſta Jurium contrarietas, ſtandum eſt poſteriori deciſioni. Et num. ſeqq.*
212. *Lex poſteriori revocat priorem directè contrariam, etiam non factâ ejus mentione. Et num.* 212.
213. *Papa, ſicut & Imperator, cenſetur omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui habere.*
214. & 215. *In quo ſenſu iſtud Dictum procedat?*
216. *Solvitur inſtantia* ex c. Præterea diſt. 23. *ubi Pontifex ſibi metuit de oblivione.*
217. *Quid ſit obſervandum circa manifeſtas contrarietates Juris Canonici, & Civilis? Et num. ſeqq.*
218. *Nec Imperator Jura Pontificatûs arripere debet, nec Papa uſurpat Jura Imperatoria.*
219. *Ubi verſatur periculum animarum, Jus Canonicum in omni Foro, ac etiam in Terris Imperij, eſt obſervandum.*
220. *Idem dicendum de Juramentis, Contractu Matrimoniali, alijsq; rebus ſpiritualibus pœnisq; Eccleſiaſticis.*
221. *Item de cauſis miſerabilium perſonarum.*
222. *Et de caſibus, in quibus agitur de naturali æquitate, vel vitando iniquo rigore.*
223. *Quid obſervandum in Contractibus, Feudis, Teſtamentis, Proceſſu Judiciario, ac hujuſmodi, quando Jus Canonicum contrariatur Civili?*

201 QUæritur I. An, & qualiter Jura inter ſe ſint concordanda? Reſp. I. Generatim loquendo Jura Juribus, quantùm fieri poteſt, ſunt concordanda, neque eorum correctio eſt aſſerenda ſine neceſſitate. Ita communis; & habetur expreſſum *in c. Cùm expediat. 29. de Election. in 6.* ibi: *Cùm expediat concordare jura juribus, & eorum correctiones, ſi ſuſtineri valeant, evitari.* Concord. text. in *L. un. De Inoffic. dotib.*

dotib. ibi: *Leges legibus concordare promptum eſt*, cum ſimilibus. Et hinc *l. Non eſt novum. 25. & ſeqq. ff. de Legib.* generaliter ſancitur, ad evitandam Jurium correctionem leges priores eſſe trahendas, & explicandas per poſteriores, & econtrà has per priores, illis verbis: *Non eſt novum, ut priores leges ad poſteriores trahantur &c. Sed & poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint.*

202 Accedit ratio: quia correctio Jurium eſt odioſa: cùm enim omnis lex debeat eſſe honeſta, juſta, & conſtituta pro communi utilitate, *can. Erit autem lex. diſt. 4.* Hoc ipſo magnus ipſius Legis, ſive Juris communis favor eſſe dignoſcitur; adeóque correctio, & abrogatio ipſius cenſetur odioſa, neq; aſſerenda ſine neceſſitate. Deinde credendum non eſt, Supremum Principem, ſive Romanum Pontificem (qui Jura præ cæteris tuetur) quod aliàs excogitatum eſt multis vigilijs, & inventum, uno verbo, & quidem etiamnum dubio (nam ſecùs dicendum in claris) commodámque recipiente interpretationem, ſubvertere voluiſſe, ut notatur in *c. Eccleſia veſtra. 57. de Electìon.* Quinimò ad correctionem Jurium antiquorum requiri, ut quid in poſteriori Lege ſpecialiter expreſſum inveniatur, patet *ex c. Conſtitutio. 41.* junctâ Gloſsâ *in caſu. de Elect. in 6.* & ampliùs *ex l. Præcipimus. §. fin. C. de Appellat.* Unde ulterius

203 Reſp. II. Quandocunq; ſive in eadem unius Pontificis Compilatione, v. g. in Libris Decretalium Gregorij IX. ſive inter diverſas Juris Canonici partes, ut puta inter memoratas Decretales & Clementinas, apparet nonnulla contrarietas, quæ tamen non eſt prorſus manifeſta, ſed, re penitiùs inſpectâ, commodam admittit interpretationem, & conciliationem, ſalvâ verborū proprietate, & ratione recti ſermonis faciendā: tunc ſemper per congruam interpretationem ejusmodi loca Juris inter ſe ſunt concilianda. Hæc concluſio eſt communis, ac ſequitur ex proximè dictis: quia nempe Iurium correctio, veluti odioſa, non eſt aſſerenda abſque neceſſitate: talis autem neceſſitas non intervenit, quoties locum habere poteſt conciliatio Iurium per commodam verborum interpretationem.

204 Additur tamen, *ſalvâ verborum proprietate, & ratione recti ſermonis faciendam.* Nam abſque neceſſitate à propria verborum ſignificatione non eſt recedendum. *arg. c. Ad audientiam. 12.* & ibi Abbas. *de Decimis.* juncto *cap. ult. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus. *Nam, cùm in verbis nulla eſt ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio, l. Ille aut ille ff. de Legatis III.* Neque enim oportet in ſcirpo nodum quærere: quinimò etiam *in re dubia meliùs eſt verbis edicti ſervire,* ut habetur *L. 1. §. Si is, qui navem. ff. de Exercitator. action.* Secùs foret, quando aliunde apparet de mente Legislatoris, ſive Scribentis, ut puta ex ratione per legem expreſſa: nam tunc ſtandum eſt menti, etiam conta proprium ſignificatum verborum, *arg. l. Cùm pater. §. Dulciſſimis. ff. de Legatis II.* Ubi verba reſtringuntur propter rationem expreſſam: ſiquidem *verba intentioni deſerviunt.* & non econtrà, *c. Secundò requiris.* 41. *de Appellat. & c. Intelligentiæ. 6. de Verb. ſignif.*

205 Quæritur II. Quid agendum, quando inter diverſas Juris Canonici partes, vel inter Jus antiquum & Concilium Tridentinum, reperitur quædam manifeſta contrarietas, quæ congruâ interpretationē concordari nequit? Reſp. I. In una eademq; Compilatione, ut puta in quinque Libris Decretalium Gregorij IX. vel in Sextò Decretalium Bonifacij VIII. ejusmodi contrarietas admitti nequit; niſi poſterior Canon expreſsè deroget priori. Ita communis. Ratio eſt: quia tales Compilationes emanârunt *reſecatis ſuperfluis,* illísq; Decretalibus correctis, aut detractis, quæ *aut ſibi ipſis, vel alijs Juribus contrariæ, ſeu omninò ſuperfluæ videbantur,* prout teſtatur tum Gregorius IX. tum Bonifacius VIII. *in Procœmio ſuarum Compilationum:* ergo hoc ipſo in tali Compilatione nullum debet contrarium reperiri, vel admitti.

206 Concordat textus *in l. Tanta. §. Contrarium. C. de Veteri Jure enucleand.*; ubi hoc ipſum de Codice Juſtinianeo emendato dicitur, ibi: *Contrarium autem aliquid in hoc Codice poſitum, nullum ſibi locum vendicabit; nec invenitur, ſi quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiat.* Utrum autem idcircò nullæ prorſus dentur Antinomiæ Juris Civilis, ſive repugnantia Reſponſa, videatur Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. c. 3. n* 7. cum alijs.

207 Additur notanter num. 205. *Niſi poſterior Canon expreſsè deroget priori.* Nam tunc neceſſariò eſt aſſerenda inter eos aliqua contrarietas, atq; correctio prioris: prout accidit *in c. Exigit. 2. de Cenſibus in 6. & in c. Felicis 3. eod. in 6.* ubi poſterius Capitulum expreſsè derogat priori, iſtúdque quoad certa puncta revocat.

208 Dices. Si prius illud Capitulum revocatur per poſterius; ergo hoc ipſo cenſetur ſuperfluum: Ut quid igitur membranā occupat? Reſp. neg. ſeq. Tum quia prius Capitulum non penitùs abrogatur, ſed ipſi derogatur ſolùm ex parte; ſícque quoad alia puncta adhuc ſubſiſtit, & valet. Tum quia Lex abrogata, quamvis non ampliùs poſſit allegari in judicijs ad deciſionem cauſarum, imò eam ſic allegans incurrat pœnā falſi, *arg. L. un. §. Hunc igitur. C. de Juſtinian. Codic. confirmand.* ac notat Gloſſa *in L. ult. §. Nullo. C. Ad legem Cornel. de falſis*: nihilominùs ipſa alijs de cauſis adhuc utiliter refertur. Primò quidem, ut Poſteri noverint facta priora, *can. Fuerunt. diſt. 7.* Sciantq; ea, quæ malè geſta ſunt, reprobare, *arg. can. Qui de menſa. diſt. 37.* Deinde, ut oſtendatur de ejus errore, atq; incompetentia, ne ſucceſſores Legislatores incidant in illud ipſum incommodum, propter quod prior lex fuit abrogata, *can. Legimus. diſt. 37.*

209 Accedit, quòd lex abrogata poſſit allegari, etiam ad deciſionem cauſarum, ſaltem in illis locis, ubi lex nova abrogans priorem, non fuit uſu recepta, aut quando ipſa quoquo modo exſtitit invalida, *arg. c. Cùm omnes. 6. de Conſtitut.* ibi: *Secundùm priorem conſuetudinem:* cum ſimilibus. Item poteſt ipſa allegari ad deciſionem caſûs præteriti, & jam facti ante abrogationem legis, dum-

dumodò in lege nova non fiat expreſſa dispoſitio de præteritis, *cap. ult. de Conſtit. & l. Leges & conſtitutiones. C. de Legibus.* Rurſus lex abrogata poteſt allegari, ad oſtendendum mentem prioris Legislatoris, qui tulit ipſam; prout Pontifex *in c. Novit.* junctâ Gloſsâ. *℣. Quicunque. de Judicijs*, allegat aliquam legem jam abrogatam (quæ refertur in *can. Quicunque.* 11. *q.* 1. ac notat Gloſſa ibidem) non ut ipſam confirmet, ſed ut per eam oſtendat, quantam devotionem habuerint priores Imperatores ad Sacerdotium.

210 Ulteriùs lex abrogata poteſt allegari propter ſui rationem. Hæc enim duo ſunt diverſa, & ſicut ſe habet anima ad corpus, ita ſe habet ratio ad legem; ac proinde lege etiam abrogatâ adhuc ſubſiſtit ratio legis, *arg. l. Eas obligationes. ff. de capitis diminut.* niſi etiam ratio ipſa fuiſſet ſublata. Felinus *in c. Canonum ſtatuta, n.* 19. *de Conſtit.* Petrus Andr. Gammarus *tom.* 18. *Tractat. tract. de Extenſionib. n.* 150. citans inſuper Ant. de Butrio, & Imolam, *c.* 1. *de Conſtit.* Jo. Andream, Dominicum, & communem. Siquidem ratio legis, innixa tamen æquitati naturali, eſt æterna & immutabilis: unde ſicut ratio, quæ nunquam in aliqua lege fuit ſcripta, poteſt allegari, ita etiam illa, quæ ſemel à Jure fuit approbata; dummodò expreſsè non reprobetur, veluti non innitens æquitati naturali, quam tamen prior Legislator eidem opinabatur ineſſe. Concordat Abbas *in c. Novit. num.* 23. *de Judicijs*, ubi ex eo, quòd lex abrogata poſſit adhuc allegari propter ſui rationem, approbat factum Pontificis ibidem allegantis legem jam abrogatam.

211 Reſp. II. Quando inter diverſas Juris Canonici partes, vel inter Jus antiquum & Concilium Tridentinū, reperitur aliqua manifeſta contrarietas, non admittens congruam conciliationē, tunc eſt ſtandū poſteriori deciſioni, ſive conſtitutioni. Ita certa, & unanimis Doctorum. Siquidem lex poſterior Principis revocat priorem ſibi directè contrariam, eique derogat, quatenus ipſi contraria exiſtit, etiam nullâ factâ mentione prioris, prout clariſſimè habetur *c. Licèt Romanus. de Conſtit. in* 6. ibi: *Romanus Pontifex (quia jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvìs de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcitur*; Concordat Jus Civile *l. Sed & poſteriores. ff. de Leg.* ibi: *Sed & poſteriores leges ad priores pertinent, niſi contrariæ ſint.* Hinc pariter in Teſtamentis ſtatur ultimo, etiamſi in ipſo non fiat mentio de priori, *l. Si mihi & tibi ff. de Legatis* 1. *& can. Ultima voluntas.* 13. *q.* 1. ubi dicitur, quòd voluntas ultima defuncti (qualis non eſt, niſi poſterius Teſtamentum) modis omnibus conſervari debet.

212 Accedit ratio: quia Principi Supremo competit poteſtas condendi ad communem Reipublicæ utilitatem novas leges, ſive conſtitutiones, *L.* 1. *ff. de Conſtit. Principum*, cum ſimilibus; ergo, ſi vult, poteſt pro bono communi novam condere, & priorem revocare: cùm hoc totum pendeat ex voluntate unius tantùm (notanter hoc additur, quia oppoſitum accidit in illis, quæ penpent ex voluntate plurium. v. g. in Contractibus, ad quorum valorem requiritur plurium in idem placitum, & conſenſus, *L.* 1. *ff. de Pactis*) videlicet ex voluntate ſolius Principis, in quem vel Populus omne ſuum Imperium ac poteſtatē Lege Regiâ tranſtulit, vel imediatè à Deo eadē poteſtas collata fuit, quorum prius in Imperatoribus, poſterius in Summo Pontifice verificatur. Atqui Princeps condendo novam legē, ſive conſtitutionem priori directè contrariā, ipſo facto cenſetur priorē revocare, quamvìs nullā de ipſa faciat mentionem: tùm quòd habeat omnia Jura communia in ſcrinio pectoris ſui, ſicq; priorem legem præſumatur non ignorare: tum quòd utramq; legem, utpote directè contrariam, ſimul velle, atque obſervari curare non poſſit.

Porrò dictum illud *in cit. c. Licèt Romanus.* meritiſſimè pronunciatum, videlicet, *Romanus Pontifex jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere*, ab Hæreticis quidem ludibrij causâ quandoque adversùs Papam, Chriſti in terris Vicarium objicitur: ſed quàm inſcitè, & fruſtrà, vel ex eo liquet, quòd dudum antè jam Imperatores idipſum ſibi vendicârint, *l. Omnium. C. de Teſtament.* de ſe pronunciantes: *Toto jure, quod in noſtris eſt ſcrinijs conſtitutum, teſte.* 213

214 Dicitur autem Princeps habere omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui (hoc eſt, eorum omnium tenere notitiam) tum propter Sapientes, & Conſiliarios ſibi aſſiſtentes, atq; Conſiſtorio ſuo intereſſentes: *nam & ipſi pars corporis ejus ſunt*, ut dicitur *l. Quiſquis. C. Ad Legem Juliam Majeſt. & can. Si quis cum militibus. 6. q.* 1. ubi idcircò machinans in mortem talium Perſonarum, cenſetur reus criminis læſæ Majeſtatis. Gloſſa, *cap.* 1. *in caſu de Conſtitut. in* 6. Tum propter interpretationem, quia nimirùm Princeps omnia Jura interpretari poteſt; prout explicat Gloſſa *in can. Prætereà. ℣. Fallat. diſt.* 23. Siquidem ejus eſt, legem interpretari, cujus eſt condere, *L. ult. C. de Legibus, & c. Inter alia.* 31. *de Sent. Excommun.*

215 Accedit, quòd ipſemet Princeps Juris, & Juſtitiæ ſubditis adminiſtrandæ gnarus eſſe debeat, cùm iſthæc cura eidem principaliter incumbat, eò quòd ad hoc perſona ipſius proximè à Deo prælecta fuerit. Unde, licèt rectiſſimè utatur Conſiliariorum ſuorum ſcientiâ & prudentiâ, juxta illud *Proverb. cap.* 13. *Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientiâ.* Et *Proverb. cap.* 24. *Salus, ubi multa conſilia ſunt.* Nihilominus Princeps non omnem, vel fermè omnem in Conſiliarios adminiſtrationem conjiciat, ſed ipſemet cum Salomone, 3. *Regum. cap.* 3 à Domino petat, & obtinere ſatagat *cor docile, ut populum judicare poſſit, atque diſcernere inter bonum & malum.* Et hoc vel maximè ex eo: tum quia inter ipſos Conſiliarios contingit quandoque reperiri nonnullos vel debitâ ſcientiâ, vel rectè agendi voluntate deſtitutos, proprijsque potiùs, aut privatis comodis, quàm bono publico & Juſtitiæ ſtudentes, quorū malitiâ & inſcitiâ errores faciliùs accidunt, niſi Principis ſapientiâ præcaveantur. Tum ut inter diverſa Conſultorū ſuffragia ipſemet Princeps diſcernere, atq; eligere valeat, quod bonum, Reique publicæ magis expediens erit. Alioquin ſi error Ju-

Juris accidat, Princeps neutiquam ex tali errore, vel ignorantiâ Juris Communis excuſabitur, cujus ſcientiam ſpecialiter ſe habere profitetur: ſimulque generaliter ignorantia juris non excuſet; juxta *Reg. 13. Juris in 6* cum concordantijs. Layman *cap. 1. num. 2. de Conſtit. in 6.*

216 Nec obſtat prædicto Pontificio effato *can. Præterea. diſt. 23.* ubi Nicolaus Papa Archiepiſcopo Bituricenſi ſic ſcribit: *Sed & quia ſit à novæ Legis miniſtris actum, nusquam (niſi nos fallat oblivio) legimus:* & conſequenter videtur inferri poſſe, quòd Papa non omnia jura habeat in ſcrinio pectoris ſui, utpote ſibi metuens de oblivione. Reſp. enim neg. ſeq. Nam ibi ſermo eſt, non de ignorantia ſeu oblivione Juris, qualis in ſupremo Principe admitti nequit, ſed de oblivione exemplorum; ut notat Gloſſa marginalis ibidem, & patet ex illis verbis, *à novæ Legis miniſtris actum.* Exempla autem ſunt quid facti: ea verò, quæ ſunt facti, & in facto conſiſtunt, poteſt probabiliter Pontifex ignorare, *cit. cap. 1. de Conſt. in 6.*

217 Quæritur III. Quid ſit obſervandum circa manifeſtas contrarietates Juris Canonici & Civilis? Reſp. Quando talis manifeſta contrarietas eſt inter Jus Canonicum & Civile, tunc attendenda eſt ratio materiæ. Et quidem, ſi ejusmodi contrarietas verſetur circa materiam conſcientiæ, periculumque peccati, aut circa res Eccleſiaſticas & ſpirituales; tunc tenendum eſt Jus Canonicum in utroque Foro, atque etiam in terris Imperij: ſi verò dicta manifeſta contrarietas verſetur circa materiam merè profanam, nullumque peccati periculum involvat, tunc quodlibet Jus in ſuo Foro ſervandum eſt; videlicet Canonicum in Foro Eccleſiaſtico, & terris Summo Pontifici, quoad temporalem jurisdictionem ſubjectis; & Jus Civile in terris Imperij Sæcularis. Ita Gloſſa magiſtralis *in c. Poſſeſſor. §. Sed utrum. de Reg. Juris in 6.* Abbas *c. Licèt. num. 10. de Foro compet.* Felinus *c. In Cauſis. n. 1. de Teſtibus.* poſt Baldum, Imolam, & Anchoranum, Fagnanus *c. Cùm eſſes. n. 98. de Teſtament.* citans inſuper Jo. Andream *cap. 2. de Reg. Juris in 6.* Layman *lib. 1. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 8. n. 8.* Bernardus Sannig *Prolog. in Univerſum Jus Canonicum Tit. 8. cap. 2.* Ludovic. Engel *in Proœmio Collegij Juris Canon. n. 18.* & alij paſſim.

218 Deſumitur hoc totum imprimis *ex can. Quoniam. diſt. 10. & can. Cùm ad verum. diſt. 96.* ubi habetur, quòd nec Imperator jura Pontificatûs arripere, nec Pontifex nomen, vel jura Imperatoria uſurpare debeat: quoniam idem Mediator DEI, & hominum, Homo Chriſtus JESUS actibus proprijs, & Dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriusque diſcrevit. Concordat *c. Solitæ. 6. de Majorit. & Obed.* ubi legitur, quòd Deus in firmamento Cæli, hoc eſt, univerſalis Eccleſiæ, fecerit duo magna Luminaria, id eſt, duas inſtituerit Dignitates, nempe Pontificalem authoritatem, ut præeſſet diebus, ſive ſpiritualibus, & Regalem Poteſtatem, ut præeſſet noctibus, ſive temporalibus & carnalibus. Hinc Papa *in c. Novit. 13. §. 1. de Judicijs,* neutiquam intendit jurisdictionem Regis perturbare, aut minuere, cùm Rex viciſſim jurisdictionem Pontificiam nec velit, nec debeat impedire. Concordat textus in *c. Per venerabilem. 13. §. Rationibus. Qui filij ſint legit.* ubi Romanus Pontifex ſuper Eccleſiæ patrimonio plenam in temporalibus gerere poteſtatem, in alijs autem Regionibus, certis de cauſis, temporalem jurisdictionem caſualiter duntaxat exercere, non autem alieno juri præjudicare velle perhibetur. Proinde

Infertur primò, quòd in materia conſcientiæ, ſeu ubi verſatur periculum animarum, v. g. in præſcriptione cum mala fide, in uſuris, & hujusmodi materijs peccatum foventibus, dum Jus Canonicum contrariatur Civili, Leges ſuccumbant Canonibus, ita ut ſecundùm Jus Canonicum in omni Foro, atque etiam in terris Imperij judicandum ſit. Siquidem tunc Leges Civiles, ceu foventes peccatum, cenſentur eſſe correctæ per Canones: lex autem correcta, non dicitur ampliùs *lex.* Gloſſa *in L. ult. ff. Ad legem Cornel. de falſis.* Fagnanus *c. Cùm eſſes. n. 167. de Teſtament.* 219

Infertur ſecundò, quòd etiam in Juramentis, 220 contractu matrimoniali, & alijs rebus ſpiritualibus, nec non delictis Eccleſiaſticam caſtigationem promerentibus, Jus Canonicum in omni Foro ſit obſervandum: idque per textus hactenus allegatos, ac præſertim *cit. c. Novit. §. Licèt autem. de Judic.* ubi dicitur, quòd Pontifex *procedere valeat ſuper quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocet à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem.* Et additur, *quòd de Juramenti religione cognoſcere, ad Judicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere.* Quinimò etiam ex præſcripto Legum Civilium illud obtinet: ſiquidem *Auth. ut Clerici apud proprios Epiſcopos &c. §. Si verò Eccleſiaſticum. Collat. 6.* Imperator expreſsè hoc ſancivit, illis verbis: *Cùm oporteat talia Eccleſiaſticè examinari, & emendari animas delinquentium per Eccleſiaſticam mulctam, ſecundùm ſacras & Divinas Regulas, quas etiam noſtræ ſequi non dedignantur Leges.* Quinimò generaliter loquendo, ſicubi Jus Civile de rebus ad Eccleſias, perſonas Eccleſiaſticas, earumque bona pertinentibus diſponat, ex ſe ipſo, ac niſi ab Eccleſia quoad talia fuerit approbatum, nullam habet vim obligandi, *c. Quæ in Eccleſiarum. 7. & c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. 10. de Conſtit.* cum concordantijs: & conſequenter quoad talia Jus Canonicum in omni Foro erit obſervandum.

Et hoc extenditur ad cauſas miſerabilium Per- 221 ſonarum: nam datâ contrarietate Juris Civilis & Canonici, in cauſis miſerabilium Perſonarum ſervatur Jus Canonicum in utroque Foro. Felinus *in c. In cauſis. n. 1. de Teſtib.* Maranta *part. 3. ſpeculi Aurei, num. 76.* Fagnanus *in c. Licèt. n. 27. de Cenſib.* citans inſuper pro hoc Anton. de Butrio, & Jo. de Imola, *in c. Clerici. de Judicijs.* Etenim miſerabilium Perſonarum defenſio ſpecialiter ad Eccleſiam ſpectare dignoſcitur, *c. Ex parte. 15. de Foro compet.*

222 Idem dicendum in illis caſibus, in quibus agitur de naturali æquitate, aut vitando iniquo rigore: prævalet enim Jus Canonicum etiam in terris Imperij, *arg. c. Licèt. 4. de Cenſib.* ubi idcircò cæcus non permittitur compelli ad præſtandas collectas; *Quia eum* (inquit Pontifex) *quem cæcitas ſua gravat, inhumanam eſt nimis in collectione affligere.* Fagnanus *loc. cit. n. 6.* poſt Joan. de Anania. Felinus *loc. cit.* pro hoc inſuper allegans *c. Dilecti. 6. de Judicijs.* & *cap. 1. de Dolo & contum.* Sicut & econtrà, ubi Jus Civile ſtatueret æquitatem, Jus Canonicum rigorem, ſervatur Jus Civile etiam in Foro Eccleſiaſtico. Felinus, & Maranta, *ubi ſuprà.* Et meritò: nam æquitas ſcripta rigori ſcripto præfertur, *l. Placuit. C. de Judicijs*, juncto *c. Abbate. 3. §. fin. de Sent. & re judic. in 6.*

223 Infertur tertiò, quòd in Contractibus, Feudis, Teſtamentorum ſolemnitatibus, Judicijs, ipsóq; Proceſſu Judiciario, aliiſque hujusmodi materijs merè profanis, & periculum peccati non continentibus, quodlibet Jus in ſuo Foro ſit ſervandum; Civile quidem in terris Imperij, Canonicum in terris Eccleſiæ. Nam quoad merè temporalia, & nullum animarum periculum involventia, neque Papa jurisdictionem Imperatoriam, neque Imperator authoritatem Pontificiam impedire, minuere, aut perturbare vult, vel debet: ſimulque circa talia perſonarum, locorum, temporúmque diverſitas, & aliarum varietas circumſtantiarum, nonnunquam aliud & aliud ſtatui depoſcunt, *can. Sciendum. cum duobus ſeqq. diſt. 29.* & alibi.

§. XIII.

De Confœderatione Juris Civilis cum Canonico.

SUMMARIUM.

224. *Leges & Canones mixtim allegantur in utroque Foro, quando ſibi non contradicunt.*
225. *Caſus in Jure Civili dubius, ſed in Canonico clarè deciſus, procedit quoque in Foro Civili, & econtrà.*
226. *Notabiles authoritates Doctorum quoad hoc.*
Legiſta ſine Canonibus parùm valet, Canoniſta ſine Legibus nihil. Ibid.
227. *Textus varij, ubi Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, & hi Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*
228. *Religioſis eſt prohibitum, ne è clauſtris exeant ad audiendum Jus Civile, vel Medicinam, & ſub quibus pœnis?*
229. *Non tamen, quin intra clauſtra ex bono fine Juris Civilis ſcientiam addiſcant.*
230. *In quo ſenſu Religioſis ſit prohibitum audire Leges Civiles?*
231. *Solvitur inſtantia.*
Sub Theologia comprehenditur Jus Canonicum. Ibid.
232. *Univerſitates quædam impetrârunt Privilegium admittendi Clericos ad publicas Legum Civilium Lectiones.*

224 Quæritur I. Quid ſentiendum ſit de confœderatione Juris utriusque inter ſe? Reſp. I. Quando Leges non contradicunt Canonibus, tunc mixtim & Leges & Canones allegantur in utroque Foro. Ita Abbas *cap. 1. num. 4. de Novi operis nuntiat.* Anchoranus *c. Canonum ſtatuta. n. 44. de Conſtit.* id probans *ex c. Paſtoralis. de Fide Inſtrument.*: & alij. Idque patet ex recepta praxi Tribunalium, atque Juris-Conſultorum, paſſim in utroque Foro tales probationes admittentium, vel adducentium. Idem deſumitur *ex can. Si in adjutorium. diſt. 10.* ibi: *Si in adjutorium veſtrum etiam terreni Imperij leges aſſumendas putatis, non reprehendimus: Fecit hoc Paulus, cùm adversùs injurioſos Civem Romanum ſe eſſe teſtatus eſt.* Concordat textus *in can. De capitulis. & can. Certum eſt. cit. diſt. 10.* juncto *cap. 1. de Novi operis nuntiat.* unà cum alijs *num. ſeqq.* allegandis. Unde Canoniſta meritò allegat Leges, etiam ubi concurrunt Canones: nam fortior videtur ille caſus, illáque deciſio, ubi duplex concurrit diſpoſitio: & quæ non proſunt ſingula, multa juvant. Gloſſa *in c. Cùm cauſam. ℣. Adminicula. de Probation.*

225 Reſp. II. Inſuper, quoties caſus aliquis dubius eſt in Jure Civili, Jure autem Canonico clarè deciſus, hæc Pontificij Juris deciſio habet locum etiam in Foro Civili: & econtrà, ſi quid Jure Canonico ſit dubium, obſcurum, vel indeciſum (prout præſertim circa Contractus, Feuda, & hujusmodi, perpaucæ in ſacris Canonibus deciſiones habentur) Jure verò Civili iſtud clarè deciſum reperiatur, ſimulque materia illa ſit profana, non ſpiritualis, in Foro etiam Eccleſiaſtico ejusmodi deciſio Juris Civilis locum obtinebit. Ita communis; idque clarè habetur *cap. 1. de Novi operis nuntiat.* ubi Pontifex vulgatum illud pronunciat: *Sicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur.* Ubi Gloſſa *℣. Adjuvantur*, notabiliter infert: *Et ita in cauſa Eccleſiaſtica Leges poſſumus allegare, ut etiamſi Canones deficiant, poſſit judicari ſecundùm Leges.*

226 Hinc Abbas Panormitanus *loc. cit. n. 3.* exinde meritò concludit, quòd *cauſa Eccleſiæ debet decidi per Jus Civile in defectum Canonum: omnes enim Leges Principum non contradicentes Canonibus ſunt approbatæ per Eccleſiam, ut patet hîc.* Ita ille:

ille: cujus tamen verba de Legibus Civilibus, maxime Cæſareis, non verò de Municipalibus, quæ contra Jus commune ab inferioribus Magiſtratibus nonnunquam eduntur, intelligenda ſunt: prout ipſemet Abbas *loc. cit.* ſatis indicat, & docet Pirhing. *Tit. de Conſtitut. num.* 81. Inſuper Fagnanus *in c. Cùm eſſes. n.* 18. *de Teſtament.* ſic inquit: *Ubicunque non reperitur aliqua diſpoſitio Juris Civilis expreſsè immutata à Jure Canonico, non debemus inducere diſcrepantiam inter Jus Canonicum, & Jus Civile: imò Lex Civilis ſervari debet etiam in Foro Eccleſiæ, ut cap. 1. & ibi Abbas. n. 2. Jo. Andreas. n. 5. & alij communiter. de Novi operis nuntiat.* Quæ cùm ita ſint, haud mirandum, quòd Ludov. Romanus *Singulari.* 654. & poſt ipſum Zoëſius *in Proœmio Juris Canonici, n.* 5. ac Fagnanus *in c. Super ſpecula. n.* 30. *Ne Clerici vel Monachi &c.* dicere non dubitârint: *Legiſta ſine Canonibus parùm valet, Canoniſta ſine Legibus nihil.*

227 Confirmantur hactenus dicta. Et quidem, quòd Leges non dedignentur ſacros Canones imitari, patet ulteriùs *ex Auth. ut Clerici apud proprios Epiſcopos &c.* (Cujus verba ſuperiùs *num.* 220. relata ſunt) *Collat.* 6. Item ex *Auth. De Eccleſiaſticis Titulis.* §. 1. & 2. *Collat.* 9. atque etiam ex *can. Euphemium.* §. *Hinc colligitur.* 2. *q.* 3. Quòd verò ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuventur, præter jam hactenus dicta, probatur *ex c. Cùm dilecta. §. Nos igitur. de Confirmat. util. &c.* ubi Pontifex in ſua deciſione attendit id, quod Jure Civili ſtatutum fuerat. Hoc idem fit *cap.* 1. & 2. *de Novi operis nunt.* ubi ſimiliter Papa ſubortas circa novi operis nuntiationem controverſias, juxta Leges decidit. Et *cap.* 1. *de Emption. & vendit.* pariter tale quid habetur. Sicut & *in c. Nos quidem.* §. *fin. de Teſtament.* piæ voluntates Defunctorum, *ſecundùm piiſſimas Leges*, Epiſcopali ſtudio jubentur adimpleri. Item *in c. Inter alia.* 6. *de Immunitate Eccleſiaſt.* Reus criminis, & ad Eccleſiam confugiens, *juxta ſacrorum ſtatuta Canonum & traditiones Legum Civilium*, inde extrahi prohibetur. Quâ ratione ſæpiùs alibi in dubiis decidendis Papa Leges allegâſſe reperitur. Quinimò, quod plus eſt, *can. Inprimis.* 2. *q.* 1. *circa fin.* plures Leges Civiles non ſolùm allegantur, ſed expreſsè recipiuntur, atque per Gregorium Papam canonizantur: quamquàm hujuſmodi Leges non tam *Leges Civiles*, quàm mutato nomine *Canones* rectiùs appellentur, ut dictum ſuperiùs *n.* 78. Verùm occaſione præmiſſorum

228 Quæritur II. Cùm tanta inter Jus Civile & Canonicum intercedat confœderatio, adeò quòd juxta illud jam allegatum, Canoniſta ſine Legibus nihil valeat: cur Religioſis *in c. Non magnoperè. & c. Super ſpecula. Ne Clerici vel Monachi &c.* tam ſeverè prohibeatur, ne è clauſtris ſuis exeant ad audiendas Leges, & Phyſicam (hoc eſt, Jus Civile, & Medicinam) & quidem ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, niſi intra ſpatium duorum menſium ad clauſtrum redierint?

Reſp. I. Per citata Jura neutiquam eſt prohibitum Religioſis, quinimò eiſdem laudabile exiſtit, quòd intra Clauſtrum Leges Civiles inſpiciant, earúmque intellectum addiſcere ſatagant, non quidem principaliter propter ipſam ſcientiam civilem, ſed ad finem intelligendi meliùs Sacros Canones, & quatenus id neceſſarium eſt ad alios ritè inſtruendos, atque occurrentes caſus conſcientiæ diſſolvendos. Abbas *in c. Super ſpecula. num.* 17. *Ne Clerici vel Monachi &c.* indubitanter tenens, quòd ad hunc finem addiſcens in camera ſcientiam Iuris Civilis, acquirat & bonam famam in præſenti ſæculo, & mercedem maximam in futuro. Layman *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 4. *c.* 8. *n.* 9. Fagnanus *in d. c. Super ſpecula. n.* 30. & 32. poſt Hoſtienſem, Jo. Andream, Anchoranum, Butrium, & cæteros omnes. Deſumitur hoc *ex can. Turbat. & can. Si quis Grammaticam. diſt.* 37. ubi lectio ſæcularium litterarum, & doctrina Grammatices comprobatur, dummodò aſſumatur in meliores uſus, ut puta, ad intelligendam Sacram Scripturam, & diſcernendam veritatem à falſitate: nam cujus finis bonus eſt, & ipſum bonum eſt. Quo tamen non obſtante, tum ad tollendam evagationis materiam, tum ut Regulares Eccleſiaſtica negotia fideliùs pertractent, ſimúlque evitentur nonnulla alia incommoda, exitum è clauſtris ad audiendas Leges mundanas Pontifex meritò Religioſis prohibendum cenſuit. 229

Reſp. II. Per citatos Canones prohibetur Religioſis audire Leges Civiles principaliter propter ipſam ſcientiam civilem, ſive intentione ſubeundi munera, & officia ſæcularium Advocatorum, & Judicum. Ita citati Doctores; idque deſumitur *ex d. c. Non magnoperè. Ne Clerici vel Monach.* ubi Alexander III. in Concilio Turonenſi prohibuit Regularibus exitum è clauſtris ad audiendas Leges vel Phyſicam, *ne occaſione ſcientiæ, ſpirituales viri mundanis rursùs actionibus involvantur*: & conſequenter dicta prohibitio procedit de tali ſtudio, quod abſtrahit á vita Eccleſiaſtica, fitque intentione ſubeundi mundanas actiones, ſive adminiſtrationes Judicum, aut Advocatorum. 230

Neque obſtat, quòd *cit. c. Super ſpecula* (ubi dicta prohibitio audiendi Leges, vel Phyſicam in ſcholis extenditur ad Clericos ſæculares, habentes Dignitates vel Perſonatus, nec non ad Presbyteros) aſſignetur alia cauſa memoratæ prohibitionis, videlicet ampliatio Theologici Studij ad fortiùs reſiſtendum Hæreticis; ſive, *ut Theologiæ ſtudium dilatato ſui territorij loco, funiculos ſuos faciat longiores, ut ſit Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili Bellatorum, quibus reſiſtere valeat aſcendentibus ex adverſo*, prout loquitur textus. Reſp. enim cum Abbate *loc. cit. n.* 7. & Pirhing. *Tit. Ne Clerici vel Monachi &c. n.* 34. ſub Theologia hoc loco etiam comprehendi Jus Canonicum; quia Scientia Canonica, eſt pars Scientiæ Divinæ. Et hoc non immeritò dicitur, tum ob au- 231

authoritates Sacræ Scripturæ multis in locis eidem inſertas, atque definitiones Fidei Catholicæ, quas continet; tum ob finem promovendi cultum divinum, & perducendi hominem ad æternam beatitudinem: quâ de causâ Jus Canonicum non ſemel appellatur *Jus Divinum*, ut ſuprà *num. 39. & 40.* dictum eſt. Cùm igitur Leges Civiles ad Juris Canonici perfectiorem intelligentiam multùm deſerviant, ipſæque Canonum ambiguitates Legibus reſolvantur: non cenſentur Summi Pontifices voluiſſe Religioſis, ac præfatis Clericis, prohibere Studium Juris Civilis in ordine ad finem meliùs intelligendi Sacros Canones, quamvìs prohibuerint eisdem Studium Juris Civilis principaliter aſſumptum in ordine ad ſubeundas mundanas actiones ſæcularium Judicum, vel Advocatorum.

232 Ad majorem nihilominùs cautelam, ſimul & commoditatem proſequendi Studium Juris Canonici, ſolent Univerſitates à Summo Pontifice expreſſum Privilegium admittendi Clericos ad publicas Legum Civilium Lectiones impetrare: prout Baptiſta à S. Blaſio, *Tom. 1. Tractatuum. tract. De Contradictionibus Juris Canonici cum Civili, Contradict. 34.* refert, *Studium Patavinum habere Privilegium hoc, quòd Clerici poſſint audire Jus Civile per quinquennium ad eorum inſtructionem, ut faciliùs capere poſſint doctrinam Juris Canonici.* Et tale Privilegium etiam Univerſitati Salisburgenſi conceſſum eſſe, teſtatur Ludov. Engel *in Proœmio Collegij Juris Canon. num. 19.* Idémque de alijs Univerſitatibus aſſerunt alij Libri, & meliùs authentica Inſtrumenta deſuper confecta demonſtrabunt.

JURIS

JURIS CANONICI UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM IN QUÆSTIONES DISTRIBUTI, SOLIDISQUE RESPONSIONIBUS, ET OBJECTIONUM SOLUTIONIBUS DILUCIDATI.

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

1. Duplex Juris Canonici fundamentum cæteris præmittitur.

2. Diviſio materiarum Juris Canonici in quinque Libros Decretalium.

1 Quoniam *ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt*, uti notatur in *c. Veniens. 3. de Presbyt. non baptiz.* meritò in principio Libri primi Decretalium duplex totius Juris Canonici ponitur fundamentum: unum, & quidem ſolidiſſimum, veræ Fidei Catholicæ, agendo mox in primo Titulo *De Summa Trinitate: & Catholica Fide*: alterum, generalioris doctrinæ Canonicæ, in ſubſequentibus tribus Titulis tractando *De Conſtitutionibus, Reſcriptis, & de Conſuetudine.*

2 Poſito hoc duplici fundamento Compilator Juris Canonici à generalioribus procedit ad particularia, hæcque univerſim in quinque claſſes diſtribuit, ſinguliſque claſſibus proprium Librum attribuit. Quia enim *omne Jus, quo utimur*, tum Civile, tum Canonicum, *vel ad Perſonas pertinet, vel ad Res vel ad Actiones*, ſive Judicia, *L.1.ff.de Statu homin. & §.fin. Inſtit. de Jure nat.gent.& civili*: juxta iſthæc tria Juris objecta, dividi quidem potuiſſet totum Jus Canonicum, atque à nonnullis Doctoribus, nominatim à Barboſa *in tribus Libris Juris Eccleſiaſtici univerſi*, dividitur. Sed cùm quodlibet præmiſſorum in ſua membra ſubdividere liceat, Perſonas quidem in Superiores, ſive Prælatos Eccleſiæ, quibus poteſtas Jura condendi, & condita tuendi, ſubditóſque juxta eorum præſcriptum dijudicandi competit; & in inferiores, ſive Clerum tam ſæcularem, quàm Regularem: Res verò in eas, quæ Clericis in ſortem Domini vocatis peculiariter conveniunt, ut Beneficia Eccleſiaſtica; & eas, quæ quidem ſunt ſacræ, ſed hominibus Laicis propriæ exiſtunt, ut Sponſalia, & Matrimonium: Judicia quoque vel ſint Civilia, vel Criminalia. Placuit Compilatori novam facere ſubdiviſionem, quinque Decretalium Libris copioſiùs explanatam, tractando in Primo Decretalium Libro præcipuè de Prælatis, ſive Judicibus Eccleſiaſticis: in Secundo de Judicijs præſertim civiliter intentatis, & cooperantibus ad ipſa. Atque, ut patere poſſit de Perſonis, Rebúſque illis, circa quas Judicia Eccleſiaſtica civiliter agitari conſueverunt; hinc in Tertio Libro fit ſermo de Clericis, Rebúſque Eccleſiaſticis eorum curæ ſpecialiter commendatis: in Quarto autem de Matrimonio, cauſíſque Matrimonialibus, Laicos peculiariter reſpicientibus: in Quinto tandem de Criminibus, ipſoque Proceſſu Judiciali Criminali. Hoc totum breviter complectitur verſiculus ille, Proœmio Decretalium Gregorij PP. IX. à Gloſſa præfixus, & ſingulis ſuis verbis objectum principale ſingulorum Quinque Librorum Decretalium per ordinem aptè demonſtrans; qui ſic ſonat:

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

TITU-

TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

3. *A Sanctiſſima Trinitate, & Fide Catholica, utrumque Jus orditur.*

4. *De eadem materia etiam alibi tractatur.*

3 A Sanctiſſima Trinitate, Fonte atque Origine omnis Sapientiæ & Juſtitiæ, ſimul & à Fide Catholicâ, tum Juſtinianus Imperator Codicem, tum Summus Pontifex Quinque Libros Decretalium, Sextumque, & Clementinas auſpicantur. In cujus proinde Sacro-Sanctæ, & Individuæ TRINITATIS Nomine præſentes pariter ordimur labores: & cùm Eadem met ſit *unum univerſorum Principium*, prout definitum legitur *in cap. 1. h. t.* ut ſuâ infinitâ Boniate atque Clementiâ eosdem ſecundare, atque ad ſuum honorem & gloriam dirigere velit, 4
ſuppliciter exoramus.

Et quidem de materia hujus Rubricæ habetur pulcher textus *can. Qui Epiſcopus. diſt. 23.* ubi ponendo, ſuper quibus examinandus ſit Electus in Epiſcopum, agitur incidenter de Summa Trinitate, ac præcipuis Articulis Fidei. Item *can. ult. de Conſecrat. diſt. 3.* ubi de SS. Trinitate, ejusdémque Unitate, ex profeſſo tractatur. Item *can. penult. & ult. de Conſecrat. diſt. 5.* ubi de Proceſſione Spiritûs Sancti à Patre & Filio pleniùs agitur.

§. I.

De Myſterio Sanctiſsimæ Trinitatis.

SUMMARIUM.

5. *SS. Trinitatis nomine quid intelligatur?* *Id expreſſè ſignificat ternarium Perſonarum Divinarum, non trium Unitatem. Ibid.*
6. Trinitatis *vocabulum à tempere Apoſtolorum uſitatum.*
7. *Myſterium SS. Trinitatis explicatur à Concilio Generali.*
8. *Et damnatur error Joachim Abbatis.*
9. *Ac redditur ratio conſubſtantialitatis Filij cum Patre.*
10. *In Divinis datur vera & realis unitas quoad eſſentiam. Nec tamen hinc ſequitur quaternitas. Ibid.*
11. *Solvitur alia inſtantia Joachim Abbatis, declarando, quomodò Fideles dicantur unum, ſicut Perſonæ Divinæ. Joan. 17.*
12. *Cur dicatur:* Alius eſt Pater, alius Filius, alius Spiritûs ſanctus, non tamen aliud?
13. *Chriſtus JEſus à tota Trinitate communiter eſt incarnatus. Et ſeqq.*
14. *Opera Trinitatis ad extrà ſunt indiviſa.*
15. *Solvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
16. *Opera potentiæ appropriatè tribuuntur Patri, opera ſapientiæ Filio, & opera bonitatis Spiritui ſancto.*
17. *Cur non ſequatur, etiam Patrem & Spiritum Sanctum eſſe incarnatum?* *Incarnatio poteſt accipi dupliciter. Ibid.*
18. *Diſparitas inter opera SS. Trinitatis ad extrà, & Incarnationem Verbi.*

5 Quæritur I. Quid per Summam Trinitatem intelligatur? Reſp. I. Hoc Sanctiſſimo Nomine, juxta receptam phraſin Catholicorum, denotantur Tres Perſonæ Divinæ in una Eſſentia ſubſiſtentes. Et dicitur notanter, *Tres Perſonæ Divinæ*: nam, quod pluralitas Perſonarum ſignificat indeterminate, hoc nomen Trinitatis ſignificat determinatè, videlicet Tres Perſonas Divinas, non plures, nec pauciores. Et quamvis hoc nomen *Trinitas*, juxta etymologiam vocabuli, videatur ſignificare unam Eſſentiam trium Perſonarum, ſecundùm quod dicitur *Trinitas*, quaſi *trium Unitas*, ut loquitur D. Thomas 1. *part. q. 41. art. 1. ad 1.* reverà tamen illud, ſecundùm proprietatem vocabuli, non ſignificat trium Unitatem, ſed numerum ternarium Perſonarum unius Eſſentiæ, prout idem Doctor Angelicus illicò ſeſe explicat, atque liquet ex illo Symboli D. Athanaſij: *Et Trinitatem in Unitate veneremur.* Si enim Trinitas vi nominis propriè ſignificaret trium Unitatem, allegata Symboli verba hunc ſenſum redderent: *Et Trium Unitatem in Unitate veneremur*: quod valdè abſonum eſt, ac dici nequit. Concordat Doctor Subtilis *in 1. diſt. 3. quæſt. 6. §. quantùm ergo ad ſecundum. ℣. Reſpondeo*, dum ait: *Trinitas eſt quaſi quoddam totum numerale, ſaltem in conceptu intellectûs noſtri.* Manet proinde, quòd vox *Trinitatis* expreſsè ſignificet ternarium Perſonarum Divinarum: hâc quippe ratione SS. Patres opponunt in Divinis Unitatem Trinitati, & dicunt, in Eſſentia Unitatem, in perſo-

perſonis Trinitatem reperiri. Hinc S. Fulgentius *de Fide ad Petrum, cap.* 1. ſic inquit: *Trinitas ad Perſonas refertur, Unitas ad naturam.* Bellarminus *lib.* 2. *cap.* 5. *de Chriſto.* F. & communis Theologorum.

6 Nec contra *Trinitatis* vocabulum opponere licet, quòd id in Sacra Scriptura nullibi legatur. Imprimis enim, quamvis illud in SS. Litteris expreſsè non contineatur, tamen ex eis clarè deducitur, dum Matth. *cap. ult.* Chriſtus Apoſtolis mandavit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Item 1. Joan. *cap.* 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi Tres unum ſunt.* Hinc nomen Trinitatis, utpotè è SS. Paginis evidenter deductum, ſimúlque aptiſſimè ſignificans Ternarium Perſonarum unius Eſſentiæ Divinæ, in Eccleſia Catholica eſt antiquiſſimum, atque à temporibus Apoſtolorum usque ad moderna tempora ſemper uſitatum; prout S. Dionyſius, qui vixit tempore Apoſtolorum, *cap.* 1. *de Divinis Nominibus*, & alibi ſæpè, hoc nomine uſus fuiſſe legitur.

7 Reſp. II. Etſi Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſit ineffabile, atque ab intellectu humano incomprehenſibile: tamen, quantùm fas eſt homini capere, & ad ſalutem conſequendam neceſsè eſt credere, illud in Concilio Generali (hoc eſt, Lateranenſi, ſub Innocentio III. celebrato) ſequentibus verbis, *cap. Firmiter.* 1. *h. t.* relatis breviter explicatur, atque Fidelibus credendum proponitur: *Unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una Eſſentia, Subſtantia, ſeu Natura ſimplex omninò; Pater à nullo, Filius à Patre ſolo, Spiritus Sanctus pariter ab utroque: abſque initio, ſemper, ac ſine fine: Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens, conſubſtantiales & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: unum univerſorum Principium &c.* (Et infrà.) *Hæc ſancta Trinitas ſecundùm communem Eſſentiam individua, & ſecundùm Perſonales proprietates diſcreta.*

8 Et infrà in *c. Damnamus.* §. *Nos autem. eod.* pergit cum citato Concilio Pontifex, & reprobando ſententiam Abbatis Joachim, paulò antea ibidem præmiſſam, ſubjungit: *Nos autem Sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro* (Lombardo, ſive Magiſtro Sententiarum, cujus dictum hìc ſolemniter defenditur contra Joachim Abbatem) *quòd quædam ſumma Res eſt, incomprehenſibilis, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: Tres ſimul Perſonæ, ac ſigillatim quælibet earundem: & ideò in Deo ſolummodò Trinitas eſt, non Quaternitas: quia quælibet trium Perſonarum eſt illa Res, videlicet Subſtantia, Eſſentia, ſeu Natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum Principium, præter quod aliud inveniri non poteſt: & illa Res non eſt generans, neque genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat, & Filius, qui naſcitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus: non tamen aliud, ſed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò; ut ſecundùm Orthodoxam & Catholicam Fidem conſubſtantiales eſſe credantur.*

9 Pergit Pontifex unà cum Concilio, redditurus rationem Conſubſtantialitatis Filij, cum Patre, & ſubdit: *Pater enim ab æterno Filium generando, ſuam ſubſtantiam ei dedit; juxta quod ipſe* (Joan. 10.) *teſtatur: Pater quod dedit mihi, majus omnibus eſt. Ac dici non poteſt, quòd partem Subſtantiæ ſuæ illi dederit, & partem ipſe ſibi retinuerit; cùm Subſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpote ſimplex omnino. Sed nec dici poteſt, quòd Pater in Filium tranſtulerit ſuam Subſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi: alioquin deſiiſſet eſſe Subſtantia. Patet ergò, quòd ſine ulla diminutione Filius naſcendo Subſtantiam Patris accepit: & ita Pater & Filius habent eandem Subſtantiam: & ſic eadem Res eſt Pater, & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab utroque procedens.* Hactenus Pontifex unà cum citato Concilio Generali.

10 Nec obſtant rationes Abbatis Joachim, qui, ne videretur in Divinis admittere Quaternitatem, negavit Rem, ſeu communem illam Eſſentiam, quæ ſit realiter Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; & inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum conceſſit quidem unam Eſſentiam, ſed non unam unitate verâ, & propriâ, ſive reali; ſed unam duntaxat quaſi unitate collectivâ, & ſimilitudinariâ: quo modo multi homines dicuntur unus Populus, & multi Fideles una Eccleſia: juxta illud Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Et 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum illo*, cum ſimilibus. Non obſtat, inquam: nam, quod attinet Quaternitatem, jam patet ex dictis, eam nullatenus ſequi in Divinis, eò quòd Res, ſive Eſſentia illa communis tribus Perſonis, ſit realiter & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; ſicque, quantùm ad Naturam ſive Eſſentiam ſuam, tres Perſonæ Divinæ ſint Conſubſtantiales, ſive unius ejusdémque Subſtantiæ ac Eſſentiæ. Ex quo illicò ſequitur, quòd inter easdem Perſonas detur vera, propria, & realis unitas quoad Eſſentiam, Subſtantiam, ſeu Naturam ſuam; non autem collectiva duntaxat, & ſimilitudinaria. Alioquin enim, ut inquit S. Fulgentius *de Fide ad Petrum* (& habetur inter opera S. Auguſtini, Tom. 3.) *Unus Deus Trinitas ipſa non eſſet, ſi quemadmodum Pater & Filius & Spiritus Sanctus Perſonarum ſunt ab invicem proprietate diſtincti, ſic fuiſſent Naturarum quoque diverſitate diſcreti.* Eſſent enim tres Dij, & non unus Deus, niſi collectivè, & ſimilitudinariè: quod, veluti veræ Fidei repugnans, abſit cogitare.

11 Inſtabat autem Joachim Abbas ad probandam ſuam falſam ſententiam. Chriſtus de Fidelibus in Evangelio Joan. *cap.* 17. inquit: *Volo Pater, ut ſint unum in nobis, ſicut & nos unum ſumus, ut ſint conſummati in unum.* Atqui Fideles Chriſti (inferebat cit. Abbas) non ſunt unum unitate verâ, & propriâ, id eſt, non ſunt quædam una Res,

Res, quæ communis ſit omnibus; ſed ſunt unum duntaxat unitate collectivâ & ſimilitudinariâ, quatenùs ſunt una Eccleſia, propter Catholicæ Fidei unitatem; & unum Regnum, propter unionem indiſſolubilis charitatis: ergo eâdem duntaxat unitate ſunt quid unum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ad hanc Joachim Abbatis inſtantiam reſpondet Generale Concilium *cit. c. Damnamus.* §. *Cùm ergò. de Summ. Trinit.* & Scotus *in 1. diſt. 5. q. 1. §. Quantùm autem ad primum*, cum communi: cùm inter Deum, & creaturam, non poſſit tanta ſimilitudo notari, quin major inter eos diſſimilitudo ſit notanda; ly *unum*, in allegatis verbis Salvatoris poſitum, eſſe intelligendum de unitate ſibi proportionali: hoc eſt, quòd, ſicut Pater & Filius ſunt unum unitate identitatis in natura, ita fideles ſint unum in unitate charitatis in gratia, qualis ſolùm unitas ipſis eſt proportionabilis: unde ſic diſtinctâ, & explicatâ majori, neg. conſequent. Verba Concilij Generalis *loc. cit.* & plurimùm ponderanda ſunt hæc: *Cùm ergò Veritas pro Fidelibus ſuis orat ad Patrem: Volo* (inquiens) *ut ipſi ſint unum in nobis, ſicut nos unum ſumus: hoc nomen Unum, pro Fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro Perſonis verò Divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura. Quemadmodùm alibi* (Matth. 5.) *Veritas ait: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* Ac ſi diceret: *Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ: utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem & Creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda.* Hactenus Concilium Generale.

12 Quæritur II. Cur in relato Concilio Generali dicatur, quòd *alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud?* Reſp. cum Gloſſa *in cit. c. Damnamus. ℣. Alius ſit Pater.* Abbate Panormit. *ibid.* §. *Item nota quòd nomina*, & alijs, rationem eſſe: quia nomina partitiva, juncta cum nominibus perſonalibus, in maſculino & fœminino genere denotant diſtinctionem in Perſonis, ut ibi: *alius Pater, alius Filius &c.* In neutro autem genere ea denotant diſtinctionem in ſubſtantia; juxta illud Salvatoris Joan. cap. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, id eſt, una res, una ſubſtantia: nam, ut inquit S. Gregorius Nazianzenus *tract. de Fide, poſt initium*, Chriſtus in verbis illis *Unum ad unitatem Divinitatis refert; Sumus autem Perſonis attribuit.* Huc facit illud Doctoris Subtilis. *3. diſt. 9. q. 2. circa initium*, ubi inquit, *quòd tres Perſonæ Divinæ dicantur Tres maſculinè, propter Trinitatem ſuppoſitorum, & Unum neutraliter propter Unitatem naturæ.* Meritò proinde Concilium Generale definit, quòd *alius ſit Pater; alius Filius, alius Spiritus Sanctus*, ad indicandam Divinarum Perſonarum diſtinctionem realem ab invicem: *non tamen aliud*, quia non ſunt diverſæ ſubſtantiæ, ſive naturæ Divinæ, ſed ejuſdem.

13 Quæritur III. Quomodo intelligendum ſit illud. *c. Firmiter.* §. *Et tandem. h. t.* ubi dicitur *Unigenitus Dei Filius JEſus Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus*; cùm tamen Symbolum Apoſtolorum de eodem confiteatur: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?* Reſp. cum Magiſtro ſententiarum *in 3. diſt. 1. cap. 3.* & communi Theologorum. Licèt defacto ſolus Filius, ſive ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, pro ſalute Generis humani incarnata fuerit, ut docet Fides Catholica; nihilominus admirabilem hanc Verbi Divini Incarnationem tota ſimul SS. Trinitas effecit, atque operata eſt; ſicque rectiſſimè dicitur, Unigenitum Dei Filium JEſum Chriſtum à tota Trinitate communiter incarnatum fuiſſe.

Ratio eſt: quia, ut habetur *in can. Sic enim.* §. 14
Quoniam, 28. q. 1. & can. Omnes quos. §. *fin. de Conſec. diſt. 3.* cum concordantijs, eſtque receptum Theologorum dictum, *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.* Cùm enim una eademque, ac prorſus indiviſa & inſeparabilis ſit eſſentia, ſubſtantia, intellectus, voluntas, potentia, atque majeſtas omnium trium Divinarum Perſonarum: conſequens eſt, ut propter identitatem principij operandi ad extra (hoc eſt, producendi creaturas, ſive illa, quæ ſunt extra ipſam SS. Trinitatem) quidquid operatur una Perſona Divina, operetur & altera, & communiter omnes tres ſimul. Hinc Joan. cap. 5. Chriſtus ſuam Divinitatem declaraturus, dicebat: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Et infrà: *Quæcunque enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Nec obſtat illud Symboli Apoſtolici; *Qui* 15
conceptus eſt de Spiritu Sancto. Siquidem per hunc loquendi modum ab operatione, ſive effectione Incarnationis, non excluditur Pater, vel Filius: ſed Incarnatio, utpote maximum opus Divinæ bonitatis & amoris, tribuitur appropriatè tantùm Spiritui Sancto: ſicut in eodem Symbolo, verbis illis, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ*, Patri Cœleſti appropriatè tribuitur Mundi Creatio, utpotè Opus Summæ Potentiæ, quem tamen Mundum à tota Trinitate communiter eſſe creatum, nemo Fidelium dubitat.

Generatim quippe opera Trinitatis ad extrà, 16
vel ſunt ſpecialiter manifeſtativa Divinæ Potentiæ, vel Divinæ Sapientiæ, vel Bonitatis. Prima appropriantur Patri, utpote, *ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur*, Epheſ. cap. 5. Simúlque, quia *Pater à nullo eſt*, uti dicitur *in c. Firmiter. h. t.* Secunda, ſive opera peculiariter manifeſtativa Sapientiæ Divinæ, appropriatè attribuuntur Filio, utpote qui *Dei Sapientia* appellatur 1. Corinth. 1. Imò & ipſa *Sapientia genita*, ut loquitur D. Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. cap. 2.* Tertia tandem, ſive opera Bonitatis, appropriatè tribuuntur Spiritui Sancto, qui eſt Amor. D. Thomas *1. part. q. 39. art 7, & 8.* ubi plures alias talis appropriationis rationes adducit, & alij paſſim.

Ne-

17 Neque ex dictis quis perperàm inferat, hinc ſequi, quòd etiam Pater, ac Spiritus Sanctus, ſit incarnatus. Nam hoc repugnat Fidei Catholicæ, atque habetur *tit. c. Firmiter. §. Et tandem. h. t. & can. Qui Epiſcopus. diſt. 23. & can. Omnes quos. de Conſecrat. diſt.* 3. ac alibi. Ratio hujus ulterior eſt: quia, ut notant Theologi, ac præſertim Scotus 3. *diſt. 1. q.* 1. *§. Contra hoc,* Incarnatio poteſt accipi dupliciter. Primò, ut dicit actionem: & ſic derivatur à verbo activo *Incarnare*; neque aliud ſignificat, quàm actionem illam, quâ tota SS. Trinitas concurrebat, & æqualiter operata eſt admirabilem illam unionem naturæ humanæ Chriſti cum Verbo. Secundò, ut dicit unionem, ſeu potiùs terminationem unionis, atque dependentiæ naturæ aſſumptæ ad Verbum: & ſic Incarnatio derivatur à verbo paſſivo *Incarnari*; neque aliud eſt, quàm unio quædam naturæ humanæ cum Verbo in unitate ſuppoſiti. Illa igitur ſola Perſona Divina cenſetur incarnari, cujus perſonalitate perſonatur, atque ſubſiſtit in unitate ſuppoſiti natura humana à Verbo aſſumpta; ſive, quæ eſt terminus formalis unionis Hypoſtaticæ: atqui ſolius Filij perſonalitate perſonatur, atque ſubſiſtit natura humana Chriſti, ſive aſſumpta à Verbo, eáque ſola eſt terminus formalis unionis Hypoſtaticæ; & conſequenter ſolus Filius defactò eſt incarnatus, non Pater, nec Spiritus Sanctus.

Unde non obſtat, quòd opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa. Diſpar enim eſt ratio de aſſumptione naturæ humanæ Chriſti, & de alijs operibus SS. Trinitatis: quia reſpectu horum principium, & ratio formalis operandi, eſt commune omnibus tribus Perſonis Divinis: econtrà verò Filiatio, quæ eſt terminus formalis unionis Hypoſtaticæ (id eſt, illius, quâ natura humana Chriſti unitur Verbo in unitate ſuppoſiti) non eſt communis tribus Perſonis, ſed propria ſoli Filio. Et quidem, quomodo omnes tres Perſonæ Divinæ potuerint communiter efficere Incarnationem Verbi, & tamen una ſola incarnari, declarat Additio ad Magiſtrum Sententiarum *in* 3. *diſt.* 1. ſatìs apto exemplo de tribus Puellis æqualibus, uni ex ipſis tunicam induentibus: ſicuti enim tunc omnes tres Puellæ ſimul concurrunt, & cooperantur ad indutionem tunicæ, una tamen ſola induitur; ita omnes tres Perſonæ Divinæ cooperabantur ad Incarnationem Verbi, & tamen una ſola Perſona, nempe ſecunda, defactò fuit incarnata. 18

§. II.

De Proceſſione Spiritûs Sancti à Filio.

SUMMARIUM.

19. *Spiritus Sanctus pariter procedit à Patre & Filio.*
20. *Referuntur antiquiora Concilia, Proceſſionem Spiritûs Sancti à Patre & Filio confitentia.*
21. *Eadem Catholica veritas probatur ex Sacra Scriptura. Et n.* 29.
22. 23. & 24. *Atque ex teſtimonijs SS. Patrum, præſertim Græcorum.*
25. & 26. *Item ratione Theologicâ.*
27. *Solvitur inſtantia ex Joan. cap.* 15. *ibi*: Qui à Patre procedit.
28. *Oſtenditur, quòd hiſce verbis non excludatur Filius.*
29. *Proceſſio Spiritûs Sancti à Filio implicitè habetur in ſacra Scriptura, licèt non explicitè.*
30. *Quid dicendum de authoritate Sancti Joannis Damaſceni? Et n. ſeqq.*
31. *Cur Græci Patres dixerint, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium?*
32. *Solvuntur aliæ inſtantiæ Græcorum. Et num. ſeqq.*
33. *Ratio fundamentalis, cur Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, tanquam ex uno principio, & unicâ ſpiratione, haud obſtante eorundem diſtinctione reali?*
34. *Et cur Spiritus Sanctus non ſuperfluè procedat à Filio?*
35. *Objectio Græcorum ex quatuor Synodis Generalibus deſumpta proponitur:*
36. *Et diſſolvitur:*
Cur ly Filióque, *fuerit additum in Symbolo? ibid.*
37. *Anathematizantur,* qui aliud docuerint, *quomodo hoc ſit intelligendum?*
38. *Græcorum Status ante, & poſt Schiſma.*
Conſtantinopolis capta à Turcis in Ferijs Pentecoſtalibus. Ibid.

19 QUæritur I. Quid ſit ſentiendum de Proceſſione Spiritûs Sancti à Filio, & quomodo ipſa contra Græcos probetur? Reſp. Spiritus Sanctus æternaliter, & pariter procedit à Patre & Filio; non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione. Ita omnes Catholici; eſtque expreſsè definitum contra errorem Græcorum *in cap. un. h. t. in 6.* quod deſumptum fuit ex Concilio Lugdunenſi, ſub Gregorio X. *anno Domini* 1274. celebrato: ubi hæc Catholica Veritas corroboratur, tum ex perpetuo ſenſu atque doctrina Sacroſanctæ Romanæ Eccle-

ſiæ, quæ eſt Mater omnium Fidelium & Magiſtra; tum ex incommutabili, veráque ſententia Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter, & Græcorum. Et quidem

20 Eadem Veritas Catholica jam antehac in Concilio Toletano I. *Anno 405.* celebrato, ſub Innocentio Papa I. deciſa fuerat, ubi dictum Concilium in Symbolo (ac refertur *Tomo I. Conciliorum*) ſic profitetur: *Credimus, Spiritum quoque eſſe Paracletum, qui nec Pater ſit ipſe, nec Filius, ſed à Patre Filióque procedens. Eſt ergò ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed à Patre, Filióque procedens.* Item Concilium Epheſinum I. quod habitum eſt contra Neſtorium circa annum 431. (ac refertur *can. de Spiritu. de Conſecrat. diſt. 5.*) in Epiſtola Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium, Symbolum continente, ſic loquitur: *Nam Spiritus appellatus eſt veritatis, & Veritas Chriſtus eſt: unde & ab iſto ſimiliter, ſicut ex Deo Patre procedit.* Inſuper in Barenſi Concilio, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, S. Anſelmus contra Græcorum errorem innumeris Scripturarum, & Sanctorum Patrum teſtimonijs propugnavit, ut refertur in Breviario Romano, *die 21. Aprilis.* Idem præter alia etiam in Concilio Generali Lateranenſi, ſub Innocentio III. *anno 1215.* celebrato, fuit definitum (ac refertur *cap. Firmiter. §. 1. h. t.*) illis verbis: *Et Spiritus Sanctus pariter ab utroque procedens.* Ac rurſum *c. Damnamus. §. Nos autem. eod.* ibi: *Et ſic eadem Res eſt Pater & Filius, nec non & Spiritus Sanctus ab utroque procedens.*

21 Inſuper hæc Catholica Veritas probatur ex S. Scriptura. Nam Chriſtus Dominus, loquens de Spiritu Sancto, Joan. cap. 16. inquit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Atqui nihil aliud poteſt Spiritus Sanctus accipere à Filio, niſi Scientiam, quæ realiter eſt ipſiſſima Eſſentia Divina, (quidquid enim aliud dicatur, ſequetur, Spiritum Sanctum eſſe creaturam, quod nefas eſt cógitare) Si autem accipit Divinam Eſſentiam à Filio, eo ipſo procedit à Filio. Deinde Joan. 15. Chriſtus inquit: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* Atqui miſſio in Divinis importat Proceſſionem unius Perſonæ ab alia; prout D. Auguſtinus *lib. 4. de Trinitat. cap. 19. & ſeqq.* uberiùs oſtendit, docens, quòd Filium mitti, ſit Filium naſci: & Spiritum Sanctum mitti, ſit Spiritum Sanctum procedere. Rurſus *Rom. cap. 8.* Spiritus Sanctus appellatur *Spiritus Chriſti.* Et ad *Galat. 4.* inquit Apoſtolus: *Miſit Deus Spiritum Filij ſui.* Sed Spiritus dicitur à ſpiratione, & ſic eſt nomen importans originem: ergo ſicut ſequitur, *Filius Patris,* hoc eſt, Filius qui eſt à Patre; ita etiam ſequitur, *Spiritus Filij,* hoc eſt, Spiritus, qui eſt à Filio, prout argumentatur D. Bonaventura *lib. 1. Sent. diſt. 11. in Expoſit. textûs. dub. 3.* Concordat illud Joannis. cap. 15. ibi: *Paracletus, Spiritus veritatis.* Veritas ſiquidem eſt Chriſtus, juxta illud ipſius: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Ioan. cap. 14.

Confirmatur Catholica Veritas authoritatibus SS. Patrum, non ſolùm Latinorum, ut D. Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, aliorúmque, qui Proceſſionem Spiritûs Sancti à Patre, Filióque, ſemper concorditer docuerunt; ſed etiam Græcorum. Nam S. Athanaſius in Symbolo, *Quicunque*, ab ipſo compoſito, & poſtmodùm authoritate Eccleſiæ ſolemniter recepto, inter alia etiam hoc credendum proponit: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* Deinde Dydimus *lib. 2. de Spiritu S.* ac refertur *can. ult. de Conſecrat. diſt. 5.* Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, pluribus probat, atque inter alia ſic loquitur: *Salvator, qui & veritas ait: Non enim loquetur à ſemetipſo: hoc eſt, non ſine me, & ſine meo, & Patris arbitrio: quia inſeparabilis à mea, & Patris eſt voluntate. Quia non ex ſe eſt, ſed ex Patre, & me eſt: hoc enim ipſum, quod ſubſiſtit, & loquitur, à Patre, & me illi eſt.* Item S. Joannes Chryſoſtomus *Tom. 5. Homil. 1. de Expoſit. Symboli,* inquit: *iſte eſt Spiritus de Patre, & Filio procedens, qui dividit propria dona ſingulis, prout vult.* Idem in alia Homilia; *Credendum,* inquit, *eſt Spiritum Sanctum Patris eſſe, & Filij: iſtum Spiritum Sanctum dicimus Patri & Filio coæqualem, & procedentem de Patre & Filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant bonos mores.* 22

23 Præterea in Generali Concilio Florentino, pro Unione Græcorum *Anno 1439.* celebrato, plures aliæ SS. Patrum Græcorum authoritates à Latinis fuerunt allegatæ: ut illa S. Epiphanij *in ſermone Angiroto* nuncupato, ubi loquens de Deo Patre, inquit: *Ita, Filium dico eum, qui ex ipſo eſt; Sanctum autem Spiritum, qui ex utroque eſt.* Et iterùm *in cit. Serm.* ait D. Epiphanius: *Spiritus Sanctus, qui verè glorificat, docens omnia: qui quidem eſt à Patre & Filio.* In eadem Seſſione D. Baſilius Magnus *in 3. contra Eunomium libro,* ſcriptum reliquiſſe allegatur, Spiritum Sanctum ex Filio eſſe. Et ſubditur, quòd iſtam ſententiam hi Sancti Doctores habuerunt ex illo Evangelico dicto Joannis 16. *De meo accipiet.* Verba S. Baſilij *loc. cit.* (ac referuntur *Seſſ. 19. dicti Concilij*) ſunt hæc: *Cur enim neceſſe eſt, ſi dignitate ac ordine tertius eſt Spiritus, naturâ quoque ipſum tertium eſſe? dignitate namque ipſum ſecundum à Filio, cùm ab ipſo eſſe habeat, & ab ipſo accipiat, & annũtiet nobis, & omninò ab illa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit.*

24 Inſuper *Seſſ. 24. Quæ eſt ultima,* præter novam authoritatem D. Baſilij Magni, aliæ plures adducuntur SS. Patrum Græcorum ſententiæ; quibus clarè docuerunt, Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere; ut eſt illa S. Epiphanij Magni: *Siquidem creditur Chriſtus ex Deo, ut Deus de Deo, ſic etiam Sanctus Spiritus ex ambobus eſſe credendum eſt. Quemadmodum enim nemo novit Patrem niſi Filius, ita dicere audeo, nemo Filium niſi Spiritus, qui ex ambobus procedit.* Item Magnus Cyrillus ait: *Spiritus ex Filio ita profluit, quemadmodum etiam ex Patre.* Dydimus verò ſapientiſ-

ſi-

ſimus, & Magnus Athanaſius, ita dicunt: *Siquidem Spiritus ex Patre procedit, & de meo accipiet, & annuntiabit vobis, ſequitur ut ex Patre, Filióque ſit.* Hæc ibi. Tacentur plurimæ aliæ authoritates, quas Beſſarion Archiepiſcopus Nicœnus, in Oratione pro Unione (quæ ob excellentiam ſuam *Dogmatica* inſcribitur) in Synodo Florentina, ad Græcos duntaxat habitâ, *cap. 5. 6. & 7.* ad longum allegat, ut refertur *Tomo 2. Conciliorum*, circa finem ſæpe dicti Concilij Florentini.

25 Probatur eadem Catholica Veritas ratione Theologicâ. In Patre & Filio datur una eademque virtus ſpirativa reſpectu Spiritûs Sancti; ergo etiam æqualiter Spiritus S. ſpiratur, ſeu procedit ab utroque, veluti unico principio. Conſequentia patet: quia impoſſibile eſt, quòd exiſtente una eademque virtute ſpirativâ in utroque (& quidem cum ordine prioritatis ad actum) Spiritus Sanctus ſpiretur à Patre, & non ſimul ſpiretur à Filio: idque tum ob identitatem virtutis ſpirativæ in utroque; quâ ratione etiam impoſſibile eſt, Mundum creari à Patre, & non etiam creari à Filio, & Spiritu Sancto: cùm omnes tres Perſonæ habeant eandem eſſentiam, & potentiam, Tum quia in Divinis potentia non eſt ſeparabilis ab actu; idque ratione infinitæ perfectionis, & immutabilitatis Dei: unde etiam voluntas creandi Mundum in tempore, ab æterno jam fuit in Deo.

26 Antecedens autem principale probatur. Pater ab æterno generando Filium, per generationem omnia communicat Filio, ſola Paternitate exceptâ, utpote in qua ſola relative opponitur Filio; ergo etiam communicat Filio virtutem ſpirandi, ſive (ut loquuntur Theologi) Voluntatem fœcundam, cùm in hac non opponatur relativè Filio. Antecedens patet ex illo Joan. 16. ſuprà jam allegato: *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt:* ac proinde Pater nihil non communicavit Filio, præter Paternitatem, in qua ſola relativè opponuntur. Siquidem in Divinis omnia ſunt realiter idem, ubi non obſtat relationis oppoſitio: ſimúlque dici non poteſt, quòd Pater dederit Filio partem ſubſtantiæ ſuæ, & partem ſibi retinuerit, *c. Damnamus. §. Nos autem. de Summa Trinitat.* Tacentur aliæ rationes, de quibus Theologi.

27 Neque dictis obſtat illud Salvatoris Joan. 15. inquientis: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Reſp. enim cum Magiſtro *Sent. 1. diſt. 11.* & alijs, quòd, dum Veritas hic dicit, Spiritum Sanctum à Patre procedere, non addat, *ſolo;* atque ideò etiam à ſe procedere non neget: ſed ideò Patrem ſolummodò nominat, quia ad eum ſolet referre etiam id, quod ipſius eſt; cùm hoc ipſum à Patre habeat. Concordat D. Auguſtinus *lib. 3. contra Maximinum. cap. 14. tom. 6.* ubi inquit, hîc nominari ſolum Patrem, non ad excludendum Filium, ſed quia Pater ſolus eſt primarius author Proceſſionis Spiritûs Sancti, utpote habens eſſe, atque virtutem ſpirandi ex ſeipſo, & non ab alio: Filius enim habet à Patre & eſſe, & quòd ſpiret. Quinimò in hoc ipſo, quòd dicebatur Spiritus Sanctus à Patre procedere, etiam implicite continebatur, quòd procedat à Filio: cùm ſit una eademque virtus ſpirativa utriusque, ſive Voluntas fœcunda cum prioritate ad actum, ut proximè dictum.

Porrò, quòd illâ locutione, *qui à Patre procedit*, non excludatur Filius, quamvis expreſsè 28
non nominetur, patet à ſimilibus alijs S. Scripturæ locis: Sic enim Matth. cap. 16. dicitur: *Caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Item Joan. cap. 15. De Spiritu Paracleto dicitur; *Ille vos docebit omnia.* Et tamen etiam Pater, & Filius, nos docent; ſicut & illa revelatio communiter facta eſt, ab omnibus tribus Perſonis Divinis. Quinimò Matth. cap. 11. ſub dictione exceptivâ, *Niſi*, habetur: *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare:* & tamen hiſce verbis à cognitione Filij non excluditur ipſemet Filius, aut Spiritus Sanctus; neque à cognitione Patris ipſemet Pater, & Sanctus Spiritus, cùm ſint ejusdem naturæ, ſubſtantiæ, & cognitionis, ſeu ſcientiæ infinitæ. Deinde, quamvis in allegato textu Joan. 15. Filius expreſsè non nominetur, ſatis tamen ibidem indicatur, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, illis verbis Chriſti: *Quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis:* eò quòd Spiritum Sanctum mitti à Filio, idem ſit, ac procedere ab ipſo, prout cum D. Auguſtino ſuprà *num. 21.* jam dictum eſt.

Et per hoc etiam patet reſponſio ad dictum 29
illud S. Dionyſij, *cap. 1. De Divinis Nominibus circa init.* ubi ait: *Omnino igitur non audendum eſt quicquam de Summa abſtruſáque Divinitate aut dicere, aut cogitare præter ea, quæ nobis divinitùs ſcripta Divina enuntiaverunt.* Siquidem, ut obſervat D. Thomas *part. 1. quæſt. 36. art. 2. ad 1.* iſtud procedit, ubi aliquid in Sacra Scriptura non reperitur expreſſum, vel per verba, vel per ſenſum. Licet autem verbis expreſſis non habeatur in Sacra Scriptura, quòd Spiritus Sanctus etiam procedat à Filio, invenitur tamen iſtud in ea implicitè, & quantùm ad ſenſum; idque tum *in cit. cap. 15.* Joannis, ut dictum *num. 28.* tum præcipuè in illo Salvatoris, Joan. 16. ibi: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Item ibidem: *Omnia quæcunque Pater habet, mea ſunt;* prout ſuprà *num. 21.* & *num. 26.* uberiùs fuit declaratum.

Dices. S. Joannes Damaſcenus *lib. 1. de Fide* 30
Orthodoxâ, cap. 11. inquit: *Spiritum Sanctum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus, ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus; Spiritum verò Filij nominamus:* ergo Spiritus Sanctus à Filio non procedit. Reſp. cum D. Bonaventura *in 1. diſt. 11. art. 1. quæſt. 1. circa finem*, & alijs Damaſceno non eſſe in hac parte aſſentiendum, quia ſimpliciter fuit Græcus, eidem interim in contrarium opponuntur alij Doctores Græci, ſuprà jam allegati. Notandum quoque, quòd idem S. Da-

S. Damaſcenus *in Libro Hiſtoriæ de Barlaam & Joſaphat*, referat, quòd Barlaam, inſtruendo diſcipulum ſuum Joſaphat, juſſerit eum credere in Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedentem. Et quamvis Bellarminus *in Libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ad annum 731.* dicat, particulam illam, *Et Filio*, videri ab aliquo additam: rurſus tamen eſt notandum, quòd D. Damaſcenus *in cit. lib. 1. de Fide Orthodoxâ, cap. 11.* admodùm cautè loquatur: non enim dicit, quòd Spiritus S. non ſit à Filio: ſed ait, non dicimus à Filio: quia Græci hoc non confitebantur, nec tamen pro tunc negabant.

31 Accedit, quòd idem S. Damaſcenus *loc. cit.* aſſerat, *Spiritum per Filium dicimus, ex Filio non dicimus.* Quo modo etiam D. Hilarius *lib. 12. de Trinit. circa finem*, & nonnulli alij Doctores loquuntur, dicentes, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium. Nam, quod ad rem attinet, hoc idem eſt dicere, ac Spiritum Sanctum ex Patre Filióque procedere: quia enim Filius vim ſpirativam, ſeu Voluntatem fæcundam, habet à Patre eámque Pater cummunicavit Filio, hac ratione rectè etiam Spiritus S. dicitur procedere à Patre per Filium, & Pater ipſum ſpirare per Filium, ut notavit S. Thomas *cit. q. 36. art. 2.* Noluerunt tamen illi Patres dicere, Spiritum Sanctum procedere ex Filio, quia cenſuerunt, tutiùs dici *per Filium*, quàm *ex Filio*, quantùm ad modum loquendi, propter vigentem tunc hæreſin Macedonij, & Eunomij, qui dixerunt Spiritum Sanctum à Filio procedere tanquam ex primaria, imò & unica cauſa. Hæc autem ratio poſteà ceſſavit: quinimò pertinax error Græcorum negantium Proceſſionem Spiritûs Sancti à Filio, coëgit Eccleſiam ad eandem Proceſſionem à Filio expreſsè profitendam. Bellarminus *lib. 2. de Chriſto. cap. 27.* poſt Beſſarionem, & Gennadium.

32 Inſtabis cum Græcis. Si Spiritus Sanctus à Patre, Filióque procedit; ergo, cùm Pater & Filius realiter diſtinguantur, forent duo principia ſpirandi, duæque ſpirationes: quod eſt abſurdum dicere. Accedit, quòd Spiritus S. perfectè procedat à Patre; & conſequenter ſuperfluè procederet etiam à Filio. Reſp. neg. ſeq. Quia, ut dicit. S, Auguſtinus *lib. 5. de Trinit. cap. 14.* Pater & Filius non ſunt duo principa, ſed unum principium Spiritûs Sancti, Quod ipſum poſteà ſolemniter definitum fuit in Concilio Lugdunenſi, ſub Gregorio Papa X. ac refertur *cap. un. h. t. in 6.* ibi: *Spiritus Sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedit.*

33 Nec obſtat, quòd Pater, & Filius realiter ab invicem diſtinguantur. Siquidem Spiritus Sanctus non procedit à Patre, ut Pater eſt, neque à Filio, ut Filius eſt; ſed quatenus uterque Spirator eſt, habétque vim ſpirativam, ſive Voluntatem fœcundam: hæc enim una, eadémque in Patre ac Filio exiſtit, ſicque Spiritus Sanctus procedit ab utroque, ut ab uno principio, unicaque ſpiratione. Et hoc benè notârunt SS. Patres in Concilio Florentino. *Seſſ. 22. ac Seſſ. 24.* Nam, cùm Pater & Filius ſint correlativa, neceſſe eſt profiteri Patrem, ut Pater eſt, eſſe Filij Patrem; ac Filium, ut Filius eſt, eſſe Patris filium: Spiritum Sanctum autem per ſe neque ad Patrem quà talem, neque ad Filium quà talem referri (& conſequenter nec procedere à Patre & Filio, quatenùs Pater & Filius ſunt, atque ab invicem realiter diſtinguuntur) quia Spiritus per ſe non eſt relativum Patris, & Filij; ſed eâ ratione, quâ ſpiritus ſeu ſpiratus eſt, refertur ad ſpirantem, ſeu ſpiratorem, qualis ſpirator, ratione identitatis principij ſpirandi, unus idémque eſt Pater, atque Filius: prout in ſimili, haud obſtante diſtinctione reali Perſonarum Divinarum, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt *unum univerſorum principium*, ut dicitur *in c. Firmiter. h. t.*

Et per hoc etiam patet ad alteram inſtantiam. 34
Nam ex eo, quòd Spiritus S. perfectè procedat à Patre, neutiquam ſequitur eum ſuperfluè procedere à Filio: ſicut ex eo, quòd Pater perfectè Mundum creaverit, inferre non licet, eum ſuperfluè à Filio, & Spiritu Sancto, velut uno univerſorum principio creatum eſſe. Ratio horum eſt: Quia Sanctiſſima Trinitas non creavit Mundum, ſecundùm quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus eſt, ſed ſecundùm quod eadem res, eadem ſubſtantia, eadémque omnipotentia eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: & conſequenter unum, idémque univerſorum principium. Ita à pari Pater, & Filius, non ſpirant Spiritum Sanctum, ſecundùm quod Pater, & Filius ſunt, ſed ſecundùm quod in eis eſt una fæcunditas voluntatis, & ſic in quantùm unum principium, & per eandem ſpirationem. D. Bonaventura *cit. diſt. 11. art. 1. q. 2. ad 3.* & alij.

Urgebis. In quatuor Synodis Generalibus, 35
videlicet Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, ſolùm dicitur, quòd Spiritus S. procedat à Patre, ſive, ut loquitur Concilium Conſtantinopolitanum: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & Vivificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum.* Nullo igitur modo debuit addi in Symbolo noſtro, ſub Miſſa decantari ſolito, particula illa, *Filióque.* Quinimò illi videntur eſſe rei anathematis, qui dictam particulam addiderunt; cùm in memorato Concilio Chalcedonenſi anathematizentur omnes illi, *qui fuerint auſi aliam Fidem componere, ſive porrigere, aut proferre*, ut loquitur dictum Concilium.

Reſp. neg. ſeq. Siquidem per additionem 36
illius dictionis, *Filióque*, neutiquam fuit propoſita alia Fides; ſed duntaxat illud, quod implicitè jam continebatur tum in Sacra Scriptura, tum in prioribus Concilijs, atque Symbolis, propter novas hæreſes inſurgentes ampliùs declarabatur, & per aliqua expreſsè addita, magìs explicabatur; prout ipſimet Symbolo Apoſtolorum, non ſolùm Symbolum Nicænum, ſed alia quoque Symbola

in diverſis Concilijs addita fuerunt: Idque non ex eo, quòd Fides Catholica minùs benè, aut inſufficienter, contineretur in Symbolo Apoſtolorum; ſed ad clariorem explanationem veritatis, atque excluſionem inſurgentium errorum. Quia igitur tempore dictorum quatuor Conciliorum Generalium nondum exortus fuerat error dicentium, quòd Spiritus S. non procedat à Filio, non fuit neceſſarium iſtud explicitè ponere, ſed ſufficiebat uti verbis Salvatoris, in quibus iſta veritas implicitè jam continebatur. Poſtmodùm inſurgente palam dicto errore, expediens, imò & neceſſe fuit, authoritate Pontificiâ, ac præſertim Concilijs legitimè congregatis iſtam veritatem ampliùs declarare; & quod priùs implicitè in Sacris Litteris, & prioribus Concilijs continebatur, contra inſurgentes hæreſes expreſsè definire. Et hoc ipſum Eugenius IV. *in Litteris Unionis*, ad finem Concilij Florentini appoſitis, notavit illis verbis: *Diffinimus inſuper explicationem verborum illorum, Filioq́ue, veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc neceſſitate; licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.*

37 Porrò in Concilio Chalcedonenſi anathematizantur illi, qui aliud docuerint, vel aliter prædicaverint: hoc eſt, qui aliam Fidem proferendo contrarium aliquid ibidem definitis docuerint, vel prædicaverint. Juxta quod etiam D. Apoſtolus Galat cap. 1. loquitur dicens: *Si quis vobis prædicaverit præter id, quod accepiſtis* (hoc eſt; contrarium aliquid) *anathema ſit.* Non tamen per hoc prohibetur, veritatem Fidei contra inſurgentes errores magis declarare; &, quæ priùs implicitè credebantur, per additionem aliquorum verborum ex inſtinctu Spiritûs S. ab Eccleſia factam, ad confutationem hæreſum graſſantium expreſsè confiteri: prout hoc ipſum addendo particulam illam, *Filioq́ue* Sacroſancta Romana Eccleſia, quæ diſponente Domino cunctorum Fidelium Mater eſt, & Magiſtra, præſtare ſtuduit.

Plura de hoc in Actis Concilij Florentini, ac 38 præſertim in Oratione Beſſarionis, *Dogmatica* dictâ, quæ refertur ad finem Actorum dicti Concilij; quibus adde Theologos, & Controverſiſtas, fuſiùs de hoc differentes. Notat quóque Bellarminus *lib. 2. de Chriſto, cap. 30.* quòd; quamvis Græcia uſque ad tempus Schiſmatis ità floruerit Viris doctis, & ſanctis, ut omnia Concilia Generalia apud Græcos celebrata fuerint: poſt Schiſma tamen per annos fermè octingentos nullum habuerint Concilium, nullúmque Sanctum miraculis clarum. Et cùm ijdem Græci, in Concilijs convicti, ad unitatem Eccleſiæ, verámque Fidem, quater aut ſæpiùs redierint; ſemperque ad vomitum redierint (prout etiam accidit poſt Concilium Florentinum, annò 1439. celebratum) tandem, ut intelligerent cauſam exitij ſui eſſe pertinaciam in errore de Proceſſione Spiritûs Sancti, in ipſis Ferijs Pentecoſtalibus, Spiritui Sancto ſpecialiter Sacris; anno Domini *1452. die 29. Maij*, in quem incidebat Feria II. Pentecoſtes, à Turcis capta fuerit Conſtantinopolis, atque Imperator eorum occiſus, & Imperium penitus extinctum.

§. III.
De Fide Catholicâ, varijsque Fidei acceptionibus, ac definitione.

SUMMARIUM.

39. *Fidei nomen plures in Jure habet acceptiones. Et ſeqq.*
40. *Fides accepta pro credulitate, alia Divina, alia humana.*
41. *Accipitur ſubinde pro collectione Articulorum fide divinâ credendorum.*
42. *Et ſic ſumitur in Rubrica h. t.*
Chriſtiani Catholici, qui? Ibid.
43. *Fides Catholica, cur ſic appelletur?*
44. *Definitionem Fidei,* Hæbr. cap. 11. *traditam, impugnat Gloſſa.*
45. *Sed dicendum, eam eſſe bonam. Et ſeqq.*
46. & 47. *Quid in ea importet ly:* Sperandarum ſubſtantia rerum?
48. *Et quid ly:* Argumentum non apparentium?
Duplex munus Fidei, nempe illuminare ex parte intellectûs, & ſtabilire ex parte voluntatis, n. 45. 47. & 48.
Fides eſt, credere quod non vides, n. 48.
49. *Solvuntur rationes Gloſſæ in contrarium adductæ. Et num. ſeqq.*
Fides & Spes, in quibus differant. Ibid.
50. *Fides Divina, ab Apoſtolo deſcripta, ſecernitur à Fide humanâ, ab Opinione, & Suſpicione, atque à ſcientia; & quomodo?*
51. *Alia definitio Fidei ſupernaturalis, tum habitualis, tum actualis.*

39 Quæritur I. Quot modis *Fidei* nomen accipiatur, & quomodo ſumatur in altera parte Rubricæ præſentis Tituli? Reſp. I. Fidei vocabulum generatim acceptum varias in Jure habet ſignificationes, quas refert Gloſſa *ad Rubricam hujus Tituli*, & alia Gloſſa *in can. Movet. 22. q. 1. ℣. Neque.* Quandoque enim Fides ſumitur pro fidelitate, ſeu veritate in ſervandis promiſſis; ut *can. Noli. 23. q. 1.* ibi: *Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt; quantò*

quantò magìs amico? Interdum pro ipſamet promiſſione; ut *cap.* 1. *de Sponſa duorum.* & §. *Venditæ. Inſtit. de Rerum divis.* ibi: *Si is qui vendidit, fidem* (hoc eſt, promiſſionem) *emptoris ſecutus fuerit.* Item pro æquitate in contractibus conſiderata: quâ ratione Actiones quædam dicuntur eſſe bonæ fidei, aliæ ſtricti juris; *§. Actionum autem. Inſtit. de Actionib.* Aliquando pro conſcientia, ſeu dictamine ipſius; ut *Rom. cap.* 14. & *cap. ult. de Præſcript.* ibi: *Quoniam omne, quod non eſt ex fide* (ſive ſecundùm dictamen conſcientiæ) *peccatum eſt.* Et in hoc ſenſu dicitur quis *Poſſeſſor bonæ fidei*, vel *malæ fidei*, juxta quod poſſidet rem ut ſuam cum dictamine, ſive credulitate conſcientiæ, quòd ſit ſua, vel quòd non ſit ſua. Sumitur etiam Fides, prout eſt unum ex tribus bonis Matrimonij; ut *in can. Omne.* 27. *q.* 2. Item pro fiducia conſequendi rem deſideratam, aut promiſſam; ut Matth. cap. 14. *Modicæ fidei, quare dubitâſti?* Et Jacob. cap. 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Atque etiam pro Fidei Sacramento, ſive pro Baptiſmo; ut *in can. Nihil eſt aliud. de Conſecrat. diſt.* 4.

40 Ulteriùs, & magìs ad propoſitum, Fides accipitur pro credulitate, ſive aſſenſu intellectûs, qui adhibetur alicui aliquid affirmanti, ſeu dicenti, quod non videtur, propter ejus authoritatem. Et quidem authoritas hæc, ſi ſit hominis, dicitur *Fides humana*; ſi Dei, *Fides Divina*: quamquàm impræſentiarum de Fide humana ſermo non ſit, ſed ſolùm de Fide Divina, de qua Apoſtolus *Hebræor. cap.* 10. inquit: *Juſtus ex fide vivit.* Et rurſus Hebræ. cap. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quæ quidem Fides Divina eſt virtus intellectualis, ſupernaturalis, atque una ex tribus Virtutibus Theologicis: & ſubdividitur in actualem & habitualem: quarum prior importat actualem aſſenſum ſupernaturalem, quo quidpiam credimus propter authoritatem Dei illud revelantis: poſterior autem denotat habitum ſupernaturalem, & divinitùs nobis infuſum, quo inclinamur, atque facilitamur ad ejusmodi actus Fidei eliciendos propter infallibilem veracitatem Dei revelantis, prout paulò inferiùs ampliùs dicetur.

41 Tandem Fidei nomen accipitur pro collectione articulorum Fide Divina credendorum, ſive pro objecto materiali ipſius; juxta illud Symboli D. Athanaſij: *Hæc eſt Fides Catholica*: id eſt, articuli Fidei Catholicæ, ſeu objecta materialia ipſius. In qua Fidei acceptione loquitur etiam S. Hieronymus ad Damaſum Papam in Expoſitione Fidei, ac refertur *in can. Hæc eſt Fides.* 24. *q.* 1. dicens: *Hæc eſt Fides, quam in Eccleſia Catholica didicimus, quámque ſemper tenuimus, & tenemus.*

42 Reſp. II. Altera pars Rubricæ præſentis Tituli, quæ inſcribitur, *Et de Fide Catholica*, procedit de Fide, in poſtremo ſenſu accepta, ſeu prout ipſa ſumitur pro collectione articulorum divinitùs revelatorum, & ab Eccleſia ad credendum nobis propoſitorum. Patet hoc *ex cap.* 1. *& ſeqq. h. t.* ubi pleniùs refertur collectio talium objectorum materialium Fidei Catholicæ, id eſt, univerſalis: nam græcè Καθολικόν, latinè *univerſale* ſignificat. Quâ ratione Fidem Catholicam ſervantes, *Chriſtianorum Catholicorum nomen jubentur amplecti*: non ſervantes autem, *Hæretici* vocantur, *in l. Cunctos populos. C. De Summa Trinitat. & Fide Cathol.*

Et meritò iſthæc *Fides* nuncupatur *Catholica*, 43 ſive univerſalis: tum quia, per prædicationem Evangelicam toto orbe Terrarum, longè latéque diffuſa exiſtit; juxta illud Propheticum, Pſalm. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et illud Salvatoris, Marc. cap. ult. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item Actor. cap. 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Tum quia eſt univerſalis etiam quoad tempus; nam nunquam deficiet, ſed ſemper durabit, uſque ad finem Mundi, haud obſtantibus quibuscunque perſecutionibus, ſicut & ipſa Sancta Eccleſia Catholica; juxta illam infallibilem Chriſti Domini promiſſionem, *Matth.* 16. Principi Apoſtolorum factam: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*, cum ſimilibus.

Quæritur II. Utrùm bona ſit definitio Fidei, 44 quæ traditur ab Apoſtolo Hebr. c. 11. illis verbis: *Eſt autem Fides, ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Gloſſa *ad Rubricam h. t.* cenſet, eam non eſſe bonam: tum quia (inquit) non eſt convertibilis cum ſuo definito, ſed convenit etiam Spei, quæ ſimiliter eſt Subſtantia rerum ſperandarum. Tum quia definitio illa videtur tantùm loqui de futuris: atqui vera Fides eſt tam de præſentibus, quàm præteritis, & futuris; oportet enim credere, & Chriſtum pro nobis fuiſſe natum, mortuum, atque ſepultum, & ipſum exiſtere in cælis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & eum eſſe venturum judicare vivos & mortuos: quamvìs adhuc una duntaxat Fides ſit, reſpiciens & comprehendens illa diverſa tempora, juxta illud Apoſtoli Epheſ. cap. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: ſicque allata definitio videtur inſufficiens. Ita diſcurrit Gloſſa citata.

Dicendum tamen cum D. Thoma 2. 2. *q.* 4. 45 *art.* 1. D. Bonaventura *in* 3. *Sent. diſt.* 23. *art.* 1. *q.* 1. Abbate Panormitano *ad Rubr. h. t. n.* 1. & alijs paſſim, definitionem Fidei ab Apoſtolo traditam eſſe bonam, ſufficientem, & convertibilem cum definito: idque probatur tum ex declaratione ſingularum particularum ipſius, quæ nihil continent ſuperfluum, aut diminutum; tum ex ſolutione rationum Gloſſæ. Accedit, quòd Apoſtolus in allata definitione convenienter comprehendat duplex munus Fidei, propter quod nobis divinitùs infunditur: nempe ad illuminandum, firmitérque credendum ex parte intellectûs; & ad ſuſtentandum, ſive ſtabiliendum Spem noſtram, omnésque actus, ſeu affectus bonos ex parte voluntatis. Siquidem.

Dici-

Dicitur imprimis in allata Fidei definitione, *ſperandarum ſubſtantia rerum.* Hoc eſt, fundamentum, ac baſis rerum à Fidelibus ſperandarum, ſupra quod videlicet Spes noſtra ſupernaturalis fundatur, & radicatur: nam quæ ſperamus conſequi in cælis, non niſi Fide nobis fiunt cognita, & certa: quâ proindè ratione Fides Divina vocatur Fulcrum, ipsúmque fundamentum Spei Chriſtianæ; sicque rectiſſimè dicitur *ſperandarum ſubſtantia rerum.* Quod quidem vel maximè procedit in ordine ad objectum primarium, & principale Fidei ſupernaturalis, quod eſt DEUS Ter Opt. Max. Nam negari non poteſt, aliqua eſſe credenda ob infinitam, & infallibilem veracitatem Dei revelantis, quæ nec ſperamus, nec conſequi deſideramus: ut ſunt Diluvium, Infernus, lapſus primorum Parentum, ſuſpenſio Judæ proditoris, & hujusmodi plura alia, quæ ſunt objecta Fidei minùs principalia.

47 Deinde verbis illis, *ſperandarum ſubſtantia rerum*, partim nobis indicatur objectum primarium Fidei Theologicæ, quod eſt DEUS Ter Opt. Max. quem pie fideliterque vivendo, in cælis æternaliter conſequi ſperamus. Partim etiam manifeſtatur quædam Fidei proprietas, utpote quæ debet eſſe certa, & infallibilis: unde appellatur *ſubſtantia.* Partim verò indicatur alterum munus Fidei, conſiſtens in ſtabiliendo affectu noſtræ voluntatis ad ſperandum cæleſtia, & procurandam horum finalem conſecutionem per exercitium bonorum operum.

48 Dicitur ſecundò, *argumentum*: quod idem eſt, ac firma adhæſio intellectûs, ſive firmus certúsq; aſſenſus ipſius. Et additur, *non apparentium*, ad denotandum, quòd ejusmodi firma, & infallibilis adhæſio intellectûs ſit de rebus, quæ ex ſe non ſunt claræ, & evidentes: nam *Fides eſt, credere quod non vides*, juxta D. Auguſtinum, relatum *in c. In domo. de Pœnit. diſt. 4.* Atque, ut loquitur Gloſſa, ibidem: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Quamobrem Fidei maximè proprium eſt, ut *in captivitatem redigat omnem intellectum in obſequium Chriſti*, prout loquitur idem Apoſtolus 2. *Corinth.* 10. Quia verò dicta adhæſio intellectûs, habita per Fidem, firma eſt, certa, atque infallibilis, sicque *argumentum* dicitur: ulteriùs per hoc inſinuatur primum munus Fidei ſupernaturalis, quod eſt illuminare intellectum, eúmque ad firmiter credendum corroborare; eò quòd Fides ab Apoſtolo deſcripta innitatur revelationi Divinæ, & prorſus infallibili, factæ de illis, quæ quidem nondum videmus, ſperamus tamen conſequi in cælis, ut dictum *num. 46.*

49 Ex dictis patet reſponſio ad rationes Gloſſæ. Nam, quantùm ad primam, negatur aſſumptum. Licet enim Spes dici poſſit ſperandarum ſubſtantia rerum (nam *Spes eſt virtus, quâ ſpiritualia & æterna Bona ſperantur, id eſt, cum fiducia expectantur*, ut inquit Magiſter Sententiarum in *3. diſt. 26.*) nihilominus altera pars videlicet *argumentum non apparentium*, Spei nullatenus convenit. Inſuper Fides eſt rerum tum bonarum, tum malarum, ut à Deo revelatarum; ut puta peccatorum olim commiſſorum, item Diluvij, aliorúmque ſuppliciorum à Deo immiſſorum, atque in S. Scriptura deſcriptorum: Spes econtrà eſt rerum tantummodò bonarum, cùm nemo ſperet, ſive deſideret ſibi malum. Item Fides habet ſe ad omne tempus, credendo tum præterita, tum præſentia, tum futura, propter atteſtationem Æternæ Veritatis: Spes autem ſolùm de futuris. Atque, ut breviter loquitur Doctor Subtilis *in 3. diſt. 31. quæſt. un. §. Reſpondeo,* Fides ex ratione ſua inclinat tantùm in verum latens: & Spes tantùm inclinat in bonum commodum abſens.

Ulteriùs, quòd definitio Fidei, ab Apoſtolo 50
aſſignata, convertibilis ſit cum ſuo definito, patet ex eo: quia per ly, *ſubſtantia rerum ſperandarum*, ſecernitur Fides Divina à Fide humana, utpote quæ non eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, ſive baſis Spei ſupernaturalis, ſicut illa. Deinde per ly, *argumentum*, rurſus Fides Divina ab Apoſtolo definita, diſtinguitur ab humana: nam hæc eſt fallibilis (homines enim & fallere poſſunt, & falli) non illa, propter infallibilem veracitatem Dei revelantis, qui nec fallere poteſt, nec falli. Differt etiam per eandem particulam Fides præfata ab opinione, & ſuſpicione, eò quòd in his non adſit firma adhæſio intellectûs, benè tamen in illa. Tandem per ly, *non apparentium*, ſecernitur Fides à ſcientia, utpote per quam quidpiam apparet certum, ac evidens: item & ab inſpectione oculari, de viſis enim non habetur fides, ſed agnitio; ſive, ut S. Gregorius, *Homil. 26. in Evangelia*, loquitur: *Quæ apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem.*

Ad alteram rationem Gloſſæ negatur Aſſum- 51
ptum. Siquidem ly, *argumentum non apparentium*, quo indicatur ipſamet eſſentia, & ratio quidditativa Fidei ſupernaturalis, ſeſe habet indifferenter ad omne tempus, tam præteritum ſcilicet, quàm præſens, & futurum. Quòd ſi tamen allata Apoſtoli definitio cuipiam videatur obſcurior, dici poteſt: *Fides ſupernaturalis habitualis*, eſt virtus divinitùs infuſa, & donum DEI, quo velut lumine illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ à Deo revelata ſunt ob infallibilem ejus veracitatem. *Fides actualis* verò, eſt actus ſupernaturalis, quo quis aſſentitur propoſitionibus à Deo revelatis, ob ejusdem infallibilem veracitatem.

§. I.

De Symbolis Fidem Catholicam profitentibus.

SUMMARIUM.

52. *Symbolum Fidei, quid?*
53. *Et unde dicatur* Symbolum?
54. *Plura Symbola Fidei ſucceſſivè fuerunt edita.*
55. *Ea tamen omnia in effectu concordant.*
56. *Quatuor Symbola Fidei magis principalia enumerantur.*
57. *Symbolum Apoſtolorum ſic dictum, quia ab Apoſtolis confectum.*
58. *Et cur id fecerint?*
59. *Quos Articulos ſinguli Apoſtoli poſuerint? Refertur aliorum opinio.*
60. *Veriſimilior Scoti ſententia probatur.*
61. *Symbolum Apoſtolorum, quot Articulos contineat? Et ſeqq.*
62. *Nomine* Articuli Fidei, *quid intelligatur?*
63. *Articulus Fidei ſumitur tripliciter.*
64. *Symbolum Nicænum, quale?*
65. *In Miſſa, quale Symbolum cantetur?*
66. *In Symbolo Apoſtolorum, quomodo Fides ſufficienter contineatur?*
67. *Et cur poſt illud fuerit conditum Symbolum Nicænum?*
68. *Articuli Fidei an ſucceſſu temporis creverint? Et num. 71.*
69. *Eadem Fides fuit Patrum veteris Teſtamenti, & noſtra.*
70. *Solvitur inſtantia.*
71. *Alia inſtantia diluitur.*
72. *Utrum Eccleſia, vel Papa, poſſit facere novum Articulum Fidei?*
73. *Aut reddere Aſſertionem modò falſam, quæ priùs erat vera?*
Eccleſia definiendo, qui Libri ſint Canonici, non per hoc facit eos eſſe ſcripturam Divinam. Ibid.
74. *Utrum Eccleſia Aſſertionem quandam faciat Catholicam, aut Hæreticam, quæ anteà talis non erat?*
75. *Quomodo myſteria Fidei ſucceſſivè magis fuerint explicata, declaratur exemplo,* Hebræ. c. 11. *adducto.*
76. *Et alio exemplo de Pædagogo.*
77. *Symbolum S. Athanaſij, quale, & quando ab ipſo compoſitum?*
78. *Et unde habeat authoritatem Regulæ Fidei? Et ſeqq.*
79. *Symbolum ordinare ſpectat duntaxat ad Summum Pontificem.*
80. *Symbolum Apoſtolorum, Nicænum, S. Athanaſij, quando, & ex quo myſterio, dicatur in Officio Divino?*
81. *Quid ſentiendum de Symbolo quarto*, in c. Firmiter h. t. *relato?*

52 QUæritur I. Quid ſit Symbolum Fidei, & quotuplex? Reſp. *Symbolum* in propoſito aliud non eſt, quàm brevis quædam Summa, ſive Collectio Myſteriorum Fidei Catholicæ indubitanter credendorum ab omnibus propter infallibilem veracitatem Dei revelantis.

53 Et dicitur *Symbolum*, vel à *Syn*, quod eſt ſimul, & *bolus*, quod eſt morſellus: quia videlicet Symbolum Apoſtolicum, quod eſt primum, & à quo cætera vocantur Symbola, confectum eſt ab omnibus ſimul Apoſtolis, ſingulis eorum aliquem morſellum, ſive particulam quandam apponentibus; prout tenet Gloſſa, *ad Rubric. h. t. circa finem.* & alia Gloſſa *in can. 1. ℣. Apoſtolos. diſt. 15.* ac Canoniſtæ paſſim. Vel juxta alios, quia *Symbolum* græcè, latine ſonat *judicium*; hinc *Symbolum Fidei* ſic dictum videtur, eò quòd ſit quoddam indicium, ſive ſignum exterioris profeſſionis Fidei, quo veri Fideles diſcernuntur ab infidelibus, Paganis videlicet, Judæis, & Hæreticis: ſicut à ſimili teſſera illa, quam milites aſſumere conſueverunt ad diſcernendum ſocios ab hoſtibus, & exploratoribus, *Symbolum militare* vocatur. Bellarminus *Præfat. ad Explicat. Symboli Apoſtolici.* Calepinus *V. Symbolum* & favet Archidiaconus *in can. 1. diſt. 15. n. 4.* quamvis poſteà priorem Gloſſæ opinionem acceptet.

Reſp. II. Etſi plura Symbola Fidei ad majorem veritatis explicationem, atque excluſionem hæreſum pro tempore inſurgentium, ſucceſſivè in Eccleſiâ Catholica fuerint edita, adeò, ut D. Thomas *part. 1. q. 36. art. 2. ad 2.* aſſerat in quolibet Concilio inſtitutum fuiſſe Symbolum aliquod, propter errorem in eo damnatum: & ideò Cardinalis Jacobitius *tom. 13. Tractatuum, tract. de Concilijs. lib. 1. art. 1. n. 42.* dicat, quaſi ad triginta duo Symbola in varijs Concilijs repilogata fuiſſe. 54

Nihilominus omnia illa Symbola in effectu concordârunt, & concordant: cùm ſequens Concilium neutiquam fecerit aliud Symbolum à priori, ſed duntaxat id, quod in priori, ipſóque Symbolo Apoſtolorum implicitè continebatur, per aliqua expreſsè addita contra inſurgentes ſucceſſu temporis hæreſes paulò latiùs explicaverit. Unde, ſicut Sancta quatuor Evangelia, non tam ſunt quatuor Evangelia, quàm quatuor Libri ejuſdem Evangelij, teſte D. Auguſtino *Tract. 36. in Joannem.* Ita plura Symbola, ſucceſſivè in Eccleſia Catholica contra exurgentes hæreſes propoſita, non tam ſunt plura Symbola, quàm plures ejuſdem Symboli Apoſtolorum enarrationes, ſive declarationes. 55

Cæterùm non immeritò Gloſſa *ad Rubricam. h. t. in fine*, mentionem facit quatuor tantùm Sym- 56

Symbolorum, utpote magìs principalium: quæ ſunt Symbolum Apoſtolicum, Symbolum Nicænum, Symbolum D. Athanaſij, & Symbolum Concilij Generalis, relatum, *in c. Firmiter. h. t.* de quibus proinde ſolis in progreſſu ſingillatim dicetur.

57 Quæritur II. Quid ſpeciatim ſit dicendum de Symbolo Apoſtolorum? Reſp. I. *Symbolum Apoſtolorum* ſic dicitur, quia confectum fuit ab Apoſtolis. Siquidem ſancti Apoſtoli, Magiſtri orbis terrarum à Chriſto conſtituti, antequàm ſepararentur ab invicem ad prædicandum cunctis Gentibus Evangelium, myſteria illa, quæ ab omnibus credenda ſunt, in unam brevem Summam collegerunt, eámque poſtmodùm Fidelibus tradiderunt. Et hoc quidem fecerunt Apoſtoli ex ſpeciali inſtinctu Spiritûs ſancti, atque ſingillatim conferendo ſuas ſententias, ita quòd quilibet eorum poſuerit ibi ſuam particulam, juxta D. Auguſtinum *Serm. de Vigilia Pentecoſt. tom. 10.* & Doctores communiter, eáſque omnes in ſimul poſtmodùm approbaverint, receperint, Fidelibúſque pariformiter tradiderint.

58 Et hoc quidem factum eſt pluribus de cauſis. I. Quia non poterant omnes prædicationem Evangelicam audituri, per ſe ipſos Sacras Scripturas legere, vel intelligere: unde conveniens, imò & neceſſe videbatur, ut una brevis Summa, ad duodecim breviſſimas ſententias redacta, juxta numerum videlicet duodecim Apoſtolorum Agni, ex toto corpore Divinarum Scripturarum colligeretur, quæ & principalia Fidei myſteria contineret, & ab omnibus facilè capi, memoriáque retineri poſſet. II. Ut omnes Fideles in unius, ejuſdemque Fidei confeſſione, ac profeſſione, concordes exiſterent, habentes ubique locorum unam Fidei normam, atque Symbolum, quo inter ſe convenirent, & ab Infidelibus ſecernerentur. III. Ut una Sancta Eccleſia, ob hanc Symboli unitatem, ab omnibus Apoſtolis ſingillatim confectam, & ubique terrarum prædicatam, poſt Chriſtum, Lapidem vivum, fundamentalem, angularem, & primarium, etiam ſuper duodecim Apoſtolos ædificaretur. IV. Ut ob hanc ipſam Fidei, Symbolique unitatem, atque profeſſionem, in toto terrarum orbe obſervatam, vera *Fides* diceretur, ac re ipsâ exiſteret, *Catholica*, hoc eſt, univerſalis; juxta illud Propheticum, Pſalm. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

59 Reſp. II. Symbolum Apoſtolorum paſſim dividitur in duodecim Articulos, juxta numerum duodecim Apoſtolorum, à quibus ſingillatim ſunt poſiti. Nam D. Petrus primò poſuit particulam ſuam dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Deinde cæteri Apoſtoli per ordinem ſinguli addiderunt ſingulas particulas, licet quas determinatè ſinguli appoſuerint, non adeò conveniat inter Doctores. Nam D. Bonaventura *in 3 diſt. 25. art. 1. q. 1.* ſecundam particulam, videlicet, *Et in JEſum Chriſtum, Filium ejus, unicum Dominum noſtrum,* attribuit Andreæ: tertiam Joanni; quartam Jacobo majori; quintam Thomæ; ſextam Jacobo minori; ſeptimam Philippo; octavam Bartholomæo; nonam Matthæo; decimam Simoni Chananæo; undecimam Judæ Thaddæo; & duodecimam Mathiæ. Cæterùm Hoſtienſis *in Summa, Tit. de Fide Catholica.* §. *Quot & qui articuli*, in cæteris concordans cum Doctore Seraphico, tertiam particulam aſſignat Jacobo fratri Joannis, & quartam ipſi Joanni. At verò Archidiaconus *in can. Canones. n. 5. diſt. 15.* ſecundam particulam aſſignat Paulo, tertiam Andreæ, quartam Jacobo; &c.

Sed quamvìs circa hoc omnimoda certitudo non habeatur, magìs tamen veriſimile eſt, quod tradit Doctor Subtilis *in 3. diſt. 25. q. un.* §. *Horum articulorum*, dicens, quòd S. Petrus poſuerit primum Articulum; Joannes ſecundum, qui eſt de perſona Filij Dei; Jacobus Zebedæi tertium, qui eſt de ejus conceptione, & nativitate; Andreas quartum, ſeu de Paſſione. Philippus quintum, nempe de deſcenſu ad Inferos. Thomas ſextum de reſurrectione. Bartholomæus ſeptimum, ſive de aſcenſione. Matthæus octavum, qui eſt de Chriſti adventu ad judicium. Jacobus Alphæi nonum, ſive de perſona Spiritûs Sancti. Simon Zelotes decimum, qui complectitur opus gratiæ quoad collationem boni, ſcilicet *ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.* Et Judas Jacobi undecimum, qui reſpicit opus gratiæ quoad mali remotionem, ſcilicet *Remiſſionem peccatorum.* Duodecimum autem, qui concernit effectum Gloriæ, S. Mathias illis verbis, *Carnis reſurrectionem, & vitam æternam.* Et hæc doctrina Scotica fundatur in Sacra Scriptura: nam *Actor. cap. 1. verſ. 13.* hoc eodem ordine referuntur Apoſtoli poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem: atqui credibile eſt, quòd ſinguli Apoſtoli poſuerint ſingulos Articulos Symboli, ab ipſis confecti juxta ordinem poſt Chriſti aſcenſum inter eos obſervatum, & à S. Luca *loc. cit.* relatum; ergo. 60

Reſp. III. Licèt Symbolum Apoſtolorum, juxta horum numerum, paſſim dividatur in duodecim Articulos, ut dictum: ſi tamen Articuli diſtinguantur quantùm ad ipſa Credita poſſent plures diſtingui. Et hac ratione D. Bonaventura *loc. cit.* atque Scotus *in 3. diſt. 25. q. un.* §. *Sed poſito*, nec non & Hoſtienſis *in Summ. Tit. de Fide Catholica*, §. *Secundùm alios verò*, diſtinguunt quatuordecim Articulos, quorum ſeptem pertinent ad Deitatem, ſpectatam tam quoad ſe (nempe quoad unitatem Eſſentiæ, ac trinitatem Perſonarum Divinarũ; unde quatuor, quantùm ad ipſa Credita, habentur Articuli, quorum primo confitemur unitatem Eſſentiæ, & alijs tribus tres Perſonas Divinas) quàm quoad ſuos effectus, qui generatim ſunt tres, videlicet Creationis, Juſtificationis, & Glorificationis. Septem alij verò Articuli ſpectant ad Humanitatem à Deo aſſumptam; & ſunt Conceptio JEſu Chriſti Filij Dei, ejuſdem Nativitas, Paſſio, Deſcenſus ad Inferos, Reſurrectio à mortuis, Aſcenſio in cœlum, & Adventus ad extremum Judicium. 61

62 Ratio horum eſt: quia nomine *Articuli Fidei* intelligitur veritas quædam Fidei, habens ſpecialem difficultatem in credendo, non dependentem ex alia. Unde in quibus non reperitur ejusmodi ſpecialis ratio, atque difficultas, ibi non oportet diſtinguere Articulos: prout v.g. quòd Chriſtus fuerit crucifixus, mortuus, ac ſepultus, non conſtituunt diverſos Articulos; cùm non habeant diverſam difficultatē in credendo, ſed uno ſuſcepto, ac credito, facilè ſit etiam aliud ſuſcipere, & credere: econtra verò, quia aliam habet difficultatem ad credendum, quòd Deus ſit paſſus, & quòd mortuus reſurrexerit, rectè diſtinguitur articulus Reſurrectionis ab articulo Paſſionis, ut obſervat D. Thomas *2. 2. q. 1. art. 6.* Atqui ejusmodi ſpecialis difficultas ad credendum reperitur in enumeratis quatuordecim Creditis, ſive particulis Symboli Apoſtolici; prout liquet ex diverſis hæreſibus circa ſingula eorum ſubortis, de quibus fit mentio *in can. Quidam autem Hæretici.* 24. *q.* 3. & alibi; ergo.

63 Sciendum tamen, quòd Articulus Fidei non ſemper prædicto modo accipiatur: quinimò ſecundùm Archidiaconum *in can. Canones. n.* 6. *diſt* 15. & Vincentium Hoſtienſem, Jo. Andreā, & alios *in c. Cùm Chriſtus: de Hæreticis.* & Fagnanum *c. Firmiter. n. 40. h. t.* Articulus Fidei ſumitur tripliciter. Primò ſtrictè: & ſic hoc nomine appellantur illi ſoli, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur: & iſtos tenentur omnes, poſtquàm ad uſum rationis pervenerunt, explicitè credere, diſcere & ſcire, ſaltem quoad ſubſtantiam, *arg. can. Ante viginti. & can. Baptizandos. & can. Non liceat. de Conſecr. diſt. 4.* Secundò largiùs, prout Articulus Fidei comprehendit etiam diffinitiones Eccleſiæ ſuper quæſtionibus Fidei, factas à Summis Pontificibus, ſeu Conciliis Generalibus: quales habentur *in c. Cùm Chriſtus. de Hæret. & Extravag. Joannis XXII. Cùm inter nonnullos.* & alibi ſæpè. Circa talia ſiquidem ante diffinitionem Eccleſiæ contrarium dicere, non erat prohibitum, cùm de veritate ipſa necdum canonicè conſtaret: ſed factā ſemel diffinitione S. Matris Eccleſiæ, quæ eſt *Columna, & Firmamentum Veritatis. 1. Timoth.* 3. atque in materia Fidei ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti errare non poteſt, oppoſitum pertinaciter tenere nefas eſt, atque hæreticum: unde in hoc ſenſu, quod anteà non fuerat Articulus Fidei, poſt diffinitionem S. Matris Eccleſiæ ſive in Concilio Generali, ſive mediante Summo Pontifice extra illud factam, cœpit eſſe Articulus Fidei. Tertiò Articulus Fidei poteſt ſumi largiſſimè, videlicet pro quacunque Sententia vera circa Fidem, ſive ſit definita, ſive non: & juxta hanc triplicem acceptionem, Articuli Fidei variè ulteriùs poſſunt diſtingui.

64 Quæritur III. Quale ſit Symbolum Nicænum, & cur poſt Symbolum Apoſtolorum fuerit conditum? Reſp. *Symbolum Nicænum* dicitur, quod contra Arianæ perfidiæ blaſphemias aliasque ſubortas hæreſes; à ſanctis Patribus in Concilio Nicæno primo de omni terrarum orbe convenientibus, juxta Evangelicam, & Apoſtolicam doctrinam conditum fuit; ut notatur *in can. Canones. diſt.* 15.

65 Et hoc eſt illud Symbolum, quod incipit, *Credo in unum Deum*: atque cantatur in Miſſa ex ordinatione S. Damaſi Papæ I. & Decreto ſanctæ univerſalis Synodi Conſtantinopolitanæ, ut notat Gloſſa marginalis *in cit. can. Canones.* & Archidiaconus *ibidem n.* 3. Quamquàm additio illa, *Filióque* primùm facta fuerit in Concilio Toletano primo, prout jam ſuprà *n.* 20. dictum: atque ipſi Symbolo Nicæno ad majorem Fidei explanationem, & novarum hæreſum confutationem, quædam per Synodum Generalem Conſtantinopolitanam denuo appoſita fuerint, prout liquet intuenti Symbolum, tam in Concilio Nicæno, quàm Conſtantinopolitano recitatū. Hinc ratione dictarum additionū, inquit Barth. Gavantus *part.* 1. *Commentar. in Rubricas. Tit.* 11. *de Symbolo*, quòd Symbolum in Miſſa recitari ſolitum, neq; eſt Nicænum, neq; Conſtantinopolitanum purum, ſed dici poteſt Eccleſiaſticum.

66 Dices. In Symbolo Apoſtolorum jam Fides ſufficienter traditur, ergo alia Symbola ſuperfluunt: nam abſurdum eſt dicere, quòd Apoſtoli, qui repleti fuerunt Spiritu Sancto, ediderint Symbolum diminutū, & non plenè integrè Fidem continens. Reſp. neg. conſeq. Licet enim in Symbolo Apoſtolorum Fides ſufficienter jam contineretur, quantùm ad propriam & ſimplicem Fidei confeſſionem: quia tamen poſtmodùm indocti, inſtabiles, & perverſi homines doctrinam Apoſtolicam in Symbolo traditam, ſicut & cæteras Scripturas, depravârunt ad ſuam ipſorum perditionem, ut legitur 1. *Petri, cap. ult.* neceſſe fuit temporibus procedentibus congregare Concilia, in eisq; exemplo Apoſtolorum, de quo *Actor. cap.* 15. explicare Fidem contra ſubortas hæreſes, ipsámq; Fidei explicationem in brevem Sumam redigendo, addere alia Symbola: non quaſi Symbolum Apoſtolicū, quantùm ad ſimplicem Fidei confeſſionem fuerit inſufficiens, ſed ad majorem ejus explanationem, atque expreſſam hæreſum inſurgentium excluſionem, & confutationem.

67 Et per hoc patet ad alterā propoſitæ quæſtionis partem, ſive cur Symbolum Nicænum fuerit conditum poſt Symbolum Apoſtolorum. Reſp. enim, id factum eſſe ad majorē Fidei explicationē, atq; expreſsè confutandas hæreſes de novo inſurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres ſanctæ Generalis Nicænæ Synodi nonnulla in ſuo Symbolo addiderunt verba ad Symbolū Apoſtolorū, ut patet inductione. Sic quippe in Symbolo Nicæno non tantū dicitur, *Credo in Deum*; ſed ad rejiciendam hæreſim impij Manichæi, expreſsè additur, *in unum Deum.* Nec tantùm, *Creatorem cœli*; ſed etiam, *viſibilium & inviſibilium.* Inſuper ad extirpandam hæreſin Arianam, vel maximè graſſantem, non ſolùm dicitur, *Et in JEſum Chriſtum*; ſed additur, *Filium DEI Unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula:*

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Rurſus in confutationem hæreſis Eutychetis, & Neſtorij, qui dixerunt, Spiritum Sanctum eſſe ſervum Patris, & Filij, non dicitur tantùm, *Credo in Spiritum Sanctum*, ſed additur, *Dominum, & vivificantem, qui ex Patre* (Latinis poſt Concilium Toletanum I. & ad excludendum errorem Græcorum, inſuper addentibus, *Filioq;*) *procedit: qui cum Patre, & Filio, ſimul adoratur, & conglorificatur.* Atque etiam ſubjungitur, *Qui locutus eſt per Prophetas*, ad deſtructionem erroris quorundam, qui dixerunt, quòd Prophetæ locuti ſunt, ſicut Phanatici. Idem fit in alijs ſimilibus: ac proinde, licèt Symbolum Apoſtolorũ jam fuerit ſufficiens, quantùm ad ſimplicẽ Fidei confeſſionẽ, etiam alia Symbola non ſuperfluunt, cùm deſerviant ad majorem ejus declarationem, atq; expreſſam ſubortarum hæreſum refutationẽ. D. Bonaventura *in 3. diſt. 25. art. 1. q. 1. ad 5.* D. Thomas *2. 2. q. 1. art. 9. & 10.* & alij.

68 Inſtabis. Si hæc ita ſe habent, ergo Articuli Fidei ſucceſſu temporis creverunt; quod videtur eſſe contra illud Apoſtoli Epheſ. 4. *Unus Dominus, una Fides.* Reſp. cum Doctore Angelico *loc. cit. art. 7.* & Seraphico, *ubi ſuprà*, Articulos Fidei creviſſe, non quidem quantùm ad ſubſtantiam (idem enim ſemper fuit objectum Fidei, ejúsq; Articulorum quoad ſubſtantiam) ſed ſolùm, quantùm ad majorem ipſorum explicationem, atque expreſſam profeſſionem. Nam quod poſt ſolemnem definitionem Sanctæ Matris Eccleſiæ (cujus eſt Sacram Scripturam in dubijs interpretari, Fideique controverſias definire; atque in hiſce definiendis, ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti errare non poteſt) plenius edocti explicitè credimus, illud jam implicitè continebatur in alijs credibilibus, ſive Articulis Fidei: & conſequenter Fides quoad ſubſtantiam nunquam mutatur, neque creverunt ſucceſſu temporis ejus Articuli quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad majorem explicationem, ac expreſſam eorum profeſſionem.

69 Et hoc extende etiam ad Patres veteris Teſtamenti: nam, ut inquit, D. Auguſtinus Epiſt. 157. *ad Optatum: Unius Mediatoris Dei, & hominum JESU Chriſti, ſaluberrima Fide etiam illi Juſti ſalvi facti ſunt, qui priusquàm veniret in carne, crediderunt in carne venturum: eadem enim Fides eſt & illorum, & noſtra.* Et meritò hoc dicitur: nam in Fide redemptionis generis humani per Meſſiam futuræ, implicitè continebantur & Incarnatio Chriſti, & Paſſio ipſius, & omnia alia, quæ nos de facto circa modum Redemptionis, & qualitatem Perſonæ Redemptoris explicitè credimus, atque traduntur tum in Sacro Evangelio, tum in Symbolo Apoſtolorum, ac Nicæno. Quod idem de alijs hujusmodi dicendum, utpote quæ pariter implicitè continentur in aliquibus primis credibilibus, per antiquos Patres jam creditis, juxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit.* Nam in fide exiſtentiæ Dei implicitè includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter exiſtere: in Fide autem providentiæ Divinæ circa hominum ſalutem, æternámque retributionem, involvuntur omnia illa, quæ hunc in finem à Deo miſericorditer hominibus diſpenſantur.

70 Nec obſtat, quòd Patres antiqui crediderint Chriſtum eſſe venturum, quem nos jam veniſſe credimus. Siquidem hæc non eſt mutatio objecti Fidei ſecundùm ſubſtantiam, ſed duntaxat ſecundùm circumſtantiam temporis, quod eſt per accidens.

71 Neque etiam obſtat, quòd quædam explicitè, & ſub majori numero, à poſteris credantur, quæ ab antiquioribus ſolùm implicitè credebantur, vel etiam ante definitionem Eccleſiæ licitè in dubium revocabantur, *arg. Extravag. Cùm inter nonnullos. Joannis XXII.* junctâ Gloſſâ, *V. Deinceps*, cum ſimilibus. Quia hinc ſolùm ſequitur, creviſſe Articulos Fidei ſucceſſu temporis quoad majorem explicationem, atque expreſſam profeſſionem (nam plures Articulos in Symbolo Apoſtolico circa modum Redemptionis, Chriſtique Perſonam expreſsè profitemur, quos nondum expreſsè profitebantur veteres) etſi non quoad ſubſtantiam: cùm hoc ipſum, quod nos per SS. Apoſtolos, atque Eccleſiam Catholicam plenius inſtructi credimus explicitè, antiquiores Fideles jam crediderint ſaltem implicitè. Porrò huic credulitati non obſtabat error probabilis, ante definitionem Eccleſiæ circa materias magìs dubias à quibusdam habitus: cùm error ille non fuerit conjunctus cum pertinacia, quinimo Fideles illum habentes animo parati extiterint ad adhærendum veritati, atque judicio Eccleſiæ, cui ſeſe ſubmiſerunt, firmiſſimè credentes ea omnia, quæcunque Sancta Eccleſia Catholica credendum propoſuerit.

72 Neque hinc inferre licet: ergo Eccleſia, vel Papa, poteſt facere novum Articulum Fidei; aut reddere aſſertionem aliquam modò falſam, ac hæreticam, quæ priùs vera erat, vel econverſò: contra illud Apoſtoli Galat. 1. *Sed licèt nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*, juncto *can. Si is, qui præeſt.* 11. q. 3. Negatur enim ſequela: nam Eccleſia, ſeu Papa, ex infallibili aſſiſtentia Spiritûs Sancti declarans, atque definiens, quandam propoſitionem eſſe de Fide credendam, non per hoc condit novum Articulum Fidei; ſed latentem duntaxat, ſive implicitè in alio contentum, & antea dubium declarat, proponendo Fidelibus verum ac genuinum illius intellectum, à Deo revelante primitus intentum. Et quamvìs nonnulli Authores, ac nominatim Abbas Panormit. *in c. Cùm Chriſtus. n. 2. de Hæretic.* concedant, quòd Papa poſſit inducere novum Articulum Fidei, declarando Jus Divinum: tamen, ut patet ex his ipſis poſtremis verbis, Authores ita loquentes accipiunt Articulum Fidei duntaxat largiùs, & in ſecundo ſenſu ex tribus *ſuprà num.* 63.

enumeratis, prout nimirum Articulus fidei importat definitiones Eccleſiæ, factas ſuper quæſtionibus Fidei; ac proinde prædictis in re ipſa non contrariantur.

73 Deinde Eccleſia nunquam aſſertionem aliquam reddit modò falſam, quæ priùs vera erat; ſed definiendo, ut ſupra, ſolùm declarat, eam nunquam in ſe fuiſſe veram, ſed ſemper veracitati Dei revelantis contrariam: quamvis, quia de hoc ante definitionem Eccleſiæ necdum ſufficienter, atque certitudinaliter conſtabat, adhuc licitè, & abſque nota hæreſis, oppoſita pars teneri potuerit. Et hoc declaratur exemplo Librorũ Canonicorũ S. Scripturæ: licèt enim ex authoritate, atque definitione Eccleſiæ habeamus, quinam Libri ſint Canonici, & à Spiritu Sancto dictati, atque pro Divinis Scripturis ab omnibus acceptandi: nihilominus Eccleſia per hoc non efficit, illam Scripturã eſſe Divinam. Nam ideò definit, atque declarat, illam eſſe Scripturam Divinam, quia verè Divina erat: quòd ſi talis non fuiſſet Eccleſia, utpote infallibilis in definiendis quæſtionibus Fidei, nunquam eam eſſe Scripturam Divinam pronunciâſſet. Covarruvias *lib. 4. Var. Reſolut. cap. 14. n. 1. & 2.* citans alios, & latè hoc reſolvens.

74 Num autem per hoc cenſeatur Eccleſia aſſertionem quandam facere Catholicam, quæ priùs Catholica non erat, aut hæreticam, quæ anteà non fuerat hæretica, eſt quæſtio de nomine. Et quidem neutiquam Eccleſia poteſt facere aſſertionem Catholicam, hoc eſt, à Deo revelatam, quæ talis non eſt: hoc enim implicat. Neq; poteſt aſſertionem aliquam facere Catholicam proponendo eam Fidelibus ut revelatam à Deo, ſicque credendam, ſi talis reverà non ſit: erraret enim graviſſimè, quod in rebus Fidei ob infallibilem aſſiſtentiam Sancti Spiritûs omnino ab Eccleſia eſt alienum. Poteſt tamen aſſertionem, quæ vera eſt, & à Deo revelata, facere Catholicam, in tantùm quatenus poteſt eam univerſaliter credendam proponere, atque ab omnibus Fidelibus eſſe firmiter confitendam definire, quamvis ante hanc Eccleſiæ definitionẽ, & nondum compertâ certitudine de facta Divina revelatione, adhuc illa in dubium revocari potuerit. Pari modo poteſt Eccleſia aliquam aſſertionẽ facere hæreticam, ipſamq; ſub pœnis in Hæreticos latis prohibere: non quidem eam, quæ à parte rei vera eſt, ſed eam, quæ à parte rei falſa eſt, ac Divino teſtimonio contraria, licèt de hoc ante definitionem Eccleſiæ nondũ certò conſtaret. Et in hoc ſenſu Doctor Angelicus *1. part. q. 32. art. 4.* inquit, quòd poſt determinationem Eccleſiæ *multa nunc reputantur hæretica, quæ priùs non reputabantur.*

75 Cæterùm, quomodo myſteria Fidei ſucceſſivè magis, magisq; fuerint explicata, convenientiſſime declaratur exemplo à D. Apoſtolo *ad Hebr. cap. 11.* adducto, illis verbis: *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti* (Patres antiqui Teſtamenti) *non acceptis repromiſſionibus, ſed à longè eas aſpicientes.* Licèt enim unum, idémque objectum poſſit videri quoad ſubſtantiam ſuam tam à vicinis, quàm à remotis, magisque diſtantibus: nihilominus, quantò aliquid à remotioribus videtur, tantò minùs diſtinctè videtur, & quò magìs quis accedit, eò plura (cæteris paribus) in ipſo cognoſci, atque diſtingui poſſunt. Simile quid accidit in lumine Fidei ſupernaturalis: nam, ut D. Gregorius, *Homil. 16. in Ezech.* docet: *Secundùm incrementa temporum crevit ſcientia Sanctorum, & ſpiritualium Patrum: & quantò adventui Salvatoris viciniores extiterunt; tantò myſterium ſalutis pleniùs perceperunt.* Unde David inquit Pſ. 18. *Super ſenes intellexi.* Et Apoſtolus ad Epheſ. cap. 3. ait: *Alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu.*

Aliam hujus ſimilitudinem adducit idem Apoſtolus, *Galat. cap. 3. & 4.* ubi ſtatum veteris Teſtamenti comparat pueritiæ, atque inter alia ſic inquit: *Itaque Lex, Pædagogus noſter fuit in Chriſto.* Pædagogus ſiquidem, etſi noverit totam artem, non ſtatim à principio eam totam tradit Diſcipulo, quia capere non poſſet; ſed paulatim duntaxat, & per partes condeſcendendo videlicet ejus capacitati. Quod ipſum obſervavit æterna Sapientia in manifeſtatione Fidei, quam non illicò totam Generi humano manifeſtare voluit, ſed ſucceſſivè, ac per partes; tantùm ſcilicet dando Patribus antiquis de cognitione Fidei, quantùm oportebat pro illo tempore Populo etiamnũ carnali tradi, vel nudè, vel in figura. Neque enim Populus ille adhuc carnalis cæpiſſet altiora Fidei myſteria, juxta illud Salvatoris Joã. 3. *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Quinimò idem Servator noſter, docens in ultima Cœna Diſcipulos ſuos, licèt jam magìs illuminatos, atque capaces myſteriorum Dei, hoc ipſum animadvertit, Joan. cap. 16. dicens eis: *Adhuc multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritûs veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 76

Quæritur IV. Quale ſit Symbolum S. Athanaſij, & unde habeat authoritatem? Reſp. I. Symbolum Sancti Athanaſij eſt illud, quòd incipit, *Quicunque vult ſalvus eſſe,* atque ſub Horis Canonicis cantatur in Prima Dominicali. Et quamvìs præter libros, qui in quatuor Tomis Operum S. Athanaſij continentur, ſeorſim extet prædictum Symbolum, unà cum vita S. Antonij: illud tamen eſſe D. Athanaſij verum & germanum opus, non eſt dubitandum, utpote de quo ipſa Catholica Eccleſia teſtimonium perhibet, prædictum Symbolum ſub nomine S. Athanaſij in Divino Officio recitandum proponens. Bellarminus *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. §. de S. Athanaſio, circa finem.* Siquidem Athanaſius Romam à Julio Papa vocatus, ut judicaretur, cùm Euſebianorum adventum per ſesqui annũm expectaret, hoc Fidei Symbolum Romæ ſcripſit, ac tanquam Catholicæ Fidei ſuæ profeſſionem publicè edidit: quod deinde unà cum actis Nicænæ Synodi, cui idem Athanaſius præſens interfuit, in Archivio Roma- 77

no

no diu aſſervatum fuit ; donec tandem poſt multa annorum curricula Eccleſiæ recitandum tradi meruerit. Fagnanus *in c. Firmiter. num. 33. h. t.* poſt Baronium *ad Annum Chriſti.* 340. & Notas ad Concilium Romanum II. *Tom.* 1. *part.* 1. *Conciliorum.*

78 Reſp. II. Symbolum ſancti Athanaſij habet authoritatem Regulæ Fidei, non ex ſe, ſive ab Auctore ſuo, ſed ſolùm ex approbatione Sedis Apoſtolicæ illud recipientis. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *ad* 3. & communis: Quinimò ipſemet S. Athanaſius ejuſmodi profeſſionem Fidei ſuæ primitùs compoſuit, non per modum Symboli, ſed potiùs per modum cujusdam doctrinæ, prout liquet ex ipſo modo loquendi: quia tamen doctrina ejus integram Fidei veritatem breviter continebat, authoritate Summi Pontificis recepta fuit, atque Eccleſiæ propoſita, ut tanquam Symbolum, ſeu Regula Fidei habeatur. De qua etiam mentio fit in Concilio Florentino *in Litteris Unionis*, ubi Eugenius IV. §. Sexto. ſic loquitur: *Compendioſam illam Fidei Regulam per Beatiſſimum Athanaſium editam ipſis præbemus Oratoribus, cujus tenor talis eſt: Quicunque vult ſalvus eſſe &c.*

79 Accedit ratio: quia Symbolum ordinare, non ſpectat ad quemlibet privatum Patrem, aut Epiſcopum, ſed duntaxat ad Summum Pontificem, velut Chriſti in terris Vicarium, & viſibile Caput totius Eccleſiæ: ergo, cùm ſanctus Athanaſius non fuerit Summus Pontifex, ſed tantùm Alexandrinus Patriarcha, memorata illa Doctrina, non potuit ex ſe, ſive à ſuo Authore, obtinere vim Symboli, ſeu Regulæ Fidei, univerſos aſtringentis, ſed ſolùm ex authoritate & approbatione Summi Pontificis. Etenim in negotijs definiendis non ſolùm neceſſaria eſt ſcientia, ſed etiam poteſtas, §. *Sed aliud eſt. diſt.* 20. Et majores Eccleſiæ cauſæ, præſertim Articulos Fidei contingentes, ad Petri Sedem indubitanter ſunt referendæ, *c. Majores.* §. 1. *de Baptiſmo.*

80 Porrò ex prædictis tribus Symbolis, quod eſt Apoſtolorum, dicitur in Officio Divino ſubmiſsè ſolùm, eò quòd Fide nondum publicatâ, atque ingruentibus jamjam perſecutionibus, à SS. Apoſtolis editum fuerit. Dicitur quoque à principio Matutini, & Primæ, atque in fine Completorij, quia continet ipſum fundamentum veræ Fidei, quæ eſt principium bonarum operationum, & contra inſurgentes tentationes ſcutum fortiſſimum, mediúmque ad conſervandam vitæ puritatem, & conſcientiæ nitorem cumprimis neceſſarium: atque ideò meritò frequentatur. At verò Symbolum SS. Patrum, ſive Nicænum (modo ſuprà *num.* 65. jam declarato) ſicut & Symbolum S. Athanaſij, cùm condita fuerint Fide quaquaverſum jam manifeſtatâ, ſimúlque ordinentur ad excluſionem, atque confutationem hæreſum, quæ de novo inſurrexerant, & ad compeſcendam Hæreticorum garrulitatem, cantantur ſub Divino Officio altâ voce, ac non niſi Diebus ſolemnibus, quando Populus ad Eccleſiam convenire, atque hæreſum expreſſiùs in dictis Symbolis rejectarum improbationem audire poteſt, & ſolet. D. Bonaventura 3. *d. ſt.* 25. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 6. D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 9. *ad* 6.

Quæritur V. Quid ſentiendum de Symbolo quarto, *in c. Firmiter. h. t.* relato? Reſp. Præter tria enumerata Symbola, & plures anteriorum Conciliorum Generalium definitiones, optimè in Concilio Generali (ſive Lateranenſi ſub Innocentio III. anno 1215. celebrato) edita fuit Conſtitutio illa, *in c. Firmiter. h. t.* relata, contra Albigenſium, & Almerici hæreſes, atque Abbatis Joachim errores; quam non incongruè Gloſſa *ad Rubric. h. t.* appellat Symbolum quartum: non quaſi ordine quartum exiſtat (ſic enim plura alia Symbola præceſſerunt, eò quòd in ſingulis propemodùm Concilijs inſtitutum fuerit Symbolum aliquod propter errores in eo Concilio condemnatos, ut jam ſuprà *num.* 54. dictum eſt.) Sed quia eſt quartum ex principalioribus Symbolis, breviter omne illud, quod tum in dicto Concilio Generali, tum in alijs prioribus Concilijs, atque Symbolis, contra Hæreticos definitum fuerat, continens, confirmans, & repetens: unde & dignum judicatum eſt, ut ipſis Decretalium Libris inſereretur, atque in fronte eorum poneretur. Quia igitur exactior ejusdem intelligentia vel maximè conducit ad cognoſcendam veram Fidem Catholicam, juvat brevem ipſius explicationem ſubjungere, declarando per ordinem ſingula verba ipſius: hinc ſit 81

§. V.
Ponitur brevis explicatio Symboli Fidei, *in cap. Firmiter. h.t* relati.

SUMMARIUM.

82. *Diviſio totius Capituli.*
83. Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, *Explicatur veræ Fidei Confeſſio, qualis eſſe debeat. Ibid.*
84. Quòd unus ſolus eſt verus Deus. *Cur hoc dicatur?*
Homines in S. Scriptura quandoque vocantur Dij; quomodo? Ibid.
85. Æternus, Immenſus &c. Tres quidem Perſonæ, ſed una Eſſentia &c. *Declaratur.*
86. Pater à nullo &c.
87. Ab initio ſemper, ac ſine fine: Pater generans &c.
Generatio Filij, & Proceſſio Spiritûs S. eſt æterna. Ibid.
88. *An dici debeat,* Filius ſemper naſcitur, *vel*

vel potiùs, Semper natus eſt?
89. *Utraque locutio eſt vera, ſed poſterior magìs exprimit veritatem.*
90. *Solvitur Inſtantia contra priorem propoſitionem.*
91. Conſubſtantiales. *Hoc nomen ante Concilium Nicænum jam fuit uſitatum.*
92. Et Coæquales, & Coomnipotentes, & Coæterni. *Declaratur.*
93. *Prioritas originis in Divinis, quid importet?*
94. Unum univerſorum Principium.
95. Creator omnium viſibilium, & inviſibilium &c. *Ob quas hæreſes excludendas addatur? Diabolus vocatur*, Deus hujus Sæculi: *quomodo? Ibid.*
96. Qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam &c.
97. *Quomodo Deus creaverit omnia ſimul?*
98. Diabolus enim, & alij Dæmones &c. *Oſtenditur lapſus primi Hominis, & Angelorum malorum.*
99. *Diaboli non ſunt ex natura ſua mali, ſed à Deo creati boni.*
100. Hæc ſancta Trinitas doctrinam humano Generi tradidit ſalutarem.
101. *Idq;* ſecundùm ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum. *Declaratur.*

82 Gloſſa hoc loco præſens Capitulum generatim dividit in duas partes principales, quarum primam ait, tractare de SS. Trinitate, & ejus Operibus, Fide Catholica, atque Articulis Fidei; alteram verò de Sacramentis. Verùm quia confeſſio Sacramentorum novæ Legis indubitanter pertinet ad Fidem Catholicam; ut patet tum ex *cit. c. Firmiter. §. Una ergo. h. t.* tum ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ac Tridentino *Seſſ. 7. can. 1. & ſeqq.* hinc meliùs citatum Capitulum, juxta præcipua Fidei myſteria, quæ firmiter credenda proponit, dividitur in ſeptem Partes principales. Prima continet Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Secunda, Opus Creationis. Tertia, Opus Redemptionis. Quarta, finalem juſtorum, iniquorúmque Retributionem. Quinta, unitatem Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ. Sexta, Sacramenta Eccleſiaſtica. Et tandem ſeptima, triplicem Statum Fidelium in Eccleſia, nempe Virginum, Continentium ſive Viduarum, & Conjugatorum. De quibus omnibus ſingillatim pauca adducentur pro meliori intelligentia *cit. c. Firmiter. 1. h. t.*

83 Quantùm igitur ad primum attinet, veræ & Catholicæ Fidei Confeſſionem orditur Pontifex, cum toto Concilio Generali, illis verbis: *Firmiter credimus*, videlicet corde, & *ſimpliciter confitemur* ore. Juxta quod Rom. cap. 10. dicitur: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Additur notanter, *Firmiter:* nam veræ Fidei confeſſio debet eſſe firma, & conſtans, absque dubitatione aliqua, vel titubatione: tum quia dubius in Fide, cenſetur infidelis, *cap. 1. De Hæreticis.* Tum quia oportet, ut veræ Fidei confeſſio, etiam ingruente perſecutione, aut pulſante quacunque tentatione non vacillet, neque deficiat: exemplo tot millium SS. Martyrum, qui maluerunt ſanguinem potiùs, ipsámque vitam profundere, quàm vel in minimo à vera Fide deficere. Et *ſimpliciter*, hoc eſt, ſine exceptione aliqua, vel reſtrictione; ſimulque verbis ſimplicibus, ſive claris, & apertis, non autem obſcuris, palliatis, vel fucatis, Fidem aſſerendo, palámque confitendo, *arg. can. Epiſcopus. diſt. 23. & can. Quando Epiſcopus. diſt. 24.* cum concordantiis. Videlicet 84 *Quòd unus ſolus eſt verus Deus.* Per quod deteſtatur execrabilis Idololatria Gentilium, plures falſos, & à ſe confictos Deos colentium, in graviſſimum deſpectum unius ſolius veri Dei, *cui ſoli honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum.* 1. Timoth. 1. Illi quippe non ſunt veri Dij, de quibus proinde *Galat. 4.* dicitur: *His, qui naturâ non ſunt Dij, ſerviebatis.* ubi Gloſſa interlinealis: *Non ſunt Dij naturâ, ſed opinione hominum*, propriâ ſuâ malitiâ excæcatorum. Per hoc etiam, quod additur, *verus Deus*, excluduntur illi, quos Sacra Scriptura appellat Deos, non naturâ, & ſecundùm totam ſignificationem hujus nominis, ſed participative ſolùm, quatenus participant aliquid Divinitatis per excellentiam virtutis ſibi à Deo communicatæ; quâ ratione Moyſes appellatur Deus, *Exod. cap. 7.* ibi: *Ego conſtitui te Deum Pharaonis.* Aut per adoptionem, ſeu quandam ſimilitudinem; ut Pſalm. 81. *Ego dixi, Dij eſtis:* non veri, ſed per adoptionem, & quandam ſimilitudinem, propter præſtantiam gratiæ ſanctificantis, quâ conſtituuntur filij Dei adoptivi, & ob imaginem Dei in ipſis relucentis. Unde protinus ſubditur: *Et filij excelſi omnes.* videlicet adoptivi, non naturales. D. Thomas. *part. 1. q. 13. art. 9.* Abbas *cap. Firmiter. num. 1. h. t.*

Æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis. Quibus verbis diverſa denotantur Attributa, ſeu perfectiones Divinæ, de quibus frequens fit mentio in Sacris Paginis. Et additur: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex:* ad exprimendum Myſterium SS. Trinitatis, de quo jam ſuperiùs *num. 7. & ſeqq.* pulchrè ad propoſitum D. Auguſtinus *lib. 6. de Trinit. cap. 10* ſic inquit: *Cæterùm in illa ſumma Trinitate tantum eſt una Perſona, quantum tres ſimul: nec plus aliquid ſunt duæ, quàm una: Et in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.* Hæc ille. 85

Pater à nullo: ſive, ut ampliùs declarat Symbolum D. Athanaſij ab Eccleſia receptum, *Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.* Additur: *Filius à Patre ſolo*, non autem à Spiritu S. cùm 86

S. cùm ſit ſecunda in SS. Trinitate perſona, juxta illud Matth. *cap. ult. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Atque additur ulteriùs: *ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque*: nam à Patre, Filióque, ſimul procedit Spiritus S. (ut ſuperiùs *§.* 2. contra errorem Græcorum jam oſtenſum) non econtra, ne alioquin idem, ac ſecundùm eandem rationem, foret & principium, & principiatum.

87 Sequitur: *Ab initio* (hoc eſt, ante tempora, & ab æterno) *ſemper, ac ſine fine*: *Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens*: ad indicandum, æternam eſſe generationem Filij, æternámque proceſſionem Spiritûs Sancti, quarum quælibet nec initium habet, nec finem, ſed ſemper eſt, neque præterijt, quaſi eſſe deſierit, neque futura eſt, quaſi nondum exiſtat, quia æterna eſt. Hinc Pater Cœleſtis *Pſalm. 2.* ad Filium ſic ait: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Ubi loquendo de æterna Filij generatione notanter dicitur, *Genui*, ne ea putaretur eſſe nova, ſeu incœpiſſe primùm in tempore: *Hodie* autem, ne præterita videretur, quaſi eſſe deſierit. Proinde generatio Filij, ſicut & proceſſio Spiritûs Sancti, eſt æterna, ſemper, ac ſine fine: ſicuti à ſimili, ſeclusâ tamen qualibet imperfectione (ut exemplificat D. Auguſtinus *lib. 6. de Trinit. cap.* 1.) ſi ignis eſſet ab æterno, duraretque in æternum, produxiſſet ab æterno ſplendorem & calorem ſibi coævum, ſempérque produceret, atque producturus eſſet. Quinimò, ſi Pater in Divinis priùs fuiſſet Deus, & poſteà primùm genuiſſet Filium, & ſpiraſſet Spiritum Sanctum, generationis & ſpirationis activæ acceſſione mutatus eſſet Pater æternus. Avertat Deus hanc amentiam! exclamat Doctor Subtilis *in* 1. *diſt. 9. circa initium*, poſt D. Ambroſium *lib.* 1. *de Fide, cap.* 5. *vel* 6. quem refert ibidem Magiſter *in Littera.* Sic enim neque Pater foret Deus, utpote non imutabilis; neque Filius, utpote non æternus; neq; Spiritus S. ob eandem rationem.

88 Poſſet hoc loco quæri, an debeat dici, *Filius ſemper naſcitur*, vel potiùs, *ſemper natus eſt?* Sed rectè notat Magiſter Sententiarum, ac D. Bonaventura *in* 1. *diſt.* 9. & ibi Scotus *q. un. §. Ad tertium*, cum alijs, poſſe utrumque dici, cùm utrumque pariter ſit verum. Et hinc *c. Firmiter, h. t.* dicitur, *Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens.* Item Joan. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Econtrà in Symbolo Nicæni Concilij habetur, *Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, Deum verum de Deo vero, natum, non factum*: hoc eſt, *non factum*, quaſi non erat, antequàm fieret, aut quia ex non extantibus factus eſt, aut creatus, prout paulò inferiùs ſeſe explicat dictum Symbolum. Eodem modo loquitur S. Athanaſius in Symbolo, dicens: *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Et Concilium Generale relatum *in c. Damnamus. h. t.* ibi: *Sine ulla diminutione Filius naſcendo ſubſtantiam Patris accepit.* Ratio hujus ulterior eſt: quia generatio Filij eſt æterna, & continet in ſe virtute omnia tempora; atque ideò ad omnia tempora poteſt accomodari, cùm omnia tempora in æternitate contineantur; juxta quod *Apocal.* 1. de Domino Deo dicitur: *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Unde D. Auguſtinus, exponens *cap.* 16. *Joannis*, ſic inquit: *Erit, fuit, eſt. Erit, quia nunquam deerit: Fuit, quia nunquam defuit: Eſt, quia ſemper eſt*: ſicque propoſitiones de rebus æternis veræ ſunt, quocunque tempore exprimantur.

Cæterùm, licèt utraque locutio ſit vera, nihilominus illa, *Semper eſt natus*, magìs exprimit veritatem, quàm iſta, *Semper naſcitur*, prout notat Doctor Subtilis *loc. cit.* poſt Magiſtrum, & alios. Atque in hoc ſenſu accipiendus eſt D. Gregorius *lib. 29. Moral. cap.* 1. ubi ait: *Dominus Deus Jeſus in eo, quòd virtus & ſapientia Dei eſt, de Patre ante tempora natus eſt: vel potiùs, quia nec cœpit naſci, nec deſijt, dicamus veriùs, Semper natus: non autem poſſumus dicere, Semper naſcitur, ne imperfectus eſſe videatur.* Siquidem hæc verba, ne contradicant alijs authoritatibus, benignè ſunt interpretanda, ut velint, *Non poſſumus dicere, ſemper naſcitur*; id eſt, non ita convenienter, ſive non ita congruè ad habendam majorem expreſſionem veritatis. Forſan enim ex hoc loquendi modo perverſus Hæreticus occaſionem calumniandi Filium arriperet, dicendo: Qui ſemper naſcitur, nunquam eſt natus, & ſic nunquam eſt Filius perfectus. Et hoc indicant verba illa D. Gregorij, *Ne imperfectus videatur eſſe*: non enim ait, quòd ſit imperfectio dicere, *Semper naſcitur*; ſed videtur per hunc ſermonem ſignificari imperfectio, ob inſtantiam allatam. Interim ſi ſanè intelligatur, etiam hæc locutio eſt recta, & vera: *Semper enim ac ſine fine, Pater eſt generans, Filius naſcens*, ut loquitur Concilium Generale; ſicque ſemper naſcitur Filius de Patre, non quòd quotidie iteretur hæc generatio, ſed quia ipſa ſemper durat, eſtque ſempiterna. 89

Neque urget allata Inſtantia, qui ſemper naſcitur, nunquam eſt natus. Nam hoc procedit ſolùm in generatione creata, ubi differt naſci, & natum eſſe: ſecùs in Divinis, ubi hæc non differunt, ſed omnia ſunt purus actus. Quòd ſi urgeas: Ergò generatio in Divinis nunquam eſt terminata. *Reſp.* cum D. Bonaventura *in* 1. *diſt.* 9. *quæſt.* 4. concedendo, quòd ea quoad durationem non ſit terminata, utpote cùm ſemper duret: hoc tamen non obſtante ipſa eſt terminata quoad perfectionem, eò quòd ſit perfectiſſima, & in ultima ſua actualitate exiſtens. 90

Conſubſtantiales, græcè ὁμοούσιος, id eſt, *ejuſdem eſſentiæ.* Quod quidem nomen Patres Concilij Nicæni in Symbolo, ad condemnandam hæreſin Arianam, aptiſſimè uſurpârunt: illud tamen non fuiſſe primò inventum in eodem Nicæno Concilio, ut jactârunt Ariani, ſed anteà jam fuiſſe in uſu Patrum, pluribus oſtendit Bellarminus *lib. 2. de Chriſto, cap.* 3. Et per hoc nomen *Conſubſtantiales*, juxta phraſin ab antiquo in Eccleſia uſitatam Concilium Generale confitetur, atque credendum eſſe definit, quòd tres Perſonæ Divinæ ſint unius ejuſdémque ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ. 91

92 Et *Coæquales, & coomnipotentes, & coæterni* Nam, ut habet Symbolum D. Athanaſij, *in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: ſed totæ tres Perſonæ Divinæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Per quod expreſſiùs condemnatur hæreſis Arianorum, qui coæternum Patri Filium non agnoſcentes, diverſas in Trinitate ſubſtantias aſſeruerunt, contra illud Salvatoris, *Ego & Pater unum ſumus*, Ioan. *cap. 10.* Hoc ipſo enim, quòd aliqua Divinarum Perſonarum foret poſterior, vel minor alterâ, illa Deus non eſſet; cùm jam daretur quid excellentius ipsâ.

93 Nec obſtat, quòd inter Perſonas Divinas detur prioritas originis. Hæc enim nullam penitùs importat prioritatem durationis (quinimò Pater & Filius, utpote correlativa, ſunt ſimul etiam naturâ) ſed ſolùm denotat originem Divinarum Perſonarum inter ſe, hoc eſt, quòd una ſit ab altera, nempe Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque, non verò econtrà. Et hac de cauſa Pater, utpote à nullo alio productus, dicitur prima in SS. Trinitate Perſona, Filius ſecunda, & Spiritus Sanctus tertia, juxta illud Matth. *cap. ult. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

94 *Unum univerſorum Principium*, propter unitatem eſſentiæ, ſubſtantiæ, atque virtutis operativæ ad extrà, quæ omnibus tribus Perſonis eſt communis, & realiter identificata, ut ſupra *num. 14.* jam dictum.

95 *Creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium*: ad condemnandum expreſſiùs hæreſin Menandrini, & Archontiacorum, qui, ut refertur *in can. Quidam autem. 24. q. 3.* Mundum non à Deo, ſed ab Angelis factum, aut univerſitatem hanc, quam Deus condidit, opera eſſe Archangelorum, aſſeruerunt: ac etiam Manichæorum, qui crediderunt, duo eſſe Principia, unum bonorum, alterum malorum; & addiderunt, quòd viſibilia iſta non ſunt creata à bono Deo, ſed à malo Principio, aſſumentes in argumentum ſui erroris illud Apoſt. *2. Corinth. 4.* ubi Diabolus appellatur Deus hujus ſæculi, illis verbis: *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium.* Ad condemnandos igitur hujusmodi errores Concilium Generale expreſsè definivit, credendum eſſe, quòd unus verus Deus ſit *Unum univerſorum principium, creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium.* Nec obſtant allegata verba Apoſtoli: Nam ibidem Diabolus dicitur Deus hujus ſæculi, non creatione, ſed quia Infideles ac ſæculariter viventes eidem ſerviunt ut Deo; juxta illum modum loquendi, quo Apoſtolus *ad Philipp. 3.* inquit: *Quorum Deus venter eſt.* D. Thomas *part. 1. q. 65. art. 1.*

96 *Qui ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Quibus verbis hæreſes proximè relatæ ampliùs damnantur; ſimúlq; refertur ordo creationis cœli & terræ, de qua in ſacris Litteris, *cap. 1. & 2. Geneſ.* ex profeſſo tractatur. Concordat illud Davidicum *Pſalm. 145.* ubi de Domino Deo dicitur: *Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Et illud Eccleſiaſtici *cap. 18. Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.*

Dicitur autem Deus creâſſe omnia ſimul, non quidem, quantùm ad perfectam formationem, atque ornatum omnium rerum; ſic enim ſex dierum ſpatio *perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, complevítque Deus die ſeptimo opus ſuum*, *Geneſ. 2.* Sed dicitur creâſſe omnia ſimul, quatenus (ut loquitur allegatus textus Concilij Generalis) *ſimul ab initio temporis*, ſive in eodem inſtanti, *utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam*; hoc eſt, tam Angelos, quàm cœlum, Angelicam ſubſtantiam, atque cœlum; & terram, licèt adhuc informem atque incultam, & ſucceſſivè ſex dierum ſpatio exornatam. Sic quippe omnia ſimul creata ſunt vel perfectè, ut Angeli, vel ſaltem quoad ſubſtantiam quodammodò informem, ſive quoad materiam primam omnium rerum corporearum, quæ ſimul unà cum ſubſtantia Angelica ex nihilo creata fuit, & ſucceſſivè varijs formis, ex eadem eductis, miro artificio Divino exornata. 97

Diabolus enim, & alij Dæmones, à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali: Homo verò Diaboli ſuggeſtione peccavit. Per quæ verba oſtenditur miſerabilis lapſus tum malorum Angelorum, tum Hominum. Etſi enim tam Angelus, quàm Homo, à Deo conditus fuerit bonus: ſiquidem *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, ut habetur *Geneſ. cap. 1.* Nihilominus poſtmodùm uterque per ſe, ſive propriâ ſuâ culpâ, factus eſt malus. Homo quidem inobediendo, & contra Dei præceptum ad ſerpentis ſuggeſtionem de fructu vetito comedendo, ut legitur *Geneſ. 3.* Diabolus autem, ſive Lucifer, unà cum apoſtatis Angelis ſibi adhærentibus, ſuperbiendo, ſéque ſupra Divinam Majeſtatem extollendo; cujus lapſus Iſaiæ *cap. 14.* ſub perſona Regis Babylonis, deſcribitur illis inter alia verbis: *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci &c.* Concordat illud Joan. *cap. 8.* ubi de Diabolo dicitur: *Et in veritate non ſtetit*: hoc eſt, in veritate fuit, ſed in ea non permanſit, prout explicat S. Auguſtinus *lib. 11. de Civit. Dei. cap. 15.* Item Epiſtola Canonica S. Judæ Apoſtoli, ibi: *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* 98

Ex quo ulteriùs ſequitur, cùm Diabolus, aliiq; apoſtatæ Angeli dicantur in veritate nõ ſtetiſſe, neq; ſervâſſe ſuũ principatũ, quòd ipſi ex natura ſua non ſint mali, ſed à Deo creati fuerint boni, atq; in veritate & charitate, ſeu gratiâ exiſtentes: quãvis in ea poſtmodũ non ſteterint, ſeu ab ea ſuâ culpâ contra Deũ ſe extollendo exciderint: 99

rint; prout habetur non ſolùm *in can. Citiùs ad hoc. §. Quod verò. de Pœnit. diſt. 2.* Sed etiam contra Manichæos, & Priſcillianiſtas, ſub anathemate definitum fuit in Concilio Bracarenſi I. *can. 7.* illis verbis: *Si quis dixerit, Diabolum non fuiſſe priùs angelum bonum, à Deo factum &c. anathema ſit.* Concordat Concilium Generale verbis proximè relatis.

100 *Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta,* (de quo jam ſuperiùs *num. 7. & 8. & ſeqq.*) *primò per Moyſen & ſanctos Prophetas, aliósque famulos ſuos, juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tradidit ſalutarem.* Juxta quod Apoſtolus *ad Hebr. cap. 1.* atteſtatur, dicens: *Multifariam, multiſque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis: noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.*

Additur verò, *ſecundùm ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum.* Quia non oportebat, totam ſimul ac ſemel doctrinam cœleſtem tradere humano Generi: neque enim id conveniens fuiſſet, ſicuti non expedit, quòd Pædagogus ſtatim à principio totam ſimul artem Diſcipulo proponat (non enim is caperet) ſed ordinatè, atque per partes, id præſtandum eſt, ut jam dictum *n. 76.* 101

§. VI.

Continuatur brevis Explicatio Symboli Fidei, *in* §. *Et tandem. eod. Cap. & Tit.* relati.

SUMMARIUM.

102. *Hîc Concilium Generale incipit confiteri Opus Redemptionis Generis humani.*
103. *Cur ſolius hominis lapſi redemptio facta fuerit, non item Angelorum peccantium? Et ſeqq.*
104. *Non eſt lapſa tota natura Angelica, ſicut humana.*
105. *Peccatum Angelorum malorum fuit perſonale, non ſingulorum hominum.*
106. *Natura Angelica ex parte corruit nullo ſuggerente tentatore extrinſeco: Secùs in natura humana.*
107. *Angeli peccârunt nullo carnis pondere preſſi: ſecùs accidit in hominibus.*
108. *Illi peccaverunt cum perfecta omnium cognitione; non ſic homines.*
109. Et tandem Unigenitus DEI Filius &c.
110. Ex Mariâ ſemper Virgine &c.
111. Verus homo factus &c. *Qui hæretici hoc negaverint?*
112. *Probatur Catholica veritas contra ipſos.*
113. Una in duabus naturis perſona. *Refertúrque Hæreſis Neſtoriana:*
114. *Dudùm jam condemnata. Et n. 115. ac n. 116.*
115. *In ſalutatione Angelica quando fuerit appoſitum ly,* Sancta Maria Mater Dei &c. *n. 115.*
116. *Neſtoriani, cur ſic appellati?*
117. *Refertur Hæreſis Eutychiana:*
118. *Ac Refutatur. Et n. 119.*
119. Viam vitæ manifeſtiùs demonſtravit: qui cùm ſecundùm Divinitatem ſit immortalis &c. *Oſtenditur. & n. ſeqq.*
120. *DEUS dicitur pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus &c.*
121. *Idq; ob communicationem Idiomatum; & cur?*
122. & 123. *Et hoc ampliùs declaratur, ſimúlque limitatur.*
124. Qui etiam pro ſalute humani generis &c.
125. Venturus in fine ſæculi &c.

102 E*T tandem Unigenitus Dei Filius JESUS Chriſtus &c.* Hîc incipit Concilium Generale, & pluribus ſubſequentibus verbis continuat ſolemnem confeſſionem Fidei circa Opus Redemptionis, ſeu Reparationis Generis humani, quæ miſericordiſſime fuit peracta mediante Incarnatione, Paſſione, Mortéque crudeliſſimâ JEſu Chriſti, Unigeniti Filij Dei: ſimúlque per expreſſam diverſarum particularum appoſitionem damnat Concilium complures hæreſes, olim circa Chriſti Domini tum Divinitatem, tum Humanitatem exortas. Verùm occaſione hujus, & antequam ad particularia deſcendamus,

103 Quæres incidentaliter, cùm tam Angelus, quàm Homo lapſus fuerit, cur ſolius hominis reparatio ſive redemptio facta fuerit, non item Angelorum peccantium? Reſp. I. Potiſſima, & principalis ratio hujus eſt refundenda in Divinam voluntatem, ac beneplacitum DEI Ter Opt. Max. utpote, *qui operatur omnia ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ,* Epheſ. cap. 1. *Et non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit &c. per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum.* ad Titum cap. 3. cum concordantijs.

Reſp. II. Nihilominùs ſicut in cæteris Dei operibus, ita & in hoc, quaſdam unà cum SS. Patribus atque Doctoribus congruentias afferre licet, ad oſtendendam convenientiam æquiſſimi judicij Divini, volentis potiùs hominem lapſum redimere, non Angelos apoſtatas. I. Siquidem in Angelis non eſt lapſa tota natura, ſed pars duntaxat ipſius, alijs Sanctis Angelis in gratia & veritate perſiſtentibus: econtrà verò tota natura humana ſimul lapſa eſt in Adamo, primo ſuo Parente, *in quo omnes peccaverunt,* ut loquitur D. Apoſtolus *Rom. cap. 5.* 104

II. Peccatum omnium, & ſingulorum Angelorum malorũ fuit actuale, ſive perſonale, cùm ſinguli eorũ propriâ voluntate peccaverint: nó ſic peccatum ſingulorum hominũ, cùm multi contrahant ſolum peccatũ originale, ut parvuli; atq; etiam ex adultis non pauci ſint, qui nunquam actualiter mortaliter peccaverunt, ut S. Joannes Baptiſta, & plures alij Sancti. 105

III. Natura Angelica ex parte corruit, & lapſa eſt nullo ſuggerente tentatore extrinſeco: licèt 106

enim inferiores Angeli à Lucifero ad rebellandum contra Deum concitati fuerint, juxta quod Apocal. cap. 12. dicitur, quòd *Cauda Draconis trahebat tertiã partem Stellarũ Cœli, & miſit eas in terram*: tamen Lucifer continebatur intra Naturam Angelicam, ſimúlque ipſe à nullo extrinſeco tentatore fuit ſeductus. At verò Natura humana tum in primis Parentibus noſtris peccavit ad ſuggeſtionem Diaboli tentatoris extrinſeci, tum quotidiè eodem ſuggerente ad peccatum allicitur. Et hæc differentia ponitur hîc in Littera, dum dicitur, quòd Dæmones *per ſe*, id eſt, ex propria culpa *facti ſunt mali*: *Homo verò Diaboli ſuggeſtione peccavit.*

107 IV. Angeli peccaverunt nullo carnis pondere gravati, nullisque ejus paſſionibus irretiti, ſed ex meriſſima voluntate, atque malitia ſua. Secùs accidit in Hominibus, in quibus ob rebellionem carnis perpetua eſt pugna inter carnem & ſpiritum: *Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur*, ut dicitur Galat. 5. Simúlque ob hanc cauſam *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ*, Geneſ. cap. 8. Inſuper, &

108 V. Angeli mali peccaverunt cum plena deliberatione, atque perfecta cognitione eorum omnium, quæ ipſos poterant à peccato avocare: non ſic Homines, quorum intellectus, utpote à ſenſibus dependens, plurimùm eſt obnubilatus, atque ad conſiderandum ſpiritualia & ſupernaturalia valdè impeditus. Proinde peccatum ex ignorantia frequens eſt inter homines; adeò, ut ipſemet Servator, in Cruce pro ſuis inimicis Patrem exoraturus, hanc humani Generis cæcitatem, & ignorantiam, ad aliqualem ejusdem excuſationem allegare dignatus fuerit, Lucæ c. 23. exclamans: *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Concordat D. Petrus Actor. cap. 3. dicens: *Et nunc Fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.* Si enim (ut legitur 1. Corinth. 2.) *cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Juſto proinde judicio, *de Angelis quidem Deus hoc diſpoſuit, & implevit, ut ſi quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam Divino munere repararet*, ut loquitur D. Fulgentius *de Fide ad Petrum, cap. 3.* atque refertur *Tom. 4. Operum D. Auguſtini in Appendice.* Nobis verò hominibus propter infinitam ſuam Miſericordiam, & nimiam Charitatem, quâ dilexit nos Deus, *miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris, & Salvatorem Mundi*, ut habetur 1. Joan. 4. & alibi ſæpè. Nunc redeundo ad textum Concilij Generalis *loco citat.* dicitur.

109 *Et tandem Unigenitus Dei Filius JESUS Chriſtus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Siquidem opera Sanctiſſimæ Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, *can. Omnes quos. de Conſecrat. diſt.* 3. *& can. Sic enim. §. Quoniam.* 28. *q.* 1. eſtque uberiùs declaratum ſuprà *num.* 13. *& ſeqq.* ſolvendo etiam Objectiones.

110 *Ex Maria ſemper Virgine Spiritûs Sancti cooperatione conceptus.* Juxta illud Propheticum Iſaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*: quod eſt interpretatum *Nobiſcum Deus.* Matth. cap. 1. juncto cap. 1. S. Evangelij ſecundùm Lucam.

Verus homo factus, ex anima rationali, & humana carne compoſitus. Hoc ſiquidem olim negaverunt Apollinariſtæ, dicentes, Chriſtum Corpus tantummodò ſine anima ſuſcepiſſe, ut *c. Quidam autem Hæretici.* 24. *q.* 3. Et impij Manichæi, qui Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed Phantaſticum aſſerebant; uti refertur *c. In quadam. §. Nos igitur. de Celebrat. Miſſar.* Item Marcion, qui, ut refert Nicephorus *lib. 4. Eccleſiaſt. Hiſtoriæ. cap. 28.* inter alios errores Chriſtum phantaſiâ tantùm, & ſpecie hominem fuiſſe, nugabatur. 111

Verùm contra hujusmodi Hæreticos, & impias eorum doctrinas, erroreſque, ſtat Veritas Catholica, quæ non ſolùm ex pluribus authoritatibus SS. Patrum, ac Conciliorum Generalium definitionibus, ſed etiam teſtimonijs Sacræ Scripturæ manifeſtè comprobatur. Nam Chriſtus paſſim in ſacris Paginis appellatur *Filius hominis*, ut Matth. cap. 16. Joan. 3. Actor. 7. & alibi: atqui hoc non verificaretur, niſi eſſet verus homo, habens veram naturam humanam, ex anima rationali & humana carne conſtantem; cùm hæ ſint partes eſſentiales hominis. Deinde, ſi Chriſtus non habuiſſet veram carnem humanam, ſed apparentem duntaxat, ſeu phantaſticam (ad eum modum, quo Raphael Angelus in ſpecie hominis apparuiſſe legitur. Tobiæ *cap. 5. & ſeqq.*) ſicque non fuiſſet verus homo, ſed phantaſticus duntaxat; ergò is neque verè fuiſſet natus (contra illud Evangelicum, Matthæi *cap.* 1. & Lucæ *cap.* 2. *Peperit filium ſuum primogenitum*) neque verè paſſus, crucifixus, mortuus, ac ſepultus; & conſequenter Chriſtus nec verè reſurrexiſſet, neque verè nos redemiſſet, ſed apparenter, ac ſimulatoriè ſolùm: quod repugnat Evangelicæ Veritati, & deſtruit præcipua Fidei Catholicæ myſteria, ac proinde nefas eſt aſſerere. Quinimò ipſemet Chriſtus Dominus poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem, ne putaretur phantaſma eſſe, vel ſpiritus, de veritate carnis ſuæ expreſsè teſtificatur Diſcipulis ſuis, Lucæ 24. dicens: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* 112

Una in duabus naturis perſona. His verbis Concilium Generale *loc. cit.* damnat imprimis hæreſin Neſtorii, ponentis in Chriſto duas Perſonas, Divinam & humanam; ac proinde cum ſuis ſequacibus impiè aſſerentis, Beatiſſimam MARIAM Virginem non Dei, ſed hominis tantummodò Matrem fuiſſe, quaſi peperiſſet purum hominem, & qui non ſolùm naturam, ſed & perſonam humanam habuiſſet: ſicque ipſam dici non debere θεοτόκον, id eſt, Dei Genitricem, ſed χριστοτόκον, ſeu Chriſti Genitricem. 113

Verùm hanc hæreſin dudũ jam condemnavit 3.tia Synodus Generalis, ſive Epheſina prima ducento- 114

centorum Epiſcoporum, auctoritate S. Cæleſtini Papæ I. & favente Theodoſio Juniore Imperatore convocata; quæ imprimis definivit, manere in duabus naturis unam Domini noſtri JESU Chriſti perſonam, *can. Canones. diſt. 15.* Deinde afflante Divino Lumine decrevit, Beatiſſimam Virginem Mariam vere dici, & eſſe Matrem Dei, quippe quæ vere genuit Deum. Juxta quod Angelo ſalutante, ad Mariam dictum eſt Lucæ c. 1. *Ideoq; & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei:* & conſequenter, ſicut ille, qui naſcebatur ex Virgine, vero vocabatur, vereque erat Filius Dei, ita & Mater ipſius verè dicitur, vereq; exiſtit Mater Dei. Pulchre ac veriſſime ad propoſitum loquitur S. Joannes Damaſcenus, *Orat. 1. de Nativitate Mariæ Virginis, circa initium*, dicens: *Pudore afficiatur Neſtorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus eſt. Quonam igitur modo ea Dei Genitrix non ſit, quæ peperit? Si quis Sanctam Dei Genitricem non confitetur, à Deitate remotus eſt.*

115 Et ſciendum, quòd ex tunc, ſive à tempore præfatæ Synodi Epheſinæ, in Salutatione Angelica fuerit addita clauſula illa: *Sancta MARIA Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus.* Tantáque tunc ob damnatum Neſtorium lætitia exorta fuit, ut egredientes ab Eccleſia Epiſcopos Populi cum lampadibus deducerent ad diverſoria, & in ſignum ſpiritualis gaudij luminaria in Civitate ponerent; ita ut mulieres quoque adolentes thymiamata cum thuribulis præcederent Epiſcopos; uti præter alios refert Franciſcus Longus in *Breviario Chronologico, ad Annum 431.* Et cùm poſtero tempore, videlicet, Anno 451. contra Eutychis hæreſin, ſimul & memoratam Neſtorij impietatem, authoritate S. Leonis Magni Pontificis, inſtante, & urgente Marciano Auguſto, congregata fuiſſet Quarta Generalis Synodus, videlicet Chalcedonenſis ſexcentorum triginta Epiſcoporum, in ejusdem *Actione V.* Epiſcopi mirum quantum acclamaverunt, atque definierunt, dicentes: *Fides fraudem non patitur. Sancta MARIA Θεοτόκος ſcribatur. Sancta Maria Theotocos eſt. Qui non ſic ſapit, hæreticus eſt. Virgo Maria Theotocos eſt. Hæreticum mitte foras. Maria Theotocos diffinitione addita eſt. Neſtorianos mitte foras. Chriſtus Deus eſt, &c.* prout habent Acta citati Concilij Chalcedonenſis. *Actione V.*

116 Eadem Neſtoriana hæreſis etiam damnata reperitur in Jure Cæſareo, *l. Damnata. C. de Hæreticis.* Ubi proinde mandatur, ut participes nefariæ Sectæ Neſtorij, Chriſtianorum appellatione non abutantur, ſed *ubique Neſtoriani vocentur; ut cujus ſcelus ſunt in deferendo Deum imitati, ejus vocabulum jure eſſe videantur ſortiti:* prout loquitur textus.

117 Inſuper verbis ſuprà allegatis Concilium Generale *loc. cit.* reprobat hæreſin Euthychianam, ab Eutyche Conſtantinopolitano Abbate ſic dictam. Hic quippe, cùm contra Neſtorium ferventiùs ſcriberet, ejúsque abſurdam hæreſin refellere conaretur, malum malò medicatus eſt, ac ſtultè exiſtimans, aliter contra Neſtorium defendi non poſſe, quòd una ſit Chriſti perſona, non duæ: in alterum extremum turpiter prolapſus, impiè aſſeruit, duas quidem ante unionem fuiſſe naturas, videlicet Divinam & humanam, ſed has poſt unionem in unam naturam abiiſſe, confusásque fuiſſe, ac mixtionem ſubiiſſe, ut refert Nicephorus *lib 18. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 52.* Adeóque negavit, Chriſtum poſt humanæ naturæ aſſumptionem exiſtere in duabus naturis, ſed ſolam in ipſo Divinam aſſeruit eſſe naturam, *can. Quidam autem Hæretici. 24. q. 3.*

Verùm Sancta Catholica Eccleſia utrumque jam dudum condemnavit errorem, firmiter prædicans, Chriſtum Dominum de Virgine ſic natum, ut in eo ſubſtantiam Divinæ & humanæ confiteamur naturæ; & ſimpliciter confitens, manere in duabus naturis unam Domini noſtri JESU Chriſti perſonam, *can. Canones. diſt. 15.* cum concordantijs. Nam de duabus in Chriſto naturis plura extant Sacræ Scripturæ teſtimonia; ut *Philipp. 2.* ubi de Chriſto dicitur: *Qui, cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Quæ verba explicans S. Virgilius *Lib. 2.* inquit: *Mirum, cur quidam timeant dicere duas naturas, cùm Paulus dicat, duas formas.* Item Joan. 1. *Et verbum caro factum eſt.* Cùm enim natura Divina ſit æterna, & incommutabilis, juxta illud Jacobi 1. *Apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio:* Natura Divina Verbi non potuit transmutari in carnem, ſed, ut canit Mater Eccleſia, *Deus homo factus eſt; id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit, non commixtionem paſſus, neque diviſionem.* 118

Viam vitæ manifeſtiùs demonſtravit, tum verbo, tum exemplo, prout tradit Evangelica Hiſtoria. *Qui* (pergit Concilium Generale *loc. cit.* loquens de Chriſto JESU Servatore noſtro) *cùm ſecundùm Divinitatem ſit immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſecundùm Humanitatem factus eſt paſſibilis.* His verbis iteratò reijcitur blaſphema hæreſis Eutychis, & aliorum, qui poſuerunt unam naturam compoſitam in Chriſto; atque auſi fuerunt impiè aſſerere, quòd etiam Divinitas, ea, quæ humanitatis fuere, paſſa ſit, ac econtrà; prout opinatum eſſe Eutychen, refert Nicephorus *lib. 18. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 52.* ac noviſſime ex Lutheranis quosdam ſenſiſſe, tradit Bellarminus *lib. 3. de Chriſto. cap. 2. & 3.* Sed Catholica Veritas expreſſè confitetur, Chriſtum ſecundùm Divinitatem eſſe impaſſibilem, & immortalem, juxta illud. 1. Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali.* Et Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor,* cum ſimilibus. Unde Sacra Scriptura, dicens, Chriſtum natum, vel paſſum, frequenter addit ly, *ſecundùm carnem*, ad oſtendendum, talia ipſi non convenire ſecundùm naturam Divinam, ſed ſolùm ſecundùm aſſumptam naturam humanam. Ut Rom. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.* Item 1. Pet. 4. *Chriſto igitur in carne paſſo*, & alibi. 119

Nec obſtat, quòd non raro dicatur Deus pro nobis paſſus, crucifixus, ac mortuus pro ſalute Mundi: ut Matth. 27. *Verè Filius Dei erat iſte.* Et 1. Joan. 4. *Miſit Deus Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Et Rom. 5. *Reconciliati ſumus Deo* 120

per

per mortem Filij ejus. Unde canit Eccleſia in Feſto omnium Sanctorum: *Redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo.* Et in oratione de SS. Sacramento: *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti.* Item D. Gregorius *Hom. 2. in in Evangelia,* inquit: *Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad Divina ſublevatur.* Et S. Leo Papa *Serm. 11. de Paſſione Domini*: *Intulit ſupplicium Filio Dei.* cum ſimilibus locutionibus Sanctorum Patrum, & Doctorum ſatis frequentibus. *Nullum enim verbum* (inquit Doctor Seraphicus *in 3. diſt. 21. art. 2. q. 3.*) *majoris dignationis reſonare poteſt in auribus cordis humani, quàm quòd unigenitus Dei Filius mortuus fuerit pro nobis debitoribus mortis. Et ideò non tantùm eſt hoc credendum, & aſſerendum tanquam verum, ſed etiam frequentiſſimè recolendum.*

121 Reſp. enim cum D. Bonaventura *cit. q.* 3. D. Thoma. *part. 3. q. 16. art. 3.* Scoto *in 3. diſt. 2. q. 1. §. Ad primum principale,* & communi Doctorum, abſque dubio concedendum eſſe, & optimè dici, quòd Deus pro nobis fuerit paſſus; Filius Dei pro nobis mortuus, ac hujusmodi: nihilominus hoc ipſi non attribuitur ſecundum naturam Divinam, ſed ſecundùm naturam humanam, non per eſſentiam, aut inhærentiam, ſed per communicationem Idiomatum. Quia enim Chriſtus Dominus eſt una in duabus naturis perſona, idémque utriusque naturæ ſuppoſitum: hinc propter hanc unitatem ſuppoſiti Divini, provenientem ex Unione Hypoſtatica, ſeu Incarnatione Verbi Divini, aſſumentis in tempore naturam humanam, oritur in Chriſto mutua communicatio Idiomatum, hoc eſt Prædicatorum utriusque naturæ. Sive enim Chriſtus dicatur Deus, ſive homo, ſupponitur atque denotatur eadem hypoſtaſis, ſeu perſona Divinæ & humanæ naturæ Chriſti: ac proinde, cùm denominationes ſint ſuppoſitorum, verè & propriè dicitur: *Deus eſt homo*, id eſt, Suppoſitum Verbi in Chriſto habens naturam Divinam, eſt homo: & econtrà, *Homo eſt Deus*, id eſt, Suppoſitum Verbi in Chriſto habens naturam humanam, eſt Deus. Quâ ratione pariter verum eſt dicere: *Deus pro nobis paſſus eſt*, id eſt, Suppoſitum Verbi, quod eſt Deus, pro nobis eſt paſſum; non quidem ſecundùm naturam Divinam, ſed humanam: talis ſiquidem communicatio Idiomatum, ſive mutua prædicatio Attributorum inter Deum & hominem, oritur in Chriſto ratione unitatis Suppoſiti naturæ utriusque. Hinc S. Auguſtinus ſuper Pſalm. 130. *Per illud ergò, quod homo erat, mortuus eſt Deus; & per illud, quod Deus erat, homo excitatus eſt, & reſurrexit: & aſcendit in cælum. Quidquid paſſus eſt homo, non poteſt dici non paſſus Deus, quoniam Deus erat homo.*

122 Cæterùm dictis non obſtantibus ſequentes propoſitiones ſunt falſæ, ac penitùs vitandæ: *Deitas eſt humanitas, Deitas eſt paſſa, Humanitas eſt Deus,* ac hujusmodi propoſitiones, quibus proprietates unius naturæ dicuntur de altera in abſtracto. Siquidem communicatio Idiomatum in Chriſto provenit ratione idenditatis Suppoſiti utriusque naturæ, Divinæ ſcilicet & humanæ, quod per terminos in concreto acceptos ſemper ſupponitur, atque denotatur; uti liquet in hac propoſitione: *Homo eſt Deus, Deus factus eſt homo, Deus pro nobis eſt paſſus &c.* Hæ enim prædicationes ſemper fiunt circa idem Suppoſitum Verbi in Chriſto exiſtens, licèt ſecundùm aliam & aliam naturam; ac proinde propter ejus identitatem verificantur. Secùs eſt in ſuprà dictis propoſitionibus in abſtracto prolatis, quarum extrema non retinent rationem aliquam idenditatis inter ſe; cùm talem ex ſeipſis non habeant ſimúlque à Suppoſito abſtrahant, hoc ipſo, quòd proferantur in abſtracto.

Inſuper prædicata unius naturæ non poſſunt de altera enunciari cum ſigno reduplicativo cadente ſuper illam alteram naturam. Hinc hæ propoſitiones ſunt falſæ: *Deus quà Deus eſt homo: Deus ſecundùm Divinam naturam paſſus eſt: Chriſtus quatenùs homo eſt æternus, impaſſibilis, &c.* Hæ, inquam propoſitiones ſunt falſæ, cùm dictio reduplicativa cadat ſuper alteram incompetentem naturam, quæque neutiquam eſt ratio, cur Chriſto illa prædicata conveniant. Secus accidit, ſi dicatur: *Deus ſecundùm aſſumptam naturam humanam pro nobis paſſus eſt: Chriſtus quà Deus eſt æternus, immortalis &c.* Sive, ut loquitur Concilium Generale proximè relatum: *Unigenitus Dei Filius JESUS Chriſtus, qui ſecundùm Divinitatem eſt immortalis, & impaſſibilis, idem ipſe ſecundùm humanitatem factus paſſibilis, & mortalis*: nam in iſtis dictio reduplicativa afficit naturam competentem, ſive illam, quæ Chriſto eſt ratio, cur ipſi conveniant ejusmodi prædicata. 123

Qui etiam pro ſalute humani Generis in ligno Crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cælum: ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne: aſcenditque pariter in utroque. His verbis Concilium Generale confitetur quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum Articulum Symboli Apoſtolici, de quo *num. 57. & ſeqq.* ampliùs dictum fuit. Ad majorem tamen eorundem Articulorum explicationem addidit Concilium poſteriora verba: *Sed deſcendit in anima &c.* 124

Venturus in fine ſæculi, judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundùm opera ſua, tam reprobis quàm electis: qui omnes cum ſuis proprijs reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundùm opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala; illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam. His verbis Concilium confitetur, majori tamen cum expreſſione, ſive declaratione contentorum, Articulum Symboli Apoſtolici de Adventu Chriſti ac extremum Judicium, nec non de Carnis reſurrectione, & vita æterna Juſtorum, unà cum expreſsâ mentione de perpetua Impiorum punitione, quam Apoſtoli implicitè ſolùm in ultimo Articulo comprehenderunt. 125

§. VII.

§. VII.

Continuatur brevis Explicatio Symboli Fidei, *in* §. *Una verò. eod. Cap.* & *Tit.* relati.

SUMMARIUM.

126. *Qui Articuli Symboli Apoſtolici in hoc paragrapho contineantur.*
127. Una verò eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. *Et hoc ampliùs declaratur, unà cum n. ſeqq.*
Eccleſia Arcæ Noë comparatur. Ibid.
128. *Catechumeni poſſunt ſalvari; & quomodo ipſi ſint in Eccleſia?*
129. *Solvitur inſtantia.*
130. In qua idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium JESUS Chriſtus. *Declaratur; una cum num. ſeqq.*
Chriſtus in ultima Cœna ſeipſum comedit. Ibid.
131. *Chriſtus Dominus eſt Sacerdos,*
132. *Atque principalis Offerens novæ Legis Sacrificium.*
133. Cujus Corpus & Sanguis &c.
Vox Tranſubſtantiatio *in Generali Concilio primùm adinventa, & uſurpata.*
134. *Idq; convenienter, ac meritò factum fuit.*
135. Ut ad perficiendum myſterium unitatis &c. *Declaratur.*
136. *Solus Sacerdos poteſt conficere Euchariſtiam.*
137. Sacramentum verò Baptiſmi &c. *Et varij circa hoc errores Hæreticorum, & num. ſeqq.*
138. *Errores Hæreticorum circa materiam Baptismi.*
139. *Qui reijciuntur.*
140. *Errores varij circa formam Sacramenti Baptismi referuntur,*
141. *Atque reijciuntur. Et num.* 140.
142. *Errores circa cauſam efficientem principalem Sacramenti Baptiſmi.*
143. *Ac circa cauſam ejusdem ſecundariam, ſive miniſterialem recenſentur. Et num. 144.*
S. Cypriani, & Concilij Carthaginenſis opinio circa valorem Baptismi à non baptizato, vel Hæretico collati. num. 143.
144. *An quis ſe ipſum baptizare valeat?*
145. *Errores circâ cauſam finalem Sacramenti Baptismi.*
146. *Pernicioſa hæreſis negantium, parvulos eſſe baptizandos, eáque multoties condemnata.*
147. Etſi poſt ſuſceptionem Baptismi &c. *Declaratur.*
Sacramentum Pœnitentiæ appellatur ſecunda poſt naufragium Tabula.
148. *Sacramentum Baptiſmi cur ſit irreiterabile, & Sacramentum Pœnitentiæ iterabile?*
149. *Triplex ſtatus hominum in Eccleſia, Virginum, Continentium, & Conjugatorum.*
150. *Status tamen Virginalis antecellit cæteris, eíque attribuitur fructus centeſimus.*

126 IN hoc Paragrapho Concilium Generale confitetur, & expreſſiùs declarat tres alios Articulos Symboli Apoſtolici, nempe illos: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remiſſionem peccatorum.* Unde tractat imprimis de Eccleſia, deinde de Sacramentis Eccleſiaſticis, atque incruento novæ Legis Sacrificio: ac tandem de triplici Statu Fidelium, veluti vivorum membrorum Eccleſiæ Chriſti. Quantùm igitur attinet primum, inquit Concilium:

Una verò eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam
127 *nullus omninò ſalvatur.* Concordat S. Cyprianus, *in tract. de unitate Eccleſiæ*, ac refertur *can. Loquitur. & can. Alienus. 24. q.* 1. in quo poſteriori loco ſic ait: *Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: habere jam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.* Quinimò SS. Patres paſſim hoc declarant exemplo Arcæ Noë, extra quam regnante Diluvio nullus hominum mortem evaſit; Ut S. Hieronymus *in Epiſt. ad Damaſum Papam* (ac refertur *can. Quoniam vetuſto. 24. q.* 1.) ubi Eccleſiam Catholicam Arcæ Noë comparans, ſubjungit: *Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante Diluvio.* Et D. Gregorius, *lib.* 35. *Moralium, cap. 6.* ac relatus *in can. Quia ex ſola. ead. 24. q. 1.* loquens de Eccleſia Catholica, inquit: *Sola eſt, quæ intra ſe poſitos validâ charitatis compage cuſtodit: unde & aqua Diluvij Arcam quidem Ad ſublimiora ſuſtulit, omnes autem, quos extra Arcam invenit, extinxit.*

Nec obſtat, quòd juxta D. Ambroſium *in Con-* 128
cione funebri de obitu Valentiniani. §. Sed audio, alióſque SS. Patres, & Theologos, Catechumeni poſſint ſalvari, & multi ſalventur, qui tamen per Sacramentum Baptismi necdum ſunt ingreſſi Eccleſiam; ut liquet in Martyribus proprio ſanguine baptizatis. Reſp. enim, Dictum illud, quòd nullus omninò ſalvetur extra Eccleſiam, intelligendum eſſe de illis, qui nec re, nec voto ſunt in Eccleſia: Catechumeni autem licèt per januam Sacramenti Baptiſmi, actu recepti, necdum ſint ingreſſi Eccleſiam; nihilominus voto jam ſunt in Eccleſia. Et hoc ſufficit ad id, ut ſalvari poſſint, non minùs ac baptiſmus in voto ſuſceptus; mediante quo, ſi deſit occaſio recipiendi Sacramentum Baptiſmi, poſſe hominem ſalvari, patet tum ex Concilio Tridentino *Seſſ. 6. cap.* 4. tum ex pluribus locis Juris Canonici, ac præſertim *ex c. Veniens. de Presbyt. non baptizat.* ibi: *Cùm quis non ſolùm per Sacramentum Fidei, ſed per Fidem*

dem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Chriſti. Proinde haud immeritò D. Auguſtinus *Tract.* 4. *in Joan.* dicit, Catechumenos eſſe in Eccleſia. Intellige, non re (ſic enim ibidem ſeparat eos à Fidelibus, cùm actu per receptum Sacramentum Baptiſmi necdum ſint ingreſſi Eccleſiam) ſed voto, quod ſufficit, ut ſalvari poſſint.

129 Neque dictis obſiſtit ſimilitudo Arcæ, extra quam regnante Diluvio nemo ſalvabatur, licèt voto fuerit in ipſa. Tum quia ſimilitudines ſæpiùs claudicant, neque conveniunt in omnibus. Tum quia ipſummet Sacramentum Baptiſmi comparatur Arcæ Noë. 1. *Pet.* 4. *verſ.* 20. & 21. & tamen conſtat ex proximè dictis, poſſe quem ſalvari cum Baptiſmo, non in re, ſed in voto duntaxat recepto.

130 *In qua* (Eccleſia) *idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium JESUS Chriſtus.* Concordat illud *can. Nec Moyſes. de Conſec. diſt.* 1. *Dominus JESUS ipſe conviva & convivium, ipſe comedens & qui comeditur.* Non quòd comederit ſemetipſum ex neceſſitate, & quoad effectum augmenti gratiæ; quia non indigebat, cùm à primo ſuæ conceptionis inſtanti habuerit gratiam conſummatam: ſed comedit ſeipſum ex dignatione. Et ſic intelligitur etiam Gloſſa ibidem adducens verſiculos illos:

Rex ſedet in cœna, turbâ cinctus duodenâ:
Sed tenet in manibus; ſe cibat ipſe cibus.

131 Porrò Chriſtus Dominus, in Eccleſia ſua cenſetur eſſe Sacerdos, utpote qui non tantùm ſemel ſeipſum in ara Crucis, morte intercedente pro ſalute Mundi Deo Patri obtulit: ſed inſuper, ut oſtenderet ſeſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum conſtitutum, in ultima Cœna, qua nocte tradebatur, incruentum novæ Legis ſacrificium, quo cruentum ſemel à ſe in Cruce peragendum repræſentaretur, inſtituit; dum ipſemet corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earum rerum ſymbolis, Apoſtolis, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit.

132 Et quidem principalis Offerens iſtud novæ Legis Sacrificium, ſimúlque hoſtiæ ejuſdem principalis, eſt Chriſtus Dominus, quamvìs illud offerat Sacerdotum miniſterio: Sacerdos verò celebrans offert illud ut proximus miniſter; prout liquet tum ex verbis Concilij Generalis proximè relatis, tum ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, atque Tridentino *Seſſ.* 22. *cap.* 2. inter alia ſic docente: *Una enim eadémque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſâ.*

133 *Cujus corpus & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate Divinâ.* Hæc vox, *Tranſubſtantiatis*, ſive *Tranſubſtantiatio*, primùm in hoc Generali Concilio poſita, & adinventa fuit, quamvis anteà jam alia nomina æquivalentia extiterint, ut puta Converſionis, Transmutationis, ac hujusmodi. Bellarminus *lib.* 3. *de Sacrament. Euchariſt. cap.* 23. Veruntamen juxta longævum uſum Eccleſiæ remanſit poſteà nomen *Tranſubſtantiationis*, utpote magìs convenienter ac propriè ſignificans, & exprimens mirabilem illam converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti; qualis ex Divina inſtitutione, ac vi verborum Conſecrationis, intervenit in confectione Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Unde Concilium Tridentinum *Seſſ.* 13. *can.* 2. ſic definit: *Si quis dixerit, in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis & vini, unà cum Corpore, & Sanguine Domini noſtri JEſu Chriſti, negaveritq́ue mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini: quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè Tranſubſtantiationem appellat: anathema ſit.*

Nec quemque moveat novitas hujus voca- 134
buli *Tranſubſtantiatio*, utpote in Concilio iſto Generali primitùs per Eccleſiam uſurpati. Siquidem inutile eſt, ac ſtultum, diſputare de nomine, ubi conſtat de re ipſa: atqui in Sacramento Altaris panem ſubſtantialiter converti in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti, remanentibus duntaxat accidentibus panis, & vini, Sancta Catholica Eccleſia ſemper docuit, & docet, juxta illud Æternæ Veritatis Oraculum: *Hoc eſt enim corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*, Matth. 26. Unde, ſicuti Concilium Nicænum I. in Symbolo, ad refutandam hæreſin Arianam poſuit nomen ὁμοούσιος, confitendo Filium Dei eſſe *Conſubſtantialem* Patri: & ſicut Concilium Epheſinum I. impietati Neſtorianæ oppoſuit nomen Θεοτόκος, ad confitendum, quòd Beatiſſima Virgo MARIA verè ſit *Deipara*, & Dei Genitrix: ita pari ratione Concilium Generale Lateranenſe errori Berengarij, de quo ſit mentio *in can. Ego Berengarius de Conſec. diſt.* 2. & Hæreticorum ipſum ſequentium, opponere potuit, juréque meritiſſimo oppoſuit hoc nomen *Tranſubſtantiatio*, utpotè clariſſimè ſignificans totalem tranſitum, ſive converſionem unius ſubſtantiæ in aliam, panis videlicet, ac vini in Corpus & Sanguinem Chriſti, ſolis illorum accidentibus remanentibus.

Ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi 135
de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc partim dicitur ex eo, quia Euchariſtia eſt myſterium, ſive Sacramentum Eccleſiaſticæ Unitatis, juxta illud Apoſt. 1. Corinth. 10. *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.* Unde D. Auguſtinus *Tract.* 26. *ſuper Joannem*, exclamat, dicens: *O Sacramentũ pietatis! O Signũ unitatis! O vinculum charitatis!* Et Eccleſia in Miſſa de Ven. Sacramento, precatur his verbis: *Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine unitatis*

tis & pacis propitius dona concede, quæ ſub oblatis muneribus myſticè deſignantur. Partim verò id dicitur ex eo, quia in Sacramento Euchariſtiæ veraciter continetur illud ipſum verum corpus Chriſti, quod ſumpſit de Beatiſſima MARIA Virgine. Unde notanter inquit textus citatus, quòd ad perficiendum Unitatis myſterium in hoc SS. Myſterio nos accipiamus de ſuo (id eſt, de carne ſua) quod ipſe accepit de noſtro, nempe de Beatiſſima Virgine. Abbas Panormit. *in c. Firmiter.* §. *Una verò. n.* 1. *h. t.*

Et hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi
136 *Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundùm claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorúmque Succeſſoribus JEſus Chriſtus.* Solus ſiquidem Sacerdos ritè ordinatus, eſt legitimus miniſter conficiendi Euchariſtiam, & hæc ſine vera ejus ordinatione confici non poteſt: prout liquet non ſolùm ex perpetuo ſenſu & traditione Eccleſiæ, ſed ex illis verbis Salvatoris, Lucæ cap. 22. ad ſolos Apoſtolos prolatis: *Hoc facite in meam commemorationem.* His ſiquidem verbis Chriſtus & Apoſtolos inſtituit Sacerdotes, & ipſis, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus mandavit, id facere, quod ipſe fecit, videlicet offerre, & conſecrare corpus & ſanguinem ſuum, quod ipſemet tunc incruentè offerre, & conſecrare, Apoſtoliſque manducandum præbere, dignatus fuit.

Sacramentum verò Baptiſmi (quod ad Dei invocatio-
137 *nem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, conſecratur in aqua) tam parvulis, quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocunque ritè collatum proficit ad ſalutem.* Paucis hiſce verbis à Concilio Generali condemnantur plures Hæreticorum errores, tum antiqui, tum noviſſimis temporibus ex Orco revocatij, & circa omnia quatuor cauſarum genera Sacramentum Baptiſmi impugnantes: idq; accidit ingenti fraude diabolicâ, quâ infenſiſſimus Generis humani hoſtis per malitioſam ſubtractionem Sacramenti Baptiſmi, tantoperè ad ſalutem neceſſarij, non adultis duntaxat, ſed & innumeris parvulis, viam ad Regnum cœlorum præcludere ſatagit.

Imprimis igitur verbis illis rejiciuntur varij
138 errores circa materiam Baptiſmi verſantes: ut hæreſis Manichæorum, qui teſte D. Auguſtino *Lib. de Hæreſ. cap.* 46. voluerunt, Baptiſmum in aqua non eſſe adhibendum. Item error Seleuci & Hermiæ, qui pariter aquam à Baptiſmo excludebant, ut refert D. Auguſtinus *loc. cit. cap.* 59. Nec non noviſſimus error Lutheri, qui *in Sympoſiacis Colloquijs, cap.* 17. aſſerere auſus fuit, quidquid balnei nomine intelligi poteſt, ſive vinum illud ſit, ſive lac, aut cereviſia, illud eſſe aptum ad baptizandum.

Sed contra omnes iſtos errores ſtat Catholi-
139 ca Veritas, tum in Concilio Generali illis verbis expreſſa, *Sacramentum Baptiſmi conſecratur in aqua*, juncto *can. Detrahe.* 1. *q.* 1. *& cap. penult. de Baptiſmo:* tum ampliùs declarata in Concilio Tridentino *Seſſ.* 7. *cap.* 2. ubi anathemate perſtringuntur aſſerentes, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi. Et meritò: nam Salvator, Joan. cap. 3. expreſsè conteſtatur, dicens: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Concordat illud Epheſ. 5. *Eccleſiam mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et praxis primitivæ Eccleſiæ, de qua fit mentio Actor. cap. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et deſcendit uterque in aquam, Philippus & Eunuchus; & baptizavit eum.*

Deinde Concilium Generale *loc. cit.* refutat 140
diverſos errores circa formam Sacramenti Baptiſmi ſubortos, dum ait: *Quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti conſecratur &c.* Nam imprimis jam tempore Apoſtolorum quidam baptizare præſumpſerunt in tres principio carentes, aut tres Filios, aut tres Paracletos, vel in mortem Domini: qui error refertur, atque reprobatur *in can.* 48. *&* 49. *Apoſtolorum.* Deinde non defuerunt, qui ſolam aquam adhibebant abſque alia prolatione formæ: qui error pariter refertur, atque rejicitur *in can. Detrahe.* 1. *q.* 1. juncto *cap.* 1. *& cap. penult. de Baptiſmo.* Inſuper Paulinianiſtæ, & Cataphryges non baptizabant in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti; ac proinde in primo Concilio Nicæno, *can.* 19. (atque refertur *can. Si quis confugerit.* 1. *q.* 1.) ſtatutum fuit, eos omninò rebaptizari debere. Iſtis acceſſerunt Bonoſiani, qui in nomine Trinitatis minimè baptizabant, nec baptizabantur: quia & Chriſtum Dominum non credebant, *can. Hi verò hæretici. de Conſec. diſt.* 4. Et Ariani, quorum aliqui vel per hæreticam additionem ſubſtantialiter immutârunt ſenſum formæ Baptiſmi, dicentes: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, & Filij minoris &c.* Vel baptizabant in nomine Patris per Filium, in Spiritu Sancto; prout Deuterium, Epiſcopum Arianum, Conſtantinopoli quemdam, nomine Barbam, baptizare voluiſſe, divinitùs autem aquam, quæ in Sacro Lavacro erat, diſparuiſſe, refert Nicephorus *lib.* 16. *Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 35. Vel aliâ ratione immutârunt veram formam Baptiſmi; ac proinde in Concilio Arelatenſi I. *cap.* 8. (atque refertur *can. de Arianis. de Conſec. diſt.* 4.) ſtatutum fuit, ut ſi aliqui de hac hæreſi ad Eccleſiam redierint, priùs per Sacerdotes interrogari debeant de Symbolo, atque attendi, ſub qua verborum forma fuerint baptizati. Quin & Lutherus *lib. de Captivit. Babylon. cap. de Baptiſmo.* & Zwinglius *lib. de vera & falſa Religione, cap. de Baptiſmo*, licèt formâ uſitatâ utendum eſſe dicant: aſtu tamen diabolico ſeducti, in perniciem hominum ſub invalida forma baptizatorum, addere non verentur, nullam certam verborum formam requiri ad ſubſtantiam Baptiſmi.

Contra omnes iſtos, & alios hujuſmodi erro- 141
res, circa formam Baptiſmi arte diabolicâ ſuſcitatos in perniciem hominum, præſertim parvulorum cum Baptiſmo ſub invalida forma collato decedentium, ſtat perpetua traditio, atque doctrina Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ ſem-

per inconcuſſa, Sacramentum Baptismi eſſe conferendum ſub invocatione Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ſive in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti; prout habetur *in can. Si revera. & can. De trina. & can. Multi ſunt. & can. In Synodo. de Conſec. diſt.* 1. juncto *cap. 1. & cap. Debitum. & cap. penult. de Baptiſmo*, cum concordantijs: atque fundatur in illis verbis Salvatoris, Matth. *cap. ult. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti.*

142 Quoad cauſam efficientem Sacramenti Baptiſmi plures etiam inſurrexerunt errores, quos omnes Concilium Generale ſuprà relatum reprobat verbis illis: *Sacramentum Baptiſmi in formâ Eccleſiæ ritè collatum &c.* Et quidem loquendo de cauſa primaria & principali ejusdem, graviſſimè errant, atque à via ſalutis penitùs aberrant Pagani, & perfidi Judæi, Sacramentum Baptiſmi à Chriſto JESU, vero Deo & homine inſtitutum fuiſſe, atque ad conſequendam ſalutem, vitámque æternam neceſſariò requiri, pertinaciter negantes.

143 Deinde, quantùm attinet ad cauſam ſecundariam, ſive miniſterialem Baptismi, olim magna extitit dubitatio, num Baptismus à non baptizato, vel Hæretico collatus, ſit validus? Et quidem ante definitionem Eccleſiæ non pauci cum S. Cypriano Epiſcopo, & Concilio Carthaginenſi (quod fuit Provinciale, atque Cypriani præſertim authoritate regebatur) ſententiam negativam tenuerunt. Verùm contrariam ſententiam eſſe veram, & ſequendam, docet Sancta Romana Eccleſia, atque liquet ex *can. Dictum eſt à Deo. & can. Quod quidem. 1. q. 1. & can. Romanus. & can. A quodam Judæo, & ſeqq. de Conſecr. diſt. 4.* Eſtque nunc de Fide certum, ac definitum in Concilio Florentino *in Decreto Unionis;* ubi habetur, quòd *in caſu neceſſitatis, etiam Laicus, vel Mulier, imò & Paganus, vel Hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Concordat Concilium Tridentinum *Seſſ. 7. can.* 4. Quinimò, cùm jam antiquitùs S. Cornelius Papa, manente tamen Sacerdotali concordiâ (ut refert Euſebius *lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 2.*) ac poſtmodùm Stephanus Papa, non quidem definiendo, ſed excommunicationem comminando reiterantibus ejusmodi Baptisma, ſententiam Cypriani, & Concilij Carthaginenſis improbâſſent: illos ipſos Epiſcopos, qui priùs unà cum Cypriano decreverant, baptizatos ab Hæreticis eſſe rebaptizandos, poſteà contrarium protuliſſe Decretum, refert S. Hieronymus *in Dialogo contra Luciferianos.* Quin & D. Auguſtinus, *Epiſt.* 48. *ad Vincentium*, ſuſpicatur, ipſum quoque Cyprianum retractâſſe ſententiam ſuam. Saltem is ab hæreſi immunis fuit, eò quòd tempore ſuo necdum per Eccleſiam quæſtio illa de Baptismo Hæreticorum definita fuerit: & licèt SS. Patres Cyprianum alicujus immoderantiæ damnent, rectè tamen D. Auguſtinus *lib. 1. contra Donatiſtas, cap.* 18. inquit, *hanc culpam Cypriani, falce Martyrij fuiſſe purgatam.*

144 Alius error circa cauſam miniſterialem Baptiſmi eſt eorum, qui putabant, quòd poſſit quis, ſaltem in mortis articulo, ſemetipſum baptizare. Sed, quia inter baptizantem & baptizatum debet eſſe diſtinctio, uti colligitur ex illis verbis Salvatoris, Matth. *cap. ult.* dicentis ad Apoſtolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris &c.* Atque ad hoc etiam deſignandum ipſemet Chriſtus, non à ſeipſo, ſed à Joanne voluit baptizari, Matth. 3. Meritò prædictus error reprobatur *in c. Debitum. 4. de Baptiſ.* Taceantur Græci, qui olim in tantùm Latinos abominari cœperunt, ut etiam baptizatos à Latinis, auſu temerario rebaptizare præſumpſerint; prout refertur, ſimúlque reprobatur *cap. ult. eod.* quod eſt deſumptum ex capit. 4. Concilij Generalis ſub Innocentio Tertio celebrati.

145 Tandem circa cauſam finalem, quæ eſt Juſtificatio hominis, ſive remiſſio peccatorum per infuſionem gratiæ ſanctificantis homini, ritè illud ſuſcipienti, ex opere operato, ſeu ex Divina inſtitutione, ac virtute meritorum Chriſti infallibiliter conferendæ: plures etiam quoad Sacramentum Baptismi ſubortæ ſunt hæreſes, & errores. Atque, ut taceantur Pagani, perfidique Judæi, ac nonnulli præſertim antiquiores Hæretici, omnem ipſi virtutem juſtificandi hominem ex inſtitutione, ac meritis Chriſti abnegantes; quorum errorem dudum jam reprobavit Generalis Synodus Conſtantinopolitana, per illa Symbolo appoſita verba: *Confitemur unum Baptisma in remiſſionem peccatorum.* Alius error hæreticus inſatiabili rabie diabolicâ etiam in tenellam ætatem deſæviens, fuit tum quorundam veterum Hæreticorum, tum modernorum Anabaptiſtarum, impiè negantium, quòd parvuli ſint baptizandi.

146 Et hæc quidem hæreſis eò pernicioſior eſt, quò certiùs animas infantium absque Baptisma decedentium præcipitat in infernum; prout habetur *can. Firmiſſimè. de Conſec. diſt. 4.* ac patet ex illo Salvatoris, Joan. 3. & ſuperiùs jam allegato: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Meritò proinde hæreſis tam pernicioſa, & contra cujus perverſitatem, damnáque æternùm irreparabilia, tenella ætas infantium ſæpè ſæpiùs decedentium, per Baptismum Flaminis, ſeu Bapismũ in voto receptum, ex defectu uſûs rationis ſeſe defendere, atque præmunire non ſufficit: dudum jam in Concilio Milevitano (cui interfuit D. Auguſtinus) *cap. 2.* atque refertur *in can. Placuit, ut quicunque parvulos. de Conſecr. diſt. 4.* fuit condemnata: & concordat *can. Illud perſcrutari. & can. Si qui apud illos. de Conſec. ead. diſt. 4.* Et cùm eadem hæreſis, in animas parvulorum tantoperè deſæviens, iterùm aſtu diabolico repullulare cœpiſſet, denuò à D. Bernardo *Serm. 66. in Cantica. & Epiſt.* 240. impugnata; atque etiam in Concilio Generali Lateranenſi damnata fuit, verbis jã alle-

allegatis docente, & credente, quòd *Sacramentum Baptiſmi tam parvulis, quàm adultis, proficit ad ſalutem.* Concordat Concilium Viennenſe, relatum *Clem. un.* §. *Ad hoc. h. t.* & Concilium Tridentinum *Seſſ. 7. can. 12. & 13. de Baptiſmo.*

147 *Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi* (pergit Concilium Generale) *quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.* Et hinc Sacramentum Pœnitentiæ, quod omnibus, poſt Baptiſmum in peccatum mortale prolapſis, ex Chriſti inſtitutione omninò neceſſarium eſt ad ſalutem, ſicut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus (in re videlicet, vel ſaltem in voto) prout loquitur Concilium Tridentinum *Seſſ. 14. cap. 2.* meritò à Sanctis Patribus appellatur *Secunda poſt naufragium Tabula*, naufragis, ſive poſt Baptiſmum in peccatum mortale prolapſis præparata, *can. Secunda poſt naufragium. de Pœnit. diſt.* 1. juncto Concilio Trident. *loc. cit. can. 2.*

148 Cur autem Sacramentum Baptiſmi ſit irreiterabile, non autem Sacramentum Pœnitentiæ, utpote mediante quo lapſus poſt Baptiſmum *poteſt ſemper reparari*, ut loquitur citatum Generale Concilium: ratio primaria eſt ipſamet inſtitutio Divina, cujus non eſt aliqua cauſa prior, niſi voluntas Dei, volentis, ut illud Sacramentum ſit irreiterabile, imprimátque animæ ſuſcipientis characterem ſemper indelebilem; non iſtud. Congruentiæ tamen hujus inſtitutionis Divinæ ſunt plures. Prima deſumitur ex morbo, contra quem quodlibet iſtorum Sacramentorum principaliter à Chriſto fuit inſtitutum: nam Baptiſmus eſt remedium principaliter inſtitutum contra peccatum Originale, quod non eſt iterari: Sacramentum Pœnitentiæ econtrà eſt remedium contra peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa, quæ iterari poſſunt, ac non rarò iterantur. Altera congruentia deſumitur ex fine principali utriusque Sacramenti: nam Baptiſmus habet plenam remiſſionem pœnæ, & culpæ: ſi autem homo poſſet habere frequenter tale remedium, & quidem adeò facile, ac præbens plenam remiſſionem utriusque, inde potiùs oriretur magnũ incentivum delinquendi. Secùs eſt in Sacramento Pœnitentiæ, utpote quod nõ recipitur ſine magna pœna ſolvenda pro peccato, ſimúlque ratione neceſſariæ omnium peccatorum mortalium Confeſſionis, non modicam habet annexam difficultatem. Tertiò Sacramentum Bapiſmi eſt principium, & janua, per quam intratur in Legem Chriſtianam, & adſcribitur quis familiæ Chriſti, fitque membrum ejus, & Eccleſiæ Militantis: ac proinde rationabiliter ordinatum fuit à Chriſto, quòd veluti principium, ac janua vitæ Chriſtianæ iterari non poſſit. Secùs eſt in Sacramento Pœnitentiæ, utpote quo jam ingreſſi Eccleſiam, duntaxat reparantur, & Chriſto capiti poſt lapſum ex fragilitate humana quandoque ſæpiùs accidentem, denuò reconciliantur. Scotus *in 4. diſt. 6. q. 7.* §. *Dico ergo*, & alij.

Non ſolùm autem Virgines, & Continentes, verùm etiam Conjugati, per fidem rectam, & operationem placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire. 149
Triplex ſiquidem eſt Status hominum in Eccleſia Chriſti, nempe Virginum, Continentium, ſeu Viduarum, & Conjugatorum: & in quolibet eorum ritè cuſtodito, declinando videlicet à malo, & faciendo bonum, ſalus poteſt æterna promereri.

Certum nihilominus eſt, Statum Virginalem longè cæteris antecellere, prout oſtendit D. Paulus 1. Corinth. 7. eſtque concors doctrina SS. Patrum, ac noviſſimè definitum in Concilio Tridentino, *Seſſ. 24. can. 10.* illis verbis: *Si quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatûs; & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quàm jungi Matrimonio: anathema ſit.* Hinc S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum*, & S. Auguſtinus *lib. de S. Virginitate, cap. 44. & 45.* ac S. Cyprianus *de Habitu Virg.* exponentes parabolam illam Matth. cap. 13. propoſitam de ſemine in terram bonam cadente, & diverſimode fructificante: fructum centeſimum attribuunt Virginibus, ſexageſimum Viduis, & triceſimum honeſtis pijsque Conjugibus. 150

§. VIII.

De Obligatione emittendi Profeſsionem Fidei.

SUMMARIUM.

151. *Aſſenſus Fidei, ejusq; confeſſio & profeſſio differunt.*
De qua profeſſione Fidei hîc agatur? Ibid.
152. *Jure Eccleſiaſtico obligantur ad emittendam Fidei profeſſionem Baptizandi.*
153. *Ac Hæretici ad unitatem Eccleſiæ redeuntes,*
154. *Et ſacris Ordinibus initiandi.*
155. *Et cur non ſuperfluat ſpecialis promiſſio de Fide uſque in finem conſtanter retinenda?*
156. *Rurſus profeſſionem Fidei facere tenentur promoti ad Epiſcopatum,*
157. *Ac promoti ad Canonicatus, & Dignitates Cathedralium Eccleſiarum, vel ad quæcunque Beneficia curam animarum habentia.*
Refertur circa hoc Decretum Concilij Tridentini. Ibid.
158. *Etiamſi profeſſionem Fidei in adeptione alterius Beneficij jam emiſiſſent,*
159. *Aut eam feciſſent in hoc ipſo Beneficio, quod poſteà dimiſerunt, ac denuò acquiſierunt.*
160. *Item proviſi de Monaſterijs, Conventibus &c. Regularium Ordinum.*

161. *Et an hoc ſit uſu receptum?*
162. *Sicut & Doctores, Magiſtri, Regentes Univerſitatum, vel Gymnaſiorum, ac Scholares ad Gradum promovendi.*
163. *Non tamen tenentur emittere profeſſionem Fidei, qui promoti ſunt ad Canonicatus, vel Dignitates Eccleſiarum Collegiatarum, aut ad Beneficia non curata.*
164. & 165. *Solvuntur inſtantiæ.*
166. *Nec eam facere tenentur Coadjutores Canonicorum Cathedralium, Portionarij, Vicarij temporales &c.*
167. *Proviſi de Canonicatibus, & Dignitatibus Cathedralibus, coram quibus profeſſionem Fidei facere teneantur?*
168. *Præſertim Sede Epiſcopali vacante?*
169. *Proviſi de Beneficijs curatis, coram quo facere teneantur Fidei profeſſionem?*
170. *An ſufficiat hanc facere coram Vicario Generali, etiam Epiſcopo non impedito?*
171. *Et ubi fieri debeat Sede Epiſcopali vacante?*
172. *Dicta Fidei profeſſio fieri debet intra duos menſes à tempore adeptæ poſſeſſionis.*
173. *Quid juris, ſi per promotum ſtet, quo minùs accipiat poſſeſſionem?*
174. *Requiritur ad id poſſeſſio pacifica.*
175. *Promotus non faciens profeſſionem Fidei intra bimeſtre, tenetur eam poſteà, quamprimùm poterit, emittere.*
176. *Solvitur inſtantia ex* c. Sicut. de Sponſalib. *deſumpta.*
177. *Differentia inter præceptum emittendi dictam profeſſionem, & præceptum audiendi Miſſam, vel jejunandi ſtatutis ab Eccleſia diebus.*
Mandata qualificata, quæ? Num. 175.
178. *Sufficit, ſi promoti emittant profeſſionem Fidei ex alio titulo.*
179. *Proviſi de Beneficijs tenentur ultrò ſe offerre ad profeſſionem Fidei faciendam:*
180. *Et probare, ſe eam emiſiſſe, quando deſuper inquiritur.*
181. *Dicta profeſſio Fidei, an poſſit fieri per Procuratorem? Ponitur Sententia negativa.*
182. *Probabilior cenſetur Sententia affirmativa. Et ſeqq.*
183. *Poteſt quis jurare per alium.*
184. & 185. *Reſpondetur ad Deciſionem Rotæ, Declarationem Cardinalium in contrarium allegatam.*
186. & 187. *Num allata doctrina ſit limitanda in Epiſcopis?*

151 PRæmittendum breviter eſt, quòd aſſenſus ſive actus Fidei corde fiat, confeſſio autem Fidei præſtetur ore, juxta illud Apoſtoli, Rom. cap. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sicut autem exterior confeſſio Fidei fit verbis, ita ejus profeſſio fit factis, ſive rebus externis, v. g. veſtibus, in ſignum ejus aſſumptis. Nobis impræſentiarum præcipue ſermo eſt de ſolemni illa Profeſſione Fidei, quæ ſub certa verborum formula ex præſcripto Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, à certis perſonis præſtanda eſt: nam quâ ratione, quibusque temporibus omnes Fideles Jure Divino obligentur ad eliciendum actum interum Fidei Divinæ, imò & ad externam ejusdem confeſſionem, fuſiùs examinant Theologi; atque egometipſe declaravi *Tract. IV. Theologiæ Moralis, Diſtinct. II. quæſt.* 3. & 4. Quantùm igitur ad propoſitum noſtrum,

152 Quæritur I. Quinam Jure Eccleſiaſtico obligentur ad emittendam Fidei profeſſionem? Reſp. Ad publicam Fidei profeſſionem faciendam Jure Eccleſiaſtico tenentur plures; atque imprimis Baptizandi, *arg. can. Prima igitur.* 73. *de Conſec. diſt.* 4. Quòd ſi illi credere, aut loqui non valeant, ùt parvuli, amentes, vel muti, eorum vice alius profiteatur, nempe Patrinus *can. Parvuli alio. de Conſec. ead. diſt.* 4. Fitque talis profeſſio Fidei per congruentes reſponſiones à Baptizando, vel ejus nomine à Patrino, factas ad interrogationes Baptizantis, prout habetur *cit. can. Prima igitur. de Conſecr. diſt.* 4. ac in Rituali Romano Pauli V.

153 Deinde Hæretici, qui ad veritatem Fidei Catholicæ, & unitatem S. Matris Eccleſiæ ſponte redire voluerint, tenentur priùs arbitrio Epiſcopi publicè ſuam hæreſin abjurare, *c. Ad abolendam. 9. de Hæretic.* Idque rectiſſimè fit emittendo profeſſionem Fidei Catholicæ juxta formam de facto in Eccleſia uſitatam, & à Pio IV. in Bulla, *Injunctum Nobis.* (& habetur tum in Ritualibus Diœceſanis novis, tum *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit.* 89. dicti Pontificis) præſcriptam, ut una eademque unius Fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur. Quinimò antiquitùs ab hæreſi redeuntes ab Eccleſiam Catholicam, atque Apoſtolicam, tenebantur profeſſionem Fidei etiam per ſcripturam, atque oblatum libellum exhibere, *can. Si, qui voluerint. & can. Maximum. & ſeqq. 1. q.* 7.

Tertiò, profeſſio Fidei Catholicæ, ſimul & ſpecialis promiſſio de eadem usque in finem ſincerâ cordis devotione, ac conſtantiſſimè retinenda, debet emitti ab illis, qui Sacris Ordinibus ſunt initiandi; ut *can. Quamquàm. diſt.* 23. 154

Neque ſuperfluit dicta ſpecialis promiſſio, ex eo, quòd aliundejam, ſive de Jure Divino, teneantur Ordinandi ad conſtantem, ſinceramque Fidei Catholicæ cuſtodiam, & confeſſionem. Nam, ut rectè notatur *cit. can. Quamquàm.* plùs ſolet timeri, quod ſingulariter pollicetur, quàm quod generali ſponſione concluditur. Accedit, quòd formula profeſſionis Fidei, præſertim nunc uſitata in Eccleſia, circa finem contineat ſuperadditam religionem juramenti, ut liquet ex illis verbis: *Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.* 155

Quartò, profeſſionem Fidei Catholicæ tenentur facere promoti ac Epiſcopatum, *can. Qui* 156

Epiſco-

Epiſcopus. diſt. 23. juncto *can. Optatum. diſt. 100.* Et ampliùs habetur in Concilio Tridentino, *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* atque in Conſtit. 6. Gregorij XIV. Quæ incipit, *Onus Apoſtolicæ*, editâ 1591. Idib. Maij. Forma autem hujus profeſſionis Fidei, ac juramenti, traditur in Pontificali Romano, juſſu Clementis VIII. edito.

157 Quintò eandem Fidei Orthodoxæ profeſſionem tenentur publicè emittere, atque in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondere, ac jurare, Promoti ad Canonicatus, & Dignitates Cathedralium Eccleſiarum, vel ad quæcunque Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum habentia: idque ex nova diſpoſitione Concilij Tridentini *cit. Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Circa quam, cùm nonnullæ ſpeciales occurrant difficultates in progreſſu examinandæ, operæ pretium erit, verba ejusdem Concilij huc adducere, & ſunt ſequentia: *Proviſi etiam de Beneficijs quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ poſſeſſionis, ad minùs intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali, Orthodoxæ ſuæ Fidei publicam facere profeſſionem; & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent. Proviſi autem de Canonicatibus, & dignitatibus, in Eccleſijs Cathedralibus, non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes Proviſi, ut ſuprà, fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.* Hactenus Concilium.

158 Et hoc ampliatur ad eos, qui in adeptione alterius Beneficij profeſſionem Fidei jam anteà emiſerunt: nam ſi poſtmodùm de alio Beneficio curato, vel Canonicatu, aut Dignitate in Eccleſia Cathedrali proviſi fuerint, tenentur eam rurſum facere. Et ita declaraſſe Sacram Congregationem, refert Nicol. Garcias *part. 3. de Benefic. cap. 3. num.* 17. *&* 18. ac tenent Bonacina *in 1. Præcept. Eccleſ. diſp. 3. q. 2. punct.* 4. *§. 1. n. 8.* Aſcan. Tamburinus *tom. 1. de Jure Abbat. diſp. 8. q. 3. n. 8.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 2. q. 8.* & alij. Siquidem Concilium Trident. ſimpliciter jubet, ut Proviſus de ejusmodi Beneficio intra bimeſtre à die adeptæ poſſeſſionis, faciat profeſſionem Fidei; neque diſtinguit, an hæc anteà fuerit facta: ergò neque nos diſtinguere debemus, *c. Quia circa. 22. de Privileg. & l. De pretio. ff. de Publiciana in rem action.*

Quinimò hæc ratio tam fortiter ſtringit, ut
159 Barboſa *part. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 61. n. 9.* cenſeat, atque probabiliùs exiſtimet Caſtro Palao *tract. 4. de Fide, diſput.* 1. *punct.* 19. *n. 7.* etiam ab eo emittendam eſſe profeſſionem Fidei, qui denuò adipiſcitur Eccleſiam Parochialem, Dignitatem, vel Canonicatum Cathedralem, quam antea habuerat, ac dimiſerat, haud obſtante priori profeſſione Fidei. Siquidem talis iterùm, atque abſolute providetur de ejusmodi Beneficio, ac proin poſt adeptam ejus poſſeſſionem intra bimeſtre rursùs Fidei profeſſionem emittere tenetur; cùm ipſam Concilium omnibus poſt adeptam talium Beneficiorum poſſeſſionem indiſtinctè præcipiat.

Sextò ex ſpeciali Conſtitutione Pij IV. 9. *De-* 160
cembris 1564. emanatâ, quæ incipit, *Injunctum.* (ac refertur *Tom. 2. Bullarij Romani Conſtit. 89. d. Pontif.* traditque formam Profeſſionis Fidei, ab omnibus uniformiter obſervandam) dictum Decretum Concilij Tridentini ampliùs extenditur, ac vi ipſius profeſſionem Fidei tenentur etiam facere omnes illi, quibus de Monaſterijs, Conventibus, Domibus, & alijs quibuscunque Locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militarium, quocunque nomine, vel titulo providebitur.

Notat tamen Hieronymus à Sorbo *in com-* 161
pend. Privilegiorum Mendic. ℣. Profeſſio Fidei, notab. 1. iſtud Decretum non eſſe in uſu, ac ſic Illuſt. Cardinales, alióſque Viros doctiſſimos conſuluiſſe. Et quamvis aliqui reclament, vel iſtum non uſum improbent, uti videre eſt apud Barboſam *cit. allegat. 61. n. 7.* nihilominus dicendum eſt, in ijs Religionibus, in quibus viget contraria conſuetudo, non teneri Prælatos illius ad emittendam Fidei profeſſionem: & hoc per generalia Juris principia, quòd in ipſis vel Decretum Pij IV. nunquam fuerit receptum, vel contrariâ conſuetudine denuò abrogatum, Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 5. n. 3.*

Septimò ex motu proprio Pij IV. 1564. *Idi-* 162
bus Novembris emanato, qui incipit, *In ſacroſancta* (habetúrque *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit. 88.* dicti Pontificis, quamvis multi Authores hanc Bullam attribuant Pio V. ſed erroneè, ut liquet ex Data) tenentur etiam profeſſionem Fidei Orthodoxæ palam, ac ſolemniter, juxta formam ibidem præſcriptam, facere omnes Doctores, Magiſtri, Regentes, & alij cujuscunque Artis & Facultatis Profeſſores, ſive Clerici, ſive Laici, ac Sæculares, vel cujuscunque Ordinis Regulares ſint, qui in publicis Univerſitatibus, vel Gymnaſijs, aut alibi docere, ſeu Lectiones aliquas habere; ſicut & Scholares, qui ibidem ad aliquem Gradum promoveri voluerint. Idque ſub pœnis graviſſimis, in citata Bulla contentis, ſaluberrimè ſtatutum fuit, ne ſimplicia quorundam Adoleſcentium, res novas audire cupientium, ingenia in naufragos blandientium hæreſum ſcopulos imprudenter impingant: quin potiùs Fidei puritas, veluti ſcientiarum, & doctrinarum quarumcunque baſis neceſſaria; timórque Domini, qui eſt initium Sapientiæ, in cordibus eorum ſollicitiùs foveatur, ac fortiùs cuſtodiatur. Num autem dicta Conſtitutio, quæ etiam ad docentes Grammaticam, Arithmeticam, & aliarum Artium liberalium rudimenta, ſeſe extendit, juxta quandam Cardinalium Declarationem, quam refert Sorbus *loc. cit. not. 4.* ubique ſit uſu recepta, & non potiùs alicubi contrariâ conſuetudine ſublata, conſulatur particularis cujuslibet loci praxis, & conſuetudo hactenus obſervata.

Quæritur II. Utrùm omnes prorsùs pro-
moti 163

moti ad Beneficia Eccleſiaſtica teneantur emittere profeſſionem Fidei ? Reſp. negativè. Nam imprimis ad eam faciendam, ſpectato rigore Juris communis, ſive Concilij Tridentini, non tenentur promoti ad Canonicatus, & Dignitates Eccleſiarum Collegiatarum, multò minùs poſſidentes Beneficia inferiora non curata. Siquidem Concilium Tridentinum *n.* 157. relatum, ſicut & Bulla Pij IV. quæ incipit, *Injunctum*, loquitur duntaxat de Canonicatibus, & Dignitatibus, in Eccleſijs Cathedralibus, ac de quibusvis Beneficijs Eccleſiaſticis curam animarum habentibus: & conſequenter diſpoſitio ejusdem non eſt extendenda ad Canonicatus Eccleſiarum non Cathedralium, ſive Collegiatarum duntaxat, neque ad harum Dignitates, dummodò his cura animarum non ſit annexa: ne adjecta limitatio illa, *in Eccleſijs Cathedralibus*, careat effectu, & fruſtrà membranas occupet. Barboſa *lib.* 3. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 61. *n.* 15. Nicol. Garcias *part.* 3. *de Benefic. cap.* 3. *n.* 11. ubi addit, ita cenſuiſſe Sac. Congregationem, *die* 12. *Feb.* 1588. Sanchez *cit. cap.* 5. *n.* 1. Bonacina *in* 1. *præcept. Eccleſ. diſp.* 3. *q.* 2. *punct.* 4. §. 1. *n.* 9. Trulench, & alij; contra Zerolam *in Praxi Epiſc. p.* 1. *V. Beneficia.* §. *Ad quintum.* ℣. *Dico* 4. & Ugolinum *de offic & poteſt. Epiſc. cap.* 50. §. 16. *n.* 3. oppoſitum tenentis; quibus accedit praxis quorundam Conciliorum Diœceſanorum, ut Antuerpienſis, 1609. *tit.* 1. *can.* 14. & Mechlin. 1609. *tit.* 1. *c.* 4. exigentium profeſſionem Fidei etiam à Canonicis Eccleſiarum Collegiatarum, quin & à quibusvis Beneficiarijs, ut refert Zypæus *in Conſultat. Canon. h. t.*

164 Nec urgent rationes in oppoſitum afferri ſolitæ, & partim deſumptæ quaſi ex identitate rationis: partim ex Concilio Tridentino, *Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 2. §. *Cæteri verò.* præcipiente, quòd omnes Beneficia Eccleſiaſtica habentes, & qui in Synodo Diœceſana convenire debent; hæreſes univerſas publicè deteſtari, atque anathematizare teneantur. Nam Concilium Tridentinum *loc. cit.* neutiquam loquitur de profeſſione Fidei in aſſecutione Beneficij facienda, ſed de ipſa præſtanda in prima Synodo, quæ poſt finem Concilij ejusdem habebitur, & quidem ab omnibus, qui eidem Synodo intereſſe debent. Deinde magnam eſſe diſparitatem inter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis, & alios Beneficiarios, vel maximè liquet ex præeminentia, atque excellentia dictorum Canonicorum Cathedralium, in quibus proinde, ſicut & in Beneficiarijs curam animarum habentibus, lapſus, vel ſuſpicio hæreſis foret longè periculoſior, ac Fidelium communitati pernicioſior.

165 Quod attinet ad praxin quorundam Conciliorum Provincialium, rectè equidem ob majus Fidei præſidium, ab ipſis decretum fuit, ut profeſſio Fidei à quibusvis Clericis ſuis beneficiarijs præſtari debeat: inde tamen non ſequitur, hanc Jure communi, ſive vi Concilii Tridentini. ipſis omnibus eſſe injunctam. Quinimò, cùm Decretum Tridentinum ſit inductivum novi juris, ſimúlque pœnale, prout liquet ex adjecta pœna privationis fructuum, ultra perſonas in eo expreſſas extendi non debet; nam pœnæ ſunt reſtringendæ, *c. Odia. de Reg. Juris in* 6. & jurium correctio, quantum fieri poteſt, eſt evitanda, *c. Cùm expediat. de Elect. in* 6. ac proinde non cenſetur plùs de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum. *l. Præcipimus.* C. *de Appellation.*

Inſuper his ipſis de cauſis etiam Coadjutores 166 Canonicorum, ſeu Dignitatum Cathedralium, non tenentur emittere profeſſionem Fidei: quia Coadjutor durante Coadjutoriâ nondum eſt Canonicus, cùm nec ſit in poſſeſſione Canonicatus, ſed Coadjutoriæ ſolùm. Barboſa *cit. allegat.* 61. *n.* 13. *& cap.* 17. *de Canonicis, num.* 12. poſt Trulench *in expoſit. Decalogi, lib.* 1. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 1. & Nicol. Garciam *de Beneficijs part.* 4. *cap.* 5. *n.* 76. & alios. Idem dicendum de Portionarijs, & alijs proviſis de Capellanijs in Eccleſijs Cathedralibus, Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. univ. cap.* 21. *num.* 64. Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 5. *n.* 1. Garcias, & alij. Item de illis, qui de Beneficio curam animarum habente non providentur; ut Vicarij temporales, ac hujusmodi. Ratio generalis eſt; quia hi omnes non comprehenduntur ſub illis perſonis, quas Concilium Tridentinum obligavit ad profeſſionem Fidei; ut patet ex verbis ejusdem *n.* 157. relatis, quæ proinde veluti pœnalia, & novi Juris inductiva, ultra perſonas expreſſas extendi non debent.

Quæritur III. Coram quibus proviſi de Ca- 167 nonicatibus, vel Dignitatibus Cathedralibus, aut Beneficijs curam animarum annexam habentibus, teneantur emittere profeſſionem Fidei? Reſp. I. loquendo de prioribus, patet ex verbis Concilij Tridentini, *n.* 157. jam allegatis, quòd proviſi de Canonicatibus, aut Dignitatibus in Eccleſijs Cathedralibus, teneantur publicam Fidei ſuæ profeſſionem facere, non ſolùm coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſed etiam in Capitulo. Satis tamen foret, eam emittere in Capitulo, ſi huic intereſſet Epiſcopus, aut ejus Vicarius, qui fortè exiſtit Canonicus: talis etenim reverà facit profeſſionem Fidei coram Epiſcopo, ſeu ejus Officiali, ſimúlque in Capitulo, ut præſcribit Tridentinum; ac proinde non ampliùs cogitur foris coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, eandem repetere. Garcias *part.* 3. *de Benefic. cap.* 3. *n.* 51. referens, ita fuiſſe deciſum per Sacram Congregationem *in Seguntina* 18. *Aprilis.* 1590. Barboſa *cap.* 17. *de Canonicis. n.* 4. *& part.* 3. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 61. *n.* 17. Bonacina & alij.

Porrò Sede Epiſcopali vacante non ſufficit, 168 eam facere coram ſolo Capitulo, ſed debet etiam fieri coram ejus Vicario, quem idem Capitulum infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare tenetur. Nicol. Garcias *de Beneficijs part.* 3. *cap.* 3. *n.* 27. *&* 28. Bonacina *in* 1. *Eccleſiæ Præcept. diſp.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *n.* 2. Barboſa *d. allegat.* 61. *n.* 18. ac alij; & concordant dicenda *num.* 170.

Reſp.

169 Reſp. II. Proviſi de Beneficijs quibuscunque curam animarum habentibus, tenentur profeſſionem Fidei emittere in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito coram Generali ejus Vicario, ſive Officiali. Ita Concilium Tridentinum, *ubi ſuprà.*

170 Notant tamen Doctores, huic Decreto Concilij ſatisfieri emittendo dictam Profeſſionem coram Vicario, etiam Epiſcopo non impedito. Siquidem verba illa, *vel eo impedito,* ſolùm ponuntur ad quandam admonitionem: ſimúlq; ad denotandum convenientius eſſe, ipſam facere in manibus ipſius Epiſcopi, ſi non fuerit impeditus. Barboſa *cap. 4. de offic. Paroch. num. 2.* Filliucius *tom. 3. tract. 41. cap. 6. num. 8.* Nicol. Garcias *d. part. 3. cap. 3. n. 23.* ubi inquit, ita etiam accipienda eſſe alia ſimilia verba Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 18. §. Tranſacto. de Reform.* ibi: *Examinentur ab Epiſcopo, ſive eo impedito, ab ejus Vicario Generali.*

171 Cæterùm Sede Epiſcopali vacante memorata Fidei profeſſio debet fieri, non coram Capitulo (id enim non ſufficeret) ſed coram ejus Vicario. Barboſa *d. cap. 4. n. 6. & part. 3. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 61. n. 18.* Caſtro Palao *tract. 4. de Fide. diſp. 1. punct. 19. n. 9.* Garcias *cit. cap. 3. n. 27. & 28.* Bonacina, & alij. Nec obſtat, quòd Capitulum Sede vacante ſuccedat in jurisdictione Epiſcopi, ac fungatur vice illius. Siquidem hoc non obſtante, tunc per Vicarium à Capitulo electum, juxta mentem Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 16. de Reform.* adminiſtratur jurisdictio illa; ac proinde magis per eum repræſentatur Epiſcopus, quàm per Capitulum, *arg. c. Non putamus. 2. de Conſuetud. in 6.*

172 Quæritur IV. Quo tempore facienda ſit Fidei profeſſio? Reſp. I. Proviſi tum de Beneficijs curatis quibuscunque, tum de Canonicatibus, & Dignitatibus Cathedralibus, tenentur eam, ut ſuprà, emittere à die adeptæ poſſeſſionis, ſaltem intra duos menſes. Ita Concilium Trident. *cit. Seſſ. 24. cap. 12.* ſic expreſsè ſtatuens de Beneficijs curatis: cujus verba etiam referenda eſſe ad Canonicatus, & Dignitates Cathedrales, de quibus ibidem in progreſſu fit mentio, patet ex contextu, ac verbis illis, *Idem facere teneantur*, ſuprà *n. 157.* jam allegatis.

173 Quia verò tempus iſtud bimeſtre primùm currere incipit à die adeptæ poſſeſſionis, ut loquitur Tridentinum: hinc ſequitur primò, terminum iſtum non currere proviſo, qui necdum accepit poſſeſſionem, quamvis per eum ſtet, quò minùs eam accipiat. Licèt enim cæteroquin paria ſint, proviſum accepiſſe poſſeſſionem, vel per eum ſtare, quò minùs illam accipiat, *arg. c. Commiſſa. 35. de Elect. in 6. & c. Licèt Epiſcopus. 28. de Præbend. in 6.* Nihilominus in propoſito Concilium Tridentinum obligavit duntaxat illos ad emittendam Fidei profeſſionem, qui realiter adepti ſunt poſſeſſionem Beneficij. Garcias *cit. cap. 3. n. 32.* Barboſa *d. allegat. 61. num. 25.* citans inſuper Ant. Ricciulum *lib. 1. de Jure perſonarum extra gremium Eccleſiæ exiſtentium, cap. 13. num. 50.*

Addunt ibidem Barboſa, & Ricciulus *n. 62.* 174
quòd ad effectum, ut incipiat currere tempus illud bimeſtre, non ſufficiat fuiſſe adeptam poſſeſſionem, ſed requiratur poſſeſſio pacifica: id eſt, talis, ut in ejus exercitio quis non fuerit ſtatim turbatus de jure, vel de facto, ſed in eo ſteterit per unum vel duos menſes ſine turbatione, atque moleſtia; quamvis dicta poſſeſſio pacifica deinde non duret continuè.

Reſp. II. Si quis obligatus intra duos illos 175
menſes non emiſerit profeſſionem Fidei, non per hoc ſolutus eſt ab obligatione, illam impoſterùm emittendi, ſed tenetur eam poſteà, quamprimùm poterit, facere. Ita Navarrus *Conſil. lib. 2. Conſil. 11. num. 1. de Jurejurand.* Caſtro Palao *cit. punct. 19. n. 2.* Barboſa *cap. 17. de Canonic. & Dignitat. n. 16. de Offic. & poteſtat. Epiſc. allegat. 61. num. 22.* Azorius *tom. 2. lib. 7. c. 2. q. 7.* & alij plures. Ratio eſt: quia terminus duorum menſium à Concilio conſtitutus pro facienda profeſſione Fidei, non ponitur ad finiendam, ſeu remittendam obligationem, ſed ad differendam executionem, atque pœnam, *arg. c. Cùm dilecti. §. Præterea. 6. de Dolo & contum.* junctâ *l. Celſus. §. Idem ait. 28. ff. de Arbitris.* Ubi juſſus, ut ad certum tempus ſe judici præſentet, ſi tunc non potuit, tenetur eo etiam elapſo ſe judici præſentare: ac juſſus ſub ſtatuta pœna pecuniam ſolvere intra certum tempus, ſi tunc ſolvere neglexerit, fit reus pœnæ, ac nihilominus tenetur poſtea ſolvere. Unde hujusmodi *Mandata* dicuntur *qualificata*, quæ recipiunt diſtributionem (ut loquitur Abbas *ad cit. cap. Cùm dilecti. n. 7.*) & duo involvunt inter ſe diviſibilia: unum, ut faciat: alterum, ut intra tale tempus faciat.

Nec obſtat *c. Sicut. 22. de Sponſalib.* ubi jurans, 176
ſe aliquam ducturum in uxorem infra certum tempus, ſi tunc non potuit, eo tempore elapſo illam ducere non tenetur: prout etiam obligatus die Feſto audire Miſſam, aut certo die jejunare, ſi tunc non poſſit, (imò & culpabiliter negligat) alio die Miſſam audire, vel jejunare non tenetur. Reſp. enim negando paritatem. Nam imprimis in caſu *cit. c. Sicut de Sponſal.* agitur de obligatione contrahenda, ſimúlque fuit certum tempus adjectum causâ limitandi, id eſt, finiendi dictam obligationem, dum ibidem vir non abſolutè promiſit aliam ducere, ſed duntaxat intra certum tempus. Secùs eſt in caſu noſtro, ubi obligatio faciendi profeſſionem Fidei jam actualiter contracta eſt ratione receptæ poſſeſſionis Beneficij; ſimúlque mandatum de eadem facienda fuit abſolutè impoſitum, ſicque cenſetur qualificatum, injungens Beneficiarijs tam profeſſionem, quàm certum profitendi tempus.

Deinde, quod ad alterum attinet, præceptum 177
audiendi Miſſam, vel jejunandi ſtatutis ab Eccleſia temporibus, eſt affixum certo diei, idque Jure Eccleſiaſtico: unde non mirum, quòd eo elapſo ceſſet obligare. Quinimò, ſi cui pro pœnitentia Sacramentali fuerit injunctum jejunium

pro

pro aliquo determinato die, ſi tunc non poſſit, vel culpabiliter negligat, tenetur is alio die jejunare, ne Sacramentum maneat imperfectum, cujus pars integralis eſt Satisfactio: unde exemplum de jejunio poteſt retorqueri, quando id certo dici non reperitur affixum.

178 Reſp. III. Si quis nihilominus poſt receptum Beneficium profeſſionem Fidei emiſerit ex alio titulo, v. g. Doctoratûs, vel ratione Synodi coram Epiſcopo, ſive Vicario Generali (ut ſuprà) quamvìs immemor fuerit obligationis ſuæ eandem faciendi ratione Beneficij anteà recepti; id ſufficit, nec tenebitur talis poſtmodùm eandem profeſſionem reiterare. Ita Navarrus *Conſil. 12. n. 1. de Jurejurand.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 5. num. 6.* Caſtro Palao *tract. 4. de Fide. diſp. 1. punct. 16. num. 8.* Emmanuel Rodericus *tom. 2. quæſt. Regul. q. 72. art. 3.* contra Barboſam *cit. allegat. 61. num. 9.* Ratio Concluſionis eſt: quia talis reverà poſt adeptam pacificam poſſeſſionem Beneficij emiſit profeſſionem Fidei, ſicque ſatisfecit menti Concilij Tridentini. Et quamvìs ſub diverſis Titulis obligatus fuerit, hi tamen obligârunt ad eandem prorſus rem, videlicet ad faciendam profeſſionem Fidei. Neque novum eſt, unico actu poſſe ſatisfieri obligationi ex diverſis titulis contractæ; ut patet in Clerico Beneficiario, recitante Horas Canonicas, ad quas obligatur & ratione Ordinis Sacri, & ratione Beneficij Eccleſiaſtici, ac nihilominus unicâ recitatione ſatisfacit.

179 His addendum primò, quòd Proviſi de Beneficijs, ut ſuprà, teneantur ultrò ſeſe offerre ad faciendam profeſſionem Fidei, adeò ut non requiratur ad hoc prævia monitio. Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 21. n. 62.* citans inſuper Nicol. Garciam, Ricciulum, & Trullench. Ratio eſt; quia tempus ipſum à Jure ſtatutum ſufficienter monet, ac pro facienda Fidei profeſſione interpellat, *arg. cap. ult. de Locato.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa allegatis.

180 Addendum ulteriùs, quòd quando Ordinarius ſuper facta profeſſione Fidei ex officio inquirit, teneatur Proviſus, ut ſuprà, probare ſe eam feciſſe. Ratio eſt: quia facta non præſumuntur, niſi probentur, *arg. L. 1. C. de Probation.* ac fusè oſtendit Cardinalis Tuſchus *tom. 3. Litt. F. Concl. 10.* & Barboſa *Axiomat. 93. num. 27.* Facta quippe ex ſui naturâ ſunt incerta, *l. In omni. ff. de Juris & facti ignorant. & cap. 1. de Conſtit. in 6.* Nihilominus quòd credatur eam eſſe emiſſam, ſi Proviſus aſſerat, ſeſe Profeſſionem Fidei jam feciſſe, ſimulque collatio Beneficij fuerit decennalis, cenſent multi Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa *d. cap. 21. n. 69.* & Caſtro Palao *d. punct. 19. num. 12.* Nam facta antiqua ſunt difficilioris probationis: ſimulque nullo jure tenetur quis profeſſionem Fidei facere coram multis.

181 Quæritur V. An ſæpè dicta profeſſio Fidei poſſit fieri per Procuratorem? Negant non pauci, ut Stephanus Gratianus *Diſceptat. Forenſ. cap. 166. n. 22.* Diana *part. 5. Reſolut. mor. tract. 14. reſol. 23.* Ugolinus *de offic. & poteſt. Epiſc. cap. 5. §. 16. num. 1.* & alij. Quinimò Nicolaus Garcias. *cit. part. 3. n. 75. & ſeqq.* atteſtatur, ita tenuiſſe Rotam: atque Additio ad Conſilia Navarri *lib. 2. Conſil. 11. de Jurejurand. in fine*, refert, Sacram Congregationem cenſuiſſe, id fieri non poſſe. Ratio hujus ſententiæ negativæ eſſe poteſt: quia profeſſio Fidei videtur eſſe actus perſonalis, eò quòd ſit proteſtativus interioris aſſensûs; ſimúlque per talem profeſſionem Eccleſia intendat proviſos de Beneficijs ſpecialiter ſtabilire in vera Fide Catholica. His tamen non obſtantibus.

Reſp. Probabilius eſt, ejuſmodi profeſſionem 182
Fidei poſſe fieri non ſolùm per ſe, ſed etiam per Procuratorem, cum ſpeciali tamen mandato ad hoc conſtitutum. Ita Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 21. n. 56.* Sanchez *d. cap. 5. num. 7.* Caſtro Palao *d. punct. 19. num. 10.* Tamburinus *tom. 1. de Jure Abbat. diſp. 8. q. 5. n. 11.* Azorius, Ledeſma, alijque plures. Ratio eſt: quia regulariter ea, quæ quis poteſt facere per ſeipſum, poteſt facere per alium, niſi lege, vel canone impediatur, aut fuerit electa induſtria perſonæ, *arg. cap. ult. §. Is autem. de Offic. Delegat.* junctâ *L. 1. ff. de Procurat. ac Reg. 68. Juris. in 6.* ibi: *Poteſt quis per alium; quod poteſt facere per ſeipſum.* Et Reg. 72. Juris in 6. ibi: *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum.* Atqui neque Concilium Tridentinum, neque Bulla Pij IV. utuntur verbis ſignificantibus perſonalitatem actûs, ſeu prohibentibus interventum Procuratoris; ergo. Accedit, quòd in *can. Optatum diſt. 100.* ſatis apertè approbetur uſus Procuratoris in emittenda profeſſione Fidei, dum inter alias cauſas negati Vuliberto Agrippienſi Epiſcopo Pallij etiam hæc recenſetur, quòd nec aliquem, qui hanc (Fidem ſuam) jurejurando firmaret, miſerit.

Nec urgent rationes in oppoſitum. Non pri- 183
ma: nam poſſe quem jurare per alium, ad hoc ſpeciale mandatum habentem, haud obſtante, quòd juramentum ſit Actus proteſtativus interioris aſſensûs, præter jam allegatum *can. Optatum. diſt. 100.* ulteriùs patet *ex can. Tibi Domino. diſt. 63.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Et jurare. & can. Metuentes. 17. q. 4. & c. In pertractandis; de Jurament. calum.* cum ſimilibus. Nec ſecunda: nam ex eo, quòd per profeſſionem Eccleſia intendat proviſos ſpecialiter ſtabilire in Fide, colligitur quidē convenientia faciendi profeſſionem perſonaliter, ac in propria perſona, non autem neceſſitas hujus: ſiquidem Principalis ſeu proviſus de Beneficio, ſatis intelligitur obſtrictus, atque ſtabilitus in Fide Catholica, quam alter de ſpeciali ſuo mandato, atque in animam ſuam profitetur, ac jurat; prout hoc ipſum accidit, in juramentis illis, quæ fiunt per Procuratorem cum ſpeciali mandato, atque in animam Principalis jurantem.

Neque etiam urget Deciſio Rotæ, aut Declara- 184
tio Cardinalium. Nam imprimis de hac authenticè non conſtat, neq; Additio *ad cit. Concilium 11.*

Navar-

Navarri ullam facit mentionem de tempore, quo ipſa facta fuit. Deinde dici poteſt, oppoſitam ſententiam atque declarationem Cardinalium, ſi quæ extat, procedere, ſi Procurator non habeat ſpeciale mandatum ad faciendum nomine alterius profeſſionē Fidei: nos autem loquimur in caſu dati deſuper ſpecialis mandati. Et tunc poſſe fieri profeſſionē Fidei per Procuratorem, tenet Rota *in Varmien. Canonicatûs.* 13. *Julij.* 1608. *coram Illuſtriſ. De Card. Sacrato*: ubi etiam dicitur, ſpeciale mandatum ad hoc cenſeri datum, non ſolùm, quando datur expreſſum ad faciendam profeſſionē Fidei, ſed etiam ex mandato ad capiendā poſſeſſionē Dignitatis, vel Canonicatûs.

185 Et ſciendum, quòd hæc Deciſio Rotæ per Barboſam *d. cap.* 21. *n.* 56. citatâ, ſit poſterior alterâ per Garciam *cit. part.* 3. *cap.* 3. *n.* 75. *& ſeqq.* allegatâ, unde hæc per aliam limitatur, atque declaratur. Quòd ſi tamen reverà extet Declaratio Sac. Congregationis Concilij Tridentini Interpretum, reſolventium, quòd profeſſio Fidei nequeat fieri per Procuratorem, etiam ſpeciale mandatū ad hoc habentem, eidem penitùs erit acquieſcendū, ſi in forma authentica exhibeatur. Hanc tamen extare nondum agnoverunt Auditores Rotæ in ſua poſteriori Deciſione: hi enim Sac. Congregationis Declarationibus, quarum exactam præ cæteris cognitionem habent, omnimodis deferre, atque obſequi conſueverunt.

186 Allatam doctrinam Sanchez *loc. cit. n.* 7. limitandam cenſet in Epiſcopis, negátque, ipſos per Procuratores poſſe emittere profeſſionem Fidei; & addit, idem ſenſiſſe duos Viros doctiſſimos, à ſe conſultos. Movetur ex verbis Bullæ Apoſtolicæ, committentis certo Epiſcopo, ut prædictam profeſſionem Fidei nomine ipſius Pontificis acceptet, additâ hac causâ: *Ne propter hoc ad Sedem Apoſtolicam, accedendo perſonaliter, laborare cogatur: volentes parcere laboribus, & expenſis, Fraternitati Tuæ committimus &c.* Nam hæc ratio non procederet, ſi Epiſcopus profeſſionem Fidei præſtare poſſet per Procuratorem.

Cæterùm, licèt ex allatis verbis rectè colligatur, quòd Papa ſupponat, Epiſcopum perſonaliter emiſſurum præſcriptam in Pontificali profeſſionem Fidei, ſaltem ex decentia: ac proin huic obligationi ex decentia, ſeu convenientia ſuborta, parcere velit committendo alteri vices ſuas. Nihilominus obligatio ſtricta, & inducens nullitatem actûs, ſi fiat per Procuratorem, ex verbis illis non ſatis colligitur; prout etiam notat Caſtro Palao *cit. punct.* 19. *num.* 11. Atque inter varios caſus vitæ humanæ, locorumque diſtantiam, facilè contingere poteſt, quòd Epiſcopus etiam illam perſonaliter accedere nequeat, cui Papa vices ſuas pro receptione profeſſionis Fidei comiſit. Unde duos quondam Epiſcopos per Procuratorem emiſiſſe profeſſionem Fidei, refert ipſemet Sanchez *loc. cit.* quamvìs factum eorum improbare conetur. 187

§. IX.

De Pœnis Beneficiariorum omittentium facere Profeſsionem debitam Fidei.

SUMMARIUM.

188. *Concilium Tridentinum obligat Beneficiarios, ut ſuprà, ſub mortali ad faciendam profeſſionem Fidei,*
189. *Tamen ratione ignorantiæ, inadvertentiæ, vel oblivionis poteſt quis excuſari à mortali.*
190. *Beneficiarij non facientes Fidei profeſſionem* Fructus non faciunt ſuos &c. *Et ſeqq.*
191. *Hæc pœna non procedit de Diſtributionibus quotidianis.*
192. *Limitatur.*
193. *Neque de fructibus primorum duorum menſium, ſed de fructibus poſtea primùm decurrendis.*
194. *Et hoc, etiamſi poſteà Beneficiarius emittat profeſſionem Fidei.*
195. *An Beneficiarius, non faciens debitam Fidei profeſſionem, teneatur reſtituere fructus ſui Beneficij ante omnem ſententiam Judicis? Pars affirmativa probatur.*
196. & 197. *Pars negativa cenſetur probabilior, ac variè probatur.*
198. *Solvuntur rationes partis affirmativæ.*
199. *Omittentibus profeſſionem Fidei poſſeſſio Beneficij non ſuffragatur quoad fructuum perceptionem, benè tamen quoad titulum, & proprietatem.*
200. *Ratio horum ulterior.*
201. *Omittentes dictam profeſſionem, non defenduntur Regulâ* de Annali poſſeſſore, nec præſcriptione, *quoad fructus retinendos.*
202. *Benè tamen quoad alios effectus poſſeſſionis.*
203. *Et vocem in Capitulo, jusq; præcedentiæ.*
204. *Sicut & Regula* de Triennali.
205. *Fructus Beneficij, ob intermiſſam Fidei profeſſionem non acquiſiti, applicantur Eccleſiæ, vel pauperibus.*
206. *Fallit, ſi necdum ſint ſeparati à communi Menſa Capitulari.*
207. *Fructus taliter amiſſos non poteſt condonare Ordinarius Loci,*
208. *Sed oportet recurrere ad Papam.*

188 QUæritur I. Quæ generatim pœnæ ſint impoſitæ Clericis Beneficiarijs, qui omittunt facere debitam profeſſionem Fidei? Reſp. I. Decretum Concilij Tridentini *num.* 157. allegati, obligantis proviſos de Beneficijs curatis quibuscunq;, aut Canonicatibus, & Dignitatibus Cathedralibus, ad faciendam profeſſionem Fidei, obligat ſub mortali. Ita Sanchez *lib. 2. in Decalogum, cap. 5. n. 1.* Bonacina *diſp. 3. de Fide q. 2. punct. 3. n. 14. & 15.* & alij; adeò, ut hoc tanquam certum tenendum eſſe, aſſerat Caſtro Palao *tract. 4. diſp. 1. de Fide, punct. 19. n. 2.* Ratio eſt: quia præceptum illud eſt de re gravi, & ad graviſſimum finem ordinatâ, qualis eſt exaltatio Fidei Catholicæ, hæreſúmque ſuppreſſio; ſimulque ſub verbis obligatorijs, ut puta, *teneantur*, pœnisque graviſſimis impoſitum.

189 Intellige, niſi quis à mortali excuſetur ratione ignorantiæ, inadvertentiæ, ſeu oblivionis. Nam ſicut in alijs materijs, ita & in propoſito, poteſt inadvertentia, atque oblivio inculpata excuſare à mortali culpa, utpote ad quam requiritur plena advertentia, & perfectus conſenſus. Exemplum hujus refert Navarrus *Conſil. 12. de Jurejur.* de aliquo Clerico, qui adeptus Eccleſiam Parochialem per ignorantiam, incogitantiam, vel inadvertentiam non fecit profeſſionem Fidei usque ad ſesqui annum: in quo ratione ſuſcepti Doctoratûs eam emiſit: quem Clericum proinde citatus Navarrus, ſuper caſu iſto poſt plures annos interrogatus, conſolatur, dicens, quòd nec mortaliter peccaverit coram Deo, & quoad Forum conſcientiæ nec obligetur ad reſtituendos fructus.

190 Reſp. II. Ultra peccatum, quod proviſi de præfatis Beneficijs, & profeſſionem Fidei intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis non emittentes incurrunt, alia pœna ipſis à Concilio Trident. *loc. cit.* impoſita habetur, quòd *Fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.*

191 Et hæc quidem pœna imprimis intelligenda eſt de fructibus Beneficij, ſive intuitu ipſius acquiſitis; non autem de Diſtributionibus quotidianis: nam hæ, cùm dentur ratione miniſterij ſacri, ac ſervitij perſonalis, propter omiſſam profeſſionem Fidei neutiquam amittuntur. Barboſa *part. 3. de offic. & poteſtat. Epiſcopi. allegat. 61. n. 30.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 2. q. 3.* Garcias, pluréſque alij. Et Sacram Congregationem ſic cenſuiſſe, referunt Ugolinus *de offic. & poteſt. Epiſcop. cap. 50. §. 16. n. 5.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancellar. §. 6. Proœm. n. 170.* ac alij. Et tenuit Rota *in Varmienſi Canonicatûs. 28. Aprilis. 13. Junij. & 4. Februarij, 1611. coram Illuſtriſſ. Card. Sacratò.*

192 Excipe, niſi omnes redditus Beneficij conſiſtant in Diſtributionibus: tunc enim, ut pœna in Concilio Tridentino ſtatuta aliquid operari poſſit, & in aliquo verificari, debebit intelligi de Diſtributionibus. Barboſa *lib. 1. cap. 21. Jur. Eccleſiaſt. univ. n. 74.* poſt Ricciulum *cit. lib. 1. cap. 13. n. 55.*

Deinde memorata pœna eſt intelligenda de 193 fructibus illis, qui poſt lapſum duorum menſium tali Beneficiario cæteroquin deberentur, ſeu decurrerent; non autem de fructibus decurſis primo illo bimeſtri; nam ſive talis poſteà faciat profeſſionem Fidei, ſive nunquam eam faciat, fructus primorū duorum menſium (niſi aliud quid obſtet, v. g. continua abſentia proviſi à Beneficio) remanent proviſo. Barboſa *cit. allegat. 61. n. 23.* Sanchez *d. cap. 5. n. 10.* Caſtro Palao *n. 14.* Garcias *cap. 3. n. 31.* & alij. Quia enim proviſus abſque culpa poterat differre profeſſionem Fidei usque ad ultimum diem primi bimeſtris: hinc Concilium noluit eum privare fructibus pro primo illo bimeſtri decurſis, ſed poſteà primùm decurrendis, ſive percipiendis poſt lapſum duorum illorum menſium, quo in culpa fuit non faciendo profeſſionem Fidei.

Cæterùm dicta pœna quoad fructus præteri- 194 tos procedit etiam in eo caſu, quo Beneficiarius ex poſt facto Fidei Profeſſionem emiſit: hæc ſiquidem profeſſio poſt duos illos menſes facta, etſi proſit ad acquirendos fructus temporis futuri, neutiquam tamen ſuffragatur ad quærendos, ſive recuperandos fructus temporis præteriti, ſeu decurſos poſt lapſum primi bimeſtris uſque ad tempus emiſſæ profeſsionis. Barboſa *cap. 17. de Canonicis, n. 23.* allegans deciſionem Rotæ *in Ovetenſi mercedis, 12. Decembris, 1605.* Sanchez *loc. cit. n. 5.* Navarrus *Conſil. 11. n. 3. de Jurejurand.* Azorius *tom. 2. Inſtit. Moral. l. 7. cap. 2. q. 4. & 5.* & alij. Ratio eſt, quia fructus præteriti, jam ſemel ſunt deperditi; ac proinde ampliùs recuperari non poſſunt. Nam regulariter, quæ ſemel ipſo jure perdita ſunt, non quæruntur, *arg. can. Quàm periculoſum. 7. q. 1. & l. Qui res ſuas. §. Aream. ff. de Solution.* ibi: *In perpetuum enim ſublata obligatio reſtitui non poteſt.*

Quæritur II. An, qui ob omiſſam intra bi- 195 meſtre profeſsionem Fidei fructus Beneficij non fecit ſuos, ita eos perdiderit, ut in conſcientia teneatur ipſos reſtituere ante omnem ſententiam Judicis? Affirmant haud improbabiliter Azorius *part. 2. l. 7. cap. 2. q. 1.* Nicol. Garcias *part. 3. de Benefic. cap. 3. n. 35.* Ledeſma *tom. 2. Summæ, tract. 1. cap. 4. concl. 10. diff. 1.* & nonnulli alij. Rationem dant: Tum quia talis, juxta Tridentinum, fructus non fecit ſuos; ergo tenetur eos, veluti rem alienam, reſtituere ante omnem ſententiam. Tum quia Tridentinum *loc. cit.* addit, quod talibus *nec poſſeſſio ſuffragetur*; ergo nullo titulo poteſt in conſcientia illos fructus retinere: alioquin enim multùm eisdem ſuffragatur poſſeſsio. Accedit, quòd Clerici Beneficiarij, omittentes recitare Horas Canonicas, teneantur in conſcientia fructus Beneficij pro rata omiſsionis reſtituere ante ſententiam declaratoriam Judicis; ut patet ex Decreto Alexandri VII. 1665. emanato, ubi propoſitionem (ordine 20.) oppoſitum aſſerentem, damnavit: idem ergo dicendum in propoſito. Siquidem Con-

Concilium Tridentinum Beneficiarijs injungens privationem fructuum ob omiſſam profeſsionē Fidei, non alijs utitur verbis, quàm quibus utitur B. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ex proximo* (& habetur *Tom. 2. Bullar. Rom. Conſtit.* 135. *d. Pont.*) ubi juxta ſalubrem Sanctionem proximi Lateranenſis Concilij, dictam reſtitutionem fructuum injungit Clericis Beneficiarijs, omittentibus recitationem Breviarij, dicens, quòd *Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officij, & temporis, ſuos non faciant.* His tamen non obſtantibus

196 Reſp. Probabiliùs eſt, quòd omittentes profeſſionem Fidei, ut ſuprà, non teneantur fructus Beneficij ſui reſtituere, donec ſequatur ſententia declaratoria Judicis ſuper crimine admiſſo. Ita Navarrus *Conſil.* 12. *n.* 1. *de Jurejur.* allegans Gloſſam notabilem *in c. Fraternitas.* 12. *q.* 2. ℣. *Cum augmento. circa fin.* Caſtro Palao *d. punct.* 19. *n.* 16. Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regul. quæſt.* 72. *art.* 3. Sanchez *d. cap.* 5. *n.* 10. Barboſa *cit. alleg.* 61. *n.* 28. & alij plures. Ratio eſt: quia Decretum Concilij Tridentini eſt pœnale; ergo, quantùm fieri poteſt, benigniùs interpretari debet, *c. Odia. de Reg. Juris in 6.* cum concordantijs: atqui poteſt commodè ſic interpretari, ut velit, quòd quis fructus Beneficij non faciat ſuos, neque ei ſuffragetur poſſeſsio, poſt ſecutam ſententiam declaratoriam Judicis; ergo.

197 Confirmatur. Quando Concilium Tridentinum, aut alia Jura volunt ſtatim in foro conſcientiæ obligare ad reſtituendum fructus Beneficiales non exſpectatâ ſententiâ Judicis, ſolent uti non illis duntaxat verbis, *Fructus non faciant ſuos*, ſed longe gravioribus; ut patet ex eodem Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 1. §. *Si quis autem. de Reform.* ubi volens obligare Epiſcopum, ac Beneficiarum curatum debitè non reſidentem, ad fructus in Foro conſcientiæ ſtatim reſtituendos, non exſpectatâ ſententiâ Judicis, ſtatuit, *eum pro ratâ temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec* (NB.) *tutâ conſcientiâ, aliâ etiam declaratione non ſubſecutâ, illos ſibi detinere poſſe.* Similia verba habentur etiam in *Extravag. Ambitioſæ. de Rebus Eccleſiæ non alien.* Et quod plus eſt, etiam B. Pius V. in cit. Bulla, *Ex proximo,* ad declarandum, Clericos Beneficiarios ſtatim in Foro conſcientiæ teneri reſtituere fructus Beneficiorum pro rata omiſſionis Officij, non ſolis illis verbis utitur, *Fructus ſuos non faciant*: ſed illicò notanter, atque expreſsè ſubjungit: *Sed eos tanquam injuſtè perceptos, in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.*

198 Et per hoc patet ad ultimam rationem, in favorem contrariæ ſententiæ ſuperiùs allatam: nam illa militat in oppoſitum, ut nunc oſtenſum eſt. Ad primam rationem negatur conſequentia: nam Decretum Concilij Tridentini abundè ſalvatur per hoc, quòd proviſus, ut ſuprà, & profeſſionem Fidei omittens, fructus non faciat ſuos; ſed eos poſt ſententiam declaratoriam criminis reſtituere teneatur, *arg. c. Cum ſecundùm.* 19. *de Hæretic. in 6.* Nam, ſi voluiſſet talis illicò obligare adhoc in Foro conſcientiæ, ac ante omnem ſententiam Judicis, potuiſſet expreſſiſſe; ſicut hoc ipſum expreſſit in alijs. Ad alteram rationem reſpondetur eodem modo: quamquàm, quâ ratione talibus non ſuffragetur poſſeſſio, paulò ampliùs ſic declarandum. Hinc

Quæritur III. In quo ſenſu Concilium Tridentinum *cit. cap.* 24. *Seſſ.* 24. *de Reform.* addat, quòd pro viſis de Beneficio, ut ſuprà, & debitam Fidei profeſſionem omittentibus, *Poſſeſſio non ſuffragetur*? Reſp. Per hujusmodi verba S. Concilium non excludit ejusmodi proviſos à poſſeſſione Beneficij quoad Titulum, ac proprietatem, ſed impedit duntaxat poſſeſſionis effectum quoad fructuum perceptionem. Ita Navarrus *Conſil.* 8. *de Jurejurand. per totum.* Azorius *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 3. Garcias *part.* 3. *de Benefic. cap.* 3. *n.* 33. Sanchez *cit. cap.* 5. *n.* 9. alijque paſſim. Et ita cenſuiſſe Rotam *in Varmienſ. Canonicatûs.* 28. *Aprilis.* 13. *Junij.* 1608. & 4. *Februarij.* 1611. *coram Card. Sacrato*, refert Barboſa *d. alleg.* 61. *n.* 26. & 27. ubi & iteratas Deciſiones Sacræ Congregationis Concilij Tridentini in favorem hujus ſententiæ allegat; quibus inhærendo præſens Concluſio non poteſt dici interpretatio ejusdem Concilij contra prohibitionem Pij IV. 199

Ratio ulterior eſt: quia pœnæ ſunt reſtringendæ, quantùm fieri poteſt, non ampliandæ, *c. Odia. & c. In pœnis, de Reg. Juris in 6.* ibi: *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*: ergo: cùm dicta verba Concilij poſsint comodè intelligi quoad perditionem fructuum tantùm, & quòd poſſeſſio quoad horum acquiſitionem nihil eis ſuffragetur, oportet ea ſic intelligere. Accedit, quòd Concilium ibidem de ſola fructuum Beneficij amiſſione tractet, immediatè præmittendo verba illa, *Fructus non faciant ſuos*: ergo etiam ſequentia, *Nec eis poſſeſſio ſuffragetur*, in ordine ad eandem fructuum amiſsionem accipienda ſunt, excludendo videlicet quodcunque ſuffragium, ſive adjutorium, quòd cæteroquin poſſeſsio dare poſſet ad eosdem fructus acquirendos, v. g. viâ uſucapionis, præſcriptionis &c. Patet conſequentia: Tum quia intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, *Intelligentia. 6. de Verb. ſignif.* Tum quia verba debent intelligi ſecundùm materiam ſubjectam, *arg. c. Solitæ.* §. *Verùm de Majorit. & obed.* ac fusè probat Barboſa *Axiomat.* 222. *n.* 8. & 9. 200

Infertur proinde primò, quòd tales Regulâ Cancellariæ Apoſtolicæ, *de Annali Poſſeſſore* quoad fructus retinendos ſe tueri non poſsint; imò quòd nec longiſsima poſſeſsio eisdem proſit quoad præfatos fructus percipiendos, quamdiu profeſsionem Fidei non emiſerunt. Et ita à Sacra Congregatione deciſum fuiſſe, refert Flaminius *lib.* 8. *quæſt.* 9. *n.* 122. & Garcias *d. cap.* 5. *n.* 34. & Barboſa *d. alleg.* 61. *n.* 26. Nam talibus juxta Tridentinum poſſeſsio quoad fructuum perceptionem non ſuffragatur: id autem fieret, ſi vel Regulâ *de Annali poſſeſſore* vel præſcriptione longi temporis, quæ ſine poſſeſsione non procedit, 201

dit, fructus ſui Beneficij defendere, aut recuperare valeret.

202 Infertur ſecundò, cùm ei, qui profeſsionem Fidei non emiſit, poſſeſsio quoad fructus duntaxat faciendos ſuos non ſuffragetur, ut dictum: quòd talis quoad alios effectus commodo poſſeſsionis, atque cæteris juribus ex eo provenientibus, neutiquam privetur. Et ita cenſuiſſe Sacram Congregationem, refert Proſper de Auguſtino *in addit. ad Guarantam. ℣. Beneficiorum poſſeſſio. Litt. B.* ac poſt ipſum Barboſa *loc. cit. n.* 27. Ex quo ulteriùs

203 Infertur tertiò, quòd Canonicus Cathedralis, licèt profeſsionem Fidei nondum emiſerit, & vocem in Capitulo, & jus præcedentiæ habeat à die adeptæ poſſeſsionis, niſi aliud obſtet; prout declaràſſe eandem Sacram Congregationem, refert Garcias *cit. n. 34.* & Barboſa *d. n.* 27. poſt Ricciulum *d. lib.* 1. *cap.* 16. *num. 10.* & Ferentilum.

204 Infertur quartò, quòd Clericus proviſus de Beneficio, ut ſuprà, quamvìs intermiſerit profeſsionem Fidei, ſi per triennium pacificè poſſederit Beneficium, ex tunc juvetur Regulâ Cancellariæ *De Triennali*, ad effectum, ne ſuper illo Beneficio ampliùs moleſtari valeat. Sanchez *d. cap. 5. n. 9.* Caſtro Palao *cit. punct. 19. n. 15.* Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 21. *num.* 79. & alij.

205 Quæritur IV. Cui applicandi ſint fructus Beneficij, ob intermiſſam Fidei profeſsionem à Beneficiario non acquiſiti? Reſp. I. Licèt Concilium Tridentinum *cit. cap.* 12. id non determinaverit, nihilominus dicendum eſt, tales fructus eſſe applicandos fabricæ Eccleſiæ Beneficij, ſi indigeat, aut pauperibus, vel alteri pio loco. Ita Doctores paſsim, quos citat, & ſequitur Barboſa tum proximè *cit. cap. 21. n. 75.* tum *d. allegat.* 61. *n.* 31. Idque colligitur ex eodem Concilio Tridentino *Seſſ. 23. cap. 1. §. Si quis autem. de Reform.* hoc ipſum ſtatuente de fructibus Beneficiariorum non reſidentium: junctô *cap. 3. de Reform. Seſſ. 22.* ubi ſimiles fructus fabricæ Eccleſiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicari jubentur.

Cæterùm hæc doctrina potiſsimùm procedit in Beneficijs curam animarum annexam habentibus, nec non in Canonicatibus, & Dignitatibus Cathedralibus, quæ habent fructus diſtinctos, atque ſeparatos à Menſa Capitulari. Aliud tamen eſt in Canonicatibus, & Dignitatibus illis, quæ non ſic habent fructus diſtinctos, atque à Menſa Capitulari ſeparatos: nam hujuſmodi fructus, ſi à quopiam amittantur ob intermiſſam Fidei profeſsionem, remanent in Menſa comuni Capitulari, utpote à qua necdum ſunt ſeparati, ſicque ſpectant ad Capitulum, ſicut Fructus non Reſidentium, aut Excommunicatorum. Garcias *part. 1. de Benef. cap. 3. n. 36.* Caſtro Palao *loc. cit. n.* 19. Barboſa *d. allegat. 61. n. 31*, & alij. 206

Reſp. II. Ordinarius loci non poteſt condonare fructus Beneficij amiſſos ob non peractam profeſsionem Fidei. Ita Garcias *d. cap. 3. n. 53.* referens Sacram Congregationem Cardinalium ita declaràſſe. Barboſa *cit. n.* 31. & alij. Siquidem Ordinarius neutiquam poteſt remittere pœnam à Concilio Generali inflictam, niſi in caſibus ſibi expreſsè permiſsis: quia lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, *Clem. Ne Romani §. 1. de Elect. & can. Inferior. diſt. 21. & c. Cùm inferior. de Majorit. & obed.* 207

Hinc in tali caſu recurrendum eſſe ad Dominum Papam, qui ſolet remittere tales fructus poſt non factam Fidei profeſsionem, ſi nulla malitia intervenit, & ipſa quamprimùm emittatur, notat ibidem Garcias: ſicut & Barboſa *cap. 17. de Canonicis. n.* 23. refert, quòd cuipiam per Sacram Congregationem gratioſè remiſsi fuerint fructus præteriti, quos ob intermiſſam profeſsionem Fidei non fecerat ſuos. 208

§. X.

De erroribus Joachim Abbatis, & damnatione ſui Libelli.

SUMMARIUM.

209. *Joachim Abbas, quis fuerit?*
Ejus vaticinia, præſertim de S. P. Franciſco, & Ordine ipſius. Ibid.
210. & 211. *Cur is ſcripſerit contra Petrum Lombardum, vulgò* Magiſtrum ſententiarum.
212. & 213. *Errores Joachim Abbatis, qui?*
214. *Ipſe non fuit hæreticus, quamvis Libellus ipſius damnatus ſit; & cur?*
215. *Proteſtatio Authoris, ſcripta ſua Judicio S. Matris Eccleſiæ ſubmittentis, utiliter libris apponitur.*
216. *Alia proteſtatio Authorum ſcribentium, de vita & miraculis nondum Beatificatorum.*
217. *Hujusq; utilitas.*
218. & 219. Proteſtatio contraria facto non relevat, *quomodo intelligendum?*
Proteſtatio contraria facto, quæ dicatur? num. 218.
220. *Damnato Authore, ejus quoque libri cenſentur damnati.*
221. & 222. *Et quomodo hoc intelligendum?*
Origenis Scripta, quomodo citentur? num. 221.
Authorum damnatorum Scripta, quâ ratione citari poſſint? n. 221. *&* 222.
223. *Libri Authorum damnatorum rectè jubentur comburi.*

224. *Dam-*

224. *Damnato libro, non idcircò cenſetur damnatus Author.*

225. *Cur error Joachim Abbatis, & damnatio libri ſui, nihil obfuerit Monaſterio Florenſi? Et n. ſeqq.*

226. *Dictio* Maximè *eſt implicativa, & quid importet?*

227. *Delictum Prælati non debet in Monaſterij detrimentum redundare.*

209 Quæritur I. Quis fuerit Joachim Abbas, & quæ ejus cauſa ſcribendi contra Petrum Lombardum? Reſp. I. Joachim Abbas fuit Monachus Ordinis S. Benedicti, Fundator Monaſterij Florenſis, Regulari inſtitutione, & obſervantiâ ſalutari celeberrimi. Vixit anno Domini 1195. Et cùm eſſet vir in Sacris Litteris perdoctus, ſcripſit Commentaria in Iſaiam, Hieremiam, & Apocalypſin, atque Concordiam Teſtamenti veteris & novi. In hoc etiam libro *Concordiæ* plura de futuris Religionibus, ac præſertim de S. P. N. Franciſco, atque Ordine ipſius venturo, & quaquaverſum per Orbem dilatando, & usque ad noviſſima tempora duraturo, multiſque per ipſum præclarè fiendis longè antè vaticinando prædixit; prout allegatis verbis illius refert Bartholomæus Piſanus *lib.* 1. *Conformitatum. Fruct.* 1, §. 7. *Beatus Franciſcus.* Circumferuntur quoque ſub ejus nomine quædam vaticinia de futuris Romanis Pontificibus: ſed an fidem mereantur, nonnihil dubitat Bellarminus *lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt.* addens, quòd ſaltem iſta ad ſolos quindecim Pontifices pertingant; ac proinde mirum ſit, quòd humana curioſitas ad noſtra usque tempora, conetur ipſa extendere.

210 Reſp. II. Veriſimile eſt, quòd Joachim Abbas anſam ſcribendi contra Magiſtrum Petrum Lombardum ſumpſerit ex ſequentibus cauſis. Primò, quia licèt Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, qui tempore Gratiani, ac circa annum Domini 1145. floruit, Sententias Sanctorum Patrum, atque Theologorum collegerit, atque in quatuor Libros aptè diſtribuerit, ac proin per antonomaſiam *Magiſter Sententiarum* appellari meruerit: non tamen omnia ejus dicta probârunt Diſcipuli ejus, & Succeſſores Doctores Scholaſtici: quinimò in Additione ad Magiſtrum typis excusâ, notantur viginti ſex articuli, in quibus ipſe rejicitur.

211 Secundò, idem Magiſter Petrus Lombardus apud Alexandrum Papam III. fuit accuſatus hæreſis nomine, quaſi docuiſſet, quòd Chriſtus, ſecundùm quod eſt Homo, non ſit aliquid. Unde idem Pontifex Wilhelmo, Senonenſi Archiepiſcopo, in mandatis dedit, ut convocatis Pariſios Suffraganeis ſuis, & adhibitis alijs Viris Religioſis ac prudentibus, prædictam doctrinam penitùs ſtudeat abrogare; & à Magiſtris Scholaribus ibidem in Theologia ſtudentibus edoceri præcipiat, Chriſtum ſicut perfectum Deum, ſic & perfectum, verùmque hominem eſſe, ex anima rationali & humana carne conſiſtentem. Tenorem harum Litterarum Apoſtolicarum verbatim allegat Emmanuel Gonzalez *in Comment. ad cap.* 2. *h. t.* inde colligens poſt Severinum Binium *in Notis ad Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III.* quòd inter alios Viros Religioſos, ac prudentes, à memorato Archiepiſcopo Senonenſi etiam Joachim Abbas fuerit invitatus, atque ſtimulatus ad refutandum prædictum errorem: quâ arreptâ occaſione is Magiſtrum Petrum Lombardum impugnavit, non ſolùm in his, quæ refellenda erant, verùm & in Articulis veris, atque orthodoxis de Unitate Divinæ Eſſentiæ in tribus Perſonis: idque probare conabatur ex loco perperam intellecto Joan. *cap.* 17. uti jam ſuprà *h. t. n.* 10. & 11. breviter inſinuatum.

Quæritur II. Quot fuerint errores Joachim 212
Abbatis, *cap. Damnamus. h. t.* relati, & quis effectus factæ ab eo proteſtationis, qua judicio Sedis Apoſtolicæ Scripta ſua ſubmiſerat? Reſp. I. Errores hujusmodi fuerunt principaliter duo. Primus, quòd intulerit ex ejus Scriptis Petrum Lombardum in Divinis non tam Trinitatem, quàm quaternitatem aſtruere, ſicque ipſum eſſe hæreticum, atque inſanum. Sed iſtud peſſimè inferebat: nam illa Res ſumma, ſive communis Eſſentia trium Perſonarum Divinarum, videlicet Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, quàm aſſerebat Magiſter Sententiarum, atque confitetur Generale Concilium, totáque Eccleſia Catholica, non eſt ſeparata, neque realiter diſtincta à tribus Perſonis Divinis; ſed quælibet trium Perſonarum eſt illa Res, ſive Subſtantia, atque Natura Divina. Et ideò in Deo ſolùm Trinitas eſt, non quaternitas, uti ſuperiùs *h. t. n.* 8. *& ſeqq.* uberiùs declaratur.

Secundus Joachimi Abbatis error conſiſtit in 213
aſſertione illa hæretica, & à Concilio Generali ſolemniter damnata, quòd in Divinis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint unum, non unitate verâ & propriâ, ſed quaſi collectivâ duntaxat & ſimilitudinariâ. Et de hoc pariter errore hæretico jam ſuprà *h. t. cit. n.* 8. *& ſeqq.* dictum fuit; idemque à toto Generali Concilio reprobatur *in cap. Damnamus.* 2. *h. t.*

Reſp. II. Prædictis erroribus haud obſtantibus Joachimus Abbas non fuit Hæreticus: & 214
quamvis doctrina ipſius, atque Libellus contra Magiſtrum Petrum Lombardum editus, fuerit à Concilio damnatus; non tamen idcircò Author ipſe damnatus extitit. Ita deſumitur *ex c. Damnamus.* junctâ Gloſsâ *fin. h. t.* Et ratio eſt: quia Abbas Joachim omnia ſua Scripta ſubmiſit judicio Sedis Apoſtolicæ approbanda, vel corrigenda: ſimúlque in Epiſtola propriâ manu ſubſcripta, palam profeſſus eſt, firmiter ſe tenere Fidem illam, quam Romana tenet Eccleſia, quæ diſponente Domino cunctorum Fidelium Mater eſt & Magiſtra: unde in ipſo defuit pertinacia. Atqui ad hæreſin formaliter ſumptam requiritur & error in intellectu contra ve-

veram Fidem, & pertinacia in voluntate, *can. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3.* Et idcircò Honorius Papa III. ad ſupplicationem Abbatum, & Conventuum de Ordine Floris, ſpecialibus Litteris Apoſtolicis 1221. 13. *Kalend. Januarij* datis (quæ incipiunt, *Ex parte*, atq; referuntur à Fagnano *in c. Damnamus. n. 26. h. t.* & Gonzalez *eod. cap.*) declaravit, ac publicè nuntiari mandavit, Joachim Abbatem fuiſſe Catholicum; ſive (ut loquitur Pontifex) *quòd eum verum Catholicum reputamus, & Regularem Obſervantiam, quam inſtituit, ſalutarem.*

215 Et hac de cauſa Doctores Catholici cautè in principio, vel in fine ſuorum Librorum, apponere conſueverunt proteſtationem quandam, vulgò *Proteſtatio Authoris* inſcriptam, qua proteſtantur, quòd omnia ſua dicta, & ſcripta, judicio, & correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubmittant. Per hoc ſiquidem evitant omne periculum hæreticæ pravitatis, ab eaque excuſantur ex defectu pertinaciæ, licèt in eorum Scriptis reperirentur errores ab Eccleſia damnati, qui per ignorantiam, aut incuriam irrepſiſſent, *arg. d. c. Damnamus. h. t.* & tradit ibidem Fagnanus *n.* 13. & ampliùs Navarrus *Conſil. 6. n. 14. de Hæretic.* Concordat *can. Hæc eſt Fides. 24. q. 3.* ubi hac ipſa de cauſa D. Hieronymus judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſua Scripta jam edita ſubmiſit, ſcribens ad Damaſum Papam in Expoſitione Symboli: *Hæc eſt Fides, Papa Beatiſſime - - in qua, ſi minùs peritè, aut parùm cautè, fortè aliquid poſitum eſt, emendari cupimus à Te, qui Petri & Fidem & Sedem tenes.*

216 Aliam Proteſtationem moderni Scriptores præfigere ſolent Libris ſuis, præſertim illis, in quibus agitur de Vita & miraculis Servorum Dei cum Sanctitatis, aut Martyrij fama defunctorum, ſed nondum Canonizationis, vel Beatificationis honore à Sede Apoſtolica inſignitorum: expreſsè proteſtando, quòd Hiſtoricæ narrationi de Vita, Virtutibus, Miraculis, Beneficijs, Revelationibus, cæteriſque Donis ſupernaturalibus hujusmodi Servorum Dei, neutiquàm eam fidem attribui velint, quæ debetur talibus jam à Sede Apoſtolica approbatis; ſed ea poſt diligentem veritatis inquiſitionem, accuratámque diſcuſſionem, fideliter pro Fidelium ædificatione relata, humanæ duntaxat Fidei committere intendant: nolíntque aliquem titulo Sanctitatis, Beatificationis, vel Martyrij cenſeri inſignitum, niſi qui à Sede Apoſtolica fuerit approbatus: & ſi quando verba aliud præſeferre videantur, ea non in ſenſu ſtricto ac rigoroſo accipienda ſint, ſed in largiori; ita ut Conſtitutionibus Apoſtolicis, præſertim Urbani VIII. deſuper emanatis, in nullo contraveniatur, ſed omnis reverentia, debitáque obedientia, eisdem præſtetur: omniáque, & ſingula ſcripta, altiori ſanctæ Sedis Apoſtolicæ judicio, atque cenſuræ, ſint, atque intelligantur eſſe ſubjecta.

217 Et meritò hujusmodi ſolemnis Proteſtatio adhibetur, ne quis Decretis Apoſtolicis, ac præſertim duabus Conſtitutionibus Urbani VIII. quarum una, *die 13. Martij 1625.* data, incipit, *Sanctiſſimus*: Altera verò, *die 5. Julij 1634.* emanata, incipit, *Cœleſtis Hieruſalem* (ac referuntur *Tom. 4. Bullar. Rom. Conſtit. 39. & 134. d. Pontif.*) in aliquo contraveniſſe convinci valeat. Nam, ſicut olim Joachim Abbas, ita & talis, ſervatis cæteroquin ſervandis, ſuâ proteſtatione relevaretur.

Neque obſtat illud vulgatum axioma: Proteſtatio contraria facto, non relevat, *arg. c. Gratum de Offic. Delegat. & l. Cùm in plures. §. Locator. ff. Locati.* ac tradit Oldradus *Conſil. 107. num. 10. ℣. Ad ſextum.* & Card. Tuſchus *Litt. P. Concl. 944. n. 1.* & alij. Nam imprimis axioma hoc procedit ſolùm in illis caſibus, in quibus proteſtatio verè eſt contraria facto: & dicitur *contraria*, quando factum & proteſtatio ſe non compatiuntur, ſed unum tollit alterum, ſaltem conſecutivè; ut fit in allatis Juribus. Secùs eſt, quando proteſtatio eſt compatibilis cum facto, ac fit ad tollendam mentem & præſumptionem, quæ cæteroquin reſultaret ex illo facto; uti accidit in proximè dictis Proteſtationibus. Barboſa *Axiomat. 194. n. 4.* citans alios. 218

Deinde axioma illud fallit, éſtque limitandum in illis caſibus, in quibus factum pendet à ſola voluntate Proteſtantis: nam tunc proteſtatio, veluti proprij animi declaratoria, valet, atque relevat, etiamſi exiſtat contraria facto, *arg. cit. c. Damnamus. h. t.* ac tenet Navarrus *cit. Conſil. 9. n. 14. de Hæretic.* & Abbas Panormit. *in c. Cùm M. Ferrarienſis. n. 19. de Conſtit.* id inter alia declarans exemplo Teſtatoris, qui à principio proteſtatur, quòd ſi cuipiam bis legaverit, ſemel tantùm legatum eſſe velit: nam ſi poſteà eidem ſæpiùs legaverit, niſi aliud ſpecialiter exprimat, valet proteſtatio, ac legatum ſemel tantùm debetur, *l. Si quis in principio. 22. ff. de Legatis III.* Quia enim talis proteſtatio eſt declaratoria proprij animi, proprijque facti, & quidem à ſola ſua voluntate dependentis, meritò valere cenſetur. Barboſa *loc. cit.* Card. Tuſchus. *Litt. P. Concluſ. 944. num. 16.* & alij. 219

Quæritur III. An damnato Authore, libri quoque ipſius cenſeantur damnati, & econtrà? 220
Reſp. I. Damnato Authore, ejus quoque ſcripturæ, & libri cenſentur damnati. Ita habetur *in c. Fraternitatis.* junctâ Gloſsâ *un. & D. D. ibid. de Hæretic.* Et hoc in conſequentiam: nam deſtructo principali, deſtruitur acceſſorium, *c. Acceſſorium. 42. de Reg. Juris in 6.* cum concordantijs. Quod ampliatur, etiamſi aliqua bona, & utilia contineantur in talibus ſcripturis Authoris damnati: quia nihilominùs non valent, nec ſunt recipienda pro Jure, ſeu tanquam habentia authoritatem ex tali Authore damnato, *arg. c. Licèt ex quadam. 47. de Teſtib. & c. Excommunicamus. 13. §. Credentes. de Hæretic.* ac favet textus *in can. Benè quidem. §. fin. diſt. 96.*

Additur notanter, *tanquam habentia authoritatem ex tali Authore damnato.* Siquidem non omnia dicta, & ſcripta Authoris damnati ſimpliciter 221

citer

citer reprobantur tanquam falſa: quinimò pernicioſiſſimâ fraude diabolicâ accidere ſolet, ut ipſimet Hæretici, ad animas incautorum faciliùs decipiendas, in Libris ſuis vera falſis, ac falſa veris commiſceant: veritas autem non mutatur, licèt eam ex parte ſequatur Author damnatus. Igitur Authore damnatò, damnantur quoque ſcripta ejus, quantùm ad hoc, ut pro jure haberi, & quaſi authoritatem ex ſe continere non valeant: aliàs verò ſcripta ipſorum, ubi bona ſunt ac vera, poſſunt teneri tanquam vera, non autem, ut authorizabilia, *arg. can. Et hoc diximus. 16. q. 7.* ubi ratione bonæ ſententiæ referuntur, & citantur aliqua ſcripta Origenis, quamvis ille poſt mortem fuerit anathematizatus, & damnatus, ut legitur *can. Sanè profertur, 24. q. 2.*

122 Ulteriùs benè & utiliter talia ſcripta allegantur ad convincendam, atque impugnandam vanitatem, ſeu falſitatem talium Authorum, & errorum ſuorum, *arg. can. Si quid veri. diſt. 37. & can. Dominus declaravit. 1. q. 1.* Idque exemplo D. Apoſtoli *ad Titum, cap. 1.* contra Cretenſes adducentis teſtimonium cujusdam Gentilis, proprij ipſorum Prophetæ, ac perhibentis: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri:* quia illud verum comperit. Hoc autem ſolumodò rectè fit ad revincendam vanitatem, malitiam, & falſitatem; non autem ad aſſerendam aliquam ipſorum authoritatem: ſicut à pari de Chriſto tum Sancti Angeli, tum Dæmones teſtimonium perhibuerunt, & utrique verum dixerunt; nihilominus Dæmonum nulla fuit authoritas; ac proinde Chriſtus non ſinebat ea loqui, Marc. 1. *verſ. 34. &* Lucæ *cap. 4. v.* 41.

123 Quinimò quia ſimplices non tam facilè veritatem à falſitate diſcernere poſſunt; hinc talium lectio Librorum, quorum Authores damnati ſunt, optimè per Sanctam Matrem Eccleſiam Populo Chriſtiano prohibita fuit; ut conſtat ex Bulla Cœnæ Domini, ac Indice Librorum prohibitorum. Idipſum inhibuerunt etiam Leges Cæſareæ, *l. Damnato. C. de Hæretic.* ubi proin tales libri jubentur comburi: nam veritas tutiùs in alijs libris incorruptis inveſtigatur, & faciliùs reperitur, quàm in talibus jam depravatis, & venenatis Scripturis.

124 Reſp. II. Nihilominus damnato libro, non idcircò cenſetur damnatus illius Author; præſertim, ſi ipſe ſubmiſit librum judicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. Patet hoc *ex d. c. Damnamus. h. t.* ubi damnato, & reprobato Libello Joachim Abbatis, ipſe Joachim non damnatur. Hinc in Præfatione Indicis Librorum prohibitorum notanter monetur, quòd ibidem *in prima Claſſe non tam Libri, quàm Librorum Scriptores continentur, qui aut Hæretici, aut notâ hæreſis ſuſpecti fuerunt; horum enim Cathalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum Scripta non edita ſolùm, ſed edenda etiam prohibita. In ſecundam Claſſem non Authores, ſed Libri ſunt relati, qui propter doctrinam, quam continent, non ſanam, aut ſuſpectam, aut quæ offenſionem etiam in moribus tantùm Fidelium afferre poteſt, rejiciuntur, etiamſi Authores, à quibus prodiêre, ab Eccleſia nunquam deſciverint.* Hactenus citata Præfatio, clarè indicans, quòd damnato, ſive reprobato Authore, omnes eius libri reprobentur: non autem econtrà damnato libro, damnetur Author.

Quæritur IV. Cur error Joachim Abbatis, & damnatio Libri ſui, nihil obfuerit Monaſterio Florenſi, per ipſum inſtituto atque gubernato? Reſp. I. Ratio hujus fundamentalis affertur in ſæpè dicto *cap. Damnamus. §. In nullo. h. t.* illis verbis: *In nullo tamen propter hoc Florenſi Monaſterio (cujus ipſe Joachim extitit inſtitutor) volumus derogari: quoniam ibi & Regularis eſt inſtitutio, & obſervantia ſalutaris: maximè cùm ipſe Joachim omnia ſcripta ſua Nobis aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis Judicio approbanda, ſeu etiam corrigenda &c.* Quibus verbis duplex, ut liquet, inſinuatur ratio: Prima eſt, Regularis inſtitutio, atque obſervantia ſalutaris in memorato Monaſterio vigens: ſecunda, proteſtatio Authoris, libellum ſuum judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ humiliter ſubmittentis, hujúsque Fidem firmiter ſe tenere palàm confitentis. 125

Reſp. II. Etiamſi poſterior ratio defuiſſet, atque Joachim, author libri in Generali Concilio reprobati, & damnati, ſtetiſſet pertinaciter in ſuo errore; adhuc tamen non fuiſſet idcircò reprobatum ipſummet Monaſterium Florenſe. Ita Abbas Panormitan. *in d. c. Damnamus. n. 4. h. t.* rectè id colligens ex addita dictione, *Maximè*. Hæc ſiquidem dictio ex propria vi, & naturâ ſuâ, eſt implicativa, & implicat, ſive includit caſum magis dubitabilem; denotátque, idem eſſe in caſu contrario, ſive in quo deficit ratio expreſſa, licèt in iſto fortior militet ratio, *arg. L. 1. §. Si ex dodrante. ff. de Collation. & c. Ad abolendam.* junctâ Gloſsâ *℣. Maximè ſpurij. de Filijs Presbyt.* ac tradunt Everardus *Loco à natura Dictionum implicativarum, n. 1.* Fagnanus *in c. Cùm eſſes, n. 53. de Teſtament.* & latè Barboſa *Diction. 197. Maximè*, citans alios. 126

Confirmatur. Quia *delictum Perſonæ non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare*: ut habet *Reg. 73. Juris in 6.* & concordat textus *in can. Si Epiſcopum, 16. q. 6. & c. Fraternitatem. 2. de Donation.* Ergo ſtante eo, quòd in Monaſterio vigeat Inſtitutio Regularis, atque obſervantia ſalutaris, ſicque illud non conſentiat in peccatum Prælati, damnato Prælato ob ſuam hæreſin, & pertinaciam in ea, non idcircò Monaſterium damnari cenſetur. Adhuc enim iſtud immune erit, atque ſalvabitur ex prima ratione, videlicet ob Inſtitutionem, atque obſervantiam Regularem ſuam: quamvis multò magis, atque à fortiori idem dicendum ſit, ſi Prælatus ſua quoque ſcripta judicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſubmittat, ac proin pertinaciter in ſuo errore non perſiſtat. 127

§. XI.

De Erroribus Almarici, & alijs hoc Titulo tractatis.

SUMMARIUM.

228. *Almarici errores damnantur in Concilio Generali.*
229. *Almaricus, quis fuerit?*
230. *Plures ejus errores referuntur in ſpecie.*
231. *Concilium Generale Viennenſe, quando celebratum, & quæ in ipſo fuerint definita?*
232. *Damnatur opinio temerè aſſerentium, quòd Chriſto adhuc viventi Lanceâ latus fuerit apertum.*
233. *Aut, quòd anima rationalis verè ac per ſe humani corporis non ſit forma.*
234. *Quid juvet ad Fidem, iſtud in Generali Concilio definire?*
235. *Definitur etiam unicum Baptiſma.*
Et quòd per Baptiſmum conferatur Gratia informans, ſeu ſanctificans, cenſetur eſſe probabiliùs; ac defactò eſt de Fide. Ibid.
236. *Definitur Proceſſio Spiritûs S. à Patre, & Filio, Remiſſivè.*

228 Quæritur I. Quis fuerit Almaricus, & qui errores ipſius? Nam plures errores ipſius fuiſſe damnatos in eodem Generali Concilio, patet ex verbis illis, *in c. Damnamus. §. fin. h. t.* relatis: *Reprobamus etiam, & condemnamus perverſiſſimum dogma impij Almarici, cujus mentem ſic pater mendacij excœcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quàm inſana.*

229 Reſp. I. Almaricus, natione Gallus, citra annum Domini 1204. ſub Ottone IV. Imperatore, ac Innocentio Papa III. in Pariſienſi Civitate, in qua cæteroquin eſt Fons totius ſcientiæ, & puteus Divinarum Scripturarum, quibusdam Viris litteratis ſibi adhærentibus impietatis Doctor, ac perverſiſſimorum dogmatum Magiſter extitit. Quâ cognitâ, & probatâ perverſitate ſuâ, Almaricus de conſilio Epiſcoporum, & Theologorum, ductus in campum, & coram univerſo populo degradatus, atque unà cum Sectatoribus ſuis in adventu Regis Franciæ flammis exuſtus fuit. Berardus Lutzenburgus *in Catalogo Hæreticorum. ℣. Almaricus*: quamvis Fagnanus *in c. Damnamus. n. 28. h. t.* referat, Almaricum de ſuis veſanis erroribus ab Epiſcoporum, & Theologorum Pariſienſium Concilio convictum, ex mœrore animi interijſſe; ejúsque cadaver, juſſu Philippi Galliarum Regis poſteà exhumatum, & anno 1208. flammis exuſtum fuiſſe.

230 Reſp. II. Inter veſanos Almarici errores fuerunt præcipui, qui ſequuntur. Et quidem impiè aſſerebat. I. Corpus Chriſti non aliter eſſe in pane Altaris (negabat enim Tranſubſtantiationem) quàm in alio pane, & qualibet re. II. Deum ſic locutum eſſe in Ovidio, ſicut in Auguſtino. III. Negavit Reſurrectionem corporum. IV. Negavit ſimiliter Paradiſum, & Infernum: aſſerens, quòd qui haberet cognitionem Dei in ſe, ipſe haberet in ſe Paradiſum: qui verò peccatum mortale haberet, is haberet Infernum in ſe, ſicut dentem putridum in ore. V. Altaria Sanctis dicata, & Imagines thurificare, ac Sanctos invocare; idololatriam eſſe dicebat. VI. Aſſerebat, quòd ſi Adam non peccâſſet, non fuiſſet diſtinctio ſexûs, ſed fuiſſet multiplicatio hominum, ſicut Angelorum. VII. Quòd Deus non videatur in ſe, ſed in creaturis, ſicut lumen in aëre. VIII. Quòd illud, quod aliàs foret peccatum mortale, factum in charitate non ſit peccatum, impunitatem peccatorum promittens. IX. Affirmabat, Idæas, quæ ſunt in mente Divina, & creare, & creari: cùm tamen in mente Divina, teſte D. Auguſtino, nihil niſi æternum, & incommutabile ſit. X. Ajebat, mentem Contemplativi, vel Beati, perdere ſuum eſſe in proprio genere, & redire in illud eſſe Idæale, quod habuit in mente Divina. Taceantur alij hæretici, quin & inſani errores Almarici, quos univerſim fuiſſe viginti, refert Lutzenburgus *loc. cit.* id colligens ex Chronicis Summorum Pontificum, tempore Innocentij III.

Quæritur II. Quænam dogmata Fidei in 231
Concilio Viennenſi, relato *Clem. un. h. t.* proponantur? Reſp. Concilium iſtud Generale, anno Domini 1311. celebratum Viennæ in Galliâ, ſub Clemente V. cumprimis firmiter confitetur, Unigenitum Dei Filium, in eadem Eſſentia cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, verum corpus humanum, ac paſſibile, animámque rationalem, illud verè per ſe, ac eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe in tempore ex Virgine ad unitatem perſonæ. Et quòd in humana natura aſſumpta ipſum Dei Verbum pro noſtra ſalute non ſolùm Cruci affigi, & in ea mori voluerit, ſed etiam poſt mortem lanceâ perforari in latere ſuſtinuerit. Et inſuper declarat, S. Joannem Apoſtolum, & Evangeliſtam, narrando *cap. 19.* quòd Chriſto jam mortuo unus militum lanceâ latus ejus aperuerit, rectum rei geſtæ ordinem tenuiſſe.

Ac per hoc reprobatur, atq; damnatur opinio 232
quorundã, temerè aſſerentiũ, quòd Chriſto adhuc viventi lanceâ latus fuerit apertũ. Nam hæc doctrina repugnat clariſſimo teſtimonio Sancti Joannis Evangeliſtæ *loc. cit.* ſicque detrahit fidei S. Evangelij. Detrahit inſuper magnitudini miraculi: evidentius ſiquidem miraculum eſt, quòd de corpore mortuo manaverit ſanguis & aqua, quàm de vivo. Detrahit etiam Figuræ, quòd

quòd ſicut ex latere Adæ ſoporati Eva ſibi in conjugem eſt formata, ſic ex latere Chriſti dormientis, ſive jam mortui, profluentibus inde undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica, & immaculata, ac virgo, Sancta Mater Eccleſia, conjux Chriſti. Repugnat itidem comuni ſententiæ SS. Patrum, & Doctorum, prout ibidem notavit Pontifex unà cum Concilio Viennenſi.

233 Deinde dictum Generale Concilium *§. Porrò,* reprobat, atque hæreticam declarat doctrinam temerè aſſerentium, aut vertentium in dubium, quòd ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectivæ, verè ac per ſe humani corporis non ſit forma. Et quidem maledictus Averrois 3. *de Anima, concl. 5.* olim tenuit hanc doctrinam. Verùm, ut obſervat, pluribusq; rationibus probat Doctor Subtilis *in 4. diſt. 49. §. Reſpondeo. & §. Dico ergo*, naturaliter eſt notum, quòd anima intellectiva ſit forma hominis ſpecifica: unde Ariſtoteles *lib. 2. de Anima, text. 6.* definiens animam intellectivam, inquit, quòd *eſt actus corporis phyſici organici, potentiâ vitam habentis.* Nec breviter invenitur aliquis Philoſophus notabilis, qui id negaverit, præter Averroem, prout notavit Scotus *loc. cit.* quamvìs poſterioribus temporibus aliqui reperti fuerint, qui idipſum temerè negare, vel in dubium revocare præſumpſerint, prout liquet ex *cit. Clemen. un. h. t.* primùm poſt mortem Doctoris Subtilis emanatâ.

234 Dices. Quid juvat ad Fidem hoc diſquirere, atq; in Generali Concilio definire? Reſp. Multùm ſanè id conferre. Imprimis enim oppoſita, & impræſentiarum damnata ſententia, tacitè contradicit illi Catholicæ Veritati, quòd Chriſtus ſit verus homo, ex anima rationali & humana carne compoſitus, *c. Firmiter. §. Et tandem. h. t.* ſeu ſubſiſtens, *c. In quadam. de Celebrat. Miſſ.* juncto Symbolo D. Athanaſij: dum negat, ullum hominem ex anima rationali, humanum corpus verè & eſſentialiter informante componi, ſeu ſubſiſtere. Deinde opinio illa eſt contra fidem incarnationis Filij Dei: cùm enim hæc principaliter ordinetur ad ſalutem animæ, ut quid Verbum Divinum fuiſſe caro factum, ſi anima non exiſteret eſſentialis forma carnis, ſeu corporis humani? Gloſſa *Clement. un. ℣. Intellectivæ. h. t.* Quinimò ſententia temerè aſſerens, animam non eſſe verè ac per ſe formam corporis humani, & ſic denegans formam ſubſtantialem phyſicam hominis, favet impijs Manichæis, dicentibus, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, ſed phantaſticum *d. c. In quadam. §. Alij.* Ulteriùs eadem ſententia pugnat contra fidem Reſurrectionis corporum: quia enim anima rationalis, etiā ſeparata à corpore, habet ſuum eſſe, ac ſubſiſtere (quod non eſt in alijs formis) ſi ipſa non foret per ſe, atque eſſentialiter, forma corporis humani, ad quid reſurgerent ipſa corpora? Ideò autem corporum fit reſurrectio, quia anima rationalis habet inclinationem naturalem ad ſui corporis unionem, veluti forma ſubſtantialis ipſius; neq; ſine eò habet eſſe quietum, perfectamque beatitudinem, qualis datur æternaliter Sanctis in Cœlis. Abbas *in Clem. un. n. 10. h. t.* & Gloſſa *loc. cit.*

235 Tandem Concilium allegatum credit, atque ab omnibus Fidelibus firmiter confitendum definit unicum Baptiſma, regenerans omnes in Chriſto baptizatos; ac tam adultis, quàm parvulis, perfectum exiſtens remedium ad ſalutem. Tum idem Concilium ex duabus à ſe relatis opinionibus approbat eam, veluti probabiliorem ac Dictis Sanctorum, & Theologorum magis conſonam, quæ aſſerit, per Baptiſmum conferri tam adultis, quàm parvulis, gratiam informantem, ſeu ſanctificantem, atque virtutes. Verùm hæc ſententia defactò non ſolùm eſt probabilior, ſed certa, ac de Fide tenenda, propter noviſſimam definitionem Sacri Concilij Tridentini, *Seſſ. 6. cap. 7. & can. 9.* ubi docet, quòd *in ipſa juſtificatione* (cujus cauſa inſtrumentalis eſt Sacramentum Baptiſmi, ut ibidem præmittitur) *cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per JESUM, cui inſeritur, Fidem, Spem, & Charitatem.*

236 Porrò, quòd *in cap. un. h. t. in 6.* deſumpto ex Concilio Generali Lugdunenſi, definitum fuerit, Spiritum Sanctum æternaliter à Patre, & Filio, tanquam ab uno principio, & unicâ ſpiratione procedere; fuſiùs ſuprà *§. 2. per totum* declaratur, eadémque Catholica Veritas contra errorem Græcorum probatur.

TITULUS II.
De Conſtitutionibus.

1. *Ratio ordinis.*
Omne Jus aut ſcripto conſtat, aut non ſcripto. Ibid.

1 POſito primario, ac principali Juris Canonici Fundamento, quod eſt Fides Catholica, & firma veraque Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis confeſſio; pergit Compilator Juris Canonici ad ponendum alterum, veluti ſecundarium ejuſdem Fundamentum, explicando generaliora totius Juris principia per tres ſubſequentes Titulos.

Et quia omne Jus, quo utimur, ſcripto conſtat, aut non ſcripto, ut habetur *can. 2. diſt. 2.* ibi: *Omne autem Jus legibus & moribus conſtat*: juncto §. *Conſtat autem. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* Jus ſcriptum verò ſit certius, generalius, ſicque potentius & nobilius, quàm non ſcriptum: meritò priùs agitur de Jure ſcripto, cujuſmodi ſunt Conſtitutiones, quàm de non ſcripto, ut eſt Conſuetudo. Cæterùm cùm præſens Titulus copioſiorem contineat materiam, quam Theologi quoque tradere conſueverunt in Tractatu *de Legibus* (atque ego ipſemet *Tract. II. Theologiæ Moralis* per totum explicavi) eundem majoris claritatis gratiâ in Paragraphos dividendo, ea potiſſimùm in progreſſu examinabuntur, quæ ſpecialiter ad Jus Canonicum pertinere dignoſcuntur, cætera remittendo ad Theologiam.

§. I.

De varijs acceptionibus & nominibus Conſtitutionum, Bullâ, & Brevi Apoſtolico.

SUMMARIUM.

2. *Conſtitutio, unde ſic dicatur?*
3. *Conſtitutio ſtrictè accepta, quid?*
   Lex, & Conſtitutio fermè ſumuntur pro eodem. Ibid.
4. *Magìs tamen uſitatè differunt; & in quo?*
5. *Conſtitutio largè, quomodo ſumatur?*
   Sic capitur in præſenti Rubrica. Ibid.
6. *Conſtitutiones Eccleſiaſticæ varijs nominibus appellantur.*
7. *Canon largè,*
8. *Et ſtrictè, quid?*
9. *Decretum,*
10. *Decretalis Epiſtola,*
11. *Dogma,*
12. *Mandatum,*
13. *Interdictum,*
14. *Et Sanctio, quid?*
   Ex his multoties unum pro alio uſurpatur. Ibid.
15. *Conſtitutiones Apoſtolicæ vocantur etiam Bullæ, & Brevia Apoſtolica.*
16. *Breve Apoſtolicum, quid, & cur ſic dicatur?*
17. *Bulla, quid, & quomodo fiat?*
18. *Brevia Apoſtolica eandem vim habent, ac Bullæ.*
19. & 20. *Differunt tamen in pluribus alijs, & quibus?*
21. *Brevia Pœnitentiariæ, quæ?*

2 QUæritur I. *Conſtitutio* unde ſic dicatur, & quot modis accipiatur? Reſp. I. Quantùm attinet ad ethymologiam nominis, *Conſtitutio* dicitur à *Conſtituendo*, hoc eſt, à *ſimul ſtatuendo*; ſicque vi nominis idem ſonat, ac *commune Statutum*: nam *Con* eſt ſimul. & altera particula ſonat idem, quod *Statutio*, ſive *Statutum*.

3 Reſp. II. Conſtitutio poteſt accipi dupliciter, ſtrictè videlicet, & largè. Priori modo ſumitur Conſtitutio pro Lege, quam Princeps ſtatuit, ſive conſtituit de Conſilio Procerum ac Senatorum ſuorum, *l. Humanum. C. de Legib.* Quo in ſenſu *can. 4. diſt. 2.* dicitur: *Conſtitutio eſt, quod Rex, vel Imperator conſtituit.* Quinimò juxta communem loquendi modum fermè pro eodem ſumuntur Lex & Conſtitutio, *arg. can. 3. diſt. 1.* ibi: *Lex eſt conſtitutio ſcripta.* Unde & S. Anacletus Papa, *Epiſt. 1. cap. 3.* ac refertur *can. Leges Eccleſiæ. 3. q. 6.* Conſtitutiones Eccleſiaſticas appellavit Leges, illis verbis: *Leges Eccleſiæ Apoſtolicâ firmamus authoritate.* Unde, quòd Canones etiam rectè appellentur *Leges Eccleſiaſticæ*, tradit Abbas *in c. Canonum ſtatuta. n. 1. h. t.*

Fatendum tamen, quòd frequenter, & magìs uſitatè, Conſtitutiones Principum ſæcularium appellentur Leges, non item Conſtitutiones Eccle-

cleſiaſticæ; prout liquet ex Rubricis utriusque Juris, præſentem materiam concernentibus. Accedit ratio congruentiæ: quia Imperator omne ſuum Imperium & poteſtatem immediate à Populo accepit, unde ſicut olim, quæ ſtatuebantur à Populo, *Leges* dicebantur; ita & nunc, quæ Imperator ſtatuit, rectiſſimè vocantur *Leges*, ut jam dictum *in Prooemio n.* 177. At verò Romanus Pontifex Poteſtatem ſuam non habet à Populo, ſed immediatè à Deo, cujus proinde Decreta potiùs appellantur *Conſtitutiones*, quàm *Leges*. Hinc Abbas *in cap. 1. n. 1. de Sentent. & re jud.* notandum ait, *quòd Legum appellatione veniunt Jura Civilia*, & *appellatione Canonum veniunt Canonica*, ſive Eccleſiaſtica. Idque deſumitur ulteriùs ex verbis illius *cap. 1.* ibi: *Sententia contra Leges, Canonesq; prolata.* Juncto *can. Nicæna. diſt.* 31. ubi dicitur: quòd *Nicæna Synodus poſuit Leges, quas Canones vocamus.* Vallenſis *h. t. n. 5.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 1. q.* 3.

5 Poſteriori modo, ſive largè ſumpta Conſtitutio, accipitur pro quovis Statuto, ſeu Jure ſcripto, ſive Principis tum Eccleſiaſtici, tum Sæcularis, ſive Inferiorum Poteſtatem condendi Leges, ſeu Statuta habentium: ut ſunt Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Capitula Cathedralia, Collegia, Ordines Regulares, Magiſtratus, & hujusmodi. Et in hac latitudine ſumendo nomen Conſtitutionis, procedit Rubrica præſentis Tituli, utpote ſub qua *cap. 6. 8. & 9. &* 12. fit mentio quarundam Conſtitutionum à Capitulis, & Collegijs factarum: ſicut & *cap. 7. & 10.* habetur ſermo de Statutis Laicorum; & *cap.* 11. de ordinatione, ſeu Statuto cujusdam Univerſitatis Magiſtrorum.

6 Quæritur II. Quibus nominibus appellentur Conſtitutiones Eccleſiaſticæ? Reſp. Eas varijs appellari nominibus, dum quandoque vocantur Canones, aliquando Decreta, item Decretales Epiſtolæ, Dogmata, Mandata, Interdicta, & Sanctiones. Ita Gloſſa *in Summa. diſt.* 3. ℣. *Omnes.* & patet *ex can. Si quis dogmata.* 25. *q.* 2. ubi Conſtitutiones Apoſtolicæ talibus nominibus cenſentur, cum concordantijs. Et quidem

7 *Canon* in latiori ſenſu ſumitur pro omni Conſtitutione Eccleſiaſtica, ſive fiat in Concilio, ſive extra illud à ſolo Papa; prout accipitur *cap. 1. h. t.* ibi: *Canonum Statuta cuſtodiantur ab omnibus*: cum ſimilibus. Etenim *Canon* græcè, latinè *Regula* nuncupatur, eò quòd rectè ducat, ac regat, normamque rectè vivendi præbeat, *can. 1. & 2. diſt.* 3. quod omnibus Eccleſiaſticis Conſtitutionibus commune eſt. Quinimò appellatione Canonis venit etiam Conſtitutio Capituli ex larga ſignificatione, & in materia favorabili. Card. Tuſchus, *Litt. C. Concl.* 23. *n.*4. & Barboſa *de Appellat. Verbor. Juris.* ℣. *Canon.* poſt Calderinum *Conſil.* 16. *An Canonis appellatione. de Conſtit.*

8 Verùm ſtrictiùs loquendo, ac prout nonnihil differt ab alijs, *Canon* dicitur Conſtitutio Eccleſiaſtica, quæ in Concilio Generali editur, *d. can. Nicæna. diſt.* 21. *& can. Habeo. diſt. 16.* Abbas *in c. Canonum. n.1. h.t.* & alij. Concordat Concilium Tridentinum, in quo, licet receptiori ſtylo Canones Fidei diſtinguantur, ac ſeorſim ponantur à Decretis Reformationis; tamen etiam hujusmodi Decreta Reformationis, utpote in Concilio Generali edita, Canonum nomine indigitantur *Seſſ.* 14. *in Prooemio de Decreto Reformationis*, ibi: *Hos, qui ſequuntur, Canones ſtatuendos, & decernendos duxit.* Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta. n.*20. *h. t.* Quinimò non ſolùm, id, quod in Generali, verùm etiam, quod in Provinciali Concilio ſtatuitur, Canon appellatur, *arg. can. De libellis. diſt.* 20. & notat Vocabularium Juris, ℣. *Canon.*

Decretum vocatur, quod Papa ſtatuit de conſilio Cardinalium ſuorum ad nullius conſultationem. Gloſſa *in Summa diſt.* 3. ℣. *Omnes.* Fagnanus *loc. cit. n.* 18. & alij. Fatendum tamen, quòd *Decretum* pluribus alijs modis accipiatur, quos refert Durandus in *Speculo, tit. De primo & ſecundo Decreto*: unde & noviſſimè ea, quæ circa Reformationem morum in Oecumenico Concilio Tridentino ſaluberrimè conſtituta fuerunt, *Decreta de Reformatione* paſſim nuncupantur. 9

Decretalis Epiſtola dicitur, quam Papa, vel ſolus, vel cum Cardinalibus, ſtatuit ad conſultationem alterius. Gloſſa *loc. cit.* Et hæc alio nomine appellatur *Reſcriptum*, ſic dictum, quòd à Papa per eam reſcribatur ad alterius conſultationem, relationem, vel ſupplicationem: de quo extat integer Titulus in Jure Canonico, *De Reſcriptis* inſcriptus, ubi plura circa hoc. 10

Dogma eſt, quod conſiſtit in doctrina Fidei Chriſtianæ. Gloſſa *loc. cit.* id probans ex *can. Qui Epiſcopus. diſt.* 23. Quia enim generaliter hoc nomen aſſumendo, Dogma cujuslibet Sectæ Decreta continet, juxta illud D. Hieronymi in *cap.* 1. Daniel. *Dogmata Philoſophorum*, & refertur *can. Qui de menſa. diſt.* 37. Hinc rectè, atque in ſenſu Catholico, ea appellantur *Dogmata Fidei*, quæ per Sanctam Matrem Eccleſiam, veluti de Fide tenenda fuerunt definita. 11

Mandatum dicitur, quod conſiſtit in doctrina morum: nec aliud eſt, quàm Conſtitutio ad Eccleſiaſticam diſciplinam, bonósque mores pertinens: qualis refertur *can. His igitur. diſt.* 23. *& c. Mandamus. de Offic. Archidiac.* Gloſſa *loc. cit.* Archidiaconus *in can. Si quis Dogmata.* 25. *q.* 2. 12

Interdictum (quod hoc loco non ſumitur pro Cenſura, ſed pro Conſtitutione Eccleſiaſtica) appellatur, quando fit prohibitio nullâ pœnâ adjectâ in transgreſſores, *arg. can. Interdixit. diſt.* 32. 13

Sanctio tandem dicitur, ubi pœna adjicitur ſuſtinenda à transgreſſoribus, *can. Sancimus.* 1. *q.* 7. cum ſimilibus. Quamvis prædicta nomina multoties inter ſe confundantur, ac unum pro alio uſurpetur: uti liquet *ex can. Sancimus.* 12. *q.* 2. ubi nulla reperitur pœna adjecta, quamvis initium dicti Canonis Sanctionem importet. Similiter *in can. Mandamus.* 19. *q.* 3. Mandatum ac Interdictum ſimul ponuntur, & quidem adjectâ in Transgreſſores pœnâ, idem accidit in alijs locis. Fagnanus *loc. cit. num* 18. poſt Hugonem, & Præpoſitum. 14

15 Cæterùm quia diverſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ fieri, atque promulgari conſueverunt perBullas,velBrevia Apoſtolica, uti videre licet in Bullario Romano: operæ pretium eſſe videtur, occaſione præmiſſorum etiam de iſtis hoc loco mentionem facere, utpote quorum frequens mentio recurrere ſolet. Hinc

16 Quæritur III. Quid ſit Breve Apoſtolicum, & Bulla, & quæ differentia horum? Reſp. I. *Breve Apoſtolicum* dicuntur Litteræ Pontificiæ, in membranis ſubtilibus, & candidis, charactere latino ac nitido deſcriptæ, & à tergo cerâ rubeâ chordulis lineis incluſâ illitæ, annuloque Piſcatoris ſignatæ, ac manu Secretarij ſubſcriptæ. Et hæ alio nomine vocantur *Litteræ in forma Brevis*, quia verbis brevibus res in ipſis contentæ conſcribuntur, voce jam antiquitùs uſitatâ, *L.* 1. *C. de Apochis public. lib.* 10. *& l. Excellentia. C. de Erogat. Milit. annon. lib.* 12. Vel, cùm nonnunquam prolixitate ſuâ non correſpondeant hujus nominis etymologiæ, dicuntur *Brevia* ex eo, quia in brevibus materijs, ſeu breve negotium concernentibus, concedi ſolent: nam in arduis negotijs communiùs Bullæ expediuntur; dummodò excipiantur gratiæ illæ, etiam in gravioribus negotijs quandoque per Papam conceſſæ, quæ ex Regulis Cancellariæ, vel ex Stylo, non exigunt neceſſitatem Litterarum ſub plumbo, ac proin expediuntur in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris. Rebuffus *in Addit. ad Reg. Cancellar. Reg.* 34. §. *Breve.* Et Card. de Luca *tom.* 3. *de Relation. Curiæ. Diſcurſ.* 7. *n.* 9.

17 Reſp. II. *Bulla* dicuntur illæ Litteræ Apoſtolicæ, ſeu Papales, quæ expediuntur per Cancellariam ſub plumbo, ſive ſigillo plombeo, pendente ex chordulis, conſcriptæ in membrana magis nigra, & rudi, atque antiquo charactere Gallico. Ita Card. de Luca *cit. n.* 9. & Rebuffus *d. Reg.* 34. *circa finem*: qui addit, & praxis habet, quòd ſi Bulla expediatur in materia gratiæ, ſigillum plumbeum dependeat ex chorda ſerica: ſi verò fuerit Bulla juſtitiæ, ſeu data in materia contentioſa, illud pendeat ex chordula de canabe. Hoc ipſum jam anteà obſervavit Felinus *in c. Poſtulâſti. n.* 1. *§. Dum declarat. de Reſcriptis.* Solùm adde, quòd hodie Bullæ in materia gratiæ, ſi ſunt expeditæ in forma gratioſa, plumbum habeant pendens ex chorda ſerica rubri & crocei coloris: ſi verò ſunt expeditæ in forma *Dignum*, illud pendeat ex chordula de canabe; ut Bullæ matrimoniales, & juſtitiæ. Vincentius de Juſtis *Diſpenſat. Matrim. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 299. Vivianus *de Jure patr. part.* 2. *lib.* 13. *cap.* 5.

18 Reſp. III. Quamvis Brevia Apoſtolica ritè confecta tantam vim habeant in illis materijs, in quibus conficiuntur, quantam Bullæ in cæteris materijs: ac proinde hujusmodi Litteræ Papales, cæteroquin jure confectæ conveniant in effectu; ſicque non ſolùm ille incidat in crimen falſi, hujúsque pœnis teneatur, qui corrumpit Bullam Romani Pontificis; ſed etiam, qui falſat Breve Apoſtolicum, *arg. c. Ad falſariorum. de Crimin. falſ.* ac notat Rebuffus *loc. cit.* Nihilominus quoad alia inter Bullas & Brevia Apoſtolica, multiplex intercedit diſcrimen, prout patebit inductione.

Imprimis enim *Brevia Apoſtolica* à Romana 19
Curia expediuntur per Secretariam Apoſtolicam, ſub *Annulo Piſcatoris*; ſic dicto ab inſculpta imagine S. Petri piſcantis, qui vel per ipſummet Summum Pontificem, vel per unum magis intimum, probatæque fidei familiarem, ſummâ cum diligentiâ cuſtodiri, atque poſt obitum Pontificis illicò à Cardinali Camerario confringi ſolet. At verò *Bullæ*, quæ ſunt alterum Litterarum Apoſtolicarum genus, expediuntur per Cancellariam Apoſtolicam, atque ſub ſigillo plumbeo, è cordula (ut dictum) pendente: quod ſigillum moderno tempore ex una parte Imagines SS. Petri & Pauli præſefert, ex altera verò nomen Papæ regnantis impreſſum habet. Et quidem ejusmodi ſigillum eſt ultimum conſummativum Litterarum Apoſtolicarum, adeò ut ante illius appenſionem eædem necdum expeditæ cenſeantur, *c. Licèt.* 5 *de Crimin. falſ.* & ſi filum, ſive memorata chordula in totum fuerit rupta, ampliùs Bulla non probet. Gloſſa magna *in can. Nobiliſſimus. diſt.* 97. & Rebuffus *loc. cit.* poſt Card. Alex. *can. In memoriam. diſt.* 19.

Deinde Brevia Apoſtolica inſcribuntur in 20
membranis ſubtilibus, & albis: pro Bullis autem ſunt in uſu membranæ ſubnigræ, & groſſæ. Rurſus Brevia ſcribuntur charactere latino benè legibili, ac eleganti: in Bullis verò retinetur antiquus ſtylus characteris Gallici, receptus & practicatus ab eo tempore, quo Sedes Apoſtolica Reſidentiâ habuit Avinione in Galliis. Cardin. de Luca *d. Diſcurſ.* 7. *n.* 9. Pluribus etiam Brevibus Apoſtolicis, præſertim Indulgentiarum, & abſolutionum atque diſpensationū pro foro conſcientiæ, exteriùs ſolet inſcribi: *Gratis pro Deo & ſcriptura*: ad indicandum, talia omninò gratis expediri. Taceantur alia diſcrimina.

Solummodò his addendum eſt, quòd in Ro- 21
mana Curia nomen *Brevium* etiam locum habeat in illis Expeditionibus, ſive Litteris, quas Tribunal Sacræ Pœnitentiariæ concedit ut plurimùm pro Foro interno, & quandoq; etiam pro externo, circa abſolutiones à cenſuris, & diſpenſationes in quibusdā irregularitatibus, ac hujusmodi. Verùm iſtæ Expeditiones notoriam habent diverſitatem à Brevibus Apoſtolicis; idq; tum ob diverſam formam, tum ob diverſum omninò ſigillum. Unde non immeritò illa dicuntur *Brevia Apoſtolica*, ad differentiam talium Expeditionum, ſive *Brevium Pœnitentiariæ*. Card. de Luca. *n.* 10. Rebuffus *loc. cit.* §. *Breve Apoſtolicum.*

§. II.

§. II.

De Lege, ejûsque conditionibus ac differentia à ſimplici Præcepto.

SUMMARIUM.

22. *Lex, unde ſic dicatur?*
23. *Lex generatim accepta, quid?*
24. *Legum utilitas commendatur.*
25. *Cur Lex ſit prodita? Et ſeqq.*
26. *Tria Juris præcepta, quæ?*
27. *Cur hæc dicantur Iuris Præcepta?*
28. *Conditiones Legis, quæ?*
29. *I. Debet eſſe recta agendorum ratio.*
30. *II. Ad eam requiritur legitima authoritas in ferente.*
31. *III. Ac debita promulgatio.*
32. *IV. Et ut feratur cum voluntate perpetuò obligandi.*
33. *Lex debet eſſe perpetua.*
34. *Et quomodo?*
35. *Conditiones Legis per Iſidorum relatæ, declarantur. Et ſeqq.*
36. *Lex debet eſſe honeſta, juſta,*
37. *Secundùm naturam, ſecundùm patriæ conſuetudinem.*
38. *Loco, temporique conveniens.*
39. *Neceſſaria, & utilis.*
40. *Nec ſuperfluè ponitur alterutra harum dictionum.*
41. *Manifeſta quoque &c.*
42. *Nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.*
43. *Lex differt à ſimplici Præcepto in pluribus. Et ſeqq.*
   Lex immediatè afficit locum, ſive Territorium Legislatoris: Præceptum verò Perſonas.
44. *Præceptum ſimplex tendit ad perſonas ſingulares, & cum ipſis extinguitur: non item Lex.*
45. *Lex durat poſt mortem Legislatoris: non ſic Præceptum ſimplex.*
46. *Mandatum jurisdictionis, & Mandatum ab homine, quid, & an expirent morte Mandantis?*

22 QUæritur I. Quid ſit Lex, & quæ ejus utilitas? Reſp. I. Quod ad nominis etymon attinet, *Lex* dicitur à *Legendo*, eò quòd leges olim ſolebant in publicis tabulis ſcribi, & populo legendæ proponi; ut ſentit Iſidorus *lib. 2. Etymolog. cap. 10.* Vel potiùs à *Ligando*, eò quòd homines legibus ligentur, ſeu obligentur ad aliquid præſtandum, vel omittendum, ut vult Doctor Subtilis *in 4. diſt. 15. q. 2. §. Hîc ſunt quatuor.* Et hoc meritò: quia ad legem poſitivam condendam requiritur in Legislatore tum prudentia, tum authoritas. Prudentia quidem, ut ſecundùm rectam rationem practicam judicet, quid ſpectatis omnibus circumſtantijs ſit faciendum pro bono Communitatis: Authoritas verò, quia alioquin ſententia Prudentis non obligabit Communitatem, niſi is præſideat, & authoritatem ligandi Subditos habeat, §. *Sed aliud. diſt. 20.* Et ſic *Lex* à *Ligando* rectiùs derivatur.

23 Reſp. II. Lex generatim accepta, & prout eſt quid commune ad Conſtitutiones humanas tam Eccleſiaſticas, quàm Civiles, rectè definitur, dicendo: Lex eſt recta agendorum ratio, à publica Poteſtate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum. Ita in re communis; quamvis nonnulli alijs verbis Legem definiendo utantur, imò & in ipſo Jure reperiantur quædam diverſæ definitiones Legis, accipiendo tamen hanc in alia magis ſpeciali, & ſtrictiori ſignificatione, ut dictum fuit *in Proœmio. §. 9. num. 173. & 174.* Verùm accipiendo Legem generatim, atque ut eſt quid commune ad omnes prorſus Conſtitutiones humanas, patebit bonitas allatæ noſtræ definitionis quoad ſingulas ſuas particulas ex conditionibus Legis, *n. 27. & ſeqq.* declarandis.

Reſp. III. Legum utilitas aptè commendatur illis verbis, ex S. Auguſtino *cap. 4. h. t.* relatis: *Bona eſt ergò Lex, quæ dum hoc* (videlicet Vitium concupiſcentiæ, ut explicat Gloſſa) *prohibet, omnia mala prohibet.* Nam vitium iſtud eſt generale ad omnia vitia, juxta illud S. Jacobi in ſua Canonica, cap. 4. *Unde bella, & lites in vobis? Nonnè hinc? ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Et 1. Joan. cap. 2. *Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* 24

Quia igitur Lex proditur, ſive promulgatur ad hoc, ut appetitus noxius ſub Juris regula limitetur, pravâque concupiſcentia, ſive (ut loquitur Pontifex in Proœmio Decretalium) *effrænata cupiditas, ſui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia jurgiorum reprimatur*: patet, quanta exiſtat bonitas ejusdem. Et quia novis morbis nova convenit antidota præparari, *c. Ceterùm de Jurament. calumn.* non mirandum, quòd in utroque Jure, quin etiam extra illud, plures ſucceſſivè emanaverint Conſtitutiones; ſive Leges: *Cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum*, ut loquitur D. Auguſtinus *Epiſt. 50. ad Bonifacium*, ac refertur *in can. Ut conſtitueretur. diſt. 50.* 25

Accedit, quòd per legem, veluti Juris regulam, Genus humanum informetur, ut honeſtè vivat, alterum non lædat, Jus ſuum unicuique tribuat; prout notatur in dicto Proœmio Decretalium. Hæc enim tria cenſentur eſſe genera- 26

ralia Juris præcepta, §. *Juris Inſtit. de Juſtit. & Jur.* ibi: *Juris præcepta ſunt hæc: Honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere.*

27 Et hæc quidem tria dicuntur Juris præcepta: non quòd omne Jus ſingillatim aliquid directè præcipiat; cùm quandoque aliquid directè ſolùm prohibeat, quandoque permittat, vel etiam puniat, *can. Omnis autem lex. diſt.* 3 *& l. Legis virtus. ff. de Legib.* ibi: *Legis virtus hæc eſt: imperare, vetare, permittere, punire.* Sed quia omne Jus ſaltem indirectè aliquid præcipit, ſpectans ad unum prædictorum trium Juris præceptorum (nam dum Jura quidpiam directè v. g. permittunt faciendum, hoc ipſo indirectè præcipiunt, ne quis illud facientes impediat, vel moleſtet &c.) ſimúlque, quia omnia, & ſingula Jura reductivè ſpectant ad illa generalia præcepta, vi quorum tenemur honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere.

28 Quæritur II. Quæ requirantur conditiones ad Legem, ſeu Conſtitutionem? Reſp. Eaſdem ab Iſidoro, relato *can. 2. diſt. 4.* complecti ſequentibus verbis: *Erit autem Lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm Patriæ conſuetudinem, loco, temporíque conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne per obſcuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.* Hæc ille. Breviùs tamen omnes neceſſariæ Legis conditiones continentur in ejus definitione *num. 23.* allata, dum dicitur: *Lex eſt recta agendorum ratio, à publica Poteſtate Communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi &c.* Nam, quòd ſcriptura non ſit de ſubſtantia Legis, patet ex dictis *in Proœmio. num. 159.*

29 I. Igitur ad Legem requiritur, ut ſit *recta agendorum ratio;* ſive, ut ait citatus Iſidorus, quòd ſit *honeſta, juſta, poſſibilis &c.* Siquidem Lex injuſta, vel quid iniquum præcipiens, non eſt abſolutè dicenda *Lex*, ſed ſolùm cum addito, *Lex injuſta.* & ſi conſtet eam eſſe talem, non tenentur eidem Subditi obedire. Ratio clara eſt: tum quia *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, juxta *Reg. 6. Juris in 6.* Quidquid autem contra rationem, bonóſque mores militat, cenſetur de Jure impoſſibile, *l. Filius qui. ff. de Conditionib. Inſtitut. & l. Si ſtipuler. ff. de Verb. obligat.* Tum quia *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum, Reg. 56. Juris in 6.* Ergò multò minùs Lex, utpote quæ debet delicta coërcere, non præcipere, *L. 1. ff. de Legib.* Et ſi ſecùs fieret, oporteret Deum potiùs audire, quàm homines, *Actor. cap. 4.* Unde de ejuſmodi Lege injuſta hìc non agitur, ſed tantùm de juſta.

30 II. Ad rationem Legis requiritur legitima authoritas legem ferendi in Legiſlatore: quæ conditio indicatur in data definitione per ly, *à publica Poteſtate.* Nam alioquin locum haberet illud vulgatum: *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur, cap. ult. de Conſtit. in 6.* cum ſimilibus.

31 III. Requiritur ad rationem Legis debita ejuſdem promulgatio; quæ conditio in dicta definitione denotatur per ly, *Communitati denuntiata*, id eſt promulgata. Nam, ut habet receptum Juris-Conſultorum dictum, ex *can. 3. diſt. 4.* deſumptum: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium comprobantur.* Verùm de hac Legum promulgatione ex profeſſo inferiùs.

32 IV. Requiritur, ut Lex feratur *cum voluntate obligandi*: id eſt, quòd Legiſlator velit Communitati quidpiam præcipere, eámque ad obſervantiam Legis obligare. Si enim aliquid duntaxat conſulat, aut à Subditis fieri libenter ſe videre declaret, non autem clarè jubeat, & præcipiat: Lex non erit, ſed Conſilium, aut Beneplacitum Principis.

33 Et additur ly, *perpetuò obligandi.* Nam Lex debet eſſe perpetua; adeò, ut quantùm eſt de ſe, ac niſi poſtmodùm legitimè revocetur, obliget in perpetuum, *arg. cap. ult. de Offic. Legati, & cap. 1. de Locato,* cum ſimilibus. Ea enim, quæ ad Jus pertinent, perennia eſſe debent, *l. Falſo. C. de Diverſis Reſcript.* Ac per hoc vel maximè Lex differt à ſimplici Mandato, Præcepto, Regulis Cancellariæ, ac alijs hujuſmodi. Et hinc frequens illud Legibus inſertum: *Hâc in perpetuum valiturâ lege ſancimus:* quod non ſolùm in Conſtitutionibus Apoſtolicis de novo conditis perquàm eſt uſitatum, ſed etiam habetur *L. ult. C. de Diverſis Prædijs, lib. 11. & L. 2. C. de Præpoſit. ſacri Cubiculi, lib. 12.* ac alibi.

34 Cæterùm iſta perpetuitas Legis, ſuæque obligationis, non accipitur pro æternitate non habente principium, nec finem (alioquin nulla daretur Lex poſitiva) ſed accipitur pro duratione indefinita, quatenùs Lex propriè dicta debet ferri non pro uno duntaxat die, vel anno, aut ſolummodò ad vitam Legiſlatoris, ſed in perpetuum. Intellige, quantùm eſt ex primæva intentione Legiſlatoris: quamvìs poſtmodùm, juſtis de cauſis, Lex ſemel poſita per Legiſlatorem, aut ejus Succeſſorem revocari, vel etiam per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam abrogari valeat.

35 Porrò quod attinet ad conditiones Legis, per Iſidorum ſuprà recenſitas, eæ potiſſimùm pertinent ad primam allegatarum conditionum, declarando per partes, quâ ratione Lex debeat eſſe *recta agendorum ratio;* & ad quæ, etiam collectivè ſumpta, vel maximè in Legibus de novo condendis ſit attendendum. Quamvìs non in qualibet Lege particulari oporteat eas omnes conditiones ſimul convenire; ut patet in legibus, depravatam quandoque Patriæ conſuetudinem eliminantibus, quæ hoc ipſo non feruntur ſecundùm Patriæ conſuetudinem, ſed contra iſtam. Archidiaconus *ad d. can. Erit autem lex, n. 1. diſt. 4.*

36 Igitur, ut Lex ſit recta agendorum ratio, ea cumprimis debet eſſe *honeſta, juſta:* quia ideò Lex conditur, ut Genus humanum informetur honeſtè

neſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere. *Proœmium Decretalium Gregorij Papæ IX.* Et additur, *poſſibilis*: nam *impoſſibilium nulla eſt obligatio.* l. Impoſſibilium. ff. de Reg. Jur. & Reg. 6. Juris in *6.* cum ſimilibus.

37 *Secundùm naturam*, id eſt, naturalem rationem: nam Lex conſtat ratione, *can. Conſuetudo. diſt.* 1. ac deficiente Lege, vel Canone, poteſt allegari ratio. Gloſſa *ibid.* ℣. *Ratione.* id probans ex *can. Si Romanorum. diſt.* 19. *& can. Fruſtrà. diſt.* 8. Et ſubditur: *Secundùm Patriæ conſuetudinem*: non quòd hæc conditio ſit ſimpliciter neceſſaria ad conſtitutionem legis, cùm Patriæ conſuetudo, præſertim prava, poſſit corrigi, & tolli per legem: ſed quia rationabiles Patriæ conſuetudines non facilè per contrariam Legem ſunt abrogandæ. Tum quia ejusmodi *inveterata conſuetudo pro Lege non immeritò cuſtoditur*, l. De quibus. ff. de Legib. Atque *in rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt.* L. 3. ff. de Conſtitut. Principum. Tum quia lex jam condita per contrariam conſuetudinem, rationabilem tamen, ac legitimè præſcriptam, denuò poteſt abrogari, *cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantijs: ſimúlque in dubio lex ſecundùm Patriæ conſuetudinem eſt intelligenda, & interpretanda, *l. Si de interpretatione. ff. de Legib.* Nam conſuetudo eſt optima legum interpres, *c. Cùm dilectus.* 8. *de Conſuetud.*

38 *Loco, temporíque conveniens.* Non enim eædem Leges cuilibet loco, & tempori conveniunt, ſed ſunt moderandæ juxta diverſitates locorum, & qualitates temporum, atque hominum, quibus ponuntur; *can. Regulæ. & can. Neceſſe eſt. diſt.* 29. cum ſimilibus. Hinc illud vulgatum: *Concorda tempora, & concordabis Jura*, ſive Scripturas, juxta Gloſſam *can. Si Eccleſia. 23. q. 4.* ℣. *Temporibus*, & probat textus *in can. Si peccaverit. 2. q* 1.

39 *Neceſſaria.* Quia non niſi inſtante neceſſitate Jus novum ſtatui debet, *can. Regulæ. diſt.* 29. *& l. Ergo omne.* 39. *ff. de Legib.* videlicet propter ea, quæ frequenter & facilè eveniunt: nam *quæ ſemel aut bis accidunt, contemnunt Legiſlatores*, ut dicitur *l. Nam ad ea. ff. de Legib.* Additur *Et utilis*, juxta jam allegatum textum *ex L. 3. ff. de Conſtit. Princip.* Quinimò Lex inutilis non ſolùm non eſt de novo ponenda, ſed ſi exiſteret, rurſus foret abjicienda, *can. Omnia. diſt.* 12. Ut quid enim membranas occupabit, poſtquàm reperitur eſſe inutilis, *can. Si Romanorum. diſt.* 19.

40 Si dicas. Nulla lex humana poſitiva eſt neceſſaria ſimpliciter (id eſt, ſic neceſſaria, ut impoſſibile ſit, eam aliter ſe habere; cùm tale neceſſarium non ſubjaceat humano judicio) ſed ſolùm ſecundùm quid, nempe propter finem, quatenùs eſt utilis: ergo alterutra harum duarum particularum ſuperfluè ponitur. Reſp. (dimiſsâ opinione illorum, qui putant, ſuperfluè ab Iſidoro relato multiplicari conditiones Legis ut hìc, & ibi: *Lex honeſta, juſta*) negando aſſumptum: nam neceſſitas Legis conſideratur quantùm ad remotionem malorum: utilitas verò, quantùm ad conſecutionem bonorum. Archidiaconus *in d. can. Erit autem lex. n. 7. diſt. 4.* Sicut & ſuprà honeſtas Legis ſpectatur quantùm ad ſe, nempe ut Religioni congruat: juſtitia verò legis, quantùm ad proximum, cui prohibet læſionem inferre, ac jubet jus ſuum tribuere: & ſic nulla particula ſuperfluit, ſed ſingulæ juvant ad majorem conditionum Legis expreſſionem, atque declarationem.

Manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat. Quod additur ad cavendum nocumentum, quod alioquin ex ipſa Lege poſſet provenire, ſi captiosè ac perperàm propter ſuam obſcuritatem poſſet interpretari, contra *c. Certum eſt. de Reg. Jur. in 6.* Hoc ipſum patet ex *c. Abbate. de Verb. ſignif.* ibi: *Lex non debet eſſe obſcura, vel captioſa, ſed certa & manifeſta.* 41

Nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta. Quia lex primariò ac principaliter ordinatur ad bonum commune Reipublicæ, ut liquet ex ejus definitione; quamvis inde ſecundariò, & conſecutivè, habeatur etiam privatum commodum Civium. Hinc *L. 1. ff. de Legib.* dicitur: *Lex eſt commune præceptum - - - communis Reipublicæ ſponſio.* Item *L. 7. ff. eod. Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Et alioquin, ſi Conſtitutio privatum cujuspiam commodum reſpiciat, cenſetur eſſe Privilegium, quod eſt Lex privata, *can. Privilegia. diſt.* 3. *& cit. c. Abbate. de Verb. ſignif.* de quo verificatur illud: *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* cap. 7. de Reg Jur. in 6. 42

Quæritur III. Quomodo Lex differat à ſimplici præcepto? Reſp. Differre in pluribus. Nam imprimis Lex cenſetur immediatè afficere locum, ſeu territorium Legislatoris, atque hinc in Subditos ibidem exiſtentes tranſire. Suarez *tom. 5. de Cenſuris, diſp. 5. ſect. 5. num.* 14. Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 11. n. 2.* & alij: ac deſumitur *ex l. Omnes populi. ff. de Juſt. & Jur.* ubi Jus Civile, ſeu Municipale Civitatis ſic vocatur, *quaſi proprium ipſius Civitatis*, eò videlicet, quòd hanc immediatè afficiat, indéque tranſeat in exiſtentes in ea: prout in ſimili Doctores loquuntur de Interdicto locali, ac de Indulgentia locali. Et idcircò fit, quòd Leges territorij non obligent cives abſentes, *ut cap. ult. de Conſtitut. in 6.* & tradunt Doctores communiter. E contrà Præceptum ſimplex proximè, ac immediatè fertur in Perſonas ſingulares, earúmque oſſibus adhæret, quocunque terrarum diſceſſerint: unde præcepta Superiorum, v. g. Prælatorum Regularium, obligant Subditos, ubicunque exiſtant; cùm eis competat jurisdictio in Subditos, non ratione loci, ſed per ſe, ac ratione perſonæ, propter votum obedientiæ. 43

Deinde Præceptum ſimplex (hoc eſt, tale, quod non fertur per modum Conſtitutionis generalis) tendit ad perſonas ſingulares, cum quibus plerumque extinguitur, nec tranſit ad ſucceſſores: quale eſt, ſi pater quidpiam præcipiat Filio, Abbas Religioſo, Princeps huic vel illi ſub- 44

ſubdito. Secùs, ſi Princeps ad dies vitæ ſuæ quidpiam generaliter præciperet omnibus: nam tale Præceptum vivente Principe tranſiret ad ſucceſſores ſubditorum ſuorum; & propterea notanter additum fuit ly, *plerumque*. At verò Lex imponitur toti Communitati, & loquitur non tantùm ad præſentes, ſed etiam ad futuros: nam *Lex eſt commune Præceptum*, L. 1. ff. de Legib. Simúlque *Leges & Conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotijs*, l. Leges. 7. C. de Legib. & cap. ult. h. t. cum ſimilibus.

45 Tandem Lex durat non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem Legislatoris; ſempérque vim ſuam habet, donec revocetur, aut per contrariam conſuetudinem legitimè abrogetur: ſiquidem Leges ex natura ſua ſunt perpetuæ, cùm ferantur propter commune bonum Reipublicæ, ac futuris dent formam negotijs, ut proximè dictum. Econtrà Præceptum ſimplex expirat morte præcipientis, & abſque nova revocatione ceſſat ceſſante vitâ, aut officio ipſius; eò quòd in morte, vel depoſitione ab officio, extinguatur jurisdictio, & authoritas Præcipientis, à qua vim ſuam Præcepta obtinent. Menochius *lib. 1. de Arbitrar. Judic. quæſt. 69. n. 4.* citans Decium in *Rubr. C. de Mandat. Princip. n. 11.* Layman *c. Gratum. n. 6. de Offic. Delegat.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 28. n. 47.* Qui rectè hoc ultimum extendit etiam ad illum caſum, quo res non ampliùs eſt integra.

Nec obſtat *c. Relatum. 19. & c. Gratum. 20. de Offic. Delegat.* ubi mandatum non expirat morte Mandantis, ſi res non ampliùs fuerit integra. 46 Reſp. enim, hìc ſermonem eſſe de mandato jurisdictionis; hoc eſt, de tali mandato, per quod à Superiore committitur jurisdictio Inferiori, velut Judici delegato, ut probat Rubrica citati Tituli: & tale mandatum re ampliùs non integrâ, juxta omnes, non expirat morte Mandantis. Secùs dicendum de Mandato ab homine, ſeu ſimplici Præcepto Superioris, obligante ad aliquid faciendum, vel omittendum: tale enim non ſolùm expirat morte concedentis re integrâ (in quo caſu expirat pariter mandatum jurisdictionis, *c. Licèt 30. de Offic. Delegat.*) ſed expirat etiam re ampliùs non integrâ; cùm talia mandata ab homine, ſeu Præcepta, quæ non emanant per modum Conſtitutionis, non ſint perpetua ex ſua natura, ſicque extinctâ præcipientis jurisdictione per ejus obitum, ampliùs ligare non poſſint, etiam re non integrâ. Sanchez *loc. cit. n. 47.*

§. III.

De Poteſtate Legislativa, & quomodo hæc competat Papæ, atque Concilijs.

SUMMARIUM.

47. *Hìc non eſt Sermo de poteſtate legislativa Divina.*
48. *In Lege Evangelica nullum continetur præceptum, quod non ſit Juris naturalis, præter præcepta Fidei, & Sacramentorum.*
49. *Poteſtas legislativa humana, alia Eccleſiaſtica, alia Civilis.*
50. *Hæ differunt ratione originis,*
51. *Ac ratione objecti, & Finis,*
52. *Propriisque officijs, & dignitatibus.*
53. *Papa poteſt ferre leges, ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticas pro toto Orbe Chriſtiano. Et ſeqq.*
54. *Papa ſuam Poteſtatem immediatè habet à DEO. Et n. 50. & 53.*
55. *Eámque exercet abſque alia confirmatione, & ante ſuam Conſecrationem.*
Secùs accidit in inferioribus Prælatis Eccleſiæ; & cur? Ibid.
56. *Papa in ſuis Ditionibus obtinet etiam temporalem poteſtatem.*
Et unde hanc acceperit? ibid.
57. *Habet indirectè poteſtatem judicandi, & diſponendi de bonis temporalibus omnium Chriſtianorum.*
58. *Et in quibus caſibus tali poteſtate utatur?*
59. *Poteſtas Spiritualis ſive Pontificalis, eſt diverſa à temporali ſive Imperiali; ſe tamen mutuò juvare debent.*
Poteſtas legislativa Civilis, unde proveniat? Ibid. Et num. 50.
60. *Concilium generatim, quid?*
61. *Concilium Generale, Provinciale, Epiſcopale, ſeu Synodus Diœceſana, quid?*
62. *Concilium Generale poteſt facere Conſtitutiones totam Eccleſiam obligantes.*
63. *Dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis.*
64. *Papa convocando Concilium, non per hoc cenſetur huic abſolutè dare poteſtatem novas Leges condendi. Et n. 63.*
65. *Nec tamen illud fruſtrà convocatur.*
66. *Concilium Generale non eſt ſupra Papam.*
67. *Concilia particularia poſſunt facere novas Conſtitutiones, quæ tamen ſolùm obligant Subditos proprij territorij.*
68. *Unde quædam Decreta Conciliorum particularium habeant vim Legis univerſalis?*

Quæ

47 QUæritur I. Quotuplex ſit Poteſtas Legislativa humana? et additur notanter, *humana*: non enim hîc loquimur de illa ſuprema & abſoluta poteſtate legislativa, quæ competit Deo Ter. Opt. Max. ob ſupremum ejusdem in omnes creaturas dominium, & ſecundùm quam pro quolibet Statu convenientia humano Generi dedit præcepta, prout liquet ex Sacris Litteris. Quamquàm Lex vetus, ſive Moſaica, ejusque obligatio jam ceſſaverit introductâ Lege Evangelicâ; prout Fides docet, & patet ex *Actor. cap. 15.* & totâ Epiſtolâ D. Pauli ad Galatas, atq; ex *c. Majores. de Baptiſmo*, ubi Pontifex inquit: *Abſit, ut in illam damnatam hæreſin incidamus, quæ perperàm affirmabat, Legem cum Evangelio, & Circumciſionem cum Baptiſmo obſervandam.*

48 Ex quo proinde inferunt Doctores, quòd, cùm per Chriſti mortem, & prædicationem Evangelij, evacuata fuerit obligatio Legis veteris quoad præcepta Cæremonialia, atque Judicialia, prout uberiùs docent Theologi; in Lege Evangelica nullum extet præceptum Juris Divini poſitivi, præter præcepta Fidei, & Sacramentorum: nam præcepta moralia, quæ etiamnum obligant, ſunt Juris Naturalis. D. Thomas 1. 2. *q. 108. art. 1. & 2.* Scotus 3. *diſt. 40. q. un.* Covarruvias *de Matrim. part. 2. cap. 6.* §. 10. *n. 1.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 52. n. 1.* Fagnanus *in c. Vir qui. n. 31. de Conſanguinit. & affinit.* Valentia, & alij. His prænotatis.

49 Reſp. I. *Poteſtas legislativa humana* eſt duplex, *Eccleſiaſtica* videlicet, quæ competit Summo Pontifici, alijsque Prælatis Eccleſiaſticis, pro bono gubernio Eccleſiæ, & promovenda animarum ſalute in Subditis ſuis. Et *Civilis*, quæ competit Imperatori reſpectu totius Romani Imperij; Regibus pro ſuo Regno, alijsque Principibus ſæcularibus reſpectu propriorum Subditorum, in ordine ad rectam gubernationem Reipublicæ.

50 Reſp. II. Hæ duæ Poteſtates multipliciter differunt inter ſe. Et primò quidem ratione originis: nam Poteſtas legislativa Eccleſiaſtica, quæ competit Romano Pontifici, ac per hunc poſtmodùm alijs inferioribus Prælatis, veluti vocatis in partem ſollicitudinis, cōmunicatur, proximè ac immediatè provenit à Deo; prout patet ex verbis Chriſti, Matth. 16. D. Petro, ac in hujus perſona ejus legitimis Succeſſoribus dicentis: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis.* Et Joan. cap. 21. *Paſce oves meas.* ac proximè paulò ampliùs dicetur. Econtrà verò Poteſtas legislativa Civilis immediatè provenit ab Hominibus, eò videlicet, quòd Populus Romanus per Legem Auream contulerit in Regem, ſeu Imperatorem, omne ſuum imperium & poteſtatem, *L. 1. ff. de Conſtit. Princip.* Quamvis & hæc ſaltem mediatè ſit à Deo, juxta illud Apoſtoli, Rom. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.*

51 Secundò differunt ratione objecti, & finis. Si quidem poteſtas legislativa Eccleſiaſtica verſatur circa res ſpirituales, ac pro fine ſuo per ſe, & directè intento, reſpicit cultum Divinum, ſalutem animarum, & vitam æternam à Subditis obtinendam. Civilis verò poteſtas verſatur circa bona temporalia Reipublicæ, & pro fine ſuo directè, ac per ſe intento reſpicit bonum commune Reipublicæ, hujusque tranquillam gubernationem: quamvis per accidens, & mediatè, etiam ſalutem animarum reſpicere poſſit, in quantum videlicet vitia cohibet, & punit; licèt hoc ipſum præſtet duntaxat ad manutenendum bonum Statum Reipublicæ, qui vitijs impunè graſſantibus perturbaretur, ut ampliùs dictum fuit *in Proœmio, n. 41. & 42.* ac præſertim *n. 183. & ſeqq.*

Ex his ulteriùs ſequitur alia differentia, dum 52
hæ duæ Poteſtates proprijs officijs, ac dignitatibus diſcretæ eſſe reperiuntur: quamvis Eccleſiaſtica ob excellentiam objecti, & finis ſui, tantò præſtet Civili, quantò quæ ſunt ſpiritualia, præſtant corporalibus, *c. Solitæ. 6. §. Quod autem. de Majoritat. & obed.*

Quæritur II. Quomodo Papa poſſit ferre Le- 53
ges, ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticas? Reſp. Summus Pontifex, ſeu Papa, poteſtate ſibi immediatè à Deo conceſſâ, poteſt in materia ſpirituali, & concernente animarum ſalutem, rectámque Eccleſiæ gubernationem, facere Conſtitutiones Eccleſiaſticas pro toto Orbe Chriſtiano. Ita omnes Catholici. Idque patet ex eo; quia Summo, ſive Romano Pontifici, tanquam ſuo in terris Vicario, commiſit Chriſtus Dominus in B. Petro Apoſtolo omnium Ovium ſuarum curam, dicens ei: *Paſce Oves meas*, Joan. 21. *Non diſtinguens inter has Oves, & alias: ut alienum à ſuo demonſtraret Ovili, qui Petrum, & Succeſſores ipſius, Magiſtros non recognoſceret, & Paſtores;* prout argumentatur Innocentius III. ſcribens Conſtantinopolitano Imperatori: ac refertur *in d. c. Solitæ, 6. de Majoritat. & obed.* Item patet ex illo, quòd Chriſtus dixit ad Petrum, & in Petro ad legitimos Succeſſores ipſius: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis &c.* Matth. cap. 16. *Nihil excipiens, qui dixit, quodcunque*, prout ibidem notavit Pontifex: ut proinde nec cenſeatur excepta Poteſtas legislativa, quâ Oves ſibi cōmiſſas Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, ad ſpiritualem earum ſalutem providè factis, ligare valeat.

Ex allegatis textibus inſuper patet, quòd hu- 54
jusmodi ſpiritualis Poteſtas Summo Pontifici competat non ex hominibus (prout fusè contra Hæreticos oſtendit Bellarminus *lib. 2. de Romano Pontifice. c. 17. ac ſeq.*) ſed immediatè à Deo, utpote quam ipſemet Chriſtus Dominus, verus Deus & Homo, immediatè commiſit D. Petro, & in Petro ſuis legitimis Succeſſoribus Romanis Pontificibus, *d. c. Solitæ.* Idipſum, & adhuc clariùs expreſſum habetur *in Extravag.* Unam Sanctam. *circa finem de Majorit. & obed. inter communes,* ubi de Eccleſia, & Poteſtate Eccleſiaſtica, ſic legitur: *Eſt autem hæc authoritas (etſi data ſit homini, & exerceatur per hominem) non humana, ſed potiùs Divina, ore Divino Petro data, ſibiq; ſuisq; Succeſſoribus in ipſo, quem*

conſeſſus fuit petrâ firmata: dicente Domino ipſi Petro: quodcunque ligaveris &c. Concordat textus notabilis *in c. Quantò. 3. de Tranſlat. Epiſc.* ubi dicitur, quòd, ſi quid *Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris)* pro Eccleſiarum neceſſitate, vel utilitate conſtituit, *non humanâ, ſed Divinâ potiùs authoritate* conſtituat. Quod ipſum etiam profitetur Imperator, in Romano Pontifice agnoſcens *Cœleſte arbitrium*, L. 1. C. de ſumã Trinitate.

55 Unde non mirandum, quòd celebratâ ſemel canonicâ electione, præſtitòque in eam ſuo conſenſu, Romanus Pontifex abſque alia confirmatione, imò etiam ante ſuam conſecrationem, ſtatim habeat authoritatem regendi Eccleſiam univerſalem, & diſponendi circa facultates ac beneficia ipſius, *can. In nomine Domini. diſt. 23. & Extravag.* Quia nonnuli *de Sent. excommunicat. inter communes.* Quamvìs hoc ſecùs ſit in alijs inferioribus Prælatis, qui ante ſuam confirmationem non habent jus adminiſtrandi, *c. Noſti. 9. & c. qualiter. 17. de election. & c. Avaritiæ. 5. eod. in 6.* Ratio diſparitatis eſt clara: quia inferiores Prælati recognoſcunt Superiorem in terris, ſuamque Poteſtatem non immediatè accipiunt à Deo, ſed mediante Summo Pontifice, à quo vocantur in partem Sollicitudinis, non in plenitudinem Poteſtatis, *can. Qui ſe ſcit. 2. q. 6.* ac proinde meritò indigent Superioris confirmatione. Secùs dicendum in Papa, qui canonicè electus poſt præſtitum conſenſum omnem ſuam poteſtatem, ſive jurisdictionem recipit ab ipſomet Deo, neque in terris Superiorem recognoſcit, à quo confirmetur, licèt nihilominus inthronizationem, ſeu coronationem admittat.

56 Additur notanter in data *n. 53.* Concluſione, *in materia ſpirituali &c.* Nam hîc ſermo non eſt de Poteſtate illa temporali, quam Romanus Pontifex exercet in Ditionibus temporalibus, quas mero Jure humano, videlicet ex donatione Conſtantini Magni, quartâ die ſui Baptiſmi Beato Sylveſtro, ejuſque legitimis Succeſſoribus factâ obtinet, *can. Conſtantinus. diſt. 69. & c. Fundamenta. 17. §. Ne autem. de Elect. in 6.* quaſque Succeſſores Imperatores Romano Pontifici confirmârunt, *can. Ego Ludovicus. diſt. 63. & Clem. Romani. 1. §. Porrò de Jurejur.* Sed hîc ſermo eſt de Poteſtate Spirituali, quam Papa ex Chriſti commiſſione habet in omnes Fideles (veluti Oves Chriſti) in viam Salutis æternæ ritè deducendos: & de qua loquitur illa infallibilis promiſſio Æternæ Veritatis, Matth. 16. *Et tibi dabo claves Regni cœlorum*, nullâ factâ mentione de alijs clavibus Regni terrarum ſibi à Chriſto pariter collatis.

57 Fatendum nihilominus eſt, quòd Papa, utpote Chriſti in terris Vicarius, atque Ovium ſuarum Paſtor univerſalis, habeat indirectè (ſive ratione ſpiritualis poteſtatis, in ordine ad bonum regimen totius Eccleſiæ ipſi divinitùs conceſſæ) quandam ſupremam poteſtatem pro bono Statu Eccleſiæ, ſi id neceſſe fuerit, judicandi, & diſponendi de rebus temporalibus omnium Chriſtianorum. Ec hoc imprimis patet *ex c. Per venerabilem. §. Rationibus. Qui filij ſint legit.* ubi Pontifex non ſolùm *in Eccleſiæ patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerit poteſtatem) verùm etiam in alijs Regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem jurisdictionem caſualiter exercere*, pluribus Sacræ Scripturæ adductis teſtimonijs fuſiùs comprobatur. Ex quo textu liquet, quòd quidem Papa in terris alienis regulariter loquendo, ſive ordinariâ poteſtate ſuâ, non poſſit exercere jurisdictionem temporalem, cùm ipſi directè non ſint ſubjectæ, benè tamen *caſualiter*, ſive, ut loquuntur Doctores, *indirectè*.

Et hoc poſterius accidit tunc, quando agitur 58
de periculo animæ, ſive peccato mortali: ut *in c. Novit: 13. de Judicijs, & cap. ult. de Pactis*, cum ſimilibus. Aut quando factum eſt valdè arduum, difficile, & ambiguum, atque idcircò ad Papam veluti ſupremum in terris Judicem, provocatur; ut contingit *d. c. Per venerabilem. & Clem. Paſtoralis. 2. de Sent. & re judic.* Vel quando illud exigit bonum Eccleſiæ gubernium, & ſalus animarum; ut patet *ex can. Alius. 15. q. 6.* ubi Romanus Pontifex Regem Francorum urgentibus cauſis graviſſimis depoſuit à Regno, Subditóſque à juramento Fidelitatis abſolvit. Quod idem legitur factum *in c. Ad Apoſtolicæ. de Sent. & re judic. in 6.* ubi Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi Fridericum II. depoſuit ab Imperio. Tacentur plura ſimilia exempla, quæ refert Bellarminus *lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 8.* Et hac ratione cenſetur Papa habere indirectè ſupremam Poteſtatem in bona temporalia Chriſtianorum, quatenùs nimirùm hoc neceſſe eſt ad rectum exercitium Poteſtatis Spiritualis ipſi divinitùs conceſſæ, rectámque Eccleſiæ & commiſſarum Ovium gubernationem.

Alioquin autem conſtat, quòd Poteſtas ſpiri- 59
tualis, ſive Pontificalis, ſit diverſa à temporali, ſive Imperiali, & Regali, *can. Duo ſunt. diſt. 96. & cit. c. Solitæ. 6. de Majorit. & obed. ac Extravag.* Unam Sanctam. *eod. inter communes.* Et quòd ſpiritualis, ſeu Pontificia Poteſtas, licèt ſit excellentior, *per Jura citata*, nolit præjudicare temporali; ſeu Regali, *d. c. Per venerabilem. §. Rationibus. Qui Filij ſint legit.* ibi: *Non quòd alieno juri præjudicare velimus.* Quin potiùs utraque Poteſtas ſeſe mutuò juvare debeat, *can. Principes, cum ſeq. 23. q. 5.* Ex quo ulteriùs ſequitur, quòd quando materia Legis eſt profana, & merè temporalis, nullũ involvens periculum animarum, non poſſit Lex Pontificia abrogare Legem Imperialem; ſed tunc utraque in ſuo Foro ſervanda ſit, illa videlicet in Foro Eccleſiaſtico, ac terris Summo Pontifici quoad jurisdictionem temporalem plenè ſubjectis, iſta verò in Foro Civili, prout ampliùs dictum eſt *in Prœmio, n. 217. & 218. & ſeqq.*

Quæritur III. Utrùm Concilia poſſint condere Conſtitutiones vim Legis habentes? Ubi præ- 60
mittendum eſt, quòd *Concilium*, quod Græci *Synodum*

dum appellant, generatim ſit Cœtus Conſiliariorum ad reſolvendas Reipublicæ Controverſias legitimè in unum congregatorum. Concilij enim nomen tractum eſt ex more Romanorum: nam tempore, quo cauſæ agebantur, conveniebant omnes in unum, communique conſenſu tractabant; prout ampliùs hujus nominis ethymon explicatur *can.* 1. *§. Synodus. diſt.* 15. In propoſito autem Concilium ſumitur pro cœtu, ſeu conventu Sacerdotum, maximè Epiſcoporum, pro reſolvendis rebus Fidei, ſeu alijs gravioribus Eccleſiæ negotijs, à legitimo Superiore in unum congregatorum. Et quidem

51 Concilium taliter acceptum eſt triplex, videlicet, Generale, Provinciale, & Epiſcopale, quod ſpecialiori vocabulo communiter *Synodus Diœceſana* appellatur. *Concilium Generale* (quod & *Oecumenicum* appellatur) eſt illud, ad quod convocantur omnes Epiſcopi totius Orbis, ut ſinguli competenter conveniant, niſi canonico impedimento fuerint præpediti, *can. Placuit. diſt.* 18. *& c. Ego N.* 4. *de Jurejur.* Et tale Concilium Generale (quod non niſi graviſſimis de cauſis convocari ſolet, ac poſt Sacrum Concilium Tridentinum ampliùs congregatum non eſt) absque authoritate Romani Pontificis celebrari non poteſt, *can. Regula. & can. Multis, diſt.* 17. cum ſimilibus. Et ſi ſecùs fiat, illud non rectè *Concilium*, ſed *Conventiculum*, ſeu *Conciliabulum* appellatur, omnique caret robore, *d. can. Multis diſt.* 17. Porrò *Concilium Provinciale* eſt illud, quod congregatur ex Suffraganeis certæ Provinciæ, authoritate Metropolitani ad definiendas cauſas ſpirituales illius Provinciæ, quæ non ſunt ex majoribus, ſummoq; Pontifici reſervatis. Huc addi poteſt *Concilium Nationale*, in quo videlicet omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi certæ Nationis, ſub uno Primate, vel Patriarchâ conveniunt. Tandem *Concilium Epiſcopale* (aliàs *Synodus Diœceſana* appellatur) eſt illud, quod ob memoratum finē congregatur authoritate Epiſcopi Diœceſani. His ſuppoſitis

52 Reſp. I. Concilium Generale legitimè congregatum poteſt facere Conſtitutiones obligantes totam Eccleſiam, dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis, hujuſque authoritas illæſa permaneat. Ita certa, & communis Catholicorum. Idque patet ex recepta praxi Eccleſiæ, dum non ſolùm noviſſimè in Concilio Tridentino præter Canones Fidei plura Decreta circa Reformationem morum condita fuerunt; ſed idipſum etiam practicatum fuit in prima Nicæna Synodo, ſub S. Sylveſtro Papâ celebrata, & alijs ſucceſſivè Concilijs Generalibus, dum in ipſis non ſolùm vera Fides Catholica contra inſurgentes hæreſes explicata fuit, ſed etiam plures regulæ, ſive Canones, pro felici gubernio Eccleſiæ emanârunt. Accedit ratio: quia Summus Pontifex, authoritate divinitùs acceptâ, poteſt extra Concilium novas Conſtitutiones totam Eccleſiam obligantes facere; ergò etiam in Concilio. Idque eò majori cum fructu, melioríque ſucceſſu, quòd Eccleſia poſtmodùm promptiùs idipſum acceptet, atque in opus deducat, quod anteà in ſuis Capitibus legitimè congregata, concordi judicio faciendum decrevit.

63 Additur notanter primò, *dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis.* Idque ob textum clarum in *c. Significâſti.* 4. *de Elect.* ibi: *Cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur exceperint; & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Idem patet ex *c. Regula. & ſeqq. diſt.* 17. Unde non ſufficit, quòd Concilium Generale fuerit congregatum authoritate Summi Pontificis: nonnulla enim talia poſtmodùm in quosdam errores inciderunt, ac reprobata ſunt: ut patet in Concilio Epheſino II. per Leonem I. indicto, nec tamen confirmato, eò, quòd admiſerit errores Dioſcori, & Euthychetis: tum Baſileenſi ſub Eugenio IV. congregato, ac ex parte reprobato, ut taceantur plura alia Concilia Generalia reprobata, quæ recenſet Bellarminus *lib.* 1. *de Concilijs, cap.* 6. & 7. Sed, ut Acta Concilij Generalis robur ſuum obtineant, requiritur inſuper confirmatio Romani Pontificis; quam proinde omnia Concilia, abſente Papâ, & præſidentibus ejus Legatis celebrata, petere, & Pontifices dare conſueverunt, ac noviſſimè Patres Concilij Tridentini *Seſſ.* 25. *in fine*, per Legatos petendam cenſuerunt, atque obtinuerunt. Navarrus *Conſil.* 1. *de Conſtit. num.* 4. Suarez *lib.* 4. *de Legibus. cap.* 6. *n.* 2. & alij.

64 Nec dicas. Hoc ipſo, quòd Pontifex convocet Concilium Generale, cenſetur eidem facultatem concedere, novas Leges ſtatuendi: nam aliàs fruſtrà congregaretur Concilium. *Reſp.* enim, negando aſſumptum. Nam Pontifex adhibet Patres Concilij tanquam ſuos Conſiliarios, quorum videlicet conſilio utitur ad res Fidei definiendas, legéſque pro bono ſtatu Eccleſiæ condendas; ſimulque tanquam Judices univerſalis Eccleſiæ, quatenùs ſententiam ſuper rebus Fidei, ac morum dare poſſunt: non tamen hi ſunt Judices ſupremi, ſed dependentes à Summo Pontifice veluti Chriſti in terris Vicario, ejuſque approbatione. Neque his obſtare dignoſcitur, quòd jam ante confirmationem Papæ Concilium Generale ſoleat uti hujusmodi verbis: *Præcipit Sancta Synodus: mandat: ſit anathema &c.* Nam talia præcipit, ſeu definit Concilium, quantùm eſt in ſe, & dummodò à Pontifice approbetur; non verò abſolutè.

65 Neque hinc ſequitur, fruſtrà convocari Concilium Generale. Nam, quamvis ſolus Pontifex poſſit toti Eccleſiæ leges præſcribere, ac per has irrepentibus in Eccleſiam abuſibus præcavere: nihilominus longè ſuaviùs res agitur, dum concordante, ad hoc ipsū ſtatuente Concilio Generali, ejusmodi leges pro univerſali Eccleſia præſcribuntur: quia naturaliter cuilibet ſuū videre placet, ſicq; faciliùs acceptantur, & promptiùs opere complentur illæ leges, quas tota Eccleſia in ſuis Capitibus congregata cōmuni conſenſu ſtatuit, & obſervandas decrevit, ut jam dictum. Tacentur aliæ Conciliorū Generalium utilitates, de quibus fuſè Bellarminus *lib.* 1. *de Concilijs. cap.* 9. & 10.

66 Additur ulteriùs, *hujusq;*, ſive Romani Pontificis *authoritas illæſa permaneat.* Quia Concilium Generale non eſt ſupra Papam, ut eum ligare, ſeu novis ſuis conſtitutionibus certas eidem leges præſcribere valeat, *d. c. Significâſti. 4. de Elect.* ibi: *Et in eorum* (Conciliorum) *Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Idipſum primis jam Eccleſiæ naſcentis temporibus inter alia agnovit Sinueſſanum Concilium plurimorum Epiſcoporum, non audientium S. Marcellinum Papam, ob adhibitum inanium Deorum ſimulacris thus pœnitentiam agentem, ac ſcelus ſuũ palàm confitentem damnare, ſed unâ voce clamantium: *Tuo te ore, non noſtro judicio, judica: nam prima Sedes à nemine judicatur.* Concordant antiquiſſimi Canones, ut *can. Nemo. & can. Aliorum. & can. Cuncta per mundum. 9. q. 3.* relati, cum ſimilibus, ubi pariter dicitur, quòd prima Sedes, videlicet Papa, à nemine judicetur, ne quidem ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Populo, ſed Dei duntaxat reſervetur arbitrio. Unde Concilium Tridentinum, *Seſſ. 25. cap. 21. de Reformat.* providè, ac expreſsè declaravit, *omnia & ſingula, ſub quibuscunque clauſulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina - - - in hoc ſacro Concilio ſtatuta ſunt, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.*

67 Reſp. II. Concilia particularia, ſive Provincialia, aut Nationalia, ſive Diœceſana poſſunt equidem facere novas Conſtitutiones vim legis habentes; nihilominùs hæ ſolùm obligant proprios Subditos, intra limites ſui territorij exiſtentes. Ita communis; & patet *ex can. Quod dicitis. diſt. 16. & can. Si quis Epiſcopus per manus. diſt. 92.* ubi approbantur Canones editi in Concilio Provinciali. Item *ex can. ult. diſt. 16. & c. Sicut olim 25. de Accuſat.* ubi quotannis Provincialia Concilia, & Synodus Diœceſanæ celebrari mandantur. Idem conſtat ex recepta praxi Eccleſiæ, ac pluribus talibus Concilijs hactenùs celebratis, propriásque Conſtitutiones facientibus, quarum multæ referuntur in Decreto Gratiani.

Quòd autem hujusmodi leges non obligent 68
extra proprium Territorium, patet *ex cap. ult. h. t. in 6.* allegatâ hujus dicti ratione illâ generali, *Cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* Nec obſtat, quòd quædam Concilia particularia poſtmodùm inſerta fuerint Decreto Gratiani, aut etiam approbata à Summis Pontificibus, ut *in can. De libellis. diſt. 20.* Reſp. enim, licèt Decreta illa Conciliorum particularium, quæ ſucceſſu temporis fuerunt approbata à SS. Pontificibus, obtineant vim legis univerſalis: non tamen hanc vim obtinuerunt ex ſua primæva origine, ſeu quatenus à talibus Concilijs promanârunt; neque ex eo, quòd fuerint inſerta Decreto Gratiani (nam hic utpote privatus Author, non potuit eisdem tribuere authoritatem legis Eccleſiaſticæ, obligantis totam Eccleſiam) ſed ex approbatione Pontificia: quia, ut habet illud receptum, Legis-Latoribus conveniens, *Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur.* Gloſſa *in cap. ult. ꝟ. Expreſſi de Procurat.* juncto textu *in L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucleand.* Adde dicta in Prooemio *num. 76.*

§. IV.

De Poteſtate Legislativa Epiſcoporum, Capitulorum, & aliorum.

SUMMARIUM.

69. *Epiſcopi poſſunt Statuta facere, etiam extra Synodum; & qualia, quósque obligantia?*

70. *Statuta eorum an ſint perpetua, vel expirent morte conditoris?*

71. *Poteſtas condendi Statuta competit etiam Epiſcopo confirmato, licèt noudum ſit conſecratus.*

72. *Poteſt ea regulariter ferre ſine conſenſu Capituli.*

73. *Fallit hoc in certis caſibus; & quibus?*

74. *Archiepiſcopi extra Concilium non poſſunt facere novas Conſtitutiones totam Provinciam obligantes.*

75. *Nec poſſunt quidquam ſtatuere contra Sacros Canones, etiam cum Concilio Provinciali.*
Solvuntur Objectiones. Num. 77. & ſeqq.

76. *Poteſt inferior legem Superioris adjuvare per pœnæ adjectionem.*

77. & 78. *Epiſcopus an poſſit in ſua Diœceſi, quod poteſt Papa in Mundo?*

79. *Poteſtas tam Papalis, quàm Epiſcopalis, eſt à Deo; & quomodo?*

80. *Epiſcopi ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum.*

81. *Principes S. R. I. poſſunt condere Leges municipales contra Jus commune Civile: non verò Epiſcopi contra Jus Canonicum.*

82. & 83. *Aſſertur ratio diſparitatis. Alia objectio ſolvitur. Remiſſivè. Ibid.*

84. *Capitulum Cathedrale vivente Epiſcopo nequit facere Statuta obligantia Diœceſin.*
Neque circa ea, quæ tangunt communem ſtatum Epiſcopatûs, ejusq; jura &c. absque conſenſu Epiſcopi. Ibid.

85. *Nec poteſt facere talia Statuta, quêis Papa derogare nequeat; aut quæ ſunt Juri communi contraria.*

86. *Atque hoc poſterius exemplificatur in pluribus.*

87. *Poteſt tamen Capitulum condere Statuta de his, quæ tangunt ſua negotia, vel proprios Capitulares.*

88. *Ad*

88. Ad horum tamen valorem requiruntur quatuor conditiones; & quæ?
89. Capitulum Cathedrale, Sede vacante, poteſt facere Statuta obligantia totam Diœceſin, etiam in tempus futuri Epiſcopi, donec revocentur.
90. Solvitur notabilis objectio.
91. Collegium Cardinalium, Sede Papali vacante, non poteſt concedere Leges: & cur ſecùs in Capitulo Cathedrali Sede vacante?
92. Poteſt etiam hoc tollere leges ab Anteceſſoribus latas.
93. Solvitur inſtantia ex cap. 1. Ne Sede vacante &c. deſumpta.
94. Eccleſiæ Collegiatæ inferiores poſſunt etiam facere leges proprium ſtatum concernentes.
95. Sicut & aliæ Univerſitates, Collegia, & Societates.
96. Refertur contraria quorundam opinio.
97. Etiam Ordines Religioſi condunt Statuta ad Succeſſores tranſeuntia.
98. Pro toto Ordine Fratrum Minorum Statuta condit Capitulum Generale; & quid poſſit Congregatio Generalis intermedia?
99. Item Capitulum, & Congregatio Provincialis?
100. Regimen eſt triplex, Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. Et ſeqq.
Quis poſſit ſtatuere Leges in Regimine Democratico? Ibid.
101. In Ariſtocratico?
102. Et in Monarchico?
103. Poteſtas condendi Leges in Imperatore. Et n. 102.
104. In Regibus, & quibuſdam alijs.

89 QUæritur I. Quam poteſtatem faciendi novas Conſtitutiones, ſeu Statuta pro ſuis ſubditis, habeant Epiſcopi & Archiepiſcopi? Reſp. I. Loquendo de Epiſcopis, conveniunt Doctores, quòd ipſi pro ſpirituali bono animarum ſibi commiſſarum, poſſint quaſdam novas conſtitutiones, ſeu Statuta atque Edicta condere: hoc enim exigit Paſtorale officium ipſorum. Idque poſſunt non ſolùm in Synodo Diœceſana, *can. Annis ſingulis. diſt.* 18. *& can. 1. de Conſecr. diſt.* 3. cum ſimilibus: ſed etiam extra Synodum, *ut c. Si quis venerit. 2. de Majorit. & Obed. & c. Veſtra*, junctâ Gloſſâ *℣. Statuto. de Locato*, ubi tales Conſtitutiones ab Epiſcopis factæ reperiuntur. Atque idipſum procedit etiam de ſtatutis pœnalibus, & pœnam v. g. excommunicationis, ipſo jure in transgreſſores infligentibus; prout liquet ex *c. Ut animarum. de Conſtitut. in 6.*

Et quidem Statuto Epiſcopali ligantur omnes Diœceſani, etiam Laici, ac Regali quoque Dignitate fulgentes, in ijs quæ concernunt bonum ſpirituale, réſque Eccleſiaſticas; ut *cit. c. Si quis venerit. de Majorit. & obed. & c. Novit.* 13. *de Judicijs.* Franchis *in c. Ut animarum. ℣. Statuto. verſ. Secundò notum. de Conſtitut. in 6.* Ugolinus *de Poteſt. Epiſcop. cap.* 47. *§. 1. n.* 1. & alij. Nam ſtatutum Epiſcopi jus facit inter ſubditos. Gloſſa *in cit. c. Ut animarum. ℣. Statuto Epiſcopi.*

90 Quòd ſi petas, an Statuta Epiſcoporum ſint perpetua, ideò ut non expirent morte Conditoris? Reſp. Certum eſſe, quòd facta in Synodo Diœceſana durent perpetuò, niſi revocentur, juxta Doctores proximè citandos, & alios communiter. Si autem facta fuerint extra Synodum, eadem expirare morte ipſius Epiſcopi, volunt non pauci Canoniſtæ; ut Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 93. *n.* 23. Aſſerens, ita pro certa ſupponi à Rota *Decis. 79. n. 6. part. 1. Recent.* Zerola *part.* 1. *Praxis. Epiſcop. ℣. Edicta.* §. *Ad tertium.* Sperellus *Decis.* 14. *Fori Eccleſiaſt. num.* 21. *&* 22. citans alios, atque inde poſt Riccium *Decis. 149. n. 2. part. 1.* inferens, quòd caſus ab Epiſcopo reſervati, per ejus obitum expirent, niſi in Synodo facta fuerit reſervatio: atque ideò Vicarij Capitulares ſoleant ſtatim defuncti Epiſcopi Edicta, caſuſque reſervatos renovare; prout ſeſe olim practicâſſe, teſtatur idem Sperellus. Verùm, quia hujus ſententiæ Authores conſuetudinem duntaxat, nullum autem textum Juris (quantùm videre licuit) pro ſe allegant, videntur ſolùm loqui de Edictis, ſeu Mandatis Epiſcoporum, abſque conſenſu, vel conſilio Capituli generaliter latis; aut juxta receptas conſuetudines particularium Diœceſium, fortè quotannis Synodos Diœceſanas ad præſcriptum Juris exactè celebrantium, ubi proin non ſubeſt neceſſitas condendi Statuta nova extra Synodum: non autem de poteſtate condendi Statuta, Epiſcopis Jure communi competente extra Synodum, ſaltem prævio conſenſu, vel conſilio ſui Capituli, in arduis negotijs cæteroquin requiſito, juxta *c. Novit.* 4. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.* Unde de hac loquendo, oppoſitam ſententiam, ſeu quòd Statutum Epiſcopi duret in perpetuum, niſi per ſucceſſorem revocetur, tenet Federicus de Senis *Conſil. 16. circa init.* in terminis hoc docens: quia (inquit) de natura Statuti eſt, quòd ſit perpetuum; *cap. ult. de Offic. Legati.* & quòd futura reſpiciat, *c. Cognoſcentes. 2. & cap. ult. de Conſtit.* Eadem ſententia probatur ex *cit. cap. ult. de Legat.* ubi Statuta Legati dicuntur durare in perpetuum junctâ Gloſſâ, *℣. Statuta*, hoc ipſum intelligente de Statutis Epiſcoporum pro ſua Diœceſi. Idipſum confirmat Baldus Peruſinus *Tom. 2. Tractatuum, tract. de Statutis. §. Epiſcopus. n.* 2. ubi ait, Epiſcopos poſſe facere Statuta: non enim debent comparari Magiſtratibus municipalibus, ſed Præſidibus Provinciarum; quia habent merum, & miſtum imperium. Accedit Jaſon *in l. Stipulationum aliæ. 5. ff. de Verb. obligat.* ubi *num.* 3. *&* 4. poſt Bartolum inquit, quòd Conſtitutio Epiſcopi ſit Jus Prætorium: & quòd Statuta Epiſcoporum ſint perpetua. Quinimò Abbas, Felinus, aliique plures Doctores, infrà *num.* 89. citandi, hujuſmodi poteſtatem condendi Statuta, in tempus futuri Epiſcopi duratura, donec revocentur, etiam con-

concedunt Capitulo Sede vacante: quantò magis igitur iſtud erit condendum Epiſcopo, etiam extra Synodum Diœceſanam? utpote, qui in ſua Diœceſi eſt Princeps, *can. Miramur. §. Principatus. diſt. 61. & can. Principatus. 1. q. 1.* Et cui ſpecialiter, atque independenter à Synodo, Summus Pontifex hanc poteſtatem contulit, vocando ipſum in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, *can. Decreto, 2. q. 6.* juncto *c. Si quis venerit. 2. de Majorit. & Obed.* cum ſimilibus. Hinc noviſſimè Nic. Rodriquez Fermoſinus, Auſturicenſis Epiſcopus, *de Poteſtate Capituli, tract. 2. quæſt. 4. n. 1. & 3.* apertè diſtinguit inter Edicta, ſeu Mandata generalia, quæ valet Epiſcopus ſine conſilio, aut conſenſu Capituli facere (qualia in ejus morte expirant, juxta dicta ſuperiùs *ſ. 2. n. 45.*) & inter Statuta, in quibus condendis tenetur Epiſcopus conſilium Capituli adhibere: quæ proin utique erunt majoris roboris. Et Caſtro Palao *part. 1. Moralium, tract. 3. diſp. 1. punct. 23. num. 4.* haud immeritò dixit, certum eſſe, Epiſcopos in ſuo Epiſcopatu leges ferre poſſe, ut communiter (inquit) tradunt Doctores, Lex autem durat poſt mortem Conditoris, atque per hoc inter alia differt à ſimplici Præcepto, ut dictum ſuprà *cit. n. 45.*

71 Reſp. II. Prædicta poteſtas condendi leges, ſeu Statuta pro ſpirituali bono Diœceſanorum ſuorum, competit etiam Epiſcopo electo & confirmato, licèt nondum ſit conſecratus. Ita Caſtro Palao *cit. punct. 23. num. 7.* & communis. Siquidem poteſtas condendi Statuta, eſt poteſtas jurisdictionis, non Ordinis: ſicque ipſo jure competit Epiſcopo confirmato, *c. Si quis venerit. 2. de Majorit. & obed. & c. Ut animarum. de Conſtit. in 6.* cum ſimilibus.

72 Quinimò regulariter loquendo poteſt Epiſcopus ejusmodi Statuta, ſive leges ferre, etiam ſine conſenſu Capituli: ſufficit enim, quòd requiratur ejus conſilium, & tunc, ſi Capitulum ſine cauſa rationabili non vult conſentire, valet Statutum. Abbas *c. Cùm conſuetudinis, n. 5. de Conſuetud.* Archidiaconus *diſt. 18. in Summa. n. 2.* ac favet *textus in c. Novit. 4. & c. Quanto. 5. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.*

73 Additur, *regulariter loquendo.* Nam fallit hoc primò, quando Epiſcopus vult aliquid ſtatuere de rebus, quæ ſpectant ſimul ad Epiſcopum & Capitulum: quia tunc requiritur non tantùm conſilium, ſed etiam conſenſus Capituli. Abbas *loc. cit.* Ratio eſt: quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* juxta Reg. 29. Juris in 6. Simulq; *in re communi potior eſt conditio prohibentis.* Reg. 56. eod.

Fallit etiam idipſum in illis, quæ poſſunt cedere in præjudicium Capituli, ſive Cleri: ut ſi fiat nova Conſtitutio militans contra privilegium Capitulo à Superiore conceſſum, vel contra conſuetudinem legitimè præſcriptam. Tunc enim pariter requiritur conſenſus Capitularium, tanquam Collegarum, & conſtituentium unum corpus cum Epiſcopo, & quorum Jura ſpecialiter tanguntur; ſicque à fortiori urgent textus Juris proximè allegati. Pirhing *h. t. n. 4.* poſt Suarezium *lib. 4. de Legib. c. 5.* His poſſunt addi Conſtitutiones de rebus valdè arduis: nam ſuper his debet intervenire conſenſus Capituli, juxta ea, quæ notantur à Doctoribus in Tit. *De his quæ fiunt à Prælatis &c.*

Reſp. III. Archiepiſcopi poſſunt quidem facere novas Conſtitutiones obligantes in ſua particulari Diœceſi (ibi enim habent ſuam propriam Jurisdictionem, ſicque procedunt proximè dicta de alijs Epiſcopis) non tamen poſſunt condere leges obligantes totam Provinciam, niſi in Concilio Provinciali, & de conſenſu ſuorum Suffraganeorum, ſive Comprovincialium Epiſcoporum. Patet hoc totum ex *can. Nullus Primas. 9. quæſt. 3.* ibi: *Si quis Metropolitanus Epiſcopus (niſi quod ad ſuam ſolummodò propriam pertinet Parochiam ſine conſilio, & voluntate omnium Comprovincialium Epiſcoporum extrà aliquid agere tentaverit gradûs ſui periculo ſubjaceat; & quod egerit, irritum habeatur, & vacuum.* Concordat *c. Sicut olim. 25. de Accuſat.* ac tenet Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 5.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 17. n. 36.* Pirhing *h. t. n. 4.* & alij. 74

Reſp. IV. Non tamen poſſunt Archiepiſcopi, etiam in Provinciali Concilio, nec Epiſcopi pro ſuis Diœceſibus, multò minùs alij inferiores Prælati pro ſubditis quidpiã ſtatuere contra Jus commune Canonicum, aut alias Conſtitutiones Apoſtolicas. Ita unanimis Doctorum; & patet ex *can. Inferior. diſt. 21. & c. Cùm inferior. 16. de Majorit. & Obed.* & clariùs ex *Clem. Ne Romani. §. 1. de Elect.* ibi: *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*: Quinimò, ne per Epiſcopos, etiam in Synodo Diœceſana, aliquid ſtatuatur, quod Canonicis obviet Inſtitutis, expreſsè prohibitum legitur in *c. Quod ſuper his. 9. de Majorit. & obed. & can. Inſtitutionis. 25. q. 2.* 75

Reſp. V. Hoc tamen non obſtante poſſunt leges Superioris per Inferiorem adjuvari per pœnæ adjectionem, *arg. cap. ult. h. t. in 6.* ubi præceptum naturale, ac Divinum de non furando, adjuvatur Lege Diœceſanâ per adjectionem pœnæ excommunicationis; ac notat Gloſſa *in d. Clem. Ne Romani. ℣. Tolli.* & Imola *ibid. n. 28.* Abbas *in c. Licèt. n. 5. de Pœnis.* Menochius *lib. 2. de Arbitrarijs Judicum. Caſ. 398. n. 46.* Maranta *part. 6. ſpeculi Aure. tit. Et pervenitur aliquando per viam inquiſit. n. 112.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 47. n. 12.* citans plures alios. Ratio eſt: quia nullo Jure iſtud reperitur prohibitum: & longè aliud eſt, legem Superioris tollere; aliud verò, eam ut meliùs ſervetur, per pœnæ adjectionẽ adjuvare. Unde etiam Principes ſæculares poſſunt ponere leges punientes matrimonia clandeſtina, perjuria, uſuras, aliáq; hujusmodi crimina, haud obſtante, quòd talia Jure Naturali, vel Eccleſiaſtico, jam ſint prohibita. Siquidem ſtatuendo pœnas in transgreſſores, non tollunt priores leges, ſed eorum promovent obſervantiam: neq; cenſentur mittere falcem in meſſem alienam, ſed una Poteſtas adjuvat alteram, videlicet Civilis Eccle- 76

cleſiaſticam, juxta *can. Principes. & ſeqq.* 23. *q.* 5.

77 Ob. I. majoris claritatis gratiâ contra ſecundam Concluſionem. Poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, quod poteſt Papa in tota Eccleſia, exceptis duntaxat Papæ ſpecialiter reſervatis; ergo Epiſcopus non tantùm poteſt adjuvare Jus commune per pœnæ adjectionem, ſed etiam tollere, ponendo legem contrariam, ſaltem quando pro ſua Diœceſi ita expedire judicaverit. Antecedens eſt vulgatum axioma Doctorum, quos citat, & ſequitur Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 1. *n.* 6. & Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. diſp.* 61. *n.* 3. Probatúrque ex eo: quia Epiſcopus eſt Paſtor ordinarius in ſua Diœceſi, ſicut Papa in tota Eccleſia; & ſic reſpectu propriorum Subditorum poteſt Epiſcopus poteſtate ordinariâ, quidquid poteſt Papa, niſi quid probetur ſpecialiter eſſe reſervatum Papæ. Reſp. neg. conſeq. Nam poſſe tollere Jus commune, vel aliquid ei contrarium ſtatuere, eſt ſpecialiter reſervatum Summo Pontifici, per jura. *num.* 75. allegata.

78 Ad allegatum axioma dicitur, illud non procedere univerſaliter, ſed (ut rectè limitat poſterior pars ipſius) eſſe intelligendum cum dependentia, & ſubordinatione ad Papam, veluti Caput viſibile univerſalis Eccleſiæ, Chriſtique in terris Vicarium; & ſalvis Conſtitutionibus Apoſtolicis, alijsque cauſis majoribus, quæ Summo Pontifici ſpecialiter ſunt reſervatæ, de quibus mentionem facit Gloſſa in *c. Quod translationem.* ℣. *Reſervata. de Offic. Legat.* junctâ Gloſsâ *c. Sicut unire.* ℣. *Pertinere. de Exceſſib. Prælat.* Siquidem Eccleſia Romana, quæ prima eſt, & Diœceſes ſeu Epiſcopatus inferiores diviſit, *ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem Poteſtatis*; prout notatur in *can. Qui ſe ſcit.* 2. *q.* 6. *& can. Decreto. ead. Cauſ.* 2. *q.* 6. *& c. Ad honorem.* 4. *de Authorit. & uſu Pallij.*

79 Neque dictis obſtare dignoſcitur, quòd non ſolùm poteſtas Papalis, ſed etiam Epiſcopalis ſit à Deo, juxta illud Actor. cap. 20. *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Reſp. enim, hinc ſolummodò ſequi, quòd utraque poteſtas, tam Papalis videlicet, quàm Epiſcopalis, ſit à Deo, in quantùm utramque Chriſtus inſtituit in genere, ſicque utraque eſt ſpiritualis ac Divina, & neutra provenit à poteſtate merè humanâ, ſeu politicâ: non tamen utraque illa poteſtas eodem modo communicatur, & confertur particularibus ſubjectis, ſive perſonis. Nam poteſtas Papalis (ſermo eſt de poteſtate jurisdictionis, quia poteſtas Ordinis Epiſcopalis utrobique pariformiter ſtatim à Deo, ſimúlque irrevocabiliter confertur in collatione ſacri Ordinis Epiſcopatûs) datur immediatè à Deo homini illi, qui & quamprimùm in Papam canonicè eſt electus, ut dictum ſuprà *n.* 54. & 55. At verò poteſtas Epiſcopalis jurisdictionis non immediatè à Deo confertur huic perſonæ ſingulari, quæ in Epiſcopum particularis Eccleſiæ eſt electa, ſive nominata, ſed ſolùm mediatè, nimirùm mediante authoritate, inſtitutione, ac confirmatione Romani Pontificis, veluti Chriſti in terris Vicarij, atque Paſtoris univerſalis Eccleſiæ, per quem proinde Epiſcopi ſic conſtituti poteſtas limitari, coarctari, atque reſtringi poteſt, & pro bono ſtatu Eccleſiæ in plurimis limitata fuit.

Nec rurſus obſtat, quòd Epiſcopi ſucceſſerint in locum Apoſtolorum, *can. In novo. diſt.* 21. *& can. Quorum vices. diſt.* 68. ac docet Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. Apoſtoli autem poteſtatem ſuam acceperint à Chriſto. Nam quàvis Apoſtoli poteſtatem jurisdictionis immediatè acceperint à Chriſto, ut ex profeſſo docet, ac pluribus probat Bellarminus *lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.* 23. & ſuo loco ampliùs dicetur: non hinc inferre licebit, quòd etiam Epiſcopi, velut ipſorum Succeſſores, eandem immediatè recipiant à Chriſto: ſicut non ſequitur, primi homines immediatè à Deo ſunt creati; ergò etiam eorum ſucceſſores immediatè creantur à Deo. 80

Ob. II. Poſſunt Principes S. R. I. pro ſuis territorijs condere Statuta municipalia, vim legis habentia, contra Jus commune Civile, ſive leges Cæſareas; ergo etiam Epiſcopus pro ſua Diœceſi poterit facere nonnullas Conſtitutiones contra Jus Canonicum, idque ob paritatem rationis. Antecedens patet ex praxi Electorum, aliorúmque S. R. Imperij Principum. Reſp. negando conſ. nam, ut obſervat Layman in *c. Quæ in Eccleſiarum.* 7. *de Conſtitut. n.* 4. Principes Imperij habent à Cæſare Regalia, ejúsque benignitate ſummum Magiſtratum repræſentant; ac proinde juxta exigentiam locorum, aliarúmque circumſtantiarum, poſſunt condere Leges municipales pro ſuis territorijs etiam contra commune Jus Cæſareum: dummodò cæteroquin ſint licitæ, & neque Imperatori, neque alijs Principibus, ſeu Populis præjudicium afferant, ſimúlque ſalva maneant illa, quæ ſupremo Principi, ſive Imperatori, ſpecialiter reſervata eſſe ſolent. Quinimò hujusmodi poteſtas competit cuilibet Populo, ſive Univerſitati populum conſtituenti; prout tradit Fagnanus in *d. c. Quæ in Eccleſiarum. n.* 3. *& ſeqq. de Conſtitut.* id probans ex *l. Item eorum. ff. Quod cujusque univerſitatis &c. & l. Prohibere. §. Planè. ff. Quod vi aut clàm. & L.* 1. *C. de Emancipat. liberor.* Talis autem poteſtas ſtatuendi quidpiam contra Jus commune Canonicum nullibi reperitur conceſſa Epiſcopis, quin potiùs eisdem expreſsè prohibitum fuit per Jura *n.* 75. allegata. 81

Cur autem ejusmodi poteſtatem ſtatuendi quidpiam contra Jus commune, ſoleat concedere Imperator, non item Papa, rationem diſparitatis aſſignat Abbas Panormit. *cap. ult. n.* 9. *de Conſuetud.* & Engel *h. t. n.* 19. Quia videlicet majus intervenit periculum in concedendo poteſtatem, ſtatuendi quidpiam contra Jus Canonicum, quàm contra Jus Civile, legémque Imperatoriam: nam Jus Canonicum principaliter intendit hominem dirigere in Deum, ordinatúrque in finem Salutis æternæ: unde periculum 82

culum foret manifeſtum, ne inferiores, v. g. Epiſcopi, cum periculo animarum quandoque errarent, atque ſua præſumptione, aut inconſideratione, vel fraude diabolicâ circumventi, quidpiam ſtatuerent Fini ultimo, æternæque animarum ſaluti contrarium, ſi contra judicium Summi Pontificis, Chriſti in terris Vicarij, & Paſtoris Univerſalis, ſuo arbitrio leges condere permitterentur. Exemplum talis periculi habetur *cap. 1. & 2. de Reliquijs & venerat. Sanct.* & in pluribus Conſtitutionibus, & aliquot Concilijs, idcircò reprobatis.

83 Tale autem periculum non intervenit in Regimine Politico, & Civili, ex conceſſa inferioribus Magiſtratibus poteſtate ſtatuendi aliquid contra leges Imperatorias: quia Jus Civile principaliter, ac finaliter, tendit in Bonum publicū, & communem utilitatem Subditorum; ergò ſi inferiores Principes, & Magiſtratus, volunt tali favori renunciare, aut contrariam legem condendo, magìs arbitrantur fore proviſum communi utilitati ſuorum Subditorum, Imperator id non curabit. Adhuc enim ſalvatur finis principaliter intentus per Leges Imperiales: ſimúlque negari non poteſt, quòd genia & mores hominum, ac præſertim integrarum Nationum, ſint admodùm diverſi, & ipſamet temporum, locorum, aliarúmque circumſtantiarum varietas aliter, & aliter, quandoque provideri exigat, *can. 1. & ſeqq. diſt. 29.* Et ideò Imperator rationabiliter permiſit, quòd S. R. I. Principes, & Magiſtratus, qui naturam & mores particulariū Nationum meliùs nôrunt, poſſint convenientes ipſis leges condere, etiam contra Legem Imperatoriam: dummodò cæteroquin ſint honeſtæ, nec contra jura Imperatori reſervata. Quòd ſi exinde præjudicium quodpiam ipſis obveniat, ſibi imputent: quia favori ſuo, ſeu utilitati propriæ quoad temporalia, licitè poſſunt renunciare; non item quoad ſpiritualia animæ, ad quæ ordinantur Sacri Canones.

84 Cæterùm, quomodo prædictis non obſtantibu poſſit quandoque Epiſcopus diſpenſare in Lege Pontificia, declarabitur ex profeſſo inferiùs §. 18. *num.* 463. 466. *& ſeqq.* Et cur conſuetudo contra Sacros Canones poſſit induci per inferiores, non item Statutum (quod Abbas *cit. cap. ult. n. 8. de Conſuetud.* appellat *unum mirabile*) dicetur infrà *Tit. 4. de Conſuetudine*, §. 1. *num.* 11. & §. 5. *num.* 140.

Quæritur II. Utrùm Capitulum Cathedrale habeat poteſtatem ferendi quaſdam leges, ſeu Statuta? Reſp. I. Certum eſt, quòd Capitulum vivente Epiſcopo non poſſit facere leges, ſeu Statuta, quæ obligent extraneos, ſive totam Diœceſin: quia non habet jurisdictionem in Diœceſanos vivente Epiſcopo.

Inſuper conveniunt Doctores, ut Gloſſa in *c. Conſtitutionem. ℣. Statutum. de Verb. ſignif. in 6.* Barboſa *de Canonicis & Dignitatibus. cap. 42. n. 16.* Nic. Henriquez Fermoſinus *de Poteſtate Capituli, tract. 3. quæſt. 4. n. 1.* poſt Rotam *Deciſ. 11. apud Farinacium part. 2. Recent.* & alios, quòd circa ea, quæ tangunt communem ſtatum Eccleſiæ, ſive Epiſcopatûs, ejusque jura, vel alia negotia ardua, Capitulum non poſſit condere Statutum ſine conſenſu Epiſcopi. Idque patet ex *c. Cùm conſuetudinis. 9. de Conſuetud.* ubi ſub nullitate actûs prohibetur, ne absque conſenſu Epiſcopi Capitulum imutet Eccleſiæ ſuæ conſtitutiones, vel conſuetudines approbatas, aut novas inducat. Accedit ratio: quia Epiſcopus cum Capitulo Cathedrali conſtituit unum corpus, cujus caput eſt Epiſcopus & Canonici membra, *c. Novit. De his quæ fiunt à Prælat. ſine conſens. Capit.* Atqui non licet membra recedere à capite, *c. Cùm non liceat. 12. de Præſcription.* ergo nec facere ſtatutum circa communem Eccleſiæ, ſive Epiſcopatûs ſtatum, ejúsve jura, aut alias res graves absque conſenſu Epiſcopi.

Reſp. II. Certum ulteriùs eſt, quòd Capitulū 85
non poſſit condere Statuta, quæ obligent Summum Pontificem, quò minùs illis, ſi velit, derogare valeat, *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* cum ſimilibus: neque enim inferior poteſt ligare manus Superioris, præſertim ſupremi, ac Chriſti in terris Vicarij. Rurſus certum eſt, quòd nequeat Capitulū condere ſtatuta Juri cōmuni contraria; & ſi quæ talia ab eodem facta fuerint, eadem ob defectum jurisdictionis invalida ſint, ac nullius roboris, etiamſi acceſſerit conſenſus ſui Epiſcopi, niſi à Sūmo Pontifice fuerint confirmata. Barboſa *cap. 42. de Canonicis, num. 17.* poſt Oldradum *Conſil. 259. n. 6.* Federicum de Senis *Conſil. 17.* Fermoſinus *cit. quæſt. 4. n. 5. & 6.* allegans plures Deciſiones Rotæ. Et ratio eſt clara: quia inferior non poteſt tollere legem Superioris, *can. Inferior. diſt. 21. & Clem. Ne Romani. §. 1. de Election.* junctis concordantijs *n. 75.* jam allegatis. Idque declaratur inductione.

Sic Capitulum, etiam cum conſenſu Epiſcopi, nequit ſtatuere, quòd deſcendentes ex genere infecto, putà Judæorum, Maurorum, aut Hæreticorum, cæteroquin tamen digni, non admittantur ad Beneficia Eccleſiaſtica: nam hujusmodi Statutum eſt contra Jus commune, *c. Eam te. 7. de Reſcript.* ubi Pontifex cuipiā reſcribit, illis verbis: *Pro eo verò, quòd Judæus extiterit, ipſum dedignari nō debes* recipere in Canonicum. Barboſa *cit. cap. 42. de Canonicis, num. 18. & lib. 1. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 32. num. 18.* allegans Deciſionem Rotæ *in Cordubenſi dimidiæ portionis. 28. Junij. 1628. coram R. D. Merlino.* Fermoſinus *tract. 3. de Poteſtate Capituli, quæſt. 4. num. 6.* & alij ab his citati.

Similiter non valet Statutum Capituli, ut 86
non admittantur Canonici, niſi probatâ nobilitate: quia eſt contra *c. Venerabilis. 37. de Præbend.* allegatâ illâ ratione: *Non generis ſed virtutum nobilitas, vitæq; honeſtas gratum DEO faciunt dignúmque ſervitorem - - - Nec eſt acceptatio perſonarum apud DEUM, & vix ad culmina Dignitatum (nedum Præbendas) viri eminentis ſcientiæ valent reperiri.* Abbas *cit. c. Venerabilis. n. 4.* & Barboſa *ibid. n. 5. de Præbend.* allegans plures alios. Pirhing *eod. Tit. num. 111.* hinc *num. 113.* excipiens illas Eccleſias, in quibus ex primæva fundatione conditio Nobilitatis exigitur. Adde, vel niſi tale

Sta-

Statutũ à Sede Apoſtolica ſpecialiter fuerit confirmatum, prout in Concluſione jam limitatur.

Ulteriùs non valet Statutum, ut capiens poſſeſſionem Canonicatûs, aut Beneficij, teneatur aliquid ſolvere convertendum in commodum aliorum Canonicorum, Beneficiatorum &c. Hoc enim, tanquam ſimoniacum, reprobatur *can. Si quis præbendas.* 1. *q.* 3. *& c. Jacobus.* 44. *de Simonia*, ubi Abbas *num.* 2. Jo. Andreas *n.* 4. Felinus. & alij. Card. Tuſchus *Lit. S. Concl.* 352. *n.* 12. Garcias *part.* 8. *de Beneficijs, cap.* 1. *num.* 83. *&* 84. allegans Declarationem Sac. Congregationis in una Leodienſi, juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* Tacentur plures conſimiles caſus, de quibus dicetur commodiùs alibi, ac præſertim *Tit. De his quæ fiunt à majori parte Capituli.*

87 Reſp. III. Poteſt nihilominus Capitulum, etiam vivente Epiſcopo, condere aliqua Statuta de his, quæ tangunt particularia ipſius Capituli negotia, aut proprios Capitulares concernunt circa rectam ordinationem Eccleſiæ, ſive Capituli: ut putà, quòd certo modo quotidianas obventiones diſtribuant; quòd tali ordine, aut ad pulſum hujus vel illius campanæ, Canonici ad Chorum vel Capitulum vocentur; vel determinatis temporibus, etiam non vocati, in Capitulo compareant, & hujusmodi. Talia, inquam, Statuta ex cauſis rationabilibus poteſt Capitulum facere, & concurrentibus cæteris conditionibus requiſitis ſunt valida, absque alio expreſſo conſenſu Epiſcopi. Ita Gloſſa *in c. Conſtitutionem.* ℣. *Statutum. de Verb. ſignif. in* 6. Abbas *c. Cùm omnes. n.* 4. & Felinus *ibid. n.* 10. *de Conſtit.* Barboſa *de Canonicis cap.* 42. *n.* 16. poſt Rotam *in Illerden. Statuti.* 19. Maij. 1597. *coram R. P. D. Corduba*; *& in Paduana, Sedilium.* 26. *Januarij* 1618. *coram bon. mem. Card. Sacrato*, & alios communiter. Idq; deſumitur ex *c. Cùm acceſſiſſent.* 8. *h. t. & c. Significatum.* 11. *de Præbend.* ubi Capitulum reperitur quædam talia feciſſe Statuta, quæ non ſolùm haud rejecta fuerunt ex defectu poteſtatis ea ferendi, ſed etiam per Papam approbata. Accedit textus in *c. Ex Litteris.* 11. *h. t.* ubi iſtud ipſum admittitur in inferioribus Univerſitatibus: juncta *L.* 1. §. 2. *ff. Quod cujusque univerſit. nomin. & L. ult. C. de Jurisdict. omn. judic.*

88 Additur notanter, *& concurrentibus cæteris conditionibus requiſitis ſunt valida.* Quia, ut notat Barboſa *cit. c.* 42. *de Canonicis*, *n.* 18. & Fermoſinus *tract.* 3. *de Poteſtate Capituli. can.* 4. *n.* 17. quatuor potiſſimùm requiruntur conditiones, ut valeat conditum à Capitulo Statutum. I. Ut Capitulares conſentiant in tale Statutum, non quovis in loco, ſed in domo ſeu conclavi ad Capitula celebranda deputato, Canonicis non quomodocunque, vel ſingulariter, ſed per modum Communitatis aſtantibus. II. Quòd duæ ſaltem partes Capitularium adſint; ut *L.* 3. *&* 4. *ff. Quod cujusque univerſit. nom.* III. Ut omnes fuerint vocati: alioquin unus contemptus, ſeu non vocatus, cùm vocari debuiſſet, poſſet reclamare, actumque irritare, niſi ob bonum pacis poſteà conſentire voluerit, *arg. c. Bonæ memoriæ.* 36. *de Elect.* cum ſimilibus; ac notat Abbas *in cap.* 1. *num. fin. De his quæ fiunt à majori part.* Capit. IV. Ut major, & ſanior pars illorum, qui adſunt, Statuto conſentiat. Atque hujusmodi conditiones pariter requiruntur, quando Capitulares volunt Statutum à ſe conditum revocare. Barboſa *cap.* 38. *de Canonicis*, *n.* 16. poſt Rotam *in Hiſpalen. Mandati* 15. *Decemb.* 1625. *coram. R. D. Coccino.*

Reſp. IV. Loquendo tandem de Capitulo Sede vacante, poteſt illud facere quasdam Conſtitutiones obligantes totam Diœceſin, etiam in tempus futuri Epiſcopi, donec hic, vel ejus Succeſſor easdem revocaverit. Ita Federicus de Senis *Conſil.* 16. ubi hoc ad longum deducit, loquens de Statuto pertinente ad correctionem criminum, & reformationem morum, quod fecerat Capitulum Cathedrale Sede vacante. Idem tenet Abbas *c. Cùm olim. n.* 2. *ſ. Septimò dubitatur. de Majorit. & obed.* Felinus *in c. Cùm omnes. n.* 10. *h. t.* Fermoſinus *tract.* 1. *de Poteſtate Capituli, quæſt.* 17. *num.* 1. Fagnanus *in cit. c. Cùm olim. n.* 57. & Layman *ibid. n.* 6. *de Majorit. & obed.* & Caſtro Palao *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 23. *num.* 22. citans alios. Ratio eſt: quia Capitulum Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in his, quæ ſunt jurisdictionis, *c. Cùm olim.* 14. *de Majorit. & obed. & cap. un. eod. in* 6. cum concordantijs; ac tradit Gloſſa magna *in Clem. un. de Rerum permut.* Sed poteſtas condendi Leges, pertinet ad poteſtatem jurisdictionis, ergo. Accedit, quod Capitulum Sede vacante ſuccedat Epiſcopo in adminiſtratione temporalium, ſimúlque ſpiritualium rerum totius Diœceſis, *c. Si Epiſcopus.* 3. *de Supplend. neglig. Prælat. in* 6. cùm ſimilibus: ergo & in poteſtate ferendi Leges, ad correctionem criminum, ac morum reformationem deſervientes; cùm hoc concernat Adminiſtrationem Diœceſis in ſpiritualibus. 89

Nec obſtat, ſi dicatur: Capitulum ſuccedit in jurisdictione duntaxat ad tempus, & exercet jurisdictionem ejus ſolummodò in defectum; ergo ejus Statuta illicò evaneſcunt, atque obligare ceſſant ſubſtituto Epiſcopo: ne alioquin Capitulum videretur jurisdictionem exercere in tempus Succeſſoris. *Reſp.* enim neg. conſequent. cum ſua probatione: nam etiam Proconſul exercet jurisdictionem ſolummodò uſque in adventum Succeſſoris *l. Meminiſſe. ff. de Offic. Proconſul.* & tamen poteſt eſſe perpetuum, quod ab eo fit, *arg. L.* 1. §. *fin. ff. de Offic. Præfecti Urb.* & ampliùs probatur ex *cap. ult. de Offic. Legati.* Quia ex quo lex illa eſt legitimè facta, durat in perpetuum, *c. Factum legitimè. de Reg. Jur. in* 6. niſi per Succeſſorem (cujus manus Prædeceſſor ligare non poterat, cùm non habeat par in parem imperium, *c. Innotuit. de Elect.*) denuò revocetur. Neque urget probatio conſequentiæ: ſi enim quid probaret, pariter ſequeretur, quòd nec Statutum Epiſcopi, aut Legati, duret in tempus Succeſſoris, ne alioquin Prædeceſſor cenſeatur jurisdictionem exer- 90

exercere in ejus tempus. Sufficit quippe ad hoc incommodum evitandum, quòd Succeſſor, ſi voluerit, atque expedire judicaverit, poſſit denuò legem à Prædeceſſore ſuo latam revocare. Federicus de Senis *cit. Conſil. 16.*

91 Dices. Collegium Cardinalium Sede Papali vacante, nullam habet poteſtatem condendi leges; ergo multò minùs Capitulum Cathedrale vacante Sede. Antecedens patet ex *c. Ubi periculum. §. Idem quoque. de Elect. in 6. & Clem. Ne Romani. §. 1. eod.* ubi expreſsè cavetur, quòd Sede vacante Cœtus Cardinalium jurisdictionem Papalem non exerceat, nec aliud ſtatuere valeat, niſi quod pro electione Romani Pontificis, aut pro defenſione Eccleſiæ (ſi aliquid grande, & evidens periculum huic imineret) neceſſarium fuerit. Reſp. negando conſequentiã: nam illud eſt peculiare in caſu Sedis Papalis vacantis, ne forſan Romani Pontificis electionem diutiùs differri, vel prolongari contingeret, ſi Cœtus Cardinalium Sede vacante poſſet exercere jurisdictionem Papalẽ, prout liquet ex *cit. cap.* Secùs eſt Sede Epiſcopali vacante, ubi pro electione Succeſſoris jam eſt Jure definitum ſpatium triũ menſium, & quandoque diutiùs tardat confirmatio Apoſtolica, ut proinde pro reformatione morum, criminúmque invaleſcentium repreſſione, meritò poſſit eſſe locus novæ legi per Capitulum ſanciendæ.

92 Quòd ſi urgeas. Ergo pariter Capitulum Sede vacante poterit tollere leges ab Anteceſſoribus Epiſcopis jam latas, contra illud *cap. 1. Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Reſp. conced ſeq. præſertim rationabili, gravíque causâ talem legis revocationem ſuadente: ſiquidem hoc ipſum pertinet ad poteſtatem jurisdictionis, quæ Sede vacante transfertur in Capitulum. Et hoc ulteriùs confirmat Federicus *cit. Conſil. 16.* ex eo: quia ſpeciale eſt illud, quod ſtatutum habetur in *d. Clem. de Romani. Ne Elect.* de Collegio Cardinaliũ, ut Sede vacante non poſſit modificare, aut corrigere Conſtitutiones Pontificias, nec exercere jurisdictionem (demptis caſibus ibidem ſpecialiter expreſſis) ad Romanũ Pontificem pertinentem: ergo in alijs Eccleſijs eſt generale, quòd poſſit exercere jurisdictionem defuncti Epiſcopi; & conſequenter etiam leges jam conditas ſuadente communi Bono revocare.

93 Nec hoc repugnat *d. cap. 1. Ne Sede vacante &c.* Solùm enim ibidem ſtatuitur, ut Sede vacante non imutetur ſtatus ejus aliquid innovando in pertinentibus ad Eccleſiã, ſeu Dignitatẽ Epiſcopalem: non verò prohibetur Capitulum, quò minùs utatur jurisdictione ad ipſum devoluta in condendis legibus, vel jam conditis juxta rerum, temporúmq; exigentiã denuò revocandis.

94 Quæritur III. An Eccleſiæ Collegiatæ inferiores, aliæque Univerſitates, & Societates, poſſint facere leges proprium ſtatum concernentes? Reſp. Affirmativè; dummodò ejusmodi Conſtitutiones fiant in rebus levioris momenti, non autem in gravioribus, utpote in quibus etiam conſenſus Superioris requiritur. Et quidem de inferioribus Collegiatis Eccleſijs hoc tradunt Abbas *in c. Cùm omnes. n. 4. h. t.* junctâ Additione in *Litt. F.* hoc explicante de ijs Statutis, quæ non concernunt ſtatum Eccleſiæ, ſed modum vivendi: & Felinus *ibidem n. 11.* citans Innocentium, Imolam, alióſque concludentes, quòd in his, in quibus habent Eccleſiæ adminiſtrationem, poſſint inferiores Collegiatæ eodem modo ſtatuere, ſive quasdam Conſtitutiones facere, ſicut Capitulum Eccleſiæ Cathedralis; idque tum per Jura ſuperiùs allegata, tum ampliùs per ea, quæ proximè dicentur de alijs Univerſitatibus. Quamquàm, quia Epiſcopus eſt generalis Sponſus omnium Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, in ſtatuendis negotijs gravioribus requiratur etiam conſenſus Epiſcopi, utpote cujus providentiâ generaliter quævis ſubjecta Eccleſia eſt gubernanda, *can. Regenda. 10. q. 1.* Favet in ſimili *textus. L. ult. C. de Jurisdict. omn. judic.*

Altera pars, loquendo itidem de rebus levioribus, proprium cujusque Univerſitatis, Collegij, ſive Societatis ſtatum concernentibus, probatur ex *c. Ex litteris. 11. h. t.* ubi Univerſitas Magiſtrorum Artium Liberalium Pariſienſium, juramento interpoſito, quodpiam Statutum circa res Univerſitatis feciſſe legitur, quod tranſijt ad Succeſſores, atque à Papa pro valido agnitum fuit. Concordat *L. 1. §. 1. ff. Quod cujusque univerſitat. nom.* ubi illi, quibus permiſſum eſt habere corpus Collegij (hoc enim non paſſim omnibus habere conceditur) *ad exemplum Reipublicæ habere res communes* dicuntur: atqui Reſpublica ita res habet communes, ut pro bono earum, totiúsque Reipublicæ ſtatu, poſſit leges convenientes condere, *l. Omnes populi. ff. de Juſt. & jur.* ergo & illis hoc competit. Atque hoc ipſum probat recepta praxis, & conſuetudo, non ſolùm Eccleſiarum Collegiatarum, ſed etiam aliarum Communitatum, ſive Univerſitatum, quæ ſolent quasdam Ordinationes, ſeu Leges in perpetuũ duraturas facere pro bono ſtatu ſuo. 95

Fatendum tamen, non deeſſe Doctores, qui velint, dictis inferioribus Communitatibus non aliter adeſſe poteſtatem condendi leges ſtatum ſuum reſpicientes, niſi quatenus eisdem conceſſa eſt jurisdictio à ſupremo Principe, v. g. à Papa, vel dicta poteſtas ipſis quæſita fuit conſuetudine: alioquin autem (inquiunt) Ordinationes, ſeu Statuta à talibus Communitatibus facta tantùm valent ex vi juramenti, vel pacti, ſuper eorum obſervatione à ſingulis illius Communitatis membris præſtiti. Zoëſius *h. t. num. 28.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 23.* poſt Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 6. n. 19.* & Bonacinam *diſp. 1. q. 1. p. 2. num. 31.* Et quidem tale pactum, ſive promiſſio de obſervandis Statutis, vel etiam juramentum plerúmque ſolet intervenire, quale pariter in *d. c. Ex litteris. 11. h. t.* intervenerat: idq; vel ad majus robur ejusmodi Statutorum; vel etiam, ut ſi talibus Communitatibus reverà deficeret poteſtas Legislativa, nihilominus ordinationes illæ obligarent Subditos, ſive ad pœnam, ſi forent merè pœnales, 96

ſive

ſive etiam ad culpam, vi pacti, vel juramenti de illis obſervandis præſtiti.

97 Quæritur IV. An Ordines Religioſi poſſint condere Leges, & Statuta ad Succeſſores transeuntia? Reſp. Affirmativè; dummodò id fiat juxta receptas conſuetudines, privilegia, & præſcriptum Regulæ, aut particularium Conſtitutionum, quæ vigent in qualibet per Sedem Apoſtolicam approbata Religione. Ex quibus pariter colligendum erit, penes quos reſideat ejusmodi poteſtas condendi Statuta in perpetuum duratura: nam quoad hoc aliter, & aliter proviſum habetur in particularibus Religiobus, prout cujuslibet ſtatui, atque fini ſpeciali, magis in Domino viſum fuit.

98 Et quidem loquendo de Ordine noſtro Seraphico, ſive Fratrum Minorum, per totum Orbem terrarum quaquaverſum ampliſſime diffuſo, poteſtas condendi Statuta vim legis habentia, ac totum Ordinem in perpetuum obſtringentia, reſidet penes Capitulum Generale totius Ordinis; ac pro majori eorundem Statutorum firmitate, & authoritate, ſolet plerumque humiliter peti, & accedere confirmatio Apoſtolica. At verò Congregatio Generalis intermedia non poteſt Statuta pro toto Ordine condere: quinimò, cùm impoſterùm ad eam ſoli Patres Diffinitorij Generalis illius Familiæ, ex qua Commiſſarius Generalis eligendus eſt, convenire teneantur, atque ad evitandas graves & inutiles expenſas, aliaque incommoda, ad ipſam non ampliùs accedere debeant cæteri Patres Provinciales, & Cuſtodes dictæ Familiæ: prout noviſſimè in Capitulo Generali, Anno 1676. Romæ celebrato, ſalubriter ordinatum, ipſúmque Statutum ab Innocentio XI. per ſpeciale Breve, quod incipit, *Militantis Eccleſiæ Regimini*, datum die 22. Novembris 1679. confirmatum fuit: Hinc pariter ibidem expreſsè extitit declaratum, quòd quidem *in Congregatione præfato modo celebranda, lites per ſententiam dirimi, Declarationes dubiarum Conſtitutionum fieri, & Decreta per triennium ſubſequens duratura edi valeant*; *Leges autem, ſeu Statuta, aut Conſtitutiones in perpetuum duraturæ concedi non poterunt, nec antiquæ abrogari.*

99 Cæterùm poteſtas condendi Statuta vim legis habentia, ſed ſolam Provinciam propriam aſtringentia, reſidet penes Capitulum Provinciale; utpote ad quod, Præſidente Miniſtro Generali, aut ejusdem Commiſſario Viſitatore Generali, tota Provincia in ſuis Capitibus congregatur, ſicque obligationem novæ legis ultrò in ſe ſuſcipere valet. Verùm Congregatio Provincialis intermedia, ad quam duntaxat Patres de Ven. Diffinitorio conveniunt, poſſunt quidem facere quasdam Ordinationes novas ad bonum Regimen Provinciæ pertinentes, ſuóque tempore duraturas; non tamen Statuta vim legis obtinentia, & in perpetuum duratura, niſi poſtmodùm ultrò per Provinciam acceptentur, & legis inſtar cuſtodiantur: prout ſervatâ proportione liquet ex dictis de Congregatione Generali intermedia. Quòd ſi verò Superiores particulares extra Capitulum quidpiam ordinaverint, ſeu obſervari mandaverint, illud obtinet vim præcepti, non legis in perpetuum duraturæ.

Quæritur V. Penes quos ſit poteſtas condendi Leges Civiles? Reſp. Hîc eſſe diſtinguendum inter triplex Regimen, videlicet, Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. Et quidem in hoc poſtremo, ſeu in Democratia (id eſt, Principatu Populi, qualis olim erat apud Athenienſes, imò quondam apud Romanos) patet, quòd poteſtas faciendi Leges conſiſtat penes ipſummet Populum, §. *Lex eſt. Inſtit. de jure nat. gent. civ. & can. 1. diſt. 2.* 100

In Regimine Ariſtocratico (ſeu Ariſtocratia, hoc eſt, Optimatum Principatu, ubi videlicet Optimates Rempublicam tractant, prout hodie apud Venetos, & quondam fiebat etiam apud Romanos) ſic poteſtas ſtatuendi leges pro communi bono Reipublicæ reſidet penes prædictos Optimates: prout liquet *ex can. 3. diſt. 2. & §. Senatus Conſultum. Inſtit. eod.* ubi hac de cauſa Senatus-Conſulta prodijſſe referuntur. 101

Tandem in Regimine Monarchico (ſeu in Monarchia, quæ eſt unius Principatûs) poteſtas ferendi leges conſiſtit penes ipſummet Monarcham: ut eſt Imperator pro toto Imperio Romano, utpote in quem Lege Regiâ, quæ de Imperio ejus lata eſt, Populus omne ſuum imperium, & poteſtatem contulit: ac proinde, quod Imperator per Epiſtolam, vel alias à Populo fieri decrevit, vel Edicto præcepit, Legem eſſe, conſtat *ex L. 1. ff. de Conſtitut. Princip.* Nam, ut ibidem de tali Monarcha generaliter præmittitur, *quod Principi placuit, legis habet vigorem.* 102

Quâ de cauſâ Imperator *L. 1. §. Sed neque. C. de Vetere Jure enucleand.* dum Codicem per Trebonianum, & alios præclariſſimos viros denuò emandatum confirmat, eidémque robur Legis attribuit: rectè rationem hujus reddit generalem illis verbis: *Omnia enim meritò noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur authoritas.* Sive, ut Gloſſa *cap. ult. ℣. Expreſſi. de Procurat.* breviùs Principem loquentem refert: *Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur.* 103

Porrò, quæ de Imperatore reſpectu totius Imperij Romani dicta ſunt, procedunt pariter de Rege Monarcha pro ſuo Regno. Inſuper plures alij Principes, & Magiſtratus Sæculares, pro ſuis Subditis leges ferre poſſunt, juxta quod propria cujusque poteſtas, ac jurisdictio ſeſe extendit, de quo ſpecialia cujuslibet Principatûs, aut Magiſtratûs jura conſulantur, præterea, quæ ſuperiùs *n. 81.* de Sacri Romani Imperij Electoribus, & alijs à Cæſare Regalia habentibus, dicta jam fuerunt. 104

§. V.

De Promulgatione Legum, ſive Conſtitutionum.

SUMMARIUM.

105. *Ut Lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus promulgatio.*

106. *Sive hæc fiat per ſcripturam, ſive voce præconis. Remiſſivè.*

107. *Proponitur notabilis objectio, atque reſolvitur. Et n. ſeq.*

108. *Leges nominatim de præteritis caventes, quomodò obligent?*

109. *Regulæ Cancellariæ, licèt nondum publicatæ, quâ ratione obligent? Et n.* 107.

110. *Qualis promulgatio requiratur ad rationem Legis?*

111. *Leges Imperiales debent promulgari in cujuslibet Provinciæ Metropoli.*
Neque obligant, niſi poſt lapſum duorum menſium. Ibid.

112. *Fallit tum prius,*

113. *Tum poſterius in Statutis inferiorum Principum, vel Civitatum.*

114. *Aut quando in Lege aliud tempus eſt expreſſum.*

115. *Utrùm ſimiliter Conſtitutiones Papales obligent primùm poſt lapſum duorum Menſium? Ponitur Sententia affirmativa.*

116. *Sententia negativa eſt magìs recepta.*

117. *Quæſtio celebris, an Conſtitutio Pontificia Romæ promulgata obliget pro toto Mundo, abſq; alia publicatione in Provincijs, & Diœceſibus? Et n. ſeqq.*

118. *Referuntur Authores ſententiam affirmativam tenentes.*

119. & 120. *Eadem ſententia probatur Juribus,*

121. *Ac receptâ praxi Curiæ Comanæ.*

122. *Nec non ſolutione inſtantiæ ex Auth*: ut factæ novæ Conſtitutiones &c.

123. *Atque ſolutione incommodorum, quæ contra eam objici ſolent. Et ſeqq.*

124. *Nullitas actûs in contrarium geſti, inducta per Legem, an ſit pœna?*

125. *Allegantur Authores, oppoſitam Sententiam, ſive negativam tenentes.*

126. 127. & 128. *Eadem Sententia probatur rationibus, ac Juribus.*

129. *Nec non ſolutione Jurium in contrarium allegatorum. Et num. ſeqq.*

130. *Quin & retorſione* cap. 1. De Poſtulat. Prælat.

131. *Reſpondetur ad Stylum Curiæ Romanæ.*

132. *Reſolutio practica præſentis, & adeò controverſæ Quæſtionis.*

133. *Circa eam attendenda eſt praxis, & conſuetudo locorum.*

134. *Ratio cur multæ Bullæ Pontificiæ in varijs Regionibus non obligent.*

105 QUæritur I. An ſemper ad hoc, ut Lex obliget Subditos, ſit neceſſaria ejus promulgatio? Reſp. I. Ut lex obliget in conſcientia, & quoad culpam, vel quoad pœnam, certum eſt, requiri præviam ejus publicationem, ſeu promulgationem; ſive dein hæc fiat per ſcripturam in publico loco affixam, ſive voce præconis. Ita comunis, ac præſertim Doctor Subtilis *in 4. diſt. 3. quæſt. 4. §. Ad ſecundum*, ubi ex hoc infert, præceptum de recipiendo Baptiſmo in Lege Evangelica incæpiſſe obligare Jeroſolymis primùm in die Pentecoſtes, quando ibidem per Apoſtolos poſt receptum Spiritum Sanctum ſolemniter promulgatũ fuit, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia eorũ, qui receperunt Verbum Dei, & baptizati ſunt, *Actor. cap.* 2. Ratio eſt: quia Lex eſt comune præceptum. *L. 1. ff. de Legib.* ergo debet neceſſariò publicari, ut innoteſcat Communitati, ſicque ab omnibus obſervari poſſit, & econtrà tranſgreſſores ejus juxta demeritum puniri valeant. Hinc *can.* 3. *diſt.* 4. dicitur: *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Et alioquin ignorantia meritò excuſaret ſubditos ab obſervatione legis: *Cur enim* (inquit Imperator *in Auth. Ut factæ novæ conſtitutiones. §. Sancimus. Collat.* 5.) *culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint conſtitutiones?*

Additur in Concluſione, *ſive dein hæc promulgatio fiat per ſcripturam in publico loco, ſive voce Præconis.* Etenim ſcripturam non requiri ad ſubſtantiam legis, ac voce etiam Præconis ſufficienter Communitati denunciari poſſe, ſatìs convenit inter Doctores, eſtque dictum ſuprà *in Proœmio, num.* 159. 106

Objicies autem contra allatam, cæteroquin communem, & indubitatam Concluſionem, majoris claritatis gratiâ. Dantur leges aliquæ obligantes pro tempore, quo vel necdum conditæ, vel ſaltem nondum publicatæ fuerunt; ergo Concluſio allata non ſubſiſtit. Antecedens probatur ex *cap. ult. h. t.* ibi: *Cùm leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi; niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.* Quod ipſum habetur *L. 7. C. de Legib.* ubi dicitur, *leges non ad facta præterita revocari; niſi nominatim etiam de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum ſit.* Ergo, quando hoc cavetur in lege, obligant leges etiam pro præteritis factis, ſicque ante ſuam publicationem. Id ipſum confirmatur ex Conſtitutione 59. Sixti V. quæ incipit, *Cùm frequenter*, ubi damnavit conjugia per Evnuchos, & Spadones, non ſolùm contrahenda, ſed etiam defactò jam contracta, eáque nulla & invalida declaravit. 107

Acce-

Accedunt *Regulæ Cancellariæ* Apoſtolicæ, quas ſinguli Romani Pontifices à principio ſui Regiminis circa cauſas Beneficiales, & Judiciales facere ſolent, atque *etiam ex tunc, licèt nondum publicatas, & ſuo tempore duraturas, obſervari volunt*, prout ſonat Præfatio earundem Regularum Cancellariæ. Inſuper Declarationes Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum, quæ afferuntur in forma authentica, habent vim legis obligantis, quamvis non publicentur; & conſequenter lex nondũ publicata poteſt obligare.

108 Ad hanc ſatis notabilem Objectionem reſpondetur, neg. anteced. Ad cujus probationem dicitur, etiam illas Leges, in quibus nominatim cavetur de præteritis, non obligare in conſcientia, & quoad culpam, vel quoad pœnam (ut loquitur Concluſio) ante factam earundem promulgationem: *Ne detrimentum ante prohibitionem poſſint ignorantes incurrere, quod eos poſtmodùm dignum eſt, vetitos ſuſtinere*, prout loquitur, atque declarando propriam mentem argumentatur Pontifex in *c. Cognoſcentes*. 2. *h. t.* Nihilominus ejusmodi leges, de præteritis expreſsè caventes, non carent ſuo effectu, atque obligatione: nam partim obligant quoad nullitatem actûs in contrarium geſti, dum iſtum vel retractant ſeu caſſant, vel ipſo jure irritum eſſe declarant, ut tradit Gloſſa in *Clem.* 2. *℣. Ex tunc. de Hæreticis.* Abbas *in c. Cognoſcentes. n.* 7. *h. t.* & alij. Partim verò dictæ leges obligant in tantùm, quòd Judex circa negotia etiamnum pendentia (id eſt, nondum ſententialiter deciſa) teneatur tales leges de novo conditas obſervare, & conformiter ipſis in cauſa procedere, ſententiámque ferre; prout per quoscunque Judices fieri, ſeu judicari debere, mandavit Sixtus V. in citata Conſtitutione, *Cùm frequenter. §.* 3.

109 Ad Regulas Cancellariæ patet per idem: nam ante publicationem obligant ſolùm quoad nullitatem actûs in contrarium geſti, & ut ita Judices pronuncient; non quoad culpam, vel pœnam incurrendam. Lud. Engel *tit. de Præbend. n.* 19. & alij: quibus adde dicenda inferiùs *num.* 123. Quod attinet Declarationes Cardinalium, patet ex dictis in Procemio *n.* 129. 132. *& ſeqq.* cur obligent absque nova ipſarum promulgatione: quia videlicet ſolemnitas publicationis requiritur in Legis editione, non item in Legis declaratione, prout ibidem ampliùs oſtenſum fuit.

110 Quæritur II. Qualis requiratur promulgatio Legis, ſeu Conſtitutionis de novo edendæ? Reſp. I. Ad rationem Legis requiritur talis publicatio, quæ ſufficit, ut ea ad notitiam totius Communitatis deveniat: non tamen requiritur, ut ejus notitia ſingulorum auribus ſpecialiter inculcetur. Ita communis Doctorum; & deſumitur ex *can. Quod dicitis. diſt.* 16. *& can. Qui & Divinis.* 12. *q.* 2. atque clariùs habetur *cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat.* ubi Pontifex quoad propoſitum ſic loquitur: *Non eſt neceſſarium, cùm Conſtitutio ſolemniter editur, aut publicè promulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare; ſed id ſolum ſufficit, ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aut publicè promulgatam &c.* Hæc Pontifex. Accedit ratio: tum quia, ut legis promulgatio ſingulis ſpecialiter intimetur, regulariter eſt impoſſibile. Tum quia lex eſt commune præceptum, ac proinde ſufficit eam Communitati ſolemniter intimari: etenim poſt factam ſemel ſolemnem promulgationem, hæc ipſa ad ſingulorum notitiam facilè devenire poteſt; & quòd vel devenerit, vel quò minùs hoc factum ſit, per eos ſteterit, præſumptio eſt: adeò, quòd eis non facilè facultas credendi tribuatur; prout ſubjungit Pontifex *cit. cap.* 1. *§. Quod nec.* & concordat *c. Quoſdam.* 7. *& c. Quando.* 8. *de Præſumpt.* Niſi forſan probetur ignorantia rationabilis, ſeu invincibilis.

Reſp. II. Loquendo de Legibus Imperialibus, ſive à ſupremo Imperij Principe latis pro pluribus Provincijs, dicendum, eas non obligare, niſi poſtquàm fuerint promulgatæ in cujuslibet Provinciæ Metropoli, & inſuper duo menſes à die publicationis ſint elapſi. Ita Navarrus *Conſil.* 1. *de Conſtitut. n.* 17. *&* 19. & alij; atque habetur expreſſum in *Authen. Ut factæ novæ Conſtitutiones.* junctâ Gloſsâ *ibidem. ℣. Hujusmodi lex. Collat.* 5. quæ hoc ad omnes Imperatorum conſtitutiones, in quibus nihil habetur ſpeciale expreſſum, extendit; eò quòd Rubrica ibi generaliter loquatur: *Ut factæ novæ Conſtitutiones poſt inſinuationes earum, poſt duos menſes valeant.* Nam etiam Rubricas eſſe authenticas, ac rectè allegari, fuſiùs jam dictum eſt in Procemio, *n.* 92. *& ſeqq.* 111

Dicitur notanter, *loquendo de Legibus Imperialibus pro pluribus Provincijs latis.* Nam ſecùs eſt dicendum de Statutis inferiorum Principum, vel Civitatum, utpote quorum jurisdictio eſt anguſtior; & quia memorata *Auth. Ut factæ novæ Conſtitutiones &c.* ſolùm loquitur de Legibus Imperialibus pro pluribus Provincijs latis. Unde per ſe loquendo, & niſi aliud in ipſamet lege præſcribatur, aut de longa conſuetudine fuerit obſervatum, Statuta inferiorum Principum ſufficienter promulgantur unâ ſolâ ſolemni publicatione, factâ in Curia, aut præcipua Civitate. Quia enim aliud lege ſancitum non reperitur, non eſt iſtud temerè aſſerendum: *Erubeſcimus enim ſine lege loqui*, inquiunt Juris-Conſulti, *arg. Auth. de Triente & ſemiſſ. §. Conſideremus. Collat.* 3. *& l. Si verò. §. De viro. ff. Soluto matrim.* cum concordantijs. 112

Et ſimiliter, ſi in Conſtitutionibus inferiorum Legislatorum non habeatur aliud certum tempus expreſſum, factâ earum ſolemni promulgatione ſtatim obligant ſcientes; ignorantes autem, ſeu abſentes, poſt tempus arbitrarium, quo rationabiliter poteſt præſumi de ipſorum notitia, & quòd poſt tantum tempus non debuiſſent Conſtitutionem publicatam ignorare, *arg. cap.* 1. *§. Nec obſtaret. de Conceſſ. Præbend. in* 6. ac tenet Abbas Panormit. *in c. Cognoſcentes. n.* 7, *h. t.* Engel *eod. n.* 46. Suarez *lib.* 3. *de Legib. c.* 16. *n.* 7. Navarrus *d. Conſil.* 1. *de Conſtit. n.* 16. Caſtro Palao *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 11. *n.* 2. 113

n. 2. & alij. Siquidem in memorata *Auth. Ut factæ novæ Conſtitutiones &c.* solummodò fit mentio de legibus Imperialibus pro pluribus Provincijs latis: nullo autem Jure cavetur, ut vinculum legis ab inferiore Principe emanatæ, poſt factam ejus publicationem, & habitam notitiam, differatur usque ad lapſum duorum menſium; ac proinde iſtud non eſt aſſerendum, per Jura proximè allegata, juncto *can. Conſuluiſti.* 2. *q.* 4. ibi: *Quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſâ adinventione non eſt præſumendum.*

114 Intellige etiam hactenùs dicta, niſi aliud tempus in Lege exprimatur. Siquidem in *Auth. Ut in privatis domibus &c.* §. *Hæc enim. Collat.* 5. ſtatuitur tempus trium menſium. Et in *Auth. Ut neque Miles &c.* §. *Sint igitur. Collat.* 8. ponuntur triginta dies, computandi ab inſinuatione ſeu promulgatione dictarum Legum. Sed iſtud eſt ſpeciale in memoratis Legibus: illud verò, quod habetur in *Auth. Ut factæ novæ Conſtitutiones &c.* de duobus menſibus eſt generale in Legibus Imperatorijs, ut notat Gloſſa *ibidem.* ℣. *Hujusmodi lex.* Quòd ſi autem in Legibus inferiorum Principum exprimatur certum tempus, quo lex obligare incipiat, illud omnimodè erit obſervandum. Nec inutiliter quandoque poſt factam legis publicationem, datur dilatio certi temporis, quo obligare incipiat, ne alioquin aliqui ob publicationem priùs apud ipſos factam citiùs obligentur præ alijs, ſed omnes eodem tempore ligari incipiant; ſicque tollatur omnis confuſio, rixa, & querimonia Subditorum, quæ cæteroquin circa res præſertim externas, & temporales, non ſine jactura tranquilli Statûs Reipublicæ, facilè ſuboriri poſſet.

115 Reſp. III. Utrùm hoc ipſum procedat in Conſtitutionibus Pontificijs, quòd nimirum earum obligatio primùm incipiat poſt duos menſes, à die factæ publicationis computandos, variant Doctores. Et quidem Gloſſa *ad finem Regularum Juris in* 6. ℣. *Anno quarto.* citans Bernardum affirmat; eò quòd iſtud ſit Jure Civili expreſſum *d. Auth. Ut factæ novæ Conſtitutiones*, in Rubro, & Nigro: ergo cùm Jure Canonico contrarium expreſsè non ſit cautum, illi ſtabimus, *arg. cap.* 1. *&* 2. *de Novi oper. nunciat.* Et hanc Sententiam ſolo Jure ſcripto attento, veriorem arbitratur Navarrus *d. Conſ.* 1. *de Conſtitut. n.* 18. eámque tenet Hoſtienſis *in Summa. num.* 13. *h. t.* Quintilianus Mandoſius *in Repetit. in cap.* 2. *n.* 77. *&* 78. *de Conſtitut.* citans alios. Menochius *lib.* 2. *de Arbitrar. Judic. caſu* 185. *n.* 18. *&* 19. poſt Ant. de Butrio in *c. Cognoſcentes. n.* 16 *&* 17. & Decium *ibid. n.* 41. & Bellameram *ibid. n.* 1. *verſ. Aut lex. de Conſtitut.*

116 Oppoſita nihilominus Sententia eſt magis recepta, & à qua, veluti Communi, durum eſt recedere, ut loquitur Menochius *loc. cit. n.* 19. haud obſtante, quòd ipſemet ab ea recedat: eandemque meliorem, & rationabiliorem appellat Proſper Farinacius *part.* 1. *Fragmentorum Criminalium n.* 665. citans Imolam, Zabarellum, Alexandrum de Nevo, & alios; ac noviſſimè Pirhing *h. t. n.* 32. *& ſeqq.* & Caſtro Palao *cit. tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 12. *n.* 3. Atque hanc Sententiam Navarrus *d. n.* 18. ait, de conſuetudine, & ſtylo in Urbe ſervari; cùm transgredientes legem Papæ publicatam etiam ante duos menſes puniantur, non ſolùm, qui confitentur, vel probantur, ſciviſſe illius promulgationem, ſed etiam, qui non probant juſtam ejus ignorantiam; quia præſumuntur ſciviſſe: licèt hæc conſuetudo, & ſtylus, (ut idem loquitur) reſtringi forſan poſſet ad Forum duntaxat exterius, ipſóſque Urbicolas. Rationes utriusque partis, præter allegatam conſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres, *c. Cùm dilectus. de Conſuetud.* magis patebunt ex dicendis ſequenti Quæſito: hinc

Quæritur III. Utrùm Lex, ſive Conſtitutio Pontificia Romæ promulgata, illicò obliget pro toto Mundo, vel inſuper ejusdem publicatio in ſingulis Provincijs, & Diœceſibus fieri debeat? 117
Reſp. I. Celebris eſt hæc quæſtio, & à cujus deciſione pendent plurimæ quæſtiones practicæ; & quia magnus circa ipſam exiſtit conflictus tum rationum, tum authoritatum, in utramque partem militantium, expedit pro ejusdem reſolutione utriusque partis fundamenta præmittere.

Prima, & quidem communior Doctorum Sententia aſſerit, quòd Leges, ſive Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſimul ac Romæ in Curia, alijsque conſuetis locis ſolemniter promulgatæ fuerunt, quantùm ex ſe eſt, ubique terrarum vim obligandi habeant, neque opus ſit, in ſingulis Provincijs, ac Epiſcopatibus easdem publicari, niſi aliud in ipſis exprimatur. Ita Abbas Panormit. in *c. Noverit. n.* 3. *de Sentent. excommun.* ubi ait, quòd *Conſtitutio Papæ non eſt neceſſariò publicanda in qualibet Provincia, quia ſatis eſt, quòd publicetur in Curia Romana.* Atque idem docet Ant. Burgoſius in *Repetit. ad c. Cognoſcentes. n.* 207. *h. t.* & Quintilianus Mandoſius in *Repetit. ad cap.* 2. *h. t. n.* 79. dicens, hoc indifferenter ſervari, & per quinquaginta annos, & ultrà, ſe vidiſſe ſervari, ſive dicamus, id eſſe de Jure Canonico, ſive ex antiqua Romanæ Curiæ obſervantia, vel conſuetudine: & allegat pro hac ſententia Jo. Andream in *Data lib.* 6. Paul. de Eleazaris *in Prooemio Clem.* Card. Alexandrinum in *cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat.* ac ſequitur noviſſimè Card. de Luca, *tom.* 1. *part.* 1. *de Beneficijs, Diſcurſ.* 76. *n.* 7. allegans Rotam *Deciſ.* 355. *n.* 13. *&* 14. pluréſque alij, quos refert Farinacius *cit. part.* 1. *Fragment. Crimin. n.* 653. dicens, quòd hæc opinio ſit verior, magiſque communis, & canonizata in Rota: quinimò Caſtro Palao *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 12. *num.* 2. citans Suarez, Vasquez, Sylveſtrum, & alios, vocat hanc certam, & omninò tenendam ſententiam. 118

Ratio hujus Sententiæ cumprimis deſumitur ex *cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat.* ubi dicitur, quòd id ſolùm ſufficit, ut ad Conſtitutionis pontificiæ obſervantiam teneatur, *qui noverit eam ſolemniter editam, aut publicè promulgatam*: atqui hoc jam fit, ſi Bulla Pontificia Romæ ſolemniter promulgatur, 119

gatur, & de tali promulgatione cuipiam certò conſtet. Et quod plus eſt, per allegatam rationem Papa ſolemniter reprobat excuſationem cujuſpiam Magiſtri, nomine Epiſcopi Altiſſiodorenſis factam, in cujus Diœceſi Decretum Pontificium de ſervando interdicto, cujus ibidem fit mentio, non fuerat promulgatum; & conſequenter Decreta Pontificia obligant, licèt in hac Diœceſi non fuerint promulgata. Certè ex hoc unico loco Vallenſis *h. t.* §. 2. *n.* 2. probat hanc Sententiam, eamque haberi hìc in textu, junctâ Gloſsâ, *ꝟ. Publicè promulgaverit*, ait Layman in *cit. cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat. n.* 3.

20 Confirmatur eadem ſententia ex *cap.* 1. §. *Nec obſtaret. de Conceſſ. Præbend. in* 6. ibi: *Lex, ſeu conſtitutio, & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquàm ad notitiam pervenerint eorundem, aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent*: & conſequenter hoc ſolùm ſufficit ad obligationem Legis Pontificiæ ſolemniter editæ, absque alia publicatione in Provincia, vel Diœceſi, dummodò ſufficiens notitia habeatur (tunc enim locum obtinet Regula 31. Juris in 6. *Eum, qui certus eſt, certiorari ulteriùs non oportet*) vel ſaltem habere poſſit: quia paria ſunt, ſcire, & ſcire debere, *arg. l. Quod te. ff. Si certum petatur.* Surdus *conſil.* 150. *n.* 23. Card. de Luca *cit. Diſcurs.* 76. *n.* 8. & Barboſa *Axiomat.* 174. *n.* 29. citans alios. Quin etiam ſcire, & de facili ſcire poſſe, paria ſunt, *arg. l. Si duo. ff. de Acquir. hæredit.* ibi: *Qui enim ſcit, aut ſcire potuit*; ac notat Barboſa *cit. n.* 29.

21 Confirmatur ulteriùs hæc Sententia ex receptâ praxi, conſuetudine, ac ſtylo Curiæ Romanæ: ſiquidem conſuetudo eſt optima legum interpres, *c. Cùm dilectus.* 8. *de Conſuetud. & l. Si de interpretatione. ff. de Legib.* Quin & ipſe ſtylus Curiæ Romanæ habet vim legis, *arg. c. Quàm grave.* 6. *de Crim. falſi.* Atqui conſuetudo, & Stylus Curiæ habet, ut Judices Urbis judicent contra omnes totius Orbis Chriſtianos ſecundùm leges, ſeu Conſtitutiones Pontificias, Romæ promulgatas in locis ad id præſtitutis; niſi juſtam illi ignorantiam probent: prout refert Navarrus *dicto Conſil.* 1. *n.* 19. *de Conſtitut.* & Mandoſius ſuprà *n.* 118. relatus: ergo ex ipſamet conſuetudine, ac Stylo Curiæ Romanæ habetur, ſeu probatur, quòd Conſtitutiones Apoſtolicæ poſt factam Romæ ſolemnem publicationem illicò obligent totum Mundum Chriſtianum, non obſtante, quòd in ſingulis Provincijs, ac Diœceſibus, necdum fuerint publicatæ. Alioquin enim praxis Romana, & Stylus Curiæ, non videretur æquitati naturali conſentaneus.

22 Nec videtur obſtare *Auth. Ut factæ novæ conſtitutiones &c.* ubi ad obligationem Legum Imperialium requiritur publicatio earundem in Provincijs, ne legum ignorantia prætendi valeat. Reſp. enim, Leges Civiles non arctare Pontificem, neque procedere, quando Jure Canonico quid ſpeciale determinatum fuit; ut in propoſito habetur *d. cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat. & cap.* 1. *de Conceſſ. Præbend. in* 6. accedente etiam ipſâ conſuetudine, & Stylo Curiæ Romanæ. Idque haud immeritò: tum quia non tam facilè poſſunt publicari Conſtitutiones Pontificiæ in ſingulis totius Orbis Chriſtiani Provincijs, ſicut Leges Imperiales in ſingulis Imperij Provinciis, nunc modicam Europæ partem occupantibus; quâ de causâ, ut inquit Jo. Monachus in *c. In generali. de Reg. Jur. in* 6. & poſt ipſum Navarrus *cit. Conſil.* 1. *n.* 20. *de Conſtitut.* Papa dicitur habere pedes plumbeos, non plumeos. Tum quia totus Mundus cenſetur una provincia reſpectu Papæ, *can. Cuncta per mundum.* 9. *q.* 3. cum ſimilibus: & quia Romæ ſunt omnes ferè Nationes de Mundo, veriſimile eſt, quòd quando ita publicatur Conſtitutio nova, præſentes Nationales ipſam ſufficienter notificent in proprijs Provincijs, ut proinde in his non ſit opus novâ promulgatione, prout diſcurrit Ant. Burgoſius *loc. cit. n.* 210. & 211. Idque eò magis, quòd tales Conſtitutiones emanent à Chriſti in terris Vicario, atque circa materias ſpirituales, & animarum ſalutem concernentes, de quibus proinde cognoſcendis majorem debent habere curam ſubditi Papæ, hoc eſt, Fideles, quàm ſubditi Cæſaris de temporalibus, quibus præeſt.

Neque urgent quædam incommoda, quæ 123
contra hanc Sententiam objici ſolent: ut puta, quòd lex non poſſit obligare ignorantes: Nam in confeſſo eſt, ſi Papa expreſsè declaraverit, quòd ad obligationem Bullæ ſuæ de novo editæ ſufficiat ſola publicatio Romæ facta (prout inter alios declaravit Clemens VIII. in ſua 115. Conſtitutione, *quæcunque.* §. 15. quæ refertur *Tom.* 3. *Bullarij Romani*: ac Urbanus VIII. in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex.* 28. Auguſti, 1624. edita; & in aliâ Bullâ, quæ incipit, *Secretis*, eodem anno, die 11. Decembris emanatâ, quarum utraque habetur *Tom.* 4. *dicti Bullarij, Conſtit.* 25. & 35. dicti Pontificis; & rurſus in Bulla, *In Eminenti.* 6. Martij 1641. emanata, quæ refertur *Tom.* 5. *Bullarij Romani, Conſtitut.* 289. ejuſdem Pontificis; ac noviſſimè Innocentius XII. in Bulla, quæ incipit, *Speculatores Domûs Iſraël*, editâ 1694. die 4. Novembris.) Tunc, inquam, in confeſſo eſt, aliam publicationem in Regnis, Provincijs, Diœceſibus, vel Civitatibus non requiri; & tamen poſſent adduci eadem inconvenientia: ergo hæc nec in alijs caſibus urgebunt. Et ratio eſt: quia hujuſmodi Bullæ, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ Romæ ſolemniter publicatæ, licèt quantùm eſt ex parte ſui, ac in actu primo, omnem obligandi vim habeant pro toto Orbe Chriſtiano; tamen in actu ſecundo non obligant quoad culpam, aut pœnam, niſi poſtquàm ſufficiens earundem notitia fuerit habita, vel ſaltem haberi potuerit.

Et quamvis ejuſmodi Conſtitutiones, etiam 124
in caſu veræ ignorantiæ obligent quoad nullitatem actûs in contrarium geſti, uti probat Stylus Curiæ Romanæ, juxta tenorem ipſarum in Foro externo procedentis: hoc ipſum tamen propriè non cenſetur pœna, qualis eſt, quæ inducitur in odium alicujus, & diminuit ipſius

pa-

patrimonium, ſeu tollit jus quæſitum, ſed potiùs cenſetur inhabilitas ad ſic agendum, ex defectu cujuſpiam ſolemnitatis, vel aliâ gravi de causâ inducta à Jure, ſive novâ Conſtitutione Apoſtolicâ. Abbas in *c. Cognoſcentes n. 4. h. t.* junctis ijs, quæ ſuperiùs *num.* 108. dicta fuerunt de Legibus, in quibus nominatim de præteritis cavetur: nam quia tales Leges inducunt nullitatem, ſeu caſſationem actus in contrarium geſti, ſi hoc cenſeretur damnoſum, ac pœnale, hoc ipſo res, quæ culpâ caret, in damnum vocaretur, contra expreſſum textum *cit. c. Cognoſcentes. 2. h. t.*

125 Secunda, & priori directè oppoſita Sententia, eſt non paucorum Doctorum, aſſerentium, ſpectato rigore Juris, & niſi aliud in Bulla Pontificia exprimatur, ad obligationem ejus, præſertim pro Foro conſcientiæ, non ſufficere ſolam promulgationem Romæ factam. Et hæc opinio imprimis fundatur in authoritate: ſiquidem ita ſentiunt Navarrus *cap. 23. Manual. n. 44.* appellans hanc opinionem communem, & veram antiquorum; & rurſus *d. Conſi. 1. de Conſtitut. n. 18. & ſeqq.* dicens, quòd attento ſolo Jure ſcripto hæc opinio videatur verior. Abbas Panormitanus, licèt dubitativè, *in c. Cognoſcentes. n. 7. h. t.* iſtam ſententiam probans ex eo, quòd *Jus Civile expreſsè dicat de tempore publicationis in Provincia, & Jus Canonicum non dicat oppoſitum; quinimò idem dicat ca. 1. de Poſtulat. Prælat. & can. Propoſuiſti. circa finem. diſt.* 82. ubi fit mentio factæ publicationis in Provincia, ad oſtendendam obligationem Conſtitutionis Pontificiæ, favétque textus in *can. Quod dictis. diſt. 16.* Eandem Sententiam tenet Summa Angelica, *V. Lex. quæſt.* 12. pro qua inſuper allegatur Ant. de Butrio in *cap.* 2. *n.* 20. & Imola ibid. *n. 17. de Conſtitut.* quamvis addant contrariam opinionem ſervari in practica, & conſuetudine. Zabarellus, Felinus, Jo. Monachus, multique alij à Farinacio *d. part. 1. Fragment. Crimin. n. 656.* relati; quorum plures hanc opinionem dicunt partim æquiorem, partim magis communem. Et hanc ipſam ſententiam tenet ex Theologis Medina 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. Sotus *lib.* 1. *de Juſtit. q.* 1. *art.* 4. *Verſ. At verò Summo Pontifice.* Sà. *V. Lex. n.* 9. eámque cenſet probabiliorem Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. & jur. cap.* 22. *dubitat.* 13. *n.* 98. & in praxi tutam Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *n.* 6. Ipſamque inter alios noviſſimè ſecuti ſunt Petrus Marchantius *tom.* 2. *Tribunalis, tract.* 1. *tit.* 8. *quæſt.* 5. ac Bernardus Sannig *tom. 2. Theologiæ Scholaſticæ, tract. de Legib. diſt. 3. quæſt. 6.* atque probabilem cenſet Pirhing *tit. de Conſtitut. n.* 31. & Ludovic. Engel *eod. n.* 67. Ut proin huic opinioni non deſit probabilitas extrinſeca, ex authoritate tot Doctorum ipſam tenentium deſumpta.

126 Eadem ſententia probatur inſuper rationibus, quarum prima & principalis eſt hæc: quia Pontifices volunt Jus Civile ſervari, ubicunque Jure Canonico nihil eſt ſpecialiter conſtitutum, juxta illud vulgatum, *cap. 1. & 2.* De novi oper. nuntiat. *Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Atqui circa modum promulgandi Leges Eccleſiaſticas in Jure Canonico nihil habetur ſpecialiter conſtitutum; ergo erit recurrendum ad Jus Civile, quod ad legum obligationem requirit, ut promulgentur in ſingulis Provincijs, juxta ſæpè dictam *Auth. Ut factæ novæ conſtitutiones &c. Collat.* 5. Idipſum confirmant Jura proximè per Abbatem allegata, in quibus ad oſtendendam Conſtitutionum Eccleſiaſticarum obligationem fit mentio factæ earundem publicationis in Provincia; ut in *can. Propoſuiſti. diſt.* 82. *& cap. 1. de Poſtulat. Prælat. & can. Quod dicitis. diſt.* 16.

Confirmatur ulteriùs eadem Sententia ratione. Quia ipſimet Summi Pontifices de facto in nonnullis Conſtitutionibus ſuis requirunt, & mandant, publicationem fieri in ſingulis Provincijs, & alijs locis per eos ſpecificatis: ut patet ex *c. Cum infirmitas. de Pœnit. & remiſſ. & c. Sicut olim. de Accuſat. & c. Quoniam ſimoniaca. de Simon. & c. Ita quorundam, & c. Ad liberandum. de Judæis,* juncto Concilio Tridentino *Seſſ. 24. cap. 1. De Reformat. matrim.* & Bullâ Urbani VIII. die 1. Aprilis 1627. editâ, quæ incipit, *Paſtoralis* (ac refertur *Tom. 4. Bull. Rom. Conſtitut. 62. cit. Pontific.*) ubi non obſtante, quòd §. 26. Pontifex aſſerat, quòd factâ Romæ ſolemni promulgatione *non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur:* nihilominus §. 27. vult ejus publicationem fieri in Provincijs, & Diœceſibus: ergo ipſimet Pontifices videntur agnoviſſe, per ſolam publicationem Romæ factam, non ſufficienter promulgari legem ad obligandum totum Mundum, ſaltem pro Foro conſcientiæ. Huc etiam faciunt illæ Conſtitutiones, ſupra *n.* 123. jam allegatæ, in quibus Pontifex expreſsè declarat, quòd factâ Romæ earundem ſolemni publicatione omnes perinde arctentur, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent: nam hoc ſuperfluum foret apponere, ſi Pontifex generaliter, & abſque tali declaratione, per legem Romæ duntaxat promulgatam intenderet illicò totum Mundum obligare. Quia igitur in lege nec ſyllaba debet eſſe ſuperflua, & ſine myſterio aliquid operandi. Fagnanus in *c. Tuarum. n. 26. de Privileg.* (alioquin enim fruſtrà membranas occupat, *can. Si Romanorum. diſt. 19.*) Hinc in talibus Bullis oportet admittere quid ſpeciale, quod non reperitur generaliter in omnibus; nempe quòd illæ ſtatim aſtringant, licèt non promulgentur in Provincijs, non item cæteræ, in quibus deeſt ejuſmodi clauſula. 127

Accedit, quòd durum videatur dicere, quòd omnes Conſtitutiones, quæ paſſim motu proprio Summi Pontificis Romæ fiunt, & publicantur, illicò obligent ultimos quoſque Fideles Septentrionis, & Occidentis, Æthiopes item & Indos, alioſque nullam ipſarum notitiam habentes. Nam ipſamet Lex Chriſti Domini, quando per Apoſtolos poſt adventum Spiritûs Sancti Jeroſolymis die Pentecoſtes ſolemniter promulgabatur, non idcircò tunc pro toto Orbe terrarum cenſebatur ſufficienter publicata fuiſſe 128

fuiſſe, donec etiam in alijs Provincijs ſucceſſivè prædicaretur: ac proinde tempus obligationis ſuæ non ſimul incæpit apud quoſcunque populos, ſed quibusdam incæpit tempus ad menſem poſt Pentecoſten, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & ſic deinceps, ſicut eis prædicabatur, ut docet Scotus in 4. *diſt. 3. q. 4. §. Quantùm ergo*, cum alijs.

129 Nec obſtare videtur *cap. 1. de Poſtulat. Prælat.* juncto *cap. 1. de Conceſſ. Præbend.* quæ pro priori Sententia *n. 119. & 120.* allegantur. Nam, quod attinet hoc poſterius, textus ibidem relatus, eſt allegatio partis, non diſpoſitio Juris, ut liquet ex contextu. Deinde dictum *cap. 1. §. Nec obſtaret, de Conceſſ. Præbend. in 6.* loquitur de Conſtitutione ſingulari, nempe de Privilegio cuipiam ſpecialiter conceſſo: quo in caſu fatendum eſt, ſufficere ſcientiã illius, ad cujus favorẽ conſtitutio illa ſpecialis edita fuit, neq; opus eſſe aliâ ſolemni publicatione. Per hoc tamẽ nihil infertur, quantùm attinet ad propoſitũ, ubi ſermo eſt de Conſtitutione generaliter latâ, & omnes obligante.

130 Nec etiam urgere videtur *cap. 1. de Poſtulat. Prælat.* Nam ibidem fit mentio tantùm de Conſtitutione particulari, continente ſententiam Interdicti localis Regni Francorum, quæ, ſi aliud tempus non exprimitur, ſtatim ligat præſentes, abſentes autem poſt tempus arbitrarium, prout ſupra *n. 113.* in ſimili dictum eſt: non autem de Conſtitutione Pontificia generaliter lata pro toto Mundo, de qua impræſentiarũ eſt ſermo: unde etiam Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. Caſu 185. n. 17.* textum illum in ſolo caſu Interdicti de Jure Canonico procedere arbitratur. Inſuper, cùm ibidem ſententia Interdicti dicatur ſolemniter publicata in Regno, & Provincia (quamvìs non in Diœceſi Altiſſiodorenſi) atq; obſervata in Eccleſia Metropolitana: textus ille potiùs deſervit ad probandã hanc poſteriorem ſententiã (prout etiam Abbas proximè relatus eodẽ utitur pro ſua probatione) videlicet ad obligationem Conſtitutionum Pontificiarũ de rigore Juris requiri earundem publicationem in Provincia, & hujus Metropoli, juxta *Auth. Ut factæ novæ conſtitutiones*, atq; in caſu *cit. cap. 1. de Poſtulat. Prælat.* obſervatum fuit. Neq; ratio Pontificis plus intendit, niſi contra frivolam cujuspiã Magiſtri excuſationẽ oſtendere, quòd non ſit neceſſe, Legem ſolemniter editã, & publicè, promulgatã, ſingulorum auribus ſpecialiter inculcare, ut dictũ *n. 110.*

131 Nec tandem urgere videtur conſuetudo, ac Stylus Curiæ Romanæ: Nam hic procedit pro Foro externo, quando cauſæ Romam devolvuntur; ac præſertim tunc, quando litigatur ſuper valore, ſeu nullitate actuum in contrarium geſtorum, ob dicta *num. 124.* Deinde idem Stylus Curiæ habet præſertim locum in cauſis Beneficialibus, & alijs in quibus Pontifex habet liberam diſpoſitionem, *c. Licèt Eccleſiarum. 2. de Præbend. in 6.* ac notat Engel. *h. t. n. 76.*

132 Reſp. II. Quod ad praxin attinet, in reſolutione practica præſentis quæſtionis, tanto authoritatum & rationum pondere hinc inde firmatæ, Subditis ſtandum imprimis erit judicio Superiorum ſuorum: nam his in dubio obedire tenentur, *can. Quid culpatur. 23. q. 1.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Iniquitas.* & DD. paſſim. Quamquàm hìc ſimul advertendum ſit, præſentem Quæſtionem procedere duntaxat de Decretis Pontificijs Conſtitutivis, hoc eſt, novam Legem condentibus, ſive Jus novum conſtituentibus: non item in Declarativis, hoc eſt, merè declarantibus Jus Naturale, Divinum, aut Eccleſiaſticũ antiquum: nam ultrò conceditur, ad declarationem Juris antiqui non requiri novam publicationem, ut dictum in *Proœmio. n. 132.* Deinde, quantâ cum reverentiâ Bullæ Apoſtolicæ ſint recipiendæ, aliunde liquet; utpote cùm ſic debeat reputari Statutum Papæ, acſi de ore Dei, vel Beati Petri prolatum fuiſſet, *can. Sic omnes. diſt. 19.* juncto *cap. Quanto. de Translat. Epiſcop.* cum ſimilibus.

133 Ulteriùs circa reſolutionem practicam hujus quæſtionis attendenda eſt praxis, & hactenùs recepta locorum conſuetudo, utpote quæ (dummodò cæteroquin ſit rationabilis) tantæ eſt efficaciæ, ut non ſolùm jus dubium (quale eſt præſens, ob tantam authoritatum, & rationum varietatem) interpretari poſſit, *c. Cùm dilectus. de Conſuetud.* cum concordantijs; ſed etiam legi cæteroquin claræ, tempore longævo derogare valeat. *cap. ult. de Conſuetud.*

134 Unde tenendo etiam primam, ſeu communiorem, ac *num. 118. & ſeqq.* explicatam ſententiam, dici poterit, quòd quidem Lex Pontificia, ſimul ac Romæ publicata eſt, quantum eſt ex parte ſui, ac in actu primo, omnem obligandi vim habeat pro toto Orbe Chriſtiano: cur autem quoad actum ſecundum (id eſt, ut quis re ipsâ conſtringatur) non ſtatim omnes obliget, id non proveniat ex defectu Legis, aut promulgationis, ſed ex defectu alicujus conditionis accidentalis; puta, quia etiamnum ignoratur, aut quia alicubi ſucceſſu temporis denuò in deſuetudinem abijt. Laym *lib. 1. tract. 4. cap. 2. n. 4.* Idipſum ampliùs declarat Guilielmus Herincx *part. 2. Summæ Theologicæ, diſp. 3. de Legibus, n. 117.* ſic inter alia loquens: *Ex his patet, quomodo multæ Leges, ſeu Bullæ Pontificiæ, in varijs Regionibus non obligent; videlicet, quia vel in ijs neque devulgatæ ſeu publicatæ, neque acceptatæ fuerunt, conſentiente, ſeu tacitè connivente Pontifice; vel quia defectu publicationis, & acceptationis, eſto in principio culpabili, tandem in perfectam deſuetudinem deſierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quòd Ordinarij frequenter advertant, aut exiſtiment, ac ſæpè non infundatè, leges varias non congruere publicæ utilitati ſuarum Diœceſium ob inveteratas, & rationabiles earundem conſuetudines, genium plebis, defectum finis legis, v. g. quia lata fuit ob pericula, & defectus, qui ibidem generatim non graſſantur, imò vix noſcuntur &c. Interdum etiam Ordinarij ob Poteſtatem Laicam non poſſunt exequi pro libitu ſuo Mandata Apoſtolica. Intereà verò tempore fluente in deſuetudinem leges abeunt, antequàm uſu recipiantur.*

Hæc ille.

§. VI.

De Acceptatione Legum, ſeu Conſtitutionum.

SUMMARIUM.

135. *Lex quando cenſeatur acceptari, ac eſſe uſu recepta?*
136. *Ad intrinſecam Legis conſtitutionem non requiritur acceptatio Populi.*
137. *Nam ex parte Legislatoris neque deeſt poteſtas,*
138. *Neque voluntas obligandi ſubditos.*
139. & 140. Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium comprobantur: *Declaratur.*
141. *Leges non cenſentur eſſe conditionales, licèt contrario uſu abrogari poſſint; & cur?*
142. Leges nullâ aliâ de causâ obligant, quàm quòd judicio Populi ſint receptæ, *quomodo hoc verificetur?*
143. *Si ſubeſt cauſa non acceptandi legem, debet Populus ad Principem recurrere per remedium ſupplicationis pro ſublatione legis.*
144. *Vel ad ejus Superiorem, ſi quem habet, appellare.*
145. *Et interim licitè ſuſpenditur obligatio legis.*
146. *Et ſi Princeps tacuerit, cenſetur annuere, ac legem revocare.*
147. *Alioquin Populus non acceptando legem ritè publicatam peccat, poteſtq; puniri.*
148. 149. & 150. *Niſi aliunde quis juſtâ de causâ ſit excuſandus; quod variè exemplificatur.*
151. *Præſertim in eo, qui legem à majori parte communitatis non ſervatam, nec ipſe obſervat.*

135 SUpponendum breviter, quòd lex poſt promulgationem debitè factam tunc cenſeatur acceptari, quando Communitas eam approbat verbo, ſcripto, aut alio ſigno, v. g. quando ipſam in caſu occurrente obſervat. Inſuper dum Communitas legem obſervat, dicitur *Lex eſſe uſu recepta.* Hoc prænotato

136 Quæritur I. Utrùm ad legem humanam requiratur acceptatio populi? Reſp. Ad naturam & intrinſecam conſtitutionem Legis humanæ non requiritur acceptatio populi, ac proinde ante hanc lex cæteroquin juſta jam obligat; quamvis per acceptationem & uſum accidentaliter perficiatur, ſeu confirmetur. Ita Fagnanus *in c. Treugas. n. 48. de Treuga.* Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 19. n. 6.* Pirhing *h. t. n. 45.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſt. 1. punct. 13.* eſtque communior aliorum, & nunc poſt Decretum Alexandri VII. proximè allegandum, ferè indubitata; quamvis olim multi oppoſitum docuerint; ac præſertim Navarrus *cap. 23. Manual. n. 41. & Conſil. 1. n. 23. de Conſtitut.* ubi poſt Dominicum, & Felinum, quos citat, docet, quòd *Lex, antequàm recipiatur ſaltem per majorem partem Civitatis, cujus pars transgreſſor, non liget, quoniam promulgari videtur cum conditione, ſi recipiatur ſaltem per majorem partem.* Hæc Navarrus.

137 Probatur autem noſtra concluſio: quia ad hoc, ut Lex intrinſecè cenſeatur conſtituta, & vim habeat obligandi Subditos, duo ex parte Legislatoris requiruntur, & ſufficiunt; videlicet poteſtas, & voluntas obligandi Subditos ad legis obſervantiam, *arg. c. Cùm ſuper. 23. de Offic. Delegat.* Sed neutrum horum deeſt ſupremo Principi, ut puta Summo Pontifici, vel Imperatori. Non quidem poteſtas, nam hanc non deeſſe Summo Pontifici, utpote ſupremo Fidelium Paſtori, Chriſtique in terris Vicario, fatentur omnes Catholici. In Imperatorem autem Populus Lege Aureâ omne ſuum dominium, atque poteſtatem contulit, *L. 1. ff. de Conſtitut. Princip.*

Neque deeſt voluntas. Nam verba legis 138 (uti ſupponitur) ſimpliciter præcipiunt: atqui præceptum abſolutè poſitum non obligat ſub conditione, ſi ſubditus velit acceptare, ſed abſolutè inducit neceſſitatem obediendi; aliàs potiùs foret Lex conſilij, ſeu exhortationis, quàm præcepti, *text. clar. can. Quiſquis. 14. q. 1.* ergo. Confirmatur: quia, quando Principes ſanciunt novas leges, etiam pœnis ac ſupplicijs cogunt Subditos ad legum obſervantiam, & executionem, *can. Præceptis. diſt. 12. & can. Non fruſtrà, 23. q. 5.* cum ſimilibus: ergo hoc ipſo cenſentur habere voluntatem Subditos ſimpliciter obligandi, & non ſub conditione duntaxat, *Si lex recipiatur.* Quinimò hæc ſententia defactò videtur ampliùs indubitata, ob noviſſimum Decretum Alexandri VII. qui Anno 1665. die 24. Septembris, inter alias Propoſitiones etiam ſequentem, ordine 28. damnavit: *Populus non peccat, etiamſi absque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Hoc enim illicò ſequeretur, ſi leges quoad vim ſuam obligandi dependerent ab acceptatione populi, aut nonniſi ſub conditione, *Si à populo recipiantur*, conderentur.

Nec obſtat illud Gratiani *can. 3. diſt. 4.* ubi ait: 139 *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Reſp. enim, quidquid ſit de validitate hujus dicti, cujus author fuit Gratianus, non habens poteſtatem legislativam; textum hunc apertè ſtare pro noſtra Concluſione, dum expreſsè concedit, leges jam inſtitui per legitimam promulgationem, ac proinde ante acceptationem Populi. Si enim leges jam ſunt inſtitutæ ante acceptationem, ergo hæc ad earum intrinſecam naturam, & conſtitutionem neutiquam pertinet.

Ad

140 Ad illud, *Firmantur, cùm moribus utentium approbantur*, dicitur, iſtud non eſſe intelligendum de firmitate intrinſeca, & ſubſtantiali, utpote quam leges jam antecedenter habent; ſed de quadam extrinſeca duntaxat, & accidentali firmitate, quatenùs leges moribus utentium comprobatæ, non facile ampliùs per contrariam legem, vel conſuetudinem abrogantur. Sive, ut loquitur Fagnanus *loc. cit. num. 49. & 57.* Leges ex moribus utentium accipiunt firmitatem ſtabilitatis, non autem firmitatem authoritatis. Aut (quod in re idem eſt) Leges firmantur moribus de facto, & non de jure: nam de jure ſatis firmatæ ſunt ab ipſa legitima inſtitutione.

41 Nec rurſus obſtat, quòd leges uſu non receptæ non obligent, ſicque non aliter à Principe ferri cenſeantur, niſi à Populo fuerint uſu receptæ. *Reſp.* enim neg. anteced. Niſi ſit ſermo de lege uſu non recepta per tempus jure definitū, quo lex, ejùsque obligatio per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam denuò abrogatur, juxta *cap. ult. de conſuetud.* Neque hinc inferre licet, legem eſſe conditionalem, ſeu latam ſub illa conditione, *Niſi uſu contrario denuò abrogetur.* Nam imprimis à principio lex ſimpliciter obligat, adeóque fuit lata abſolutè, & non ſub conditione tantùm: alioquin Populus non peccaret, eam etiam abſque ulla cauſa non acceptando, cùm fuiſſet in ejus poteſtate, legem acceptare, vel non acceptare; quod aſſerere eſt damnatum. Deinde conditiones illæ, quæ tacitè, ſeu de Jure inſunt (ut iſta, in *cap. ult. de Conſuetud.* fundata, *Niſi lex uſu contrario*, ſeu per longævā conſuetudinem legitimè præſcriptam, *denuò abrogetur*) non faciunt actum conditionatum, *L. 3. ff. de Legat. l. & l. Conditiones. ff. de Condit. & demonſt.* Unde, ut leges poſſent dici conditionales, deberet intervenire conditio aliqua extrinſeca, ſub qua ponerentur; ut puta, ſi erit futura fertilitas, pax componenda, vel etiam Populus eam ſponte recepturus &c.

42 Dices. In *l. De quibus. ff. de Legib.* expreſsè dicitur; *Ipſæ leges nullâ aliâ ex causâ nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt*; ergo. Reſp. primò, hoc verificari de Populo Romano pro tempore antiquo, quo utebatur regimine Democratico, & poteſtas ferendi leges penes Populum exiſtebat: ſecùs dicendum pro tempore ſubſequenti, quo Populus Romanus per Legem Regiam omnem à ſe Poteſtatem abdicaverat atque in Imperatorem tranſtulerat. Quòd ſi etiam de hoc tempore textum illum accipere velis; reſpondetur, id procedere ex eo, quia legibus firmitate ſtabilitatis populus non tenetur, niſi etiam uſu ſint receptæ: alioquin enim lapſu longi temporis iterum abrogarentur, haud obſtante, quòd à principio populum obligâſſent.

43 Quæritur II. Quid Juris, ſi populus juſtam habeat cauſam non acceptandi legem, vel eandem cæteroquin legitime factam, & promulgatam, non acceptet? *Reſp.* I. Quando ſubeſt rationabilis cauſa non acceptandi legem, tunc populus debet ad Principem recurrere per remedium ſupplicationis pro ſublatione Legis: quâ ſtante ſupplicatione, licitum eſt populo ſuſpendere obligationem legis. Prior pars eſt certa, & communis: nam nullum in hoc eſt inconveniens, quòd ſtante rationabili causâ non acceptandi legem, v. g. quia nimis eſt oneroſa, recurratur ad Principem per viam ſupplicationis, ut legem tollere velit. Quinimò circa Reſcripta Pontificia (eadem autem ratio militat in legibus) iſtud expreſsè declaravit Alexander III. in *c. Si quando. 5. de Reſcript.* ubi Pontifex Ravenn. Archiepiſcopo his verbis reſcribit. *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes.* Et infrà: *Qualitatem negotij, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas; quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod pravâ nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.*

Quinimò, ſi legislator ille non fuerit Princeps ſupremus, ſed lex lata ſit ab inferiori Legislatore, non tantùm per viā ſupplicationis is adiri poterit, ſed etiam (ſi legem Subditis præjudicialem, aut nimis oneroſam tollere renuat) ab ipſo ad Superiorem appellari poteſt: quia ejusmodi gravamen eſt cauſa rationabilis, ac ſufficiens ad appellandum; quamvis cæteroquin lex ſecundùm ſe non eſſet injuſta. Cæterùm à lege ſupremi Principis appellari non poteſt, ſed tantùm ſupplicatio interponi, nam appellatio eſt ab inferiore Judice ad ſuperiorem gradatim facta provocatio; ſuperiorem autem in terris talis Princeps, utpote ſupremus, non agnoſcit. Caſtro Palao *cit. diſp. 1. punct. 13. n. 13. §. In quarto*, & alij. 144

Altera pars, quòd nimirum pendente ſupplicatione (& idem à fortiori dicendum de appellatione) licitum ſit populo ſuſpendere obligationem legis, eſt Guiliel. Herincx *part. 2. Summæ Theologicæ, diſp. 3. de Legib. n. 116.* poſt Rodriquez, Salas, Bonacinam, & alios paſſim; quamvis Caſtro Palao *loc. cit. n. 14.* poſt Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 16. n. 8.* oppoſitum cenſeat eſſe probabilius. Ratio noſtræ ſententiæ eſt: tum quia iſtud eſt conveniens ſuavi Reipublicæ gubernationi, ne Subditi illicò premantur legis onere, donec Legislator penitiùs mentem ſuam explicaverit; nam quandoque ſubeſſe poteſt rationabilis cauſa à Principe priùs ignorata, & quâ ſtante, ſeu cognitâ, mens Principis non fuiſſet, legem ponere. Tum quia hoc ipſum deſumitur ex *d. c. Si quando. de Reſcript.* & probat praxis uſu recepta: alioquin enim Subditi ipſomet facto ſibi ipſis contradicerent, allegantes juſtam cauſam, ob quam nequirent legem obſervare; ſicque ejus obſervantiam ſibi poſſibilem aſtruerent. Tacentur incommoda, & perturbationes Reipublicæ, inde exorituræ, ſi hodie lex obſervaretur, obſervaríque mandaretur, cras iterùm tolleretur, aut immutaretur. 145

146 Cæterùm ſi Princeps auditâ Populi ſupplicatione taceat, neque ulteriùs ejus obſervantiam urgeat, cenſetur ſupplicationi Populi tacitè annuere, legémque revocare: nam ſi animum habeat ulteriùs obligandi, debet hunc ipſum declarare, inſiſtendo legi, & Subditos ad hujus obſervantiam urgendo, atque transgreſſores puniendo; alioquin, *qui tacet conſentire videtur*, ut inquit Reg. 43. Juris in 6. Bonacina *diſp. 2. de Legib. quæſt. 1. punct. 4. n. 43.* Caſtro Palao *cit. punct. 13. n. 15.* Salas, & alij.

147 Reſp. II. Populus non acceptando legem juſtam, & ritè ſibi publicatam, non ſolùm poteſt in Foro externo puniri pœnis à lege taxatis; ſed etiam peccat coram Deo, ſeu in Foro conſcientiæ, niſi aliunde quis juſtâ de causâ ſit excuſandus. Prior pars ſequitur ex dictis: quia enim lex totam ſuam intrinſecam conſtitutionem, vimque obligandi habet independenter ab acceptatione Populi; ergo hic peccat eam non acceptando. Accedit citatum Decretum Alexandri VII. oppoſitam ſententiam damnantis. Et quia *pœna eſt noxæ vindicta*, l. Aliud eſt. ff. de Verb. ſignific. quis dubitet, talem noxam, ſeu conditæ legis transgreſſionem, juſtè pœnis à lege taxatis puniri, ſeu vindicari poſſe?

148 Altera pars declaratur inductione. Sic imprimìs excuſatur Populus, quando contraria Principis voluntas, ſeu quòd nolit illicò populum tam graviter obligare, vel ex tenore legis, vel ex circumſtantijs ſufficienter colligitur: prout v. g. præſumi poſſe videtur in lege valdè difficili, nimiumque dura & gravi, quòd Princeps non intendat ab initio abſolutè obligare, ſed ſolùm tentare ſenſum populi, & quomodo is tali legi ſeſe accommodet, ut juxta eum valeat poſtmodùm Princeps legem vel plenè confirmare, vel relaxare, aut moderari. Suarez *diſp. 3. de Legib. cap. 19. num. 12.* & poſt ipſum Pirhing *h. t. n.* 47. Herincx *cit. diſp. 3. n.* 116. Caſtro Palao *num.* 12. & alij. Nam lex non ſolùm debet eſſe honeſta, juſta, & poſſibilis; ſed etiam *ſecundùm naturam, ſecundùm patriæ conſuetudinem, loco, temporique conveniens*, ut notatur *can. 2. diſt.* 4. Unde ſi ob ſuum rigorem talis non ſit, haud immeritò præſumi poterit; quòd Princeps non intendat abſolutè populum obligare, ſed potiùs probare.

149 Quamvìs autem de rigore juris, & niſi lex ſit manifeſtè injuſta, licèt dura, videatur recurrendum ad remedium ſupplicationis, ut dictum, ac notat citatus Suarez: idque pro Foro externo moraliter ſit neceſſarium, ne leges à Populo paſſim, & propemodùm liberè reſpui valeant, ob prætenſum earundem rigorem, vel alias cauſas, a parte rei ſæpè non ſubſiſtentes; & ſic lata porta aperiatur ſcandalis, tumultibus, & ſeditionibus, in graviſſimam Reipublicæ perniciem. Nihilominus loquendo pro Foro conſcientiæ, ac ceſſantibus memoratis incommodis, ſatis probabile eſt, non peccaturos illos, qui etiam non porrectâ Principi ſupplicatione, ex tam rationabili cauſa non acceptârunt, neque obſervârunt legem publicatam; uti innuunt citati Doctores, atque concluditur ex allegatâ, & rationabiliter præſumptâ Principis voluntate, quòd noluerit illicò populum tam graviter obligare, ſed ſolummodò ſenſum ipſius anteà probare.

Deinde idipſum dicendum eſt, atque excuſatur Populus non ſtatim recipiens legem, quando ſubeſt alia rationabilis cauſa à Principe veriſimiliter ignorata: nam ea, quæ ſunt facti, atque in facto conſiſtunt, v. g. ſpeciales locorum ac perſonarum ſingularium conſuetudines, & Statuta, etiam Princeps ignorare poteſt; nec cenſetur iſtis per legem generaliter latam derogare velle, niſi id exprimat, *cap. 1. h. t. in 6.* 150

Inſuper, quamvìs lex cæteroquin juſta, & ritè promulgata, quantùm eſt de ſe, ac ſpectatâ ſuâ naturâ, illicò habeat vim obligandi omnes & ſingulos Subditos: tamen quod ad praxin attinet, peccati alicujus damnandi non ſunt, neque puniendi ſinguli de Communitate, ſi legem, quam major pars Communitatis defactò non ſervat, nec recipit, ipſi quoque non obſervent. Ratio eſt: quia Lex eſt commune præceptum, *L. 1. ff. de Legib.* ſicque primò reſpicit, atque obligat Communitatem; ergo, ſi non obſervetur, nec recipiatur à Communitate, vel ſaltem majori parte ejus, non cenſetur ampliùs Legiſlator velle obligare unum vel alterum duntaxat ad ejus obſervantiam: nam in ijs, quæ reſpiciunt Cōmunitatem, attenditur major pars illius, non autem pars minor, neque unus vel alter privatus homo illus Communitatis. Felinus in *cap. 1. n. 11. §. Limita ſecundò. de Treuga & Pace.* Navarrus *Conſil. 1. n. 24. de Conſtitut.* Suarezius *cit. cap. 19. n.* 13. Pirhing *h. t. n. 46.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 4. num.* 3. hoc exemplificans de Lege Pontificia, ſi quam in ſua Diœceſi neque promulgatam, neque à Communitate uſu receptam, aliqui etiam particulares non obſervent; & alij. 151

§. VII.

De Obligatione Legum humanarum in genere, ac fundatarum in præſumptione.

SUMMARIUM.

152. *Leges humanæ juſtæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles obligant Judices in conſcientia ad judicandum juxta earum præſcriptum.*

153. *Et dum abſolutè præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant Subditos in conſcientia. Et ſeqq.*

154. Ex-

154. *Expenditur Dictum D. Pauli.* ad Rom. cap. 13.
155. *Unde leges Principum ſæcularium, præſertim Gentilium, habeant obligare in conſcientia, cùm in ordine ad hanc ab eis non ferantur.*
156. *Earum vis obligandi non oritur ex ſola Lege Divina.*
157. *Solvitur alia inſtantia.*
158. *Lex conſilij regulariter non eſt obligatoria.*
159. *Fallit hoc in tribus caſibus.*
160. *Conſilium reverentiæ, cui neceſſariò parendum eſt, quid?*
161. *Limitatur Concluſio in duobus caſibus.*
162. *Præſumptio, ac Lex in præſumptione fundata, quid?*
163. *Judices tenentur in judicando procedere ſecundùm Leges in præſumptione fundatas. Et n. ſeqq.*
164. *Solvitur inſtantia.*
Præſumptio cedit veritati, *quomodo? Ibid.*
Legis præſumptio habetur pro veritate. Ibid.
165. *Leges in præſumptione fundatæ, non ſunt injuſtæ, licèt præſumptio quandoque fallat.*
166. & 167. *Leges fundatæ in præſumptione, quæ à parte rei verificatur, obligant Subditos in conſcientia.*
168. *An idem dicendum, ſi id, quod Lex præſumit, hîc & nunc non ſubſit? Refertur Sententia affirmativa.*
169. *Eáque ſuadetur pluribus rationibus.*
170. *Negativa Sententia præfertur, atque probatur. Et num. 166.*
171. *Ac pro ipſa plures citantur Authores.*
172. *Et ſolvuntur rationes in oppoſitum allatæ. Et num. ſeqq.*
173. *Datur quandoque contrarietas inter Forum externum, & Forum conſcientiæ,*
174. *Iſthæc Sententia negativa procedit ſolùm ſecluſo ſcandalo. Et num. 166.*
175. *Leges in præſumptione à parte rei non ſubſiſtente fundatæ nequeunt obſervari, etiam ratione ſcandali, quando ex earum obſervantia reſultat peccatum.*

152 QUæritur I. Utrùm leges humanæ cæteroquin juſtæ, tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, obligent in conſcientia? Reſp. I. Certum eſt, hujusmodi leges ita obligare in proprijs territorijs, ut Judices in conſcientia teneantur ipſas obſervare in judicijs, & juxta earum præſcriptum cauſas examinare, atque ſententialiter decidere. Ad hoc quippe tenentur Judices vi officij ſui, *can. Judicet. 3. q. 7. & can. Summoperè. 11. q. 3. & l. Rem non novam. C. de Judicijs.* Unde Imperator tum *in Proœmio Digeſtorum,* tum in *L. un. C. de Emendat. Codic.* repetitâ juſſione mandat, ut in omnibus rebus, & judicijs, juxta leges in Digeſtis, Inſtitutionibus, & Codice à ſe emendato, & confirmato, contentas ubique procedatur. Et meritò: tum quia *parum eſt jura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur,* c. Ubi periculum. 3. §. Præterea. de Elect. in 6. Atque *executioni debitæ demandet,* cap. un. §. Et quoniam. de Statu Regular. in 6. Tum quia *Judex dictus eſt, quaſi Jus dicens* Populo, *can. Juſtum. 23. q. 2.* Et ſi ſecùs egerit, omniáque pro libitu neglectâ Legum authoritate definiat, erit *Judex iniquitatis*; prout appellatur à Chriſto Domino, Lucæ *cap. 18.* utpote *judicans judicia injuſta, innocentes opprimens, & dimittens noxios.* Daniel. cap. 13. Quin & indignus erit, qui Judex nuncupetur: *Non eſt enim judex, ſi non eſt in eo juſtitia.* d. can. Juſtum. 23. q. 2.

153 Reſp. II. Leges humanæ, non ſolùm Eccleſiaſticæ, ſed etiam Civiles, poſſunt obligare in conſcientia; & dum quidpiam abſolutè præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant Subditos in conſcientia, ita ut earum transgreſſio culpabilis in materia gravi ſit peccatum mortale. Ita unanimis Doctorum. Ratio eſt: quia juxta quartum præceptum Decalogi, & quidem ipſo lumine naturali notum, tenemur obedire non ſolùm Parentibus, ſed etiam legitimis Superioribus noſtris juſta præcipientibus; utpote quibus omnibus tenemur exhibere & reverentiam, & obedientiam. Unde can. Quo Jure. diſt. 8. dicitur: *Ipſa jura humana per Imperatores, & Reges ſæculi, Deus diſtribuit humano generi.* Concordat textus in *can. Si Imperator. diſt. 96. & can. ult. 16. q. 3.* ubi dicuntur *Venerandæ Romanæ Leges divinitùs per Ora piorum Principum promulgatæ.* Atque ideò *generale pactum eſt Societatis humanæ, obedire Regibus ſuis,* ut loquitur D. Auguſtinus *lib. 3. Confeſſ. cap. 8.* ac refertur *can. Quæ contra. diſt. 8.*

Accedit illud D. Apoſtoli, *Rom. cap. 13. v. 1.*
dicentis: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſub-* 154
dita ſit. Et mox infrà v. 5. *Ideò neceſſitate ſubditi eſtote; non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Nota ly, *propter conſcientiam*: id eſt, ſubditi eſtote, non ſolùm metu pœnarum, ſed etiam, ne peccetis. Ex quo clarum fit, leges humanas cæteroquin juſtas, dum quidpiam abſolutè præcipiunt, vel prohibent, obligare in conſcientia; non minùs, ac alia legitima præcepta Superiorum.

Dices. Actus agentium non operantur ul- 155
tra intentionem eorum, *arg. cap. ult. de Præbend.* junctâ *l. Non omnis. ff. de Rebus credit.* Atqui intentio Legislatorum ſæcularium, præſertim gentilium, non fuit leges ferre in ordine ad conſcientiam, ſed tantùm in ordine ad externum Statum politicum, benè & pacificè gubernandum; ergo eorum leges non obligant in conſcientia. Reſp. hoc procedere, quando Legislator exprimit, ſe nolle obligare in conſcientia, ut fit in Legibus merè pœnalibus; ſecùs, quando abſolutè præcipit: tunc enim duplex intervenit intentio, una Legislatoris primarij, videlicet Dei Ter Opt. Max. jubentis obſervari juſtas leges Superiorum: altera Legislatoris ſecundarij, qui eſt Princeps, vel Magiſtratus ſæcularis. Licet igitur leges Civiles non ſemper obligent in conſcientia ex intentione Legislatoris ſecundarij, ut liquet in Gentilibus, lumine veræ Fidei deſtitutis: eædem nihilominus obligant ex intentio-

ne Legislatoris primarii, præcipientis cuſtodiri leges juſtas Superiorum, quidpiam ritè præcipientium.

156 Nec dicas, hinc ſequi, quòd vis obligandi oriatur ex ſola Lege Divina, ſicque re penitiùs conſideratâ Leges humanæ Civiles non obligent in conſcientia. Reſp. enim, neg. ſeq. Quia licèt vis obligandi in conſcientia legum humanarum oriatur à Lege naturali, & Divina, veluti à cauſa univerſali, & remota: nihilominus eadem vis obligandi in conſcientia oritur pariter à Lege humana, tanquam à cauſa particulari, & proxima; eò quòd immediatè, ac proximè, per Legem humanam fiat, ut Subditus teneatur hoc vel illud facere, ſeu omittere, ad quòd non teneretur, niſi id per Legem humanam fuiſſet determinatum, & injunctum.

157 Urgebis. Poteſtas Civilis non poteſt infligere pœnam mortis æternæ; ergo nec ſub ea, ſive ſub peccato mortali, quidpiam præcipere. Probatur conſequent. Quia nemo poteſt obligare ſub pœna, quam infligere non poteſt; alioquin enim lex foret inutilis. Reſp. neg. conſequent. cum ſua probatione: nam ſatis eſt, quòd pœna mortis æternæ infligi poſſit, atque transgreſſoribus impœnitentibus infligatur à Deo juſto Judice, utpote cujus præceptum, de obſervandis juſtis Superiorum legibus poſitum, ſimul violatur; & à quo principaliter, ſaltem mediatè provenit Poteſtas Legislativa Civilis, juxta illud D. Apoſtoli Rom. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

158 Additur notanter in concluſione *n.* 153. poſitâ. *Dum quidpiam abſolutè præcipiunt, vel prohibent.* Nam ſecùs dicendum de illis legibus, & conſtitutionibus, quæ ſimpliciter conſulunt, vel adhortantur: quia Lex conſilij regulariter non eſt obligatoria, ut *can. Quisquis.* 14. *q.* 1. ibi: *Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.* junctâ l. Ob hæc verba. ff. De his qui notantur infam. ibi. *Non enim qui exhortatur, mandatoris operâ fungitur.* Et idem dicendum de illis legibus, quæ directè quidpiam permittunt: quamvis, dum aliquid permittunt faciendum, ſimul indirectè præcipiant Judicibus alijsque, ne illud facientes impediant, vel moleſtent.

159 Fatendum nihilominus, quòd Lex conſilij in tribus caſibus obliget. Primò, quando accedit votum de ſervando Conſilio: ut fit in Religioſis, voto ſolemni ſeſe aſtringentibus ad obſervanda tria Conſilia Evangelica, *c. Cùm ad Monaſterium. de Statu Monach.* quamquàm hi voventes non obligentur vi Canonis conſulentis, ſed ex vi voti ſui. Secundò, & magìs ad propoſitum, obligat Lex conſilij, ne contemnatur, *can. Quis autem. diſt.* 10. Tertiò obligat, quando Lex continet Conſilium reverentiæ, *arg. c. Ad aures.* junctâ Gloſsâ. *℣. Conſilio. de Ætat. & qualit. præficiend. & c. Matthæus.* 23. *de Simonia*, cum ſimilibus.

160 Dicitur autem *Conſilium reverentiæ*, quando materia conſilij ex ſe eſt neceſſitativa, ſed lex ob reverentiam ejus, cui loquitur, utitur verbo conſultivo, & non præceptivo: prout fit in Juribus proximè citatis, ac etiam in *Clem.* 1. *de Teſtib.* ibi: *Reges & Principes in Domino exhortamur.* Ubi Gloſſa inquit, quòd licèt hæc exhortatio videatur conſilium, eſt tamen reverentiæ, cui neceſſariò parendum eſt; & alibi. Abbas in *c. Canonum ſtatuta. n.* 4. & Fagnanus *ibid. n.* 97. *h. t.* cum alijs, qui proinde diſtinguunt inter Conſilium perfectionis, quòd non obligat ſub peccato; & inter Conſilium reverentiæ, quod obligat.

Additur ulteriùs d. n. 153. *Regulariter obligant.* Nam imprimìs iſtud eſt limitandum in legibus mere pœnalibus, de quibus ex profeſſo dicetur §. IX. Deinde idipſum fallit in legibus illis, quæ fundantur in præſumptione, & illud, quod lex præſumit, hîc & nunc in rei veritate non ſubeſt. Quod ut meliùs intelligatur, 161

Quæritur II. An, & quomodo lex, quæ fundatur in præſumptione, ſit obligatoria? Ubi notandum, quòd *Præſumptio* generatim loquendo ſit rationabilis conjectura rei dubiæ, collecta ex argumentis & indicijs, quæ per rerum circumſtantias frequenter eveniunt; prout ampliùs *Lib.* 2. *Tit.* 23 *De Præſumptionibus*, dicetur. Itaque *Lex in præſumptione fundata* dicitur ea, quæ cùm ipſa rerum veritas ob defectum probationum ſemper in Judicijs cognoſci non poſſit, ex ejusmodi argumentis, atque indicijs, quidpiam præſumit, ſeu factum eſſe cenſet; adeò, ut ex tali præſumptione, præſertim violentâ, procedatur in cauſa, atque etiam feratur ſententia diffinitiva, ut liquet ex *cap.* 1. *&* 2. *& ſeqq. de Præſumption.* Quia igitur accidere poteſt, & quandoque accidit, ut ejusmodi indicia fallant, & illud, quod lex præſumit, à parte rei non ſubſit: Quæſtio remanet, quomodo obligent Leges fundatæ in præſumptione, ſicut & ſententia judicialis juxta præſcriptum talium Legum lata? 162

Reſp. I. Leges in præſumptione fundatæ obligant imprimìs Judices, ut in cauſis diſcutiendis, ferendiſque ſententijs, eisdem ſeſe accommodare teneantur. Patet hoc ex dictis *n.* 152. ſimúlque ex eo, quia Judex in judicando tenetur judicare ſecundùm allegata & probata, *l. Illicitas.* 6. §. *Veritas. ff. de Offic. Præſid.* cum ſimilibus. 163

Dices. Poteſt contingere, quòd præſumptio illa, in qua Lex ſe fundat, à parte rei non verificetur; ergo tunc ejusmodi Legem Judex in judicando non tenetur ſequi. Reſp. hoc ſolùm procedere, quando Judici aliunde conſtat de veritate, ut puta ex propria confeſſione, aut per legitimas probationes; nam tunc præſumptio cedit veritati, prout deſumitur ex *l. Imperatores. ff. de Probationib.* Secùs, quando de veritate aliunde conſtare nequit: tunc enim ad præcavendum pluribus hominum fallacijs, procurandúmque commune Bonum Reipublicæ, meritò Leges ob defectum, vel difficultatem aliarum probationum, in præſumptione ſeſe fundare poſſunt, quas proinde Judex in judicando ſequi tenebitur; eò præſertim, quòd etiam præſump- 164

ſump-

ſumptio ſit ſpecies quædam probationis, *tot. Tit. De Præſumptionibus.* Quinimò legis præſumptio pro veritate habetur. Menochius *de Præſumpt. lib. 5. Præſumpt.* 41. *n.* 17. Jaſon in *l. Licet Imperator. n.* 8. *ff. de Legat. I.* ubi ex textu, & Gloſsa, *fin. ibid.* probat, quòd *præſumptiones legum dicuntur liquidiſſimæ probationes.* Card. Tuſchus *Litt. B. Concl.* 611. *n.* 1. poſt Abbatem, & alios.

65 Quòd ſi urgeas. Præſumptio non rarò fallit; ergo Leges in præſumptione fundatæ, unà cum ſententia judiciali inde procedente, videntur reprobandæ tanquam injuſtæ, ac falſitati patrocinantes. Reſp. neg. conſequent. Licèt enim ejusmodi leges, unà cum ſententia judiciali inde ſequente, pro uno vel altero particulari caſu, ob defectum veritatis præſumptæ materialiter injuſtæ eſſe poſſint (nam ſæpe non jus deficit, ſed probatio. *l. Duo ſunt. ff. de Teſtamentar. Tutel.*) formaliter tamen, & in genere ſunt juſtæ; cùm deſerviant ad præcavendum innumeris fraudibus, & malitijs perverſorum hominum, cæteroquin liberiùs negantium ea, quæ ſunt difficilioris probationis; ſicque juvent ad conſervandum tranquillum ſtatum, communéque bonum Reipublicæ.

66 Reſp. II. Leges, quæ fundantur in præſumptione, obligant etiam Subditos, & quidem in Foro conſcientiæ, quando id, quod lex præſumit, in rei veritate ſubeſt: alioquin verò, ſi illud, quod lex præſumit, à parte rei non ſubſit, non tenetur Subditus legi, in præſumptione hîc & nunc à parte rei falſa fundatæ, in Foro conſcientiæ ſeſe conformare, niſi propter ſcandalum. Declaratur, & probatur Concluſio per ſingulas partes: & quidem

67 Prima pars Concluſionis eſt indubitata; & patet ex ipſamet jurisdictione, ac poteſtate Legislativa, quam habent Legislatores in Subditos, juxta dicta *n.* 153. *& ſeqq.* Accedit, quòd quando id, quod lex præſumit, à parte rei ſubeſt, aliâ probatione in ordine ad Forum conſcientiæ, utpote talem veritatem cognoſcentis, opus non ſit. In dubio inſuper obediendum eſſe Superioribus, ac proinde etiam Legi, vel Judici præcipienti, notum eſt, *can. Quid culpatur.* 23. *q.* 1.

68 Altera pars non caret difficultate: nam Federicus de Senis *Conſil.* 21. pluribus pro - & contrà allegatis rationibus (quarum aliquæ in progreſſu adducentur) tandem loquendo de Legibus in præſumptione fundatis, concludit, quòd Lex humana *manifeſtam non continens iniquitatem obliget in Foro conſcientiæ.* Idem tenet Fagnanus in *c. Si quis. n.* 69. *&* 70. *de Regularib.* dicens, quòd quando ex obſervantia Conſtitutionis nullum in Foro animæ reſultat peccatum, ſeu iniquitas, tunc Juris fictiones, ac præſumptiones, habeant locum etiam in Foro conſcientiæ. Et quidem

69 Hæc Federici, & Fagnani ſententia, ſuadetur ex Juribus *n.* 153. *&* 154. jam allegatis, quibus habetur, leges humanas eſſe à Deo per Imperatores, & Reges humano Generi diſtributas, & divinitùs promulgatas; cúmque, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere: ergo, quando tales leges, quin & ſententia judicialis conformiter ipſis lata, poſſunt ſervari abſque peccato, non eſt dubium (inquit Federicus) eas ſervari debere. Accedit, quòd eæ opiniones ſint vitandæ, quæ perplexitatem, ac intricationem inducunt, *c. Litteras. §. Nos autem. de Reſtit. ſpoliat.* vel laqueum injiciunt conſcientijs, *can. De viduis.* 27. *q.* 1. Atqui talis perplexitas, & intricatio, orire-tur ex oppoſita ſententiâ: nam ex una parte leges communes in præſumptione fundatæ, ipſúmque Forum externum juxta eas procedens, dicerent, *Tu teneris ſolvere*; ex altera verò parte, juxta oppoſitam ſententiam, Forum internum, ſeu Conſcientiæ, poſſet dicere, ac diceret, *Præſumptio illa legis hîc & nunc eſt falſa, unde in Foro animæ, & Divino, nihil teneris ſolvere; Defende te, quantùm meliùs potes, &c.* ergo. Confirmatur ulteriùs hæc Sententia: quia leges ob favorem publicum poſſunt diſponere de bonis privatorum; ergo hoc ipſum dici oportet de legibus illis, quæ ex Juris præſumptione quidpiam diſponunt. Antecedens patet ex *can. Quo Jure. diſt* 8. *& l Ex hoc jure. ff. de Juſtit. & jur. ac l. Lucius, ff. de Evictionib.* cum ſimilibus; & tradit Abbas in *c. Quæ in Eccleſiarum. n.* 11. & ibi Felinus *n.* 27. & Fagnanus *n.* 119. *de Conſtitut.* cum alijs; atque ampliùs probant Leges de præſcriptionibus, quæ in utroque Jure ſunt receptæ, & obligant etiam in Foro conſcientiæ. His tamen non obſtantibus,

Probatur altera pars noſtræ Concluſionis ex illo communiter recepto axiomate, *Præſumptio cedit veritati*, l. Imperatores. ff. de Probation. ibi: *Reſpondi, veritati locum ſuperfore*: ergo mens Legislatorum nunquam fuit, per leges in præſumptione fundatas quidpiam diſponere contra veritatem; adeò, ut hac cognitâ, v. g. per propriam confeſſionem, aut alias legitimas probationes, etiam in Foro externo non ampliùs procedant, multò minùs in Foro interno, ſeu conſcientiæ, ubi talis veritas eſt manifeſta: nam, ut D. Apoſtolus 2. *Corinth.* 1. inquit, *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Accedit, quòd talibus, præſumptione à parte rei falsâ infectatis, non deficiat jus, ſed ſolùm probatio, *arg. l. Duo ſunt. ff. de Teſtament. Tutel.* ergo dici non poterit, mentem legum in præſumptione fundatarum fuiſſe, jus ſuum etiam cognitâ veritate (prout hîc & nunc cognoſcitur pro Foro conſcientiæ) cuipiam adimere velle; nam jus ſuum unicuique tribuere, pertinet ad tria Juris præcepta, *§. Juris. Inſtit. de Juſt. & jur.* illis verbis expreſſa: *Juris præcepta ſunt hæc: Honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere.* 170

Atque ideò, quòd lex, & ſententia Judicis ſecundùm leges judicantis, ſi eſt juſta in Foro externo, ſit etiam juſta in Foro conſcientiæ, niſi innitatur falſæ præſumptioni, tradit Sanchez *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 10. *n.* 11. poſt Baldum *Auth. Ingreſſi. n.* 49. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Navarrum *in can. Si quis autem. n.* 36. *de pœnit. diſt* 7. Covarruvias *in c. Cùm eſſes. n.* 7. *de Teſtament.* Suarez, Vasquez, & plures alios. Idémque tenet Anchoranus *Conſil.* 411. dum ait, præſumptiones non habere locum 171

cum quoad Deum, & in Foro animæ. Engel. *h. t. n. 36. & ſeqq.* ac Layman *lib. 1. Theolog. Moral. cap. 17. n. 7. & 8.* ubi idcircò hanc regulam ponit. *Forum externum, ſi juſtum eſt, non repugnat Foro interno conſcientiæ, niſi propter defectum probationis, adeóque per accidens ob ignorantiam.* Et addit, quòd *quando alicui in externo Foro cauſa abjudicatur, ſolùm propter defectum probationis, tunc pars litigans, ſi veritatem perſpectam habet, non tenetur ſe in conſcientia conformare ſententiæ, niſi propter ſcandalum vitandum.*

172 Et conformiter dictis facilis eſt reſponſio ad rationes oppoſitæ ſententiæ, *num. 169.* allatas. Nam, quia ipſæmet Leges volunt, ut præſumptio cedat veritati; hinc negandum eſt, eas obligare, vel quidpiam diſponere voluiſſe pro Foro conſcientiæ in caſu cognitæ veritatis, cùm hæc præſumptionem à parte rei falſam elidat. Et per hoc patet ad primam, & tertiam inſtantiam, ex legibus, ipsáque poteſtate legislativâ depromptam.

173 Nec urget altera de vitanda perplexitate. Nam imprimis novum non eſt, ut ex defectu præſertim probationum, ſecundùm Forum externum, ſeu Judiciale ſtatuatur unum, & ſecundùm Forum internum, ſeu conſcientiæ obſervetur alterum, *text. clar. c. Litteras. 13. §. Porrò. & §. Quòd ſi. de Reſtitut. ſpoliat. & c. Inquiſitioni. 44. de Sentent. excomm.* Quia Forum externum procedit ſecundùm allegata, & probata, Forum autem conſcientiæ inſpicit ipſam veritatem, *can. Erubeſcant. diſt. 32.* cum ſimilibus. Et adhuc expreſſiùs habetur hæc contrarietas inter utrumque Forum *in can. Quicunque. 17. q. 4.* ibi: *In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure Fori, non jure Poli.*

174 Deinde noſtra Concluſio procedit ſolùm ſecluſo Scandalo, ac proinde ſecluſâ perplexitate, ſeu intricatione inter utrumque Forum. Nam, quia ad præcavendum ſcandalum quilibet Jure naturali, ac Divino obligatus exiſtit, juxta illud Salvatoris Matth. 18. *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*, cum ſimilibus: nemo eſt, qui neget, urgente tali periculo ſcandali teneri Subditum exequi ſententias, conformiter legibus in præſumptione fundatis judicialiter latas, à quibus non appellavit; quamvis in veritate præſumptio illa non ſubſit. Alioquin enim ordinariè publicum immineret ſcandalum, & gravis oriri poſſet perturbatio Reipublicæ, dum perverſi quique facilè tumultuarent contra Judices, aſſerendo, ſeſe injuſtè condemnatos. Et hoc ad Summum convincunt rationes oppoſitæ ſententiæ, videlicet ratione ſcandali, adeóque per accidens obligare leges in præſumptione à parte rei hîc & nunc non ſubſiſtente fundatas etiam in Foro interno, ſeu conſcientiæ.

Solùm adde cum Fagnano *d. c. Si quis. n. 69. & 70. de Regularib.* & communi aliorum, etiam hoc ultimum procedere duntaxat in Legibus, ſeu Conſtitutionibus, ex quarum obſervantia nullum reſultat peccatum, ſeu iniquitas in Foro animæ: ſecùs, ſi ex earum obſervantia reſultet in Foro animæ peccatum. Patet hoc imprimis ex *cit. c. Litteras. de Reſtitut. ſpoliat. & c. Inquiſitioni. de Sentent. excommunic.* ubi in caſu Matrimonij, cujus nullitas in Foro externo probari nequit, in Foro interno autem cuipiam eſt manifeſta, ſic expreſsè deciſum habetur. Deinde, licèt quis ad ſolvendum v. g. debitum, quod re ipsâ non debet, aut jam ſemel ſolvit, ex præſumptionibus à parte rei falſis per Judicem, ſecundùm allegata, & probata procedentem condemnetur, ac proinde ad vitandum ſcandalum obedire, atque ſolvere teneatur; non tamen viciſſim poteſt alter illam re verâ indebitam ſolutionem ſcienter recipere, aut retinere: ſiquidem ex parte hujus reſultaret peccatum injuſtitiæ, atque iniquitas in Foro animæ. Et hoc ipſum in pluribus alijs caſibus eſt advertendum. habetúrque quid ſimile in *c. Debitores. 6. de Jurejurand.* ubi is, qui juravit ſe ſoluturum uſuras, tenetur eas ſolvere ratione præſtiti juramenti, quamvis alter ipſas bonâ conſcientiâ recipere non poſſit, quin etiam receptas reſtituere cogatur. 175

§. VIII.

De Legibus in Fictione juris fundatis, earúmque obligatione.

SUMMARIUM.

176. *Fictio juris, quid?*
177. *Exempla Fictionis juris plura in Jure habentur.*
168. *Referuntur aliqua, quæ dantur in Prædicamento Subſtantiæ.*
179. *Et in Prædicamento Relationis.*
180. *Atque in Prædicamentis Ubi, & Quando.*
181. & 182. *Fictio juris differt à Præſumptione juris in pluribus; & in quo præcipuè?*
183. & 184. *Referuntur octo aliæ earum differentiæ.*
185. *Leges in Fictione juris fundatæ procedunt in Foro conſcientiæ.*
186. *Authores, qui videntur oppoſitum innuere, loquuntur de Fictione hominis, non juris.*
187. *Regulæ circa Fictionem juris attendendæ referuntur. Et n. ſeqq.*
188. I. Fictio juris idem operatur in caſu ficto, quod veritas in caſu vero.
189. *Hæc regula procedit ſolùm ſecundùm ſpecialitatem in Jure expreſſam, non quoad alia. Et n. ſeqq.*

190. *Un-*

190. *Unde abſolutè loquendo, Fictio non eſt tantæ potentiæ, quantæ veritas.*
191. II. Fictio juris non debet plùs operari in caſu ficto, quàm veritas in caſu vero.
192. *Solvitur inſtantia.*
193. III. Fictio non habet locum, niſi in caſibus à Jure expreſſis,
194. *Hinc Fictio juris non extenditur de caſu ad caſum.*
195. *Nec ipſa habet locum in Statutis.*
166. IV. Fictio non trahitur ad illa, quæ ſunt impoſſibilia ſecundùm naturam. *Exemplificatur.*

176 QUæritur I, Quid ſit Fictio juris, & quæ ejus exempla? Reſp. I. *Fictio juris*, eſt legis adversùs veritatem, in re poſſibili, ac ex juſta causâ diſpoſitio. Ita Alciatus *lib. 6. Parergon Juris, cap.* 1. & Menochius *lib. 1. de Præſumptionibus. quæſt.* 8. *n.* 7. Et quamvis Jaſon *in l. Si is, qui pro emptore. n. 168. ff. de Uſucap.* ſex alias Fictionis definitiones, à diverſis Authoribus datas, recenſeat, quarum aliquæ addunt ly, *ad inducendum aliquem Juris effectum æquitati naturali non repugnantem:* nihilominùs hæc particula abunde continetur ſub ly, *in re poſſibili*, utpote importante poſſibilitatem non ſolùm de facto, ſed etiam de Jure; qualem non habet effectus ille, qui æquitati naturali aliunde repugnat. Quoad reliqua verò omnes ejusmodi definitiones in hoc concordant, quòd natura Fictionis juris in eo conſiſtat, ut eſſe fingatur, quod reverà non eſt, licet eſſe poſſit, in ordine ad aliquem Juris effectum ex juſta causa inducendum.

177 Reſp. II. Exempla Fictionis plura in Jure paſſim habentur; adeò, quòd Jaſon *loc. cit. n. 172.* aſſerat, quòd Fictio reperiatur conſonare cum decem Prædicamentis. Juvat aliqua ex ipſo, & alijs, huc adducere, idque pro meliori Fictionis juris intelligentia.

178 Si in prædicamento *Subſtantiæ*, Filij in bello, ipsaque acie amiſſi, per gloriam vivere intelliguntur, ſcilicet Fictione juris; adeò, ut ad tutelæ excuſationem, & alia munera vitanda, patri proſint, *§. 1. Inſtit. de Excuſation. tutor. & l. Bello amiſſi.* junctâ Gloſſâ *fin. ff. eod.* Et econtrà tali juris fictione Monachus mundo, ſeu civiliter mortuus dicitur, *can. Placuit communi.* 16. *q.* 1. ubi Gloſſa finalis pro regula ponit, quòd *in illis caſibus civilis mors æquiparatur morti naturali, ubi hoc Jure cautum reperitur.* Simile quid habetur de Servo, qui vivit, & tamen reputatur pro mortuo, *l. Cùm hic ſtatus. §. Si donator. ff. de Donat. inter vir. & uxor. & l. Quod attinet. & l. Servitutem. ff. de Reg. Jur.*

179 Inſuper in Prædicamento *Relationis*, Monaſterium habetur loco filij idque per quandam juris Fictionem, ob favorem Religionis, in ordine ad certum effectum, de quò habetur mentio in c. *Præſentia. 8. de Probation.* In Prædicamento *Actionis*, dum miles hoſtem, vel Judex, aut miniſter ejus nocentem occidit, talis non dicitur Homicida: quia Fictione juris, *cùm homo juſtè occiditur, Lex eum occidit, non tu*, ut loquitur D. Auguſtinus, relatus *in can. Si Homicidium, 23. q. 5.* In Prædicamento *Paſſionis*, captus ab hoſtibus, & reverſus quoad jura ſua reputatur, acſi captus ab hoſtibus non fuiſſet, *l. Poſtliminij §. 1. ff. de Captivis, & poſtliminio reverſis*: ubi per quandam juris Fictionem, ob commune bonum Reipublicæ, ſicque ex juſta causa, tales pro nunquam captis reputantur.

In Prædicamento *Ubi*, Canonici causâ infirmitatis, vel ob evidentem Eccleſiæ utilitatem abſentes, Fictione juris habentur pro præſentibus, & percipiunt fructus, ac diſtributiones ſui Beneficij, *cap. un. de Cleric. non reſident. in 6.*

In Prædicamento *Quando*, habetur illud ſpeciale, quòd filij illegitimi per ſubſequens matrimonium legitimentur, dum matrimonium ſubſequens juris Fictione retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel nativitatis, idque favore Liberorum, *c. Tanta. Qui Filij ſint legit. & §. fin. Inſtit. de Nuptijs.* Omittuntur alia Fictionum juris exempla, de quibus ſuo loco. 180

Quæritur II. In quibus Fictio juris differat à Præſumptione juris? Reſp. Differre in pluribus. Primò quidem, ac præcipuè in hoc, quia Fictio juris aſſumitur in caſu certo contra veritatem; nã Fictio fingit vera eſſe ea, quæ vera non ſunt: Præſumptio autem aſſumitur in caſu dubio ſecundùm veriſimilem veritatem: nam Præſumptio eſt ſuper eo, quod eſt dubium, & incertum, colligendo ex indicijs ita eſſe, quod cæteroquin eſt dubium, & incertum. Jaſon *loc. cit. n. 169.* Menochius *d. q. 8. n. 9.* citans alios. Et hoc eſt, quod breviùs tradit Gloſſa *in L. un. §. Præſumatur. C. De rei uxor. action.* illis verbis: *Super id, quod eſt certum, fingitur; ſuper incerto præſumitur.* 181

Cum hac Differentia propemodùm coincidit altera, conſiſtens in hoc, quià Præſumptio juris aſſumitur ad inveſtigandam veritatem, quæ cæteroquin latet, dum per rerum circumſtantias, & conjecturas, procedit ad inferendum aliud, de cujus veritate dubitatur. Fictio juris autem cognitâ falſitate ob naturalem æquitatem fingit aliquid eſſe, quod à parte rei non eſt: unde *Fictio* dicitur, ubi Lex *figit* pedes contra certos terminos veritatis, ſecundùm Baldum in *l. Non ignorat, in 1. Col. C. Qui accuſare non poſſunt.* Jaſon *d. n. 169.* 182

Tertiò differunt, quia contra Præſumptionē juris admittitur probatio in contrarium; & ſi de hoc pateat, tunc præſumptio cedit veritati, *l. Imperatores. ff. de Probation.* Econtrà Fictio juris nunquã admittit probationē contra ſe: quia eſt quædã legis diſpoſitio, fundata ſuper naturali æquitate, atq; per ipſamet legem ſtabilita. Menochius *d. lib. 1. de Præſumption. q. 8. num. 11.* poſt Socinum *in l. Cùm avus. n. 73. ff. de Condit. & demonſt.* & alios. Unde Felinus in *c. Quando. ſ. ult. de Præſumpt.* ſic ait: *Ubi lex non præſumit, ſed fingit, non admittitur probatio in contrarium, quia licèt veritas aliter ſe habeat, tamen lex vult fictionem haberi pro veritate.* 183

184 Quartò differunt, quia Præſumptio eſt quædã ſpecies probationis, non ſic Fictio juris. Quintò, datur quandoq; Præſumptio hominis, ſeu quæ ab homine, putà à Judice introducitur, ſeu excogitatur: ſecùs eſt de Fictione juris, utpote quæ eſt legis diſpoſitio, ſicque ab homine, ſeu Judice introduci non poteſt. Sextò, Præſumptio una poteſt alteri adverſari; & tunc potentior minùs potentem tollit, & perimit: at verò Fictio una non poteſt eſſe contra aliam. Septimò, poſſunt plures Præſumptiones in ſimul concurrere: non ſic plures Fictiones. Octavò, Fictio denotat improprietatem; aliud eſt in Præſumptione, quæ proprietatē ſignificat. Nonò, Præſumptio extenditur de perſona in perſonam, non autem ſic extenditur Fictio. Decimò, Præſumptio verſatur circa ea, quæ ſunt facti; Fictio autem circa ea, quæ ſunt Juris & facti ſimul. Menochius *cit. quæſt. 8. n.* 13. 17. *& ſeqq.* ubi præfatas differentias ſingillatim probat, & alias adhuc, minùs tamen notabiles, ſubjungit.

185 Quæritur III. Utrùm leges in Fictione juris fundatæ locum habeant etiam in Foro conſcientiæ? Reſp. Leges per fictionē juris quidpiã diſponentes ſunt juſtæ, ac proinde non ſolùm in Foro externo, verùm etiã in Foro conſcientiæ locum habent. Ita communis; & patet tũ ex dictis *n.* 153. *& ſeqq.* Tum ex eo; quia ejuſmodi leges fundantur in naturali æquitate, propter quam aliquid diſponunt in caſu ficto, quod obſervaretur in vero: nã Fictio ſemper fundata eſt in aliqua æquitate. Bartol. *in l. Si is, qui pro emptore. n. 35. ff. de Uſucap.* & tradunt ibidem omnes Doctores, ut inquit Menochius *lib. 4. Præſumpt.* 89. *n.* 9. Et nihil operatur Fictio, quandò æquitas deficit, *arg. l. Poſtliminium. §. Transfugæ. ff. de Captivis, & poſtlim. reverſ.* Menochius *d. lib. 4. Præſumpt.* 39. *n.* 16. Idq; declaratur exemplis. Sic quippe v. g. Canonici causâ infirmitatis abſentes, Fictione juris cenſentur præſentes in ordine ad effectum percipiendi fructus Beneficiales, ita ut hoſce fructus tam benè, ac etiam tutò in conſcientia percipiant, ac ſi reverà præſentes forent: & hoc ob illam æquitatem naturalem, ne aliquis Clericus infirmus deſtituatur neceſſarijs vitæ, & ne afflicto addatur afflictio, atque hâc ratione cæteri deterreantur à ſuſcipiendo Statu Clericali, *cap. 1. & ſeqq. de Clerico ægrotante.* Similis æquitas naturalis reperitur in Clerico abſente causâ ſuæ Eccleſiæ; in legitimatione prolium per ſubſequens Matrimonium, & alijs hujusmodi Fictionibus juris.

186 Nec obſtat dictum illud Card. Tuſchi *Litt. F. Concl.* 222. Oldradi *Conſil.* 73. *in fine*, ac Federici de Senis *Conſil.* 21. & aliorum, aſſerentium, quòd Fictio in ſpiritualibus non accipiatur pro veritate; item, quòd Fictio non habeat locum in Foro conſcientiæ, ubi veritati non præjudicatur per Fictionem. Reſp. enim, hujusmodi dicta procedere de fictione hominis, ſive prout fictio coincidit cum præſumptione; hanc enim non admitti in Foro conſcientiæ, ſed cedere veritati, tum citati Authores dicere volunt (prout ex integro contextu ſuorũ verborũ liquet) tũ ſuprà *n.* 164. *&* 170. jam dictum eſt: non autem de Fictione juris, ob naturalem æquitatem quidpiam diſponentis in caſu ficto; nam hæc etiam locum habet in Foro animæ, uti probant rationes, & exempla allata de Clericis infirmis, aut in cauſa propriæ Eccleſiæ abſentibus, utpote, quibus cæteri Clerici in conſcientia tenentur dare conſuetos redditus Eccleſiæ, quos & illi tutâ conſcientiâ accipere, & retinere poſſunt: & idem fit in alijs ſimilibus.

Quæritur IV. Quæ regulæ circa Fictionem juris ſint attendendæ? Reſp. Hæ potiſſimùm 187
ſunt ſequentes, quæ tum ex ipſo Jure, tum ex diverſis probatiſſimis Authoribus deſumuntur. Ex his ſit

Regula I. *Fictio Juris idem operatur in caſu ficto, quod veritas in caſu vero.* Jaſon *in l. Si is, qui pro emptore, n.* 216. *ff. de Uſucap.* Fagnanus in 188
c. Nos quidem. n. 57. *de Teſtament.* Barboſa *Axiomat.* 97. *n.* 1. & alij paſſim. Idque probatur ex *L.* 1. *ff. de Adoption. & l. Si filius familias. ff. Si certum petatur. & l. Cùm hic ſtatus. §. Si ambo. ff. de Donation. inter vir. & uxor. & c. Sicut dignum. 6. de Homicid.* cum pluribus alijs.

Cæterùm hæc regula procedit ſolùm in caſi- 189
bus fictis, prout à Jure exprimuntur. Fatendum ſiquidem eſt, quòd Fictio non omnimodè ſit tantæ potentiæ, quantæ efficaciæ eſt veritas, ſive actus naturalis in caſu vero. Gloſſa in *c. Suſceptum. ℣. Non morte. de Reſcript. in 6.* Cardinal. Tuſchus *Litt. F. Concluſ.* 221. *num.* 1. Baldus in *L.* 4. *C. Ad S. C. Velleianum*, ubi plures operatur vera, & naturalis ſolutio, quàm acceptilatio, ſive imaginaria ſolutio; nam quoad iſtam ſubvenitur mulieri in ſe ſuſcipienti obligationem alterius; non quoad illam, ſive quando mulier actu ſolvit pro alio. Similiter licèt Clericus, qui eſt in Servitio Epiſcopi, Fictione juris cenſeatur reſidere, non tamen is percipit diſtributiones quotidianas, quas perciperet actu præſens, *c. De cætero. 7. De Clericis non reſident.*

Et ex his ſequitur, quòd abſolutè loquendo, 190
Fictio non ſit tantæ potentiæ, quantæ eſt veritas, ſeu actus naturalis, ut inquit Fagnanus *d. c. De cætero. n.* 31. *de Cleric. non reſident.* & rursùs *c. Nobis. n. 91. de Simonia.* Fictum enim non habet eſſe realiter, ſed intellectualiter; quia quod fingitur, non eſt, ſed eſſe intelligitur. Hinc inſuper *cit. cap. Sicut dignum. de Homicid.* plures quidem Fictione juris cenſentur homicidæ, non tamen omnes pari pœnâ puniuntur. Atque etiam, licèt renuntians, quoad Eccleſiam renuntiatam habeatur pro mortuo, *can. In apibus. §. Ecce. 7. q. 1.* non tamen re ipsâ mortuus eſt; imò nec idem eſt per omnia in eo, quod in mortuo: nam talis poſſet de novo ad Eccleſiam reaſſumi, *c. Ex Transmiſſa. de Renuntiat.* quod in mortuo eſſe non poterit. Igitur allata regula prima procedit ſolùm juxtà illam ſpecialitatem, ſecundùm quam habetur Fictio juris, ſeu extat expreſſa diſpoſitio legis; non item quoad alia.

Re-

191 Regula II. *Fictio juris non debet plùs operari in caſu ficto, quàm veritas in caſu vero.* Ita Anton. Burgos *in Relect. c. De Quotvultdeo. num. 69. de Judicijs.* Sive, ut alij loquuntur, *actus fictus non debet eſſe majoris potentiæ, quàm actus verus,* ſeu naturalis. Baldus *L. 4. n. 2. C. Ad S. C. Velleianum.* Fagnanus *c. Quia diverſitatem. n. 23. de Conceſſ. Præbend. & c. De multa. n. 50. de Præbend.* ac alij. Idque deſumitur imprimis ex Reg. 10. Juris in 6. ibi: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Ubi Gloſſa inde concludit, dicens: *Ratihabitio operari non poteſt, niſi quod poſſet mandatum expreſſum:* utpote cùm mandato comparetur, ſicque hujus efficaciam non excedat. Quod idem de alijs juris Fictionibus, ſervatâ proportione, dicendum eſt.

192 Nec obſtat, quòd aliquando plùs videatur operari fictio, quàm veritas, *arg. l. In eos.* ubi Bartolus. *ff. de Cuſtod. reor.* junctâ *l. Inde Neratius. §. Idem Julianus. ff. Ad legem Aquiliam.* Nam ibi fictio plùs operatur ſolummodò propter adhærentem ſibi qualitatem, non autem ſecundùm ſe. Ant. Burgos *loc. cit. num. 75.*

193 Regula III. *Fictio non habet locum, niſi in caſibus à Jure expreſſis.* Fagnanus in *c. In præſentia. n. 23. de Probation.* ubi ſpeciale habetur favore Religionis, quòd in caſu ibidem expreſſo Monaſterium habeatur loco filij per quandem Juris Fictionem: iſtud enim (idemque dicendum de ſimilibus) neutiquam extendi poteſt quoad alia. Nam fatuum foret dicere, quòd Monaſterium quoad omnia habeatur loco filij: alioquin enim inter alia abſurda ſequeretur, quòd Monachus ille, de quo ibidem eſt mentio, haberet Monaſterium in ſua poteſtate, ſicut pater filium; item, quòd quidquid acquirit Monaſterium, acquirat Monacho &c. Dicendum igitur, quòd Fictio locum non habeat, niſi in caſibus à Jure expreſſis; prout tradit Gloſſa in *can. Placuit communi. ℣. Mortuus. 16. q. 1.* ubi hujus exemplum adducens de morte civili, ſubinfert, eſſe tenendum pro regula, quòd in ſolis illis caſibus civilis mors æquiparetur morti naturali, ubi hoc Jure cautum invenitur. Idem tenet, atque ampliùs deducit Felinus *d. c. In præſentia. num. 42. de Probation.* eſtque recepta Doctorum ſententia, quam ſtabiliunt dicta *n. 189. & 190.*

194 Infertur proinde, quòd Fictio juris non extendatur de caſu ad caſum, *L. ult. C. De his, qui veniam ætat. impetr.* Felinus *cit. n. 42.* poſt Bartolum, & alios, ubi ſubdit, iſta eſſe notanda, tanquam neceſſaria, quia aperiunt intellectum multis de facili occurrentibus. Verùm Cardin. Tuſchus *loc. cit. Concl. 223. n. 1.* poſt Geminianum *Conſil. 66. n. 5.* notat, hoc procedere in materia odioſa; ſecùs in favorabili: unde Jura loquentia de vacatione per mortem naturalem ad favorem Eccleſiæ, habent etiam locum in vacatione per mortem civilem, ſeu fictam, ad eundem favorem Eccleſiæ. Aliàs autem Fictio non extenditur, adeò ut lex generalis non comprehendat caſus fictos, niſi expreſse de ipſis loquatur. Card. Tuſchus *d. Conſil. 223. n. 3.* citans Baldum *Conſil. 139. lib. 5.* ac tradit Bartolus *L. 3. §. Hæc verba. in Summario. ff. de Negotijs geſtis.*

Infertur ulteriùs, quòd Fictio juris non habeat locum in Statutis, ac proinde caſus fictus non comprehendatur ſub generali diſpoſitione Statutorum: nam Fictio involvit improprietatem, in Statutis autem verba debent propriè accipi, *arg. de L. 3. §. Hæc verba. ff. de Negot. geſt.* Jaſon *cit. l. Si is, qui pro empt. n. 170. & 71. ff. de Uſucap.* citans Bartolum, & alios. Menochius *d. lib. 1. de Præſumpt. q. 8. n. 26.* Card. Tuſchus *Litt. F. Concluſ. 222. n. 22.* ubi hoc exemplificando, inter alia inquit, quòd licet appellatione diei ex Fictione juris veniat nox, *l. More Romano. ff. de Ferijs:* tamen ſecùs ſit in Statuto puniente, ſeu alterante pœnam certo die; quia hoc non extenditur ad noctem. 195

Regula IV. *Fictio non trahitur ad illa, quæ ſunt impoſſibilia ſecundùm naturam.* Gloſſa magna in *l. Gallus. §. Si ejus. ff. de Liberis & poſthum.* Jaſon *l. Si is, qui pro emptore. ff. n. 117.* Bartolus, & alij. Et ratio eſt: quia Fictio imitatur naturam, in quantùm poteſt, *l. Adoptio. ff. de Adoptionib.* cum ſimilibus: ergo non debet trahi ad ea, quæ ſecundùm naturam ſunt impoſſibilia. Et hoc Stephanus Coſta *in Repetit. c. Cùm quis. num. 24. de Sent. excommunicat.* exemplificat in caſu, quo quis interfecerit hominem nomine cujuſpiam infantis, & tale homicidium infans major factus ratificavit; nam iſta ratificatio minimè retrotrahitur per Fictionem juris, eò quòd per naturam impoſſibile fuerit, illum infantem tunc temporis occidere, vel homicidium mandare, nec plùs poſſit operari fictio, quàm veritas. 196

§. IX.

De Lege Pœnali, ac Pœnis latæ & ferendæ ſententiæ.

SUMMARIUM.

197. *Lex pœnalis, quid, & quomodo differat à Lege morali?*
198. *Lex mixta, quæ?*
199. *Dantur Leges, ſeu Conſtitutiones merè pœnales.*
200. *Exemplificatur hoc in quibuſdam Religioſorum Statutis, & alijs.*
201. *Solvitur inſtantia. Et n. ſeqq. Pœna eſt noxæ vindicta. Ibid.*

202. *In transgreſſione legis merè pœnalis non intervenit culpa Theologica. Et num. 201.*
203. *Niſi per accidens; quod ſæpiùs contingit.*
204. & 205. *Unde cognoſcendum, quòd lex aliqua ſit merè pœnalis. Et n. 206.*
206. *Per conſuetudinem longævam poteſt ex lege humana mixta fieri purè pœnalis.*
Exemplificatur hoc. Ibid.
207. *Pœna latæ ſententiæ, & ferendæ ſententiæ, quæ? Unde colligi poſſit, pœnam eſſe latæ, vel ferendæ ſententiæ. Ibid. & n. ſeqq. per totum.*
208. *In dubio pœna cenſetur eſſe ferendæ ſententiæ.*
209. *Idem dicendum, quando lex ſolùm comminatur pœnam.*
210. *Vel per verba futuri temporis loquitur imponendo pœnam.*
211. *Aut utitur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediatè ipſam pœnam.*
212. *Major eſt difficultas, ſi verba legis imperativi modi immediatè pœnam afficiant.*
213. *Refertur opinio, aſſerens, tunc importari pœnam latæ ſententiæ.*
214. *Refertur etiam oppoſita opinio, ac variè probatur.*
215. *Simul & explicatur.*
Hæc verba, Sit excommunicatus, ſit anathema &c. *non denotant ſententiam latam, ſed ferendam, niſi adjecta verba, vel alia Jura id declarent. Ibid.*
216. *Solvuntur rationes in contrarium.*
217. *Si lex utitur verbis indicativi modi, v.g.* Excommunicamus, *denotatur pœna latæ ſententiæ.*
218. *Hanc etiam importat ly*, ipſo jure, ipſo facto.
219. *Aut quando Legislator ſibi, vel Legi ſuæ vim ipſius attribuit, ut* Authoritate noſtrâ, virtute præſentium ſit excommunicatus, &c.
220. *Solvitur inſtantia.*
Pœna ipſo jure impoſita, quomodo non rarò in SS. Canonibus dicatur imponi per Judicem. Ibid.

197 QUæritur I. Quæ ſit Lex pœnalis, & an detur aliqua merè pœnalis? Reſp. I. *Lex pœnalis* eſt ea, quâ aliquid præcipitur, vel prohibetur, ſub certa pœna transgreſſoribus conſtituta. Et ejusmodi pœna poteſt eſſe multiplex, nimirum vel ſpiritualis, ut Excommunicatio, Suſpenſio, &c. vel temporalis, ut confiſcatio bonorum &c. vel etiam corporalis, ut incarceratio, mutilatio, fuſtigatio &c. Et differt Lex pœnalis à *Lege morali*, quòd hæc expreſsè nullam pœnam transgreſſoribus imponat, ſed mores dirigat, obligando ad actũ, vel ejus omiſſionem: unde tunc pœna, utpote à lege necdũ taxata, Judicis arbitrio transgreſſoribus imponi debet, ne crimina impunita remaneant.

98 Quòd ſi verò lex obliget ad actum ſub culpa præſtandum, ſimúlque ad certam pœnam transgreſſoribus taxatam, dicitur *Lex mixta*, videlicet ex morali & pœnali; cujusmodi plures, & paſſim obviæ habentur Conſtitutiones Canonicæ, quæ & quidpiam ad ſpirituale bonum fidelium præcipiunt, & congruas transgreſſoribus pœnas conſtituunt. Cæterùm *Leges merè pœnales* appellantur eæ, quæ ad culpam (per ſe loquendo) non obligant, ſed ad ſolam pœnam: & an tales dentur, remanet quæſtio. Unde

99 Reſp. II. Dantur aliquæ Leges, ſeu Conſtitutiones merè pœnales, quæ ad culpam non obligant, ſed ad ſolam pœnam transgreſſoribus taxatam. Ita D. Thomas *2. 2. q. 189. art. 9. ad 1.* ubi hoc exemplificat de Regula Fratrum Prædicatorum, in qua, ait, dari aliqua, quorum transgreſſio, vel omiſſio, ex genere ſuo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam. Navarrus *c. 23. Manual. n.* 49. Angelus. *℣. Religioſus. n. 28.* & communior aliorum: quamvis Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 4. num. 12.* velit, ejusmodi ordinationes ad ſolam pœnam obligantes, non eſſe propriè leges. Ratio concluſionis eſt: quia lex non obligat ultra mentem Legislatoris; ergo ſi is intendat ſub ſola pœna obligare, hoc v. g. expreſsè declarando, clarum eſt, quòd ex ſe ad culpam non obligent. Hoc ipſum in ſimili probatur ex illa doctrina, quam tradit Abbas *in c. Nam concupiſcentiam. num. 2. de Conſtit.* Sanchez *lib. 6. in Decalogum. cap. 4. n. 5.* & Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 14. n. 2.* & alij ab eis citati: videlicet, quòd Legislator circa materiam cæteroquin gravem poſſit obligare ſolùm ſub veniali; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentionem, *cap. ult. de præbend. & l. Non omnis. ff. Si certum petatur*, cum ſimilibus.

Sic dantur quædam Religioſorum Statuta, 200 quæ per ſe (hoc eſt, ſeclusâ obligatione præcepti naturalis, Divini, Eccleſiaſtici, aut alterius, ſtatum ſuum afficientis) ad culpam, ſeu ſub peccato in conſcientia incurrendo non obligant, ſed tantùm ad pœnam in Statutis taxatam, ſeu à Superioribus infligendam, prout de Ordine Prædicatorum teſtatur Doctor Angelicus *loc. cit.* idémq; procedit de alijs Conſtitutionibus Regularibus; in quibus hoc ipſum expreſsè declaratur. Similiter ad culpam in conſcientia non obligant nonnullæ Conſtitutiones politicæ circa eos actus, qui nec Juri Divino, nec naturali adverſantur, eorum tamen executio, ſeu intermiſſio confert ad tranquillum ſtatum Reipublicæ: ut puta, ne quis noctu ſine lumine ambulet, ut certum veſtium ornatum adhibeat, vel omittat, & hujusmodi. Et cùm tales Conſtitutiones ferantur à legitimo Superiore, ac in bonum communitatis, & cum animo perpetuò obligandi Subditos ad pœnam taxatam ſuſtinendã; nihil eisdem deeſſe convincitur, quò minùs ſint leges propriè dictæ, cùm ipſis per omnia conveniat definitio legis ut ſic.

Objicies. Si nulla in talibus intervenit culpa, 201 ergo nec etiam transgreſſoribus juſtè pœna per Statutum taxatur, aut à Superioribus imponitur; nam pœna eſt noxæ vindicta, ut dicitur in *l. Aliud eſt. ff. de Verb. ſignif.* Reſp. negando ſequelã: quamvis enim in transgreſſione legis merè pœnalis nulla interveniat culpa Theologica, ſeu quæ ſit pec-

peccatum coram Deo: nihilominus intervenit culpa legalis ſeu politica, quæ importat defectum à lege, & contra laudabilem Reipublicæ, vel Ordinis Religioſi conſtitutionem admiſſum; quæ proinde culpa ab alijs appellatur *Imperfectio poſitiva*, ac meritò caſtigatur pœnâ competenti. Accedit Regula 23. Juris in 6. ibi: *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus*: atqui in propoſito ſubeſt cauſa talem puniendi, nempe violatio legis, haud obſtante, quòd hæc vacet culpâ Theologicâ; ergo.

102 Dices: In tali caſu verè intervenit culpa Theologica, ſeu moralis, ſaltem ex intentione Legislatoris primarij, qui eſt Deus; ergo nulla ſolutio. Reſp. negando Aſſumptum: nam argumentum procedit in caſu, quo Legislator abſolutè præcipit, ſicque utitur totâ poteſtate ſibi à Deo commiſsâ, juxta illud Apoſtoli Rom. 13. *Non eſt Poteſtas, niſi à Deo.* Secùs, quando expreſsè, vel tacitè, ſub ſola pœna præcipit; nam tunc ejus ordinationem Deus non aggravat, ſed ei ſe accommodat, ſicut faceret, ſi omninò nihil Legislator præcepiſſet.

103 Fatendum tamen, quòd in deliberata transgreſſione Legum, ſeu Statutorum, de ſe merè pœnalium, ſæpius interveniat per accidens aliqua culpa Theologica: idque tum ob adjunctam quandam vilipenſionem legis, vel intervenientem inordinatam paſſionem, aut negligentiam, ſeu aliam circumſtantiam pravam. Sic peccat venialiter Religioſus, qui frangit tempus ſilentij, per Statuta Ordinis ſub mera pœna injuncti, garriendo inutilia, otioſa &c. Item peccat venialiter, vel mortaliter Sæcularis, qui geſtat habitum, cæteroquin ſub mera pœna prohibitum, ex vana gloria, ex contemptu Legis, aut aliquo pravo fine, vel concurrentibus alijs circumſtantijs mortaliter, ſive venialiter peccaminoſis, quales in deliberata transgreſſione Statutorum, licèt ex ſe ſub culpa non obligantium, rarò abeſſe ſolent.

104 Quæritur II. Unde dignoſcendum, quòd aliqua Lex ſit merè pœnalis? Reſp. Quòd Lex aliqua ſit merè pœnalis, non bene deſumitur ex ſola pœnæ adjectione; ſed id pendet ex intentione Legislatoris, quæ tum ex verbis legis, tum ex ſubjecta materia, alijsque circumſtantijs prudenti judicio deſumenda eſt. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. Fagnanus *in c. Si quis. n.* 58. *de Regularib.* Geminianus *cap.* 2. *in Gloſſ.* 3. *de vita & honeſt. Cleric. in 6.* & alij communiter. Ratio prioris partis eſt: quia imprimis adjectio pœnæ Spiritualis, v.g. excommunicationis, ſuſpenſionis, & hujusmodi, potiùs indicat, Legislatorem voluiſſe obligare ſub culpa; cùm tales pœnæ non niſi ob culpam, ſeu peccatum infligi ſoleant, *can. Nemo Epiſcoporum.* 11. *q.* 3. cum ſimilibus. Deinde loquendo de pœna temporali, etiam per adjectionem ipſius, præſertim ſi gravis ſit, puta pœna mortis, vel mutilationis, potiùs augetur virtus obligatoria legis, quàm minuitur: unde patet, quòd, quænam leges ſint merè pœnales, non rectè deſumatur ex ſola adjectione pœnæ, ut vulgus exiſtimat, ſed iſtud pendeat ex intentione Legislatoris, utpote à qua leges vim ſuam obligandi habeant. 105

Altera pars videlicet, quòd intentio Legislatoris ſit deſumenda tum ex verbis legis, tum ex ſubjecta materia, alijsque circumſtantijs, probatur ex eo: Quia imprimis à verbis legis, alteriúsve diſpoſitionis recedendum non eſt, niſi manifeſtum ſit, aliud ſenſiſſe Legislatorem, ſeu diſponentem, *arg. c. Ad audientiam. de Decimis. & l. Non aliter. ff. de Legatis. III.* cum ſimilibus. Layman *c. Is cui. de Elect. in 6.* & alij. Quòd ſi verò ejusmodi intentio Legislatoris non clarè habeatur ex verbis legis, reſtat, ut ea prudenti judicio partim ex ſubjecta materia, partim ex alijs circumſtantijs deſumatur: neque enim circa hoc una certa & generalis regula dari poteſt.

Huc etiam plurimùm juvat hactenùs recepta, & antiqua conſuetudo, utpote quæ eſt optima legum interpres, *c. Cùm dilectus. de Conſuetud. & l. Cùm de Interpretatione. ff. de Legib.* Item communis ſenſus, atque exiſtimatio Communitatis, cui lex illa traditur: quia lex aliter non obligat, quàm communiter recepta eſt; alioquin quippe lapſu debiti temporis rursùs abrogaretur, *cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantijs. Quinimò per conſuetudinem longævam, & à Superioribus toleratam, poſſe ex Lege humana mixta fieri purè pœnalem, acceſſante reatu conſcientiæ manere ſolam pœnam Fori externi, haud immeritò notavit Suarez *lib.* 7. *de Legib. cap.* 19. *n.* 11. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 12. & Engel *tit. de Conſuetud. n.* 17. Qui addunt, id fortaſſis contingere in multis legibus civilibus imponentibus exactiones, vel prohibentibus venari, ligna ſcindere, vel aliquid ex Regno extrahere: licèt enim in principio directivæ fuerint, ac proin obligaverint ſub culpa, & in conſcientia, juxta illud D. Apoſtoli Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal &c.* Nihilominus potuerunt longævo uſu fieri merè pœnales, & quaſi naturam mutare; quia non aliter ſunt receptæ, ipſis etiam Principibus diſſimulantibus, & tacitè conſentientibus, dum pœnâ confiſcationis bonorum, quam fraudantibus vectigalia impoſuerunt, videntur eſſe contenti. 106

Quæritur III. Unde colligi poſſit, pœnam eſſe 107 latæ, vel ferendæ ſententiæ? Ubi nota, quòd *Pœna ipſo jure inflicta*, ſeu *latæ ſententiæ*, dicatur illa, quæ poſito delicto ſtatim vi legis irrogatur: unde hanc Legislator per ipſamet legem delinquenti imponit, atque ad eam condemnat. *Pœna ferendæ ſententiæ* econtrà illa dicitur, quam Legislator duntaxat cominatur delinquenti, nondũ autem per ſe, ac vi legis ſuæ imponit, ſed primùm per ſententiam Judicis imponendam decernit. Unde illa prior dicitur impoſita à Jure, hæc verò imponenda ab homine, ſeu Judice: illa debetur à tempore contracti delicti; hæc primùm à tempore latæ per Judicem ſententiæ condemnatoriæ. Quibus prænotatis

Reſp. I. Quotiescunque dubium eſt, an lex 108 contineat pœnam v.g. excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aut privationis officij, ipſo

 ipſo

ipſo jure latam, vel ferendam à Judice, cenſendum eſt, quòd tantùm contineat ferendam. Ita Card. Tuſchus, *Litt. P. Concl.* 238. *n.* 5. docens, quòd verba dubia debeant intelligi de pœna per ſententiam, ac citans pro ſe Geminianum *Conſil.* 23. *n.* 2. *& ſeqq.* ubi idcircò hæc verba, *ſub pœna amiſſionis Beneficij*, exponit de pœna per ſententiam inferenda, eſtque communis aliorum. Ratio eſt: quia *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, ut habet *Reg.* 49. *Jur. in* 6. junctâ *l. Interpretatione.* 42. *ff. de Pœnis*, ibi: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm exaſperandæ.* Et quia pœnæ ſunt odioſæ, meritò reſtringuntur, *c. Odia reſtringi. de Reg. Jur. in* 6.

209 Reſp. II. Si lex ſolùm comminetur pœnam, ſignum eſt, quòd contineat pœnam ferendæ ſententiæ, & à Judice primùm imponendam: ut ſi quid prohibeatur *ſub pœna excommunicationis*, *ſub interminatione anathematis*, *ſub pœna privationis actuum legitimorum &c.* dummodò alia particula, pœnam latæ ſententiæ importans, non addatur. Ita Gloſſa fin. *in c. Cùm eſſes. de Teſtament. & c. Relatum.* ℣. *Excommunicationi ſubdatis. de Jure patronat.* & ampliùs *cap. un.* ℣. *Sub anathemate. de Sagittarijs*, & Abbas *ibid. n.* 3. Farinacius *part.* 2. *Fragment.* ℣. *Lex. n.* 69 allegans communem. Ratio eſt: quia aliud eſt, comminari pœnam, vel mandare Judici, ut eam transgreſſoribus imponat; aliud, eam ipſo facto infligere: nam comminatio non eſt ſententia. Quamquàm hoc ſit intelligendum ſtante dubio, ac niſi ex alijs verbis, vel circumſtantijs, ſatis appareat de mente profeſentis, quòd velit imponere pœnam latæ ſententiæ. Abbas *in d. cap. un. n.* 3. *de Sagittar.*

210 Reſp. III. Inſuper quando lex loquitur per verba futuri temporis imponendo pœnam; tunc non intelligitur ipſo Jure hanc imponere, ſed opus eſt ſententiâ Judicis. Ita Gloſſa *in c. Cùm tu.* ℣. *Privandus. de Uſuris*, & Gloſſa *Clem. Sæpè.* ℣. *irritandus. de Verb. ſignif.* cum concordantijs, quas allegat Farinacius *loc. cit.* ℣. *Lex. num.* 63. poſt Bartolum, Baldum, & communem aliorum; idque patet ex *d. Clem. Sæpè.* ubi dictio illa, *Irritandus*, expreſsè opponitur dictioni, *irritus*, importanti nullitatem actûs ipſo jure.

211 Reſp. IV. Quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediatè ipſam pœnam, ſed vel reatum pœnæ, dicendo v. g. *Qui hoc fecerit, reatum* (ſeu obligationem paſſivam) *talis pœnæ incurrat*; *Fiat reus talis pœnæ &c.* Vel ipſam actionem Judicis, ut puta dicendo: *Excommunicetur, Suſpendatur à Divinis, Privetur officio & beneficio, Mulctetur &c.* Signum eſt, ejusmodi pœnam eſſe ferendæ ſententiæ, atque à Judice primùm infligendam; dummodò non interveniant aliæ clauſulæ, vel circumſtantiæ, pœnam latæ ſententiæ, vel ipſo jure impoſitam, ſufficienter exprimentes. Ita Herincx *part.* 2. *diſp.* 5. *de Legib. n.* 7. Farinacius *d. part.* 2. *Fragment.* ℣. *Lex. num.* 63. & alij. Ratio eſt: tum quia hujusmodi formulæ requirunt actionem, ſeu ſententiam Judicis; ac proinde pœna in ipſis expreſſa ante hanc non debetur. Tum quia memoratæ clauſulæ poſſunt commodè intelligi de pœna ferendæ ſententiæ; ergo, cùm in his benignior ſit facienda interpretatio, oportet eas explicare de pœna ferenda, ſeu per Judicem primùm imponenda, niſi aliunde conſtet de oppoſito.

Reſp. V. Quando autem verba legis imperativi modi afficiunt immediatè ipſam pœnam, tunc major eſt difficultas, & controverſia non modica inter Doctores, qualis pœna denotetur. 212

Et quidem imprimìs non pauci Doctores volunt, importari pœnam latæ ſententiæ, *arg. cap.* 1. juncta Gloſſa *in fine. de Injurijs in* 6. ubi notatur, quòd ly, *Sententiam excommunicationis incurrant*, & verbum, *Subjaceat interdicto*, pœnam latæ ſententiæ importet. Idem notat Abbas *in c. Quia in omnibus. n.* 9. *de Uſuris*, ubi pariter addit, quòd ly, *Maneant ſuſpenſi, donec ſatisfaciant*, importet ſuſpenſionem per Canonem ipſo jure inflictam; quia non poteſt quis manere ſuſpenſus, niſi priùs ipſo facto per Canonem ſuſpenſus fuerit. Hinc etiam in *can. Si quis ſuadente.* 17. *q.* 4. verba illa, *Anathematis vinculo ſubjaceat*, important pœnam latæ ſententiæ. Et quòd ly, *Sit anathema, Maranatha*, ſit latæ ſententiæ, docet Felinus *in c. Rodulphus. n.* 33. *de Reſcript.* poſt Gloſſam *can. Guiliſarius.* 23. *q.* 4. ubi dicta verba explicat, *Sit excommunicatus usque ad Adventum Domini*, *ſupple*, *niſi pœniteat.* Et hinc Concilia Generalia, ac noviſſimè Concilium Tridentinum, de illis, qui factis Definitionibus Fidei contraria ſentiunt, ait: *Anathema ſit*, hoc eſt, *ipſo facto ſit excommunicatus.* Talia enim verba non afficiunt immediatè reatum pœnæ primùm imponendæ, ſeu actionem Judicis, ſed ipſammet pœnam, quam proinde videntur indicare eſſe latæ ſententiæ. 213

Oppoſitum nihilominus tenet Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 12. ubi ex profeſſo docet, quòd hæc verba, *Sit excommunicatus*, non denotent ſententiam latam, ſed ferendam, niſi cùm alia adjecta verba, vel Jura id declarant. Et ratio eſt: tum quia plurimi Canones habent illa verba, *Anathema ſit*, & tamen ſolummodò continent ſententiam ferendam, juxta Gloſſam *fin. cap.* 2 *de Foro compet.* Quæ etiam cenſet in ſimili, verba illa, *Ab Eccleſia Dei ſit ſequeſtratus*, ſignificare ſententiam ferendam. Tum quia verbum *Sit*, eſt futuri temporis, & poteſt commodè explicari per ly, *Fiat excommunicatus*: prout Gloſſa *fin. c. Si quis ex Clericis. de Vita & honeſtat. Cleric.* explicat ly, *Anathema ſit*, dicens: *hoc eſt, fiat: non enim eſt excommunicatus ipſo Jure*: unde per illud non videtur ferri ſententia ipſo Jure, niſi aliquid aliud addatur, ut puta, *Ipſo Jure ſit excommunicatus*, *Ipſo facto ſuſpenſus &c.* Tum tandem, quia ſtante dubio mitior pars in pœnis eſt eligenda: atqui præfata verba ſunt dubia, uti liquet ex allatis rationibus, atque ipsâ Doctorum varietate ſentiendi; ergo ea ſunt mitiùs interpretanda, ut intelligantur de pœna ferendæ ſententiæ, non autem latæ ſententiæ. Alioquin, ſi de hac voluiſſet Conditor Canonis ea intelligi, potuiſſet expreſſiſſe, atque expreſſiſſet, *arg. c. Inter corporalia.* §. *Sed neque. de Translat. Epiſcop.* 214

Atque

215 Atque ideò hanc poſteriorem ſententiam, præter Navarrum *loc. cit.* tenet Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp.* 12. *n.* 2. poſt Baldum *in c. Atſi Clerici. n.* 20. *de Judicijs*, & alios, docens, quòd ly, *Excommunicatus ſit*, *Anathema ſit*, non contineat ſententiam latæ excommunicationis, niſi hæc aliunde habeatur. Idem tradit Layman *Lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 2. *n.* 3. & præter alios ſequitur Herincx *d. diſp.* 5. *de Legib. n.* 7. Quinimò, licèt Abbas *cap.* 2. *n.* 13. *de Foro compet.* poſt Gloſſam *in c. Quicunque.* ℣. *Innodetur. de Hæretic. in 6.* & quoſdam alios velit, per hæc verba, *Sit excommunicatus, Innodatus &c.* ſignificari excommunicationem ipſo facto: illicò tamen addit ob jura in oppoſitum pugnantia, hujuſmodi verba eſſe intelligenda juxta ſubjectam materiam, nec continere latam ſententiam, quando per alia jura patet, quòd non inferatur ſententia ipſo Jure. Atqui ſtante dubio, & niſi per alia Jura, vel adjecta verba probetur oppoſitum, jura volunt verba illa benigniùs explicari, ac proin ſolùm de pœna ferendæ ſententiæ intelligi; ergò.

216 Nec obſtant rationes *n.* 213. in contrarium allatæ. Nam quantùm attinet *ad cap.* 1. *de Injurijs in 6.* dictum illius Gloſſæ nunc controvertitur; & in contrarium opponuntur aliæ Gloſſæ, rationes, & authoritates. Quo modo etiam ſolvuntur authoritates Doctorum, in oppoſitam partem allegatæ. Ad *can. Si quis ſuadente.* 17. *q.* 4. non eſt opus longiori aliquâ reſponſione: nam & verba immediatè ſequentia, quibus ibidem abſolutio Romano Pontifici reſervatur, & plures alij ſacri Canones clarè ſignificant, excommunicationem ob injectas manus violentas in Clericum eſſe latæ ſententiæ. Quod attinet ad Concilium Tridentinum, aliáque Concilia Generalia, mirum non eſt, quòd ly, *Anathema ſit*, in Hæreticos fulminatum, ſit latæ ſententiæ; cùm hi ipſomet Jure dudum jam fuerint excommunicati, ut refertur *in can. Achatius*, *& can. Majores.* 24. *q.* 1. cum concordantijs. Et ob hujuſmodi inſtantias notanter *num.* 214. additum fuit, verba illa non denotare latam, ſed ferendam ſententiam, *niſi cùm alia adjecta verba, vel Jura id declarant*; prout accidit in allatis, & alijs hujuſmodi inſtantijs.

217 Reſp. VI. Quando lex utitur verbis indicativi modi, præſentis aut præteriti temporis, v. g. *Excommunicamus*, *Suſpendimus*, *Sciat ſe eſſe excommunicatum, noverit excommunicationem ſe incurriſſe &c.* cenſetur eſſe pœna latæ ſententiæ. Ita Herincx *loc. cit. n.* 7. poſt Suarez *lib.* 5. *de Legibus. cap.* 6. Card. Tuſchus *Litt. P. Concl.* 719. *n.* 15. Farinacius *d. part.* 2. *Fragment.* ℣. *Lex. n.* 74. citans communem aliorum; & *num.* 89. *& ſeq.* ſubjungens, quòd verba præſentis, vel præteriti temporis, de ſui naturâ importent Canonem latæ ſententiæ, dummodò per alia Jura, aut per ſubjectam materiam, ejúſque rationem non conſtet, quòd importent ſolùm ferendam ſententiam.

218 Reſp. VII. Pœnam latæ ſententiæ, ejúſque pleniſſimam firmitatem inducit addita particula, *Ipſo jure*, ſive (quod idem ſonat) *ipſo facto ſit excommunicatus, ſuſpenſus &c.* Idémque dicendum de illis dictionibus, *Mox*, *Ex tunc*, *Ex templo*, *illicò*, & alijs hujuſmodi, utpote quæ nullam temporis dilationem admittunt, ac proinde cenſentur ſignificare latam ſententiam. Felinus *c. Rodulphus. n.* 24. *de Reſcript.* Farinacius, *ubi ſupra. num.* 92. *& ſeqq.* ſingillatim hujuſmodi dictiones declarans.

Inſuper pœna latæ ſententiæ importatur, quando Legiſlator ſibi, aut legi ſuæ vim ipſius attribuit, v. g. dicendo: *Auctoritate noſtra, virtute præſentium &c. ſit excommunicatus, qui ſecùs egerit, Excommunicationem, quam nunc in ipſum proferimus, ſe noverit incurſurum*, & hujuſmodi. Et hoc intelligendo etiam de illis locutionibus, quæ cæteroquin ſolùm importarent ſententiam ferendam, juxta ſuperiùs dicta: nam ſi addantur tales clauſulæ, importabunt latam, & non tantùm ferendam ſententiam. 219

Objicies contra proximè dicta. Pœna nullitatis, vel privationis, ſæpiùs in ſacris Canonibus imponitur per Judicem, haud obſtante, quòd ipſo jure incurratur; ergo. Antecedens probatur. Sic enim jubetur irritari, vel etiam irritatur, ſeu caſſatur, quod ipſo jure irritum eſt, *cap. ult. de Poſtulat. Prælat. & c. Eccleſia veſtra.* 48. *de Elect.* & alibi. Item privatur Beneficio, vel poteſtate eligendi, qui ipſo jure eſt privatus, *c. Scriptum eſt.* junctâ Gloſsâ. ℣. *Privari* 40. *de Elect. & cap.* 1. *ac* 3. *de Clericis conjugat.* & alibi. Item econtrà abſolvitur à vinculo juramenti, vel excommunicationis, qui illud de jure non contraxit, *c. Pervenit.* 2. *de Jurejurand. & can. Audivimus.* 24. *q.* 1. *& c. Ad præſentiam. de Appellat.* junctâ Gloſsâ. ℣. *Abſolvi*, varias concordantias allegante. Reſp. neg. conſequent. Ad allatos Canones, & alios conſimiles textus Juris poſſunt, ac ſolent dari plures ſolutiones. Et quidem primò dici poteſt, quòd quando ex alijs textibus Juris habetur, ejuſmodi pœnas ipſo facto incurri, tales modi loquendi referantur duntaxat ad factum, ita videlicet, ut is, qui ipſo jure amiſit v. g. Beneficium, etiam per ſententiam Judicis quoad factum, & actualem poſſeſſionem, id relinquere cogatur. Secundò dici poteſt; quòd ejuſmodi textus contineant ſolam Juris declarationem, adeò ut illi, qui actum ipſo jure irritum commiſerunt, vel jus eligendi amiſerunt, aut ipſo facto excommunicati fuerunt, poſtmodùm ſubortâ lite per ſententiam Judicis tales declarentur: ſicque idem ſit, *privare*, ac privatum eſſe declarare; *irritare, & caſſare electionem*, ac ipſam irritam, & caſſam ſententialiter pronuntiare; *abſolvere*, ac abſolutum eſſe oſtendere, & hujuſmodi. Tandem, ſi quando cuipiam datur abſolutio ab excommunicatione, vel aliâ pœnâ, quam aliunde conſtat ipſo Jure fuiſſe nullam atque invalidam, vel à juramento pariter irrito, tunc ejuſmodi abſolutio datur ſolùm ad cautelam, ut notat Gloſſa *cit. can. Audivimus.* 24. *q.* 1. & alibi ſæpè. 220

§. X.

De Obligatione Legum Pœnalium.

SUMMARIUM.

221. *Quando lex continet pœnam ferendæ ſententiæ, non tenetur ad eam Reus ante ſententiam Judicis.*
222. *Corollarium de excommunicandis, privandis Beneficio &c.*
223. *Ejusmodi lex pœnalis obligat poſt ſententiam Judicis, & ad quid?*
224. *Reus captus poſt latam ſententiam mortis poteſt adhuc fugere, & cur?*
225. *An in hunc finem licitè poſſit vincula, & carceres perfringere?*
226. *Leges pœnam latæ ſententiæ continentes, quomodò obligent? Et num. ſeqq.*
Pœna ipſo jure impoſita, ſi aliam executionem externam non requirat, commiſſo crimine ſtatim habet locum in conſcientia. Ibid.
227. *Secùs eſt in pœnis externam executionem requirentibus, nam in his ulteriùs opus eſt ſententiâ declaratoriâ Iudicis.*
228. *Affertur ulterior hujus ratio.*
229. *Dummodò pœna non ſit impoſita ſub clauſulâ:* Aliâ etiam declaratione non ſecutâ.
230. *Notabilis differentia inter pœnas latæ, & ferendæ ſententiæ.*
231. *Et inter ſententiam condemnatoriam, & declaratoriam Judicis. Et num. ſeqq.*
232. & 233. *Quid operetur jus, bonâ conſcientiâ retinendi pœnam usque ad ſententiam Judicis?*
234. *Lex ipſo facto imponens privationem Beneficij; privat Reum titulo, non poſſeſſione ejus.*
235. *Clerici Beneficiarij omittentes recitationem Horarum, tenentur reſtituere fructus Beneficij ante ſententiam declarativam Judicis, & cur? Ac n. ſeqq.*
236. *Non eſt par ratio, Lucra non facere, & quæſita perdere.*
237. *Clauſula illa*, Aliâ etiam declaratione non ſecutâ, *impugnatur, & rarè locum habet. Et num. ſeqq.*
238. *Extravag.* Ambitioſæ, *non ubique uſu recepta eſt.*

221 QUæritur I. Qua ratione obligent leges, ſeu conſtitutiones pœnam ferendæ ſententiæ continentes? Reſp. I. Quando Lex, ſive conſtitutio Eccleſiaſtica, continet pœnam ferendæ duntaxat ſententiæ, ſive primùm à Judice infligendam, non tenetur Reus ad eam ſubeundam, vel ſolvendam, donec per ſententiam Judicis ad ipſam fuerit condemnatus. Ita Gloſſa *can. Fraternitas.* 12. *q.* 2. D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. & communis aliorum. Ratio eſt clara: quia Reus ad ampliùs non tenetur, quàm lex ipſi imponit: hæc autem ſolùm imponit, ut Reus pœnæ adjudicetur, atque ad eam per ſententiam judicialem condemnetur, quod ſpectat potiùs ad Judicem, quàm ad ipſummet Reum.

222 Infertur proinde, quando Reus, v. g. Clericus, propter crimen commiſſum per legem, ſeu conſtitutionem Eccleſiaſticam, excommunicandus, vel officio, aut Beneficio privandus decernitur (quæ formula continet duntaxat pœnam ferendæ ſententiæ) quòd is ante latam à Judice ſententiam poſſit validè, & licitè ſeſe gerere tanquam non excommunicatum, & non privatum, ſicque exercere omnes actus ſui officij, aut Beneficij: quia ipſe reverà ante latam Judicis ſententiam necdum incurrit ejusmodi pœnam, quamvis commiſerit crimen, ob quod excommunicandus, vel officio, aut Beneficio privandus eſt per Judicem.

223 Reſp. II. Lex pœnalis poſt ſententiam Judicis legitime latam obligat ad non reſiſtendum, & pœnam lege taxatam ſubeundam. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. & communis. Nam, imprimìs hocipſum convincit ratio legis, utpote per legitimam authoritatem communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi. Deinde idipſum confirmat illud D. Apoſtoli Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Atqui hoc faceret Reus, juſtè ac ſecundùm leges damnatus, & tamen judiciali ſententiæ reſiſtens; ergo.

Dices: Poteſt Reus captus etiam poſt latam ſententiam mortis, aut mutilationis, vel triremium, ad declinandum hujusmodi graviſſimum malum licitè fugere, juxta Doctorem Angelicum *loc. cit. ad* 2. & alios: ergo allata Concluſio non ſubſiſtit. Reſp. neg. conſeq. Senſus enim Concluſionis eſt, quòd Reus poſt latam ſententiam reſiſtere non debeat, juſtitiæ Miniſtris vim aut injuriam inferendo, ne alioquin legitimæ poteſtati, Deique ordinationi reſiſtere convincatur: ac proin, quòd Reus pati debeat pœnam ſuſtinendò, in quantùm juſtum eſt eum pati, ac ſententia ipſum afficit. Quia igitur ſententia judicialis non afficit Reũ, ut ipſe ſibi mortem inferat, aut faciat id, unde mors ſequatur, manendo ſcilicet in loco, unde ducatur ad mortem: hinc ad iſtud Reus non obligatur, ſicque licitè poteſt fugere, dum commodè poteſt, niſi forſan promiſiſſet, aut juraſſet, ſe permanſurum. 224

Et ob eandem rationem non pauci Doctores, ut Navarrus *cap.* 17. *Manual. n.* 102. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 15. *n.* 10. Cajetanus, Leſſius, & alij, ulteriùs 225

ulteriùs docent, reum mortis, mutilationis, vel etiam triremium, non ſolùm licitè fugere, ſed etiam in hunc finem vincula, & carceres perfringere poſſe. Nec obſtat textus *in L. 1. ff. de Effractorib.* ubi dicitur, *de ijs, qui carcere effracto evaſerunt, ſumendum eſſe ſupplicium.* Reſp. enim, licèt non improbabilis ſit contraria ſententia, quam idcircò ſequitur Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 14. num. 14.* Major *in 4. diſt. 15. q. 22.* & quidam alij: commodè tamen dici poſſe, quòd iſtud, cùm Reipublicæ interſit, ita Jure ſtatutum fuerit, ut publica cuſtodia magis conſervetur illæſa; adeóque hæc ſit lex merè pœnalis. Quāquam etiam fuga Rei, & carceris effractio, gravem præſumptionem admiſſi criminis, ac veluti confeſſionem ipſius generet, ob quam Reus fugitivus, ac effractor jure puniri poſſit pœnâ tali crimini correſpondente, licèt de hoc plenè non fuerit convictus, *arg. l. In eos.* junctâ Gloſsâ, & Bartolo *ibid. ff. de Cuſtodia & exhibit. Reor.*

26 Quæritur II. Quomodo obligent Leges pœnam latæ ſententiæ continentes? Reſp. I. Si pœna ipſo jure impoſita aliam executionem externam non requirat, ſtatim ut factum illud, cui talis pœna ipſo iure annexa eſt, committitur, habet ipſa locum in conſcientia. Ita Suarez *lib. 5. de Legib. cap. 5.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 27. n. 2. & diſp. 30. n. 2.* Ludov. Engel *h. t. n. 43.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 2. punct. 2. n. 1.* & alij. Et tales ſunt pœna excommunicationis latæ ſententiæ (nam excōmunicatio ſecum trahit executionem, *c. Paſtoralis. 53. de Appellat.*) & aliæ cenſuræ Eccleſiaſticæ, item irregularitates, impedimenta Matrimonij, & hujuſmodi: nam tales pœnas, ſi ſint latæ ſententiæ, ipſo facto, & ante omnem ſententiam Judicis incurri, recepta praxis, & uſus declaravit. Accedit ratio; quia conveniens erat, ut Eccleſia pro ſpirituali Fidelium emolumento, uteretur non ſolùm pœnis in Foro externo infligendis, ſed etiam pœnis illicò incurrendis ob peccata quantumcunque occulta, ut hâc ratione Subditi ampliùs à peccatis retraherentur. Idem probatur inductione: Sic enim *can. Si quis ſuadente. 17. q. 4.* excommunicatio lata in percuſſores Clericorum, ipſo facto incurritur: Idque accidit quoque in alijs cenſuris Eccleſiaſticis ipſo jure latis, *c. Cùm deſideres. 15. de Sentent. excomm. & c. Illud Dominus, & ſeqq. de Clerico excommunicat. miniſt.* & alibi. Idémque patet in irregularitate; ut *cap. ult. de Temporib. Ordinat. & c. Presbyterum, ac ſeqq. de Homicid.* Hoc ipſum conſtat de impedimentis Matrimonij: ſic enim affinitas conſurgit ex copulâ illicita, quantumcunque hæc ſit occulta: idem dicendum de impedimento criminis, & alijs hujuſmodi.

27 Reſp. II. Si pœnæ ipſo jure illatæ etiam externam executionem requirant (veluti eſt amiſſio dominij, confiſcatio bonorum, privatio Beneficij, aut officij Eccleſiaſtici, aut privatio alterius rei propriæ, & jam acquiſitæ) tunc ulteriùs ad obligationem in conſcientia producendam requiritur ſententia declaratoria Judicis ſuper crimine admiſſo; niſi lex in ſpecie addat clauſulam, *aliâ etiam declaratione non ſecutâ.* Ita Navarrus *tom. 2. Comment. de Datis & Promiſſis, notab. 31. n. 44.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 26. n. 7.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu 416. n. 62.* Sylveſter. *V. Hæreſis. I. n. 13.* Engel *h. t. n. 43.* Layman *lib. 1. tract. 4. c. 15. n. 6.* & alii ab ipſis citati; ac ſequitur Farinacius *part. 2. Fragment. V. Lex. n. 158.* appellans hanc magìs communem Doctorum ſententiam, licèt Bartolus, Jaſon, & quidam alij oppoſitum teneant. Prima pars Concluſionis deſumitur *ex c. Cùm ſecundùm 19. de Hæretic. in 6.* ubi bona Hæreticorum ipſo jure confiſcantur, & tamen ipſi non illicò in conſcientia obligantur bona ſua tradere Fiſco; quin etiam dictæ confiſcationis executio, ſeu bonorum occupatio, expreſsè prohibetur fieri ante ſententiam declaratoriam Judicis Eccleſiaſtici ſuper crimine Hæreſis admiſſo: ergo idem dicendum de alijs ſimilibus pœnis, externam executionem requirentibus, aut inducentibus privationem rei jam acquiſitæ; cùm de ſimilibus idem judicium ſit habendum, *c. Inter corporalia. de Tranſlat. Epiſc.*

Accedit ratio: quia lex debet eſſe poſſibilis moraliter obſervatu, ac *ſecundùm naturam*, id eſt, naturæ humanæ accommodata, *can. 2. diſt. 4.* Atqui talis non foret lex illa pœnalis, quæ tranſgreſſorem ipſo facto privaret re ſuâ jam obtentâ, ſicque requireret externam executionem, ac ſimul ad talem pœnam in ſe exequendam illicò obligaret in conſcientia ante omnem ſententiam Judicis, etiam declaratoriam. Hac enim ratione Delinquens teneretur ſui ipſius eſſe accuſator, Judex, Reus, & executor: quin etiam teneretur ſemetipſum ſpoliare rebus ſuis antehàc legitimè acquiſitis; quod partim naturæ humanæ admodùm grave foret, ac inſolitum, partim non careret periculo propriæ diffamationis. Idipſum confirmat communis uſus, & ſenſus hominum, quo habetur, non teneri Reum bonis ſuis jam acquiſitis ſeſe ſpoliare, ac pœnam privationis bonorum ſuorum, licèt ipſo jure impoſitam, ſtatim exequi ante omnem ſententiam Judicis. 228

Altera pars datæ concluſionis exemplificatur imprimìs per Concilium Trident. *Seſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* ubi decernitur, Epiſcopum, aliósque Clericos Curatos, legitimo tempore non reſidentes, *pro rata temporis abſentia fructus ſuos non facere, nec tutâ conſcientiâ, aliâ etiam declaratione non ſecutâ, retinere poſſe.* Hæc ibi. Aliud exemplum habetur *in Extravag.* Ambitioſæ. *De rebus Eccleſiæ non alienand.* ubi Prælati inferiores malè alienantes bona Eccleſiaſtica, ſuis Dignitatibus, & Beneficijs, *quorum res & bona alienârunt duntaxat, ipſo facto privati exiſtant, illáque abſque declaratione aliquâ vacare cenſentur.* Idipſum reperitur in Bulla 97. Pauli V. quæ incipit, *Regis pacifici* (& habetur *Tom. 3. Bullarij Romani*) ubi Pontifex innovavit Conſtitutiones Sixti IV. & Pij V. de Conceptione B. Mariæ Virginis editas, & quidem ſub certis pœnis *ipſo facto incurrendis, abſque alia declaratione.* Nam hujuſmodi clauſulæ debent aliquid operari, ne ſint ſuperfluæ. Verùm majoris claritatis gratiâ, 229

230 Objicies contra primam partem Concluſionis. Si pœnæ ipſo jure impoſitæ, ſed externam executionem requirentes, non obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis; ergo nulla erit differentia inter has pœnas latæ ſententiæ, & inter alias pœnas ferendæ ſententiæ: Conſequens eſt abſurdum; ergo. Prob. ſeq. maj. Quia utrobique ad inducendam obligationem æquè requireretur ſententia Judicis. Reſp. neg. ſequel. maj. cum ſua probatione: nam ad incurrendam pœnam ferendæ ſententiæ requiritur ſententia condemnatoria Judicis, ac debetur ſolùm à tempore latæ hujus ſententiæ: ut autem debeantur ſeu obligent pœnæ ipſo jure impoſitæ, quantúmvis externam executionem requirentes, ſufficit ſententia declaratoria Judicis ſuper admiſſo crimine, quæ per quandam juris Fictionem retrotrahitur ad tempus perpetrati ſceleris, cui pœna ipſo jure impoſita eſt, ſicque factâ per Judicem executione debetur pœna illa jam à die commiſſi criminis. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 22. n.* 33. *& cap. 26. n.* 7. Pirhing *tit. de Hæretic. n. 60.* Sylveſter *℣. Hæreſis. I. n.* 13. *&* 14. Engel *h. t. n. 43.* & alij.

231 Siquidem inter ſententiam condemnatoriam, & declaratoriam Judicis, hæc eſt notabilis differentia, quòd illa cadat ſuper ipſam pœnam, & hanc juxta præſcriptum legis imponat, ſeu ad iſtam Reum condemnet; unde non mirũ, quòd talis pœna primùm incurratur, ac debeatur à die latæ hujusmodi ſententiæ condemnatoriæ. At verò ſententia declaratoria non cadit ſuper ipſammet pœnam, ſed ſolùm ſuper crimen admiſſum, declarando, quòd quis reverà commiſerit tale crimen, ac reus ipſius exiſtat: quo facto ſubintrat pœna ipſo jure impoſita, & per dictam judicialem declarationem admiſſi criminis conſtat, hanc pœnam ipſo facto dudum fuiſſe contractam. Unde non mirandum, quòd ſententia declaratoria cenſeatur retrotrahi, ita ut pœna ipſo jure impoſita debeatur à die commiſſi criminis, & bona, v. g. Hæretici declarati, cenſeantur ipſo jure confiſcata, ſeu Fiſco obligata, jam à tempore commiſſæ hæreſis: adeò quidem, ut fructus intereà percepti debeant reſtitui Fiſco, nec valeant alienationes interim circa bona illa ipſo jure confiſcata factæ, ſed ſint penitùs reſcindendæ, veluti factæ à non habente ampliùs poteſtatem alienandi. Et patet hoc *ex L. ult. C. Ad Legem Juliam Majeſtat.* ubi damnatus ſuper crimine læſæ Majeſtatis, etiam poſt mortem, jam à criminis exordio perdit ipſo facto omnium rerum ſuarum adminiſtrationem: adeò, *ut ejus bona ſucceſſori ejus eripiantur*; & *ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere poſſit.* Idem ergò à pari dicendum de crimine Hæreſis, & ſi quod aliud eſt, ratione cujus bona ipſo jure confiſcantur, vel alia pœna externam executionem requirens imponitur.

232 Nec dicas. Si poſt latam ſententiam declaratoriam ſuper crimine admiſſo, non ſolùm debetur pœna, v. g. confiſcatio bonorum, amiſſio Beneficij &c. ipſo jure impoſita, ſed etiam omnes fructus à die comiſſi criminis retrò percepti reſtitui debent, ſimúlque reſcinduntur omnes alienationes interim circa ipſos factæ; ergo prorsùs erit fruſtraneum illud jus bonâ conſcientiâ retinendi pœnam. Reſp. enim neg. ſeq. Quia imprimis jus illud, ſeu facultas in conſcientia remanens, hoc operatur, ut ſi nunquam ſequatur ſententia declaratoria Judicis, nunquã reus talis criminis teneatur pœnam illam ſubire, ſponte v. g. dimittendo Beneficium Eccleſiaſticum, ejúsque fructus reſtituendo, aut bona ipſo jure confiſcata ad Fiſcum deferendo: ad hoc enim nemo tenetur in conſcientia ante ſecutam ſententiam declaratoriam.

Deinde jus illud hoc operatur, quòd etiam ſecutâ ſententiâ declaratoriâ ſuper crimine admiſſo, non teneatur crimino ſus illicò bona ſua deſerere, eáque v. g. offerre Fiſco: nam ulteriùs requiritur, ut ſententia illa authoritate Judicis mandetur executioni, ac ipſi Reo adimatur poſſeſſio illorum bonorum, quibus ob crimen ipſo jure privatus extitit, hæcque ab ipſo exigantur, & v. g. Fiſco applicentur. Et meritò hoc dicitur: tum quia duriſſimum, & naturæ humanæ valdè contrarium foret, quòd quis nemine exigente cogeretur pœnam tam gravem in ſemetipſo exequi. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 22. n.* 8. Covarruvias *part. 2. de Matrim. cap. 6.* §. 8. *n.* 10. & alij plures ab ipſis citati. Tum quia talem executionem ulteriùs requiri, ſatis indicatur *cit. c. Cùm ſecundùm. 19. de Hæretic. in 6.* ibi: *Confiſcationis tamen hujusmodi executio &c.* Tandem, quando etiam ſequitur tum ſententia declaratoria, tum illius executio, adhuc jus illud retinendi in conſcientia pœnam hoc operatur, quòd res, & fructus earum, ipſo jure ob crimen amiſſi, ampliùs tamen non extantes, ſed interim bonâ fide conſumpti, non debeant ampliùs reſtitui, nec eorum pretium refundi, ſi exinde poſſeſſor tempore declarationis non ſit factus locupletior. Engel *h. t. n.* 43. 233

Objicies ulteriùs. Quando lex ipſo facto imponit privationem, v. g. Beneficij, ante ſententiam Judicis, jam habet ſuum effectum (alioquin enim gratìs, & fruſtrà imponeretur alia pœna per Legem, & alia per Judicem) Atqui ſi lex ante Judicis ſententiam jam habet ſuum effectũ, non eſt opus aliâ Judicis ſententiâ, cùm privatio Beneficij, & ipſum Beneficium nequeant ſimul ſtare, quia privativè opponuntur; ergo. Reſp. cum Leſſio *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 29. n. 64.* quòd leges, quibus additur, *ipſo facto ſit privatus Officio, vel Beneficio*, privent titulo, ſeu jure ad Beneficium, non autem ejus poſſeſſione. Hinc diſting. maj. Lex illa habet ſuum effectum privando Reũ titulo Beneficij, quatenus ipſo facto amittit jus ad Beneficium, conced. Privando etiã ejus poſſeſſione, neg. maj. & ſic diſtinct. min. neg. conſeq. Exemplum hujus aptiſſimum ad propoſitum habetur *in c. Licèt Epiſcopus. 28. de Præbend. in 6.* ubi Beneficium ipſo jure vacans liberè confertur ab Epiſcopo, & tamen non poteſt Epiſcopus eum, cui Beneficium tale contulit, in ejus poſſeſ- 234

poſſeſſionem inducere, niſi poſſeſſore priùs vocato.

35 Objicies tertiò. Clerici Beneficiarij omittentes Horas Canonicas, poſt primos ſex menſes, tenentur pro rata ad reſtitutionem fructuum Beneficialium in conſcientia ante aliam ſententiam declaratoriam Judicis: atqui in legibus, hanc pœnam imponentibus, non habetur clauſula illa, *Aliâ etiam declaratione non ſecutâ*; ſimúlque hîc intervenit externa executio; ergo. Major eſt certa, adeò ut oppoſitum reprobaverit Alexander VII. anno 1665. inter alias Propoſitiones etiam ſequentem, ordine 20. damnando: *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.* Minor patet ex Bulla Leonis X. *Supernæ diſpoſitionis* (& refertur *Tom. 1. Bullarij Romani*, *Conſtit.* 7. ipſius) ac etiam ex alia Bulla B. Pij V. *Ex proximo* (& habetur *Tom. 2. dicti Bullarij*, *Conſtit.* 135. ipſius) in quibus injungitur præfata obligatio reſtituendi fructus absque ullâ additâ tali clauſulâ. Reſp. Concluſionem noſtram loqui de pœna externam executionem requirente, adeóque de pœna propriè dicta, id eſt, tali, qua quis privatur re, quæ omninò & abſolute erat ſua, & jam quæſita, ſeu obtenta, ut fit in allatis *num.* 227. exemplis: non verò de pœna impropriè dictâ, id eſt, tali, quæ acquiſitionem alicujus rei impedit.

6 Et ratio hujus diſtinctionis eſt: quia non eſt par ratio, Lucra non capere, & quæſita perdere. *L. ult. C. de Codicill. & l. Si Sponſus.* §. *Si maritus. ff. de Donation. inter vir. & uxor.* Si autem deberetur pœna propriè dicta ante ſententiam declaratoriam, cogeretur quis perdere quæſita; in altero autem caſu ſolùm quis lucra non caperet, quod multò faciliùs contingere ſolet. Et hoc poſterius fit in propoſito: nam, ut citati Pontifices loquuntur, Clerici Beneficiarij pro rata omiſſionis Horarum Canonicarum *fructus non faciunt ſuos*: ac proinde incurrunt pœnam privationis fructuum Beneficialium ſolùm impropriè dictam, ſeu quatenùs horum lucra capere non poſſunt. Unde eo fermè modo, quo Legatarius privatur Legato ſibi ſub certa conditione relicto, ſi hanc adimplere negligat: ita & Clerici non recitantes privantur, ac tenentur reſtituere fructus Beneficiales, utpote quos non faciunt ſuos, niſi ſub conditione recitatarũ Horarum Canonicarum. Inſtabis, &

Objicies contra alteram partem Concluſionis. In Concilio Tridentino *cit. Seſſ.* 23. *cap. 1. de Reform.* pariter eſt ſermo de pœna ſolùm impropriè dicta, ſeu tali, quæ impedit lucrum, ſive acquiſitionem fructuum Beneficialium, prout liquet ex verbis *num.* 229. relatis; ergo inde nihil probatur pro altera parte concluſionis. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti, nego conſequent. Nam textus ille rectè adducitur exempli gratiâ, ad indicandum, quòd idem ſit dicendum in alijs caſibus, ubi lex pœnalis imponit pœnam illicò incurrendam, *aliâ etiam declaratione non ſecutâ*; prout hoc ipſum ampliùs probat *cit. Extravag. Ambitioſæ.* 237

Quia tamen dicta *Extravag. Ambitioſæ.* in pluribus locis non eſt uſu recepta quoad totum ſuum rigorem, pœnáſque, & cenſuras ſuſpenſionis, atque privationis, ut notant Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 149. Covarruvias *lib. 2. var. Reſolut. cap.* 16. *n.* 6. Leſſius *lib. 2. cap.* 24. *n.* 64. Herincx *Diſp.* 5. *de Legib. q.* 2. *num.* 14. Pirhing. *Tit. de Rebus Eccleſ. non alien.* & alij. Atque etiam, ubi ipſa quoad pænam privationis fuit uſu recepta, priùs debet vocari, & audiri prior Poſſeſſor, antequàm alius in poſſeſſionem Beneficij ſic vacantis, ſibíque collati inducatur, *c. Licèt Epiſcopus.* 28. *de Præbend. in 6.* Hinc patet, paucas admodùm, & vix aliquas dari leges pœnales, quæ requirunt executionem externam, ſeu privant ipſo jure criminoſum bonis ſuis jam quæſitis, ac obtentis; & nihilominus in conſcientia obligant ad ſubeundam ejusmodi pœnam ante omnem ſententiam Judicis, etiam declaratoriam. Rerverà enim tales leges non adeò ſunt ſecundùm naturam hominum, neque horum genio accommodatæ; quamvis rebus ſic exigentibus à Legislatore ferri poſſint. 238

§. XI.

De Lege Irritante, ejúsque Obligatione, ac Effectu.

SUMMARIUM.

239. *Poſſunt lege conditâ irritari quidam contractus, aliique actus, ut nullius ſint roboris.*

240. *Lex dupliciter poteſt irritare contractum, nimirum vel ipſo jure,*

241. *Vel per ſententiam Judicis.*

242. *Regulæ ad dignoſcendum, an lex ipſo jure irritet contractum, vel per ſententiam Judicis.*

243. *Irritatio actûs alia explicita, alia implicita, quid?*

244. *Si lex prohibet actum, ſed non irritat, tunc is eſt validus, ſed non licitus.*

245. *Si lex contractum non ipſo jure irritet, ſed à Judice irritandum decernat, valet is, donec per ſententiam Judicis reſcindatur.*

246. *Notabilis objectio. Et ſeqq.*

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Hæc Regula ampliùs urgetur. Ibid.*

247. 248. 249. & 250. *Explicatur, & concordatur cum alijs Juribus.*

251. *Si lex ipſo jure irritet contractus, electiones &c. nulla iſtis tribuitur actio in Foro externo; imò hi jam ab initio fuerunt invalidi.*

252. *Quomodo nihilominus dicantur irritandi per ſententiam Judicialem ?*

253. *Etiam pro Foro conſcientiæ nullum habent effectum, nullámque inducunt obligationem, quando per legem pleniſſimè infirmantur.*

254. *Idem probatur inductione.*

255. *Secùs, ſi non pleniſſimè, ſed civiliter tantùm ipſo jure infirmentur, ſimúlque nemo ſe opponat: nam tunc in conſcientia tutus eſt, qui virtute talis actûs aliquid poſſidet.*

256. *Exemplificatur hoc, ac probatur tum authoritate. Et num. præced.*

257. 258. & 259. *Tum ratione.*
Effectus principalis obligationis naturalis, qui? Num. 257.

260. 261. & 262. *Solvuntur objectiones contra Concluſionem.*
Differentia inter Legem actus ipſo jure irritantem, & inter legem actus irritantem ſecutâ ſententiâ Judicis. Cit. n. 260.

239 QUæritur I. An, & quibus modis per Leges, ſive Conſtitutiones, poſſint irritari contractus, electiones, aliíque actus. Reſp. I. Certum eſt, quòd Legiſlator lege à ſe conditâ, pro bono Communitatis, poſſit quoſdam contractus, alióſque actus humanos ita irritare, ut nullius ſint roboris ac momenti. Patet hoc imprimis ex utroque Jure, hujuſmodi leges, ſive conſtitutiones quamplures continente; ut *c. Quia propter. 42. §. Aliter. de Election. & c. Non debet. 8 de Conſanguinit. & affinit. & l. Non dubium. C. de Legib.* cum plurimis ſimilibus. Accedit Ratio: quia hæc poteſtas æquè neceſſaria eſt in Legiſlatoribus ad bonum guberniumReipublicæ, ſicut poteſtas quidpiam prohibendi, Subditóſque obligandi: ut ſic impijs malitioſorum machinationibus eò potentiùs obviari, caſſatíſque ipſorum pernicioſis actibus proborum indemnitas, & tranquillus Reipublicæ ſtatus conſervari valeat. Unde ſapiens Legiſlator, *non ad inſtar imperiti Medici, uno collyrio,* ſive obligando tantùm, *omnium oculos vult curare,* can. Neceſſe eſt. diſt. 29. Sed *quia novis morbis nova convenit antidota præparari*, c. Cæterùm de Juram. calum. nonnunquam ſuadente ſic bono communi, conatus & actus improborum irritare, & caſſare ſatagit.

240 Reſp. II. Generatim loquendo, dupliciter poteſt Lex irritare contractum, aliúmve actum, videlicet vel ipſo jure, vel per ſententiam Judicis. Ita communis. Et quidem ipſo jure cenſetur irritare contractum, aliúmve actum, quando Lex per ſeipſam, & non exſpectatâ ſententiâ Judicis, ipſum irritat, caſſat, & annullat: uti accidit in impedimentis jure Eccleſiaſtico dirimentibus Matrimonium, & nonnullis alijs, de quibus ſuo loco. Et actus ille, qui per ipſammet legem caſſatur, ſeu annullatur, dicitur ipſo jure, ac (quod idem ſonat) ipſo facto irritus; adeò, ut non ſit neceſſe, exſpectare aliam Judicis irritationem.

241 Porrò per ſententiam Judicis lex irritat contractum, aliúmve actum, quando ipſum non irritat per ſeipſam, ſed ſolummodò decernit, ipſum per ſententiam Judicis eſſe irritandum, ſive annullandum. Et hac ratione Lex irritat actum non ipſo jure, ſed exſpectatâ, & ſecutâ primùm ſententiâ judiciali: ut eſt contractus venditionis, in quo intervenit deceptio ultra dimidium juſti pretij, *L. 2. C. De reſcind. vendit.* Item contractus ex metu gravi, atque injuſtè incuſſo celebrati, juxta Gloſſam in *c. Super hoc. ℣. Reſignationis, de Renuntiat.*

Cæterùm ad dignoſcendum, an lex ipſo jure 242 irritet contractum, aliúmve actum, vel primùm per ſententiam Judicis irritandum decernat, eædem Regulæ (ſervatâ tamen proportione) deſerviunt, quæ ſuprà *num. 207. & ſeqq.* aſſignatæ fuerunt ad diſcernendum, an Lex pœnalis contineat pœnam latæ, vel ferendæ ſententiæ. Unde non immeritò Farinacius *part. 2. Fragment. ℣. Lex. n. 56. & ſeqq.* ſimul, & pariformiter diſcernendum cenſet, atque loquitur de pœna ipſo jure impoſitâ, & de nullitate actûs ipſo jure inductâ, dummodò attendantur proprij termini, hinc inde loquentes.

Reſp. III. Ulteriùs irritatio actûs alia eſt im- 243 plicita, alia explicita. Ita communis. Et quidem *Irritatio explicita* dicitur, quæ fit verbis claris, & expreſſis: ut ſi lex dicat, ſi ſecùs fiat, omni careat robore firmitatis, *c. Decet. §. fin. de Immunit. Eccleſ. in 6.* aut irritum ſit & inane, *Clem. 2. De rebus Eccleſ. non alien.* cum ſimilibus. *Irritatio implicita eſt*, quæ fit per verba æquivalentia: ùt fit, quando certa forma præſcribitur actui, ſive contractui, *arg. c. Actus legitimi. de Reg. Jur. in 6. & ff. eod.* & alibi. Nam, quia forma dat eſſe rei, conſequenter eâ deficiente corruit actus, *c. Cùm dilecta. 22. de Reſcript. & c. Examinata. de Confirmat. utili.* cum ſimilibus. Quod ipſum pariter dicendum eſt in caſu, quo lex quempiam reddit inhabilem ad agendum, ſeu contrahendum; prout Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* clandeſtinè contrahere volentes, inhabilitavit ad ſic contrahendum. Neque tunc actus contra Legis, ſive Statuti formam factus, partium conſenſu confirmari poteſt, *arg. c. Si diligenti,* & ibi Felinus *num. 7. de Foro compet.* Menochius *lib. 1. de Arbitrar. Judic. quæſt. 30. n. 6.* Farinacius *d. ℣. Lex. n. 182.* & alij.

Quæritur II. Quæ ſit obligatio, atque effe- 244 ctus Legum irritantium contractus, electiones, aut alias diſpoſitiones? Reſp. I. Quando Lex prohibet quidem contractum, aut aliam diſpoſitionem, ſed ipſum non infirmat, neq; à Judice infirmandum decernit, valet quidē contractus, tamen ita contrahens peccat; & tunc ejuſmodi contractus (idem de quacunque aliâ diſpoſitione à Jure prohibita ſentiendum) dicitur eſſe validus, ſed non licitus. Ita communis Doctorum; atq; liquet *ex c. Ad Apoſtolicam. De Regularib.* ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Sic Matrimonium prohibetur celebrari tempore Interdicti, vel ante trinam denuntiationē, aut cum voto ſimplici caſtitatis;

&

& tamen, ſi ita contrahatur, validum eſt, etſi non licitum.

45 Reſp. II. Quando Lex contractum non ipſo jure irritat, ſed à Judice duntaxat infirmandum decernit; certum inſuper eſt, eum valiturum, donec per ſententiam Judicis reſcindatur. Patet hoc *ex c. Cùm jam dudum. 18. de Præbend.* ibi: *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debent tolerari.* Idem exemplificari poteſt de contractibus, tranſactionibus, renuntiationibus, & conſimilibus actibus, per metum gravem, atq; injuſtè incuſſum celebratis, qui licèt regulariter ſint validi, tam pro Foro externo, quàm conſcientiæ, juxta Gloſſam *in c. Super hoc. ℣. Reſignationis. de Renuntiat.* ac tenet communior Doctorum; nihilominus ita ſuadente æquitate per ſententiam Judicis reſcindi, atq; in irritum revocari poſſunt, & debent, per ea, quæ notantur *cap. 2. ſeqq. De ijs, quæ vi, metúsve cauſâ fiunt.* Verùm contra dicta, licèt communiter recepta, urget notabilis inſtantia: hinc

46 Objicies. Juxta Regulam 64. Juris. in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Idémque habetur *can. Imperiali. 25. quæſt. 2.* Neque juvat dicere, talia pro infectis eſſe habenda, non quidem ipſo jure (niſi ſecùs exprimatur) ſed duntaxat per ſententiam Judicialem, quæ exſpectanda eſt, & ſubſequi debet. Nam contrà eſt: quia imprimis hæc reſponſio non ſalvat dicta in prima Concluſione; dum ex ipſa ſequeretur, Matrimonium contra Interdictum Eccleſiæ, vel cum voto ſimplici caſtitatis contractum, per ſententiam Judicialem irritari, ac pro infecto haberi poſſe: quod aliunde patet eſſe falſum. Deinde eadem reſponſio directè reprobatur *ex l. Non dubium. C. de Legib.* ibi: *Nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.* Et infrà: *Ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt Legislator fieri prohibuerit tantùm, non ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt.* Et ne quis dicere valeat, hoc procedere duntaxat de Jure Civili, ulteriùs inſtatur, quòd hæc Lex fuerit canonizata *in d. can. Imperiali. 25. quæſt. 2.* ubi S. Gregorius Papa ſic inquit: *Imperiali Conſtitutione apertè ſancitum eſt, ut ea, quæ contra leges fiunt, non ſolùm inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint.*

47 Ad hanc notabilem Objectionem, & concordanda Jura proximè allegata, quæ primâ fronte poſſent videri ſibi contraria, plures à Doctoribus fuerunt excogitatæ reſponſiones; uti videre eſt apud Gloſſam *in d. Reg. 64. Juris in 6.* & aliam Gloſſam *in Clem. 1. ℣. Inhibentes. de Jure Patronat.* Bartolum *in l. Non dubium. n. 4. & 5.* & ibi Jaſonem *n. 17. & ſeqq. C. de Legib.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 16. n. 3.* & alios. Et quidem dimiſſis reſponſionibus jam *num. præced.* relatis, ac refutatis,

48 Imprimis dici poteſt, legem illam. *Non dubium*, procedere, quando lex prohibet ſubſtantiam actûs, ſive contractûs: ſecùs, ſi lex ſolùm prohibeat qualitatem in aliquo actu, vel contractu. In hoc quippe caſu actus contra legem factus, non eſt irritus ipſo jure, imò valet; *arg. Auth. Decernit jus,* junctâ Gloſſâ. *℣. Sacramenti. C. de Receptis arbitris,* ac notat Jaſon *loc. cit. n. 20.* poſt Paulum de Caſtro, & Farinacius *part. 2. Fragment. ℣. Lex. n. 199. & 216.* citans alios, idque exemplificans in caſu, quo Lex, ſive Statutum, mandat aliquid fieri certo modo, certo loco, aut tempore, & actus fiat alio modo, alio loco, aut tempore: tunc enim actus contra talem prohibitionem factus, non eſt nullus; niſi lex, aut Statutum, ulteriùs procedendo eundem annullaverit, vel modum illum veluti formam actûs præſcripſerit.

Deinde, & adhuc magìs expeditè, dici poteſt 249
cum Bartolo, *ubi ſuprà,* & Jaſone *loc. cit. num. 19.* ac alijs, quòd dicta *in l. Non dubium.* locum habeant, quando lex ſtat in terminis prohibitionis: Secùs, ſi lex prohibeat quidem, tamen poſtmodùm ulteriùs procedat diſponendo, quòd actus valeat; aut dando alia remedia ad actum illum infringendum. Nam tunc ſatis apparet, quòd actus non ſit ipſo jure nullus; alioquin enim lex fruſtrà dictis modis ulteriùs procederet: uti contingit in contractibus, alijsque actibus ex metu gravi, atque injuſtè incuſſo celebratis, ac hujusmodi, ubi Lex ad reſcindendum actum exſpectat ſententiam Judicialem, ſicque ultrò fatetur, quòd actus cæteroquin prohibitus, non ſit nullus ipſo jure, ſed primùm irritandus, ſeu annullandus per ſententiam Judicis.

Et conformiter huic magìs communi reſpon- 250
ſioni concludendum, atq; pauci præmiſſa complectendo breviter dicendum eſt, quòd quando Lex ſtat in terminis prohibitionis, locum habet *l. Non dubium.* At ſi ulteriùs Lex procedit diſponendo, quòd actus valeat (ut fit in Matrimonio contra Interdictum Eccleſiæ, vel cum voto ſimplici caſtitatis contracto &c.) tunc verificatur illud, *Mula fieri prohibentur, quæ &c.* Si autem procedat Lex dando media ad infringendum actũ, habebit locum altera regula, *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi &c.* Quamquam circa hæc dignoſcenda oporteat non ſolùm attendere ad verba legis, ſed etiam ad receptam hactenus conſuetudinem, utpote quæ eſt optima legum interpres. Quinimò, quòd Lex illa, *Non dubium,* ob extraordinarium rigorem contrariâ conſuetudine fuerit abrogata, teſtantur varij Authores, quos tacito nomine allegat Henricx *part. 2. diſp. 5. de Legib. num. 34.*

Quæritur III. Quid juris, ſi Lex ipſo jure irri- 251
tet contractus, electiones, aut alias diſpoſitiones? Reſp. I. Loquendo in ordine ad Forum externum, certum eſt, hujusmodi actus ita civiliter annullari, ut non ſolùm nulla eis actio in Foro externo tribuatur; ſed, quòd ipſo facto, & jam ab initio fuerint irriti & invalidi, per Judicis ſententiam declarari debeant: adeò quidem, ut omnis eorum effectus unà cum fructibus, quos inde quisjam perceperat, penitùs reſcindatur, ac ſi nunquam ullum valorem habuiſſent. Ita communis Doctorum; & conſtat ex recepta

praxi, atque ipſamet poteſtate Legiſlativa ſupremis Principibus competente, quâ non ſolùm habent facultatem obligandi Subditos, quidpiam eis præcipiendo, vel prohibendo: ſed etiam annullandi eorum actus, quando iſtud bono communi expedire judicaverint. Hoc ipſum probat recepta Juris utriuſque praxis, quâ juſtis de cauſis certi actus, ſeu contractus, ipſo jure annullantur, & caſſantur: ut patet in Matrimonio cum impedimento dirimente contracto, in electione celebrata contra formam Concilij Generalis, *in c. Quia propter. 42. de Elect.* relatam, & alijs hujusmodi,

Nec obſtat, quòd electio contra formam ci-
252 tati Concilij Generalis celebrata, poſteà primùm per Summum Pontificem quandoque irritetur; prout irritata fuit. *in c. Cumana. 50. de Elect.* ibi: *Unde nos electiones ipſas, præſumptas etiam contra formam Concilij Generalis - - de Fratrum noſtrorum conſilio ſententialiter duximus irritandas:* quibus ſimilia etiam alibi habentur. Reſp. enim, hujusmodi ſententiam Pontificis, vel Judicis, quoad actus ipſo jure nullos prolatam, in effectu eſſe declaratoriam, quòd ejusmodi actus ſint, ac jam in anteà fuerint ipſo Jure irriti, & invalidi, ac nullius roboris. Item verba illa, *Duximus irritandas*, ac ſimilia, à Judice prolata, procedunt de facto, quatenùs Papa, vel alius Judex, poſt motam deſuper litem per ſententiam Judicialem pronuntiat, & declarat, tales actus laborare vitio Canonico, ob quod ſint cenſendi invalidi, ac jam ipſo jure in anteà irriti extiterunt.

Reſp. II. Loquendo in ordine ad Forum
253 conſcientiæ, & utrum ex tali actu de jure irrito acquiſitum, poſſit tutâ conſcientiâ retineri ſaltem ante ſententiam Judicis, diſtinguendum eſt: nam, ſi ejusmodi actus, ſive contractus, ipſo Jure naturali fuit irritus, vel ſaltem per Legem poſitivam pleniſſimè infirmatus, tollendo videlicet obligationem ipſius non ſolùm civilem, ſed etiam naturalem: tunc ex hujusmodi actu, ſive contractu nullus effectus, nulláque obligatio, ne quidem pro Foro conſcientiæ oritur; adeoque inde acquiſita, etiam in conſcientia, & ante omnem Judicis ſententiam, reſtitui debent. Ita unanimis Doctorum. Ratio eſt: quia actus ita pleniſſimè infirmatus, tam quoad obligationem civilem ſcilicet, quàm quoad naturalem, æquiparatur actui, qui Jure naturali eſt irritus; ſicque nullum penitùs valorem habere poteſt, ſicut nec iſte habet. Antecedens patet: quia in utroque deficit omnis prorſus obligatio.

Idem probatur inductione: nam ſicut contra-
254 ctus ab Infante, vel prorsùs invito, aut ex errore circa actûs ſubſtantiam commiſſo celebratus, nullius penitùs eſt roboris: ita etiam v.g. Matrimonium cum impedimento dirimente contractũ, ut putà intra gradus conſanguinitatis, vel affinitatis Jure Eccleſiaſtico prohibitos, aut ſine præſentia Parochi & teſtium in loco recepti Concilij Tridentini, nullius omnino eſt roboris, etiam in Foro conſcientiæ, & ante omnem ſententiam Judicis. Idẽ accidit in Profeſſione Religioſâ ante añum decimũ ſextũ ætatis, vel unum Novitiatûs emiſſã, utpote quam Concilium Tridentinũ *Seſſ. 25. cap. 15. de Regularib.* totaliter invalidavit; adeò, ut nullam inducat obligationẽ, vel effectũ. Et idem dicendum de ſimilibus, ubi actum pleniſſimè infirmari, ex verbis Legis, ſeu Canonis conſtare poteſt.

Reſp. III. Quando contractus, aliúsve actus, 255
ipſo jure civiliter tantùm irritus eſt, ſed de Jure naturali ſubſiſtit, neq; per legem poſitivam Civilem, aut Eccleſiaſticam, pleniſſimè infirmatur: tunc, ſi nemo ſeſe opponat, ejúsque reſciſſionem petat, ille in conſcientia tutus eſt, qui virtute ipſius aliquid poſſidet. Ita Abbas Panormitan. *in cap. 1. num. 19. De in integr. reſtitut.* ubi motâ quæſtione, an qui in alienatione, cæteroquin in caſu licito facta, ſed ob non ſervatam formam ipſo jure irritâ, quidpiam acquiſivit, tutus ſit in Foro animæ? Reſp. poſt Jo. Andream affirmative: eò, quòd talis Contractus teneat ſecundùm limites Juris naturalis, ſeu Gentium, cùm de jure naturali, ſeu Gentium ſufficiat ſolus conſenſus.

Simile quid docet Innocentius *in c. Quia prop-* 256
ter. de Elect. dicens, quòd electus ſit tutus in Foro animæ, ſi electio ſua (contra quam nemo ſe oppoſuit) tenuit de Jure gentium, licet non fuerit ſervata forma à Jure poſitivo tradita. Idem tenet Layman *in c. Auditis. n. 1. de Election. & lib. 1. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 16. n. 6.* ubi hoc exemplificat de ludo alearum, de contractu cum pupillo celebrato, de teſtamento minùs ſolemni, de pœna ſponſalibus adjecta, de donatione ultra quingentos ſolidos, item de electione, quæ ob defectum alicujus ſolemnitatis Jure poſitivo requiſitæ irrita eſt, & nonnullis alijs. Eandem ſententiã, tanquam probabiliorem, amplectitur Bannes *quæſt. 62. diſp. 3. p. 100.* Ipſamq; videri ſatis probabilem, ſpectato maximè uſu, qui paſſim receptus eſt, inquit Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 19. n 34.* Cui etiam favet Herincx *part. 2. diſp. 5. de Legib. n 39.* qui, licet ex propriâ mente (ſicut & Leſſius *num. 35.*) teneat oppoſitam ſententiam, ait tamen, non deeſſe Doctores, qui probabile exiſtiment, valere in conſcientiâ contractus, electiones, &c. quibus deeſt ſolemnitas Juris Civilis, ſi contrahentes ſint per ſe habiles, & adſit plenus utrimque conſenſus: Idipsũ Præpoſitus *quæſt. 95. dub. 3. n. 49.* ait, nõ videri omninò improbabile: quamvis non pauci, quos citat, & ſequitur Farinacius *cit. §. Lex. n. 181.* teneant oppoſitum, volentes, ex actu contra legis prohibitionem facto nullam, ne quidem naturalem obligationem oriri.

Ratio Concluſionis eſt: quia principalis effe- 257
ctus obligationis naturalis, & ab hac penitùs inſeparabilis, eſt, quòd creditori jus tribuat accipiendi, & retinendi illud, quod ipſi naturaliter debitum eſt, ac ſolvitur: Atqui in talibus actibus, qui per legem pleniſſimè nõ irritantur, remanet adhuc obligatio naturalis, ſaltẽ donec hæc per ſententiã Judicis in Foro externo reſcindatur; ergo. Major patet: quia per obligationem naturalem intel-

intelligitur ea, quæ ex Jure gentium per conſenſum oritur, *arg. l. Cùm ampliùs. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.*

58 Minor verò probatur. Tum quia dubitari non poteſt, quin Legiſlatores ita ſtatuere potuerint, irritando videlicet tales actus, ſive contractus absque debita juris ſolemnitate celebratos, pro ſolo Foro externo, ac tollendo duntaxat obligationem ipſorum civilem, remanente eorum obligatione naturali, donec hæc per ſententiam Judicialem elidatur; ergo ſtante inter Doctores dubio tã rationabili, quid egerint, hoc ipſum aſſerendum: nam *in obſcuris minimum eſt ſequendum*, ut habet vulgata *Reg. 30. Juris in 6.* junctâ *l. Semper in obſcuris. ff. de Reg. Jur.* Tum quia hac ratione fini legis præſertim Civilis, ac communi bono Reipublicæ, abundè ſatisfit, & conſulitur; prout à ſimili oſtendunt leges, quæ irritant actus, ſeu contractus, exſpectâ, & ſecutâ primùm ſententiâ Judicis.

Confirmatur hoc ulteriùs. Quia ejusmodi le-
59 ges non niſi juxta talem moderationem fuerunt uſu receptæ; ergo, quidquid ſit de primæva mente Legiſlatorum, ſaltem defactò non ampliùs obligant, niſi juxta datam moderationem: ita videlicet, ut ipſo jure tollant ſolam obligationem civilem, relictâ tamen naturali, donec hæc per ſententiam Judicis elidatur. Antecedens probatur ex eo: quia ſpectato uſu, qui paſſim receptus eſt, non eſt conſuetum inter homines, ut quis ea, quæ per ejusmodi contractus acquiſivit, reſtituat, niſi cogatur per ſententiam Judicialem: quinimò durum foret, ut qui rem habet ex conſenſu ejus, qui poterat ipſam tradere, cogatur eam ſponte reddere ob aliquam juris ſolemnitatem non obſervatam, de cujus intentione, ſeu modo obligandi, etiamnum lis eſt inter Doctores. Certè Leges pœnales, quæ continent pœnam latæ ſententiæ, ſi hæc requirit externam executionem, non obligant in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis: quidnî hoc ipſum dicatur de Legibus irritantibus contractus? Verùm majoris claritatis gratiâ,

Obijcies contra datam Concluſionem. Stan-
60 te hâc ſententiâ ſequitur, nullam eſſe differentiam inter legem actus ipſo jure irritantem, & inter Legem irritantem actus exſpectatâ, & ſecutâ primùm ſententiâ Judicis; nam in utraque requiritur ſententia Judicis: atqui hoc eſt abſurdum, & contra receptiſſimam diviſionem Legis in irritantem actus ipſo jure, & per ſententiam Judicis; ergo. Reſp. neg. ſeq. maj. Nam, quando Lex irritat actum duntaxat per ſententiam Judicis, valet is ante hujusmodi ſententiam, tam civiliter, quàm naturaliter; ac proinde invaliditas ipſius primùm computanda eſt à tempore latæ ſententiæ, fructus autem antecedenter percepti remanent illi, qui ex tali actu factus erat poſſeſſor, illósque jam collegit. Secùs dicendum in Lege irritante actum ipſo jure: nam actus contra eam geſtus, licèt naturaliter obligârit ante ſententiam Judicis, nunquam tamen valuit civiliter: ac proin, ſi ſubſequatur ſententia ſuper nullitate ejus, hæc per Fictionem juris retrotrahitur, ita ut actus ille cenſeatur eſſe, ac ſemper fuiſſe invalidus, & nullius roboris; ſicque ipſe non ampliùs prodeſt quoad retentionem fructuum jam perceptorum, ſed hi omnes ſunt reſtituendi: prout in ſimili jam ſuprà *num. 231.* dictum eſt de differentia inter ſententiam declaratoriam, & condemnatoriam Judicis.

Dices. Simoniacè electus tenetur in Foro 261
conſcientiæ renuntiare Prælaturam, vel Beneficium, ad quod electus eſt; ergo electio v. g. non ſervatis ſolemnitatibus Juris celebrata (& idem de alijs contractibus ipſo jure irritis dicendum) etiam ante ſententiam Judicis nullum omninò producit effectum. Antecedens patet *ex c. Matthæus. de Simonia*, junctâ *Extravag. Cùm deteſtabile eod.* ubi dicitur, quòd *per electiones, poſtulationes - - quas ſimoniacâ contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant - - cuiquam jus nullatenùs acquiratur, vel inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit aſtrictus.* Reſp. neg. conſequent. Nam, quod allegatur de ſimoniacè electo, id fit ex eo, quia ibi intervenit vitium perſonæ ob admiſſum crimen ſimoniæ; non autem defectus alicujus duntaxat ſolemnitatis à Jure requiſitæ, in quò caſu procedit noſtra Concluſio. Accedit, quòd electio Simoniaci per Jus Canonicum pleniſſimè infirmetur, prout liquet ex allatis Juribus: quâ de causâ ſimiliter contractus matrimonialis, cum impedimento dirimente attentatus, nullum penitùs producit effectum; nè quidem naturalem obligationem, & pro Foro conſcientiæ; quia vel perſonæ inhabilitantur ad ſic contrahendum, vel ipſe contractus matrimonialis cum impedimento dirimente initus pleniſſimè infirmatur per Eccleſiam, communi etiam ſenſu Fidelium id agnoſcente, & approbante.

Urgebis. Electus in excommunicatione non 262
poteſt licitè Beneficium retinere, *c. Paſtoralis. de Cleric. excommunic. miniſtrant.* Idémque dicendum de electo ab excommunicatis, vel ſuſpenſis, utpote cùm hi eligere non valeant, *c. Cùm dilectus. de Conſuetud. & c. Cùm inter R. de Election.* cum concordantijs. Reſp. Talia procedere poſt ſententiam à Judice latam; alias ſecùs eſſe, loquendo de Foro conſcientiæ. Et hinc iſta inſtantia favet Concluſioni noſtræ, dum ipſam exemplificat.

§. XII.

De Subjecto obligationis Conſtitutionum, præſertim Eccleſiaſticarum.

SUMMARIUM.

263. *Sacris Canonibus, ac Conſtitutionibus Pontificijs, obligantur omnes Chriſti Fideles.*
264. *Leges, & Statuta inferiorum Prælatorum obligant tantùm Subditos proprij territorij.*
265. *Neque iſtis aſtringuntur Subditi, actu non exiſtentes intra territorium Legislatoris.*
266. *Utrùm Legislator teneatur proprijs legibus? & ſeqq. Legibus à Republica, vel Capitulo latis, obligantur ſinguli de tali Communitate, etiam Senatores, Canonici. Ibid.*
267. *Aliæ ſunt leges, quæ in Principem non cadunt, aliæ, quæ Principem æquè ac Subditos decent.*
268. *Iſtis poſterioribus Legislator, ſive Princeps ſupremus, non tenetur quoad vim coactivam, benè tamen quoad vim directivam. Et num. ſeqq.*
269. *Vis directiva, & Vis coactiva Legum, quid?*
270. *Probatur prior pars Concluſionis.*
271. *Probatur etiam poſterior pars ipſius de vi directiva.*
272. *Solvitur notabilis inſtantia.*
273. *Papa eſt ſubjectus Legi Divinæ. An etiam teneatur præcepto EccleſiaſticoConfeſſionis, vel Communionis Paſchalis? Ibid.*
274. *Hæretici obligantur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis.*
275. *Nec obſtat, quòd reſiſtant Eccleſiæ, ejusq; Conſtitutionibus.*
276. *Quatuor ſunt conditiones, ut quis ſimpliciter, ac fructuosè ſit in Eccleſia. Hæretici ſimpliciter ac fructuosè non ſunt in Eccleſiâ, benè tamen ſecundùm quid. Ibid.*
277. *An hæretici ſe habeant ut membra abſciſſa? Et num. præced.*
278. *Judæi, Pagani, & Cathecumeni, non obſtringuntur meris Eccleſiaſticis Conſtitutionibus.*
279. *Idq; multipliciter probatur.*
280. *Quâ ratione in Jure Canonico habeatur integer Titulus*, De Judæis, & Sarracenis?
281. *Obijciuntur plures Canones in contrarium.*
282. *Ob quos non pauci Canoniſtæ oppoſitam ſententiam tenuerunt.*
283. & 284. *Reſpondetur ad dictos Canones.*
285. *Omni humanæ creaturæ neceſſarium eſt ad Salutem, ſubeſſe Romano Pontifici; & cur?*
286. *Omnes homines, etiam Infideles, ſunt Oves Chriſti.*
287. *Declaratur. Et num. præced.*
288. *Thalmud Judæorum, cur per Papam juſſus fuerit comburi?*
289. *An advenæ, & peregrini, teneantur Conſtitutionibus particularibus locorum, per quæ tranſeunt? Remiſſivè.*

263 QUæritur I. Quinam generatim obligentur ſacris Canonibus, alijsque Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? Reſp. I. Sacris Canonibus, alijsque Conſtitutionibus Summi Pontificis, in materia ſpirituali, & ſalutem animarum, rectamque Eccleſiæ gubernationem concernente, pro toto Orbe Chriſtiano latis, obligantur omnes Chriſti Fideles. Ita unanimis Catholicorum; & patet ex illo, *Joan. 21.* ubi Chriſtus Dominus D. Petro, ejúsque legitimis Succeſſoribus Romanis Pontificibus, omnium Ovium ſuarum curam demandavit, trinâ vice ei præcipiens: *Paſce Oves meas.* Idem patet ex illa generali promiſſione eidem facta Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis*: nam ſub hac generali promiſſione continetur etiam poteſtas condendi juſtas leges, ut ſic ſpirituales Oves Chriſti ſecuriùs paſcantur, eſtque uberiùs jam dictum ſuprà *num. 50. & 53.* Hinc *cap. 1. h. t.* generaliter ſtatuitur: *Canonum Statuta cuſtodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus, vel Judicijs Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum authoritate ducatur.*

264 Reſp. II. Leges, ſeu Statuta inferiorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, aliorúmq; Superiorum, obligant ſolùm Subditos proprij ſui territorij: & ſic Conſtitutiones in Concilio Provinciali editæ, obligant duntaxat Subditos intra talem Provinciam exiſtentes, ac Statuta Epiſcoporum obligant tantùm Subditos propriæ Diœceſis; & ſic loquendo de Legibus Imperialibus intra fines S. R. Imperij obligantibus, & alijs Inferiorum Conſtitutionibus reſpectu propriorum territoriorum. Ita communis Doctorum; & ratio eſt: quia ad obligationem legis neceſſaria eſt Juriſdictio: atqui hæc deficit, ſi alter non ſit ſubditus Legislatoris; ergo.

Quinimò, licèt aliquis cæteroquin ſit ſubditus, actu tamen non exiſtat intra territorium Legislatoris, hoc ipſo legibus particularibus, ſeu territorialibus ab eodem latis, ampliùs non aſtringitur. Textus eſt *in cap. ult. h. t. in 6.* ubi dicitur: *Statuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur: Subditi ejus furtum extra ipſius Diœceſin committentes, minimè ligari noſcuntur: cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*; id eſt, ſine pœna; adeò, ut non parens ex eo pœnam non patiatur. Qui textus, licèt expreſsè loquatur ſolùm de Statuto Epiſcopi, nihilominus ob paritatem, & generalitatem allatæ rationis, quæ etiam habe- 265

habetur *L. ult. ff. de Jurisdict. omn. judic.* rectè extenditur ad omnes Leges, ſive Conſtitutiones inferiorum Prælatorum, & Legislatorum, quorum jurisdictio eſt coarctata inter limites proprij territorij, non autem per totum terrarum Orbem extenſa, prout quaquaverſùm extenditur illa Summo Pontifici immediatè à Deo conceſſa circa materias ſpirituales.

26 Quæritur II. Utrùm Legislator proprijs Legibus teneatur? Hæc quæſtio procedit potiſſimùm de ſupremis Legislatoribus, ut puta Papa, Imperatore, Rege. Nam loquendo de Legibus, ſeu Conſtitutionibus, quæ ab aliqua Republica, Capitulo, vel aliâ Univerſitate feruntur, nullum dubium remanet, quin ipſæ ſingulos de tali Communitate, adeóque ipſos quoque Senatores, ſeu Canonicos obligent, *text. clar. c. Cùm omnes. 6. h. t.* ubi graviter reprehenduntur Canonici, volentes capitulariter obligare Canonicos ſucceſſores ad obſervantiam Statuti de novo conditi, quod ipſi noluerunt obſervare: additâ illâ per Pontificem generali ratione: *Cùm, quod quisque juris in alterum ſtatuit, ipſe debeat uti eodem: Et Sapientis* (videlicet Catonis) *dicat authoritas: Patere legem, quam tu ipſe tuleris.*

7 Inſuper hæc Quæſtio non loquitur de illis Legibus, quæ ad Subditos directè feruntur, & in Principem propriè non cadunt; v. g. ne quis in civitate arma ferat, ne veſtibus auro intextis utatur, ut quilibet tributa diligenter ſolvat, & hujusmodi. Igitur præſens Quæſtio ſolùm procedit de ijs Legibus, quæ Principem æquè, ac Subditos decent: ut eſt reſpectu Papæ præceptum Confeſſionis annuæ, Communionis Paſchalis, jejunij, & abſtinentiæ certis diebus ab Eccleſia indictæ; ac reſpectu Principis ſæcularis taxatio frumenti, & aliarum rerum, adeò ut has non poſſit licitè Communitati vendere majori pretio, quàm quòd pro Communitate taxaverat, & hujusmodi. His prænotatis

8 Reſp. Princeps ſupremus, ſive Legislator non tenetur proprijs legibus quoad vim coactivam, benè tamen quoad vim directivam. Ita D. Thomas *1. 2. quæſt. 69. art. 5. ad. 3.* & communis Theologorum; atque ex Canoniſtis Navarrus *c. Si quando. Except. 8. n. 12. de Reſcript.* Covarruvias *in c. Alma mater. part. 1. §. 1. n. 5.* Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta. num. 57. h. t.* Pirhing *eod. n. 67.* Engel *n. 28.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 2. num. 187.* citans alios; & ex Juriſtis Fachineus *lib. 1. Controv. Juris. cap. 2.* quamvis non deſint oppoſitum tenentes, adeò, ut Tannerus *tom. 2. diſp. 5. q. 6. num. 16.* aſſerat, eſſe communem Juriſtarum, & Canoniſtarum ſententiam, ſimpliciter negantium, quòd Princeps, ſeu Legislator ſuis legibus ſubjectus ſit. Nihilominus Concluſio noſtra fundatur tum in diverſis textibus Juris utriusque, cæteroquin quandam contrarietatem præſeferentibus, & ſub data diſtinctione facilè concordandis; tum in ipſamet ratione, ac æquitate naturali.

69 Eſt tamen hîc præmittendum pro recta Concluſionis intelligentia, quòd juxta Doctorem Angelicum *loc. cit.* & alios, in legibus duplex vis obligandi diſtingui ſoleat, una directiva, alia coactiva. Ille dicitur à lege obligari *vi directivâ* ad quidpiam agendum, vel omittendum, qui in conſcientia, & ſub peccato tenetur ſervare talem legem: unde hujusmodi obligatio eſt ſub culpa, ſive dein dicta obligatio proveniat ex vi ipſiusmet legis, prout leges ſolent obligare proprios ſubditos Legislatoris; ſive aliunde, puta ex naturali æquitate, ac dictamine rectæ rationis, poſt latam ejusmodi legem conſurgente. Ille verò dicitur à lege obligari *vi coactivâ*, qui tenetur ad obſervantiam ejus ex vi ipſius legis, ſeu poteſtatis legislativæ; ita ut ſit ſubjectus legi, & ſi hanc non obſervaverit, ſubjaceat pœnis per legem traxatis, aut per Legislatorem infligendis: unde hæc obligatio reſpicit pœnam transgreſſoribus incumbentem; prout jam notavi *Tract. 2. Theolog. Moral. diſt. 3. quæſt. 2. num. 12.* Quo prænotato,

Prima pars Concluſionis, loquens de vi coactiva, probatur *ex L. penult ff. de Receptis arbitris*, ubi dicitur: *Neque autem imperare ſibi, neque ſe prohibere quisquam poteſt:* & conſequenter in Legislatore deficit poteſtas ſeipſum obligandi vi coactivâ; cùm Superiorem, veluti Princeps ſupremus, non recognoſcat, à ſe ipſo autem nemo propriè cogatur, neque ſibi ipſi quis imperare valeat. Idipſum ſuadetur *ex l. Princeps. 30. ff. de Legib.* ibi: *Princeps legibus ſolutus eſt: Auguſta autem, licèt legibus ſoluta non ſit, Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ ipſe habet.* Et quòd Legislator neque ſuorum Anteceſſorum legibus teneatur, ſaltem non vi coactivâ, patet *ex c. Exijt. §. Cæterùm Sanctæ. de Verb. ſignif. in 6.* ibi: *Nec ſucceſſorem ſuum quomodolibet obligavit; cùm non habeat imperium per in parem.* Idem habetur in *c. Innotuit. 20. de Electione.* & alibi. Accedit ratio: quia nullus in Legislatorem, utpote Principem ſupremum, poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra legem agat: ac proin vî coactivâ ad legis obſervantiam non tenetur. 270

Altera pars, quæ loquitur de vi directiva, quâ Legislator (ſub datis jam explicationibus) dicitur teneri ad obſervantiam legis à ſe latæ, deſumitur *ex d. c. Cùm omnes. de Conſtitut.* ubi illud Sapientis dictum, utpote fundatum in æquitate naturali, allegatur pro ratione: *Patere legem, quam tu ipſe tuleris.* Concordat textus *in L. 4. C. de Legib.* ubi dicitur: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri.* Quæ verba, cùm intelligi nequeant de obligatione legum quoad vim coactivam, ut dictum *num. præced.* ſaltem intelligi debent de earum obligatione quoad vim directivam, ponderando illa verba: *Legibus alligatum ſe Principem profiteri*, utique non cum falſitate, ſive mendacio. Hoc ipſû adhuc clariùs habetur *in can. Juſtum eſt. diſt. 9.* ibi; *Juſtum eſt, Principem legibus obtemperare ſuis: tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri ſuis convenit, &c.* Hinc Pontifex *in cap. ult. de Reſcript. in 6.* inquit: *Quod nobis dicere non patimur, noſtris* 271

Succeſſoribus indicamus. Quibus verbis pariter Imperator *in d. L.* 4. *C. de Legib.* utitur, ſicque profitetur, ſuis ſeſe legibus aſtrictum eſſe quoad vim directivam, utpote quas nec ſibi, nec Succeſſoribus ſuis licitum ait violare.

Hoc ipſum poſtulat æquitas naturalis, & rationis ordo: nam imprimis *Turpis eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens*, ùt dicitur in *can. Quæ contra. diſt.* 8. atque ampliùs obſervat *Concilium Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* ibi: *Totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.* Deinde meritò talibus Legislatoribus improperari poteſt illud, quod olim Chriſtus, velut omni juri repugnans, improperavit Scribis & Phariſæis, *Matth. cap.* 23. dicens: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea movere.* Accedit, quòd alioquin Subditi ex libera transgreſſione legis, per Legislatorem facta, ſcandalum acciperent, ſuóque exemplo facilè ab ejusdem obſervatione revocarentur; juxta illud Eccleſiaſtici cap. 10. *Qualis rector eſt civitatis, tales & Inhabitantes in ea.* Unde Princeps ille proprio malo exemplo deſtruens, quod lege ſancitâ ſtatuerat, *non conſtructor, ſed everſor eſſe juſtè comprobaretur: teſtante Veritatis voce, quæ ait* (Luc. 11.) *Omne regnum in ſeipſum diviſum non ſtabit*: prout in ſimili argumentatur S. Gregorius Papa, relatus *in can. Si ea deſtruerem.* 25. *q.* 2.

272 Dices. Legislator, juxta dicta, tenetur ad obſervantiam ſuæ legis causâ vitandi ſcandali, & ne caput à corpore, ſeu pars ab univerſo diſcordet; ergo non tenetur ad eam vi directivâ ſuæ propriæ legis, ſed ſolùm ex vi & dictamine ipſius legis naturalis. Reſp. diſtinguendo conſequens: Ergo non tenetur ſuis proprijs legibus directè, & quaſi in ſemetipſum exercendo jurisdictionem, conced. Non tenetur ipſis indirectè, ſeu conſecutivè, quatenus nimirùm poſitâ ſemel lege pro bono totius Communitatis, ipſe pariter hanc obſervare tenetur ex Jure naturali, ac Divino, derivato à Lege æterna, ne pars à toto diſcrepet, & Subditi non ſcandalizentur, neg. conſequent. Itaque tenetur Princeps ſeſe ſuis legibus conformare, non quidem directè, ex vi ſuarum legum (nam poteſtas ſtatuendi leges fundatur in jurisdictione, quam nemo in ſeipſum propriè exercet) ſed indirectè, & ex conſequenti, vi ipſius Legis naturalis, ſuppoſitâ tamen lege ſuâ pro tota Communitate latâ, veluti conditione neceſſariò prærequiſita, ſine qua Lex naturalis ipſum non obligaret. Quòd ſi verò Princeps promiſiſſet, aut juraſſet legum à ſe conditarum obſervantiam, tunc etiam directè ijs obſtringeretur vi pacti, aut juramenti præſtiti, quo quivis ſeipſum conſtringere, atque obligare poteſt.

273 Et dictis infertur, quòd, licèt Summus Pontifex teneatur toties confiteri, & communicare, quoties urget præceptum Divinum Confeſſionis Sacramentalis, & ſacræ Communionis (nam Legi Divinæ etiam Summus Pontifex eſt ſubjectus, imò eandem uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet, *can. Sunt quidam.* 25. *q.* 1.) adhuc tamen ex præcepto Eccleſiaſtico, de quo habetur mentio, *in c. Omnis utriusque ſexûs. de Pœnitent. & remiſſ.* Papa non teneatur ad ſemel in anno confitendum, vel ad communicandum in Paſchate vi coactivâ, ita ut ſubjaceat pœnis ibidem in transgreſſores taxatis: benè tamen vi directivâ, adeò ut ſi id facere negligeret, peccaret. Covarruvias *in cit. c. Alma mater. p.* 1. *§.* 1. *n.* 6. Barboſa *part.* 1. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 2. *n.* 187. Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta. n.* 57. *& ſeqq. h. t.* & alij. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt illud, quod refertur *in can. Confidimus.* 25. *q.* 1. ubi Gelaſius Papa inquit, *id, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magìs exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam*, cum ſimilibus. Idem dicendum de alijs Legislatoribus, quamvìs ſecluſo ſcandalo, & damno ſeu injuria tertij, peccatum Principis propriam legem transgredientis raro eſſe mortale, aſſerat Tannerus *tom.* 2. *diſp.* 5. *q.* 6. *n.* 22.

Quæritur III. Utrum Hæretici obligentur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? Reſp. Licèt Hæ- 274
retici de facto reſiſtant Conſtitutionibus Pontificijs (pro toto Orbe Chriſtiano latis, nihilominus de jure iſtis obligantur. Ita Layman *in c. Canonum. n.* 2. *h. t.* Engel *eod. n.* 16. & communis aliorum; adeò, ut Lugo *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 15. *ſect.* 7. *n.* 147. abſurdiſſimum fore dicat, ſi quis negaret, Hæreticos legibus Eccleſiaſticis obligari. Ratio eſt: quia Hæretici per Baptiſmum, ac Fidem Chriſti receptam, jam ſunt ingreſſi Eccleſiam, ejusque membra effecti; ergo manent obligati legibus ipſius. Et certè, ſi Hæretici non obligarentur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, fruſtrà tot leges pœnales in Jure Canonico, *toto Titulo, de Hæretic.* & alijs Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, contra Hæreticos latæ fuiſſent.

Nec obſtat, quòd Hæretici reſiſtant Eccleſiæ, 275
ejúsque Conſtitutionibus. Reſp. enim, hoc neutiquam eos excuſare; cùm ex ſuo delicto, atque perfidiâ, nemo debeat reportare commodum, ut puta exemptionem à Legibus Eccleſiaſticis, *l. Nemo ex ſuo. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt*, cum concordantijs. Quinimò Hæretici de facto pertinaciter non obtemperantes Legibus Eccleſiaſticis (quibus tamen de Jure ſunt aſtricti) eò ampliùs peccant: *Cùm tantò ſint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam*, ut notatur *c. ult. de Conſuetud.*

Nec ulteriùs obſtat, quòd Hæretici cenſeantur 276
eſſe extra Eccleſiam; eò quòd ſint excommunicati, & veluti membra abciſſa reputentur, juxta illud D. Apoſtoli ad Galat. cap. 5. *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant*; ac proinde non videantur poſſe obligari legibus Eccleſiæ. Reſp. enim, hoc neutiquam obſtare: quia, licèt Hæretici ſimpliciter loquendo, ac fructuosè, communicando videlicet etiam in communibus ſuffragijs Fidelium, non ſint in Eccleſia (ad hoc enim requiruntur

tur ſequentes quatuor conditiones. I. Vera fides. II. Baptiſmus, ſeu character Baptiſmalis. III. Unio cum viſibili Capite Eccleſiæ, ſeu Summo Pontifice. IV. Unio cum cæteris membris Eccleſiæ; prout inter alios obſervat Tannerus *tom. 3. diſp. 1. q. 3. n. 52. & ſeqq.*) Adhuc tamen Hæretici ſunt in Eccleſia ſecundùm quid, id eſt, ratione characteris Baptismalis, utpote indelebilis; & hinc, ne ex ſuo delicto reportent commodum, tenentur legibus Eccleſiæ, quantùm eſt de jure, & niſi forſan aliquos ignorantia invincibilis, vel alia juſta cauſa, qualis inter ipſosmet Catholicos quandoque intervenit, excuſet.

77 Neque urget aſſumpta paritas de membro abſciſſo à corpore phyſico hominis, & membro abſciſſo à corpore myſtico Eccleſiæ. Nam, ut taceatur, quòd ſimilitudines non currant quatuor pedibus, aſſumpta paritas non eſt omnimoda. Siquidem in noſtro caſu manet adhuc aliquale vinculum characteris Baptismalis, éſtque in libera poteſtate Hæretici, peractâ verâ pœnitentiâ rurſus incorporari myſtico corpori Eccleſiæ, quandocunque voluerit: ſecùs dicendum de membro abſciſſo à corpore reali, & phyſico hominis.

78 Quæritur IV. Quid cenſendum de Judæis, Paganis, & Catechumenis, quoad obligationem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum? Reſp. Tales necdum baptizati non obſtringuntur ſacris Canonibus, ſive Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, niſi quatenùs hæ continent Jus naturale, vel Divinum. Ita communis præſertim Theologorum; adeò, ut inter alios Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 1. punct. 24. §. 2.* & Herincx *diſp. 3. de Legib. q. 11. num. 127.* certum eſſe dicant, quòd Infideles nullis Eccleſiaſticis legibus teneantur: quamvis nonnulli ex Canoniſtis, præſertim antiquioribus, ob rationes loco Objectionum afferendas, contrarium teneant.

79 Concluſio hæc fundatur cumprimis in Sacris Paginis: nam D. Apoſtolus *1. Corinth. 5.* inquit: *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, judicare? Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit.* Atqui Infideles, & Catechumeni, adhuc foris ſunt, juxta mentem Apoſtoli; ergo. Min. patet: quia tales nondum ſunt ingreſſi Eccleſiam per Baptismi januam, ac proinde etiamnum cenſentur eſſe foris; alioquin nullus hominum daretur, qui juxta dictum Apoſtoli foris eſſet. Concordat *c. Gaudemus. de Divort.* ubi expreſsè Pontifex fatetur, quòd Infideles, & Pagani, *Conſtitutionibus canonicis non arctantur: Quid enim ad nos, ſecundùm Apoſtolum eundem, de his, quæ foris ſunt, judicare?* Idémque ſupponere videtur Concilium Trident. *Seſſ. 14. cap. 2.* ibi: *Cùm Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.* Accedit ratio: quia leges non poſſunt imponi alijs, quàm Subditis: atqui Pagani, alijq; necdũ baptizati, non ſunt Subditi Eccleſiæ, utpote quam per Baptismi januam necdum ſunt ingreſſi; ergo.

80 Objicies I. In Jure Canonico habetur *Libro V. Decretalium* integer Titulus, *de Judæis, & Sarracenis, ac eorum ſervis*; ergo hi aſtringuntur Canonibus, alijsque Legibus Eccleſiaſticis. Reſp. neg. conſequent. Quia imprimis Canones ibidem contenti, dum quidpiam directè præcipiunt Judæis, procedunt ſolùm de Judæis, qui exiſtunt in temporali territorio Romani Pontificis, aut aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, vel Principum Chriſtianorum, quibus proinde non minùs, quàm alijs Subditis, pro ipſorum pacifica inter Chriſtianos cohabitatione, horumque legitima indemnitate conſervanda, meritò Pontifex certas leges præſcribere potuit, & præſcripſit. Et hòc ita factum eſſe, patet ex Inſcriptionibus diverſorum Capitulorum præfati Tituli *De Judæis*, utpote quæ vel in Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro III. aut Innocentio III. decreta fuerunt, vel in alijs occaſionibus ad diverſos Eccleſiæ Prælatos reſcripta. Deinde plures Canones, in memorato Titulo *De Judæis, &c.* contenti, directè lati fuerunt pro Chriſtianis, eosque obligant: ut puta, quòd Chriſtiani non habitent in domibus Judæorum, *c. Judæi. 5. eod.* Quòd Chriſtiani Sarracenis non deferant arma, nec alia ad Chriſtianorum impugnationẽ neceſſaria, *c. Ita Quorumdam. 6. & c. Quod olim. 12. eod.* Item, ne Chriſtiani ſint in familiari ſervitio Judæorum. *c. Ad hæc. 8. & c. Etſi Judæos. 13. eod.* cum ſimilibus.

Objicies II. In *c. Canonum ſtatuta. h. t.* expreſsè præcipitur: *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus.* Idémque repetitur *in cap. ult. h. t.* illis verbis: *Quoniam conſtitutio Apoſtolicæ Sedis omnes aſtringit.* Et concordat *can. Cuncta. 9. q. 3.* ibi: *Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habet judicandi.* Item *in Extravag.* Unam Sanctam. *de Majorit. & obed. §. fin.* inquit Pontifex: *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ, diffinimus, & pronuntiamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.* Huc facit vulgatum illud dictum Innocentij, & Abbatis *in d. c. Canonum ſtatuta. num. 2. h. t.* aſſerentium, quòd *Conditori Canonis, & Vicario Creatoris, omnis creatura eſt ſubjecta.* Ergo etiam Judæi alijque Infideles, Conditori Canonis ſunt ſubjecti, ejúſque legibus Eccleſiaſticis obligantur: nam dictio, *Omnis* toties repetita, eſt generalis; & qui dicit omnia, nihil excludit, *can. Si Romanorum. diſt. 19. & c. Solitæ. de Majorit. & Obed.* 281

Ob has, & alias conſimiles rationes, Innocentius *in c. Quod ſuper his. n. 3. de Voto*, tenet, quòd Papa, qui eſt Vicarius JESU Chriſti, poteſtatem habeat non tantùm ſuper Chriſtianos, ſed etiam ſuper Infideles. Eandem ſententiam ſequitur Abbas *in d. c. Quod ſuper his. n. 12.* aſſerens, quòd ſi crimina ſint Eccleſiaſtica, Papa poſſit exercere jurisdictionem contra Infideles, ſicut contra Fideles. Idémque poſt Hoſtienſem, Joan. Andreã, & alios, quos citat, noviſſimè tradit Fagnanus *in c. Canonum ſtatuta. n. 55. & ſeqq. h. t.* hinc concludens *num. 79. & 81.* quòd Infideles, utpote ſubjecti Papæ, etiam ligentur ejus Statutis, ſaltem in materia ipſis adaptabili: quia Forum ſortiri, & Statutis ligari, à pari procedunt, *c. Ut animarum. de Conſtitut. in 6.* 282

283 Verùm hæc ſententia ab alijs, præſertim Theologis, paſſim relinquitur: tum ex eo, quia ſi Romanus Pontifex in omnes Infideles directè exerceret jurisdictionem, nulli penitùs remanerent, qui foris eſſent, contra allegatum dictum D. Apoſtoli 1. Corinth. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt judicare?* Tum quia alij Canones *num.* 279. allegati, è diametro pugnant contra hanc ſententiam, neq; iſtam convincunt allegatæ rationes, ut patebit ex earum ſolutionibus. Unde ſalvâ omni reverentiâ, Romano Pontifici, veluti Conditori Canonum, Chriſtiq; in terris Vicario undequaq; debitâ, ad propoſitam objectionem dicitur, & reſpondetur negando conſequentiam: nam proximè allegati textus procedunt, atq; loquuntur in ſenſu accomodo, videlicet de omnibus Subditis Eccleſiæ per ſuſceptum Baptiſmi Sacramentum, quo intratur in Eccleſiam, ut ampliùs patebit diſcurrendo de ſingulis.

284 Et quidem imprimis *ad c. Canonum ſtatuta. h. t.* & duos priores Canones, reſpondet Gloſſa *in cap. ult.* ℣. *Aſtringit. h. t.* & alijs, ly *Cuſtodiantur ab omnibus*, ac ly *Omnes aſtringit*, eſſe accipiendum de omnibus Subditis, id eſt ijs, qui ſunt de ſua jurisdictione, poſt ſuſceptum videlicet Sacramentum Baptiſmi, quo veluti per januam fit ingreſſus in Eccleſiam. Nec obſtat, quòd ly *Omnes* ſit locutio generalis, ac proinde generaliter intelligenda. Nam hoc verum eſt, niſi per alia Jura, vel argumenta pateat limitatio: prout impræſentiarum talis reſtrictio, ſeu limitatio dictæ particulæ ad Fideles, liquidò habetur ex irrefragabili teſtimonio D. Pauli. 1. Corinth. 5. *& cit. c. Gaudemus. de Divort.* cum alijs in Concluſione allegatis textibus.

285 Ad *Extravag.* Unam ſanctam, *de Majorit. & obed.* dicitur, procul dubio omni humanæ creaturæ omninò eſſe neceſſarium ad ſalutem, ſubeſſe Romano Pontifici: nam & Infideles tenentur Jure Divino, ac de neceſſitate ſalutis recipere Baptiſmum, ſicque ingredi ſanctam Eccleſiam, extra quam, ſicuti extra arcam Noë regnante diluvio, nullus omninò ſalvatur, *c. Firmiter.* §. *Una. de Summa Trinitat. & can. Quoniam vetuſto.* 24. *q.* 1. Qui autem Eccleſiam per Baptiſmum jam ſunt ingreſſi, omninò tenentur ſubeſſe Summo Pontifici, ejusque mandatis obedire, ut liquet ex dictis *n.* 53. *&* 263. Negatur tamen, hinc ſequi, quòd Infideles, dū ſunt actu infideles, atq; extra Eccleſiam, teneantur Legibus Eccleſiaſticis, ſeu Conſtitutionibus Canonicis: quinimò hoc expreſsè negatur *in d. c. Gaudemus. de Divort.* Nec juvat limitatio Fagnani, eos ſolùm in materia ipſis adaptabili teneri. Quia Pontifex *loc. cit.* negat, Paganos teneri Canonicis Conſtitutionibus, quæ Jure Eccleſiaſtico annullant contractum Matrimonialem: quid autem magis poteſt eſſe accommodabile Paganis, & Judæis, quàm materia contractûs Matrimonialis?

286 Objicies III. Omnes homines tam fideles, quàm infideles, ſunt Oves Chriſti per creationem, haud obſtante, quòd Infideles nondum ſint de Ovili Chriſti per ſuſceptionem Baptiſmi; ergo etiam omnes homines obligantur Legibus Eccleſiaſticis, ſaltem de Jure, licèt Infideles hanc obligationem de facto non recognoſcant. Probatur conſequentia: tum quia Chriſtus Dominus D. Petro, ejúsque legitimis Succeſſoribus, dedit generalem poteſtatē paſcendi omnes, & quaſcunq; Oves ſuas, Joan. c. 21. dicens: *Paſce Oves meas, non diſtinguens* (ut notatur d. c. Solitæ. de Major. & obed.) *inter has Oves, & alias.* Tum quia Chriſtus plenam ſuper omnes, etiam Infideles, accepit poteſtatem, eámque veluti diligens Paterfamilias tradidit Eccleſiæ, ſuóque in terris relicto Vicario; juxta illud Matth. cap. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti: docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Tum tandem, quia ita hactenus videntur ſenſiſſe Romani Pontifices, dum Papa Gregorius, & Innocentius, mandaverunt comburi librum Judæorum, *Thalmud* appellatum, & plures hæreſes continentem, ac præceperunt puniri illos, qui dictas hæreſes ſequerentur.

Reſp. negando conſequentiam. Licèt enim 287 Infideles poſſint dici Oves Chriſti per creationem; hoc ipſo tamen, quòd necdum ſint ingreſſi ejus Ovile, ſive veram Eccleſiam Catholicam per Baptiſmum, legibus hujus merè Eccleſiaſticis non aſtringuntur, donec hanc, veluti verum Ovile Chriſti, & cujus Papa eſt Paſtor univerſalis, ingreſſi fuerint. Unde idem Servator Joan. 10. inquit: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc Ovili* (NB.) *& illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum Ovile, & unus Paſtor.* Ad primam probationem patet reſponſio ex paulò antè dictis, *n.* 285. Ad alteram dicitur, verbis illis, Matth. *ult.* comprehenſis, dari quidem Sanctis Apoſtolis, alijsque Eccleſiæ Prælatis, generale mandatum prædicandi S. Evangelium ubiq; terrarum, & credentes baptizandi; non tamen idcircò conferri ipſis jurisdictionem in ipſosmet Infideles, quamdiu hi foris ſunt.

Ad ultimum reſpondetur, optimè fuiſſe à 288 Pontificibus damnatum, & comburi juſſum Thalmud Judæorum, eò quòd propter hæreſes in ipſo contentas fuerit contrarius ipſimet Legi Divinæ, ad cujus obſervantiam utique tenentur Judæi, alijque Infideles. Et hac eadem de cauſa rectè mandantur puniri illi Judæi, qui dictas hæreſes ſequuntur, videlicet ob transgreſſionem Legis Divinæ, dummodò hæc punitio in opus deduci valeat; prout præſertim fieri poteſt erga Judæos in ditionibus, temporali Jurisdictioni Pontificis, & aliorum Principum Chriſtianorum ſubjectis. Quinimò ſi Infideles prohibeant Prædicatores S. Evangelij, ad cujus receptionem ipſi Jure Divino obligantur, illisque moleſti ſint, ac injurioſi, ob parem violationem Legis Divinæ etiam bello indicto coërceri, & puniri poſſunt, ut ſuo loco, *Tit. De Judæis & Saracenis*, dicetur.

Quæ-

289 Quæritur V. Utrum advenæ, & peregrini, teneantur Conſtitutionibus particularibus locorum, per quæ tranſeunt? Reſp. De hac Quæſtione ex profeſſo, & fuſiùs dixi egometipſe *Tract.* 2. *Theologiæ Moralis. Diſtinct.* 3. *q.* 3. & 4. Ibi videatur.

§. XIII.

De Obligatione Legum, & Statutorum Sæcularium quoad Clericos, ſi de his ſpecificè diſponunt, vel procedunt generaliter præcipiendo, aut prohibendo.

SUMMARIUM.

290. *Leges Civiles, & Statuta ſæcularia, quæ nominatim diſponunt de Eccleſijs, rebúsque Eccleſiaſticis, non obligant, niſi approbentur ab Eccleſia.*
291. *Sive dein aliquid ſtatuant in præjudicium, aut contra libertatem Eccleſiaſticam.*
292. *Sive etiam in earundem commodum, & favorem id fiat.*
293. *Aſſertur ulterior ratio præmiſſorum.*
294. *Valent tamen privilegia per Laicos Eccleſiæ conceſſa, & cur?*
295. *Plures leges Juris Civilis, quæ diſponunt de Eccleſijs, Epiſcopis & Clericis, ex ſe non obligant.*
296. *Niſi approbentur ab Eccleſia.*
297. *Et quomodo fiat talis approbatio?*
298. *Non tamen idcircò ſunt inutiles, ac tollendæ.*
299. *Quinimo juvant ad plura. Et num. præc.*
300. *An Clerici teneantur Legibus, & Statutis Laicorum, quæ aliquid generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec Statui Clericali præjudicant?*
301. *Talibus obligantur Clerici quoad vim directivam, non coactivam.*
302. & 303. *Probatur, & declaratur prior pars de vi directiva. Et num. ſeqq.*
304. *Statutum ſæculare, taxans juſtum pretium frumenti, &c. obligat Clericos; & quâ ratione?*
305. & 306. *Quid dicendum de Edicto prohibente extractionem frumenti è Regno, & hujusmodi?*
307. *Probatur Concluſio quoad alteram partem de vi coactiva.*
Forum ſortiri, & legibus ligari, paria ſunt. *Ibid.*
308. *Differentia magna inter vim directivam, & coactivam Legum.*
309. *An Clerici poſſint compelli ad talium Statutorum ſæcularium obſervantiam; & à quo? Et quali pœnâ transgreſſores puniendi? Ibid.*
310. *Conſilium optimum, exemplo S. Caroli Borromæi in talibus caſibus practicandum.*
Idipſum eſt de mente Sac. Congregationis Cardinalium. Ibid.
311. *Differentia inter Statutum Laicorum, quod ſpecificè diſponit de Eccleſijs ſeu Clericis, & quod generaliter procedit.*
Fortior eſt ſpecialis conceſſio, quàm generalis. *Declaratur. Ibid.*
312. Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus. *Limitatur.*
313. *Clerici ſunt membra Reipublicæ, ſpecialiter tamen privilegiata. Et num.* 317.

290 QUæritur I. An leges Juris Civilis, & Statuta ſæcularia, quæ nominatim ac ſpecificè diſponunt de Eccleſijs, perſonis, rebúsque Eccleſiaſticis, vim habeant ipſas obligandi? Reſp. Negativè; niſi approbentur ab Eccleſia. Ita Abbas Panormit. *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 10. & Felinus *ibid. n.* 40. *§. Prima eſt. h. t.* Menochius *lib.* 2. *de Juriſdict. cap.* 1. Summa Angelica *V. Lex. n.* 5. & communis aliorum.

291 Et hæc concluſio vel maximè procedit de illis Legibus, atque Statutis ſæcularium Principum, & Magiſtratuum, quæ ſive præcipiendo, ſive prohibendo, ſive certam formam in agendis ſtatuendo, ſpecificè diſponunt de Eccleſijs, ac Eccleſiaſticis, in harum præjudicium; ut patet *ex c. Quæ in Eccleſiarum.* 7. *h. t.* Aut contra libertatem, ſeu immunitatem Eccleſiaſticam, *text. clar. cap. ult. de Rebus Eccleſ. non alien.* ubi hujusmodi Conſtitutio Laicæ Poteſtatis non ſolùm à Concilio Generali (ſive Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato) decernitur, non valere ſub pœna excommunicationis, in præſumptores contrarium attentantes, ſtatuta; ſed etiam additur, quòd illa *non conſtitutio, ſed deſtitutio vel deſtructio dici poſſit, nec non uſurpatio jurisdictionis.* Idémque patet *ex c. Nimis. de Jurejurand.* & *c. Quamquam, de Cenſibus in* 6. cum ſimilibus.

Quinimò dicta Concluſio procedit quoque in illis Legibus, & Statutis ſæcularium, quæ ſpecificè ac nominatim diſponunt de Eccleſijs, & Eccleſiaſticis, etiam in harum commodum & favorem; prout in terminis expreſſum habetur *d. c. Quæ in Eccleſiarum.* 10. *h. t.* ibi: *Nos attendentes, quòd Laicis (etiam religioſis) ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas, non authoritas imperandi; à quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum* 292

rum etiam reſpiciat commodum & favorem, nullius firmitatis exiſtit., niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Unde Statutum Baſilii de non alienandis prædijs ruſticis vel urbanis, miniſterijs, & ornamentis Eccleſiarum, illâ reprobatum fuit potiſſimâ ratione, quòd authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Hæc ibi. Concordat *can. Benè quidem. diſt. 96.* ubi memoratum Baſilij Statutum, olim circa præfatas res Eccleſiaſticas factum, in Romana Synodo reprobatum legitur, cum ſimilibus.

293 Accedit ratio. Tum quia lex lata ſine jurisdictione, ſeu erga non ſubditum, vim obligandi non habet, *c. A nobis. 21. de Sentent. excommun. & cap. ult. de Conſtit. in 6. & L. ult. ff. de jurisdict. omn. Judic.* Atqui Eccleſiæ, ac perſonæ Eccleſiaſticæ, earúmque res, ſunt exemptæ à jurisdictione ſæculari; ergo. Min. patet ex privilegio Fori, atque Immunitate Eccleſiaſtica talibus competente, de qua fit mentio *cit. cap. ult. de Rebus Eccleſ. non alien. & c. Quamquàm. de Cenſib. in 6. & c. Non minùs. de Immunit. Eccleſ.* cum concordantijs, atque in littera allegati textûs exprimitur, illis verbis: *Laicis etiam religioſis, ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla eſt attributa facultas.* Tum quia, ſi Laici poſſent ſtatuere, legéſque ferre circa Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, ſaltem in harum commodum, hoc ipſo notaretur, atque per obſervantiam talium legum recognoſceretur ſuperioritas Laicorum ſuper Eccleſias, perſonáſque, ac res Eccleſiaſticas; quod foret abſurdum.

294 Nec dicas. Ergo etiam privilegia per Imperatores, pluréſque Reges Eccleſijs, & Eccleſiaſticis conceſſa, erunt invalida, & nullius roboris. Negatur enim ſequela: ratio eſt; quia privilegium, quod eſt præter jus, ac merè conceſſivum gratiæ, poteſt concedi etiam non ſubdito: neque enim conceſſio ipſius eſt actus jurisdictionis, ſed meræ liberalitatis erga privilegiatum. Unde hîc ceſſat ratio ſuperioritatis, quæ tamen militat, & requiritur in poſitione legis, atque per hujus acceptationem & obſervantiam ipſo facto recognoſcitur. Abbas *loc. cit. n. 25.*

295 Infertur proinde, quòd Leges illæ, quæ habentur in Codice Juſtinianæo, *Tit. De ſacroſanctis Eccleſijs; De Epiſcopis, & Clericis;* & in Authenticis *De Epiſcopis*, ac hujusmodi, per ſeipſas nullam vim obligandi Clericos habeant, ex defectu ſcilicet poteſtatis Legislativæ, ac jurisdictionis: diſponunt enim ſpecialiter de Eccleſijs, perſonis Eccleſiaſticis, earúmque rebus, reſpectu quarum nulla Sæcularibus jurisdictio competit. Abbas Panormit. *d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. n. 10. §. Ad primum h. t.* Joan. Andreas *in c. Non minùs. n. 14. de Immunit. Eccleſ.* Menochius *cit. lib. 1. de Jurisdict. cap. 1.* Layman *d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ num. 3.* & Fagnanus *ibid. n. 17.* Andreas Gailus *lib. 2. Pract. Obſervat. 32. n. 1. & 2.* & alij communiter.

296 Additur notanter in Concluſione, *niſi approbentur ab Eccleſia.* Nam imprimis ejusmodi Leges Romanus Pontifex approbare, ijsdémque authoritatem tribuere poteſt; *text. clar. d. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. h. t.* ibi: *Nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum.* Tunc verò non obligabunt ex vi Sæcularis poteſtatis, ſed Eccleſiaſticæ, à qua approbationem, confirmationémque, ſicque authoritatem obligandi Clericos acceperunt, juxta illud vulgatum: *Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur.* Gloſſa fin. *cap. 1. de Transaction. & L. 1. §. Sed neque. C. de Veter. jure enucleand.*

297 Fit autem talis confirmatio Apoſtolica quandoque per ſpeciale Decretum: quomodo Joannes Papa II. confirmavit Titulum primum Codicis de Summa Trinitate, & Fide Catholica; uti liquet ex litteris ejusdem Papæ ad Juſtinianum Imperatorem datis, quæ ibidem verbatim allegantur. Deinde, ſi ipſemet Pontifex in Decretalibus ſuis quandam Imperatoris de rebus Eccleſiaſticis Conſtitutionem allegaverit, cenſetur eam approbare, & confirmare: quamvis ejusmodi Leges taliter canonizatæ, non ampliùs dicantur Leges Civiles, ſed Canones. Fagnanus *c. Inter alia. n. 2. & 6. de Immunit. Eccleſ.* Inſuper plures aliæ Imperiales Conſtitutiones, quæ ex objecto videbantur utiles, haud obſtante, quòd ſpecificè loquantur de Eccleſijs, earúmque perſonis vel rebus, ipsâ generali Eccleſiarum acceptatione, & uſu ſunt approbatæ. Tacentur pura privilegia, quæ per Imperatores, & Reges, Eccleſiæ, & perſonis, rebúsque Eccleſiaſticis conceſſa ſunt, nec dubium eſt, quin valeant, ob rationem *n. 294.* allegatam.

298 Objicies nihilominus contra dicta. Si hæc ita ſe habent, ergo plurimæ Leges Juris Civilis, quin & integri Tituli in Codice, & Authenticis de Sacroſanctis Eccleſijs, Epiſcopis, & Clericis ſpecialiter diſponentes, nullam habebunt vim obligandi; quinimò veluti inutiles, ac Eccleſiaſticæ immunitati repugnantes, de corpore Juris Civilis erunt reſecandæ, & tollendæ. Reſp. negando ſequelam: licèt enim ejusmodi leges ex ſeipſis vim obligandi non habeant quoad Eccleſias, ipſáſque perſonas, & res Eccleſiaſticas; non tamen idcircò prorſus ſunt inutiles, ac tollendæ de corpore Juris. Imprimis enim plures ejusmodi Leges ob naturalem æquitatem, quam continent, ſucceſſivè per Eccleſiam fuerunt receptæ, ac vel per ſacros Canones ſingulatim canonizatæ, vel longævo uſu approbatæ: unde etiam quotidie in libris, publicisque judicijs allegari ſolent. Deinde multa in memoratis Titulis contenta, ſunt mera privilegia, ab Imperatoribus pijſſimè conceſſa Eccleſiæ; quæ proinde juvant vel maximè ad demonſtrandam toti poſteritati fidem, devotionem, zelúmque Chriſtianum, quo veteres Imperatores proſecuti ſunt, & proſequendam cenſuerunt Sanctam Romanam Eccleſiam, Fidémque Catholicam, atque ejusdem exaltationem & propagationem; quem, utinam! ſuſpicerent, atque imitarentur omnes moderni S. R. I. Principes, ac univerſi Reges, Populíque Chriſtiani.

299 Inſuper juvant ejusmodi Leges Civiles ad compeſcendos hoſtes S. Matris Eccleſiæ, Statûs-

que

que Eccleſiaſtici: quia dum quædam ſtatuerunt de SS. Eccleſijs, Epiſcopis, & Clericis, rebúsque Eccleſiaſticis, per hoc hæreticis, alijsq; hominibus improbis, qui Eccleſiam, ejúsq; viſibile Caput Romanum Pontificem, Chriſti in terris Vicarium, atque Eccleſiaſticam Hierarchiam ex Epiſcopis, & alijs Clericis conſiſtentem, agnoſcere contemnunt, legesq; Eccleſiaſticas pertinaciter abjiciunt: præcluditur hac ex parte nonnihil via nocendi ipſimet Eccleſiæ, perſonis, rebúsq; Eccleſiaſticis, dum ſaltem per Leges Civiles, quibus obſequi volentes nolentes compelluntur, improbæ eorum machinationes compeſcuntur, ipsique ampliùs nocere prohibentur. Unde Lancellotus *in Inſtitut. Juris Canonici, Tit. 2.* haud immeritò notavit, quòd hujusmodi Legibus Civilibus, quæ ſi Evangelicis & Canonicis Decretis non contrarientur, omni reverentiâ dignæ ſunt, Eccleſia ſæpè contra Hæreticos, Tyrannos, & quoscunque alios pravos utatur; quamvis alioquin cujuspiam firmitatis non exiſtant, niſi ab Eccleſia fuerint approbatæ. Concordat textus *in can. Lege Imperatorum. diſt. 10. §. fin.* ibi: *Non quòd Imperatorum leges, quibus ſæpè Eccleſia utitur contra hæreticos, ſæpè contra tyrannos, atq; contra pravos quosque defenditur, dicamus penitus renuendas.*

300 Quæritur II. Utrùm Clerici teneantur Legibus Civilibus, & Statutis Laicorum, quæ non factâ expreſsâ mentione Eccleſiarum, rerum, ſeu perſonarum Eccleſiaſticarum, quidpiam generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec Statui Clericali cæteroquin præjudicant? Et notanter hoc ultimum additur: quia, ſi ejusmodi Leges, ſeu Statuta, de ſe præjudicarent Statui Eccleſiaſtico, in promptu adeſſet reſponſio negativa, ob privilegium Fori, atq; Libertatis Eccleſiaſticæ, Clericis eorúmq; rebus, absque ulla controverſiâ de Jure competens. Dicitur etiam, *quidpiam præcipiunt, vel prohibent,* ad differntiam illarum Legum & Statutorum ſæcularium, quæ certam ſolemnitatem præſcribunt contractibus, ſub pœna nullitatis horum obſervandam, de quibus ſpecialiter agetur *§. ſeq.*

301 Reſp. I. Si leges Civiles expreſsè non diſponant de Eccleſijs, Clericis, horúmque bonis, ſed ob publicam utilitatem, ſeu neceſſitatem communiter quidpiam ſtatuant, ſimúlq; neutiquam repugnent ſtatui Clericali, aut immunitati Eccleſiaſticæ; tunc ijsdem etiam obligantur Clerici quoad vim directivam, licèt non coactivam. Ita Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 13.* & Fagnanus *ibid. n. 29. h. t.* Card. de Luca *tom. 1. Diſcurſ. 8. Miſcellanei Eccleſiaſtici, num. 6.* Suarez *lib. 3. de Legib. cap. 33. n. 6.* Bellarminus *lib. 1. de Clericis, cap. 28.* Covarruvias *Pract. Quæſt. cap. 33. n. 7.* Pirhing *h. t. n. 79.* aſſerens, ita tenere communiter Canoniſtas, & Theologos: quamquàm contradicat Navarrus *Conſil. 3. de Conſtitut. n. 4.* ubi poſt Decium *in d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, n. 24. h. t.* & quosdam alios, inquit, quòd Lex ſæcularis, etiam favorabilis, & generaliter loquens, non includat Clericos, ſi præcipiendo, vel prohibendo loquitur. Cui ſententiæ etiam favet Alexander Sperellus *Deciſ. 13. Fori Eccleſiaſtici, n. 4. & ſeqq.* eâ motus ratione, quòd Clericorum actiones ſint extra ſphæram actionis, & jurisdictionis etiam directivæ, ipſius Principis ſæcularis. Verùm hoc non obſtante,

Probatur Concluſio quoad primam partem, 302
loquentem de vi directiva: quia, licèt talis obligatio reſpectu Clericorum directè non poſſit provenire ex vi legum Civilium, ob defectum jurisdictionis in Clericos: hinc tamen non ſequitur, Clericos non obligari talibus legibus quoad vim directivam. Sicut à pari, quamvis Princeps, ſeu Legislator non habeat jurisdictionem in ſeipſum, ſicque proprijs legibus non obligetur quantùm ad vim coactivam; adhuc tamen ijsdem obligatur quoad vim directivam, ut inquit S. Thomas *1. 2. quæſt. 96. art. 5. ad 3.* eſtque jam ſuprà dictum *§. præced. n. 268. & ſeqq.* Nam, ut quis à lege cenſeatur obligari vi directivâ, ſufficit, quòd in conſcientia, & ſub peccato, teneatur ſervare legem illam: ſive dein talis obligatio immediatè proveniat ex vi ipſiusmet legis, prout ſolent obligari legibus proprij ſubditi Legislatoris; ſive aliunde, puta ex naturali æquitate, ſeu dictamine rectæ rationis, poſt conditam ſemel legem etiam ad ipſummet, v. g. Legislatorem ſeſe extendente.

Sic igitur in propoſito, quòd Clerici obligen- 303
tur ejusmodi legibus Civilibus generatim loquentibus, ac ſtatui Clericali, ipſique immunitati Eccleſiaſticæ neutiquã præjudicantibus, quoad vim directivam: id non provenit immediatè ex vi ipſarum legum Civilium, quaſi hæ per ſe ac directè ſic obligent Clericos, veluti cives ac membra Reipublicæ; prout nonnullos inconſultè arbitratos eſſe, ſcribit Sperellus *cit. Deciſ. 13. n. 2.* Sed, ſuppoſitâ ſemel ejusmodi lege Civili pro bono communi generaliter latâ, provenit illud partim ex ratione naturali, cui lex illa innititur, ipſaque æquitate naturali, dictante, quòd pars non debeat diſcordare à toto; nam *turpis eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens,* ut dicitur *can. Quæ contra. diſt. 8.* Partim ex Jure tum naturali, tum Divino, de vitando ſcandalo proximi: facilè enim ſcandalizantur ſæculares ſubditi, atque à debita hujusmodi legum obſervantia retrahuntur, quando Clericos perfectiorem ſtatum profitentes, & cæteros ad juſtam legum obſervantiã alioquin exhortantes, palàm ac liberè vident contra tales leges operari. Partim etiam dicta obligatio provenit ex authoritate S. Matris Eccleſiæ, ejusmodi leges pro bono publico approbantis, ſeu recipientis, *can. Si in adjutorium. diſt. 10. & cap. 1. & 2. de Novi operis nunciat:* ubi Pontifex inquit: *Sicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita ſacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur:* illis videlicet, quæ ex una parte communem concernunt Reipublicæ utilitatem, ex altera verò ſacris Canonibus, aut immunitati Eccleſiaſticæ nullatenus præjudicant.

Idipſum probatur, & declaratur exemplis. Sic quippe Statutum, vel Edictum ſæculare, taxans 304
juſtum pretium frumenti, vini, cæterarúmque

rerum

rerum ad vitam neceſſariarum, ex vi legis ac directè comprehendit ſolos Subditos Laicos, non autem Clericos ex defectu juriſdictionis: nihilominus, quia Jure naturali, ac Divino præcipitur, ne quis ultra juſtum pretium vendat, juſtum autem pretium cenſeatur illud, quod publicâ authoritate eſt taxatum; hinc etiam Clerici quoad vim directivam tenentur tali Statuto, ſeu Edicto ſæculari, ita ut mortaliter peccent, teneantúrque ad reſtitutionem, ſi notabiliter majore pretio res illas vendant. Navarrus *cap.* 23. *Manual. n.* 88. & Sperellus *d. Deciſ.* 13. *n.* 10. citans alios, haud obſtante, quòd iſte adhuc neget vim directivam talium Statutorum reſpectu Clerici; forſan ob paritatem rationis etiam negaturus contra Doctorem Angelicum 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 5. quòd Legislator teneatur proprijs Legibus quoad vim directivam.

305 Inſuper, quando tempore inopiæ, ac publicæ caritatis, per Edictum Magiſtratûs ſæcularis prohibetur extractio frumenti, aliorúmq; victualium è Regno, vel Provincia; tale quidem Edictũ per ſe ac directè Clericos non aſtringit, adhuc tamen hi ad ejus obſervantiam tenentur ſub peccato, ſicq; vi directivâ. Quia, licèt tunc non peccent contra legem Principis ſæcularis, cùm ab ejus juriſdictione ſint exempti: nihilominus ſtante tali Edicto, in publicum Patriæ bonum promulgato, peccabunt contra Pietatem patriæ debitam, & Charitatem, quâ Jure naturali ac Divino in tanta neceſſitate tenentur potiùs ſubvenire Civibus & incolis, quàm proprijs lucris inhiando frumenta extraneis vendere.

306 Atq; hoc idem ſervatâ proportione dicendum eſt de ſimilibus Statutis, ſeu Edictis ſæcularium Magiſtratuum, quæ ſunt lata in commune bonũ Reipublicæ, nec ſtatui Clericali vel immunitati Eccleſiaſticæ præjudicant. Siquidẽ, ubi ex eorũ transgreſſione penuria v.g. Civitatis augeretur, aut ſcandalum oriretur; tunc ob adjunctam hujusmodi qualitatem, ſeu circumſtantiam, peccarent Clerici eadem transgrediendo. Nam, quia ipſi ſunt pars Reipublicæ, *can. Duo ſunt genera.* 12. *q.* 1. jam Jure naturali, ac Divino, in tantis neceſſitatibus, ſeu ad præcavenda graviora pericula, tenentur veluti pars cum toto concordare, eáq; obſervare, quæ ex ejusmodi Edictis nôrunt ad convenientem Reipublicæ gubernationẽ, conſervationem & pacem eſſe neceſſaria. Sperellus *cit. Deciſ.* 13. *n.* 13. ultrò tandem concedens, quòd ita intelligendi ſint Doctores, qui dicunt, Clericos vi directivâ teneri ad obſervantiam talium legum ſæcularium.

307 Altera pars Concluſionis, ſeu quòd Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ Civilibus Legibus, & Statutis Magiſtratuum ſæcularium, non obligentur quoad vim coactivam, eſt certa, & communis Doctorum; atq; patet ex *c. At ſi Clerici.* 4. *& c. Clerici.* 8. *& c. Qualiter.* 17. *de Judicijs, & c. Sæculares. de Foro compet. in.* 6. cum ſimilibus: ubi Clerici ſuper omni crimine non niſi coram Judice Eccleſiaſtico conveniri, ac puniri poſſe decernitur. Et meritò: quia Clerici, ob privilegium Fori ipſis competens, ſunt exempti à juriſdictione Sæcularium; adeò, *ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non ſunt annexi, habeant;* prout fatetur ipſemet Imperator in *l. Placet. C. de Epiſcop. & Cleric.* Hoc autem foret falſum, ſi Clerici quoad vim coactivam obligarentur legibus Civilibus, & Statutis Magiſtratuum ſæcularium: nam *Forum ſortiri, & ſtatutis ligari, paria ſunt,* ut inquit Barboſa *Axiomat.* 101. citans alios: atque à pari procedunt, prout loquitur Card. Tuſchus *Litt. F. Concl.* 444. & Sperellus *Deciſ.* 10. *Fori Eccleſiaſt. n.* 41. *& Deciſ.* 16. *n.* 17. poſt Rotam *in Ravennat. Emphyteuſis.* 28. *Maij.* 1631. *coram D. Merlino.*

308 Neque juvat hanc ipſam rationem retorquere, atque obiicere contra priorem partem Concluſionis. Eſt enim maxima differentia inter vim directivam, & coactivam Legum: hæc enim poſterior oritur ex vi ipſius legis, ſicque importat ſuperioritatem ex parte Legislatoris ſupra obligatum. Ad vim autem directivam legis ſufficit, quòd quis in conſcientia, & ſub peccato, ad illius obſervantiam teneatur (ſic enim lex illa jam dirigit hominem in actionibus ſuis moralibus, oſtendens ei, quid ſit agendum, vel fugiendum) ſive dein dicta obligatio in conſcientia oriatur immediatè ex vi illius legis, ſive aliunde; puta ex Jure naturali, Divino vel Eccleſiaſtico, poſt conditam illam legem ſubintrante: ſicque nulla hinc poteſt inferri ſuperioritas Legislatoris Laici ſupra Clericos.

309 Cæterùm, ne etiam in Foro externo Clerici leges Civiles, pro communi Reipublicæ bono, & abſque præjudicio immunitatis Eccleſiaſticæ generaliter latas, impunè valeant violare, non ſine perturbatione Reipublicæ, & ſcandalo aliorum: hinc plures Doctores (diſſentiente tamen S. Carolo Borromæo proximè allegando) concedunt, quòd Clerici ad talium legum obſervantiam compelli, atque transgreſſores puniri valeant, non quidem à Judice Laico, ſed ab Eccleſiaſtico; ut docet Anchoranus *in c. Non minus. n.* 7. *de Immunit. Eccleſ. & cap.* 1. *n.* 5. *eod. in* 6. Menochius *Conſil.* 800. *n.* 52. *& lib.* 2. *de Juriſdictione, cap.* 4. citans plures alios. Quamquàm tunc Judex Eccleſiaſticus non teneatur punire talem Clericum transgreſſorem pœnâ in Statuto Laico taxatâ; ſed potiùs pœnis in Jure Canonico contentis, ac pro ſuo arbitrio, ſpectatâ qualitate perſonæ, atque exceſsûs gravitate infligendis. Menochius *cit. Conſil.* 800. *n.* 54. Covarruvias *Pract. Quæſt. cap.* 33. *n.* 7.

310 In praxi tamen conſultiſſimum, atque ad evitanda diſcordiarum, aliorúmq; peccatorum pericula, bonúmq; publicum promovendum, vel maximè opportunũ erit, in talibus caſibus imitari præclarum exemplum S. Caroli Borromæi, aliorúmq; inſignium Præſulũ, qui tempore caritatis, peſtis, aut alterius publicæ neceſſitatis conſueverunt coadjuvare ſuis Edictis Principũ ſæcularium Proclamata; ut notat Navarrus *cap.* 23. *Manual. n.* 88. Azorius *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 12. Sperellus *Deciſ.* 13. *Fori Eccleſiaſt. n.* 14. Sic quippe Sanctiſſimus ille Archiepiſcopus Mediolanenſis, cùm à gubernatore urbis illius per litteras requi-

ſitus

ſitus fuiſſet, ut cogeret Clericos ad obſervandum Edictum à ſe pro publica utilitate conditum: cumprimis quidem liberè reſcripſit; *In Eccleſia Dei novum, atque inuſitatum eſſe, & Canonum ſanctionibus, ſanctæq; Eccleſiæ immunitatis ratione alienum, Eccleſiaſticos Edictis ejusmodi Laicorum Principum Magiſtratuùve ſervandis aſtrictos teneri, ad eaq; exequenda per Epiſcopos compelli.* Nihilominus, ut publicæ utilitati meliùs conſuleretur, ſtatim & ipſe ſuper eodem negotio Edictum ſuâ auctoritate confectum promulgari fecit: prout hoc totum liquet ex litteris S. Caroli, Archiepiſcopi Mediolanenſis, ad memoratum Gubernatorem *die* 27. *Aprilis*, 1576. datis, quæ integræ referuntur poſt *Conſilium* 1001. *Menochij*; ac ex parte adducuntur à Sperello *Decis.* 12. *num.* 20. *& cit. Decis.* 13. *n.* 14. Atque hoc eſſe de mente Sacræ *Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium, negotijs Epiſcoporum Regularúmque Præpoſitorum*, teſtatur Sperellus *cit. Decis.* 13. *n.* 14. pluribus exemplis oſtendens, eandem Sac. Congregationem ſæpiùs reſcripſiſſe Ordinarijs locorum, ut quoad annonam, & extractionem frumenti, ſe conforment cum ordinationibus ſæcularium ſimiles faciendo ordinationes, quas poſteà à Clericis ſervari curent. Verùm majoris claritatis gratiâ,

311 Objicies I. Contra primam partem Concluſionis. Non valet Statutum à Laicis ſpecificè factum circa Eccleſias, perſonas, réſque Eccleſiaſticas, etiam in earum commodum & favorem, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum, *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ.* 10. *h. t.* ergo neque Statutum à Laicis generaliter factum, rectè ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas extenditur, quantumvìs ſit favorabile. Probatur conſequentia: quia fortior eſt ſpecialis conceſſio, quàm generalis, *c. Qui ad agendum. de Procurat. in* 6. cum ſimilibus. Reſp. negando conſequentiam, & paritatrm. Nam in priori caſu ideò non valet Statutum Laicorum, ne notetur horum ſuperioritas ſupra Eccleſias, & Statum Clericalem, ſi quoad ipſas poſſet directè diſponere, etiam in favorabilibus: & hæc ratio notatur *in cit. c. Eccleſia S. Mariæ. h. t*, ibi: *Nos attendentes, quòd Laicis ſuper Eccleſijs nulla ſit attributa facultas.* Secùs eſt, quando Lex Civilis, aut Statutum Laicorum, loquitur & diſponit ſolùm generaliter: hìc enim nulla prætenditur, ſeu notatur eorum ſuperioritas ſupra Eccleſias, & Clericos; atque ideò talia Statuta valent. Ad probationem conſequentiæ dicitur, illud dictum procedere, quando in concedente concurrit libera poteſtas diſponendi de re aliqua, v. g. conſtituendi Procuratorem, de quo caſu loquitur *cit. cap. Qui ad agendum*: tunc enim ex ſpeciali mandato luculentiùs colligitur voluntas diſponentis. Secùs, ubi deeſt poteſtas in diſponente: nam tunc fortior eſt conceſſio generalis, *arg. c. Tua.* 25. & ibi Abbas, *n.* 9. *de Decimis.*

Objicies II. contra ſecundam partem Con- 312
cluſionis. Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus, juxta *Reg.* 55. *Juris in* 6. cum concordantijs; ergò, cùm Clerici ſentiant commoda Legum & Statutorum ſæcularium, debent ſentire & onera eorum, tanquam membra ejusdem Reipublicæ, ſicque tenentur eisdem etiam quoad vim coactivam. Reſp. neg. conſequent. loquendo de Legibus, ſeu Statutis ſæcularibus, quæ ſunt Clericis præjudiciales: ut forent illæ, quæ aſtringerent Clericos quoad vim coactivam. Ad allegatam Regulam Juris dicitur, eam præter alias fallentias pati limitationem, quando quis ab onere, ſive præjudicio legis ſpecialiter eſt exemptus, atque privilegiatus: prout Clerici, aliæq; perſonæ Eccleſiaſticæ, unà cum Eccleſijs, rebusque earum, ſpecialiter ſunt privilegiati, & exempti à jurisdictione Fori ſæcularis; ac proinde in materia odioſa, ſibique præjudiciali, utpute quoad vim coactivam, non ligantur legibus ipſius, licèt ſi afferant commodum, poſſint uti earundem favoribus.

Nec obſtat, quòd Clerici ſint membra Rei- 313
publicæ, *can. Duo ſunt genera.* 12. *q.* 1. Nam ſunt membra ipſius, non quomodocunque, ſed ſpecialiter privilegiata: ac proinde, licèt ſub Statutis Laicorum comprehendantur incluſione favorabili, non tamen incluſione odioſâ, ſibique præjudiciali; qualis foret incluſio quoad vim coactivam.

§. XIV.

De Obligatione Legum, & Statutorum Sæcularium quoad Clericos, quæ diſponunt de contractibus, alijsque rebus merè profanis.

SUMMARIUM.

314. *Subdiviſio præſentis materiæ.*

315. *Leges ſæculares de contractibus &c. ſi ſint favorabiles, extenduntur ad Clericos: ſecùs, ſi ſint præjudiciales, Et ſeqq.*

316. *Quæ diſtinctio declaratur exemplo Pupilli, qui rem ſuam; ac Servi, qui rem Domini poteſt facere meliorem, non deteriorem.*

317. *Probatur prior pars Concluſionis.*
Clerici ſunt membra Reipublicæ, & quidem præſtantiora. Ibid.

318. *Ratio poſterioris partis Concluſionis.*
In materia odioſa nomine Populi, non comprehenditur Clerus. Ibid.

319. *Lex Clericis præjudicialis, & non præjudicialis, quæ?*

320. *Leges Juris Civilis circa contractus, aliasq; caſſas profanas generaliter latæ, ſi SS. Canonibus non contrarientur, extenduntur ad Clericos. Et n. ſeqq.*
321. *In cauſis Eccleſiaſticis poſſunt allegari Leges, ſi Canones deficiant.*
Id practicârunt ipſimet Summi Pontifices. Ibid.
322. *An pariter Statuta inferiorum Laicorum, quæ diſponunt circa contractus, & non ſunt præjudicialia Clericis, nec SS. Canonibus contraria, extendantur ad Clericos?*
323. *Refertur affirmativa ſententia Bartoli.*
324. *Sententia negativa eſt communis, ac tenenda.*
325. *Ejúſque multiplex ratio.*
Diſparitas inter leges Juris Civilis, & Statuta particularia locorum. Ibid.
326. *Hic non habet locum diſtinctio de Obligatione quoad vim directivam, non coactivam; & cur?*
327. *Reſpondetur ad rationes Bartoli.*
328. *Dantur nihilominus certi caſus, in quibus Statuta Laicorum extenduntur ad Clericos, vel hos afficiunt.*
329. *Et qui ſint illi caſus? Et num. ſeqq.*
I. Quando Statutum Laicale eſt privilegiativum, ac merè favorabile. Num. 329.
330. *II. Quando conſuetudo eſt promiſcuè inducta in loco per Clericos, & Laicos. Et n. 327.*
331. *Quid, ſi alia ſit conſuetudo Clericorum, & alia Laicorum?*
332. *Statuta Laicorum per Eccleſiam approbata, quâ ratione conſtringant Clericos?*
333. *Approbare Statuta Laicorum in ordine ad Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, eſt caſus Papæ reſervatus.*
334. *Cautela pro Epiſcopis cupientibus, ut Clerici Principum Sæcularium Ordinationibus ſe conforment. Et n. præc.*
335. *III. Quando Clericus agit contra Laicum in Foro Civili, debet ſervare in præparatorijs Judicij Statutum Laicorum.*
336. *Tale tamen ſtatutum non afficit Clericum directè, ſed ſolùm indirectè, & conſecutivè.*
337. *IV. Quando Clericus vult uti Statuto Laicali pro ſe, tenetur illud etiam admittere contra ſe. Et n. ſeqq.*
338. *Aliud eſt, Statuto coërceri: aliud ſub certâ lege alicujus præſtationis ad Statuti commodum invitari.*
339. *V. Quando Clericus cum alio contrahens paciſcitur, ut pro obſervantia contractûs ad formam Statuti Laicalis conveniri valeat.*
340. *Solvitur inſtantia.*
Clericus, etiam volens, non poteſt in Judicem laicum conſentire. Ibid.
341. *VI. Ubi Clericus jure Laici habetur etiam ex ſenſu ſacrorum Canonum: idq; exemplificatur.*
342. *VII Quando Statutum Laicale irritat contractum factum abſque certa ſolemnitate, & Clericus velit contrahere cum Laico illius loci: quia tenetur dictas ſolemnitates adhibere; alioquin invalidè contrahit.*
343. *Secùs eſt, ſi Clericus contrahat cum Clerico abſque illis ſolemnitatibus.*
344. *VIII. Quando Statutum Laicale concernit rem exiſtentem penes Laicum, v.g. prohibendo, ne alienetur res Dotalis.*
345. *Donatio ultra 500. Solidos, à Laico facta cuipiam Clerico abſque inſinuatione apud Judicem, non valet,*
346. *Niſi fiat ipſi ut pauperi, vel Eccleſiæ, ſive ad pias cauſas.*
347. *IX. Quando Statutum Laicale injecit vinculum ante Clericatum: idq; exemplificatur.*
348. *Secùs, ſi primùm poſt Clericatum conaretur vinculum inijcere.*
349. *Declaratur Regula ſolvendo notabilem Inſtantiam.*
350. *Statutum Laicale præjudicans Immunitati Eccleſiaſticæ, aut favori Religionis non valet.*
Ut ſi ſtatuat, quòd ingrediens Religionem non ſuccedat in hæreditate. Ibid.

314 Circa præſentem materiam, quæ majoris claritatis gratiâ in ſpeciali paragrapho examinatur, plura poſſunt occurrere dubia, & diſtingui quæſtiones. Et primò, quid dicendum, ſi Leges civiles, ſeu Conſtitutiones municipales ſint favorabiles, vel præjudiciales Clericis? Secundò, an leges corpori Juris Civilis inſertæ, quæ generaliter diſponunt circa contractus, aliáſque res profanas, nec Sacris Canonibus contrariantur, extendantur ad Clericos? Tertiò, an hoc ipſum procedat in Statutis inferiorum Principum, ſive Magiſtratuum ſæcularium, quoad ſua propria territoria generaliter latis, aut ſaltem dentur certi caſus, in quibus talia Statuta Laicorum extenduntur ad Clericos? Et de his per Ordinem loquendo.

315 Quæritur I. Num Leges ſæculares de contractibus, aliisve rebus profanis quidquam generaliter diſponentes, extendantur ad Clericos, ſive dein his ſint favorabiles, ſive præjudiciales? Reſp. Leges communes Juris Civilis, atque Municipales locorum, generaliter diſponentes circa contractus, aliáſque res profanas, ſi ſint favorabiles, extenduntur, & procedunt etiam quoad Clericos, & Eccleſias, earúmque res: ſecùs, ſi ſint iſtis præjudiciales. Ita Abbas *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, n. 12.* & Felinus *ibid. n. 66. & 80. b. t.* Menochius *lib. 2. de Juriſdict. cap. 1. caſu 3. & 4.* Sperellus *Fori Eccleſiaſt. Deciſion. 10. & ſeqq.* Cardin. de Luca *Miſcellan. Eccleſiaſt. Diſcurſ. 8. n. 6. & 10.* Pirhing *h. t. n. 74.* & alij communiter.

Neq; iſthæc diſtinctio cuipiam mirabilis videatur: nam ipſo Jure Civili in ſimili ſtatuitur, *§. 1. Inſtit. de Authorit. Tutor.* quòd Pupillus ſine Tutoris authoritate meliorem ſuam conditionem facere poſſit, non autem deteriorem; prout 316

& per Servos melior conditio Domini fieri poteſt, non verò deterior, *l. Servus. C. de Pactis.& l. Melior.* 176. *ff. de Reg. Juris*, cum ſimilibus.

317 Prima pars probatur *ex c. Dilecti filij.* 17. *de Foro compet.* ubi privilegium conceſſum hominibus certæ patriæ, tranſit in Clericos, dummodò (ut notat Abbas *ibid. n.* 3.) materia ſubjecta pariter proportionetur utriſque. Accedit, quòd Clerici, quantumvis exempti à jurisdictione Fori ſæcularis, non ſint ſimiles hominibus omninò forenſibus, & à quibus Reſpublica nullum habet ſubſidium, quique proin non merentur ejus favoribus gaudere. Quinimò Clerici ſunt membra Reipublicæ, & quidem præſtantiora, *c. Duo ſunt genera.* 12. *q.* 1. cum ſimilibus: unde etiam dicuntur *Cives*, ſecundùm Bartolum *L.* 1. *ff. Ad municipal.* & Diſtrictuales, juxta Romanum *Singul.* 446. & Rotam *Deciſ.* 452. *n.* 2. *part.* 2. *Diverſ.* Et quamvis non ſubeant onera temporalia, ſubeunt tamen ſpiritualia in celebratione Divinorum Officiorum, adminiſtratione Sacramentorum, prædicatione S. Evangelij, alijsque laboribus Eccleſiaſticis, qui tantò præponderant ſæcularibus, quantò quæ ſunt animæ, corpori præferuntur, *c. Exijt. §. Continetur. de Verb. ſignif.* Hinc non mirum, quòd Clerici in favorem ſuum allegare, atque uti valeant illis privilegijs, exemptionibus & favoribus, qui communi Lege, ſive Statuto, generaliter Civibus conceſſi ſunt: neque enim Clericatus tollit ab ipſis tales prærogativas cæteris conceſſas, nec debet Clericus deterioris eſſe conditionis, ac quivis alius Civis, & Sæcularis, juxta illud D. Apoſtoli 1. Corinth. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus?* Quaſi diceret: Non eſt magnum, ſed debitum.

318 Altera pars deſumitur imprimis *ex cap.* 1. *de Conſuetud.* ubi conſuetudo (idem dicendum de Statuto, eò quòd conſuetudo, & Statutum, non differant, niſi ſicut tacitum & expreſſum, dum in conſuetudine intervenit tacitus, in Statuto autem expreſſus conſenſus, ut notat Abbas *ibid. n.* 1.) non valet, quando venit in præjudicium, ſeu gravamen non modicum Eccleſiarum: quia tunc obſtat favor Religionis; nam multa ſpecialia ſunt inducta favore Religionis, & Eccleſiarum; *arg. l. Sunt perſonæ, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Accedit defectus jurisdictionis Laicorum in Clericos, de quo jam ſuprà *n.* 292. & 307. Tandem in materia odioſa nomine Populi non comprehenditur Clerus, *c. Si ſententia.* 16. *de Excommunic. in* 6. ac velut indubitatum tenet Fagnanus *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 29. *℣. Quæ tamen. h. t.* ergò Leges Civiles, aut Magiſtratuum ſæcularium, generaliter pro Populo latæ, haud obſtante, quòd alioquin honeſtæ ſint, ac validæ, non aſtringunt Clericos, ſi iſtis ſint præjudiciales.

319 Ubi notandum, quòd illa *Lex* cenſeatur Clericis eſſe *præjudicialis*, quæ ſemper, ac ſimpliciter, apta eſt ipſis afferre incommodum: Secùs, quando Lex poteſt habere aliquando commodum, & aliquando incommodum; talis enim non dicitur præjudicialis. Et hujusmodi *Lex non præjudicialis* eſt illa, quæ Jure communi habetur de Novi operis nunciatione; item Lex diſponens de Contractibus, de Locato, Conducto, Depoſito, Emptione & Venditione rerum, ac ſimilibus. Nam, quamvis ejusmodi Lex aliquando noceat Clerico, ut puta condemnato ex Depoſito, tamen aliâ vice poteſt ipſi prodeſſe agenti ex Depoſito; ac proin non cenſetur præjudicialis: ſicque eſt ſervanda etiam quoad Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, dummodò aliàs non contradicat Sacris Canonibus. Abbas *in d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 13. & Felinus *ibid. n.* 66. *h. t.*

Quæritur II. An leges corpori Juris Civilis inſertæ, quæ generaliter diſponunt, ſive aliquid ſtatuunt circa contractus, modum ſuccedendi ab inteſtato, & alia merè profana, cæteroquin autem Sacris Canonibus, aut Immunitati Eccleſiaſticæ non contrariantur, etiam ad Clericos, resque Eccleſiaſticas extendantur; haud obſtante, quòd quandoque commodum, quandoque incommodum afferant? Reſp. Hujusmodi leges Juris Civilis extenduntur etiam ad Eccleſias, perſonasque Eccleſiaſticas; adeò, ut contra iſtas in defectum Canonum rectè allegentur in utroque Foro, tam Canonico videlicet, quàm Civili. Ita Abbas *in d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, n.* 13. *h. t.* & alij, junctis illis, quæ de confœderatione Juris utriusque dicta ſunt *in Proœmio, n.* 224. 225. *& ſeqq.* Ratio ulterior eſt: quia Leges iſtæ Civiles non poſſunt dici præjudiciales Eccleſijs, vel perſonis Eccleſiaſticis; nam, dum hodie ſuccumbenti damnum afferunt, aliâ vice in cauſa ſuperanti poſſunt afferre commodum: unde Decius *in d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 27. *h. t.* non immeritò aſſeruit, haſce leges eſſe Clericis favorabiles. Deinde, quamvis Leges iſtæ Civiles ex ſe ipſis non habeant vim obligandi Clericos, utpote exemptos à jurisdictione Fori ſæcularis; eam tamen habent ex acceptatione, & authoritate Eccleſiæ, *cap.* 1. *&* 2. *de Novi oper. nuntiat.* cum concordantijs. 320

Idipſum confirmatur ex eo: quia ejusmodi Legibus Civilibus, quæ non ſunt præjudiciales Clericis, neque Sacris Canonibus contrariæ, frequenter ipſimet Pontifices in favorem Eccleſiarum, vel Clericorum ab alijs indebitè gravatorum uſi fuerunt: uti liquet ex *cit. cap.* 1. *&* 2. *de Novi oper. nuntiat.* ubi Eccleſia, poſt Nuntiationem novi operis ædificata, mandatur deſtrui, juxta conſtitutum Legum Civilium: ubi proinde Gloſſa communiter recepta. *℣. Adjuvantur*, infert, quòd in cauſa Eccleſiaſtica poſſint allegari Leges, ac etiam ſecundùm eas judicari, ſi Canones deficiant, *juxta can. Lege Imperatorum. & can. Si in adjutorium. diſt.* 10. ubi habetur, quòd Leges Imperatorum in adjutorium Eccleſiæ licitè aſſumantur, exemplo S. Pauli Apoſtoli adversùs injurioſos ad Cæſarem appellantis, *Actor. cap.* 22. Inſuper, quòd Legibus Civilibus utendum ſit in cauſis etiam Eccleſiaſticis, niſi Sacris Canonibus contradicant; patet *ex cap. ult. de Alienat. judic. mutand. cauſ. & c. Dilectæ, & c. Innotuit. de Arbitris. & c. Eccleſia, 3. Ut lite pendente, & c. Cùm dilecta.* 321

ſta 4. §. Nos igitur. de Confirmat. util. & alibi ſæpè. Quibus in locis hoc ipſum Pontifices practicârunt, ſicque vim aliquam directivam talium Legûm ob naturalem ipſarum æquitatem agnoverunt, eámque ſuâ authoritate ampliùs comprobârunt. Unde in *c. Super ſpecula. 21. de Privileg.* notanter dicitur, quòd *Sancta Eccleſia Legum Sæcularium non reſpuit famulatum, quæ æquitatis, & juſtitiæ veſtigia imitantur.*

322 Quæritur III. Utrùm proximè dicta de Legibus inſertis corpori Iuris Civilis, procedant pariter in Statutis inferiorum Principum, & Magiſtratuum ſæcularium; adeò, ut ſi talia Laicorum Statuta diſponant circa contractus, vel alias res profanas, ſimúlque de ſe non ſint Clericis præjudicialia, neque Sacris Canonibus, aut Immunitati Eccleſiaſticæ adverſentur, extendantur ad Clericos, eósque obligent? Reſp. I. In reſolutione hujus quæſtionis eſſe duas diverſas Doctorum ſententias. Et quidem

323 Affirmativam ſententiam tenet Bartolus *in l. Cunctos populos. ℣. Quintò quæro. n. 10. C. de Summa Trinitat.* ubi præmiſſo priùs, quòd Statuta Laicorum contra libertatem Eccleſiarum, & earum perſonas non valeant, *Auth. Caſſa & irrita. C. de Summa Trinit.* concludit diſtinguendo, quòd aut Statuta ſunt directè ſuper Eccleſijs, rebúſque Eccleſiaſticis; & non valent, defectu jurisdictionis: aut Statuta ſunt facta ſimpliciter, ſeu diſponendo generaliter, nec redundant contra ea, quæ ſunt conceſſa Eccleſijs, vel Clericis in privilegium; & tunc (inquit) ligant Clericos, & ſunt ſervanda in Foro Epiſcopali, dum tamen ſint honeſta: ut *c. Cùm veniſſent. 3. De eo, qui mittitur in poſſeſſ. & c. Conſtitutus. 8. De in integrum reſtit. & c. Cùm cauſa. 8. de Sentent. & re judic.* ubi ideò retractatur ſententia, quia fuit lata ſecundùm malam conſuetudinem Regionis: Secùs, ſi fuiſſet bona, ſive rationabilis, juxta Gloſſam *fin. ibid.* Et conſequenter laudabilis terræ conſuetudo in cauſis Eccleſiaſticis decidendis admittitur per Papam: idem ergo dicendum de Statuto municipali, honeſto tamen, & libertati Eccleſiaſticæ non præjudicante: nam valet argumentum à conſuetudine ad Statutum, cùm non differant, niſi ſicut tacitum & expreſſum.

324 Verùm hæc Bartoli ſententia ſic generaliter prolata communiter ab alijs relinquitur, & improbatur, ut notant Felinus *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 81. h. t.* Covarruvias *in c. Poſſeſſor. part. 2. §. 4. n. 8.* & Sperellus *Deciſ. 10. Fori Eccleſiaſtici, n. 10.* eámque ex profeſſo rejicit Abbas Panormit. *in ſolemni Repetit. cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 1. & 40. h. t.* Tenenda igitur eſt ſententia negativa; & dicendum, quòd Leges ſæculares inferiorum Principum, & Magiſtratuum, ſive Statuta municipalia Laicorum etiam generaliter facta, non extendantur ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas, neque iſtos obligent; prout tenent proximè citati Authores, & latè probat Alexander *Conſil. 220.* per totum, ac paſſim communi calculo firmari, teſtatur Sperellus *loc. cit. n. 1.*

325 Probatur hæc negativa ſententia ex ſæpè *cit. cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ. 10. h. t.* ubi mentio fit de Statuto generali Laicorum, & tamen negatur extendi ad Eccleſias, res, vel perſonas Eccleſiaſticas. Accedit ratio ibidem inſinuata: quia videlicet *Laicis, etiam religioſis, ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis, nulla eſt attributa facultas*; & conſequenter has non voluerunt, neque potuerunt obligare Statutis ſuis, etiam generaliter latis, & cæteroquin honeſtis: quinimò Statuta, quantumvìs generalia, propter defectum jurisdictionis reſtringuntur, ut non comprehendant niſi Subditos. Abbas *in c. A nobis. 21. n. 4. de Sentent. excommunic.* Tandem id ſuadetur ex eo: quia notabilis eſt differentia inter Leges ſæculares corpori Juris Civilis inſertas, & inter Statuta municipalia, & particularia locorum: nam illæ ſunt à Sacris Canonibus cognitæ, & ubi ipſis non contrariantur, neque peccatum fovent, approbatæ, *cap. 1. de Novi oper. nuntiat.* junctis alijs Juribus, & exemplis, ſuprà *n. 321.* allatis, quæ de hiſce legibus Juris Civilis procedunt. Secùs accidit in Statutis municipalibus Laicorum: nam hæc ſunt Eccleſiæ, atque Romano Pontifici incognita, *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ac proinde non cenſentur approbata per Eccleſiam, ad inſtar priorum. Surdus *Conſil. 301. n. 50. & 51.* Hoſtienſis *cap. ult. de Solution.* & alij, quos pro hac ſententia citat Sperellus. *Deciſ 13. Fori Eccleſiaſt. n. 2.*

Nec juvat hîc recurrere ad datam ſuperiùs diſtinctionem de vi directiva, & coactiva talium Statutorum ſæcularium, in ordine ad Clericos. Siquidem impræſentiarum non quæritur de honeſtate actuum, ſeu ad quid agendum, vel fugiendum in conſcientia, ut ſub reatu culpæ quis obligetur: ſed de valore actuum, ut puta contractuum, non obſervatis ſolemnitatibus per Statutum laicale præſcriptis celebratorum; item de forma in Judicijs obſervanda, ſeu modo ſuccedendi ab inteſtato, & hujusmodi. Quinimò reddere aliquem inhabilem ad contrahendum, teſtandum, vel ſuccedendum ab inteſtato, & hujusmodi, ob aliquod crimen, aut defectum, vel propter non ſervatas certas ſolemnitates per Statutum laicale præſcriptas, pertinet ad vim coactivam legum, eò quòd iſtud pœnā ſive præjudicium aliquod, contineat; sicq; nequeunt Clerici per illud aſtringi. Engel *h. t. n. 35.* poſt Navarrum *Conſ. 3. de Conſtit. n. 5.* & alios paſſim. 326

Nec obſtant Jura *n. 323.* per Bartolum in contrarium allegata. Nam imprimis *in c. Conſtitutus. 8. De in integrum reſtitut.* ſermo eſt de conſuetudine merè favorabili, quæ, ſicut & Statutum laicale favorem porrigens, rectè extenditur ad Clericos, ut mox ampliùs dicetur *n. 329.* Deinde *in c. Cùm veniſſent. 3. De eo, qui mittitur in poſſeſſ. & c. Cùm cauſa. 8. de Sent. & re judic.* ſermo eſt de conſuetudine communi Clericis & Laicis, ut rectè ibidem notat Abbas: quando autem conſuetudo eſt laudabilis, & alicubi promiſcuè introducta tā per Clericos, quàm per Laicos, obligat ipſa etiam Clericos, ac rectè allegatur in utroq; Foro, tā Eccleſiaſtico, quàm Civili, *arg. c. Cæterùm. de Donation.* & rectè probant Jura allegata. 327

Quam-

Quamvis tunc Clericus teneatur tali conſuetudine, non quatenus eſt inducta per Laicos, ſed quatenus eſt recepta inter Clericos, atque inter iſtos viget.

Reſp. II. Dantur nihilominus certi caſus, in
28 quibus Statuta Laicorum pro communi bono Reipublicæ generaliter lata, & cæteroquin rationabilia, ac Sacris Canonibus, ſeu Immunitati Eccleſiaſticæ non repugnantia ad Clericos extenduntur, vel circa ipſos aliquid operantur. Ita Felinus *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ n. 81. h. t.* aſſerens, in talibus caſibus, quorum plures affert, poſſe ſalvari opinionem Bartoli. Card. de Luca *tom. 1. Diſcurſ. 8. Miſcellan Eccleſiaſt. num. 6. & ſeqq.* ubi pariter complures tales caſus adducit; & ſequuntur alij paſſim. Quod ut diſtinctiùs intelligatur;

Quæritur IV. In quibus caſibus Statuta Laico-
29 rum generaliter diſponentia extendantur ad Clericos, vel iſtos afficiant? Reſp. Hujusmodi caſus potiſſimùm eſſe ſequentes. Primus eſt: quando Statutum laicale eſt privilegiativum, ac merè favorabile. Ita Felinus *loc. cit. in caſu primo.* Abbas *in d. c. Conſtitutus. n. 4. De in integrum reſtit.* ubi ex textu illius Capituli notabiliter concludit; quòd *Clerici poſſint uti Statuto, ſeu conſuetudine Laicorum porrigente merum favorem, ex quo Statutum, ſeu conſuetudo diſponit generaliter: quia tunc videtur quoddam Statutum privilegiativum; certúmque eſt, Laicos poſſe in rebus eorum privilegiare Eccleſiam, & Clericos, ut in c. Novit. de Judic. Secùs, quando Statutum non eſt privilegiativum &c.* Idem habet communis aliorum, & patet ex dictis ſuprà *num. 294. & 317.*

30 Secundus caſus eſt: quando conſuetudo eſt promiſcuè, ſeu communiter inducta in loco tam per Clericos, quàm per Laicos: tunc enim obligat utroſque, ut dictum *num. 327.* ac tenet Felinus *cit. num. 81. §. Secundus caſus. h. t.* citans alios.

31 Secùs dicendum, quando alia conſuetudo viget inter Clericos, & alia inter Laicos: tunc enim inter Clericos attenditur, & judicatur ſecundùm conſuetudinem Clericorum, & inter Laicos ſecundùm conſuetudinem Laicorum: quia diverſæ ſunt profeſſiones inter eos, *can. Duo ſunt genera. 12. q. 1.* Atque ideò conſuetudo unius aliam non afficit, *can. Scit Sancta. & can. Illud breviter. diſt. 12.* Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 34. h. t.* Hoſtienſis *in Summa, tit. de Conſuetudine. n. 12. ℣. Sed pone*, & alij.

32 Eſt iſthæc applicando ad Statuta Laicorum, certum eſt, quòd hæc à Laicis lata Clericos non obligent, ob defectum juriſdictionis; quamvis, ſi fuerint favorabilia, eiſdem Clerici poſſint uti ad commodum ſuum. Quòd ſi autem Statuta Laicorum etiam in ordine ad Clericos per Eccleſiã fuerint approbata, confirmata, ſeu communiter edita: tunc equidem Clerici eiſdem ſubjacebunt, non tamen ipſis conſtringentur, quatenus procedunt à poteſtate Laicali, ſed quatenus ab Eccleſiaſtica proveniunt authoritate.

33 Circa hoc eſt ſciendum, quòd approbare Statuta Laicorum in ordine ad Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas, ſit caſus Papæ reſervatus: ſiquidem inferior ab eo non poteſt Laicis committere negotia Eccleſiaſtica, contra *cap. 2. de Judicijs*, cum ſimilibus; ac notat Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 5.* & Felinus *ibid. num. 3. h. t.* Sperellus *Deciſ. 10. Fori Eccleſiaſt. n. 39. & 40.* ac alij. Quamvis enim Epiſcopus Statutum Laicorum cætero quin Sacris Canonibus, aut libertati Eccleſiaſticæ non repugnans, poſſit ita confirmare, ut confirmando illud proprium efficiat; adeò, quòd cenſeatur eſſe Statutum etiam Epiſcopale, & tota vis conſtringendi Clericos proveniat à ſolo Epiſcopo: nunquam tamen poteſt Epiſcopus Statutum Laicorum taliter confirmare, ut Poteſtas ſæcularis acquirat juriſdictionem prohibendi, vel concedendi quidpiam Clericis. Hoc enim ſolus Papa poteſt concedere, utpote qui habet plenitudinem poteſtatis, & per hanc poſſet etiam Laicis committere poteſtatem excommunicandi, & ſuſpendendi Clericos, ut vult Gloſſa *can. Præter. §. Verum. ℣. Duci. diſt. 32.* Abbas *loc. cit. n. 6.* & Felinus *loc. cit. num. 3.* cùm hæc ſit poteſtas Juriſdictionis potiùs, quàm Ordinis.

Cæterùm Sperellus *cit. Deciſ. 10. num. 42.* ponit 334 notabilem cautelam pro Epiſcopis, cupientibus, ut Clerici aliquâ in re pari paſſu cum Laicis ambulent: videlicet, quòd non confirment Statutum, vel Proclama Principis ſæcularis, ſed aliud conſimile Edictum ſeparatum publicari curent quoad ſuos Subditos: & ita pluries ſeſe practicâſſe aſſerit (erat enim Epiſcopus Eugubinus) quoties bono regimini expedire cenſuit, ut ſeſe cum Principum ſæcularium ordinationibus conformaret. Concordant dicta ſuperiùs *§. præc. n. 310.*

Tertius caſus eſt: quando Clericus agit con- 335
tra Laicum in Foro Civili, & coram Judice ſæculari: quia tunc in præparatorijs, ſeu ordinatorijs Judicij (hoc eſt, in his, quæ ſpectant ad litis ordinationem) debet ſervari Statutum, & conſuetudo Laicorum. Abbas *cit. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 9. h. t.* ubi inquit, quòd ab hoc nemo diſcrepet: ac proinde infert, quòd ſi cauſa Clerici vertatur corã Judice ſæculari, recipiat peremptionem inſtantiæ ſecundùm Leges, & Statuta Laicorum, quæ ibi vigent; & econversò, ſi cauſa Laici vertatur corã Judice Eccleſiaſtico, procedatur ſecundùm modum Fori Eccleſiaſtici: neq; enim Forum ſæculare poteſt præſcribere modum procedendi in Foro Eccleſiaſtico, nec econtrà. Idem tenent Felinus *d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n 81. ℣. Tertius caſus.* & alij communiter, poſt Gloſſam *in c. Quod Clericis. de Foro compet.* Idque patet *ex L. 3. §. fin. ff. de Teſtib.* cum concordantijs in Summario adductis, ubi dicitur, quòd in his, quæ ſpectant ad litis ordinationem, debemus inſpicere conſuetudinem loci, ubi agitur: ſecùs in his, quæ pertinent ad litis deciſionem.

Sciendum tamen, quòd in hoc caſu Statutum 336 Laicorum propriè, ſeu directè non afficiat Clericos, ſed ſolùm indirectè, & conſecutivè. Quia enim, Jure ſic diſponente, cauſa quoad ordinaria Judicij debet regulari ſecundùm naturam Fori, ubi agitatur, ut dictum; ſimulque Clericus Actor debet ſequi Forum Rei laici, ipſo etiam Jure Canonico ſic ordinante, *c. Si Clericis. 5. & c. Cùm ſit generale. 8. de Foro competent.* cum ſimilibus: con-

conſequens eſt, ut idem Jus Canonicum cenſeatur velle, quòd cauſa ibidem agitetur ſecundùm modum illius Judicij, adeoque ſecundùm Statuta, & conſuetudines Laicorum, quæ ibidem vigent.

337 Quartus caſus eſt, quando Clericus vult uti Statuto Laicali pro ſe, debet illud etiam admittere contra ſe. Tenetur enim Statutum tale, ſi ipſo uti velit contra Laicum, recipere cum omnibus ſuis qualitatibus, & conditionibus, quamvis aliquæ ſint contra ipſum; ac proin non poteſt ejusmodi Statuto uti pro ſe, & ad ſuum favorem in una clauſula (intellige, cum effectu) & in alia clauſula illud reijcere. Alexander *Conſil.* 209. *num.* 15. *lib.* 2. Sperellus *Deciſ.* 11. *num.* 17. citans inſuper Baldum *L.* 1. *℣. Sextò quæro. C. de Contrah. empt.* Decium, Tiraquellum, & alios. Et meritò: quia æquum eſt, ut quo quis jure contra alium utitur, eodem alium contra ſe uti permittat. *c. Cùm omnes. 6. de Conſtit. & L.* 1. *ff. Quod quisque juris &c.*

338 Accedit, quòd per hoc non præjudicetur in aliquo Libertati Eccleſiaſticæ: nam aliud eſt, coërceri, ſive Clericos per tale ſæculare Statutum ligari; aliud, eos ſub certa lege alicujus præſtationis, v. g. obſervandi cæteras ejus qualitates, ad Statuti commodum invitari, *arg. l. Titio centum. §.* 2. *ff. de Condition. & demonſtrat.* & notant Alexander *lib.* 2. *Conſil.* 210. *n.* 5. ac Sperellus *loc. cit. num.* 19. & alij. Sic autem in propoſito accidit reſpectu Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum: nam hæ non ligantur Statuto laicali, ita ut ad ejus obſervantiam ſint aſtrictæ (non enim ſubſunt Statuentium jurisdictioni) quamvis ejus favore & commodo frui poſſint, ſi velint; eâ tamen conditione, ut illud non ex parte duntaxat, ſed cum omnibus ſuis qualitatibus recipiant.

339 Quintus caſus eſt: quando Clericus cum alio contrahens voluntariè paciſcitur, ut pro obſervantia contractûs conveniri valeat ad formam Statuti laicalis. Abbas *part.* 2. *Conſil.* 33. *n.* 1. & 2. & Card. de Luca, *tom.* 1. *Miſcellanei Eccleſiaſtici*, *Diſcur.* 8. *n.* 8. & *Diſcur.* 116. *de Credito. n.* 16. & 17. Qui tamen optimè advertit, quòd in tali caſu lex, ſive Statutum laicale obliget Clericum, non in ratione legis, ſeu Statuti laicalis (eſt enim perſona privilegiata, & ſpecialiter exempta à jurisdictione Sæcularium) ſed in ratione pacti: quia nimirum ad formam Statuti laicalis cum alio paciſci voluit; ſicque ſubintrat Regula 85. Juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.*

340 Nec obſtat, quòd Clerici, etiam volentes, non poſſint in Judicem laicum conſentire, *c. Significaſti.* 18. *de Foro compet.* ac proinde neque Statutis Laicorum ſeſe ſubmittere; cùm à pari procedant, forum ſortiri, & ſtatutis ligari. Non obſtat, inquam: quia, ubi per Clericos deducitur in pactum, ut contractus non teneat, niſi ſub qualitatibus & conditionibus Statuti laicalis, obligatio non oritur ex vi Statuti illius, ſed ex vi voluntariæ paciſcentium conventionis, proprijq; pacti; eſtque juxta hujus normam poſteà judicandum ſive in Foro Civili per Clericum Actorem, ſive in Foro Eccleſiaſtico contra Clericum Reum lis moveatur. Neque etiam hinc ſequitur ſubmiſſio Clerici reſpectu Fori, vel Statuti ſæcularis; ſed ſolùm habetur ſpontanea conventio facta ſub qualitatibus Statuti laicalis, ultrò per Clericum acceptatis, ſuoque contractui adjectis, ſicut poſſent huic aliæ honeſtæ, & rationabiles conditiones per ipſum adjici.

Sextus caſus eſt ille, in quo Clericus Jure Laici habendus eſt, etiam ex ſenſu Sacrorum Canonum. Ita præſertim accidit in Clerico negotiatore: nam, quia Clericis lucri causâ negotiari, ſub interminatione anathematis prohibitum eſt, *c. Secundùm.* 6. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* (secùs, quando fit juſtum negotium ex cauſa neceſſitatis, *cap.* 1. *eod.*) ſi Clericus aliquis contravenire præſumpſerit, is in bonis ad illicitam negotiationem ſpectantibus non gaudet imunitate reali, ſed more Laici ſubjacet gabellis, alijsque oneribus laicalibus. Simile quid accidit loquendo de illis paſcuis, in quibus Clericus non alio jure paſcere poteſt, niſi civico, & quantum illius Civitatis, vel loci leges permittunt. Card. de Luca, *cit. Diſcurſ.* 8. *Miſcellan. Eccleſiaſt. n.* 9. 341

Septimus caſus eſt: quando Statutum Laicale concernit ſolemnitatem actûs adhibendam tempore contractûs, irritando etiam contractũ, aliúmve actum, ſi fiat absque certâ ſolemnitate, modo, ſeu formâ in eodẽ præſcriptâ, & Clericus cum Laico contrahere velit: tunc enim tenetur Clericus ſervare præſcriptas ſolemnitates, adeò, ut ſi ſtante tali Statuto ſæculari contrahat cũ Laico illius loci non obſervatâ ſolemnitate, ſeu formâ talitur præſcriptâ, invalidè contrahat. Ita Abbas *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 43. & ibi Felinus *n* 51. *§. Quartus caſus. h. t.* Federicus de Senis. *Conſil.* 85. Maranta *Diſp.* 8. *Quæſtionum Legalium, n.* 33. & 48. Sperellus *Deciſ.* 10. *n.* 3. & alij. Ratio eſt: quia Laicus, utpote ſubditus, non potuit contrahere ſpretâ lege ſui Superioris, *arg. Nemo poteſt. ff. de Legatis I.* ergo corruit contractus in totum, ſicque nulla ex eo oritur obligatio. Patet Conſequentia: quia tali contractui reſiſtit Statutum, utpote inhabilitans Laici conſenſum ad taliter contrahendum, *l. Cùm lex. ff. de Fidejuſſorib.* Ac proinde, cùm contractus claudicare nequeat, veluti importans ultrò citróque obligationem, *l. Labeo. §. Contractum. ff. de Verb. ſignif.* neque Clericus, licèt ipſe ſubditus illius Statuti non ſit, tali informi contractu juvari, & contra Laicum uti poterit. Unde juxta ejusmodi Statutum judicabitur in utroque Foro, tam Civili nimirum, quàm Eccleſiaſtico: quia ſi contractus non valuit, ob inhabilitatem ex parte Laici intervenientem, non debet ex eo jus reddi. Abbas *cit. num.* 43. 342

Secùs eſt dicendũ, quando Clericus contrahit cum Clerico. Nam quia Leges, & Statuta ſæcularia nõ poſſunt aſtringere, neq; ſub nullitate actûs obligare perſonas Eccleſiaſticas (hæ enim vi privilegij Fori ſunt exemptæ à jurisdictione ſæcularium) 343

larium) hinc ſi in tali loco Clericus contrahat cum Clerico, non redditur invalidus contractus ob non obſervatam ſolemnitatem à Statuto laicali præſcriptam. In tali enim caſu utraque pars contrahentium eſt perſona non ſubdita Statuto, cùm ſit Clericus; ac proinde ad ejus obſervantiam non tenetur. Maranta. *cit. diſp. 8. n.* 1. Felinus, *ubi ſuprà, num. 94.* Sperellus *Deciſ. 10. n.* 10. allegans Baldum, Abbatem, Butrium, & alios, atque hoc citra ullam hæſitationem dicendum aſſerens, ſi in Clerici teſtamento alter Clericus ſit inſtitutus, vel ab uno Clerico fiat donatio in favorem alterius Clerici: nulla enim tunc vel ratione perſonarum, vel ratione rei aſſignari poteſt Laicorum, Statutum aliquod condentium, jurisdictio in Clericos ſic teſtantes, vel donantes.

344 Octavus caſus eſt: quando Statutum Laicale concernit rem exiſtentem penes Laicum: utputa ſi dicat, quòd res dotalis non poſſit alienari. Nam ſi Clericus hanc emat; non valet alienatio: quia mulier fuit inhabilitata ad alienandam rem ſuam dotalem, puta prædium dotale, *§. 1. Inſtit. Quibus alienare licet.* Adeò quidem, ut ſi secùs fiat, etiam naturalis obligatio non oriatur, *l. Non dubium. C. de Legib.* Abbas in *c. Quod Clericis. n.* 30. *de Foro compet.* Felinus *d. c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n.* 84. *h. t.* & alij. Quamquàm hoc intelligendum ſit, dummodò ejuſmodi Statutum cæteroquin diſponat in caſu licito, & inter ſubditos, ac non in fraudem, nec alio modo reſtringat libertatem Eccleſiaſticam, ipſique præjudicet; prout in proximè data concluſione ſupponitur, ac limitat Abbas *loc. cit. n.* 28. Alioquin enim ſubintrat, atque obſiſtit diſpoſitio *cap. ult. de Immunit. Eccleſ. in 6.* junctâ Gloſsâ, & DD. *ibid.*

345 Similiter, atque ob allatas hactenus rationes, præſertim *n.* 341. expreſſas, donatio ultra quingentos ſolidos abſque inſinuatione apud Judicem à Laico facta non valet, etiamſi fiat non ſubdito legis Civilis, v. g. Clerico. Abbas *d. c. Quod Clericus. n. 26. de Foro compet.* Felinus *ubi ſuprà n. 82.* & alij. Siquidem Laicus, utpote ſubditus illius legis, eſt inhabilitatus ad donandum ultra illam Summam abſque inſinuatione apud Judicem, *l. Sancimus. junctâ Auth. ſeq. C. de Donationib.*

346 Intellige, ſi donatio illa per Laicum fiat Clerico contemplatione ſuæ perſonæ: ſecùs, ſi ea fiat Eccleſiæ, aut Clerico veluti pauperi pro ſalute animæ ſuæ, à Laico illo donante. Nam talis donatio cenſeretur facta ad pias cauſas, ſícque valeret, utpote ſpecialiter privilegiata: ſiquidem Jus Civile pietatis opera impedire, vel reſtringere non poteſt; cùm Chriſti conſilium ſit, Matth. 19. *Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Dummodò tamen donatio illa non ſit inofficioſa: nam talem Chriſtus quoque reprobat, Matth. cap. 15. & concordat *can. Quicunque. 17. q. 4.*

347 Nonus caſus eſt: quando Statutum Laicale injecit vinculum ante Clericatum, nec præjudicat immunitati Eccleſiaſticæ, aut favori Religionis. Tale enim Statutum ſequitur ipſum Clericum, eúmque obligat, adeò, ut etiam in Foro Eccleſiaſtico judicetur ſecundùm Statutum Laicale. Abbas *d. c. Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, n. 34. h. t.* Joan. Andreas *in Reg. Sine culpa. de Reg. Jur. in 6.* qui hoc exemplificant de Statuto ſæculari, quo cavetur, ut ſolus primogenitus ſuccedat in hæreditate: quia ſi ſecundò genitus poſt editum tale Statutum fiat Clericus, ligatur tali Statuto, vel conſuetudine loci; atque ideò non poteſt ſeniori fratri adimere jus primogenituræ, haud obſtante Clericatu poſteà primùm ſuſcepto. Idem tenent, atque exemplificant Doctores in caſu Statuti laicalis, excludentis fœminas à ſucceſſione immobilium extantibus maſculis: quia extenditur etiam ad eas, quæ poſteà fiunt Moniales; cùm ſtatutum jam ante ingreſſum Monaſterij injeceriteis vinculum, & perſonas ſemel legitimè excluſas ex nullo jure reſtituat ingreſſus Religionis. Abbas *in c. Quod Clericis. n. 40. de Foro compet.* Felinus *c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 79. de Conſtit.* Menochius *lib. 2. de Juriſdictione, cap 8. dubitat.* 1. citans alios quamplures, nonnullis exceptis, quos pariter allegat.

Secùs foret dicendum, ſi Statutum laicale primùm poſt adeptum Clericatum conaretur Clerico vinculum injicere, eúmque ligare: ut puta ſi factum, in quo Statuti laicalis obligatio fundatur, ſuperveniat primùm Clericatui jam ſuſcepto; aut dictum Statutum, v. g. ſuper ſucceſſione illius primogeniti edatur primùm poſt ſuſceptum à ſecundò genito Clericatum, vel Monachatum. Quia illud Statutum laicale non poſſet ligare Clericum juxta dicta *n. 324. & 325.* atque ideò in tali caſu ſecundò genitus deberet admitti ad hæreditatem unà cum primogenito. Abbas *cit. n. 40. & in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ, n. 36.* Joan Andreas, *ubi ſuprà*, & alij. 348

Objicies contra hoc claritatis gratiâ. Si Statutum laicale, quod injecit vinculum ante Clericatum, obligat Clericos poſt Clericatum, ergo fermè omnia Statuta Laicorum obligant Clericos: atqui hoc videtur abſurdum, ergo. Probatur ſequela: Omnes Clerici naſcuntur laici, & ſic ante ſuſceptum Clericatum ſubjiciuntur Statutis Laicorum pro tunc jam extantibus; ergò, cùm Statuta Laicorū ſemel injecerint vinculum, ipſis etiam poſt ſuſceptum Clericatum Clerici manebunt obſtricti. Reſp. neg. ſequel. cum ſua probatione. Nam dictum illud, quòd Statutum laicale, ſi injecit vinculum ante Clericatum, obliget, ſeu comprehendat Clericos poſt Clericatum, tunc ſolummodò procedit, quando non ſolùm anteà editum fuit Statutum laicale, ſed inſuper jus agendi vi talis Statuti oritur ex facto, vel quaſi facto ante Clericatum ſuſceptum peracto; prout v. g. jus ſuccedendi oritur ex facto, videlicet ex morte parentis, vel Avi; ſicut etiam jus primogenituræ ex facto, hoc eſt, ex nativitate primo loco factâ oritur, ſic etiam vivente patre producit effectum, *can. Quam periculoſum. 7. quæſt.* 1. ſicque jam ante Clericatum ſecundò geniti fuit radicatum, & acquiſitum Primogenito. Secùs eſt, quando jus agendi 349

oritur ex facto, vel quaſi facto, poſt Clericatum: quia enim tunc tempore facti, vel quaſi facti, perſona effecta eſt Eccleſiaſtica, ſicque extra jurisdictionem ſæcularem, hoc ipſo Statutum laicale, ſaltem præjudiciale, illam non ligat, quamvis jam ante Clericatum ipſius fuerit editum. Alexander *lib. 2. Conſil. 211. n. 9.* Sperellus *Deciſ. 12. n. 21. & ſeqq.* & alij, quos citant.

350 Additur notanter num. 347. *Nec præjudicat immunitati Eccleſiaſticæ, aut favori Religionis.* Siquidem talia Statuta Laicorum ipſo jure ſunt nulla, & invalida, *cap. ult. de Rebus Eccleſ. non alien. & c. Nimis. de Jurejur. & c. Quamquam. de Cenſibus in 6.* cum ſimilibus. Unde non valet Statutum laicale, quòd ingrediens Monaſterium, aut aſſumens Clericatum, non ſuccedat in hæreditate: nam tale Statutum indirectè abſtraheret homines à vita contemplativa, & ingreſſu Monaſteriorum, ſive Clericatu; ſicque pugnaret contra favorem Religionis, ac libertatem Eccleſiaſticam. Abbas *loc. cit. n. 35.* id pluribus alijs probans, & allegans communem Doctorum, contra Baldum *in L. fin. C. de Pactis. & l. Deo nobis. C. de Episc. & Cleric.*

§. XV.

De Interpretatione Legum, ſive Conſtitutionum.

SUMMARIUM.

351. *Interpretatio generatim, quid?*
Alia fit per modum declarationis, alia per modum ſuppletionis. Ibid. & n. ſeqq.
352. *Prior dicitur Litteralis; nec eſt propriè Interpretatio,*
353. *Poſterior eſt propriè Interpretatio, & quid ſit?*
354. *Aſſeruntur quædam hujus exempla.*
355. *Conceſſâ poteſtate interpretandi Statuta, qualis concedatur?*
356. *Clauſula, quòd Statuta aliqua non recipiant interpretationem, quid operetur?*
357. & 358. *Interpretatio ex parte cauſæ efficientis, quomodo dividatur? Et num. ſeqq.*
359. *Interpretatio neceſſaria, ſeu authentica:*
360. *Tum generalis ſcripta;*
361. *Tum generalis non ſcripta, quid?*
362. *Interpretatio neceſſaria particularis, quæ?*
363. *Et cur ſic dicatur?*
364. *Interpretatio non neceſſaria, ſeu probabilis, ac doctrinalis quæ?*
365. *Interpretationis ex parte cauſæ formalis ſunt quinque ſpecies; videlicet,*
366. *Interpretatio translativa,*
367. *Declarativa, ſeu verborum expoſitiva,*
368. *Correctiva,*
369. *Reſtrictiva,*
370. *Et extenſiva; & quid ſint?*
371. *Extenſio legis, duplex: una propriè dicta, ſeu extenſiva:*
372. *Altera comprehenſiva, ſeu incluſiva, & impropriè dicta.*
373. *Interpretatio authentica legis, an debeat publicari, ut obliget? Rationes ſententiæ negativæ.*
374. *Affirmativa concluditur tenenda, loquendo de interpretatione propriè dicta, ſeu quæ legi intrinſecè non ineſt.*
375. *Solvuntur rationes in oppoſitum. Et num. ſeqq.*
376. *Mera legis declaratio non eſt publicanda, benè tamen interpretatio legis propriè dicta; & cur?*
377. *An publicentur Declarationes Cardinalium?*
378. *Epicheia, quid?*
379. *Et quomodo differat ab Interpretatione legis?*
380. *Eſt quandoque locus Epicheiæ,*
381. *Idq; exemplificatur.*

351 Quæritur I. Quid ſit interpretatio legum, præſertim propriè dicta? Reſp. *Interpretatio* generatim aliud non eſt, quàm congrua verbi, vel ſententiæ per aliud clariùs explicatio. Et fit duobus modis, videlicet per modum declarationis, vel per modum ſuppletionis. Card. Tuſchus *Litt. I. Concl. 327. n. 1.* Fagnanus *in c. Quoniam. n. 19. de Conſtitut.* & alij.

352 Priori modo, ſive per modum declarationis, fit interpretatio legis, quando verba ipſius per alia clariora verba exponuntur. Et hæc dicitur *Litteralis interpretatio,* eò quòd per ipſam verbum, & verbi ſenſus, ſive conſtructio, quaſi grammaticaliter ad litteram, ſeu intelligibiliùs exprimitur; ut notatur *in c. Exiit. §. Itaque. de Verb. ſignif. in 6.* Talis tamen propriè non eſt interpretatio, quia nihil novi adducit, ſed tantummodò id, quod verbis legis jam inerat, alijs verbis clariùs exponit: ac proinde potiùs cenſetur eſſe *Declaratio.* Quamvis enim hæc vox *Interpretatio* quandoque accipiatur pro Declaratione, ut fit *L. 1. ff. Si certum petatur,* & alibi: ſtrictè tamen loquendo differunt. Quia cùm exponimus illud, quod verbis legis comprehenditur, legem propriè non interpretamur, ſed declaramus; ut notat Bartolus *in l. Gallus. §. Etiamſi parente. n. 1.* & ibi Jaſon *n. 1. ff. de Liberis & Poſthum.* Fagnanus *loc. cit. n. 19.* & alij. Interpretatio autem propriè dicitur, quando à verbis legis receditur, & mens ejusdem ponderatur, ac præponitur, ut mox ampliùs dicetur.

Poſteriori modo, ſive per modũ ſuppletionis, 353 fit Interpretatio, quando declaratur obſcuritas ſenſûs legis, non ſpectando nudam litteram, & corticem verborum, ſed verba ſimúlq; mentem ipſius, & ſic declarando, quòd lex ad hujusmodi caſum

caſum ſit extenſa, vel non extenſa. Et hæc eſt propriè Interpretatio, ſupplens, quod verbis legis deerat, ſed non menti: nec aliud eſt, quàm ampliatio quædam, ex ſimilitudine proveniens, vel identitate rationis, ut inquit Joan. Montaigne *Tractatuum Tom. 9. tract. de Bigamia. quæſt. 4. n. 2.* citans alios. Et deſumitur hoc ex *c. In his. 15. de Verb. ſignif.* ubi Pontifex factæ à ſe interpretationis allegat hanc rationem: *Conſiderantes nihilominus, quòd non debet aliquis conſiderare verba, ſed voluntatem: cùm non intentio verbis, ſed verba intentioni debeant deſervire: interpretamur &c.*

354 Idipſum ampliùs firmatur, atque oſtenditur exemplis: ſic quippe *in l. Juſtâ interpretatione. ff. de Verb. ſignif.* habetur, quòd juſtâ interpretatione, appellatione Filij, Nepos comprehendatur, & Patris nomine Avus demonſtrari intelligatur. Concordat textus *in §. 1. Inſtit. de Legitima patron. tutel.* ubi in ſimili dicitur: *Non quia nominatim in ea lege de hac tutela cavetur, ſed quia perinde accepta eſt per interpretationem, ac ſi verbis legis introducta eſſet.* Ad idem facit textus in *l. Gallus. ff. Quid ſi is. & §. Etiam ſi parente. ff. de Liberis & poſthum.* Ubi ſimilis interpretatio admittitur, extendendo diſpoſitionem legis ad caſum in ea non expreſſum. Taceantur alij conſimiles caſus.

355 Atque iſta eſſe mente tenenda propter Statuta, quæ dant poteſtatem interpretandi Statuta aliquibus Juriſperitis (nam ex prædictis patet, quam poteſtatem habebunt, faciendi videlicet interpretationem propriè dictam) rectè notat Rogerius *Tractatuum tom. 1. tract. de Juris interpretatione. §. 2. n. 7.* ubi fuſiùs probat, quòd interpretatio in hoc poſteriori ſenſu ſit propriè interpretatio, quæ poſteà præcipuè ſubdividitur in correctivam, reſtrictivam, & extenſivam, de quibus infrà *n. 365. & ſeqq.* dicetur.

356 Inſuper ex dictis patet intellectus illorum Statutorum, in quibus cavetur, quòd Statuta intelligi debeant ſecundùm litteram, & quòd non recipiant interpretationem. Interpretatio enim eſt, cùm à verbis receditur, *d. c. In his. de Verb. ſignif.* cum alijs hactenus allegatis; ergo ſtante tali Statuto fieri non poteſt: & ſi fiat, non valet. *l. Non dubium. C. de Legibus.* Albericus à Roſate *Tractatuum tom. 2. tract. de Statutis, quæſt. 153. n. 7.* Poteſt tamen fieri declaratio verborum talis Statuti, *arg. cit. cap. Exiji. §. Itaque. de Verb. ſignif.* ubi prohibitâ qualibet Gloſsâ, ſive interpretatione dictæ Decretalis, permittitur expoſitio litteralis verborum ipſius. Et per hoc patet ad alteram partem propoſitæ Quæſtionis, quid videlicet ſit Interpretatio propriè dicta.

357 Quæritur II. Quibus modis dividatur Interpretatio? Reſp. I. Ex parte cauſæ efficientis, ſive interpretantis, quatuor poſſunt diſtingui ſpecies interpretationum, videlicet interpretatio Principis, Conſuetudinis, Judicis, & Magiſtrorum. Ita Gloſſa *fin. in can. Sicut enim. ff. Ex his. 11. q. 1.* & Gloſſa *in c. 1. V. Interpretatio.* & ibi Abbas *n. 18. de Poſtulat. Prælat.* Fagnanus *in c. Cùm veniſſent. n. 1. de Judicijs*, & alij. Ratio eſt: quia omnes prædicti poſſunt legem interpretari, quamvìs non eodem modo, nec pari cum efficacia; cùm interpretatio Principis ſit neceſſaria & generalis, non item cæteræ, ut mox ampliùs dicetur. Unde

Reſp. II. Juxta prædictas quatuor ſpecies Interpretatio ut ſic rectè dividitur in neceſſariã, ſeu authenticam, & in non neceſſariam, ſeu merè probabilem & doctrinalem; ex quibus prior ſubdividitur in neceſſariam generalem, tum ſcriptam, tum non ſcriptam; & in neceſſariam particularem, ſeu non generalem. Ita Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà*, cum alijs; atque patebit ex declaratione ſingulorum membrorum. Et quidem 358

Interpretatio neceſſaria, ſeu *authentica* generatim eſt illa, cui neceſſariò eſt acquieſcendum, & quæ vim legis obtinet. Nam, ut *l. Minimè. 22. ff. de Legib.* dicitur, *Minimè ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt*: junctis textibus in progreſſu allegandis. Porrò hæc Interpretatio ſubdividitur in neceſſariam generalem ſcriptam, & in neceſſariam generalem non ſcriptam, & in neceſſariam non generalem, ſeu particularem. Ex quibus 359

Interpretatio generalis ſcripta dicitur illa, quæ datur à Principe legiſlatore, vel ejus ſucceſſore, atque vim legis obtinens ad omnes Subditos generaliter extenditur. De hac fit mentio *in L. 9. & 10. & L. ult. C. de Legib.* ubi Summarium inquit: *Ejus eſt legem interpretari, cujus eſt condere.* Et in c. Inter alia. 31. de Sent. excomm. ibi: *Unde jus prodijt, interpretatio quoque procedat*, cum ſimilibus. Quod intelligendum eſt de neceſſariâ, deciſivâ, ſeu authenticâ, ſimúlque generali interpretatione, quæ vim habeat legis generaliter omnes Subditos obligantis: nam, *quod Principi placuit, legis habet vigorem*; prout habetur *L. 1. ff. de Conſtit. Princip. & §. Sed & quod. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* Et hujusmodi *Interpretatio* dicitur *ſcripta*. Non quòd ſcriptura ſit de ejus ſubſtantia, ſed quia ſcriptura communiter in ipſa intervenire ſolet; ſimúlque ad differentiam Interpretationis conſuetudinariæ, ſeu per conſuetudinem introductæ: ſicuti his ipſis de cauſis Lex, dicitur *Jus ſcriptum*, ad differentiam videlicet Juris conſuetudinarij, quod *Jus non ſcriptum* appellatur, *ff. Conſtat autem. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* & quia Lex communiter ſcriptis conſignari ſolet, ut ejus memoria meliùs retineatur, ut jam alibi dictum fuit. 360

Interpretatio neceſſaria generalis non ſcripta, eſt ea, quæ habetur per conſuetudinem legitimè introductam: nam talis conſuetudo etiam neceſſariam legis interpretationem affert, ſimúlque generalem reſpectu eorum, apud quos conſuetudo ejusmodi viget, quamvis ipſa non ſit ſcripta. Unde *l. Si de Interpretatione. 36. ff. de Legib.* dicitur: *Si de Interpretatione legis quæratur, imprimis inſpiciendum eſt, quo jure Civitas retrò in hujusmodi caſibus uſa fuiſſet; optima enim eſt legum interpres conſuetudo.* Concordat textus *in c. Cùm dilectus. de Conſuetud.* ibi: *Contra conſuetudinem approbatam, quæ optima eſt legum interpres*, cum concordantijs. Et me- 361

meritò: nam *Novitates plerumque querelas, & diſcordias pariunt*, juxta Hippocratis Aphoriſmum, ac notatur *in Extravag. Inter cunctas.* §. *Sanè. de Privileg. Inter communes.* Unde provide monet Imperator *L. 3. ff. de Conſtit. Princip.* quòd *in rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum viſum eſt.*

362 *Interpretatio neceſſaria particularis, ſeu non generalis*, eſt ea, quæ fit per Judicem. Nam Judex imprimis poteſt interpretari ſententiam ſuam, *arg. l. Paulus. ff. de Re judicat. & l. In ambiguis. ff. de Prætoriis ſtipulationib.* ac notat Gloſſa *cit. cap. 1. ℣. Interpretatus. de Poſtulat. Prælat.* Deinde poteſt Judex etiam interpretari Leges quoad cauſas decidendas per eum, *l. Nam ut ait. & l. Non poſſunt. ff. de Legib. junctâ Auth. Ut Judices. Collat. 9.* cum ſimilibus, ac notat Innocentius *in c. Cùm ſpeciali. de Appellat.* Abbas *in d. cap. 1. n. 10. de Poſtulat. Prælat.* Romanus *Conſil. 93.* & alij. Judex etenim eſt Juris interpres in cauſa dubia, ejúsque ſententiæ, tanquam habenti vim particularis authenticæ interpretationis, tenentur partes litigantes obſequi, niſi ad judicem ſuperiorem appellaverint, *cit. Auth. Ut Judices.* Unde etiam ſententia tranſit in rem judicatam, niſi appelletur *c. Quod ad conſultationem. 15. de Sentent. & re judic.*

363 Cæterùm hujuſmodi Interpretatio dicitur neceſſaria particularis, ſeu non generalis: quia licèt partes litigantes neceſſe habeant eidem obſequi, niſi malint per legitimam appellationem ad Superiorem provocare, ſicque reſpectu partium ea meritò vocetur neceſſaria; adhuc tamen talis interpretatio non eſt generalis. Tum quia alij Judices non tenentur judicare juxta interpretationem ab hoc Judice factam, & ſecundùm quod iſte judicavit; nam *non exemplis, ſed legibus judicandum eſt,* l. Nemo. C. de Sentent. & interlocut. omn. Judic. Tum quia res inter alias judicata, regulariter alijs non nocet, *c. Quamvìs. 25. de Sentent. & re. judic. & c. Dilecto. §. fin. 25. de Præbend.*

364 Tandem *Interpretatio non neceſſaria*, ſeu *merè probabilis, ac doctrinalis* (quam & *Scholaſticam*, ſive *Magiſterialem* appellant) eſt illa, quæ à Magiſtris ſeu Doctoribus dari poteſt, & ſolet, *L. un. C. de Profeſſorib. Urbis Conſtantinop. lib. 12.* Et hæc probabilitatem duntaxat affert, non autem neceſſitatem: unde huic neceſſariò inhærendum non eſt, niſi concurrat communis Doctorum conſenſus, aut alia meliora Juris fundamenta non ſuppetant. Alioquin attendere oportet ad illud Imperatoris Effatum, quod *L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucleand.* refertur illis verbis: *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius eſt, judicatote: cùm poſſit unius forſan, & deterioris ſententia & multos, & majores in aliqua parte ſuperare.*

365 Reſp. III. Interpretatio ex parte cauſæ formalis, ſeu naturæ ipſius interpretationis, dividitur in tranſlativam, declarativam, correctivam, reſtrictivam, & extenſivam. Ita Gloſſa 2. *in L. 1. ff. de Orig. juris, & L. 1. ℣. Interpretatione. ff. Ad S. C. Tertyllian.* Anchoranus *in c. Canonum Statuta. quæſt. 14. num. 236. de Conſtitut.* poſt Bartolum *in l. Omnes populi. ff. de Juſtit. & jure.* Albericus de Roſatis *Tractatuum tom. 2. tract. de Statutis. quæſt. 153. n. 11.* Fagnanus *in c. Cùm veniſſent. n. 4. & ſeqq. de Judicijs*, ac alij. Idque probatur declarando ſingulas haſce Interpretationum ſpecies. Et quidem

Interpretatio tranſlativa eſt, per quam unum idioma transfertur in aliud: ut *in c. Propterea. 8. de Verb. ſignif. & L. 1. §. fin. ff. de Verb. obligat.* Atque in iſta acceptatione dicimur habere *Tranſlationem ſeptuaginta Interpretum* Sacræ ſcripturæ. Hanc alio nomine Abbas *in c. Super quæſtionum. 27. n. 8. de Offic. Delegat.* appellat *interpretationem Linguarum*: de qua tamen in præſenti ex profeſſo non eſt ſermo. 366

Interpretatio declarativa, ſive *verborum expoſitiva*, idem eſt, ac congrua verbi, vel orationis expoſitio, ut inquit Bartolus *l. Ab executore. §. Quæro ſecundò. ff. de Appellat.* Unde hæc fit tunc, quando quis interpretatur, ſive declarat ſenſum, vel verba dubia alicujus Conſtitutionis; de quâ jam dictum ſuprà *num. 352.* 367

Interpretatio correctiva fit, quando legum obſcuritas, ac duritia humanæ conditioni incongrua, per benignam interpretationem mollificatur, corrigitur, ſeu emendatur. Textus eſt in *l. Leges. C. de Legib.* ibi: *Si quid verò in ijsdem legibus latum fortaſſis obſcurius fuerit, oportet id Imperatoriâ interpretatione patefieri, duritiámque legum noſtræ humanitati incongruam emendare.* Concordat *L. 1. §. Qui operas. ff. Ad S. C. Tertyllian.* ubi corrigendo rigorem Senatûs-Conſulti Orficiani, locantem operas ſuas, ut cum beſtijs pugnaret, ad matris hæreditatem non admittentis, dicitur: *Sed humanâ interpretatione placuit eum admitti.* Notandum ly, *humanâ interpretatione*, quæ tamen reverà fuit correctio Juris antiqui, ſive S. C. Orficiani. Eadem interpretatio locum habet in alijs caſibus, in quibus alioquin ex verbis Legis, aut Statuti, abſolutè ac generaliter intellectis reſultaret iniquitas: ut ſi Statutum quoslibet homicidas gladio feriendos decernat, recipit interpretationem correctivam, ut non comprehendat indeliberatè, vel in amentia occidentes, neque eos, qui occidunt ad juſtam ſuam defenſionem, & hujuſmodi. 368

Interpretatio reſtrictiva dicitur, per quam verba Legis, aut Statuti, ſuadente ſic æquitate, in ſua generali ſignificatione coarctantur, & reſtringuntur. Sic Litteræ ſuper obtinendis Beneficijs Eccleſiaſticis, cùm ſint ambitioſæ, debent reſtringi; idque variè declaratur *in c. Quamvìs. 4. & c. Cui de non. 27. de Præbend. in 6.* Similiter de hac reſtrictiva interpretatione procedit prior pars *Reg. 15. Juris in 6.* dicens: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Et hac ratione interdicto Populo, non cenſetur interdictus Clerus, *c. Si ſententia. 16. de Sent. excomm. in 6.* haud obſtante, quòd in materia favorabili nomine Populi etiã veniat Clerus. Simile, quid accidit in omnibus 369

bus illis materijs, quæ dicuntur eſſe *ſtrictæ interpretationis.*

70 *Interpretatio extenſiva* dicitur ea, per quam fit ampliatio legis ad non expreſſa. Et de hac loquitur poſterior pars *cit. Reg.* 15. *in 6.* ibi: *Et favores convenit ampliari*: quod de Iuterpretatione extenſivâ intelligitur. Idem habetur in c. Olim. 16. de Verb. ſignif. ibi: *Beneficia Principum ſunt interpretanda largiſſimè.* Et c. Cùm dilecti. 6. de Donation. ibi: *In contractibus plena, in teſtamentis plenior, in beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda*, cum ſimilibus.

71 Ubi notandum, quòd Extenſio legis ſit duplex, ut notat Sylveſter *℣. Lex. n. 18.* Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 3. n. 9.* Layman *c. Translato. n. 4. de Conſtit.* Pirhing *h. t. n.* 111. & alij: quarum una vocatur Extenſio propriè dicta, ſeu merè extenſiva; alia impropriè dicta, ſive comprehenſiva. Ex his prior, videlicet *Extenſio propriè dicta* (quam etiam appellant *Extenſionem legis extenſivam*, vel *Interpretationem merè extenſivam*) eſt illa, per quam cujuſpiam legis deciſio transfertur ad alium caſum, vel perſonas, tam ultrà verba Legis, quàm ultrà mentem Legiſlatoris, quamvis non contra mentem ipſius. Exemplum hujus habetur *in c. Cùm dilecta. 4. §. Nos igitur, de Confirmat. util.* ubi Pontifex conſtitutionem illam Juris Civilis, quòd teſtes valetudinarij, & alij, de quibus rationabiliter timetur, poſſint ad teſtimonium admitti, etiam lite non conteſtatâ, ne veritas occultetur: Suadente æquitatis ſimilitudine extendit ad innovationē privilegij, aliorúmq; ſcriptorum Inſtrumentorum, ne vetuſtate conſumantur.

72 Altera *Extenſio*, videlicet *comprehenſiva* (quam etiam *incluſivam*, & *impropriè dictam* vocant) eſt illa, quæ fit ultra verba legis, ſed non ultra mentem Legislatoris. Unde hæc tunc intervenit, quando deciſio legis transfertur ad alium caſum, ſeu perſonam non comprehenſam ſub verbis legis, comprehenſam tamen ſub mente Legislatoris: juxta quod *l. Scire. 15. §. Aliud. ff. de Excuſat. Tutor.* dicitur: *Sed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens Legislatoris aliud vult.* Verumtamen hæc non eſt Extenſio, niſi impropriè dicta: nam ad id propriè non dicitur Lex extendi, quod deprehenditur ex tacita, & conjecturata mente legis, ſive ſtatuentis, ut inquit Abbas *in c. Super quæſtionum. 27. n. 7. de Offic. Delegat.* poſt Bartolum, & Joan. Andream; ac ſequitur Felinus *d. c. Super quæſtionum. n. 3.* poſt Gloſſam *cap. 1. ℣. Italia. de Temporib. ordinat. in 6.* Siquidem anima legis, eſt intentio Legislatoris; ac proinde illud, quod venit ex mente Legislatoris, nequit propriè dici Extenſio legis, cùm comprehendatur, atq; includatur in ipſa: unde & hujusmodi Extenſio ſpeciali nomine appellatur *comprehenſiva.*

73 Quæritur III. Utrum Interpretatio authentica legis per Principem legislatorem, vel ejus ſucceſſorem facta, debeat publicari eâ ſolemnitate, quâ lex, ut obliget? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi eſt: tum quia interpretatio legis ab initio jam inerat legi, ſicque unà cum ipſamet lege ſufficienter cenſetur promulgata, *arg. Auth. De raptis mulier. §. fin. Collat. 9.* ibi: *Tanquam ſi lex à principio cum interpretatione tali promulgata fuiſſet.* Tum quia hâc ipsâ de causâ Declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum non ſolent publicari, & tamen, ſi exhibeantur in forma authentica, habent vim obligandi, juxta dicta *in Proœmio, num.* 130. *& ſeqq.*

Reſp. I. Interpretatio propriè dicta, ſeu quæ legi intrinſecè non ineſt, ut ſit authentica, & omninò ſequenda, debet publicari ad inſtar Legis. Ita Suarez *lib. 6. de Legibus. cap. 1. n. 3.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 3. §. 1. n. 2. & ſeqq.* Bonacina, Salas, & alij. Ratio eſt: quia publicatio vel eſt de eſſentia Legis, ut volunt Thomiſtæ, vel ſaltem conditio neceſſariò requiſita ad inducendum ejus obligationem, ut volunt Scotiſtæ; ergò ſicut ipſa requiritur ad hoc, ut lex obliget, ita etiam ut obliget ejus interpretatio, quando hæc non inerat legi à principio: prout cenſetur non ineſſe Interpretatio propriè dicta, & quæ non eſt mera legis declaratio. 374

Nec urgent rationes dubitandi in oppoſitum allatæ. Nam quod attinet ad allegatum textum Juris, ibi facta fuit ſolemnis publicatio dictæ Imperatoriæ Interpretationis, licèt cum addito, ut ea ad præterita, & adhuc pendentia negotia extendatur; prout hoc ipſum, ſi expreſsè caveatur, poteſt accidere in Legibus, ut habetur *cap. ult. h. t.* cum concordantijs. Unde textus ille potiùs militat in oppoſitum. 375

Nec obſtat, quòd Interpretatio legis jam inerat ipſi legi à principio, & unà cum ipſa ſufficienter cenſeatur eſſe promulgata. *Reſp.* enim, hoc eſſe intelligendum de Interpretatione legis largè dicta, ſeu quæ eſt mera legis Declaratio, quamque Baldus *in cap. 1. n. 17. de Conſtitut.* & Fagnanus *in c. Cùm veniſſent. num. 5. de Judicijs*, appellant intrinſecam, ſubſtantialem, & inſeparabilem à lege, utpote cui ineſt, atque ex ejus viſceribus trahitur: unde meritò, præſertim ſi ſit clara, & manifeſta, ulteriori publicatione non indiget. Secùs dicendum de Interpretatione proprie dicta, extrinſeca, & accidentali legis; ut eſt correctiva, reſtrictiva, & merè extenſiva, qualis non ita legi ineſt, quinimò ſolùm ratiocinando, ac per diſcurſum ex ſententia ſeu mente legis deducitur, *arg. l. Nominis & rei. ff. de Verb. ſignif. & l. Qui teſtamento, 20. §. Mulier. ff. de Teſtament.* ad quā proindè, ut ſit authentica, & vim obligandi obtineat, requiritur ſpecialis publicatio, eò quòd ſit ſeparabilis à lege, & huic intrinſecè non inſit. 376

Ad Declarationes Cardinalium reſpondetur, conformiter dictis *in Proœmio num.* 134. *&* 135. etiam illas publicari, quando eduntur per modū novæ Legis (unde hac ex parte ſtant pro noſtra Concluſione) quamvis non ſit neceſſe eas publicari, quando continent meram Legis jam præexiſtentis declarationem: nam hæc propriè, ac ſtrictè loquendo, non eſt Interpretatio juxta dicta *num.* 352. de qua impræſentiarum ſermo eſt. Accedit, quòd Declarationes Cardinalium nullam faciant fidem in judicio, vel 377

extra judicium, niſi afferantur in forma authentica, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Emin. Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejusdem Sacræ Congregationis munitæ, prout liquet ex Decreto Urbani VIII. 1631. die 2. Auguſti emanato: ſimúlque ex recepto uſu, & conſuetudine conſtet, hujusmodi ſolemnitatem haberi pro ſufficienti dictarum Declarationum publicatione. Caſtro Palao *loc. cit. n. 6.* Emman. Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regul. q. 11. art. 2.* Garcias *Tract. de Beneficijs, in Præfat. ad Lectorem.* Salas, & alij.

378 Quæritur IV. Quid ſit Epicheia, quomodo differat ad Interpretatione, & an quandoque locum habeat? Reſp. I. *Epicheia* eſt benigna legum interpretatio ſecundùm æquum & bonũ, declarans, caſum aliquem particularem ex mente Legislatoris ob ſuas circumſtantias ſpeciales ſub lege univerſaliter lata non eſſe comprehenſum. Nam in omnibus cauſis potior debet eſſe ratio æquitatis, quàm ſtricti juris, *l. Placuit. C. de Judicijs.*

379 Reſp. II. Epicheia differt ab Interpretatione legis potiſſimum in hoc, quia per hanc interpretamur verba legis, quando ſunt obſcura, ſeu ambiguum ſenſum reddunt: per Epicheiam verò interpretamur mentem Legislatoris, ubi conſtat de univerſali verborum ſenſu, dubitatur autem de mente Legislatoris, utrum nempe is talem caſum particularem ob certas circumſtantias voluerit, vel potuerit comprehendere ſub generali locutione legis. Unde tunc vel maximè verificatur illud c. Intelligentia. 6. de Verb. ſignif. *Quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.* cum concordantijs.

Reſp. III. Certum eſt, quandoque eſſe locum 380 Epicheiæ in caſu aliquo particulari ob certas circumſtantias concurrentes. Ita communis Doctorum; & ratio eſt: Quia *ex ijs, quæ fortè uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur,* ut notatur *L. 4. ff. de Legibus.* Nam Legislator in lege ferenda communem Reipublicæ utilitatem conſiderare, ac proin ad id potiſſimùm attendere debet, quod frequenter & facilè accidere ſolet; & *quæ ſemel, vel bis accidunt, contemnunt Legislatores.* L. 5. ff. eod.

Si igitur caſus aliquis particularis occurrat 381 (prout nonnunquam fortuitò accidere ſolet) in quo lex generaliter lata deficit; adeò, ut vel iniquum foret, eidem in talibus circumſtantijs obedire, vel ſaltem nimis grave ac difficile, ut proinde lex in tali caſu non cenſeatur obligare: tunc locus erit Epicheiæ, per quam lex illa ſecundùm æquum & bonum judicetur hîc & nunc non obligare. Sic ſtante Lege municipali, ne tempore hoſtili portæ Civitatis aperiantur, adhuc iſtæ per Epicheiam poſſunt, ac debent aperiri, ſi cives hoſtium impetum fugientes in Civitatem ſeſe recipere velint: alioquin enim ex obſervantia litterali legis illius reſultaret iniquitas, & impietas erga proprios cives. Idem dicendum in alijs ſimilibus.

§. XVI.

De Regulis in Legum Interpretatione generatim obſervandis.

SUMMARIUM.

382. *Legislator, ejusq; Succeſſor, majori cum libertate interpretatur legem, quàm inferior.*

383. *Sequentes Regulæ deſerviunt præcipuè inferioribus.*

384. I. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.

385. *Hæc regula procedit non ſolùm in Legibus, ſed etiam in Privilegijs, & Statutis.*
Verba Statuti an debeant impropriari, ut reducantur ad Jus commune. Ibid.

386. II. Interpretatio potiùs menti, quàm verbis legis convenire debet.

387. *Mens legis, unde colligatur?*

388. *Ratio legis, eſt anima legis.*

389. *Nihilominus non eſt recedendum à verbis, niſi manifeſtum ſit, aliud ſenſiſſe Legislatorem, ſeu diſponentem.*

390. III. Verba ſunt intelligenda ſecundùm propriam ſignificationem, niſi aliud ſuadeat ſubjecta materia, vel natura actûs, ſive contractûs.

391. *Duplex verborum proprietas, naturalis, & civilis.*

392. *Verba ſunt impropriandа, quando hoc ſuadet ſubjecta materia.*

393. *Vel natura actûs, ſive contractûs.*

394. *Verba ita ſunt intelligenda, ut res, de qua agitur, potiùs valeat, quàm pereat.*

395. *Etiam verba impropriando, ſi opus fuerit.*

396. *Idem faciendum, ut evitetur abſurdum.*
Et ne verba remaneant ſuperflua. Ibid.

397. *Regula procedit ordinariè, patitur tamen ſuas limitationes.*

398. IV. Verba generalia generaliter ſunt intelligenda.

399. *Niſi per aliud diſtinguantur.*

400. V. Indefinita locutio æquipollet univerſali.

401. *Quando ſubeſt eadem ratio omnium ſub indefinita comprehenſorum: aliàs ſecùs. Et num. ſeqq.*

402. *Solvuntur inſtantiæ. Et num. ſeqq.*
Sub lanâ indefinitè legatâ, non continetur lana tincta; & cur? Num. 401. 402. & ſeqq.

403. *Ap-*

403. *Appellatione argenti etiam fabrefactum comprehenditur, non autem marmor effigiatum nomine marmoris: & cur? N. 403. & 404.*
404. *Nomine materiæ, quando comprehendatur materiatum?*
405. VI. Exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis.
406. VII. Argumentum à ſenſu contrario, eſt validum.
407. *Dummodò exinde non ſequatur abſurdum.*
408. *Nec Jurium correctio.*
409. *Simúlque argumentum non deſumatur ex verbis narrativis, aut exemplificativis tantùm, ſed ex cauſativis diſpoſitionis.*
410. VIII. Ubi eadem eſt ratio, eadem eſt juris diſpoſitio.
411. *Idq; probatur multipliciter.*
412. *Nec tunc fit extenſio legis, ſed magis declaratio.*
413. IX. De ſimilibus idem eſt judicium. *Declaratur. Ibid. & num. ſeq.*
414. *Argumentum à ſimili eſt fragile, ſi datur vel parva diſſimilitudo, ſeu diverſa ratio decidendi.*
415. X. In omnibus cauſis potior debet eſſe ratio æquitatis, quàm ſtricti Juris.
416. *Quod intelligendum de æquitate ſcripta, & non cerebrina.*
417. *Deficiente æquitate ſcriptâ, locus eſt æquitati non ſcriptæ.*
418. *Æquitas, quid?*

2 CIrca interpretationem legum cumprimis eſt attendendum, utrum ea fiat per ipſummet Legislatorem, vel per aliquem ipſo inferiorem: ſiquidem Interpretatio authentica per Principem, ſive Legislatorem, ejúsque Succeſſorem, longè majori facilitate, & libertate fieri poteſt, quam per inferiorem. Licèt enim Princeps interpretando propriam, aut ſui Prædeceſſoris legem, ſenſum ipſius, ac primævam intentionem non undequaque aſſequatur; nihilominus authoritas interpretantis, qui ſi velit, priorem legem penitùs tollere poteſt, ſupplebit defectum: nam Princeps declarando authenticè aliquam legem, non tam declarat intentionem perſonalem primi Conditoris, quàm ſenſum, in quo lex deinceps recipi, & obſervari debeat. At verò alius inferior, ut puta Judex, interpretans legem pro ferendis ſententijs, vel Doctor, ſeu Magiſter eandem interpretans in dandis conſilijs, aut reſolutionibus ſuis, quantùm fieri poteſt, tenetur aſſequi mentem primævam ipſius Legis, ſive intentionem perſonalem primi Conditoris per verba legis expreſſam.

3 Ut autem hujusmodi interpretatio legis, ſive neceſſaria particularis per Judicem inferiorem facienda, ſive doctrinalis ac magiſterialis per Viros doctos danda, in praxi ſecuriùs perficiatur: paſſim variæ à Doctoribus adducuntur Regulæ, in diverſis Juris utriusque textibus fundatæ, quæ tum in Judicijs, tum in Scholis frequentiſſimè allegantur. Earum præcipuas breviter impræſentiarum declarare juvabit.

84 Regula I. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. Abbas *Conſil.* 97. *num.* 1. *lib.* 2. Card. Tuſchus *Litt. V. Concl.* 108. Barboſa *Axiomat.* 222. *n.* 32. & communis. Idq; deſumitur *ex l. Licèt Imperator. ff. de Legatis. I. & l. Ille aut Illa. ff. de Legatis. III.* Unde Gloſſa *in c. Cùm dilectus.* 8. *℣. Jure communi. de Conſuetud.* inquit: Ubi verba non ſunt ambigua, non eſt locus interpretationi; ſed ubi ſunt dubia, neceſſaria eſt interpretatio. Et meritò: quia alioquin in verbis claris interpretationem deſiderare, idem foret, ac nodum in ſcirpo quærere.

Et hoc non ſolùm procedit de legibus, quas 385 oportet eſſe manifeſtas, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineant. *can.* 2: *Diſt.* 4. Sed etiam in privilegijs, adeò ut à verbis privilegij non ſit recedendum, ubi ea ſunt clara, *c. Ad audientiam.* 12. *de Decimis. & c. Porrò.* 7. *de Privileg.* Idémque obtinet in Statutis: licet enim verba Statutorum debeant intelligi largiſſimè, vel ſtrictiſſimè, quando ea ſic interpretando evitatur correctio Juris communis, *arg. cit. c. Cùm dilectus.* 8. & Abbas *ibid. num.* 6. *de Conſuetud.* Nihilominus, ubi verba Statuti ſunt clara & aperta, non debent ipſa impropriari, ut reducantur ad Jus commune. Abbas *loc. cit. num.* 15. poſt Bartolum *in L.* 4. §. *Prætor ait. ff. de Damno infecto.* Unde ſequentes Regulæ procedunt in dubio, & ubi de mente Legislatoris, aut alterius diſponentis clarè non conſtat.

Regula II. Interpretatio potiùs menti, quàm 386 verbis legis convenire debet. Deſumitur *ex can. Humanæ aures.* 22. *q.* 5. ibi: *Non debet aliquis verba conſiderare* (intellige, nudè & ſimpliciter) *ſed voluntatem & intentionem: quia non debet intentio verbis deſervire, ſed verba intentioni.* Hinc l. Scire. 16. ff. de Legibus, dicitur: *Scire leges, non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem.* Et Reg. 88. de Reg. Juris in 6. *Certum eſt, quòd is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Idem habetur in *l. Non dubium. C. de Legib.* cum concordantijs.

Cæterùm mens Legis, ſive Legislatoris, colli- 387 gitur tum ex materia legis, tum ex circumſtantijs, præcipuè autem ex ratione in lege poſitâ, juxta c. Intelligentia. de Verb. ſignif. ibi: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi; quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.*

Accedit illud vulgatum Doctorum, *Ratio legis, eſt anima legis;* prout deſumitur *ex can. Conſuetudo. diſt.* 1. *& l. Cùm ratio. ff. de Portionibus, quæ liberis &c.* ubi per textum notabilem, *ratio naturalis quaſi lex quædam tacita* eſſe cenſetur; ſicque innuitur, quòd ubicunque ratio legis locum habet, etiam lex ipſa locum habere debeat: junctâ *l. Item veniunt.* §. *Ait Senatus. ff. de Petition. hæredit. & l. Illud. C. de Sacroſa. Eccleſ.* Quo utroque in loco 388

dicta

dicta in alia priori lege, extenduntur ad omnes res, caſus, & perſonas, in quibus eſt eadem ratio. Concordat textus *in l. Cùm Pater. §. Dulciſſimis. ff. de Legatis II.* ubi Bartolus in Summario inquit: *Dictum reſtringitur per rationem.* Alexander *Conſil. 129. n. 5. lib. 7.* Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 31. num. 15.* Franciſcus Coſcius *tom. 2. Repetit. c. Translato. num. 24. de Conſtit.* Barboſa *Axiomat. 197. n. 1.* Farinacius *part. 1. Fragment. Litt. E. n. 51.* citans alios tum Doctores, tum textus Juris. Proinde Abbas Panormit. *in c. Ad audientiam. n. 2. de Decimis,* haud immeritò dixit: *Habent ſe verba, & intentio, ſeu ratio, ſicut corpus & anima: nam ſicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis.* Huc etiam faciunt dicta in Proœmio *num. 210.*

389 Notandum nihilominus eſt cum Laymano *in c. Is cui. 19. de Elect. in 6.* & alijs, à verbis legis, alteriúsve diſpoſitionis recedendum non eſſe, niſi manifeſtum ſit, aliud ſenſiſſe Legislatorem, ſeu diſponentem. Idque liquet *ex cit. cap. Ad audientiam. de Decimis.* junctâ *l. Non aliter. ff. de Legatis III.* ibi: *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe Teſtatorem.* Et L. 1. §. Si is. ff. de Exercitatoria actione, ibi: *In re dubia meliùs eſt verbis edicti ſervire.* Quod ut magìs intelligatur, ponitur ſequens Regula, quæ ſit

Regula III. Verba ſunt intelligenda ſecun-
390 dùm propriam ſignificationem; niſi aliud ſuadeat ſubjecta materia, vel natura actûs, ſive contractûs. Prior pars deſumitur *ex l. Non aliter. ff. de Legatis III.* & alijs Juribus *num. præc.* citatis: eſtque recepta inter Doctores, quos copioſè citat Barboſa *Axiom. 222. n. 4.* quorum aliqui, ut Decius *Conſ. 113. n. 6.* & Surdus *Conſ. 140. n. 63. & ſeqq.* hoc ampliant, procedere etiam in materia odioſâ, quando non præjudicatur tertio, nec juriſdictioni ordinariæ. Accedit ratio: quia Legislator debet uti verbis manifeſtis, ſeu claris in editione Legis, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat, *can. 2. Diſt. 4.* ergò is etiam debet uti verbis in ſignificatione propria, ac proinde hæc ſecundùm propriam ſignificationem intelligi: alioquin nihil firmum ſtabiliretur, ſed omnia forent plena cavillationibus.

391 Porrò, cùm duplex poſſit intelligi proprietas verborum, naturalis videlicet, ſeu quæ ex communi hominum acceptione habetur; & civilis, quæ oritur ex Fictione juris, prout v. g. *Mors*, juxta communem hominum acceptionem, intelligitur de morte naturali, ſed per Fictionem juris etiam Profeſſioni Religioſæ, quin & exilio attribuitur. Hinc dicendum, quòd per ſe loquendo ac regulariter ſit ſervanda naturalis verborum proprietas, & juxta illam lex intelligenda, *arg. L. ult. C. De his, qui veniam ætatis &c.* ubi legitima & perfecta ætas de naturali intelligitur, non de illa, quæ beneficio Principis obtinetur. Ad idem favet textus *in c. Suſceptum.* junctâ Gloſsâ, *℣. Humanis. & ℣. Non Morte. de Reſcript. in 6.*

Altera pars, per quam Regula generaliter pro- 392
lata nonnihil limitatur, ſeu explicatur, probatur inductione. Sic quippe imprimìs, quando ſubjecta materia aliud ſuadet, verba ſunt intelligenda ſecundùm materiam, de qua loquuntur, & ſi opus fuerit, etiam improprianda, *arg. can. Rogo. 11. q. 3.* ubi verbum *Rogo* intelligitur præceptivè: & *c. Ad aures. 7. de ætat. & qualit.* junctâ Gloſsâ fin. ubi dictum illud, *de noſtro conſilio*, accipitur pro conſilio reverentiæ, cui obediendum eſt, cum ſimilibus. Alexander *Conſil. 86. num. 2. lib. 1.* Card. Tuſchus *Litt. V. Concl. 95.* Barboſa *Axiomat. 222. n. 6. & 8.* & alij ab ipſo citati.

Deinde idipſum eſt dicendum, adeò, ut ver- 393
ba etiam improprientur, quoties natura actûs, ſeu contractûs id expoſtulat, *arg. l. Si uno anno. §. 1. ff. locati.* ubi verbum *Donatio* impropriatur, & pro transactione accipitur. Unde Bartolus ibidem in Summario pro regula ponit, quòd verba accipiantur ſecundùm naturam contractûs, & ſic verba debeant intelligi ſecundùm materiam ſubjectam; prout in ſimili habetur *l. Damni infecti. §. 1. ff. de Damno infect. & l. Si ſtipulatus. ff. de Uſuris.* Barboſa *loc. cit. n. 8.* cum alijs.

Hinc ulteriùs ſecundùm materiam ſubjectam, 394
& natutam actûs, verba ſunt intelligenda, atque interpretanda, ut res de qua agitur, potiùs valeat, quàm pereat, Gloſſa *in c. Cùm ſuper. 23. ℣. Mutuò adverſantibus. De Offic. Delegat.* & Doctores communiter; ac patet *ex c. Abbate. 25. de Verb. ſignif.* ibi: *Profectò ſic intelligenda ſunt illa verba, ut res de qua agitur, valere poſſit potiùs, quàm perire.* Concordat textus expreſſus *l. Quoties in actionibus. ff. de Rebus creditis, & l. 1. §. 1. C. de Rei uxoriæ action.* cum ſimilibus. Quinimò ad ſuſtinendum actum admittitur omnis interpretatio. Rota *Deciſ. 469. n. 3. part. 3. Recent.* Et iſta, quæ fit pro validitate actûs, eſt regina aliarum interpretationum. Card. Tuſchus *litt. A. Concl. 136. n. 6.* Barboſa *Axiomat. 12. n. 18. & 19.* & alij.

Et hoc adeò verum eſt, ut ubi oqus fuerit, ac 395
fieri poteſt, pro ſuſtinendo actu, ſive, ut is non reddatur inutilis, etiam verba ſint improprianda: prout deſumitur *ex l. Si uno. ff. locati. & l. Si cùm ante. C. de Donat. ante nupt.* ubi idcircò verbum illud, *Remaneat*, impropriando accipitur pro verbo *Reddatur, Reſtituatur.* Simile quid accidit *in l. Et puto. §. 1. ff. Familiæ herciſcund.* ubi Gloſſa *℣. Non communicari.* & Baldus *cap. ult. n. 3. de Translat. Epiſc.* inde probat, quòd verba, quæ propriè non poſſunt cum ſententia ſalvari, debent impropriari. Card. Tuſchus *litt. V. Concl. 95. n. 1.* & alij.

Similiter verba ſunt improprianda, & intelli- 396
genda ſecundùm ſubjectam materiam, ſive naturam actûs, ut evitetur abſurdum, *c. Solitæ. §. Verum. de Majorit. & obed.* Item, ne verba remaneant ſuperflua: verba enim debent aliquid operari, nec eſſe ſuperflua. *c. Si Papa. 10. de Privileg. in 6.* ibi: *Cùm verba liquid operari debeant:* & *c. Si à judice. 10. de Appellat. in 6.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa. *℣. Cum effectu*, allegatis. Et

Et hoc extende etiam ad minimũ verbum, imò etiam ad minimam ſyllabam: nam & hæc debet aliquid operari,nec ſuperfluere. Card.Tuſchus *Litt. V. Concl. 85. n. 4. & 5.* Barboſa *loc. cit. n. 12.* & alij; eſtque fuſiùs declaratum *in Proœmio n.* 113. 114. *& ſeqq.*

397 Dantur inſuper nonnulli alij caſus, in quibus verba poſſunt, ac debent impropriari,de quibus partim agunt citati Authores, partim ex infrà dicendis patebit. Unde Regula III. proximè data, quòd verba ſint intelligenda ſecundùm propriam ſignificationem,procedit ordinariè ac regulariter loquendo: patitur tamen ſpeciales ſuas limitationes, atque fallentias. Quod ipſum commune eſt cæteris Regulis,juxta illud vulgatum: *Nulla regula ſine exceptione.*

398 Regula IV. Jus generaliter & indiſtinctè loquens,generaliter & indiſtinctè intelligitur, niſi per aliud diſtinguatur. Sive, ut alijs terminis tradunt Doctores, *Verba generalia generaliter ſunt intelligenda.* Hæc regula habetur clarè *in c. Quia circa. 22. de Privileg.* additâ hâc ratione: *Cùm nihil exceperit, & poterat excepiſſe.* Unde Summarium *in l. De pretio. ff. de Publiciana in rem action.* ſic habet: *Ubi lex non diſtinguit,neque nos diſtinguere debemus*: eſtque vulgatum Juriſtarum axioma.

399 Notanter tamen additur, *niſi per aliud diſtinguatur.* Nam ſecùs erit dicendum, quando una lex diſtinguitur, ſeu declaratur per aliam legem; prout v. g. lex generaliter loquens diſtinguitur, atque limitatur per aliam legem ſpecialiter loquentem, *l. Non eſt novum. & 2. ſeqq. ff. de Legib.* junctâ Reg. 34. Juris in 6. ibi: *Generi per ſpeciem derogatur*, cum ſimilibus. Quinimò nonnunquam una lex expreſsè diſtinguit, ac limitat aliam legem generaliter, ac indiſtinctè loquentem; idque ob quandam ſpecialitatem ſeu rationem diverſitatis; ut fit *in c. Statutum. 23. de Electon. in 6.* & alijs hujuſmodi.

400 Regula V. Indefinita locutio æquipollet univerſali. Ita Gloſſa *in Proœmio Decretalium. ℣. In Judicijs*, & communis; atque deſumitur *ex can. Si Romanorum. diſt. 19. & d. c. Quia circa. 22. de Privileg.* cum ſimilibus.

401 Hæc regula præcipuè tunc procedit, quando ſubeſt eadem ratio omnium ſub indefinita comprehenſorum, *arg. l. Si pluribus*, cum ibi notatis per Bartolum. *& l. Si ita relictum. §. 1. ff. de Legatis II.* Alexander *Conſil. 26. n. 3. lib. 4.* Dynus *in Proœmio de Reg. Juris in 6. n. 5. & ſeq.* Card.Tuſchus *Litt. I. Concl. 86.* & alij. Secùs,quando non ſubeſt eadem ratio,& conditio(propter aliquod accidens) omnium particularium ſub univerſo comprehenſorum: tunc enim indefinita non æquipollet univerſali, *l. Hæres meus. & l. Quæſitum. §. Illud. ff. de Legatis III.* ubi ſi legetur marmor indefinite, ſub legato comprehenditur ſola rudis materia: *& l. Si cui lana. §. 1. ff. de Legatis III.* ubi ſub lanâ indefinitè legatâ non continetur tincta.

402 Nec obſtat,quòd non deſinat eſſe lana, ſi tincta ſit; atque ideò, ſi legetur omnis lana, etiam tincta lana cedat legato. *l. Pediculis. §. Labeo. ff. de Auro & argent. legat.* ac notat Gloſſa *c. Ut circa. 4. ℣. Alterum. de Elect. in 6.* Reſp. enim,diſparitatem eſſe inter lanam indefinitè legatam, & inter omnem lanam legatam: quia hîc expreſsè intervenit clauſula univerſalis, *Omnis*; non ibi. Atqui clauſulæ univerſales ſunt majoris efficaciæ, quàm generales; & illæ omnia complectuntur nullo penitùs excepto, niſi ſubſit ratio reſtringendi. Barboſa *Clauſul.* 184. citans alios.Econtrà verò locutio indefinita,hoc ipſo,quòd ſit indefinita,non habet clauſulam univerſalem: ſimúlq; indefinita æquipollet univerſali,non ex propria vocabuli ſignificatione, ſed ex benigna interpretatione, atque conjecturâ mentis diſponentis,quæ in locutione indefinita attenditur,& adeſſe interpretatur,quando omnium particulariũ in univerſali comprehenſorum eſt eadem ratio, & conditio; non item,quando ſubeſt diverſa ratio. Sic autem fit in allatis exemplis, ubi ſculptura marmori,vel tinctura lanæ ſuperaddita, facilè poteſt eſſe majoris æſtimationis,quàm ipsũ principale. Gloſſa *loc. cit.* Dynus *ut ſuprà, n. 7.* Barboſa *Axiomat. 123. n. 4. & ſeqq.* citans alios.

Nec obſtat ulteriùs,quòd appellatione argenti, etiam fabricatum argentum comprehendatur, *text. clar. d. l. Quæſitum. §. Illud. ff. de Legatis. III.* 403
Reſp. enim, hoc ideò eſſe,quia argentum fabrefactum,ſeu effigiatum, ad ſui materiam reverti poteſt, dum liquefit: Secùs accidit in marmore effigiato,ſeu efformato,& lanâ tinctâ, ac hujuſmodi. Quæ quidem ratio diſparitatis aſſignatur *in cit. §. Illud*, illis verbis: *Cur agenti appellatione etiam factum argentum comprehendatur, cùm ſi marmor legatum eſſet, nihil præter rudem materiam demonſtratum videri poſſet? Cujus hæc ratio redditur: quippe ea, quæ talis naturæ ſunt, ut ſæpiùs in ſua redigi poſſint initia, ea materiæ potentiâ victa, nunquam vires ejus effugiunt.*

Et hæc eſt notabilis ratio diſparitatis,cur locutio indefinita, quâ cuipiam marmor indefinitè legatum fuit, comprehendat ſolam rudem materiam marmoris; ac ſimiliter legatâ lanâ, ſolummodò lana non tincta præſtanda ſit: econtrà verò ſub indefinita locutione argenti, quodlibet argentum contineatur, ſicque argento indefinitè legato etiam debeatur fabrefactũ, ſeu effigiatum. Diſcrimen namque in hoc conſiſtit, quia appellatione *materiæ* non continetur materiatum, quod ad ſui materiam reverti non poteſt; benè tamen id,quod poteſt ad ſuam reverti materiam, ut argentum, aliáque metalla poſt liquefactionem revertuntur. Bartolus *ad cit. §. Illud.* & alij. 404

Regula VI. Lex limitatoria,dum certum caſum à lege excipit,cenſetur hanc declarare, atq; confirmare in reliquis. Hinc Gloſſa communiter recepta *l. In ijs quæ. ff. de Legib.* ait: *Exceptio à regula firmat regulam in alijs.* Sive, *Exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis*, ut inquit Fagnanus *in c. Illa. n. 31. Ne Sede vacante*, ac latè probat Barboſa *Axiomat. 85. n. 4.* Deſumitur 405

hæc

hæc regula *ex l. Quæſitum.* §. *Denique. ff. de Fundo inſtructo.* ibi: *Nam, qui hæc excepit, non poteſt non videri de cæteris rebus, quæ in ea eſſent, ſenſiſſe.* Concordat *can. Dominus. 32. q. 7. & cap. 2. de Conjugio Leproſor.* Et meritò: nam, quod non mutatur, quid ſtare prohibetur, *l. Sancimus. 6. de Teſtament.* Et cùm Conſtitutio, ſeu Lex nova quidpiam negat de uno, de alio cenſetur illud conceſſiſſe, *arg. c. Nónne. de Præſumption. & can. Qualis hinc. diſt. 25. & l. Prætor. ff. de Judicijs.*

406 Regula VII. Argumentum à ſenſu contrario eſt validum; imò (ut loquitur Gloſſa *in c. Cùm Apoſtolica.* ℣. *Datur intelligi. De his quæ fiunt à Prælatis*) à contrario ſenſu datur fortiſſimum argumentum. Idque deſumitur tum ex *L. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata eſt Jurisdict.* ibi: *Hujus rei fortiſſimum argumentum eſt, quòd Lege Juliâ de vi nominatim cavetur &c. Non aliter igitur mandare poterit.* Et concordat *can. Qualis hinc. Diſt. 25.* ibi: *Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.* Hinc uſitatus ille modus loquendi Doctorum: *Unde à ſenſu contrario infertur &c.*

407 Cæterùm, ut argumentum à ſenſu contrario in Jure ſit validum, requiritur imprimis, quòd ex tali argumento à ſenſu contrario abſurdum, vel inconveniens non ſequatur. Card. Tuſchus *Litt. A. Concl.* 498. *n.* 119. Layman *c. Si alicujus. 59. n. 6. & 7. de Electiòn.* Barboſa *loco 27. A contrario ſenſu. n.* 34. & 35. citans alios.

408 Requiritur ulteriùs, quòd exinde non reſultet jurium correctio. Nam quando de oppoſito ejus, quod per tale argumentum à ſenſu contrario infertur, extat clara deciſio Juris, argumentum non procedit, ſed ſtandum eſt diſpoſitioni Juris in oppoſitum: Jurium enim correctio, veluti odioſa, pro poſſibili eſt vitanda, neque inducenda per tacitos & ſubinauditos intellectus. Facit huc textus *in l. Cùm patrem familias. C. de Condition. inſertis,* juncto Summario *ibid.* Et Gloſſa *in c. Significâſti.* ℣. *Clerici. de Foro competent.* dicens: *Argumentum à ſenſu contrario non habet locum, cùm alia Jura contradicunt.* Item Everardus in loco à contrario: *Non concludit argumentum à ſenſu contrario, quando ex eo reſultat jurium correctio.* Fagnanus *in c. Nullus. num 8. de Foro compet.* Card. Tuſchus *loc. cit. n.* 103. & 111. & Barboſa *n.* 30. *& ſeq.* cum alijs, qui rite hoc intelligunt non ſolùm, quando ex tali argumento induceretur Jurium correctio, ſed etiam correctio alterius Statuti, vel partis Inſtrumenti, v. g. Teſtamenti.

409 Tertiò ad hoc, ut argumentum à ſenſu contrario in Jure ſit validum, requiritur, quòd deſumatur ex aliquo eorum, quæ in diſpoſitione ponuntur cauſativè, id eſt, ut principaliter moventia ad diſponendum: ſecùs, ubi aliquid ponitur narrative, exemplificativè, ſeu modaliter, quia tunc inde non capitur argumentum à ſenſu contrario. Abbas Panormit. *c. Publicato. n. 6. de Electione.* Layman *loc. cit.* Barboſa *ubi ſuprà, n.* 36. poſt Everardum *loco.* 4. Decium *Conſil. 32. num.* 12. *vol.* 2. & alios. Nam, ut generaliter tradit Gloſſa marginalis *in L. 1. C. Quando non petentium &c.* ex verbis narrativis facti non eſt licitum arguere.

Regula VIII. Ubi eadē eſt ratio, eadem eſt Juris diſpoſitio. Barboſa *Axiom. 197. n. 3.* citans alios quamplures. Intellige, quando eſt eadem ratio, ſeu cauſa finalis adæquata, ſine apparente diſparitate: alioquin enim diverſitas rationis, diverſitatem quoque juris inducit, *L. ult. C. de Ritu Nupt.* cum ſimilibus. 410

Fundatur hæc Regula *in l. Ideò. ff. de Legib.* ibi: *Semper quaſi hoc legibus ineſſe credi oportet, ut ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertineant, quæ quandoque ſimiles erunt.* Et l. Non poſſunt. ff. eodem ubi generaliter dicitur: *Non poſſunt omnes articuli ſigillatim aut legibus, aut Juriſconſulto comprehendi: ſed cùm in aliquo caſu ſententia eorum manifeſta eſt, is qui jurisdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet.* Hinc Gloſſa in l. Illud. ff. Ad legem Aquiliam, ait: *Ubi eadem ratio eſt, ibi idem Jus eſſe debet.* Sive, ut habet Summarium citatæ Legis: *Caſus, quos nectit paritas æquitatis, & identitas rationis, non ſunt quoad juris diſpoſitionem ſeparandi.* Concordat Jus Canonicum *in c. Inter corporalia. de Tranſlat. Epiſcop.* ibi: *Propter expreſſam tamen ſimilitudinem, vel potiùs identitatem &c.* Et mox infrà: *Cùm de ſimilibus idem judicium ſit habendum,* cum concordantijs. Confirmatur. Quia ratio legis, eſt anima legis, juxta dicta *n.* 388. ergò etiam, ubicunque locum habet ratio legis, etiam lex ipſa locum habere debet. 411

Quinimò, ubi adeſt eadem ratio, propriè non dicitur fieri extenſio legis, ſed mágis declaratio: 412 quia ex mente legis comprehenditur omnis caſus, in quo concurrit illa ratio. Gloſſa *cap. 1.* ℣. *Italiæ. de Temporib. Ordinat. in* 6. Abbas *c. Nihil eſt. n. 9. de Electione.* Alexander *Conſil. 129. n.* 5. *lib.* 7. ubi poſt Baldum *l. Quamvis. C. de Fideicomiſſ.* inquit, quòd, ubi ratio ſcripta eſt in Statuto aliquo, ſub tali Statuto comprehenditur alius caſus, cui convenit dicta ratio Statuti; & non dicitur tunc Interpretatio extenſiva, ſed intellectiva. Menochius *Conſil.* 324. *n.* 10. Farinacius *part. 1. Fragment. Litt. E. num.* 52. Barboſa *Axiomat* 197. *n.* 8. aſſerens, quòd ubi eſt eadem ratio, dicatur adeſſe eadem lex, non extenſivè, ſed comprehenſivè: & alij ab his citati.

Regula IX. De ſimilibus idem eſt judicium. *c. Tranſlato,* & ibi Abbas *n. 3. de Conſtitut. & c. Inter corporalia. de Tranſlat. Epiſcop. & l. Non poſſunt. ff. de Legib. & §. Rectè. Inſtitut. Mandati,* cum concordantijs. Hoc tamen dictum ut procedat, oportet, quòd ſimilitudo ſit in eo puncto, de quo agitur, *L. 1. C. de Collationib.* Jaſon *l. Creditori. n. 8. ff. De novi oper. nuntiat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 1. Caſu 84. n. 6.* cum alijs. Non eſt autem neceſſe, ut ſimilitudo ſit quoad omnia, ſed ſatis eſt, quòd adſit ſimilitudo in eo, ad quod fit comparatio, *c. Cùm dilecta.* §. *Nos igitur. de Confirmat. util.* ibi: *Ejusdem æquitatis ſimilitudine provocati.* junctâ Gloſſâ ibidem, & notat Abbas *d. n.* 3. Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. Caſ.* 84. *n.* 6. 413

84. n. 6. Farinacius *part. 1. Fragment. crimin. Litt. E. n. 169.* & alij.

414 Igitur præfata Regula, atque argumentum à ſimili, non procedit, quando poteſt reperiri diſſimilitudo aliqua in eo puncto, de quo agitur, *can. Nunquam. §. Cùm ergo. 1. q. 1.* Federicus de Senis *Conſil. 67. §. Sed non eſt dubium.* Card. Tuſchus, *Litt. A. Concl. 501. n. 17.* & alij. Unde argumentum à ſimili eſt fragile, leve, ac infirmum, quoties vel parva diſſimilitudo, ſeu diverſa decidendi ratio, poteſt aſſignari. Barboſa *in Loco 101. n. 7. & 8.* Atque, ut dici ſolet argumentum ſumptum à ſimili facilè proſternitur, unâ adductâ diſſimilitudine. Menochius *Conſil. 75. n. 82.* & Doctores in *c. Translato. de Conſtit.* ac Everardus *in Cent. Legal. Loco à ſimili.*

415 Regula X. In omnibus cauſis potior debet eſſe ratio æquitatis, quàm ſtricti juris: Deſumitur hæc Regula *ex l. Placuit. C. de Judicijs*, ibi: *Placuit, in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatisq; ſcriptæ, quàm ſtricti juris rationem.* Et l. In omnibus. ff. de Reg. Juris. ibi: *In omnibus quidem, maximè tamen in Jure, æquitas ſpectanda eſt.* Et l. Quod ſi Epheſi. §. Interdum. ff. De eo, quod certo loco &c. ibi: *In ſumma æquitatem ante oculos habere debet Judex.* Qui textus quotidie allegatur ad hoc, quòd Judex debeat habere æquitatem ante oculos: & idem habetur in c. Ex parte. 13. de Offic. Deleg. ibi: *Et in cauſa juxta Juris æquitatem procedere.* Unde ubi ſunt diverſæ opiniones, ſemper opinio magis æqua attendi debet; & ſi verba legis, vel alterius diſpoſitionis, v. g. Teſtamenti, non repugnant, amplecti. *l. Qui filium. §. Imperatores. ff. Ad S. C. Trebellian.* Card. Tuſchus. *Litt. E. Concl. 312. n. 3.* Et pariter, ſi ſalvâ ratione recti ſermonis lex aliqua ex bono & æquo interpretationem recipere poſſit, ea eſt amplectenda; idque maximè in pœnalibus, & odioſis, in quibus ſemper benignior eſt interpretatio facienda, juxta Reg. 49. Juris in *6.* ibi: *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, cum concordantijs.

Notant tamen Doctores, ut Jaſon *in d. §. Interdum. n. 3. ff. De eo, quod certo loco &c.* Card. Tuſchus *loc. cit. n. 16.* Barboſa *Axiom. 15. n. 1. & 3.* cum alijs, allegatam Regulam eſſe intelligendam de æquitate ſcripta, ſive (ut loquitur Abbas *in d. c. Ex parte. 13. n. 3. de Offic. Delegat.* & poſt ipſum Jaſon) de æquitate à Jure informata, quæ nimirum ex Jure colligi poteſt: non autem de æquitate cerebrina, ſeu quæ ex proprio capite Judicis deſumitur. Hæc enim non præfertur rigori ſcripto: æquitas enim cerebrina ex proprio capite Judicis deprompta, non poteſt dici æquitas, ſed iniquitas, quando deviat ab eo, quod veluti juſtum, & æquum, per leges conſtitutum eſt; cùm lex ſit fundata ſuper ratione & æquitate, *c. Erit autem. diſt. 4.* Atque ideò, quia Judex præ oculis habere debet æquitatem Juris, ſeu ſcriptam, & à Jure informatam, ipſe non debet eſſe clementior lege, *Auth. de Judicibus. §. Oportet. Collat. 6.* Abbas, Jaſon, & alij, *ubi ſuprà.* 416

Quòd ſi tamen deficiat æquitas ſcripta, & in Jure circa aliquod nihil habeatur expreſſum, tunc locus erit æquitati non ſcriptæ, & ſecundùm quod Judex æquum & juſtum eſſe cenſuerit. Textus eſt *in cap. ult. de Tranſact.* ibi: *In his verò, ſuper quibus Jus non invenitur expreſſum, procedas (æquitate ſervatâ) ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundùm quod perſonas & cauſas, loca & tempora videris poſtulare.* Hæc ibi. Ubi Gloſſa, *v. Æquitate*, ſolvens contraria, inquit, quòd æquitas ſcripta præfertur rigori Juris, *l. Placuit. C. de Judic.* at verò textus allegatus intelligatur de æquitate non ſcripta, quæ tunc ſolùm ſervanda eſt, cùm deficit Jus. 417

Cæterùm *Æquitas* eſt juſtitia, dulcore miſericordiæ temperata; ut definit D. Cyprianus, quem refert Abbas *cit. cap. ult. n. 6. de Transact.* ſive, Æquitas eſt quædam factorum convenientia, & rectitudo judicij naturalem ſequens rationem. Baldus *in l. Omnes populi. n. 19. ff. de Juſtit. & jur.* Barboſa *d. Axiomat. 15. num. 5.* 418

§. XVII.

De Regulis in Interpretatione Legum corrigentium, exorbitantium, pœnalium, ſeu odioſarum, atque favorabilium obſervandis.

SUMMARIUM.

419. XI. Non cenſetur plùs de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum in poſteriori.

420. *Lex nova generaliter loquens diſtinguitur ſecundùm leges antiquas ſpeciales.*
Idemq; dicendum de Statutis. Ibid.

421. XII. Leges exorbitantes à Jure Communi ſunt ſtrictæ interpretationis, nec producendæ ad conſequentiam.

422. *Limitatur in æquiparatis.*

423. *Et ob identitatem rationis in lege expreſſæ.*

424. *Ac ubi agitur favore publicæ utilitatis.*

425. *Item ob favorem animæ, ſeu cauſæ piæ.*

426. *Et ratione evitandi abſurdi.*
Exorbitans, & Corrigens diſpoſitio, *quæ? Num. 423.*

427. XIII. Lex pœnalis, & omnis alia odioſa, in dubio eſt ſtricte interpretanda.

428. *Secùs, ſi verba ejus ſint clara.*

Pœnæ quomodo ſint æſtimandæ, ac temperandæ? Ibid.

429. *Fallit Regula ob identitatem rationis in lege expreſſæ.*

430. *Declaratur hoc exemplis.*

431. *Et idem eſt, quandò unica tantùm ratio legis aſferri poteſt.*

432. *Ratio unica legis, quæ? Et quid in dubio dicendum?*

433. *Verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu.*

434. *Niſi ſint caſus excepti.*

435. XIV. Leges favorabiles ampliori interpretatione ſunt adjuvandæ.

436. *Declaratur hoc exemplis.*

437. *Quænam materia cenſeatur favorabilis, & quæ odioſa? Et num. ſeqq.*

438. *Quid, ſi favor & odium ab invicem poſſint ſeparari?*

439. & 440. *Vel non poſſunt ſic ſeparari?*

441. *In dubio de principali intentione Conſtitutionis, magìs attenditur favor, quàm odium.*

442. *Leges pœnales cur non cenſeantur favorabiles, licèt reſpiciant Bonum commune?*

443. *In ipſis debet ſeparari favor ad odio; ìdque exemplificatur.*

444. XV. In Beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda.

445. *Beneficium in communi, quid, & quomodo dividatur?*

446. *Regula procedit in beneficijs ſtrictè ſumptis.*

447. *Fallit tamen in Reſcriptis ad Beneficia Eccleſiaſtica.*

448. *De alijs Regulis. Remiſſivè.*

419 REgula XI. Non cenſetur plus de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum in poſteriori. Deſumitur hoc ex l. Præcipimus. C. de Appellat. ibi: *Quidquid autem hac lege ſpecialiter non videtur expreſſum, id veterum Legum, Conſtitutionúmque regulis omnes relictum intelligant.* Ad idem facit textus *l. Si verò. §. De viro. ff. Soluto matrim.* ubi Summarium ex Bartolo ſic habet: *Proviſio legis contra Jus commune non extenditur ultra illud, quod lex exprimit, licèt eadem ſit ratio.* Idem confirmatur ex eo: quia correctio legum, utpote odioſa non facilè eſt præſumenda: ſimúlque *expedit concordare Jura Juribus, & eorum correctiones (ſi ſuſtineri valeant) evitari*, ut dicitur *in c. Cùm expediat. 29. de Elect. in 6.* Et meritò; ne alioquin Jura, tot vigilijs fabricata, unico verbo tollantur, & quidem adhuc dubio, neque iſtud exprimente, *c. Eccleſia veſtra. 57. de Elect.*

420 Infertur proinde cum Gloſſâ *§. Sed hodie. ℣. Pro qualitate. Inſtit. de Satisdation.* & aliâ Gloſſâ *l. Sciendum. ℣. Non compelli.* ubi Jaſon *num. 4. & 5.* Bartolus, & alij *ff. Qui ſatisdare cogantur*, quòd lex nova, quantumcunque generaliter & indiſtinctè loquens, tamen debeat intelligi, ac diſtingui ſecundùm leges antiquas ſpeciales: & ſimiliter, quòd lex nova generaliter corrigens, non intelligatur corrigere Leges, quæ in caſibus ſpecialibus loquuntur. Atque idipſum etiam eſſe notandum, & obſervandum in Statutis, & reformationibus noviter factis, adeò, quòd ſemper eorum interpretatio ita habeat fieri, ne ſequentia corrigant præcedentia, ſi his expreſsè non contradicant, præter Bartolum, & Jaſonem, *ubi ſuprà*, tradit Card. Tuſchus *Litt. I. Concluſ. 330. n. 34.* Barboſa *Axiomat. 60. n. 2.* citans inſuper Romanum *Conſil. 392. n. 23.* Verùm de materia præſentis Regulæ, ac fallentijs ejus plura inferiùs. §. 19. agendo *De Revocatione Legum ſeu Conſtitutionum*, præſertim *à n. 491. & n. 500. & ſeqq.*

421 Regula XII. Leges exorbitantes à Jure communi ſunt ſtrictæ interpretationis, neque producendæ ad conſequentiam. Patet hoc ex Reg. 28. Juris in 6. ibi; *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* Et Reg. 74. eod in 6. *Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab alijs in exemplum*, cum concordantijs. Hinc c. Is qui. de Filijs Presbyt. in 6. inquit Pontifex: *Prætextu diſpenſationis hujusmodi, quam exorbitantem à Jure oportet veluti odioſam reſtringi.* Quibus verbis etiam hujus regulæ ratio redditur: quia nempe ea, quæ à Jure communi exorbitant, cenſentur odioſa. Unde Fagnanus *in c. Cùm ad noſtram. n. 29. de Elect.* poſt Gloſſam *in c. Conſtitutionem. ℣. Prorogamus. de Regularib. in 6.* & Bartolum *in Extravag. Qui ſint rebelles. §. Tranſit. n. 3.* ſic ait: *Extenſio non ſit de caſu ad caſum, etiam ex identitate rationis, in his, quæ exorbitant à Jure communi.* Concordat *l. Si verò. §. De viro. ff. Soluto matrim.*

Limitatur hæc Regula primò in æquiparatis. 422 Quia enim æquiparatorum eadem eſt diſpoſitio, *arg. L. 1. ff. de Legatis I.* & notat Gloſſa *c. Si poſtquam. ℣. Proviſione. de Election. in 6.* Hinc regulariter fit extenſio de uno æquiparato ad aliud, etiã in pœnalibus, exorbitantibus & correctorijs. Abbas *lib. 1. Conſil. 75. n. 6.* allegans textũ *c. Quamvìs* junctâ Gloſſâ *fin. de Election. in 6. & l. Qui filiabus. ff. de Legatis I.* Card. Tuſchus *Litt. E. Concl. 308. n. 5.* Barboſa *Axiom. 14. per totum*, citans alios.

Limitatur ulteriùs ob identitatem rationis in 423 lege expreſſæ, juxta ampliùs dicenda *num. 429. & ſeqq.* ac tradit Farinacius *part. 1. Fragment. Litt. E. n. 127, & 128.* Ubi *num. 120. & 126.* addit, quòd extenſio in exorbitantibus faciliùs admittitur, quàm in correctorijs: nam *Exorbitans diſpoſitio* dicitur illa, quæ non in totum, ſed in aliquo, Jus commune corrigit: at verò *Corrigens* appellatur, quando illud in totum corrigit. Et hinc non mirum, quòd Jus correctorium difficiliùs extendatur, quàm Jus exorbitans, *arg. c. Auditis.* junctâ Gloſſâ. *℣. Jure minoris. De in integrum reſtitut.*

Limitatur tertiò in illis, ubi agitur de favore 424 publicæ utilitatis, *arg. l. Cætera. §. Sed & ſi quis. ff. de Legatis I.* Alexander *Conſil. 216. num. 38. lib. 2.* poſt Bartolum. Imolam, & alios. Card. Tuſchus *Litt. E, Concl. 665, n. 7.* Farinacius *loc. cit. n. 81.*

poſt

poſt Everardum *in Loco, A ratione legis larga, n. 51.* & alios.

425 Limitatur rursùs data Regula ob favorem animæ, ſeu cauſæ piæ. Siquidem, quòd fiat extenſio etiam in exorbitantibus favore animæ, nec non favore cauſæ piæ, ut puta favore Religionis, ſeu favore relictorum pro animâ Defuncti; pluribus authoritatibus firmat Farinacius *loc. cit. num.* 108. *&* 109.

426 Limitatur etiam ratione evitandi abſurdi. Nam, quòd fiat extenſio, ubicunque eâ non factâ reſultaret abſurdum, v. g. quòd duriùs ageretur cum Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis, contra *cap.* 1. *de Dolo & contum.* cum concordantijs, tenet Alexander *d. Conſil.* 216. *n.* 37. atque deſumitur *ex l. Servius. ff. Quod vi aut clam.* ubi ſimilis fit extenſio, *ne melioris conditionis ſint ſtulti, quàm periti*, prout loquitur textus. Huc ſervatâ proportione poſſunt addi quædam aliæ limitationes, quæ infrà *num.* 508. *& ſeqq.* afferentur loquendo *De Revocatione Legum*, harúmque correctione.

427 Regula XIII. Lex pœnalis, & omnis alia odioſa, in dubio ſtrictè interpretanda eſt, nec regulariter extendenda ultra caſum, & perſonas expreſſas. Conſtat hæc regula ex L. 42. ff. de Pœnis, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm exaſperandæ.* Concordat regula 49. de Reg. Jur. in 6. ibi: *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda*: junctâ Regulâ 15. eod. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*, cum concordantijs.

428 Dicitur notanter primò, *in dubio.* Quia ſi verba legis pœnalis, aut alterius odioſæ, ejúsque mens adeò clara ſunt, ut ſalvâ ratione recti ſermonis non poſſint aliam Interpretationem habere, lex illa erit obſervanda; prout deſumitur ex l. Proſpexit. ff. Qui, & à quibus manumiſſi &c. ibi: *Quod quidem perquàm durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* Quamvis etiam circa hoc debeat benè notari illud, quod habetur *l. Pedius. ff. de Incendio, ruina, naufrag.* ibi: *Et omnino, ut in cæteris, ita in hujusmodi cauſis, ex perſonarum conditione, & rerum qualitate, diligenter pœnæ ſunt æſtimandæ; ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſa poſtulabit.* Concordat alius elegans textus *in l. Reſpiciendum. ff de Pœnis*, ubi notabili doctrinâ Judicibus datâ, quomodo in cauſis criminalibus procedere debeant, ſubjungitur: *Planè in levioribus cauſis proniores ad lenitatem Judices eſſe debent: in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.*

429 Dicitur ulteriùs. *Nec regulariter extendenda ultra caſum, & perſonas expreſſas.* Quia, licèt hujusmodi extenſio regulariter, ac ordinariè non ſit facienda in materia odioſa & pœnali, ſicut nec in ijs, quæ exorbitant à Jure communi, ut proximè dictum: nihilominus iſta regula fallit inter alia ob identitatem rationis in lege expreſſæ. Siquidem extenſio legis non tantùm favorabilis, ſed etiam odioſæ, aut pœnalis, ob adæquatæ rationis in lege expreſſæ ſimilitudinem, ſeu identitatem, tam intra, quàm extra judicium, rectè fieri poteſt, ac debet: uti notavit Abbas Panormit. *lib.* 1. *Conſil.* 75. *n.* 6. generaliter docens, quòd ubi locum habet mens & ratio legis, debeat habere locum ipſa lex, ſive ſit pœnalis, ſive correctiva: regulatur enim lex à ratione, & mente legis, quæ idem eſt, ac ratio legis, ut loquitur Dynus *in reg. Certum eſt. n.* 12. *de Reg. Jur. in* 6. ſicut regulatur corpus ab anima. Idem docet Everardus *in Loco, A ratione legis larga, n.* 45. Card. Tuſchus *Litt. E. Concl.* 665. ubi, cùm pro Concluſione ſtatuiſſet, regulariter odioſa & exorbitantia, ſeu ea, quæ ſunt ſtricti juris, non extendi, *c. Odia. & c. Quæ à jure. de Reg. Jur. in 6.* protinus inter alia *num.* 4. hoc limitat, quando ratio eſt expreſſa: quia, ubicunque militat eadem ratio, etiam fit extenſio ad caſus non expreſſos. Alexander *lib.* 2. *Conſil.* 216. *n.* 33. poſt Gloſſam *in Clem.* 1. *℣. Eligatur. de Electıon.* & alios.

Idem declaratur exemplis. Sic quippe *in c. Si* 430
poſtquàm. 33. §. *Si verò. de Elect. in* 6. Conſtitutio Apoſtolica pœnalis, requirens, quòd Electus, quando ad Sedem Apoſtolicam contra Electionem ipſius appellatum fuit, ad ipſam veniat, & alioquin electio ſua viribus omnino evacuetur: habet locum non tantùm in non venientibus, ut ſonat Littera, ſed etiam *ex ſui mente exigit, quòd Electus usque ad finem negotium proſequatur*; ac proinde conſtringit quoque de Romana Curia ſine licentia recedentes; & hoc ob adæquatæ rationis identitatem. Similiter *l. Si quis id.* 7. *ff de Juriſdict. omn. Judic.* pœna per Legem ſtatuta in eos, qui Prætoris Edictum in Albo propoſitum corrupiſſent, ob ſententiam, ſeu mentem Edicti ex identitate rationis deſumptam, extenditur ad illos, qui ejusmodi Edictum, dum proponitur, vel ante propoſitionem corrumpunt, haud obſtante, quòd in his ceſſent verba legis. Hoc ipſum patet *ex c. Per noſtras.* 26. *de Jure patronat.* ubi Patronus Clericus non poteſt ſeipſum præſentare ad Perſonatum alicujus Eccleſiæ, eò quòd *nullus ſeſe ingerere debeat Eccleſiaſticæ Prælationis officijs*: quæ ratio cùm æquè militet in alijs Beneficijs, hinc dicta diſpoſitio extenditur ad omnia Beneficia Eccleſiaſtica. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 12. *n.* 194. citans Rotam *in Regienſi Jurispatronatus.* 5. *Maij.* 1625. *coram Pirovano.*

Solùm adde, quòd licèt in odioſis extenſio 431
ob identitatem rationis præcipuè tunc locum habeat, quando ratio legis, ſeu diſpoſitionis, in ipſamet lege exprimitur; ut accidit *in cit. cap. Per noſtras.* Nihilominus dicta extenſio, propter identitatem rationis procedat etiam, quando ratio illa eſt unica, ita videlicet, ut non niſi unica afferri poſſit: hoc ipſo enim, quòd non niſi unica ratio legis afferri poſſit, ea habetur pro ſufficienter expreſſa. Felinus *c. Translato. n.* 11. *de Conſtitut.* Jaſon *in Authen. Quas actiones. n.* 22. ſicque paria ſunt, rationem eſſe expreſſam in Diſpoſitione, & non niſi unicam afferri poſſe. Gloſſa *fin. l. Quamvis, & ibi* Baldus, & Paulus de Caſtro. *C. de Fideicommiſſ.* Alexander *Conſil.* 129. *num.* 5. *lib.* 7. Jaſon *Auth. Quas actiones. num* 22. *C. de Sacroſa. Eccleſ.* Farinacius *part.* 1. *Fragment. Litt. E. num.* 180. & alij ab ipſis relati.

Porrò ratio unica cenſetur eſſe illa, propter 432
quam

quam ad ſic ſtatuendum Princeps motus fuit. Et quando de hoc eſt dubium, tunc ſtante dubio non præſumitur eſſe ratio unica, ut ſit licita extenſio, ſed multiplex. Jaſon *cit. num.* 22. & Farinacius *loc. cit. num.* 182. cum communi; Quamvis plurimùm circa hoc valeat arbitrium Judicis, per ea, quæ allegat Everardus, *Loco, A ratione Legis larga. n.* 23. apud eundem Farinacium.

Ex allegata regula de legibus odioſis ſtrictè
433 interpretandis rectè infertur, quòd verba legis pœnalis intelligi debeant cum effectu; ut can. Hæc autem verba. de pœnit. diſt. 1. ibi: *Hæc autem verba cum effectu accipimus*: junctâ Gloſsâ ibidem, mox ſubjungente, *voluntatem, ſive conatum non puniri ſine effectu*; ut in can. Si quis ſuadente diabolo. 17 q. 4. ubi excommunicationem in percuſſores Clericorum latam non incurrit, qui voluit Clericum percutere, ſed non potuit: nam *Cogitationis pœnam nemo patitur*, can. Cogitationis. de pœnit. diſt. 1. Intellige, ab homine, ſed à Deo benè, ut explicat Gloſſa ibidem. Concordat L. 1. ff. Quod quiſque Juris &c. ubi & ratio hujus redditur, dicendo: *Quid enim obfuit conatus, cùm injuria nullum habuerit effectum?*

434 Intellige, niſi ſint caſus excepti à Lege, vel Canone, & pœna etiam ipſi conatui, ſeu voluntati, in opus tamen externum prodeunti, ſit decreta. Sic etenim in *l. Quiſquis. C. Ad legem Juliam Majeſtatis*, habetur conſtitutum de crimine læſæ Majeſtatis, ibi: *Eâdem etiam ſeveritate voluntatem ſceleris, quâ effectum, puniri Jura voluerunt.* Et l. Divus Adrianus ff. Ad Legem Corneliam de Sicarijs, ubi dicitur: *In maleficijs voluntas ſpectatur, non exitus.* Concordat textus l. Si quis non dicam. C. de Epiſcop. & Cleric. ubi Summarium ait: *In atrociſſimis delictis punitur affectus, licèt non ſequatur effectus.* Et Gloſſa *cap. ult. ℣. Conatus. de Sponſalib.* citans alios caſus, in quibus punitur voluntas, ſive conatus delinquentis, quamvis fuerit ſine effectu operis.

435 Regula XIV. Leges favorabiles ampliori interpretatione ſunt adjuvandæ: ſive, in materia favorabili verba accipi debent ſecundùm amplam ſuam ſignificationem. Fundatur hoc in vulgata illa Reg. 15. Juris in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Intellige, niſi aliud exprimatur, aut aliud appareat ex verbis legis, ſeu alterius diſpoſitionis; ſimúlque exinde illuſio Statuti, ſeu diſpoſitionis, ſequi non poſſit; prout notatur *c. Si ſententia. 16. & c. Si civitas. de Sent. Excomm. in 6.*

436 Sic iſtud vocabulum *Populus* in dubio, ac niſi aliud exprimatur, in materia pœnali, & odioſa non comprehendit Clerum, *d. c. Si ſententia.* ubi interdicto Populo non cenſetur interdictus Clerus, niſi aliud ſit expreſſum: at in materia favorabili etiam comprehendit Clerum. Similiter in materia odioſa nomine Clericorum non comprehenduntur Epiſcopi, *c. Quia periculoſum. 4. de Sentent. excomm. in 6* Neque Canonici, aut alij in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, *c. Sedes Apoſtolica. 15. de Reſcript. & c. Statutum. 22. de Electión. in 6.* Neque Religioſi utriusque ſexûs, juxta Gloſſam *Clem. 1. De ſupplend. neglig. Prælat.* Angelum, *℣. Clericus. I. num. 1.* Sylveſtrum *ibid. I. n. 1* Sa *n. 1.* Armillam, & alios, ſed ſoli Clerici ſæculares inferiores: Secùs eſt in materia favorabili. Sic etiam in materia favorabili, v. g. in privilegio non ſolvendi Decimas perſonæ Eccleſiaſticæ conceſſo, nomine Decimarum veniunt Novalia, *c. Ex parte. 27. de Decimis*: ſecùs fit in materia odioſa, qualis eſt præſcriptio; unde qui præſcribit Decimas contra Eccleſiam, non præſcribit Novalia, *c. Cùm contingat. 29. eod.* Inſuper nomine Territorij in favorabilibus comprehenduntur etiam Loca exempta intra illud exiſtentia: non item in odioſis, & oneroſis. Felinus *c. Rudolphus. n. 18. de Reſcript.* poſt Paulum de Caſtro *Conſil.* 132. Layman *cit. c. Rudolphus. n. 3. & 4.* ubi alia exempla adducit. Verùm pro majori horum intelligentia

Quæres, quænam materia cenſeatur favorabilis, & quænam odioſa? Ratio dubitandi eſt: 437
quia plerumque, dum uni quidpiam favorabiliter conceditur, id alteri adimitur; & conſequenter, quod uni eſt favorabile, alteri accidit odioſum. Et hoc videre licet in omnibus propemodùm materijs, quæ non ſunt merè indifferentes, abſtrahendo videlicet tam à favore, quàm odio.

Reſp. I. Quotiescunque favor, & odium ſecerni, atque ab invicem ſeparari poſſunt, cen- 438
ſetur ejusmodi materia, lex, ſeu quæcunque alia diſpoſitio, partim favorabilis, & partim odioſa; ac proinde, quâ parte eſt favorabilis, debet latè explicari; & quâ parte eſt odioſa, debet cenſeri ſtrictæ interpretationis, ſicque reſtringi. Ita Gloſſa *in l. Vema. ℣. Liberis. C. De in jus vocand.* ubi ait, quòd ibidem *ex parte Patroni eſt favor, & ideò prorogandus; ex parte Liberti eſt odium, & ideò reſtringendum.* Gloſſam ſequuntur ibidem Bartolus, Baldus, Jaſon *n. 4.* & Covarruvias *lib. 1. Var. Reſol. 11. n. 5.* Sanchez *lib. 1. de matrim. diſp. 3. n. 5.* & alii. Nam, quia odia reſtringi, & favores convenit ampliari, quoties inter ſe poſſunt ſeparari, meritò favor ut favor, & odium ut odium aſſumi debet.

Reſp. II. Quando Conſtitutio partim eſt favo- 439
rabilis, partim odioſa, ſimúlq; favor ab odio ſecerni nequit, tunc ad dignoſcendũ, an ea ſit cenſenda favorabilis, nec ne, oportet attendere ad principalem intentionẽ diſponentis, ſeu Legiſlatoris. Et ſi quidem lex principaliter in favorem alicujus ſtatuta ſit (quod tum ex verbis ipſius, tũ ex materia ſubjecta deſumi poterit) lex, ſive conſtitutio, aut quævis alia diſpoſitio cenſetur omninò favorabilis, ſicq; latè interpretanda, juxta Gloſſam *in c. Statutum ℣. Numerandum. de Præbend. in 6.* & aliam Gloſſam *c. Sciant cuncti. ℣. Alios. de Elect. in 6.* haud obſtante, quòd in aliquod odium, ſeu damnum tertij redundet. Exemplum hujus extat *in c. Si propter. 10. de Reſcript. in 6.* ubi Pontifex concedebat Epiſcopo cuipiam fructus

primi

primi anni Beneficiorum in ſua Diœceſi vacantium ad perſolvenda debita: nam quia præcipua Papæ intentio fuit, ſpecialem Epiſcopo illi favorem exhibere, ut liquet ex illis cit. cap. verbis: *De ſpeciali gratia concedimus*: neque favor hic ſeparari poterat ab onere Beneficijs vacaturis impoſito; Conſtitutio illa erat ſimpliciter favorabilis, juxta Gloſſam ibidem ℣. *Primi anni*; ac proinde latè explicanda, ut comprehendat etiam Dignitates, v. g. Decanatus, Præpoſituras vacantes. Layman *cit. cap. Si propter. n. 3.*

440 Quòd ſi verò principale intentum Conſtitutionis tendit in alicujus odiū, ſeu pœnam, Conſtitutio cenſetur ſimpliciter odioſa, eſtque ſtrictè interpretanda, haud obſtante, quòd ſimul cedat in aliqualem favorem tertij. Siquidem ex primario ſuo fine, ſeu intentione Statuentis, menſuranda & dijudicanda eſt ipſamet diſpoſitio, juxta Gloſſas *ubi ſuprà*, ac tenet Abbas *in c. Non dubium. num. 3.* junctâ Additione. ℣. *Favorem. de Sent. Excommu.* Bartolus, & Paulus de Caſtro *in l. Si quis nec cauſam. §. 1. ff. Si certum petatur*, per illum textum dicentes, attendi debere id propter quod principaliter factum eſt Statutum. Covarruvias, Sanchez *loc. cit* & alij. Sicut in ſimili, an contractus ſive obligatio ex eo proveniens, ſit judicanda perſonalis, vel realis, inſpiciendum eſſe, non quod acceſſoriè, ſed quid principaliter actum ſit, paſſim notant Doctores; idque deſumitur *ex l. Rogâſti, & l. Si quis nec cauſam. ff. Si certum petatur.*

441 Reſp. III. Quando non apparet, an principaliter Conſtitutio ſit facta propter favorem, an verò propter odium, tunc magis attenditur favor, quàm odium. Ita Abbas *cit. c. Non dubium. n. 3. junctâ Addit.* ℣. *Favor.* Ratio eſt: quia *ſemper in dubijs benigniora præferenda ſunt*, l. Semper. 57. ff. de Reg. Jur. cum ſimilibus: ſicque in tali caſu, ubi odium à favore ſeparari nequit, haud immeritò non fit ſtricta interpretatio.

442 Objicies contra prædicta claritatis gratia. Ex dictis videtur ſequi, quòd omnes Leges, etiam pœnales, & ſcelera punientes, ſint cenſendæ favorabiles: atqui hoc videtur abſurdum; ergo. Prob. Seq. Omnes Leges, etiam pœnales, principaliter reſpiciunt favorem, ſeu commune bonum Reipublicæ, utpote cujus intereſt, ne crimina remaneant impunita, *c. Ut famæ. 35. de Sentent. Excomm.* cum concordantijs: atqui Lex, quæ principaliter reſpicit favorem, cenſetur favorabilis; ergo. Reſp. neg. Seq. cum majori. ſuæ probationis. Licet enim Leges pœnales reſpiciant bonum commune Reipublicæ, in quantùm ad hoc ultimatè tendunt, ac propter illud procurandum crimina puniunt, (ſic enim bonum commune reſpicere, convenit quibuſve Legibus, *can. Erit autem lex. diſt. 4.*) nihilominus earum finis primarius; & principaliter intentus, non eſt bonum commune Reipublicæ, ſed punitio criminum, utpote quæ ab illis per ſe intenditur, & adhibetur veluti medium aptum ad conſequendum bonum Reipublicæ, ſecundariò, remote, & conſecutivè ſimul intentum. Et hinc Leges pœnales quà tales ſunt odioſæ, & ſtrictæ interpretationis, ſicq; regulariter requirunt crimen ipſo opere conſummatum, & cum effectu.

Solùm adde, quòd ſi aliquā ratione in Legibus pœnalibus poſſit favor ſeparari ab odio, oporteat, ut hinc ſtrictè, illinc latè interpretentur. 443
Prout v. g. *can. Si quis ſuadente Diabolo. 17. q. 4.* ex parte injuriæ ſtrictè accipitur, videlicet pro reali manuum injectione in Clericos opere conſummata, & non verbali tantùm; ex parte perſonarum autem, in quorum favorem Canon ille ſtatutus fuit, interpretatur largè, ut etiam Monachos Converſos, Moniales, imò & Novitios, comprehendat. Covarruvias *cit. Reſol. 11. n. 5.* & alij.

Regula XV. In beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda. 444
Habetur clarè in c. Cùm dilecti. de Donat. ibi: *In contractibus plena, in teſtamentis plenior, in beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda.* Et c. Olim de Verb. ſignif. ibi: *Cùm beneficia Principum ſint interpretanda largiſſimè*, cum concordantijs hîc à Gloſſa relatis.

Intellige iſtud cum Fagnano *in cit. cap. Olim. n. 4. & ſeqq.* de Beneficio ſtrictè ſumpto, ac prout 445
contradiſtinguitur à Privilegio, quod eſt contra Jus commune; & Reſcripto, quod eſt ſecundùm Jus comune. *Beneficium* ſiquidem in communi, ac ut genus eſt, aliud non eſt, quàm benevola actio tribuens gaudium capientibus. Et dividitur in *Beneficium* propriè, ſeu ſtrictè *ſumptum*, quod eſt benevola actio, ſive liberalitas quædam conceſſa ſine alterius præjudicio præter Jus comune. ac in *Privilegiū*, quod eſt benevola actio conceſſa contra Jus commune: Et in *Reſcriptum*, quod eſt benevola actio conceſſa ſecundùm Jus commune. Impetratur enim Reſcriptum, præſertim juſtitiæ, ad Juris obſervantiam, ut impetranti fiat juſtitia: & hinc Reſcripta contra Jus elicita non valent, *can. Reſcripta. 25. q. 2.* & ſuo loco ampliùs dicetur.

Itaque allata Regula eſt intelligenda de Beneficio propriè ſeu ſtrictè ſumpto, nempe quando 446
aliquid conceditur ex liberalitate concedentis, non ad præjudicium alterius, vel Juris, ſed vel ad nullius, vel ad præjudicium concedentis tantùm. Et hoc modo Beneficium contra concedentem eſt pleniſſimè interpretandum: quia ſi voluiſſet concedens, potuiſſet expreſſiſſe, ac quidpiam excepiſſe, ut notatur *in c. Quia circa. de Privileg.* ibi: *Cùm nihil exceperit, & potuerit excepiſſe; ac in Beneficijs, pleniſſimā ſit interpretatio adhibenda.*

Excipe tamen Reſcripta ad Beneficia Eccle- 447
ſiaſtica obtinenda, quæ ſunt ſtrictè Interpretationis, *text. clar. c. Quamvis. de Præbend. in 6.* ibi: *Quamvis pleniſſima ſit alias in Beneficijs interpretatio facienda: Litteræ tamen ſuper obtinendis Beneficijs debent, cùm ſint ambitioſæ, reſtringi.* Hujus exemplū habetur *in c. Cui de non. 17. eod. in 6.* ubi cùm mandatur cuipiā nōSacerdotalis, vel integra, aut certi valoris conferri Præbenda; virtute talis Mandati Apoſtolici (cujus fines diligenter obſervari oportet) nō poteſt eidem, etiā volenti, conferri Præbenda Sacerdotalis, vel dimidia, aut aliqua minoris valoris.

448 Præter hactenùs allatas, aliæ plures poſſent adduci Regulæ circa interpretationem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum, Legum Civilium, & Statutorum particularium locorum, alorúmque diſpoſitionum obſervandæ, de quibus fuſiſſimè Card. Tuſchus, Barboſa, aliíque paſſim. Verùm præmiſſæ ſunt cæteris uſu frequentiores, magisque ſcitu neceſſariæ, ac proinde non immeritò ſpecialiter declaratæ, cæteris ad propria loca remiſſis, ac præſertim ad Titulum, *De Regulis Juris*, inſcriptum.

§. XVIII.

De Diſpenſatione Legum, ſive Conſtitutionum.

SUMMARIUM.

449. *Diſpenſatio, quid?*
450. *Facta ſine cauſa, diſſipatio eſt, non diſpenſatio.*
451. *Diſpenſatio eſt vulnus Juris, ac proin ſtrictè accipienda.*
552. *Poteſtas diſpenſandi econtrà eſt favorabilis, & latè interpretanda.*
453. *Dummodò hæc nulli ſit præjudicialis, niſi concedenti.*
454. *Notabilis objectio, probans, in diſpenſatione valere argumentum à majori ad minus, diſſolvitur.*
455. *Nequit Papa diſpenſare in Jure Divino.*
456, *Imò tenetur illud uſque ad animam, & ſanguinem confirmare.*
457. *Poteſt tamen id interpretari.*
458. *Ac ſecundùm plenitudinem poteſtatis in omni Jure Eccleſiaſtico diſpenſare.*
459. *Papæ poteſtas duplex, ordinaria, & abſoluta, quæ?*
460. *An Papa poſſit diſpenſare circa Canones Apoſtolorum?*
461. *Poteſtas diſpenſandi data eſt in ædificationem, & non in deſtructionem.*
Nefas eſt, quid ſiniſtri de Summa Sede ſuſpicari. Ibid.
462. *Utrum poſſit Papa diſpenſare contra univerſalem Statum Eccleſiæ?*
463. *Epiſcopus nequit regulariter diſpenſare contra Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Conciliorum Generalium.*
464. *Idq́ multipliciter probatur.*
465. *Poteſt Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione, ubi hoc ei non reperitur prohibitum; non autem diſpenſare; & cur?*
466. *Dantur nihilominus caſus, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare circa Sacros Canones &c. Et n.* 463.
467. *I. Quando id expreßè ipſis conceditur, vel ſaltem in Canone ſimpliciter dicitur, poſſe diſpenſari.*
468. *Dummodò ex contextu verborum, Stylo, vel conſuetudine, aliud non appareat.*
469. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in Decretis Concilij Generalis, quæ imperſonaliter concedunt facultatem diſpenſandi?*
470. *II. Ob cauſam magnæ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, ſitq́ periculum in mora, nec ad Papam pateat recurſus.*
471. *III. Vt conſuetudinis legitimè præſcriptæ.*
Quæ tribuit Jurisdictionem. Ibid.
472. *IV. In caſibus frequenter occurrentibus.*
473. *V. Si materia ſit levis.*
474. *VI. Quoties dubium eſt, an caſus indigeat diſpenſatione.*
475. *Poteſtas diſpenſandi in dictis caſibus conceſſa Epiſcopis, eſt ordinaria.*
476. *Ac proin Sede vacante competit Capitulo. Et n. præc.*
477. *Caſus ſpecifici, in quibus ex conceſſione Juris communis poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ſunt multi.*
478. *Diſpenſatio in lege Superioris invalida eſt, ſi fiat absque juſta cauſa.*
479. *Secùs, ſi fiat in lege propria, vel Anteceſſoris. Et n. præc.*
480. *Quamvìs hæc ſit illicita, quando fit ſine cauſa.*
481. *Papa ſcienter aſſumendo inhabilem ad Officium, vel Dignitatem, ipſo facto cenſetur cum eo diſpenſare.*
482. *Secùs, ſi Pontifex ignoret defectum, nec aliud exprimat.*
483. *An idem dicendum de Epiſcopo, ſcienter promovente inhabilem?*
Quomodo verum ſit, quòd Papa non cenſeatur diſpenſare, niſi hoc ſpecialiter exprimatur? *Num.* 482.

449 Quæritur I. Quid ſit Diſpenſatio? Reſp. I. *Diſpenſatio* eſt juris communis relaxatio, facta cũ cauſæ cognitione ab eo, qui jus habet diſpenſandi. Ita Gloſſa *in can. Requiritis. 1. q. 7. ℣. Ut plerisque.* Angelus ℣. *Diſpenſatio.* & alij. Quæ quidem definitio convenit non ſolùm diſpenſationi factæ in Jure cõmuni Canonico, vel Cæſareo, ſed etiam in Legibus municipalibus; imò etiam illi diſpenſationi, quæ fit per ipſummet Principem, ſeu Legislatorem in lege propria. Et ratio eſt: tum quia Leges quoque municipales communem Civium utilitatem, ſicque jus aliquod pluribus commune reſpiciunt; adeóque diſpenſatio in ipſis, ſuo modo rectè dicitur *Relaxatio* alicujus *Juris communis.* Tũ quia Princeps ſine cauſa diſpenſans peccat, adeo-

adeóque & ipſe diſpenſaturus procedere debet cum cauſæ cognitione, ne peccati periculum, acreatum incurrat.

450 Dicitur notanter, *cum cauſæ cognitione.* Nam, ut inquit D. Bernardus *lib.* 3. *de Conſiderat. paulò ante finem*, allegans verba D. Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

451 Reſp. II. Diſpenſatio rectè vocatur *vulnus juris*, quia per eam Jus commune vulneratur, *can. Ipſa pietas.* 23. *q.* 4. ac notat Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 33. *n.* 7. & Fagnrnus, *c. Cùm in cunctis. n.* 36. *de Electıon.* Et hinc, quia omnis receſſus à Jure cenſetur odioſus, etiam diſpenſationes ſunt odioſæ, ac ſtrictè accipiendæ, *cap.* 1. *§. fin. de Filijs Presbyt. in 6.* Atque idcircò in eis non valet argumentum à majori ad minus, vel ad ſimile. Barboſa *loc. cit. n.* 10. cum pluribus alijs, quos citat, & Fagnanus *in c. Quia in tantùm. n.* 20. *de Præbend.* poſt Hoſtienſem *in c. Poſtulaſti. n.* 12. *de Reſcript.* Quamvis benè extendantur ad acceſſoria, connexa, vel neceſſariò conſecutiva ex eo, ſuper quo eſt diſpenſatum, juxta Gloſſam *can. Si quis in Clero.* 7. *q.* 1. *℣. Solemnibus.* ubi obſervat, quòd diſpenſatus ſuper pluralitate Beneficiorum, cenſeatur etiam eſſe diſpenſatus ſuper reſidentia. Concordat Gloſſa *c. Quia in tantum. ℣. Plures.* & ibi Abbas *n.* 3. & Fagnanus *n.* 23. *de Præbend.* Barboſa, *ubi ſuprà, n.* 8. & alij.

452 Nec obſtat, quòd poteſtas diſpenſandi, quæ nulli eſt præjudicialis, niſi ipſi concedenti, ſit favorabilis, & latè interpretanda. Reſp. enim, diſparitatem eſſe inter diſpenſationem, & poteſtatem diſpenſandi: etenim diſpenſationes ſunt vulnus Juris, eique afferunt præjudicium aliquod; dicta autem poteſtas diſpensandi eſt merum beneficium Principis, ac proinde latiſſimè interpretanda, *arg. c. Mandato.* 46. junctâ Glosſâ *l. de Simonia*, & notat ibidem Abbas Panormit. *n.* 3. & 5. ac Fagnanus *n.* 33. allegans communem.

453 Verùm hoc ipſum procedit duntaxat de poteſtate diſpenſandi, quæ nulli eſt præjudicialis, niſi concedenti, ut dictum. Siquidem poteſtas diſpenſandi, quando agitur de præjudicio alterius, quàm ipſius Principis ipſam concedentis, etiam eſt odioſa, & reſtringenda. Fagnanus *d. c. Mandato. n.* 37. citans alios. Felinus *in c. Poſtulaſti. n.* 11. *§. Secundus caſus. de Reſcript.* poſt Butrium *in c. Per venerabilem. n.* 13. *Qui filij ſint legit.* ubi hoc exemplificat de eo, cui ſimpliciter conceſſa fuit poteſtas legitimandi ſpurios, & inceſtuoſos; & concludit, quòd talis vi dictæ poteſtatis non poſſit legitimare ſpurium & inceſtuoſum ſimul, quando illa legitimatio præjudicat tertio: ſi autem nemini præjudicet, poſſit ipſum legitimare.

454 Dices. Argumentum à majori ad minus procedit etiam in diſpenſationibus; ergo. Antecedens probatur per textum notabilem *in c. Per venerabilem. §.* 1. *Qui filij ſint legitimi*, ubi ex eo, quòd Papa cum quibusdam illegitimis diſpenſaverit, ut potuerint in Epiſcopos promoveri, infertur, quòd eos etiam ad actus legitimare valeat ſæculares: nam (ſubdit textus) *quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & in minori.* Nec juvat, ſi dicatur, iſtud procedere de facultate diſpenſandi, quæ eſt favorabilis; non autem de ipſa diſpenſatione, quæ veluti odioſa eſt ſtrictæ interpretationis. Nam contrà eſt: quia de ipſamet diſpenſatione loquendo, conceditur ibidem expreſsè argumentum à majori ad minus; dum paulò inferiùs §. *Præterea*, in hæc verba ſubjungitur: *Unde cùm in ſpiritualibus diſpenſetur, conſequenter intelligitur in temporalibus diſpenſatum.* Reſp. negando antecedens. Ad citatum textum, dimiſſis aliorum reſponſionibus, breviter dicitur, ipſum continere ſolummodò allegationem partis, non verò diſpoſitionem juris: nam, ut rectè notat Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 45. *num.* 15. & patet attentiùs legenti litteram, verba illa, quæ continent dictum argumentum à majori ad minus in materia diſpenſationum, non ſunt ipſius Papæ, ſed partis, petentis temporalem etiam filij ſui legitimationem: quæ quidem, ut ſibi propoſita, Pontifex refert, ſed non ſequitur, neque petitam diſpenſationem ſeu legitimationem concedit. Unde hinc nihil ſequitur contra communem ſententiam, & datam *n.* 451. Concluſionem.

Quæritur II. In quibus poſſit ſummus Pontifex diſpenſare? Reſp. I. Nequit Papa diſpenſare in Jure Divino, quamvis illud interpretari 455
poſſit, atque declarare, quòd id ob certas circumſtantias hîc & nunc per ſeipſum obligare ceſſet. Ita omnes Catholici. Et quidem prima pars, præter concordem Doctorum ſententiam, patet ex eo: quia *lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*, Clem. Ne Romani de Elect. atqui Romanus Pontifex eſt inferior Deo, Chriſtique duntaxat in terris Vicarius. Unde, ſicut Vicarius non poteſt omnia, quæ Principalis (puta illa, quæ ſpeciali notâ digna ſunt, & mandatum expreſſum requirunt, *cap.* 3. *de Offic. Vicarij in* 6. & alibi) ita neque Summus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius, poteſt omnia, quæ Chriſtus, v. g. Sacramenta nova inſtituere, abrogare antiqua, diſpenſare in vinculo matrimonij conſummati, bigamiam ſimultaneam concedere, & hujusmodi, quæ pertinent in Chriſto *ad Poteſtatem Excellentiæ* (ut vocant Theologi) nulli hominum, ne quidem Summo Pontifici, communicatam.

Quinimò Papa non ſolùm in ſemetipſo tenetur Legem Divinam obſervare, ſed eandem pro 456
ſuo Paſtorali munere debet etiam uſque ad animam & ſanguinem confirmare, *can. Sunt quidam.* 25. *q.* 1. ibi: *Ubi verò apertè Dominus, vel ejus Apoſtoli, vel eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt, uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet.* Concordat *can. Contra ſtatuta. eod.* 25. *q.* 1.

Altera pars probatur ex diverſis S. Scripturæ locis, ut *Deuter. cap.* 17. *verſ.* 8. 9. & 10. & *Matth.* 457

16. verſ. 18. & 19. & Joan. 21. verſ. 16. & 17. ubi Chriſtus trinâ vice generalem paſcendi Oves ſuas curam D. Petro, atque in eo ſuis legitimis Succeſſoribus demandavit. Quia igitur recta Eccleſiæ univerſalis gubernatio hanc in Summo Pontifice, veluti Chriſti in terris Vicario, exigit potestatem, quòd is in caſibus dubijs Jus Divinum interpretari, Ovésque ſibi concreditas per viam juſtitiæ, ac veritatis, absque erroris periculo deducere, & ſalubria paſcua à noxijs ſecernere valeat; omninò confitendum eſt, talem poteſtatem Summo Pontifici à Chriſto conceſſam fuiſſe. Alioquin ipſe non fuiſſet bonus Paterfamilias (quod abſit cogitare) ſi Gregem ſuum dimiſiſſet ſine Paſtore, qui ex cauſa poſſet omnibus conſulere; prout inter alios argumentatur Abbas *c. Propoſuit. n. 12. de Conceſſ. Præbend.* Accedit, quòd etiam Judæi, quondam concurrentibus certis circumſtantijs, interpretati ſint, præceptum Divinum de Sabbato cuſtodiendo non tam ſtrictè obligare, quin eis liceat pugnare, ſi ipſis die Sabbati pugna ab hoſtibus inferatur; ut legitur *1. Machab. cap. 2. ℣. 41.*

458 Reſp. II. Poteſt Romanus Pontifex pro utilitate Eccleſiæ, ac ovium ſibi concreditarum ſalute, diſpenſare in omni Jure Eccleſiaſtico. Ita omnes Doctores; & patet *ex c. Propoſuit. 4. de Conceſſ. Præbend.* ubi Pontifex inquit: *Qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra Jus diſpenſare.*

459 Et notanter additur, *ſecundùm plenitudinem poteſtatis.* Duplex ſiquidem ex parte Summi Pontificis poteſt notari poteſtas: una dicitur *Poteſtas Ordinaria*, quæ ſcilicet ſequitur Ordinem Juris poſitivi, & regulatur ad limites diſpoſitionis illius. Altera *abſoluta*, ſive ſuprema (quæ & *Plenitudo poteſtatis* appellatur) ſecundùm quam Papa eſt ſuper omne Jus poſitivum humanum. D. Thomas, *Quodlib. 4. art. 13.* Geminianus *Conſil. 53. circa princip.* Fagnanus *c. Ex parte. num. 4. de Converſ. conjugat.* Et hæc Poteſtas clavium (videlicet abſoluta) eſt talis, & tanta, quòd non recipiat interpretationem reſtrictivam, ut loquitur Baldus *c. Niſi cùm pridem. n. 6. de Renunciat.* citans Innocentium.

460 Unde allata Concluſio extenditur etiam ad Canones Apoſtolorum; illos videlicet, quos Apoſtoli tanquam Eccleſiæ Rectores condiderunt, ut puta de jejunio Quadrageſimali, obſervatione Dominicæ, non ordinandis Bigamis, ac de ſubeundis pœnis per Canones Apoſtolorum in reos certorum criminum ſancitis, & hujusmodi; prout deſumitur *ex can. Presbyt. diſt. 82.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Apoſtolorum.* Non tamen poteſt Papa diſpenſare in illis Canonibus Apoſtolicis, quos Apoſtoli non tanquam Eccleſiæ Prælati primùm condiderunt, ſed jam à Chriſto authore acceptos, veluti Miniſtri Eccleſiæ promulgârunt, atque obſervandos tradiderunt: ut puta de Baptismo parvulorum, de confirmandis Baptizatis, de indiſſolubili vinculo matrimonij conſummati, ac hujusmodi. Suarez *lib. 6. de Legib. cap. 14. n. 2.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 15. q. 4.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 3.* & alij.

Additur notanter *n. 458. pro utilitate Eccleſiæ &c.* 461
Nam Summo Pontifici, ſicut & alijs Eccleſiæ Prælatis, poteſtas diſpenſandi data eſt à Domino *in ædificationem, & non in deſtructionem*, ut loquitur Apoſtolus *2. Corinth. 10. & cap. 13.* Ac proinde, licèt Papa quidpiam poſſet facere, non tamen decet eum ſemper uti plenitudine poteſtatis. Hoſtienſis *in c. Super eo. n. 4.* & ibi Fagnanus *n. 18. de Bigamis non ordinand.* Sed præ oculis habere oportet utilitatem Eccleſiæ, Oviúmque concreditarum ſalutem, ne ſi ſecùs accidat, non tam diſpenſatio, quàm diſſipatio dici mereatur. Quamquàm nefas ſit, quidpiam ſiniſtri temerè ſuſpicari de Summa Sede, quæ à nemine judicatur, & de cujus judicio diſputare, & judicare non licet, *can. Si quis ſuadente. §. Qui autem. & can. Nemini. 17. q. 4.* Et cujus Statutum ſic reputari debet, ac ſi de ore Dei, vel B. Petri eſſet prolatum, *can. Sic omnes. diſt. 19. & c. Inter corporalia. de Translat. Epiſcop.* junctâ Gloſsâ *℣. Divina*, & Doctoribus ibidem.

Atque ex his ſequitur, quòd Papa non poſſit 462
diſpenſare contra univerſalem Statum Eccleſiæ, *arg. can. Et ſi illa. 1. q. 7.* ac notat Gloſſa in *c. Propoſuit. ℣. Diſpenſare. de Conceſſ. Præbend.* Quod ipſum tamen rectè Abbas Panormit. *ibid. n. 14.* intelligit, quando ex tali diſpenſatione, ſeu immutatione, decoloraretur ſtatus Eccleſiæ: tunc enim nequit fieri talis diſpenſatio, ſeu immutatio, juxta *cit. can. Et ſi illa. 1. q. 7.* & notavit Archidiaconus *can. Sunt quidam. 25. q. 1.* Si autem exinde non decoloratur ſtatus Eccleſiæ, ut puta quia ſubeſt cauſa mutandi, vel diſpenſandi, tunc credendum eſt, atque indubitatè concedendũ, quòd poſſit, maximè circa unum caſum, vel duos: Sic enim, juxta *c. Non debet. de Conſang. & affinit.* Pontifex in Concilio Generali immutavit ſtatum Eccleſiæ, relaxando prohibitionem matrimonij olim in quinto, ſexto, & ſeptimo gradu conſanguinitatis, & affinitatis exiſtente; atque ſtatuendo, quòd dicta prohibitio Conjugij deinceps quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum non excedat. Cui ſimilia noviſſimè in Concilio Tridentino ſtatuta ſunt circa impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis, Cognationis ſpiritualis, & nonnulla alia.

Quæritur III. Utrùm Epiſcopus poſſit di- 463
ſpenſare quoad Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Conciliorum Generalium? Reſp. I. Regulariter loquendo non poteſt Epiſcopus in talibus diſpenſare, niſi ſint caſus ſibi à Jure conceſſi. Ita Gloſſa *in c. Dilectus. ℣. Permiſſa.* & ibi Abbas *num. 6. de Temporib. Ordinat.* Rebuffus *in Praxi Benefic. §. De diſpenſatione ad plura Beneficia. n. 26. & ſeqq.* Sperellus *Deciſ. 110. Fori Eccleſiaſt. n. 26. & ſeqq.* cum alijs.

Et quidem prior pars conſtat *ex can. Nulli fas* 464
ſit. 25. q. 1. & can. Inſtitutionis. 25. q. 2. & c. Quod ſuper his. 9. de Majorit. & obed. cum ſimilibus. Siquidem Epiſcopi ſunt Canonum Magiſtri, & Cuſtodes, *can. Cùm quibus. 24. q. 3.* Imò non ſolùm Canones cuſtodire debent, ſed etiam ipſis expreſsè præcipitur, ut eos ad unguem obſervent, *can. Igitur. & can. Inſtitutionis. 25. q. 2.* Hinc *cit.*

cap. Dilectus. de Temp. Ordinat. graviter reprehenditur Epiſcopus, qui cuipiam eodem die contulit duos ſacros Ordines, licèt de mandato Archiepiſcopi ſui id fecerit: *cùm illi* (inquit Pontifex) *hujuſmodi diſpenſatio à Canone minimè ſit permiſſa.* Inſuper in cap. penult. & ult. de Filijs Presbyt. irritæ declarantur diſpenſationes contra Juris diſpoſitionem factæ per aliquem Papâ inferiorem. Similiter, quòd contra Decreta Conciliorum Generalium Epiſcopus diſpenſare non poſſit, docet Gloſſa communiter recepta *in c. Cùm dilectus.* ℣. *Ætate.* 32. *de Elect.* Accedit ratio: quia diſpenſatio eſt actus jurisdictionis: atqui Epiſcopus, veluti inferior, non habet jurisdictionem reſpectu Summi Pontificis, aut Conciliorum Generalium, vel ſuarum Conſtitutionum. Unde impræſentiarum quoque locum ſibi vendicat illud generaliter pronunciatum, *in Clem. Ne Romani.* §. 1. *de Election.* ibi: *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*: ſive abrogando, vel contrarium ſtatuendo, ſive etiam diſpenſando, niſi eidem concedatur. Concordant dicta ſuperiùs §. *IV. num.* 75. *& ſeqq.* ubi ſolvuntur etiam nonnullæ inſtantiæ.

Dices. Poteſt Epiſcopus abſolvere ab excom-
15 municatione, & alijs caſibus, ubicunque ei hoc non reperitur prohibitum, *c. Nuper.* 29. *de Sent. excommun.* ibi: *Quia tamen Conditor Canonis ejus* (excommunicationis ipſo jure impoſitæ) *abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi*: ergo etiam diſpenſare poterit Epiſcopus, ubi id ſibi non reperitur expreſsè prohibitum. Reſp. negando conſequentiam: nam abſolutio fit ſecundùm jus, quod non vult, ut quis in excommunicatione, vel peccato perſeveret, aut decedat; diſpenſatio econtrà fit contrà Jus, eſtque vulnus Juris: & hinc meritò illa faciliùs conceditur, quàm iſta. Unde regula ſit, quòd abſolutio à caſibus cenſetur permiſſa Epiſcopis, ubicunque non reperitur prohibita: diſpenſatio autem in Sacris Canonibus intelligitur prohibita, niſi ubi eis reperitur conceſſa, vel expreſsè, vel ſaltem tacitè. Et hoc convincunt textus Juris hinc inde allegati.

Altera pars probatur inductione, enumeran-
45 do caſus illos, in quibus ex conceſſione Juris, aut rationabiliter præſumptâ licentiâ Summi Pontificis, poteſt Epiſcopus diſpenſare circa Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Generalium Conciliorum. Et quidem ex his caſus

47 Primus eſt, quando vel expreſsè in Jure conceditur Epiſcopis poteſtas diſpenſandi; ut fit *cap. penult. de Election. & c. At ſi Clerici.* §. *fin. de Judicijs. & cap.* 1. *de Filijs Presbyt. in* 6. *& c. Cùm ex eo. de Elect. in* 6. & alibi, juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* & tunc res caret omni difficultate. Vel ſaltem in canone ſimpliciter dicitur, poſſe diſpenſari, nec Papa ſibi, aut alij Perſonæ reſervat diſpenſationem: tunc enim Epiſcopum poſſe diſpenſare, quamvìs hoc ipſi expreſsè non fuerit conceſſum, rectè docet Gloſſa in *c. Quisquis.* ℣. *Fiat. De Elect.* & Gloſſa fin. *c. In quibusdam.* & ibi Abbas *n.* 5. *de Pœnis.* & rurſus Abbas *in c. Etſi unanimiter. n.* 10. *de Poſtulat. Prælat.* dicens, quòd Epiſcopi ſemper diſpenſant, ubicunque à Jure permittitur diſpenſatio in genere, licèt ſpecificè non permittatur Epiſcopis. *Felinus. c. At ſi Clerici.* §. *de Adulterijs. n.* 1. *de Judic.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 5. *n.* 1. citans plurimos alios; & loquendo de Canone Pontificio, Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 33. *n.* 22. multiplici Doctorum authoritate probans, quòd, ubi Canon imperſonaliter diſpenſandi facultatem tribuit, dicendo v. g. *Poſſit diſpenſari*, *Niſi cum eo miſericorditer diſpenſatum fuerit &c.* non adjiciendo Sedem Apoſtolicam, vel Summum Pontificem; tunc tacitè, ſeu virtualiter conceſſa cenſeatur poteſtas diſpenſandi Prælatis inferioribus, & Epiſcopis: prout in ſpecie accidit *c. Poſtulâſtis.* 7. junctâ Gloſsâ ℣. *Diſpenſatum. de Cleric. excomm. miniſt. & cap.* 2. *De eo, qui cognovit conſanguin.* Acceditratio: quia ejusmodi verba, poteſtatem diſpenſandi imperſonaliter concedentia, debent aliquid operari. *c. Si Papa. de Privileg. in* 6. cum ſimilibus; ergò cùm Legislator, ſive Summus Pontifex, non cenſeatur velle declarare, quòd ipſe poſſit diſpenſare (hoc enim, veluti aliunde clarum, non niſi ſuperfluè diceretur) conſequens eſt, verba illa ad inferiores Prælatos referri, ſicque etiam Epiſcopis tacitè ſaltem, ac virtualiter, diſpenſandi facultatem impertiri. Accedit, quòd poteſtas diſpenſandi ex ſe ſit favorabilis, & amplè interpretanda, ut dictum ſuprà *n.* 452.

Fallit hoc in caſibus illis, quando ex contex- 468
tu verborum, ſtylo Curiæ, vel conſuetudine aliud apparet: prout fit in Concilio Tridentino *Seſſ.* 24. *cap.* 5. *de Reformat. Matrim.* ubi, quamvìs Concilium imperſonaliter concedat facultatem diſpenſandi in impedimentis matrimonij, quando hoc bonâ fide, atque adhibitis ſolemnitatibus contractum fuit; nihilominus hæc conceſſio ſolum Papam, non autem inferiores Prælatos, ſive Epiſcopos concernit. Nam ſtylus Curiæ Romanæ, & conſuetudo generalis abundè hoc declarat, ſimúlque ex antecedentibus & conſequentibus verbis ſatìs apparet, totum illum contextum de Summo Pontifice loqui. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 6. *n.* 19. & alij.

Fatendum tamen eſt, non deeſſe Doctores, 459
qui volunt, proximè datam doctrinam non procedere in Decretis Concilij Generalis, neque in his poſſe Epiſcopum, vel alium Papâ inferiorem diſpenſare, niſi claris verbis id ipſi comittatur; ut tenet Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 33. *n.* 24. cum multis alijs; juxta quorum ſententiam patet, quòd proximè allata inſtantia ex Concilio Tridentino nullatenùs urgeat. Oppoſitum nihilominùs, videlicet conceſsâ imperſonaliter poteſtate diſpenſandi, poſſe in talibus Decretis Conciliaribus Epiſcopum diſpenſare, tenet Sanchez *loc. cit. diſp.* 5. *n.* 5 allegans alios Doctores, & ſolvens contraria: idque inter alia deſumitur *ex c. Quisquis.* 43. *de Election. & c. In quibusdam. de Pœnis*; qui ſunt Canones Concilij Generalis, ut liquet ex ſuperſcriptione;

tione; & tamen juxta Gloſſam, & Doctores ſatis communiter, poteſt Epiſcopus in ipſis diſpenſare.

470 Secundus caſus, in quo Epiſcopus poteſt diſpenſare in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Decretis Concilij Generalis, eſt cauſa magnæ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergens, ſicque periculum in mora, nec facilè ad Summum Pontificem recurri poſſit. Ita Abbas *c. At ſi Clerici. §. De adulterijs. n. 9.* & ibi Felinus *n. 3. de Judicijs.* Rebuffus *cit. §. De diſpenſat. ad plura Beneficia. n.* 30. Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp.* 40. *n.* 3. citans alios. Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. univ. cap. 11. n.* 194. Pirhing *tit. de Offic. Jud. ord. n.* 87. Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 6. punct. 5. n.* 7. Diana *part. 8. tract.* 3. *Reſol.* 12. & alij paſſim. Ratio eſt: quia in tali caſu ex rationabiliter præſumpta voluntate Summi Pontificis, cenſetur Epiſcopus habere commiſſam ſibi poteſtatem diſpenſandi: hoc etenim videtur exigere Paſtorale officium Epiſcoporum, ne alioquin Oves ipſis concreditæ in caſu urgentis neceſſitatis deſtituerentur neceſſarijs auxilijs. Accedit textus optimus *in can. Tali.* 1. *q.* 7. *& c. Expoſuiſti.* 33. *de Præbend.* ubi in caſu, quo urget evidens neceſſitas, vel utilitas exigit, expreſsè tribuitur Epiſcopo facultas diſpenſandi contra Decreta quorundam Canonum: idem ergo dicendum de alijs ſimilibus.

471 Tertius caſus accidit vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ. Quia enim conſuetudo legitimè præſcripta tribuit juriſdictionem, *c. Duo ſimul. de Offic. Ordin. & c. Cùm contingat.* 13. junctâ Gloſsâ *fin.* & DD. *ibid. de Foro compet.* Hinc iſtâ ſemel obtentâ redditur diſpenſatio valida, quæ alioquin invalida foret. Suarez *lib. 6. de Legib. cap.* 14. *n.* 10. Barboſa, & Pirhing, *ubi ſuprà*, & alij. Atque hi tres ſunt principales illi caſus, in quibus Epiſcopi juſtis de cauſis poſſunt diſpenſare quoad Sacros Canones: dantur tamen adhuc alij minùs principales, & commodè reducibiles ad hoſce tres caſus, in quibus itidem diſpenſare poſſunt; unde

472 Quartò poſſunt diſpenſare Epiſcopi in caſibus frequenter occurrentibus, v. g. in jejunijs ab Eccleſia indictis, in votis Papæ ſpecialiter non reſervatis, ac huiusmodi. Ita Navarrus *cap.* 21. *Manualis, n.* 21. citans D. Thomam *in 4. diſt.* 11. *q.* 3. *art.* 2. Suarez *loc. cit. n.* 9. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *Reſ.* 12. Caſtro Palao *dict. punct. 5. n.* 5. & alij. Ratio eſt: quia licèt iſtud Jure expreſſo probari nequeat, ſatis tamen ex tacita, & rationabiliter præſumpta Papæ licentia ſuadetur; cùm veriſimile non ſit, Pontificem velle, ut in neceſſitatibus quotidianis, ſeu caſibus adeò frequenter occurrentibus, ſemper ad ipſum, utpote gravioribus negotijs, diſtentum, fiat recurſus. Accedit, quòd in talibus ſæpè non poſſit tam citò Sedes Apoſtolica conſuli, prout poſtulat præſens rerum qualitas: ſimúlque alioquin gubernatio inferiorum Prælatorum nimìs redderetur odioſa, ſi poteſtate ſuâ ordinariâ nō poſſent conſulere neceſſitatibus quotidie proxmodùm occurrentibus. Idipſum convincit recepta hactenùs conſuetudo, quæ, ſi præmiſſa non ſufficerent, dare poteſt Epiſcopis jurisdictionem diſpenſandi circa frequenter occurrentes caſus.

Quintò diſpenſant Epiſcopi, ſi materia legis ſit levis: tunc enim Sum̃us Pontifex præſumitur eiſdem concedere poteſtatem diſpenſandi; ſicut in ſimili ob levem percuſſionem Clerici abſolvit Epiſcopus ab excom̃unicatione cæteroquin Sum̃o Pontifici reſervatâ, *ut in cap. Pervenit.* 17. *de Sent. excom.* Foret quippe nimìs oneroſum, in minimis recurrere ad Papam, ſive Legislatorem; éſtque notum, quòd in moralibus parum pro nihilo reputetur, *l. Scio. ff. de reſtit. in integr.* cum concordantijs ibi à Gloſſa. *℣. Summam*, relatis. Suarez *lib. 6. de Legib. c.* 14. *n.* 9. Sà. *℣. Diſpenſatio. n.* 9. Cajetanus, Bonacina, & alij. 47

Sextò poteſt Epiſcopus diſpenſare, quoties dubium eſt, an caſus indigeat diſpenſatione, *arg. c. Cùm deſideres. §. Secundo. de Sent. excomm.* Nam ſtante dubio, an res indigeat diſpenſatione, vel poteſt Epiſcopus penſatis penſandis declarare, eam non requiri, vel ad cautelā diſpenſare. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap.* 10. *n.* 74. *& cap.* 40. *n.* 26. Layman *lib. 1. tract. 4. cap.* 22. *n.* 4. Barboſa *part. 2. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 35. *n.* 18. Sà *cit. n.* 1. Diana *part.* 3. *tract. 6. Reſol.* 82. *& part. 8. tract.* 3. *Reſol.* 12. & alij. Accedit ratio: quia reſervatio diſpenſationis eſt odioſa, utpote coarctans poteſtatem ordinariam Epiſcopi; ergo eſt reſtringenda ad caſus certos. 47

Reſp. II. Poteſtas diſpenſandi in prædictis caſibus conceſſa Epiſcopis, eſt ordinaria, ac proin Sede vacante etiam competit Capitulo. Prior pars traditur à Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp 6. punct. 5. n.* 12. ac in re eſt com̃unis. Siquidem dicta poteſtas competit Epiſcopis ratione ſui muneris, ſeu officij Paſtoralis, éſtq; perpetua: atqui talia concludunt jurisdictionem ordinariā, *cap. ult.* junctâ Gloſsâ *fin. de Offic Judic. ordin. & l. More. & l. Et quia. ff. de Juriſdict. omn. Judic.* atq; docet Covarruvias *lib. 3. Var. Reſol. cap.* 20. *n.* 6. poſt Abbat. Card. & Felin. *in c. Licèt, de Offic. Jud. ordin.* & alios. 4

Altera pars patet ex eo: quia Capitulum Sede vacante poteſt ea omnia exercere, quæ pertinent Jure com̃uni ad ordinariam Epiſcopi jurisdictionē, exceptis duntaxat illis, quæ ſpeciatim jure ſunt prohibita, *c. Cùm olim.* junctâ Gloſsâ *℣. Capitulo de Majorit. & obed.* ac tenent com̃uniter Doctores, quos copiosè citat Barboſa *d. part. 2. allegat.* 36. *n.* 9. *&* 10. inde cum alijs inferens, quòd Capitulum Sede vacante poſſit diſpenſare in iis, in quibus Epiſcopus ratione Epiſcopalis jurisdictionis valet diſpenſare; quamvis in delegata jurisdictione non ſuccedat. Verùm de hoc alibi, nempe in Tit. *Ut Sede vacante &c.* 4

Reſp. III. Quinam ſint illi ſpecifici caſus, in quibus ex conceſſione Juris com̃unis poteſt Epiſcopus diſpenſare, longum foret diſſerere. Si placet, poterit videri Speculator *lib.* 1. §. *De Diſpenſat.* ubi ultra centum ſexaginta caſus in Jure ſcriptos enumerat, in quibus à Jure permittitur Epiſcopis diſpenſare. Item Barboſa *part. 2. de offic.* 4

offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 33. *& ſeqq. & lib.* 1. *Juris Eccleſ. univ. cap.* 11. *à n.* 134. *usque ad n.* 200. ubi per extenſum refert ſpecificos illos caſus, in quibus ex diſpoſitione Sacrorum Canonum, ſive circa irregularitates, ſive circa habilitatem ad Beneficia Eccleſiaſtica, ſive circa impedimenta matrimonij Epiſcopus diſpenſare poteſt. Sufficiat huc adducere noviſſimam, & ſatis amplam conceſſionem Concilij Tridentini. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* ſic ſtatuentis: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentioſum, diſpenſare.* Circa quod Decretum fuſiſſimè diſcurrit Barboſa *cit. part.* 2. *allegat.* 39. per totum.

478 Quæritur IV. Utrùm valida ſit diſpenſatio, ſi concedatur abſque juſta cauſa? Reſp. I. Diſpenſatio in lege Superioris invalida eſt, ſi fiat abſque juſta cauſa: ſecùs eſt, quando fit in lege propriâ, vel ſui anteceſſoris, aut inferioris; tunc enim diſpenſatio valida eſt, ſed non licita. Ita Abbas *c. At ſi Clerici.* §. *De adulterijs. n.* 10. *de Judicijs.* Barboſa *loc. cit. allegat.* 34. *n.* 1. *&* 2. citans alios, éſtque communis, ac dixi egometipſe *in Theologia Morali, tract.* 2. *diſt.* 4. *n.* 15. *& ſeqq.* Ratio primæ partis eſt: quia inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, niſi quatenus ipſi à Superiore conceſſa fuit facultas diſpenſandi; atqui hanc non cenſetur Superior concedere, niſi in caſu juſtæ cauſæ; alioquin enim illa facultas cederet in præjudicium boni communis, ſimúlque adverſaretur fini legis.

479 Altera pars probatur ex eo: quia obligatio legis pendet à voluntate Legislatoris; ergo ſi vult aliquem ab ejus obligatione eximere, ſive cum ipſo diſpenſare, etiam ſine cauſa valebit diſpenſatio. Nam *generi per ſpeciem derogatur*, juxta Regulam 34. Juris in 6. cum ſimilibus. Et cùm Legislator pro libitu poſſit legem omninò tollere, cur non etiam aliquem ab ejus obligatione eximere, licèt alia cauſa non ſubſit?

480 Quia verò talis diſpenſatio non ſolet carere periculo ſcandali; ſimúlque diſpenſans ſine omni cauſa, imprudenter utitur ſuâ poteſtate, ac non niſi temerè eximit partem ab ordine totius, contra illud Jure naturali notum: *Turpis eſt omnis pars ſuo univerſo non congruens.* c. Quæ contra. diſt. 8. juncto *c. Cùm omnes. de Conſtitut.* hinc ejusmodi diſpenſatio redditur illicita. Quamvis, ſi abſit ſcandalum, neque ſequatur notabile damnum aliorum, hæc culpa ſit ſolummodò venialis. Navarrus *Prælud.* 9. *Manual. n.* 14. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 18. *n.* 7. Barboſa *cit. allegat.* 34. *n.* 4. & alij.

481 Quæritur V. Utrum, ſi Papa, vel Epiſcopus ſcienter aſſumat inhabilem ad officium, vel dignitatem, cenſeatur hoc ipſo cum eo diſpenſare? Reſp. I. Papa ſcienter aſſumens aliquem ad id, ad quod novit ipſum Jure humano eſſe inhabilem, ipſo facto, & abſque alia diſpenſationis expreſſione, cenſetur diſpenſando eum reddere habilem: non item Epiſcopus, niſi vel cum cauſæ cognitione procedat, vel illa inhabilitas accidat ſolùm ex vi propriæ Conſtitutionis Diœceſanæ. Ita Gloſſa *in c. Statutum.* ℣. *Litterarum. de Reſcript. in* 6. Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 74. & ampliùs *in c. Si quando de Reſcript. Except.* 10. *n.* 3. Abbas Panormit. *in c. Prætereà. n.* 11. & ibi Innocentius, ac Hoſtienſ. *de Teſtibus cogend.* Sylveſter ℣. *Diſpenſatio. n. ult.* & alij. Concordat Bartolus *in l. Barbarius. n.* 12. & Jaſon *ibid. n.* 10. *ff. de Offic. Prætor.* ubi ex textu illius legis; *Sed ſi ſciviſſet, Servum eſſe, Liberum effeciſſet*, infert, quòd Princeps ſcienter inhabili dignitatem conferens, intelligatur cum eo diſpenſare, ipſúmque habilitare; *text. notab. l. Quidam conſulebant. ff. de Re judicat.* ubi valere dicitur ſententia Minoris, ſi ex certa ſcientia Imperator eum Judicem dederit, hac additâ ratione: *Princeps enim et, cui Magiſtratum dedit, omnia agere decrevit:* ſicque ipſo facto diſpenſavit, cúmque ad talia agenda habilitavit. Accedit ratio: quia Princeps delinqueret aſſumendo aliquem inhabilem ad officium, vel dignitatem; ergò, quando is novit impedimentum, in quo diſpenſare poteſt, & nihilominùs illum aſſumit, eo ipſo diſpenſare intelligitur: cùm delictum, præſertim in Principe, non præſumatur, *c. Nemo. de Reg. Juris in* 6. & parùm referat, an verbis voluntatem ſuam quis declaret, vel rebus ipſis, *l. De quibus. ff. de Legibus.* Quinimò plùs ſit factis demonſtrare, quàm verbis dicere, *c. Dilecti.* 52. junctâ Gloſsâ. ℣. *Facto provocare. de Appellat.* cum ſimilibus.

Additur notanter primò, *Papa ſcienter aſſumens &c.* 482
Nam ſi Pontifex ignoret defectum, certum eſt, quòd in ipſo diſpenſare non intendat, niſi id expreſſerit, puta addendo clauſulam illam, *Supplentes omnem defectum*, vel diſpenſando ad cautelam. Navarrus *cit. Except.* 10. *n.* 3. poſt Innocentium *in c. Sciſcitatus. de Reſcript.* & alios. Secùs, ſi Papa ſcienter aſſumat inhabilem ad officium &c. Neque tunc obſtat Regula 51. Cancellariæ, quæ inſcribitur, *Super Diſpenſationibus*, & in qua Pontifex vult, *quòd per quamcunque Signaturam in quavis gratia, nullatenus diſpenſatio veniat, niſi ſpecialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi diſpenſationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur*, prout ſonant verba ejusdem. Non obſtat, inquam, dicta Regula: quia in caſu, ubi Papa ſcienter aſſumit inhabilem ad Officium, vel Dignitatem, talis gratia veluti inhabili data nihil conferret, aut operaretur, niſi ſimul Pontifex ad tollendam inhabilitatem tacitè diſpenſaret; ac proinde ſubintrat poſtrema limitatio, eidem Regulæ jam inſerta. Alioquin verò gratis conceditur, quòd non cenſeatur diſpenſatum à Papa, niſi ſpecialiter exprimatur diſpenſatio, ut notat Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *n.* 29. Pariſius *de Reſignat. lib.* 4. *quæſt.* 3. *n.* 66. Lauretus de Franchis *in Controverſijs inter Epiſc. & Regul. n.* 261.

Additur ſecundò, *Non item Epiſcopus, niſi &c.* 483
Quamvis enim etiam Epiſcopus in caſibus ſibi conceſſis, ac ſubſiſtente rationabili causâ diſpenſandi, cenſeatur ipſo facto diſpenſare cum in-

inhabili, v. g. ad Ordines ſuſcipiendos, quando ipſum ſcienter ordinat, ne alioquin delinquere convincatur promovendo inhabilem; ut docet Abbas *cit. cap. Præterea. n.* 11. *de Teſtibus cogend.* & Sylveſter, *V. Irregularis. q.* 78. & Barboſa *part.* 2. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 18. *n.* 17. cum alijs. Nihilominus eſt differentia inter Papam & Epiſcopum: quia Papæ diſpenſatio eſt valida, etiamſi fiat absque cauſa, ac proinde Papa præbens aliquid ei, ad quod ipſum novit jure humano eſſe inhabilem, ſemper cum ipſo diſpenſare intelligitur. Secùs eſt in Epiſcopo, utpote cujus diſpenſatio circa legem Superioris facta ſine cauſa rationabili non ſubſiſtit: ac proinde, ne temerè diſpenſando delinquat, ipſámque diſpenſationem periculo nullitatis exponat, non præſumitur Epiſcopus velle diſpenſare, niſi procedat cum cauſæ cognitione, præcognoveritque hujus juſtitiam, & rationabilitatem: vel niſi circa propriam duntaxat legem ſuam caſus emergat; quia hîc valet diſpenſatio ejus, etiam ſine cauſa, ac proinde ſcienter promovendo inhabilem, ipſo facto diſpensâſſe præſumitur, ne delinquere convincatur ſcienter promovendo inhabilem.

§. XIX.

De Revocatione Legum, ſeu Conſtitutionum.

SUMMARIUM.

484. Abrogatio legis, Derogatio legis, &
485. Irritatio legis, quid, & quomodo differant?
486. *Leges ſemel latæ poſſunt denuò revocari. Et n. ſeqq.*
487. *Etiamſi habeant clauſulam:* Hac in perpetuum valitura Conſtitutione.
488. *Non tamen leges ſunt revocandæ absque juſta cauſa.*
Omnes mutationes ſunt periculoſæ. Ibid.
Novitates plerumque pariunt diſcordias. Ibid.
489. *Juſtæ cauſæ revocandi, & mutandi leges, quæ?*
490. *Hæ exemplificantur.*
491. *Nova Lex, ſive Conſtitutio Principis, tollit priorem ſibi directè contrariam, etiam non factâ hujus mentione.*
492. *Aliàs, ſi non ſit directè contraria, oportet jura juribus concordare.*
493. *Et hoc extenditur ad Statuta, publica Inſtrumenta, Teſtamenta, aliáſque Diſpoſitiones, pariter pro poſſibili concordandas.*
494. *Etiam verba impropriando.*
495. *Imò & per ſenſum ſubauditum talia ad concordiam revocando.*
496. *Lex generalis poſterior non tollit legem ſpecialem priorem, ſed per hanc diſtinguitur.*
497. *Idq; probatur, & exemplificatur.*
498. *Lex nova generaliter lata non tollit conſuetudines, & Statuta particularia locorum.*
499. *Niſi id exprimat; & quomodo hoc fiat?*
500. *Revocatio, & correctio Jurium non eſt inducenda per tacitos, & ſubauditos intellectus.*
501. *Idq; ampliùs probatur.*
502. *Unde correctio Jurium non eſt inducenda à ſenſu contrario.*
503. *Etiam ex ratione ſimilitudinis non eſt facienda extenſio in correctorijs Jurium.*
504. De ſimilibus idem eſt judicium. *Declaratur.*
505. *Etiam à majoritate rationis non permittitur extenſio à caſu ad caſum in correctorijs.*
506. *Idem non pauci docent de identitate rationis.*
507. *Hoc procedit, quando ratio in lege non eſt expreſſa: ſecùs, ſi eſt expreſſa.*
508. *Licèt in correctorijs Jurium regulariter non fiat extenſio ultra expreſſa: fallit tamen hoc in certis caſibus.*
509. *I. Correctio Juris cenſetur favorabilis, ac extendenda, quando per eam reditur ad Jus commune antiquum.*
510. *II. Quando intervenit identitas rationis in lege expreſſa; quia tunc rectè fit extenſio etiam in correctorijs. Et n.* 507.
511. *III. In æquiparatis etiam procedit extenſio.*
512. *IV. Correctio Juris facta ſuper principali, cenſetur facta ſuper acceſſorio.*
513. *V. fallit Regula in correlativis.*
514. *Correlativorum idem eſt judicium, eadémque diſciplina.*
515. *Dummodò in ipſis militet eadem ratio.*
Datur quandoque ratio diverſitatis inter correlativa. Ibid.
516. *VI. Fit extenſio in correctorijs, quando alioquin ſequeretur abſurdum.*
517. *VII. Et ubi agitur de ſalute animæ, atque evitando peccato.*
518. *VIII. Item, ſi alioquin diſpoſitio redderetur deluſoria.*

484 QUæritur I. Quid ſit Abrogatio, Derogatio, & Irritatio legis, & quomodò differant? Reſp. Differre in hoc: quia *Abrogatio legis* ſignificat totalem caſſationem, ſeu ſublationem legis; ſive dein totaliter caſſetur, ſeu tollatur per ipſummet Legiſlatorem, aut ejus Succeſſorem; ſive per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam, de qua alibi. *Derogatio legis* econtra eſt, cùm lex ex parte ſolùm tollitur, quatenus Legiſlator unum

num vel alterum legis articulum mutat, aut à generali conſtitutione certos caſus ſpeciales excipit. Patet hoc *ex l. Derogatur. ff. de Verb. ſignif.* ibi: *Derogatur legi, cùm pars detrahitur: abrogatur legi, cùm prorsùs tollitur.*

85 Tandem *Irritatio legis* fit, quando lex ab inferiori Magiſtratu inſtituta, authoritate Superioris reſcinditur, ſeu irrita & nullius valoris efficitur: ut ſi leges ab Epiſcopo latæ, authoritate Summi Pontificis annullentur, ſeu reſcindantur, ita ut irritæ & inanes, ac nullius firmitatis eſſe incipiant. Et eodem modo per ipſasmet leges non raró diverſi actus, vel Contractus, ſi fiant contra Iuris diſpoſitionem, vel non ſervatâ formâ in eo præſcriptâ, irritari ſolent: ut *c. Quia propter. de Election.* ibi: Aliter electio facta non valeat &c. *& c. Decet domum. §. fin. de Immunit. Eccleſ. in 6. & l. Non dubium. C. de Legib. & L. 1. ff. de Ferijs,* & alibi ſæpè.

86 Quæritur II. An leges ſemel juſtè latæ, poſſint denuò revocari? Reſp. Leges ſemel latæ juſtis de cauſis denuò revocari, & abrogari, atque immutari poſſunt, tum per ipſum Legiſlatorem, tum per ejus Succeſſorem. Ita communis Doctorum; & præter Jura mox alleganda, conſtat ex praxi. Sic enim multæ Leges antiquiores non ſolùm in Jure Civili, ſed etiam Canonico reperiuntur, quæ ſucceſſu temporis pro rerum, ac circumſtantiarum exigentia, per alias poſteriores revocatæ fuerunt: ut patet *ex c. Non debet. de Conſang. & affinit. & cap. 2. & 3. de Cenſibus in 6. & Clem. un. de Immunit. Eccleſ.* & alibi ſæpè. Tacentur non paucæ Conſtitutiones tum Pontificiæ, tum Imperiales, quæ novis emergentibus circumſtantijs rationabiliter per Succeſſores ſunt revocatæ, & caſſatæ, vel ſaltem quoad certos articulos immutatæ.

87 Et quidem præſens Concluſio locum habet, etiamſi præcedens Conſtitutio habeat inſertam clauſulam illam: *Hac immutabili, & in perpetuum valiturâ conſtitutione.* Licèt enim hujusmodi emphatica locutio de ſua vera, & propria ſignificatione denotet perſeverantiam illius Conſtitutionis ſine aliqua temporis præfinitione, *l. Purè §. fin. ff. de Doli mali except. & L. 3. ff de Exceptionib.* velitque, quòd nulli Subditorum (ad hos enim loquitur Lex) liceat imposterùm immutare, aut ſecùs agere: nihilominùs poteſt Succeſſor ipſam tollere, ſeu abrogare, aut eidem quoad certos articulos derogare. Quia, ut *c. Innotuit. de Elect.* generaliter notatur, *Prædeceſſor Succeſſoribus ſuis nullum potuit hac in parte præjudicium generare, pari poſt eum, imò eâdem authoritate functuris; cùm non habeat imperium par in parem.*

88 Additur notanter num. *486. juſtis de cauſis.* Quia lex debet eſſe neceſſaria, ſeu non tradi, niſi ex inſtanti neceſſitate, *can. Erit autem lex. diſt.* 4. juncto *can. Regulæ. diſt.* 29. Atque, ut L. 4. ff. de Legib. notatur, *ex ijs, quæ fortè uno vel altero caſu accidere poſſunt, Jura non conſtituuntur.* Præſertim verò, quòd leges non niſi gravi de causâ ſint abrogandæ, aut immutandæ, rectè monet Imperator *L. 3. ff. de Conſtitut. Princip.* ibi: *In rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt.* Siquidem, *omnes mutationes ſunt periculoſæ,* ut habet Aphoriſmus Hippocratis, quem refert Navarrus *in tract. De Redditib. Eccleſiaſt. monit. 12. num. 1.* quia, ut atteſtatur etiam Pontifex in Extravag. *Inter cunctas. §.* Sanè. de Privileg. *plerumque pariunt novitates diſcordiam, præſertim, dum ab eo, quod diu æquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur, nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia cauſa ſubeſt.*

489 Porrò cauſæ juſtæ mutandi Leges, eas vel in totum abrogando, vel ipſis ex parte derogando, præcipuè ſunt: ſi *Magiſtra rerum efficax experientia* (ut appellatur c. Quam ſit. de Election. in 6.) *manifeſtat,* legem aliquam, quæ à principio ſperabatur futura utilis, Bono publico non expedire: aut, ſi lex à principio fuerat utilis, poſtmodùm mutatis rerum circumſtantijs deſinat eſſe utilis, & conveniens Communitati. Leges enim juxta diverſitates locorum, & temporum, & cauſarum, oportet eſſe varias, & conditioni hominum, atque Provinciarum, quibus traduntur, accommodatas, *can. Regulæ. & can. Neceſſe eſt. diſt. 29.* Et hinc pro talium circumſtantiarum variatione diverſæ nonnunquam eduntur Leges, ſeu Conſtitutiones, prioresque pro loco, tempore, & perſonarum conditione temperantur, ſupplentur, aut etiam corriguntur per poſteriores.

490 Sic fit *in c. Non debet. de Conſang. & affinit* allegatâ illa ratione: *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum Statuta quandoque mutentur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo.* Item in c. Alma mater. de Sent. excomm. in 6. *Alma mater Eccleſia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & conſultè, quæ ſuadente Subjectorum utilitate, poſtmodum conſultiùs & rationabiliùs revocat, in meliúsque commutat.* ubi Gloſſa marginalis poſt Baldum *in L. 1. C. de Caducis tollend.* inquit; quòd *ſicut Medicus ſecundùm tempora alterat medicinas, ita Legiſlator leges.* Hinc illud vulgatum inter Juris-Conſultos: *Concorda tempora, & concordabis jura*: prout notatur *can. Si peccaverit. 2. q. 1.* junctâ Gloſsâ *in can. Si Eccleſia. 23. q. 4. ℣. Temporibus.*

491 Quæritur III. Quandonam lex prior cenſeatur eſſe ſublata per poſteriorem? Reſp. I. Nova lex, ſeu conſtitutio Principis tollit priorem ſibi directè contrariam, etiamſi de ipſa non faciat mentionem. Ita communis Doctorum; eſtque clarè deciſum *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ibi: *Licèt Romanus Pontifex (qui Jura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) Conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamvìs de ipſa mentionem non faciat, revocare noſcatur &c.* Accedunt alia Jura, & rationes, de quibus jam dictum fuit *in Proœmio. §. 12. n. 21. & ſeqq.* ubi etiam declaratur, quâ ratione Summus Pontifex omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui cenſeatur habere.

492 Additur notanter, *ſibi directè contrariam.* Alioquin

quin enim, ſi non interveniat talis contrarietas, ac proinde apta textuum conciliatio reperiri poſſit, oportet jura juribus concordare, *c. Cùm expediat.* 29. *de Electìon. in 6.* eorundemque correctionem veluti odioſam evitare, prout ampliùs dictum eſt *in Proœmio.* §. *12. num.* 201. & 202. Unde, quotieſcunque lex poſterior videtur contrariari priori, nunquam debet ſumi ſenſus correctionis, ſi poſſunt alio modo conciliari: idque procedit, etiamſi lex poſterior contraria habeat clauſulam derogatoriam, *Non obſtante*: adhuc enim non ſumitur correctio, ſi poſſit fieri conciliatio. Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 1036. *num.* 4. & *ſeqq.* ubi hoc etiam docet, quando adeſſet Dictio taxativa. Barboſa *Axiomat.* 60. *n.* 5. citans alios quamplures.

493 Et hæc doctrina etiam extendenda eſt, & applicanda ad Statuta, publica Inſtrumenta, Teſtamenta, aliáſque diſpoſitiones: nam in his quoque correctio, veluti odioſa, pro poſſibili eſt evitanda; ac proinde oportet illa, quæ nonnihil contraria apparent, benignâ interpretatione inter ſe conciliare, ſtudioſéque ad concordiam revocare, prout meliùs fieri poterit. Elegans hujus exemplum habetur *in c. Exijt.* §. *Imprimis.* ℣. *Nos obſcuritatem. de Verb. ſignif.* ubi Pontifex hâc ratione declarat, atque ad concordiam reducit verba aliqua contenta in Regula Fratrum Minorum. Accedit ratio: tum quia nemo præſumitur ſeſe in continenti corrigere circa eandem diſpoſitionem, *arg. l. Non ad ea. ff. de Condition. & demonſtrat.* junctâ Gloſsâ ℣. *Præſens. & l. Cùm hic ſtatus.* §. 1. *ff. de Donationib. inter virum & mulier.* ac docet cum alijs Barboſa *Axiomat.* 60. *n.* 7. & Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 1046. Tum quia potiùs eſt interpretanda res, ut valeat, quàm ut pereat, *arg. c. Abbate.* 25. junctâ Gloſsâ ℣. *Valere potiùs, de Verb. ſignif.* Atque ut, loquendo in ſpecie de ultimis voluntatibus, *l. Sancimus,* 27. *C. de Teſtament.* habetur: *Quod non mutatur, quare ſtare prohibetur?* Quaſi diceret, nullo modo. Tum tandem, quia etiam dicta teſtium, ſi fieri poteſt, inter ſe concordanda ſunt, ne perjurij reatu notentur, *c. Cùm tu.* 16. *de Teſtibus.* Neque enim diverſitas obſtat verborum, ſi idem in ſubſtantia dicatur; *c. Nihil obſtat. de Verb. ſignif.*

494 His adde, quòd correctio Jurium, Statutorum, atque aliarum diſpoſitionum in tantum ſit vitanda, ut in dubio, ac niſi ſecùs ſufficienter exprimatur, ad inveniendam competentem quandam conciliationem recedendum ſit à propria ſignificatione verborum, & hæc ſint impropriãnda. Quamvìs enim verborum proprietas cæteroquin in dubio ſit attendenda, ut dictum *ſuprà* §. 16. *num.* 390. id tamen procedit ſolùm, quando per aliam legem non habetur interpretatio ipſorum. Gloſſa *ad L.* 1. ℣. *Edicti. in additione. ff de Exercitat. actione.* poſt Baldum *ibid.* & Abbas *in c. Ad audientiam. n.* 2. *de Decimis,* poſt Joan. de Lignano, docens, recurrendum eſſe ad verba, quando ſunt clara: ſi autem ſint dubia, tunc faciendam eſſe interpretationem per alias leges, ſi fieri poſſit; quia jura debent juribus conciliari. Inſuper, quòd licitum ſit recedere à proprietate verborum, ut evitetur jurium contrarietas, atque correctio, tradit Jaſon in *l. Per omnia. n.* 48. & 49. *ff. de Legatis.* 1. poſt Gloſſam. *l. Non dubium.* ℣. *Amplexus.* & Bartolum *ibi.* C. *de Legibus,* & rursùs Abbas *in c. Cùm olim. num. ult.* & ibi Gloſſa *fin. de Sentent. & re judic.* ubi verbum illud, *Plenâ omnium veſtrûm interveniente concordiâ,* dicit debere impropriari, ſive impropriè accipi, atque reduci ad terminos Juris antiqui, ut verificetur in majori, & ſaniori parte Capituli: ex quo aliter non apparet, Principem jus anterius voluiſſe immutare. Idipſum tradunt Felinus *in c. Non poteſt.* §. *Limita dupliciter. de Sent. & re judic,* Imola *c. Cùm dilectus. n.* 12. *de Conſuetud.* Alexander *Conſil.* 85. *n.* 12. *lib.* 4. & alij.

Inſuper correctio Jurium, Statutorum, atque aliarum diſpoſitionum adeò eſt evitanda, ut ſi fieri poteſt, etiam per ſubauditionem, ſive ſenſum ſubauditum, debeant reduci ad concordiam. Abbas *in c. Gratum n.* 2. *de Offic. Delegat.* dicens, quòd ſi in eodem Volumine Statutorum reperiuntur duo Statuta contraria, debeat evitari correctio, quantum poteſt, & reduci ad concordiam per ſubauditionem; atque pro hoc ſuo dicto citat *l. Sciendum. ff. Qui ſatisdare cogantur.* junctâ Authent. *Offerantur. C. de Litis conteſtat.* & Bartolus *in Extravag. ad reprimendum.* ℣. *Non obſtantibus.* Alexander *Conſil.* 123. *n.* 14. *lib.* 4. Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 1036. *n.* 3. Barboſa *Axiomat.* 60. *num.* 1. & alij. Neque enim in dubio, ac niſi ſecùs exprimatur, præſumendum eſt, quòd Legislator ea, quæ priùs magnâ cum maturitate ſtatuta fuerunt, unico obſcuriori verbo ſubvertere voluerit, *c. Eccleſia veſtra.* 57. *de Elect.* Aut ipſimet Statuentes illicò ſeſe corrigere intenderint. Alexander *Conſil.* 59. *n.* 13. *lib.* 3. dicens, quòd non ſit veriſimile, Teſtatorem, v. g. in eodem teſtamento voluiſſe ſe incontinenti corrigere; unde una pars teſtamenti intelligitur ſecundùm determinationem alterius, *l. Avia quæ. ff. de Condition. & demonſt. & l. Si ſervus plurium.* §. *fin. ff. de Legatis* I. 49

Reſp. II. Lex Generalis poſterior non tollit legem ſpecialiter loquentem priorem, ſed per hanc diſtinguitur, & limitatur. Ita Hoſtienſis *in Summa, in Rubrica. de Conſanguinitate.* §. *Nono quæritur.* Jaſon *l. Sciendum. n.* 2. *ff. Qui ſatisdare cogantur.* Card. Tuſchus *Litt. L. Concl.* 259. *num.* 1. Fagnanus *in c. Cùm eſſes. n.* 88. *de Teſtament.* citans alios, ac præſertim, Caſtrillo *Conſil.* 10. *n.* 5. aſſerentem, ita tenere omnes Doctores. Et quod in Concluſione dicitur de lege generali, ſeu indiſtinctè loquente poſteriori, idem, & quidem à fortiori locum habet, quando lex generalis præcedit, & lex ſpecialiter loquens primùm ſubſequitur: nam tunc clarum eſt, quòd per hanc poſteriorem fiat limitatio aliqua legis generalis anterioris, dum per ipſam fit expreſſa exceptio caſûs alicujus ſpecialis à lege illa priori generali. Hoc prænotato 49

Pro-

497 Probatur Concluſio. Quia, ut proximè dictum eſt, oportet jura juribus concordare, & quantùm fieri poteſt, eorum correctionem evitare. Unde & in hunc finem leges priores trahuntur ad poſteriores, per eaſque determinantur, & viciſſim poſteriores leges pertinent ad priores, niſi ſint contrariæ. *l. Non eſt novum. cum ſeqq. ff. de Legib.* Inſuper in toto Jure verum eſt, quòd *generi per ſpeciem derogatur*, ut habet *Reg. 34. Juris in 6* cum concordantijs: ac proin etiam legi generali derogatur per ſpecialem, dum hæc illam diſtinguit, ac limitat; ſive deinde lex ſpecialis ſequatur, ſive præcedat; ut poſt Bartolum, Jaſonem, Decium, & alios, tradit Tuſchus *loc. cit. n.* 11. Concordant dicta ſuperiùs *§.* 17. *n.* 419. & 420. Sic v. g. leges generales de teſtamentis editæ, non comprehendunt teſtamenta ad pias cauſas, aut teſtamenta militum, vel alia privilegiata, quia de his habentur ſpeciales leges: neque viciſſim hujusmodi ſpeciales leges circa teſtamenta privilegiata emanatæ, tollunt alias leges circa teſtamenta generaliter latas, ſed has duntaxat diſtinguunt, ac limitant. Et idem accidit in plurimis alijs.

498 Reſp. III. Nihilominùs nova Lex, ſive Conſtitutio Principis generaliter lata non tollit, nec revocat rationabiles conſuetudines, & particularia Statuta locorum, niſi id exprimat. Ita communis; & habetur deciſum *cit. cap.* 1. *de Conſtitut. in 6.* ubi poſt verba *n.* 491. allegata protinùs ſubjungitur: *Quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & Statuta (cùm ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt* Romanus Pontifex *probabiliter ignorare; ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per Conſtitutionem à ſe noviter editam (niſi expreſſè caveatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Quibus verbis datur ſimul ratio diſparitatis inter leges pro tota communitate generaliter latas, ſicque Legiſlatori cognitas, & inter particulares locorum conſuetudines, Legeſque municipales, utpote Principi ſæpè ſæpiùs ignotas; de quibus proinde non videtur velle quidpiam ſtatuere, nec eaſdem revocare, niſi id exprimat.

499 Quòd ſi verò Legiſlator, ut puta Romanus Pontifex exprimat, velle ſe derogare etiam particularibus locorum conſuetudinibus, aut Statutis, reverà etiam iſtis derogatur: tunc enim ex parte ejus neque poteſtas, neque voluntas revocandi deeſt. Non quidem poteſtas; ut conſtat ex ſuprema ejusdem jurisdictione in ſubditos. Neque voluntas; ut liquet ex allegatis illis verbis: *Niſi expreſſè caveatur in ipſa.* Iſtud autem fit per clauſulas generales in lege appoſitas, *Nullâ obſtante conſuetudine contrariâ*: ſive, *Non obſtantibus quibuscunque conſtitutionibus particularium locorum*: aut ſimul omnia comprehendendo, *Non obſtante quocunque ſtatuto, vel conſuetudine etiam immemoriali.* Nam per hujusmodi generales clauſulas cenſentur omnia ſublata, acſi in ſpecie eſſent expreſſa. Layman *cap.* 1. *n.* 12. *h. t. in 6.* Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 18. *n.* 2. & alij.

Quæritur IV. Utrùm revocatio, ſive correctio Jurium rectè inducatur per tacitos intellectus, aut ſubauditum ſermonem? Reſp. Regula eſt, quòd in correctorijs Jurium non fiat extenſio: ac proinde revocatio, ſive correctio Jurium regulariter non ſit inducenda, ſeu aſſerenda per tacitos & ſubauditos intellectus. Ita Gloſſa ſingularis *in c. Cupientes.* §. *Quod ſi per viginti.* ℣. *Petere. de Electiou. in 6.* ubi inquit: *Per ſubauditiones, & repetitiones tacitas Jura revocanda non ſunt, ſed potiùs concordanda. L. un. C. de Inofficios. dotib. & c. Cùm expediat. de Election. in 6.* Hæc Gloſſa. Idémque tradit Fagnanus *in c. Cùm dilectus. n.* 5. *de Succeſſionib. ab inteſtat. & c. Accedentibus. n.* 31. *de Exceſſib. Prælat.* poſt Bartolum *l. Cùm oporteat. C. De bonis, quæ liberis &c.* Geminianum *Conſil.* 88. ac Innocentium: & Jaſon *in Auth. Quas actiones n.* 21. *C. de Sacroſa. Eccleſ.* Layman *c. Si alicujus.* 59. *n.* 7. *de Election.* Everardus *in Loco, A contrario ſenſu.* Vitalis de Cambanis *tom.* 1. *Tractatuum, tract. De Clauſulis. §. Clauſulæ, quæ in præfationibus*, & alij. 500

Concluſio hæc probatur imprimis ex Juribus hactenus jam allegatis: quia videlicet Jura, quantùm fieri poteſt, ſunt concordanda, eorundémque correctio evitanda, veluti odioſa; unde hæc per tacitos duntaxat intellectus non facilè aſſerenda. Hoc ipſum ſpecialiùs probatur *ex l. Præcipimus. §. fin. C. de Appellat.* ubi ad revocationem, ſeu correctionem Jurium antiquorum requiritur, ut contrarium in poſteriori lege ſpecialiter expreſſum fuerit, ibi: *Quidquid autem hac noſtrâ lege ſpecialiter non videtur expreſſum, id veterum Legum, Conſtitutionúmque Regulis omnes relictum intelligant.* Concordat *c. Conſtitutio.* 41. *de Election. in 6.* junctâ Gloſsâ *in caſu* aſſerente, quòd *nos non debeamus antiqua Jura dicere correcta, niſi expreſsè in novis Juribus correcta inveniantur.* Et conſequenter per tacitos duntaxat intellectus Jurium correctio non eſt inducenda: ſiquidem non facilè credendum eſt, quòd Romanus Pontifex (qui Jura tuetur) conſtitutionem priùs magnis vigilijs, multáque ſollicitudine excogitatam, bonóque communi utilem repertam, uno verbo obſcuriori, & abſque clara expreſſione ſubvertere, atque revocare voluerit; prout notatur *in c. Eccleſia veſtra.* 57. *de Election. & Auth. Ut judices ſine quoquo ſuffragio &c.* §. 1. *Collat.* 2. Si enim eam revocare voluiſſet, hoc ipſum expreſſiſſet, *c. Inter corporalia.* §. *Sed neque. de Translat. Epiſc.* Unde 501

Deducitur primò, quòd correctio Jurium à contrario ſenſu induci non debeat: quia videlicet argumentum à ſenſu contrario non fit, niſi per tacitum, & conjecturalem intellectum; atqui tale argumentum non valet, ſi inde ſequatur jurium correctio. Unde Baldus *l. Cùm paterfamilias. C. de Conditionibus inſertis &c.* in Summario, inquit: *Argumentum à contrario ſenſu non ſumitur, ubi reſultat pravus intellectus contra legem.* Huc facit textus *in l. Nemo. C. Qui teſtamenta facere poſſ.* unà cum dictis ſuprà §. 16. *n.* 408. 502

Deducitur ſecundò, quòd ex ratione ſimilitudi- 503

tudinis non ſit facienda extenſio in correctorijs Jurium. Et hinc, ſi Statutum aliquod v. g. cæteroquin legitimè factum, corrigat Jus commune in uno, non cenſetur illud corrigere in altero ob rationem ſimilitudinis. Gloſſa *in Clem.* 1. *℣. Eligatur. de Electìon.* Jaſon *in Auth. Quas actiones. n.* 22. *de Sacroſa. Eccleſ.* poſt Gloſſam *ibid. ℣. Excluduntur.* Albert. Brunus Aſtenſis *tom.* 2. *Tractatuum, tract. De Statutis. n.* 116. *& ſeqq.* ac alij. Ratio eſt: tum quia alioquin induceretur Jurium correctio per tacitos, & conjecturales intellectus, contra Jura hactenùs allegata. Tum quia, *quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam,* ut dicitur *l. Quod contra. ff. de Reg. Juris.* Concordat textus *in l. Si verò. §. De viro. ff. Soluto matrimonio,* ubi Bartolus in Summario concludit: *Proviſio Legis contra Jus commune non extenditur extra id, quod lex exprimit, licèt eadem ſit ratio.*

504 Nec obſtat, quòd de ſimilibus idem ſit judicium habendum, *c. Inter corporalia. de Translat. Epiſc.* Et ubi eadem eſt ratio, eadem debeat eſſe Juris diſpoſitio, *l. Ideò. & l. Non poſſunt. ff. de Legibus,* junctâ *l. Illud. ff. Ad legem Aquiliam,* cum concordantijs. Reſp. enim, quòd hæ Regulæ procedant ſolùm in caſibus illis, de quibus antecedenter nihil fuerat ſpecialiter conſtitutum, ac proinde ex tali extenſione ob rationem ſimilitudinis factâ nulla ſequitur juris prioris correctio: nam, cùm omnes caſus, atque articuli, diſtinctis legibus comprehendi non poſſint, ob eorum multitudinem, atque diverſitatem, meritò ſtatutum de uno extenditur ad alios ſimiles caſus; prout notatur *cit. l. Non poſſunt.* Fallunt tamen ejusmodi Regulæ circa illos caſus, de quibus jam anteà fuit facta quædam ſpecialis diſpoſitio, ſicque ex tali extenſione in oppoſitum factâ ſequeretur prioris diſpoſitionis, ſeu juris correctio: nam hæc, utpote odioſa, debet evitari, neque admitti, niſi exprimatur; idque per Jura, & rationes hactenus allatas: ac proinde in correctorijs reſtringere, non autem laxare debemus habenas, prout loquitur Laurentius de Rudolphis *in Repetit. in can. Monachi.* 16. *q.* 1. *n.* 16.

505 Et hoc adeò verum eſt, ut quando agitur de correctione Juris communis, etiam à majoritate rationis non permittatur extenſio de caſu ad caſum. Jaſon *in cit. Auth. Quas rationes. num.* 17. *&* 21. *C. De Sacroſa. Eccleſ.* ex juribus hactenùs allegatis inferens hanc (ut ait) *communem & veram concluſionem & regulam, quòd in correctorijs non eſt licita extenſio, etiam ex majoritate rationis:* quam repetit, atque ampliùs declarat *in l. Præterea. num.* 28. *C. Unde vir & uxor &c.* Antonius Neguſanus *tom.* 6. *Tractatuum, tract. De Pignoribus & hypothecis. n.* 102.

506 Addunt non pauci Doctores, quòd etiam ex identitate rationis non fiat extenſio in correctorijs; prout tenet Franciſcus Coſcius *in Repetit. in c. Translato. n.* 44. *de Conſtitut.* Aſtenſis *in Repetit. in c. Quamvis. n.* 163. *de Pactis.* Vitalis Namauſenſis *tom.* 8. *Tractatuum. part.* 1. *tract. De Collationibus. n.* 7. *&* 8. Et favet Anchoranus *in c. Canonum ſtatuta. n.* 75. *de Conſtit.* loquendo de caſu, ubi in lege ratio non eſt expreſſa: ſub qua limitatione procedit quoque Dictum Bartoli *in Summario l. Si verò. §. De viro. ff. Soluto matrimonio,* ubi ait, quòd proviſio legis contra Jus commune non extenditur ultra id, quod exprimitur, licèt eadem ſit ratio. 507

Sed ſciendum, quòd hæc doctrina ſolummodò procedat in caſu, ubi per legem ratio non exprimitur; in quo ſenſu allata ſententia eſt communis. Secùs eſt, quando ratio in lege habetur expreſſa: ſiquidem, quòd propter identitatem rationis, quæ in lege corrigente exprimitur, ritè fiat extenſio in correctorijs, probatur *ex Auth. Ut ij, qui obligatas &c. §.* 1. *Collat.* 6. ac tenet Gloſſa *ibid. ℣. Ad curationem,* & alia Gloſſa *in Clem.* 1. *℣. Eligatur. de Electìon.* Anchoranus *loc. cit. n.* 75. citans Bartolum, Paulum de Caſtro, & alios. Petrus And. Gammarus *tom.* 18. *Tractatuum, tract. de Extenſionibus. n.* 140. Jaſon *in d. Auth. Quas actiones. n.* 22. citans alios, & ſubjungens, hoc idem dicendum eſſe, quando unica tantùm ratio poteſt aſſignari pro lege corrigente: quia tunc ipſa habetur pro ſufficienter expreſſa, juxta Gloſſam ſingularem *l. Quamvis. ℣. Curavit. C. de Fideicommiſſis.* Nam taciti & expreſſi eadem eſt conditio, *l. Cùm quid.* & ibi DD. *ff. Si certum petatur.* Gammarus *loc. cit. n.* 145. In his igitur caſibus poſſe fieri extenſionem ex identitate rationis, probatur ex eo: quia ratio legis eſt anima, & ſubſtantia legis, *arg. l. Cùm pater. §. Dulciſſimis. ff. de Legatis II.* Simúlque tunc alterum, cui talis identitas competit, ſatis intelligitur mutari ex ratione novæ legis, utpote mentem ipſius Legislatoris declarante, licèt idipſum verbis non exprimat; prout in ſimili jam §. 17. *num.* 429. *& ſeqq.* dictum fuit. Neque hoc mirum videatur, cùm allata ſuperiùs doctrina regulariter quidem procedat, patiatur tamen nonnullas alias limitationes illicò afferendas. Unde

Quæritur V. An nulli omnino caſus dentur, in quibus revocatio, ſeu correctio quorundam jurium inducatur per tacitos intellectus, ſicque fiat extenſio in correctorijs? Reſp. Quamvis regulariter in correctorijs non fiat extenſio ultra expreſſa in poſteriori Lege corrigente, ut dictum eſt *n.* 500. *& ſeqq.* ſicque correctio jurium (ac multò minùs ipſorum revocatio, ſive abrogatio) non ſit inducenda per tacitos intellectus, ut proximè dictum: nihilominus etiam hæc regula quasdam patitur fallentias, atque limitationes, juxta illud generale dictum, *Nulla regula ſine exceptione.* 50

50 Et primò quidē correctio juris cenſetur favorabilis, ac proinde extendenda, quando per eam reditur ad Jus comune antiquū. Ratio eſt: quia res de facili revertitur ad ſuam naturā, ſive ſtatū priſtinū, *can. Ab exordio. diſt.* 35. *& l. Si unus. §. Pactis. ff. de Pactis.* ac proinde non eſt mirum, quòd Lex poſterior, quæ corrigit aliud Jus correctivum, & reducit nos ad terminos antiquæ Legis, cenſeatur favorabilis, ac idcircò extendenda. Gloſſa *in c. Statutum. 3. ℣. Numerandum. de Præbend.*

in 6.

in 6. Jaſon *Auth. Quas actiones. n.* 24. & 19. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Gammarus *cit. tract. de Extenſionibus. n.* 137. Fagnanus *in c. Non ampliùs. n.* 63. *de Inſtitut.* citans Hoſtienſem, & communem aliorum, ac declarans iſtud in caſu Concilij Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* ubi, cùm Epiſcopis reſtituatur facultas concedendi licentiam pro erigendis de novo Monaſterijs in ſuis Diœceſibus (quæ facultas ipſis fuerat ablata à Bonifacio VIII. *in cap. un. de Religioſ. Domib. in 6.*) hæc Juris Bonifaciani correctio cenſetur favorabilis, lateque interpretanda: quia per eam fit reditus ad Jus commune ab antiquo competens Epiſcopis.

510 Secundò fallit data Regula, atque in correctorijs Juris fit extenſio ultra expreſſa in lege corrigente per tacitum intellectum, quando intervenit identitas rationis in lege expreſſa: prout jam dictum *n.* 507.

511 Tertiò correctio Juris facta in uno ex æquiparatis, cenſetur corrigere in alio, ſibi per legem antiquam in omnibus, & per omnia æquiparato: quia tunc ejusmodi extenſio, atque interpretatio procedit ex vigore Juris antiqui, talia inter ſe æquiparantis: prout *L. 1. ff. de Legatis I.* per omnia exæquata ſunt Legata Fideicommiſſis; ac proinde diſpoſitum, ſive correctum in uno, cenſetur diſpoſitum, atque correctum in altero. Gloſſa *in c. Si poſtquàm. ℣. Proviſione. de Electìon. in 6.* Jaſon *cit. Auth. Quas actiones. n.* 19. & 23. *C. de Sacroſ. Eccleſ. & l. Qui condemnare. n.* 7. *ff. de Re judicat.* Barboſa *Axiomat.* 14. citans plurimos Authores, & pro regula ſtatuens, quòd æquiparatorum eadem ſit diſpoſitio, etiam in pœnalibus, exorbitantibus, & correctorijs. Intellige, dummodò ſint æquiparata in omnibus, & per omnia: nam ſi ſolummodò quoad unum, vel alterum caſum parificantur, ſecundùm hunc duntaxat procedit extenſio, non quoad alium. Gloſſa *in cap. un. ℣. Sacri de Voto, in* 6. Jaſon *cit. n.* 19. Barboſa *ibid. n.* 4. cum alijs.

512 Quartò Correctio Juris facta ſuper caſu principali, cenſetur etiam facta ſuper acceſſorio, *arg. c. Tranſlato.* 3 *de Conſtitut.* juncto *c. Si ſupergratia. de Officio Delegati. in 6. & l. Ait Prætor. §. Hæc verba ff. de Negotijs geſtis,* cum concordantijs. Nam ubi unum ſequitur ad alterùm, conceſſo antecedente videtur conceſſum conſequens. *l. Qui proprio. ff. Item. & l. Qui procuratorem. ff. de Procurat.* Et viciſſim, cui committuntur ſequentia, etiam præcedentia videntur commiſſa, per quæ pervenitur ad illa, *l. Ad rem nobilem. & l. Ad legatum. ff. eod.* junctâ *L. 2. ff de Juriſdiction. omn. Judic.* cum ſimilibus. Dummodò tamen hæc ſint talia, quorum unum inſeparabiliter ſequitur ad aliud: nam ſi poſſent ſeparari, & ratio diverſa militaret de ipſis, dicta non procederent. Petrus And. Gammarus *cit. tract. de Extenſione. n.* 125. & alij.

513 Quintò fallit data ſuperiùs regula in Correlativis, quia lex nova corrigens in uno Correlativorum, cenſetur extendi, & corrigere in altero, dummodò in ipſo militet eadem ratio. Ita Jaſon *loc. cit. n.* 23. Gammarus *cit. tract. de Extenſion. num.* 119. & 120. Anchoranus *c. Canonum ſtatuta, n.* 74. & 75. *de Conſtitut.* poſt Bartolum docens, quòd lex corrigens, aut etiam prohibens ſuper uno ex correlativis, intelligatur corrigere, ac prohibere in altero, licet hoc non exprimatur, niſi obſtet diverſitatis ratio. Probatur hæc ſatis communis Doctorum opinio: quia in correlativis eſt inſeparabilis connexio, & uno poſito alterum neceſſariò ſequitur; ergo hoc ipſo ſtatutum de uno, cenſetur ſtatutum de altero, niſi obſtet ratio diverſitatis. Idem probatur paſſim ex textu multùm urgente. *L. ult. C. de Indicta viduitate tollenda*: ubi Lex Julia Miſcella per novam legem correcta in fœminis, ut poſt mortem virorum poſſint nubere, haud obſtante conditione Legatis adjectâ de non ampliùs nubendo, cenſetur etiam eſſe correcta in maritis; & additur, quòd iſtud *pertinere ad ſenſum novæ legis, non eſt incertum:* quia nempe maritus, & uxor, ſunt correlativa; & quantùm ad propoſitum, eadem militat ratio in maritis, quæ in uxoribus, poſt obitum conſortis ſuæ. Idem igitur dicendum de alijs correlativis, quòd nimirum lex corrigens in uno, cenſeatur corrigere etiam in altero; idque ad ſenſum pertineat novæ legis, ita nimirùm, quòd talis extenſio fiat authoritate legis, & juxta mentem ipſius Legislatoris.

Nec obſtat textus in *l. Præcipimus. C. de Appellation.* cum concordantijs, *n.* 501. allegatis. Nam regulariter quidem verum eſt, quòd lex non corrigitur, niſi in expreſſo: fallit tamen hoc inter alia in correlativis, quando pro utriſque militat identitas rationis, juxta *cit. L. ult. C. de indicta viduit.* Accedit ratio: quia correlativa, cùm ſint ſimul naturâ, poſita ſe ponunt, & perempta ſe perimunt, juxta Philoſophum: ac proinde non mirùm, quòd diſpoſitum de uno ipſorum, cenſeatur etiam juxta mentem Legislatoris eſſe diſpoſitum de altero, in quo militat eadem ratio. Hinc illud vulgatum: *Correlativorum idem eſt judicium, eadémque diſciplina.* Everardus *in Loco, à Correlativis. n.* 8. & *ſeqq.* Barboſa *Axiomat.* 61. citans alios. 514

Additur notanter, *dummodò in ipſo militet eadem ratio.* Nam ſecùs eſt dicendum, quando qualitas, quæ diſponitur, vel corrigitur in uno, non competit alteri: prout accidit in illis, in quibus correlativa inter ſe opponuntur: ſic etiam venditor debet dare mercem, non emptor: pater eſt generans, non filius, & hujusmodi. Item, quando unum correlativorum circa propoſitum non æquè proportionatur alteri, ſed datur ratio diverſitatis inter ea: tunc enim diſpoſitum, vel correctum in uno, non cenſetur diſpoſitum, vel correctum in altero, niſi exprimatur. Sic vir & uxor ſunt quidem correlativa, ſed multa competunt viro veluti capiti, & ſapientiori, quæ non competunt uxori: ut habere filium in poteſtate, adminiſtrare domum, poſſe fungi publicis officijs, &c. Similiter parentes debent theſaurizare filijs, non filij parentibus, juxta Apoſto- 515

ſtolum. 2. *Corinth.* 12. Ulterius, quamvis Actor & Reus ſint correlativa, nonnulla competunt Reo, quæ non competunt Actori, ac viciſſim; prout in ſpecie partes Actoris à principio litis cenſentur eſſe favorabiliores, *arg. l. Qui prior. & l. Solemus. ff. de Judicijs*, ac alibi: in fine autem favorabiliores ſunt partes rei, quàm Actoris, *c. Inter dilectos. 6. §. fin. de Fide instrument. c. Cùm ſunt partium. de Reg. Jur. in 6.* cum concordantijs. Rurſus ſtante Statuto municipali, ne frumenta vendantur exteris Nationibus, non idcircò prohibetur, ne ipſa emantur ab exteris. Et loquendo de SS. Martyribus, Tyrannorum mortem injuſtè inferentium *actio* Divinæ Majeſtati *diſplicuit*: *paſſio* Sanctorum Martyrum eidē *grata fuit*. Idem dicendum in ſimilibus, ubi in correlativis intervenit diverſitas rationis.

516 Sextò limitatur eadem doctrina, quando alioquin ſequeretur abſurdum: tunc enim etiam in correctorijs debet fieri extenſio ad evitandum tale vitium. Iaſon *cit. Auth. Quas actiones. n. 24. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Franc. Coſcius *Repetit. in c. Translato. n. 51. de Conſtitut.* Petr. Andr. Gammarus *cit. tract. de Extenſionib. n. 137. & 139.* ac alij. Neque enim mens Legislatoris eſt, fovere abſurdum, aut deluſoriam facere diſpoſitionem, *arg. l. Scire oportet. §. Aliud. ff. de Excuſation. tutorum*, ibi: *Sed etſi maximè verba legis hunc habeant intellectum*, ex quo poſſet ſequi abſurdum, *tamen mens Legislatoris aliud vult.* Concordat textus *L. In ambiguis. ff. de Legibus.*

Septimò idipſum limitatur, ubi agitur de ſalute animæ, atque evitando peccato: nam tunc diſpoſitio correctoria, atque odioſa, extenditur ex identitate rationis. Jaſon *cit. n. 25.* Gammarus *n. 138.* poſt Bartolum *in Auth. Sacramenta puberum. C. Si adversùs vendit. &c.* Abbas *c. Ex tenore. Qui filij ſint legitim.* ubi cenſet, *cap. ult. de Clandeſt. deſponſat.* haud obſtante, quòd videatur pœnale, tamen ex quo emanavit favore animarum, non eſſe reſtringendum ad ſolum impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, de quo expreſsè meminit, ſed dilatandum ad quodcunque impedimentum; cùm per dilatationem evitentur animarum pericula, & homines retrahantur ab illicitis contractibus matrimonij. Similem extenſionem favore ſalutis animarum facit Gloſſa *l. Omnes. ℣. Apoſtolicæ. C. de Ferijs.* 517

Octavò fit in correctorijs extenſio, ſi alioquin diſpoſitio de facili redderetur deluſoria, *arg. c. Si civitas. de Sentent. Excomm. in 6.* junctâ Gloſsâ *Clem. 1. ℣. Sepelire. de Sepultur. & c. Quamquàm. ℣. Aliter facta. de Uſuris in 6.* Coſcius *ubi ſuprà*, Gammarus *in ſæpè cit. tract. de Extenſionibus, n. 139.* apud quem nonnullæ aliæ habentur fallentiæ, ſed minoris conſiderationis. 518

§. XX.

De Revocatione Decretorum Concilij Generalis.

SUMMARIUM.

519. *Referuntur Doctores, volentes, non derogari Decretis Concilij Generalis, absque expreſſa ejus mentione.*
Præſertim, ſi Concilium Generale ſit noviſſimum. Ibid.
520. & 521. *Rationes horum Doctorum.*
522. *Sententia hæc generaliter prolata non ſubſiſtit. Et n. ſeqq.*
523. *Per poſterius Decretum Concilij Generalis derogatur priori directè contrario, nullâ factâ mentione prioris Concilij.*
524. *Idipſum patet ex praxi Concilij Tridentini.*
525. *Etiam per Conſtitutiones Pontificias derogatur prioribus Decretis Concilij Generalis directè contrarijs, absque expreſſa mentione Concilij.*
526. *Solvuntur rationes in oppoſitum.*
527. *In Reſcriptis autem ſub generali derogatione non comprehenduntur Decreta Concilij Generalis, ſed opus eſt expreſſa mentione Concilij.*
528. *Diſparitas inter Reſcripta, & Conſtitutiones Pontificias quoad hoc. Et num. præc.*
529. *Pro derogatione Concilij Tridentini ſufficit clauſula generalis, absque ſpeciali ejus mentione; & cur?*
530. *Stylus Curiæ Romanæ, qualis circa hoc?*
531. *Nec ſolet, nec oportet ſpecialiter derogare Concilio Tridentino.*
532. *Solvitur inſtantia.*
Litteræ in forma Brevis ſunt ejuſdem auctoritatis, ac Reſcripta Signaturæ. Ibid.

519 QUæritur I. Utrùm ad derogandum Decretis Concilij Generalis requiratur hujus expreſſa mentio? Non pauci Doctores, quos ad longum citat Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 26. n. 7.* & Barboſa *part. 2. de offic. & poteſtat. Epiſc. allegat. 33. n. 24.* & Zerola *part. 2. Praxis Epiſcopalis. ℣. Abſolutio. §. Dico quintò*, videntur generaliter docere, quòd Decretis Concilij Generalis non derogetur, niſi de eo fiat expreſſa mentio, ſimilibus verbis: *Non obſtante quâcunque lege, etiam in Concilio Generali editâ*: Sola autem clauſula derogatoria generalis non ſufficiat. Addit Sanchez *cit. n. 7.* poſt Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 26. n. 3.* & Vivaldum *Candelabri. p. 3. c. 12. n. 22.* ac ſequitur Layman *cit. cap. 1. n. 8. h. t.* quòd ſi Concilium Generale ſit noviſſimum, ut nunc eſt Tridentinum, oporteat expreſſam ejus mentionem facere, nec ſufficiat generalis derogatio cujuscunque Concilij Generalis.

Ratio

520 Ratio horum Doctorum eſt: quia Decreta Concilij Generalis valde maturâ deliberatione ſunt condita; ac proinde videntur continere tacitam clauſulam derogatoriam omnium poſteriorum Conſtitutionum, quæ illis contrariæ ſunt, niſi de ipſis ſpecialem faciant mentionem; prout probare nituntur *ex c. Eccleſia veſtra. 57. de Election.* ubi Papa inter alia ſic loquitur: *Neque enim credendum eſt, Romanum Pontificem (qui jura tuetur) quod aliàs excogitatum eſt multis vigilijs, & inventum, uno verbo ſubvertere voluiſſe.* Idque eò magis locum habere videtur in Concilijs Generalibus; cùm magis examinatum, maturiúsque digeſtum, imò *integrum ſit judicium, quod plurimorum ſententijs confirmatur,* prout notatur *in c. Prudentiam. de Offic. Delegat.* ſicque, ut tollatur, aut corrigatur, majori eâque expreſsâ revocatione haud immeritò opus ſit.

521 Eandem ſententiam ulteriùs dictæ ſententiæ Authores ſtabilire conantur ex diverſis textibus Juris, qui apertè dicunt, non derogari Decretis Concilij Generalis, niſi fiat expreſſa hujus mentio: ut *in c. Ex parte. 3. de Capell. Monachor.* ubi Papa conſultus ſic reſpondet: *Cùm autem id obviet Lateranenſi Concilio, de quo nulla mentio eſt in litteris antedictis: Fraternitati tuæ breviter reſpondemus, quòd hujuſmodi litteras ab Apoſtolica Sede non credimus emanâſſe: quòd ſi per occupationem forſitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio ſuprà dicto.* Concordat textus *in c. Nonnulli. de Reſcriptis*, quod eſt editum in Concilio Generali (videlicet, Lateranenſi, ſub Innocentio III. celebrato) atque expreſsè declarat, Litteras Apoſtolicas eidem non præjudicare, *niſi expreſſam de hac Conſtitutione fecerint mentionem.* Simile quid habetur *in c. Eam te. 4. de Ætat. & qualitat. præficiend.* ubi inhibitum fuit, ne Perſonæ quâvis occaſione, *vel etiam Litterarum Apoſtolicarum obtentu*, ad regimen Eccleſiarum inſtituantur contra Decreta Concilij Lateranenſis: cum ſimilibus.

522 Verùm hiſce neutiquàm obſtantibus præfata ſententia, ſic generaliter prolata, non videtur ſubſiſtere; ſed oportet diſtinguere inter Conſtitutiones tum Conciliares, tum Pontificias, ac inter Reſcripta: unde ad propoſitam quæſtionem,

523 Reſp. I. Per poſterius Decretum Concilij Generalis tollitur prius eidem directè contrarium, quamvis in poſteriori non fiat mentio de priori Concilio, nec eidem expreſsè derogetur. Ita Fagnanus in *c. Nonnulli. n. 31. & ſeqq. de Reſcript.* Pirhing *h. t. num. 136.* & alij. Ratio eſt: quia tunc utrumque Decretum pari induſtriâ, conſilio, & maturitate factum eſſe dignoſcitur: unde ex una parte ceſſat ratio, ob quam Decreta Concilij Generalis cenſentur tacitè continere clauſulam derogatoriam ad Reſcripta impoſterùm emananda, quando in his non fit expreſſa mentio Concilij Generalis: ex altera verò parte ſubintrat deciſio *cap. 1. h. t. in 6.* unà cum ſua ratione ibidem contentâ, & generaliter urgente quoad propoſitum.

524 Confirmatur hoc ipſum ex praxi, ac ſtylo Sac. Concilij Tridentini, utpote quod antiquioribus Concilijs nominatim derogare non conſuevit, quamvis interdum contra illa ex juſtis, ac de novo emergentibus cauſis, aliquid ſtatuendum duxerit: uti patet *ex Seſſ. 23. cap. 12. de Reform. & Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.* & alibi, dum ibidem revocavit, ſeu correxit Decreta quorundam priorum Conciliorum Generalium, etiam Corpori Juris Canonici inſerta, absque ulla ipſorum Conciliorum ſpeciali mentione, vel derogatione; prout ex profeſſo, ac ſingillatim oſtendit Fagnanus *cit. c. Nonnulli. n. 42. de Reſcriptis.*

Reſp. II. Etiam per novas Conſtitutiones Pontificias derogatur prioribus Decretis Concilij Generalis ſibi directè contrarijs, licèt in ipſis non fiat expreſſa mentio, ſive derogatio Concilij Generalis. Ita Gloſſa *in cap. 1. ℣. Noſcatur. h. t. in 6.* & ibi Archidiaconus, Jo. Monachus, Geminianus, Felinus, & plures alij, quos citat, & ſequitur Fagnanus *ubi ſuprà, num. 29.* Ratio Concluſionis deſumitur ex ſæpè *cit. cap. 1. h. t. in 6.* ubi generaliter decernitur, quòd Romanus Pontifex conſtitutionem condendo poſteriorem, noſcatur revocare priorem, quamvis de hac mentionem non faciat; cùm omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui habere noſcatur: ergo, cùm Romanus Pontifex æquè in ſcrinio pectoris ſui habeat Decreta Conciliorum Generalium, pariter hæc per novam Conſtitutionem contrariam revocata comprobantur absque alia mentione Concilij. Et hoc eò magis: quia Concilium generale non eſt ſupra Papam, ſicq; nequit ligare manus ejusdem; & oppoſita quorundam ſententia eſt damnata ab Alexandro VIII. *in Decreto, die 7. Decembris. 1690.* emanato, in quo præter alias Propoſitiones etiam ſequentem, ordine 29. condemnavit: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in Fidei quæſtionibus reſolvendis infallibilitate.* Quinimò, ut Concilia Generalia poſſint condere Decreta totam Eccleſiam obligantia, opus habent authoritate, & confirmatione Romani Pontificis, utpote à qua omne robur ſuum accipiunt, *c. Significâſti. 4. de Elect.* eſtque ſuperiùs dictum *§. 3. num. 63. & ſeqq.* 525

Neque obſtant dicta ſuperiùs *num. 520. & 521.* 526
Nam, quod attinet textus Juris ibidem allegatos, hi expreſſis verbis loquuntur de Litteris Apoſtolicis, ſive Reſcriptis (per quæ non derogari Decretis Concilij Generalis, ultrò conceditur, juxta dicenda *n. ſeq.*) non verò de Conſtitutionibus, de quibus procedit præſens Concluſio. Neque urget ratio allegata: ſiquidem non tantùm Decreta Conciliaria, verùm etiam Conſtitutiones Apoſtolicæ non niſi magna cum maturitate, & præviâ diligenti diſcuſſione promulgantur; quamvis ob importunitatem petentium nonnunquàm ſecùs accidat in Reſcriptis. Unde

Reſp. III. Loquendo de Litteris Apoſtolicis, ſeu Reſcriptis contra jus elicitis, dicendum 527
eſt,

quòd in his ſub generali derogatione non includantur Decreta Concilij Generalis, ſed opus ſit expreſsâ mentione Concilij ad derogandum Decretis ipſius. Ita Gloſſa *cap. 1. §. Noſcatur. h. t. in 6.* ubi rationem diſparitatis inter Conſtitutiones, & Reſcripta Pontificia aſſignat, dicens: *Quia maturiùs ſit legis promulgatio, quàm reſcripti conceſſio.* Barboſa *cit. allegat. 33. n. 24.* & Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 26. n. 7.* & plurimi alij ab iſtis allegati. Fagnanus *in cit. c. Nonnulli. n. 28. & ſeqq. de Reſcript.* ac noviſſimè Card. de Luca *tom. 1. Diſcur. 1. Annotat. ad S. Concilium Tridentinum, n. 12.* hanc ſententiam appellans indubitatam. Ratio eſt: quia omnis conſtitutio Concilij Generalis dicitur habere tacitè clauſulam derogatoriam ad Reſcripta; ut loquitur Felinus *in d. c. Nonnulli. n. 2. de Reſcriptis*, atque probant rationes, & authoritates Juris *n. 521.* adductæ. Siquidem *c. Ex parte. de Capell. Monach. & c. Nonnulli. de Reſcript. & c. Eam te. de Ætat. & qualitat. præficiend.* apertè fit mentio de Litteris Apoſtolicis, hoc eſt, Reſcriptis; non item de Conſtitutionibus, vim legis univerſalis habentibus.

528 Accedit ratio: nam Reſcripta diriguntur ad particulares perſonas, & directè tendunt in favorem privatorum Principi ſupplicantium: Leges autem, & Conſtitutiones, ſicut & Decreta Concilij Generalis, feruntur pro tota Communitate. Inſuper Conſtitutiones, & Decreta Conciliaria, cum ſumma maturitate, & prævio magno conſilio promulgantur: non ſic ſemper Reſcripta, ob horum multitudinem; quinimò hæc propter importunitatem petentium quandoque contra jus obtinentur. Et hinc non mirum, quòd Conſtitutiones, & Decreta Conciliaria poſteriora derogent prioribus, etiam non factâ horum derogatione, *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* non item Reſcripta, niſi faciant expreſſam de Concilio Generali mentionem, *cit. c. Ex parte. de Capell. Monach.* cum concordantijs. Confirmatur: quia, licèt Summo Pontifici non deſit poteſtas derogandi ex cauſa Decretis Conciliaribus, vel in hiſce diſpenſandi absque ſpeciali horum mentione, ut eſt certum: nihilominus cenſetur deeſſe voluntas, niſi ſpecialis fiat mentio Concilij, vel explicita, vel ſaltem implicita, quæ explicitæ æquipollet, ut ita omninò certa reddatur Pontificis voluntas, quæ aliàs præſumenda non eſt, *d. c. Ex parte.* ac notat Card. de Luca *cit. n. 12.* qui tamen *n. 14.* rectè ſubjungit, iſtam doctrinam non procedere quoad Concilium Tridentinum. Unde ad hujus meliorem intelligentiam

529 Quæritur II. Utrum ad derogandum Decretis Concilij Tridentini requiratur ſpecialis ejus mentio? Reſp. Quamvis nonnulli Doctores, ſuprà *n. 519.* relati, velint, ſi Concilium Generale ſit noviſſimum, ad ejus derogationem non ſufficere clauſulam illam generalem, *Non obſtante quâcunque lege, etiam Concilij Generalis*, ſed ſpecialem ejus derogationem faciendam eſſe: hoc tamen locum non habet in Concilio Tridentino, ſed iſtud venit ſub generalibus derogationibus; ac proinde pro derogatione Decretorum Sacri Concilij Tridentini ſufficit clauſula illa generalis, *Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis*, vel alia hujusmodi, neque opus eſt ſpeciali ejus mentione. Ita Barboſa *cit. allegat. 33. n. 24. §. Pro derogatione*, ubi pro hac ſententia allegat Deciſionem Rotæ *in cauſa S. Angeli Penſionis. 16. Decembris. 1594. coram Card. Pamphilio Sen.* & aliam *in Bononienſi Prioratûs. 9. Junij. 1606. coram Patriarcha Manzanedo.* Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 6. n. 120.* Martham, Bonacinam, & plures alios, & noviſſimè ſequitur Card. de Luca *cit. Diſcurſ. 1. n. 14. & Diſcur. 46. de Beneficijs. n. 13.* Ratio eſt: tum quia in ipſomet Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 21. de Reform.* fit expreſſa in omnibus præſervatio Sedis Apoſtolicæ, ibi: *Poſtremò Sancta Synodus omnia, & ſingula, quæ de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina in hoc Sacro Concilio ſtatuta ſunt, declarat, ita decreta fuiſſe, ut in his ſalva ſemper authoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur.* Hæc ibi. Tum quia, ut inquit Card. de Luca *l. proximè cit.* ita ſtatutum eſt in Apoſtolica Conſtitutione Pij IV. ejus confirmatoria, & liquet ex recepto ſenſu Curiæ.

Et hinc communis eſt ille ſtylus Curiæ Romanæ, apponendi in conceſſionibus Privilegiorum, vel horum confirmationibus clauſulam illam, *Quatenus Decretis Concilij Tridentini non adverſantur*; ne alioquin (tacendo nunc alios dictæ clauſulæ effectus) ſub generali clauſulâ, *Non obſtantibus &c.* quæ ut plurimùm in fine Litterarum Apoſtolicarum apponi conſuevit, derogatum foret Decretis ejusdem Concilij Tridentini. Barboſa *Clauſula 124. n. 6.* poſt Sigismundum à Bononia, *de Elect. dub. 2. n. 2.* 530

Addit Fagnanus *in c. Nonnulla. n. 86. de Conceſſ. Præbend.* quòd propter memoratam expreſſam præſervationem authoritatis Sedis Apoſtolicæ, Concilio Tridentino non ſoleat, neque oporteat ſpecialiter derogare; ſed ſatis ſit, ut Papa diſponat contrarium ejus, quod Concilium diſpoſuit, dummodò Supplicatio manu Papæ ſignata fuerit: prout expreſsè declaravit B. Pius V. in ſuo Motu proprio, *die 23. Decemb. 1570.* emanato, quem de verbo ad verbum refert Nicol. Garcias *tom. 1. de Beneficijs. part. 4. cap. 5. n. 32. & 33.* ac ſæpiùs cenſuit Sac. Congregatio Concilij Tridentini Interpretum, fuitque declaratum in Cancellaria Apoſtolica per Abbreviatores, & decîdit Rota *in una Penſionis S. Angeli. 16. Decemb. 1594. coram Card. Pamphilio.* Hoc ipſum docet, & fuſiùs, adductis diverſis Declarationibus Cardinalium, declarat Hyacinthus Donatus, *tom. 1. Praxis Rerum Regularium, tract. 14. q. 4.* 531

Dices. Litteræ in forma Brevis Annulo Piſcatoris ſignatæ non minoris ſunt efficaciæ, & authoritatis, quàm Reſcripta Signaturæ Romani Pontificis ejus manu propriâ ſubſcripta, ut loquitur Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit: *Ad Romani Pontificis* (ac refertur Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit. 19. d. Pontif.) §. 2. Ergo, ſi per has derogatur Decretis Concilii Tridentini, pari- 532

riter huic derogatur per Litteras in forma Brevis emanatas, licèt non fiat ſpecialis mentio ipſius; quod eſt contra *c. Ex parte. 3. de Capell. Monach.* cum concordantijs *n.* 521. allegatis. Reſp. concedendo totum: Unde, ne per hujusmodi Litteras dicto Concilio Tridentino aliquatenùs derogetur, ſolet in illis, dum dantur ad conceſſionem, vel confirmationem Privilegiorum, inſeri clauſula illa, *Quatenùs Decretis Concilij Tridentini non adverſantur*, aut alia conſimilis, ut paulò ſuperiùs jam dictum eſt. Neque obſtat *d. c. Ex parte.* cum ſimilibus: Nam iſtud Capitulum patitur limitationem reſpectu Concilij Tridentini, ob allegatam expreſſam præſervationem authoritatis Sedis Apoſtolicæ in eodem Concilio factam.

§. XXI.

De Revocatione Statutorum ab Inferioribus juratorum, vel à Superiore confirmatorum.

SUMMARIUM.

533. *Capitula, & Communitates poſſunt tollere Statuta à ſe condita.*
534. *Quid, ſi hæc ſint jurata? Et n. ſeqq.*
535. *Poſſunt tollere, quæ ſunt jurata à ſingulis.*
536. *Atque his collegialiter contravenire.*
537. *Dummodò non juraverint obſervare contenta in Statutis. Et n. 535.*
538. *Solvitur ratio dubitandi.*
539. *Cautelæ pro perpetuatione Statutorum.*
540. *Statutum à Superiore confirmatum, an poſſit tolli ab inferioribus Statuentibus? Et n. ſeqq.*
541. & 542. *Referuntur ſententiæ aliorum.*
543. *Ac refelluntur.*
644. *Poteſt tale Statutum tolli à Statuentibus, ſi concernit principaliter favorem ipſorum: ſecùs, ſi concernit bonum commune, favorem Eccleſiæ, vel aliorum.*
Exemplificatur hoc in Statutis Religionum per Papam approbatis. Ibid.
545. *Et probatur prior pars.*
Quilibet poteſt renunciare ſuo juri, & favori privato, non obſtante confirmatione Principis. Ibid.
546, *Quamvìs hæc ſit facta cum Decreto irritante.*
547. *Affertur ratio poſterioris partis Concluſionis.*
548. *Quando ex Statuto eſt jus alteri quæſitum, nequit illud absque hujus conſenſu per Statuentes tolli.*
549. *Declaratur hoc exemplo.*

3 QUæritur I. Utrùm Capitula, & aliæ Communitates poſſint tollere, & revocare Statuta à Capitularibus jurata? Et notanter hoc ultimum additur: nam ſecluſo juramento, ac confirmatione Superioris (de qua proximè) indubitatum eſt, quòd Capitula & Communitates illæ, quibus competit facultas condendi Statuta, denuò juſtis de cauſis hæc eadem tollere, atque revocare valeant, dummodò inde nullum tertio præjudicium generetur. Hæc enim duo, videlicet poteſtas condendi, & tollendi Statuta, pari paſſu ambulant: & *omnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur*, cap. 1. de Reg. Juris.

53 Verùm accedente juramento, quo Canonici, vel alij de Communitate jurârunt ſervare Statuta, dubitari poteſt: quia tunc obſtare videtur religio juramenti, quod ſemper obſervandum eſt, quando ejus obſervatio non vergit in æternæ ſalutis diſpendium, *cap. Si verò. 8. de jurejurand. & c. Quamvìs. 2 de Pactis in 6.* Unde ſub diſtinctione procedendo,

5 Reſp. Poſſunt Canonici, & alij de Communitate juſtis de cauſis tollere Statutum à ſe juratum; dummodò non juraverint obſervare contenta in Statuto. Ita Abbas Panormit. *in c. Cùm acceſſiſſent. n. 4. ℣. Aut numerus eſt juratus.* & Felinus *ibid. n.* 11. *&* 12. *h. t.* Fagnanus *in c. Dilecto. n. 20. & 21. de Præbend.* & alij. Prior pars probatur ex eo: quia juramentum eſt perſonale ſingulorum v. g. Canonicorum, jurantium, quòd velint ſervare Statuta Capituli, quæ extant; non autem, quòd nolint illa unquam tollere: hoc enim non pertinet ad ſingulos ſed ad totam Communitatem, ſive Capitulum: ergo non obſtante tali juramento ſingulorum Canonicorum, de obſervatione Statutorum extantium, manet Communitati, ſive Capitulo, integra ſua facultas revocandi ſeu tollendi Statuta, ſi novis emergentibus de cauſis id expedire judicaverint. Atqui ſublato principali, ſive Statuto per Capitulum collegialiter congregatum, ceſſat etiam hac ex parte juramentum ſingulorum Canonicorum, velut quid acceſſorium; cùm hi ſingillatim ſolùm juraverint in obſervantiam Statutorum extantium.

Et hoc adeò verum eſt, ut licèt Capitulum non priùs revocaret Statutum, ſed ſimpliciter contraveniret, adhuc Canonici collegialiter contravenientes non incurrerent perjurium. Ratio eſt: quia præſumuntur id facere animo tollendi Statutum, atque iſtud ipſo facto velle revocare: nemo enim præſumitur delinquere, nec immemor eſſe propriæ ſalutis. *arg. can.* 1. *diſt.* 41. Quinimò dubia in meliorem partem interpretari debent. *c. Eſtote. de Reg. Juris.* cum ſimilibus. Felinus *cit. n.* 11. allegans plures alios, & ſequitur Fagnanus, *ubi ſuprà. n.* 20. 536

Altera pars eſt Abbatis *loc. cit. n. 4.* & Felini 537 *eod. n.* 11. Et ratio eſt clara: quia jurans obſer-

vare

vare contenta in Statuto, non ſimpliciter obligat ſe ad obſervantiam Statuti extantis (ut fit in priori caſu) ſed ad obſervantiam contentorum ejus; ergo non poteſt contravenire abſque perjurio, niſi authoritate Papæ fuerit diſpenſatus ab obligatione Juramenti. Si tamen contraveniat, valet, quod geſtum eſt: nam actus geſtus contra juramentum regulariter tenet, licet attentans ſit perjurus. Abbas *in c. Dilecto. 25. n. 17. de Præbend.* poſt Jo. Andream *in Reg. Quod ſemel. de Reg. Juris in 6.*

538 Et per iſta patet ad rationem dubitandi *n.* 534. allatam. Siquidem religio juramenti nullatenus obſtat in priori caſu, ubi juratur tantùm obſervantia Statuti extantis: benè tamen in poſteriori, ubi juratur obſervantia contenti in Statuto.

539 Unde Abbas in *cit. cap. Dilecto. num. fin. de Præbend.* ponit cautelam pro perpetuatione Statuti adhibendam, ut ſinguli jurent contenta in Statuto, non habita ratione de Statuto: vel, ut jurent collegialiter, ſive ut univerſitas quædam, quòd nec collegialiter velint contravenire. Sic enim Univerſitas illa, etiam ut collegialiter congregata, Statutum ejusmodi revocare non poterit; niſi ob bonum commune, ac favorem publicum, ut limitat Abbas *ibidem*, & Sanchez *lib. 3 in Decalog. cap. 15. n. 5.* cum alijs. Hic enim poſterior caſus videtur exceptus in omni juramento, ne id ſit vinculum iniquitatis, ac impietatis erga totam Communitatem.

540 Quæritur II. Utrum Statuta per Superiorem, v. g. Summum Pontificem confirmata, poſſint ab inferioribus Statuentibus revocari? Ratio dubitandi, ac ſententiam negativam tenendi eſt: quia tale Statutum ab Inferioribus conditum, ſed à Superiore, v. g. Papâ confirmatum, hoc ipſo factum eſt Superioris, ac Statutum Papale; juxta illud: Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur. *L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucl. & c. Si Apoſtolicæ. 22. de Præbend. in 6.*

541 Reſp. I. In reſolutione hujus Quæſtionis variant Doctores. Et quidem Decius *in c. Cùm acceſſiſſent. n. 18. h. t.* cenſet, eſſe diſtinguendum, an Statuta inferiorum ſint *contra Jus commune*, ac proinde reſpectu ipſorum confirmatio Superioris ſit neceſſaria: vel ejusmodi Statuta ſint *præter Jus commune*, ſicque confirmatio Superioris reſpectu illorum ſit tantùm accidentalis, & corroborativa. Et quidem Statuta poſterioris generis poſſe ab inferioribus Statuentibus revocari, non obſtante Superioris confirmatione, concedit ipſemet Decius: eſtque hæc certa Doctorum ſententia, eò quòd talia Statuta ſubſtantialiter ſint Inferiorum, qui ſicut absque Superioris authoritate ita ſtatuere potuerunt, ſic & revocare Statuta ſine ejusdem authoritate. Porrò Statuta prioris generis vult Decius, non poſſe revocari per Inferiores absque Superioris authoritate; eò quòd ab hujus confirmatione totam ſuam ſubſtantiam & valorem acceperint, ſicque ſint Lex & Statutum Superioris, cui Inferior derogare non poteſt.

Alij diſtinguunt: quia aut Statuta Inferiorum confirmantur à Superiore in Forma communi; & ſic utique ab inferioribus Statuentibus revocari poſſunt, non obſtante Superioris confirmatione, eò quòd confirmatio in Forma communi nihil novi juris tribuat, *arg. c. Cùm dilecta. 4. §. Nos igitur. ℣. Nolentes. de Confirmat. util. & c. Ex parte tua. 18. de Privileg.* Aut ſunt confirmata ex certa ſcientia: & ſic negant, poſſe ea ab inferioribus Statuentibus revocari, eò quòd Princeps confirmans inferiorum Statuta ex certa ſcientia, cenſeatur idemmet ſtatuere, ſicque Statuta illa facere ſua, *arg. c. Si Apoſtolicæ. 22* junctâ Gloſsâ, *℣. Confirmamus de Præbend. in 6.* Martha *de Jurisdictione. 4. p. Cent. 1. Caſ. 99.* 542

Verùm hæc utraque Sententia gravem patitur inſtantiam *ex c. Cùm acceſſiſſent. 8. h. t.* ubi Statutum de ſupprimenda Dignitate Primiceriatûs in Eccleſia Cathedrali Tullenſi contra Jus commune factum, ac poſtmodùm authoritate Sedis Apoſtolicæ confirmatum, adhuc per Capitulum tolli, atque inconſulto Papâ revocari potuiſſe legitur, illis verbis: *Niſi poſteà dicti Canonici contravenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo.* Accedit textus *in c. Pro illorum. 22. de Præbend.* ubi Canonici, habentes à Papa privilegium, ſive indulgentiam ſuper certo numero Canonicorum, poſſunt ſponte contravenire, recipiendo aliquem ſuper numerum. Item *l. Omnium. C. de Teſtament.* ubi Teſtamentum confirmatum à Principe, poteſt à ſolo Teſtatore revocari. Unde meliùs diſtinguendo 54

Reſp. II. Vel Statutum Inferiorum, à Papâ confirmatum, principaliter reſpicit favorem privatum, ac ſolam utilitatem Statuentium; & poteſt à Statuentibus liberè revocari absque authoritate Superioris: vel ejusmodi Statutum concernit principaliter bonum publicum, aut favorem Eccleſiæ, vel aliorum, quàm Statuentium, & tunc nequit ampliùs revocari à Statuentibus. Ita Abbas *in c. Cùm acceſſiſſent. n. 2.* & ibi Felinus *n. 4.* & Fagnanus *n. 12. h. t.* Engel *eod. tit. n. 72.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 15. n. 6.* cum alijs. Hyacinth. Donatus *tom. 1. Praxis rerum Regularium, p. 1. tract. 13. quæſt. 6. & quæſt. 20. n. 16.* ubi proinde cùm Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæſt. 29. art. 8.* infert, quòd Statuta Religionum authoritate Papæ confirmata, non poſſint revocari ab ipſis Religioſis, etiamſi ſint capitulariter uniti, quando ea reſpiciunt commune bonum Religionis: ſecùs, ſi principaliter concernant favorem ipſorum Statuentium. 54

Ratio prioris partis eſt: quia quilibet poteſt renunciare juri ſuo, atque favori privato, *c. Si diligenti. de Foro compet.* cum ſimilibus: ſive dein favor iſte ſibi competat per Statutum contra Jus commune factum, & à Principe, puta Papâ confirmatum, *d. c. Cùm acceſſiſſent. h. t.* Sive præter Jus, *ut cit. c. Pro illorum. de Præbend. & l. Omnium. C. de Teſtamentis.* Nam generale eſt, quòd quis 5

quis renunciare poſſit juri, ac favori ſuo privato: & authoritas,ſeu confirmatio Principis tunc obtinet vim privilegij duntaxat, cui quis renunciare poteſt.

6 Atque hoc adeò verum eſt, ut procedat,licèt Statutum per Superiorem confirmetur ſub clauſula Decreti irritantis, quidquid in contrarium actum ſit; prout multis alijs allegatis,docet Covarruvias *part. 1. de Pactis. §. 2. n. 13.* Quamvis non deſint oppoſitum tenentes, quos pariter allegat,afferendo, & ſolvendo rationes ipſorum: idemque tradit Fagnanus *in cit. c.Cùm acceſſiſſent. n. 21. & ſeqq. h.t.*

7 Altera pars Concluſionis, *num.* 544. datæ, probatur ex eo: quia, licèt quilibet poſſit renunciare favori ſuo privato, ut dictum; nihilominùs favori publico, puta cultum Divinum, utilitatem Eccleſiæ, vel bonum Reipublicæ concernenti, nemo poteſt renunciare, *cit. cap. Si diligenti. de Foro compet.* junctis concordantijs ibidem per Gloſſem *V. Pacto privatorum.* allegtis. Unde Statuta Capituli confirmata per Papam, non poſſunt ampliùs tolli per Canonicos, quatenus concernunt favorem publicum, ſive cultum Divinum, vel utilitatem, ſeu honorem ipſius Eccleſiæ, aut commodum aliorum.Ratio eſt: quia in tali caſu confirmatio Superioris, ut puta Papæ, non habet meram rationem Privilegij, ſed cujusdam Mandati, ſive Decreti, ac ipſe Superior confirmando cenſetur Statutum facere ſuum, *d. c. Si Apoſtolicæ. de Præbend. in 6.& L. 1. C. De vet. Jure enucl.* Superioris enim potiſſimùm intereſt, Jura tueri, Cultum Divinum promovere, & bono communi proſpicere. Unde poſteà ſuccedit Regula *c. Inferior. diſt. 21. & Clem. Ne Romani. de Elect.* videlicet, *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt.* Abbas *cit. c. Cùm acceſſiſſent. num. 2. h.t.* citans Innocentium *in c. Accedentibus. de Privileg.* Felinus *cit. n.* 4. Sanchez, Miranda, *ubi ſuprà*, & alij.

Reſp. III. Inſuper, quando ex Statuto per 548
Superiorem confirmato, imò & aliàs legitimè facto, eſt jus alteri quæſitum, tunc illud non poteſt ſine hujus conſenſu per Statuentes tolli. Ratio eſt: quia *mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum*, juxta Reg. 33. Jur. in 6 cum ſimilibus. Accedit, quòd per inferiores Principes nullo modo poſſit tolli jus quæſitum tertio, *L. ult. ff. de Pactis.* cum ſimilibus. Card. Tuſchus *Litt. l. Concluſ.* 624. *num.* 3. & alij: id enim non careret injuriâ, atque injuſtitiâ proximo illatâ.

Quadrat huc exemplum, quod ponit Barto- 549
lus *in l. Omnes populi. §. Circa ſecundum. ff. de Juſtit. & Jur.* Quia, quando Statuto cavetur, ut qui venit ad habitandum in tali Caſtro, habeat immunitatem perpetuò, & quidam venerunt: ſi nunc Civitas cupiat revocare Statutum, & velit, ne illi gaudeant immunitate; certè in præjudicium eorum, qui jam venerunt, non poteſt revocari: ſecùs in ijs, qui nondum venerunt. Idem ergo dicendum in alijs ſimilibus.

TITU-

TITULUS III.

De Reſcriptis.

1. *Ratio ordinis.*
Convenientia, & differentia inter Leges, & Reſcripta. Ibid.

1 POſt Conſtitutiones rectè agitur de Reſcriptis, propter magnam horum cum conſtitutionibus affinitatem: ſiquidem & Reſcripta connumerantur inter Placita Principum, quæ legis habent vigorem, juxta illud L. 1. ff. de Conſtitut. Princip. *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: ſumendo videlicet legem large, ſeu pro quacunque Principis voluntate. Alioquin verò inter Leges, & Reſcripta, ſunt plures notabiles differentiæ: nam Lex propriè accepta fertur pro tota Communitate, & communi Civium utilitate, *can. Erit autem. diſt. 4. & L. 1. ff. de Legib.* Reſcripta verò directè dantur in favorem privatorum, qui ea à Principe, ut puta à Summo Pontifice, mediante prævia ſupplicatione, conſultatione, aut relatione impetrârunt. Inſuper ad obligationem Legis requiritur ſolemnis ejusdem publicatio: ſecùs eſt in Reſcriptis, quæ tunc dicuntur publicari, quando Judici præſentantur. Ant. Burgos. *Repetit. in Rubric. de Reſcriptis. n. 54.* Tacentur aliæ differentiæ, de quibus in progreſſu: unde non immeritò Compilator Juris Canonici ponit ſpeciales Rubricas *De Conſtitutionibus*, & *De Reſcriptis.* Et de his nunc agendo, ſit

§. I.

De Natura, & Diviſione Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

2. *Reſcriptum, quid? Et num. ſeqq.*
3. *Reſcripti nomen, quibus conveniat?*
4. *Abſolutè prolatum in Eccleſiaſticis, accipitur pro Reſcripto Papali.*
5. *Vivæ vocis Oraculum, quid?*
6. *Quibus de cauſis Reſcripta concedi ſoleant?*
7. *Motus proprius, quid? Et n. 202.*
Rectè connumeratur inter Reſcripta. n. 6.
8. *Reſcripta tribus partibus conſtant, narratione, ſupplicatione, & concluſione.*
9. *Reſcriptum an habeat vim legis? Et num. ſeqq.*
10. *Facit jus inter partes. Et num. præced.*
Non tamen habet vim legis univerſalis. Ibid.
11. *Solvuntur Jura in contrarium allegata.*
12. *Reſcripta Corpori Juris inſerta, unde habeant vim legis univerſalis?*
13. & 14. *Reſcripta nonnunquam faciunt Jus commune in conſequentiam; & quando?*
15. *Reſcriptum largè acceptum, comprehendit ſub ſe Privilegium, Beneficium, Mandatum, ac Reſcriptum propriè dictum.*
16. *Reſcriptum propriè, quid?*
Et quomodo differat ab alijs enumeratis? Ibid. & num. ſeqq.
17. *Privilegium, quid?*
18. *Beneficium, quid?*
19. *Et quomodo differat à Privilegio?*
20. *Mandatum generatim ſumptum, quid?*
21. *Et quid intelligatur per Mandatum ſtrictè acceptum, ſive* Mandatum de providendo?
22. *Reſcriptum, quotuplex ſit? Et num. ſeqq.*
23. *Reſcriptum contra legem, præter legem, & ſecundùm legem, quid?*
24. *Et quomodo ſumatur in Rubrica præſentis Tituli?*
25. Reſcriptum contra jus non valet, *quomodo intelligendum?*
26. *Quando cenſeatur conſtare de Principis voluntate, quòd valeat?*
27. *Alia celebris Reſcriptorum diviſio.*
28. *Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites; &*
29. *Reſcripta gratiæ, ſeu ad beneficia, quid?*
Litteræ beneficiales, & Mandata Apoſtolica, quæ? Ibid.
30. *Reſcripta gratiæ exemplificantur.*
Diſpenſationes conceſſæ circa unum duntaxat actum, propriè non ſunt Privilegia, & cur? Ibid.
31. *Reſcriptum mixtum, quid?*
32. *In dubio Reſcriptum præſumitur eſſe juſtitiæ, & non gratiæ.*

2 QUæritur I. Quid ſit Reſcriptum, quibúsque partibus conſtet? Reſp. I. *Reſcriptum* in propoſito eſſe datum à Principe reſponſum in ſcriptis, ad alterius conſultationem, relationem, vel ſupplicationem. Ita Abbas *ad Rubric. h. t. n. 2.* Hoſtienſis, & alij. Licèt enim vi nominis *Reſcriptum* idem ſignificare videatur, ac *Reſponſum ſcriptum*, quod

quod nimirùm reſcribitur abſenti (nam cum abſente loquitur, qui ſcribit epiſtolam, & mittit nuntium) nihilominus impræſentiarum per Reſcriptum intelligitur ſolummodò id genus epiſtolarum, quibus Princeps, ac præſertim Summus Pontifex ſupplicantibus, referentibus, aut ſeſe conſulentibus reſpondere ſolet. Unde in diverſis capitulis Juris Canonici, utpote quod ſecundùm magnam ſui partem ex Decretalibus Epiſtolis, ſeu Reſcriptis Summorum Pontificum compilatum fuit, paſſim occurrunt hujusmodi initia: *Conſuluiſti, Conſuluit, Inſinuante, Inſinuatum eſt, Significâſti, Poſtulâſti*, & hujusmodi.

Dicitur primò in allata Reſcripti definitione, *datum à Principe reſponſum.* Ubi per Principem intelligitur Romanus Pontifex, utpote Eccleſiæ univerſalis Paſtor, Chriſtique in terris Vicarius; vel (loquendo de Reſcriptis Principum ſæcularium) Imperator, Reges, aliique Principes ſuperiorem in terris non recognoſcentes; nam & horum Decretalibus Epiſtolis, *Reſcripti* nomen attribuitur; ut *L. 1. ff. de Appellat.* ibi: *Quæſitum eſt, an adversùs reſcriptum Principis provocari poſſit*, & alibi. Porrò Litteræ inferiorum, v. g. Epiſcoporum, vix dicuntur Reſcripta, ſed magis uſitatè appellantur Litteræ, v. g. abſolutionis, excommunicationis, & hujusmodi; ut fit *c. Olim. 25. h. t.* ibi: *Ipſi abſolutionis litteras concedentes.*

Unde Reſcriptum in Eccleſiaſticis ſimpliciter, & abſolutè prolatum, accipitur pro Reſcripto Papali; quamvìs & hoc non rarò nomine *Litterarum Apoſtolicarum* indigitetur, ut *c. Nonnulli. 28. h. t. & c. Ex parte. 3. de Capell. Monach.* & alibi.

Dicitur ſecundò, *in ſcriptis.* Per hanc ſiquidem particulam differt Reſcriptum à vivæ vocis Oraculo; quod eſt reſponſum Principis oretenùs datum, & non in ſcriptis. Nam *vivæ vocis Oraculum* nihil aliud eſt, quàm conceſſio, ſeu gratia à Principe cuipiam facta oretenùs, ſine ſcriptura; ſive dein fiat *motu proprio* Principis, ſive ad inſtantiam partis. Hyacinthus Donatus *tom. 1. Praxis Rerum Regular. tract. 15. n. 1.* & alij.

Dicitur ulteriùs, *ad alterius conſultationem, relationem, vel ſupplicationem.* Nam hisce tribus de cauſis præcipuè Reſcripta Pontificia concedi ſolent: quamvìs etiam, ſi motu proprio Papa cuipiam perſonæ, aut Communitati particulari aliquid mandet, vel indulgeat, quod facit Jus ſpeciale in negotijs, vel perſonis, pro quibus conceditur, rectè illud inter Reſcripta connumeretur. Hoſtienſis *in Summa h. t. n. 1.* id probans ex *L. 2. C. de Legib. & c. Conſtitutus. de Conceſſ. Præbend.* Siquidem

7 *Motus proprius*, dicitur Decretalis Epiſtola Summi Pontificis, in qua hæc clauſula *motu proprio* inſerta habetur, licet forſan impetrans pro tali Reſcripto ſupplicaverit, *c. Si motu. 23. de Præbend. in 6.* & ampliùs dicetur infrà *n. 202.*

8 Reſp. II. Reſcripta tribus partibus conſtant, videlicet narratione, ſupplicatione, & concluſione. Ita Baldus *in c. Super litteris. num. 14. h. t.* Engel *eod. n. 6.* & alij. Et quidem priores duæ, videlicet pars narratoria, & ſupplicatoria, reſpiciunt impetrantem; tertia verò pars, nempe concluſoria, reſpicit Principem reſcribentem, eò quòd ipſe auditis motivis, & precibus Supplicantis, concludat, ſive decernat, quid circa tale negotium, ſive perſonam ſit faciendum, vel obſervandum.

Quæritur II. An Reſcriptum habeat vim legis? Reſp. I. Reſcriptum habet vim legis, ſive conſtitutionis inter partes. Ita Felinus *ad Rubric. h. t. n. 1.* poſt Jo. Andream, & alij; ac patet ex *L. 1. ff. de Conſtitut. Princip. & §. Sed & quod. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* ibi: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* 9

Additur notanter, *inter partes.* Tum quia Reſcriptum conceſſum uni parti, fit commune alteri parti, eique pariformiter prodeſſe poteſt: prout fit *cap. 2. de Mutuis petit.* ubi Reſcriptum conceſſum Actori, ut ſibi juſtitia fiat appellatione remotâ, etiam prodeſt Reo Actorem reconvenienti: cui ſimile quid tradit Gloſſa *in Clem. Sæpè contingit. ℣. Si quid petere. de Verb. ſignif.* Tum quia Reſcripta, quæ in favorem privatorum impetrantur, licèt jus inter partes faciant, nihilominus vim legis univerſalis non obtinent; eò quòd non ferantur pro tota Communitate, neque ſolemniter publicentur, prout requiritur ad rationem legis propriæ dictæ. 10

Nec obſtat textus *cit. L. 1. de Conſtitut. Princip. & §. Sed & quod. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* ubi dicitur: *Quodcunque ergo Imperator per Epiſtolam conſtituit, vel cognoſcens decrevit, vel Edicto præcepit, legem eſſe conſtat.* Nam hìc *Lex* accipitur largè pro quocunque Principis Placito, quod legis vigorem habere cenſetur: non autem pro Jure communi, & univerſaliter omnes obligante. 11

Dices. Corpus Juris tam Canonici, quàm Civilis, magnâ ex parte conſtat ex Reſcriptis Pontificum, vel Imperatorum, datis ad particulares perſonas, Capitula, vel Communitates; ut patet ex inſcriptionibus ſingulorum Capitulorum, & Legum; ergo etiam Reſcripta habent vim legis communis. Reſp. neg. conſeq. Nam, quòd ejusmodi Reſcripta conſtituant Jus univerſale, vimque legis communis habeant, id accidit non ex primæva ipſorum origine, ſed quia poſtmodùm publicâ authoritate in Corpus Juris communis relata, & veluti Leges communes ſolemniter edita fuerunt. 12

Fatendum tamen, quòd nonnunquàm Reſcripta in conſequentiam Ius commune faciant: unde data Concluſio quaſdam patitur limitationes, quas allegat Felinus *loc. cit. num. 1.* Imprimis enim, ſi Princeps ſuper dubio Legis articulo per privatum interrogatus, ſuam de ejusdem vero intellectu reſcribit interpretationem, & ſententiam, tunc tale Reſcriptum per conſequentiam facit Jus generale quoad omnes. Ratio eſt: quia ejusmodi interpretatio cenſetur legi ab initio jam infuiſſe, *Auth. De Raptis mulieribus. §. fin. Collat. 9.* Simúlque, quòd omnis Legum interpretatio, ſive in precibus, ſive in judiciis, 13

dicijs, ſive alio quocunque modo per Imperatorem, vel alium ſupremum Principem facta, rata & indubitata haberi debeat, definitum habetur *L. ult. C. de Legib.*

14 Deinde, ſi Papa delegat alicui quandam cauſam ſub certa forma definiendam, & poſtmodùm emergat ſimile negotium, poterit etiam hoc ſub eadem forma licitè definiri. Archidiaconus *in can. Ignorantia. diſt. 38. n. 4.* Felinus *loc. cit. n. 1.* & alij. Idque deſumitur *ex can. Licet. 16. q. 3.* ubi Gelaſius Papa, de tali Reſcripto loquens, inquit: *Tunc formam in cæteris cognitionibus, quæ ſit ſequenda, præſcripſimus.* Concordat *can. Multi corriguntur. 2. q. 1. & c. In cauſis. 19. de Sentent. & re judic.* ibi: *In ſimilibus caſibus cæteri teneantur ſimiliter judicare.* Et meritò: quia de ſimilibus idem eſt judicium, *c. Inter corporalia. de Translat. Episc.* Et quod uni dicitur, ad omnes extenditur, ut loquitur, & probat Gloſſa *cit. can. Ignorantia. diſt. 38.*

15 Quæritur III. Utrum ſit differentia inter Reſcriptum, Privilegium, Beneficium, & Mandatum? Reſp. I. Si Reſcriptum ſumatur generaliter, & largo modo, tunc illud comprehendit ſub ſe Privilegium, Beneficium, Mandatum, & Reſcriptum propriè dictum; ac proinde non aliter differt ab iſtis, niſi ut ſuperius à ſuis inferioribus. Ita Abbas *ad Rubric. h. t. n. 2.* Nam quodlibet horum conſiſtit in certis litteris, ſive epiſtolis, quibus Pontifex reſcribit, atque reſpondet ſibi ſupplicantibus, concedendo ipſis gratiam, beneficium, vel aliquid ordinando pertinens ad juris obſervantiam.

16 Reſp. II. Accipiendo Reſcriptum ſtrictè, ſic iſtud differt à Privilegio, Beneficio, & Mandato. Ita Abbas *loc. cit.* Rebuffus *in Praxi Beneficiorum. § Differentiæ inter privilegium, reſcriptum, & mandatum,* & alij. Ratio eſt: quia *Reſcriptum propriè* eſt id, quod Princeps ſcribit ad juris obſervantiam: ut quando cuipiam Delegato committit cauſam decidendam inter aliquos. Et ideò verba Reſcriptorum interpretationem recipiunt à Jure communi, *c. Cauſam, quæ. 18. h. t.* & ibi Abbas *num. 1.* & alij. Quinimò, ſi Reſcriptum concedit aliquid contra jus commune, jam in eo mutat nomen Reſcripti, & dicendum eſt Privilegium, *can. Privilegia. diſt. 3.* ac notat Gloſſa *cap. 1. ℣. Noſcatur. de Conſtitut. in 6.* atque ampliùs *n. 25. & 26.* dicetur.

17 *Privilegium* econtrà eſt, quod Princeps contra communes regulas Juris cuipiam concedit, ſeu reſcribit. Dicitur enim Privilegium, *quaſi Lex privata*: neque eſſet privata, niſi aliquid ſpeciale indulgeret, *d. can. Privilegia. diſt. 3. & c. Abbate. 25. §. Contra. de Verb. ſignif.* Quia igitur Privilegium eſt contra Jus commune, & omnis receſſus à Jure eſt odioſus, *cap. 1. de Filijs Presbyt. in 6.* hinc Privilegium eſt ſtrictè interpretandum, ac reſtringendum, dummodò ex hoc non reddatur inutile. Rebuffus *loc. cit. n. 6.* & alij, ac ex profeſſo dicetur infrà *n. 130. & ſeqq.*

18 *Beneficium* de ſe eſt nomen generale; ac latè ſumptum idem eſt, ac Benevola actio gaudium tribuens capienti. Abbas *in c. Olim. n. 7. de Verb. ſignif.* Et ſic generaliter acceptum, comprehendit ſub ſe Privilegium, ac Reſcriptum: quia & in hujus conceſſione Princeps facit gratiam; ut *c. Sedes. 15. de Reſcript.* eò quòd non teneatur Reſcriptum dare, cùm ſubjecti habeant Judices ordinarios. At verò Beneficium ſtrictè, & quantùm ad propoſitum, accipitur pro gratia conceſſa à Principe præter jus. Et tale Beneficium eſt latiſſimè interpretandum, *c. Olim tibi. 16. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus.

Solummodò nota, quòd Privilegium, & Beneficium, ſi ſtrictè ſumantur, inter ſe differant, dum Privilegium propriè acceptum conceditur contra jus, Beneficium autem præter jus, ut notat Gloſſa *ad Rubric. h. t. in 6.* Nihilominus latè loquendo, appellatione Privilegij venit & Beneficium; & econtrà appellatione Beneficij venit quandoque Privilegium. Sperellus *Deciſ. 21. Fori Eccleſiaſt. n. 21.* citans alios, & Layman *in cap. 1. num. 7. h. t.* ubi hac ratione diſtinguit inter Privilegium ſtrictè acceptum, ſeu quod eſt contra jus; & inter Privilegium latiùs ſumptum, quod eſt præter jus, ſive ultra jus, atque ab alijs vocatur Beneficium.

Mandatum tandem generatim ſumptum poteſt dici omne illud Reſcriptum, per quod Princeps aliquid mandat, ſeu præcipit. In quo ſenſu Mandatum accipitur *in c. Cùm contingat. 24. h. t. & c. Olim vobis. 16. de Reſtit. ſpoliat.* ibi: *Vobis dediſſe meminimus in mandatis.* Quinimò hoc modo omne Reſcriptum, poteſt dici Mandatum in genere: quia in eo mandatur aliquid dari, permitti, fieri, *arg. c. Cùm dilecta. 22. h. t.* ubi Reſcriptum ad lites, quod cæteroquin eſt reſcriptum propriè dictum, appellatur *Mandatum Apoſtolicum.* Rebuffus *loc. cit. n. 53.*

Verùm magis ſtrictè, & ad propoſitum loquendo, per *Mandatum Apoſtolicum* ſolent intelligi Litteræ illæ, quibus Papa mandat alicui provideri de Beneficio Eccleſiaſtico, ſeu Præbenda; prout liquet *ex c. Mandatum. 38. & c. Abbatem. 40. h. t. & c. Si Capitulo. 5. de Conceſſ. Præbend. in 6.* Et iſtud alio nomine appellatur *Mandatum de providendo.* Rebuffus *loc. cit. §. De Mandatis Apoſtolicis. n. 2.*

Quæritur IV. Quotuplex ſit Reſciptum? Reſp. I. Reſcriptum generaliter, & largè ſumptum, dividitur in Reſcriptum ſecundùm legem, præter legem, & contra legem. Ita Zoëſius *n. 5. h. t.* & alij; ac probatur inductione, explicando ſingula membra. Et quidem

Reſcriptum contra legem dicitur illud, quo aliquid conceditur contra communes Juris regulas: ut fit in diſpenſationibus, & privilegijs. *Reſcriptum præter legem* eſt, quod datur circa ea, quæ Jure deciſa non ſunt; ac proinde tale Reſcriptū nec eſt contra jus, nec ſecundùm jus: ut ſunt Litteræ Beneficiales, itē ea Reſcripta, quibus alicui ſupplicanti quidpiam gratioſè conceditur ex mera liberalitate Principis, quod neq; eſt ſecundùm jus, neque contra jus: & proprio nomine dicitur

Bene-

Beneficium Principis. Tandem *Reſcriptum ſecundùm legem* eſt, quod datur ad juris obſervantiam: ut cùm Princeps reſcribit reſpondendo de jure conſulentibus, aut delegat Judices, qui inter Partes litigantes juſtitiam adminiſtrent, litéſque dirimant: eſtque Reſcriptum ſtrictè, & propriè dictum.

4 Porrò in Rubrica præſentis Tituli accipitur Reſcriptum largè: ſiquidem in progreſſu ejuſdem Tituli tractatur etiam de Privilegijs, & Litteris Beneficialibus; uti patet ex *cap. 6. 17. &* 17. *ac* 30. & alijs hujus Tituli.

25 Objicies. Reſcriptum contra jus non valet; ergo fruſtrà allegatur pro membro datæ diviſionis Reſcriptum contra legem. Ant. patet ex *l. Reſcripta. C. de Precib. Imperat. offerend.* eſtque canonizata in can. Reſcripta. 25. q. 5. ibi: *Reſcripta contra jus elicita, ab omnibus Judicibus rejutari præcipimus: niſi forte aliquid eſt, quod non lædat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicantibus indulgeat.* Concordat textus *in L. ul. C. Si contra jus.* Reſp. Antecedens cum ſuis probationibus procedere regulariter, ſeu quando aliunde non apparet de contraria voluntate Principis: nam ſtante dubio, an Princeps tale Reſcriptum contra Jus commune concedere voluerit, præſumitur is ob multitudinem negotiorum fuiſſe circumventus, ipsúmque Reſcriptum per importunitatem obtentum; ac proinde iſtud debet refutari. Gloſſa *cap. 1. §. Noſcatur. de Conſtitut. in 6.* Fagnanus *in c. Cauſam, quæ. n. 5. h. t.* & alij. Quòd ſi verò conſtet de certa Principis ſcientia, & voluntate, valet Reſcriptum etiam contra jus; & ſpeciali nomine vocatur *Privilegium.*

26 Cenſetur autem ſatis conſtare de voluntate Principis, quando vel Princeps interrogatus dat ſecundam juſſionem, *Auth. Ut nulli judicum. §. Et hoc verò jubemus. Collat. 9.* Vel quando Reſcriptum continet clauſulam derogatoriam legis, ſaltem generalem, *Non obſtante aliqua lege in contrarium.* Nam in Reſcriptis ad derogandum legi non requiritur derogatio ſpecialis, ſed ſufficit generalis. Felinus *in c. Nonnulli. num. 10. h. t.* & alij mox allegandi. Niſi forſan Jus commune habeat clauſulam derogatoriam, vel det certam formam Reſcriptis impetrandis: prout accidit in Decretis Concilij Generalis, quæ requirunt expreſſam mentionem Concilij, ut ſibi derogetur, juxta *cit. c. Nonnulli 27.* & notat ibidem Abbas *num. 9. h. t.* ac Fagnanus *in c. Ex parte. n. 4. de Capell. Monach.* & alij, éſtque dictum *Tit. præc. n. 527. & ſeqq.*

27 Reſp. II. Inter alias Reſcriptorum Diviſiones celeberrima, & in Jure frequentiſſima eſt illa, quâ dividuntur in Reſcripta gratiæ, ſeu ad beneficia; & in Reſcripta juſtitiæ, ſive ad lites. Ita communis, haud obſtante, quòd nonnulli addant Reſcripta mixta; nam hæc participant de utroque membro prædictorum. Concluſio probatur inductione, atque explicatione terminorum. Siquidem

28 *Reſcripta juſtitiæ,* ſive *ad lites,* ſunt illa, quæ per Principem expediuntur ad delegationem, ſeu deciſionem cauſarum judicialium: ut ſi Papa cauſæ ad ſe devolutæ Judicem delegatum conſtituat; vel quando de jure partium obſcuro conſultus interpretatur illud, & quid Judex in judicando ſequi debet, declarat. Et talia Reſcripta paſſim in toto Corpore Juris Canonici occurrunt.

Reſcripta gratiæ, ſeu *ad beneficia*, dicuntur ea, quæ 29 dantur ad obtinenda Beneficia Eccleſiaſtica, & alias conſimiles gratias: ut ſi Papa det cuipiam Litteras, quibus mandat eidem provideri de Beneficio Eccleſiaſtico. Et talia Reſcripta alio nomine dicuntur *Litteræ Beneficiales,* item *Mandata Appſtolica* de providendo, vel *Gratiæ expectativæ*: atque expediri ſolent in multiplici forma; prout refert Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 33. quæſt. 1. & 5.* Pirhing *tit. de Præbend. num. 234. & ſeqq.* & alij. Atque Reſcriptis iſtis in Jure Civili correſpondent ea, quæ per Imperatores conceduntur ad Dignitates, & Adminiſtrationes Civiles; ut *l. Sacrilegij, C. de Diverſ. Reſcript.*

Dantur etiam Reſcripta gratiæ, quæ verſantur non circa Beneficia Eccleſiaſtica, ſed circa 30 jus operandi: ſive hæc concedantur præter legem, ut ſunt mera Beneficia Principis, & nulli tertio præjudicium generantia; ſive contra legem, ut ſunt Privilegia. Huc reducuntur gratiæ illæ, quæ propriè ac ſtrictè Privilegia non ſunt, conceduntur tamen contra Jus commune: ut ſunt Diſpenſationes, quæ dantur ad unum duntaxat actum exercendum contra legem communem, v. g. ad contrahendum matrimonium, non obſtante impedimento canonico, ad ſuſcipiendos Ordines ab eo, qui contraxerat irregularitatem, & hujusmodi. Tales enim diſpenſationes propriè Privilegia dici non poſſunt, eò quòd non concedantur per modum Legis privatæ, ad operandum ordinariè ac ſtabiliter contra Jus commune. Suarez *lib. 8. de Legib. cap. 2. n. 9. & 10.* Pirhing *h. t. n. 4.*

Reſcriptum mixtum, quod nonnulli addunt, dicitur illud, quod continet gratiam & juſtitiam ſimul: ut ſi Papa cuipiam conferat, vel conferri mandet Beneficium Eccleſiaſticum, ſimúlque ad hunc effectum conſtituat Executorem collatâ ſibi poteſtate compellendi rebelles. Nam quatenùs confertur, vel conferri mandatur Beneficium, hac ex parte Reſcriptum illud eſt gratioſum: quatenùs verò datur jurisdictio compellendi rebelles, ſapit juſtitiam, ſicque appellatur *Reſcriptum mixtum.* Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 109. n. 7.* poſt Geminianum *Conſil. 65. n. 24.* 31

Porrò inter Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, & 32 inter Reſcripta gratiæ, ſeu ad beneficia, multiplex eſt diſcrimen, prout ampliùs ex progreſſu patebit. Solùm hîc præliminariter eſt notandum, quòd in dubio Reſcriptum præſumatur eſſe juſtitiæ, & non Gratiæ; ac proinde is probare debeat, qui dicit Reſcriptum eſſe gratioſum, ſive continens gratiam, & non juſtitiam. Card. Tuſchus *cit. Concl. 109. num. 2.* poſt Geminianum *loc. cit. num. 23.* Pirhing *h. t. num. 4.*

§. II.

De Impetratione Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

33. *Reſcriptum poteſt impetrare, qui expreſsè à Iure non prohibetur.*
Conceſſum intelligitur, quod expreſsè non prohibetur. *Ibid.*
34. Prohibitum intelligitur, quod non reperitur conceſſum. *Concordatur cum priori Regula.*
35. *Edictum prohibitorium, & Edictum permiſſorium, quid, & unde ſic dicatur?*
36. *Servi de Jure Civili non poſſunt Reſcriptum impetrare, niſi in certis caſibus.*
37. *Si tamen Servus admittatur, valet Reſcriptum ab eo impetratum.*
38. *Hæretici de Jure Civili prohibentur Reſcriptum impetrare.*
Et quid de Jure Canonico? ibid.
39. *Excommunicatus, an poſſit impetrare Reſcriptum? Et num. ſeqq.*
40. *Non poteſt impetrare Reſcriptum Papale, benè tamen aliud.*
41. *Si ſit excommunicatus excommunicatione majori.*
42. *Adeò, ut tunc neque per procuratorem poſſit impetrare Reſcriptum Pontificium.*
Sive excommunicatio ſit publica, ſive occulta. Ibid.
43. *Niſi in cauſa excommunicationis,*
44. *Vel appellationis. Idémque declaratur: & num. 39. & 43.*
45. *Reſcriptum ab excommunicato impetratum, an ſit ipſo jure nullum, an duntaxat ope exceptionis?*
Ratio dubitandi, ac poſterius tenendi. Ibid.
46. *Tale Reſcriptum eſt ipſo jure nullum, ſicut & Proceſſus per ipſum habitus.*
47. *Solvitur inſtantia, concordando cap. 1. de Conſtitut. in 6. & c. Pia. de Exceptionib. in 6.*
48. *Cur nemine excipiente valeat Proceſſus habitus coram Judice ordinario, non item coram delegato?*
49. *Quid Juris, ſi poſt impetratum Reſcriptum, ac durante lite, Imperator ejus incidat in excommunicationem?*
50. *Reſcriptum ab excommunicato impetratum, eſt nullum, licèt excommunicatio ſit occulta, & excommunicatus non vitandus.*
51. *Concilium Conſtantienſe non intendit excommunicatos in aliquo relevare.*
52. *Reſcriptum ab excommunicato impetratum, eſt ipſo jure irritum, tam pro Foro externo, quàm Foro conſcientiæ, ac ante omnem ſententiam Judicis.*
53. *Abſolutio à cenſuris ad cautelam, quid operetur?*
54. *Abſolutio ab excommunicatione primùm ſuperveniens, non convalidat Reſcriptum ab excommunicato impetratum.*
55. *Explicatur* c. Prudentiam. ʃʃ. Sexta. de Offic. Delegat.
56. *Reſcripta gratiæ poſſunt impetrari pro alio absque ejus mandato.*
57. *Non item Reſcripta juſtitiæ, quantùm eſt de rigore Juris.*
58. *Niſi pro perſonis conjunctis.*
59. *De conſuetudine tamen modernâ Curiæ Romanæ valet Reſcriptum juſtitiæ pro extraneo impetratum, absque ejus mandato.*

33 QUæritur I. Quis poſſit, vel non poſſit impetrare Reſcriptum à Principe? Reſp. I. Omnis ille, qui non reperitur expreſsè à Jure prohibitus, poteſt impetrare Reſcriptum. Ita communis. Siquidem in materia communiter non prohibita, qualis eſt hæc, procedit illud vulgatum axioma: *Conceſſum intelligitur, quod expreſsè non prohibetur.* Gloſſa *in c. Inter corporalia. ℣. Non invenitur. de Translat. Epiſc.* atque deſumitur *ex can. Jam nunc. 28. q. 1. & cap. 1. de Procurat. in 6.* cum ſimilibus.

34 Neque obſtat illud pariter receptum, & *in cit. c. Inter corporalia*, allegatum: *Prohibitum intelligitur, quod non reperitur conceſſum.* Non obſtat, inquam: quia iſtud poſterius axioma procedit duntaxat nonnunquam (ut addit expreſsè textus) hoc eſt, ſicut explicat Abbas *ibid. num. 21.* in materia regulariter, & communiter prohibita: nam, ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum. *Clem. Exivi ʃʃ. Porrò: de Verb. ſignif.* & ampliùs Gloſſa *in cap. 1. ℣. Conceſſum. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* Secùs eſt in materia communiter non prohibita: tunc enim locum habet prior Regula.

Et nota occaſione præmiſſorum, quòd Edictum aliud ſit prohibitorium, aliud permiſſorium. 35 *Edictum prohibitorium* dicitur, quod editur in materia de ſe & communiter permiſſa, ſed in certis caſibus prohibita. Hinc *l. Mutus. ff. de Procurat.* dicitur: *Cùm quæritur, an alicui procuratorem habere liceat, inſpiciendum eſt, an non prohibeatur procuratorem dare: quia hoc Edictum prohibitorium eſt* (ſupple cum Gloſſa ibidem, *℣. Hoc Edictum*) certarum perſonarum, quæ à procuratione conſtituenda removentur, unde alijs conceſſiſſe videtur: & ſi quis dicat, non licere lege, vel conſtitutione, probet. Concordat *c. Cùm apud Sedem. 23. de Sponſalib.* ibi: *Cùm prohibitorium ſit Edictum de matrimonio contrahendo, quicunque non* expreſsè (ut addit Gloſſa) *prohibetur, per conſequentiam admittitur.* Econtra *Edictum permiſſorium* dicitur, quando materia, quæ de ſe ac regulariter eſt prohibita, in certis caſibus permittitur: nam Edi-

Edictum prohibitorium, vel permiſſorium, recipit denominationem à ſpecialitate, quâ ipſum aliquid prohibet, vel permittit, non autem à generalitate materiæ. Gloſſa magna *in cap. 1. de Procurat. in 6.* & alij.

36 Reſp. II. De Jure Civili regulariter prohibitum eſt Servis, ſive mancipijs proprie dictis, ſupplicare Principi, ſicque ab eo Reſcriptum impetrare: niſi de Domini nece vindicanda agatur, *L. 1. C. de Precib. Imperat. offerend.* Aut niſi in atrociſſimis cauſis id fiat, ut puta quia Dominus in ſervos ſæviret, *arg. L. 2. ff. De ijs, qui ſui vel alieni jur.* Hoſtienſis *n. 4. h. t.*

37 Sciendum tamen, quòd licèt Servus regulariter non admittatur, ſi tamen admiſſus fuerit, valet Reſcriptum ab eo impetratum pro alio. *l. Univerſis. C. de Precib. Imperat. offerend.* Imò etiam pro ſe impetratum valet, dummodò Princeps ſciverit ſuam conditionem Servilem; aliàs verò non. Gloſſa *in cit. l. Univerſis. ℣. Vel ſervo.*

Reſp. III. Hæretici de Jure quoque Civili
38 prohibentur Reſcriptum impetrare. Ita habet textus expreſſus in *L. 2. C. de Summa Trinit.* ibi: *Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciale quolibet Reſcripto per fraudem elicito, ab hujusmodi hominum* (Hæreticorum) *genere impetratum ſit, non valere.* Et hæc procedunt de Reſcriptis Imperatorijs, quàquàm quia Hæretici ipſo jure ſunt excommunicati, *c. Excommunicamus. 13. de Hæreticis.* cum concordantijs; de ipſis ſpectato etiam Jure Canonico data Concluſio procedat, juxta mox dicenda de alijs excommunicatis. Unde

39 Quæritur II. Utrum Excommunicati poſſint impetrare Reſcriptum Pontificium? Reſp. Reſcriptum Papale impetrare non poteſt Excommunicatus excommunicatione majori; niſi in cauſa excommunicationis, vel appellationis ad ſuam defenſionem. Ita communis, & patet *ex c. Dilectus. 26. h. t.* ubi Reſcriptum ab excommunicato tacitâ excommunicatione impetratum, cenſetur ſubreptitium, ac nullius roboris. Tum quia (ut inquit Gloſſa *℣. Excommunicationis*) tacuit vitium ſuum: tum etiam, quia ingeſſit ſe communioni hominum, propter quod eſt puniendus, *c. Illud. de Clerico excomm. miniſt.* unde inconveniens foret, quòd ex eodem facto ſimul conſequeretur commodum. Concordat textus expreſſus *in cap. 1. h. t. in 6.* ibi: *Ipſo jure reſcriptum, vel proceſſus per ipſum habitus non valeat, ſi ab excommunicato ſuper alio, quàm excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum.*

40 Dicitur primò, *Reſcriptum Papale.* Nam allata Concluſio procedit ſolùm de Reſcriptis Pontificijs, ſive à Domino Papa emanatis (pro quibus etiam nomen *Reſcripti* ſimpliciter, & abſolutè prolatum, in Eccleſiaſticis accipitur) non autem de Reſcriptis Imperatorum, aut aliorum Papâ inferiorum: quia conſtitutio proximè memorata, cùm ſit odioſa, potiùs reſtringi debet, quàm extendi. Navarrus *Conſil. 44. n. 4. & 6. de Sent. excomm.* Pirhing *h. t. n.* 10. Layman *cap. 1. n. 4. h. t. in 6.* Suarez, & alij.

Dicitur ſecundò, *Excommunicatus excommunicatione majori.* Nam allegata Jura, Reſcripti impetrationem denegantia, procedunt ſolummodò de excommunicato excommunicatione 41
majori, ut deſumitur *ex c. A Nobis. de Exceptionib. & c. Pia.* §. 1. *eod. in 6.* ac notat Gloſſa *cit. cap. 1. ℣. Ab excommunicato. h. t. in 6.* Siquidem excommunicatio minor privat ſolâ participatione, ſeu perceptione Sacramentorum, *c. Si celebrat. de Clerico excommunicat. miniſtrant.* ac proinde non impedit impetrationem Reſcripti.

Cæterùm excommunicatus excommunicatione majori adeo eſt inhabilis ad impetrandum Reſcriptum, ut illud non ſolùm non poſſit impetrare per ſeipſum, ſed neque per procuratorem, *arg. cap. ult. de Procurat.* & ibi Gloſſa marginalis, rejiciens ſententiam Gloſſæ primæ, quæ videtur oppoſitum tenere. Abbas *in d. cap. ult. n.* 11. Jo. Andreas *ibid.* & alij. Sicut à pari, ſi Epiſcopus incidat in excommunicationem, non poteſt is negotia Diœceſis exercere per procuratorem, vel Vicarium ſuum Generalem, *cap. 1. de Officio Vicarij. in 6.* Quinimò excommunicatus etiam nequit impetrare Reſcriptum pro alio, licèt non excommunicato, *arg. c. Decernimus. 8. de Sent. excomm. in 6.* & notat Layman *cit. cap. ult. n. 1. de Procurat.* Et hoc, ſive excommunicatio ſit publica, ſive occulta. Abbas *loc. cit.* cùm impræſentiarum Jura non diſtinguant, ſed indiſtinctè de excommunicato loquantur, prout ampliùs *n. 50.* declarabitur. 42

Dicitur tertiò, *niſi in cauſa excommunicationis, vel appellationis.* Nam hi duo caſus expreſsè habentur excepti *cit. cap. 1. h. t. in 6.* Ne alioquin excommunicato ſubtrahantur media juſtæ defenſionis, quorum unum contra quodcunque gravamen injuſtè illatum, ſuppetit per viam appellationis; alterum verò per modum ſimplicis querelæ contra excommunicationem injuſtam. Unde imprimìs, ſi quis contendat, ſe fuiſſe excommunicatum injuſtè, poteſt is Papæ ſupplicare, & ab eo Reſcriptum obtinere, ut vel excommunicator (ſi ita eſt) absque difficultate ipſum abſolvat; vel eo non parente, per deputatos Judices, prævià cauſæ cognitione, Mandatum Apoſtolicum executioni mandetur, *c. Ab excommunicato. 41. h. t.* Alioquin enim, ſi hoc non liceret, injuſtè excommunicatus deſtitueretur remedio valdè commodo ad defendendum ſe contra injuſtam excommunicationem: eò, quòd relatio ad Principem per modum ſimplicis querelæ ſit facilior appellatione; ſimúlque excommunicatio, quamvis injuſta, liget (ſaltem in Foro externo, ſeu quoad homines, licèt non quoad Deum) ac proinde ſit ſervanda in facie Eccleſiæ, quousque quis ab ea fuerit abſolutus, vel innocentia ipſius, atque error Cenſuræ publicè innotuerit. *can. Si quis à proprio. & can. Si Epiſcopus. 11. q. 3.* ac fuſè tradit Abbas *in cit. c. Ab excommunicato. n.* 10. *h. t.* Unde *can. 1. ead.* 11. *q.* 3. S. Gregorius Papa refertur, dicens: *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt.* 43

44 Deinde ſi excommunicatus ſuper aliquo negotio, quodcunque illud ſit, convenitur in judicio (poteſt enim excommunicatus ſtare in judicio ut Reus, atque ab alio conveniri, ne de ſua malitia commodum reportare videatur, ſi conveniri non poſſet, *c. Intelleximus. de Judicijs*) licebit eidem, ſi viderit ſe gravatum per ſententiam Judicis, vel aliàs, appellare, & appellationem proſequi, & ſuper tali articulo appellationis Reſcriptum Apoſtolicum impetrare, & alia omnia agere, quæ ad ſui juſtam defenſionem pertinent, *cit. cap. 1. h. t. in 6.* Et meritò: quia appellatio eſt ſpecies defenſionis, ab ipſo jure naturæ omnibus conceſſæ: ſimúlque, cui conceditur principale, puta appellare, etiam acceſſorium conceſſum intelligitur, videlicet poſſe deſuper Reſcriptum impetrare. Gloſſa *fin. d. c. Intelleximus.*

45 Quæritur III. An Reſcriptum ab excommunicato impetratum, ſit ipſo jure nullum, vel duntaxat ope exceptionis; adeòque valeant geſta virtute talis Reſcripti, ſi nemo contra illud excipiat? Ratio dubitandi, & hoc poſterius tenendi, deſumitur *ex c. Pia. 1. de Exceptionib. in 6.* ubi decernitur, quòd quando quis excommunicatus agit in judicio, & ope exceptionis Rei, vel ex officio Judicis non repellitur, valeat Proceſſus, atque Sententia inde ſubſecuta. Et ideò, quòd Proceſſus habitus per Litteras impetratas ab excommunicato valeat, ſi non opponatur exceptio, tenuit Innocentius *in c. Prudentiam. §. Sexta. de Offic. Delegat.* Bernardus, & Durandus, quos citat Gloſſa *cap. 1. ℣. Ipſo jure. h. t. in 6.* Verùm his minimè obſtantibus

46 Reſp. I. Reſcriptum ab excommunicato impetratum, extra memoratos duos caſus, non tantùm ope exceptionis, ſed etjam ipſo jure eſt nullum, ſicut & Proceſſus per ipſum habitus ipſo jure non valet. Ita communis aliorum; & patet *ex allegato cap. 1. h. t. in 6.* ubi ipſo jure Reſcriptum, atque Proceſſus per ipſum habitus, non valere decernitur, ſi ab excommunicato fuerit impetratũ; & conſequenter ad ejus invaliditatẽ nõ eſt opus exceptione partis adverſæ.

47 Dices. Iſta Decretalis eſt prior cit. Decretali *Pia. de Except. in 6.* ergo, cùm in iſta Proceſſus ab Actore excommunicato factus valere dicatur, ſi Reus non exceperit, per hanc, utpote poſteriorem, prior illa revocata videtur. Ant. patet ex Superſcriptionibus: nam *cap. 1. h. t. in 6.* eſt Gregorij IX. qui creatus fuit 1227. & Decretalis *Pia* fuit edita in Concilio Lugdunenſi, ſub Innocentio IV. celebrato circà annum 1243. Reſp. neg. conſequent. Decretales enim illæ loquuntur in diverſis caſibus, ſicque ſibi mutuò non contradicunt, neque una derogat alteri. Nam *cap. 1. h. t. in 6.* procedit, quando Actor tempore impetrati Reſcripti fuit excommunicatus, & virtute illius Reſcripti agit coram Judice delegato: at verò *cap. Pia.* loquitur in caſu, quando Actor excommunicatus agit coram Judice ordinario; tunc enim Reo non excipiente valet Proceſſus, non item in priori caſu. Gloſſa magna *cit. cap. 1. h. t. in 6.*

Et ſi quæras, quæ ſit ratio diverſi juris inter 48 hoſce duos caſus? Reſpondetur, diſparitatem in hoc conſiſtere: quia, ſi excommunicatus agit cauſam coram Judice ordinario, agitur coram eo, qui jam anteà habebat jurisdictionem ſuam ordinariam, ſicque jurisdictio ejus non incipit ab Actore excommunicato agente, ſeu impetrante Reſcriptum juſtitiæ; & ideò valet Proceſſus coram Judice ordinario factus, niſi de excommunicatione Actoris excipiatur. Econtrà fit in Judice delegato, ſeu dato per Reſcriptum ab excommunicato impetratum: iſte enim anteà non habuit jurisdictionem aliquam reſpectu talis cauſæ, ſed eam primùm acquirere debet per Reſcriptum; ideóque habet vitioſum principium, tum ex perſona Actoris in excommunicatione impetrantis Reſcriptum, tum ex parte Reſcripti, utpote quod ipſo jure nullius eſt roboris, ac prorſus invalidum: adeóque non mirum, quòd Proceſſus inde factus cenſeatur ipſo jure non valere, cùm ſit formatus à non habente jurisdictionem.

Secùs foret dicendum, quando quis tempore 49 impetrationis Reſcripti nondum erat excommunicatus, ſed durante lite primùm incurrit excommunicationem. Quia ſequens excommunicatio non vitiat Reſcriptum anteà obtentum, ac proinde Proceſſus coram Judice delegato, utpote vi talis Reſcripti jurisdictionem jam habente, formatus valet, niſi opponatur exceptio dictæ Excommunicationis. Gloſſa *loc. cit.* Barboſa *in cap. 1. n. 17. h. t. in 6.* Socinus *in c. Sacris. n. 168. de Sent. excomm.* & alij.

Reſp. II. Reſcriptum ab excommunicato impetratum, 50 unà cum Proceſſu inde formato, eſt ipſo jure irritum atque invalidum, etiamſi excommunicatio fuerit occulta, atque excommunicatus non ſit vitandus, ſed toleratus; prout de factò poſt Concilium Conſtantienſe, ſub Martino V. celebratum, circa annum Domini 1414. nulli excommunicati ſunt vitandi, niſi ſint ſpecialiter & nominatim denuntiati, vel niſi ſint notorij percuſſores Clericorum. Ita Barboſa *loc. cit. n. 3.* poſt Geminianum, Abbatem, Felinum, & Pirhing *h. t. n. 8.* citans communem. Ratio eſt: quia Pontifex *cap. 1. h. t. in 6.* generatim loquitur de excommunicato, atque Reſcriptum ab eodem impetratum, unà cum Proceſſu inde habito, decernit ipſo jure eſſe nullum.

Accedit, quòd iſtud fuerit ſtatutum in odium excommunicationis, ſimúlque excom̃unicatis, etiam toleratis, per Concilium Conſtantienſe nullus omninò favor fuerit factus, cùm ſolùm Fidelibus innocentibus conſulere voluerit, ne facilè com̃unicando cum excom̃unicatis aliquam cenſuram incurrant. Covarruvias *in c. Alma mater. part. 1. §. 2. n. 11.* Sylveſter *℣. Excommunicatio. 5. n. 7. & 8.* Fagnanus *in c. Quod à prædeceſſore. n. 54. & 72.* referens verba dicti Concilij, & alij: atque liquet ex Bulla Martini V. in dicto Concilio edita, quæ incipit, *Ad evitanda*, & circa finem expreſsè proteſtatur, quòd *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec ei*

quo-

quomodolibet ſuffragari. Et conſequenter, quantùm ad ipſos Excommunicatos, ac impetrationem v. g. Reſcripti per eosdem obtenti, rigor antiqui Juris Canonici adhuc manet inconcuſſus, & invariatus.

52 Reſp. III. Ejusmodi Reſcriptum ab excommunicato impetratum, eſt ipſo jure irritum non tantùm pro Foro externo, ſed etiam pro Foro conſcientiæ, & ante omnem ſententiam Judicis condemnatoriam, vel declaratoriam. Ita Suarez *diſp. 17. de Cenſuris. ſect. 1. n. 4.* Sylveſter *v. Reſcriptum. q. 2.* & alij, contra Navarrum *Conſil. 44. n. 7. & 8. de Sent. excomm.* Ratio eſt: quia excommunicatio ſecum trahit executionem, ut dicitur *in c. Paſtoralis. 53. §. fin. de Appellat.* Simúlque leges, quæ meram pœnam ſpiritualem inferunt, aut ſimpliciter inhabilitatem ad aliquem actum inducunt, non requirunt ſententiam Judicis, ſed ſtatim effectum ſuum habent, & obligant, ut dictum eſt *Tit. præc.* §. 10. *n. 126. & ſeqq.*

53 Et hac de cauſa hodie de ſtylo Curiæ Romanæ ſolet plerisque Reſcriptis inſeri abſolutio à cenſuris ad cautelam in ordine ad effectum illius Reſcripti certiùs conſequendum: unde licèt quis noverit, quòd obtinuerit Reſcriptum in excommunicatione conſtitutus, ſi tamen fuit inſerta abſolutio illa ad cautelam, validè, ac licitè pro Foro conſcientiæ eodem uti poterit. Inſuper, ſi poſteà innotuerit, impetratorem Reſcripti fuiſſe tempore impetrationis excommunicatum, ex hoc capite valor Reſcripti etiam in Foro externo impugnari non poterit: quia impetrator ipſius jam fuerat abſolutus in ordine ad ejus effectum conſequendum.

54 Secùs eſt dicendum, quando abſolutio ab excommunicatione primùm ſupervenit: quia Reſcriptum ab Excommunicato impetratum adeò eſt invalidum & nullum, ut ſuperveniens abſolutio illud non convalidet. Abbas *in c. Prudentiam.* §. *Sexta. n. 10. de Offic. Delegat.* Barboſa *loc. cit. n. 16.* citans inſuper Anchoranum, Rebuffum, & alios. Licèt enim per abſolutionem reducatur excommunicatus in ſtatum priſtinum; *can. Quod autem. 4. q. 1.* nihilominus, quia Reſcriptum ab excommunicato impetratum nunquam valuit, ſecutâ ejus abſolutione non poteſt reconvaleſcere.

55 Nec dictis obſtat textus *in c. Prudentiam* §. *Sexta. de Offic. Delegat.* ubi habetur, quòd Actor, quem Reus probat excommunicatum, priùs à Judice delegato ſit abſolvendus, & poſteà audiendus; ac proinde videtur ſequi, quòd abſolutio ſequens poſſit convalidare Reſcriptum ab excommunicato impetratum. Reſp. enim neg. ſequel. Quia *loc. cit.* ſermo eſt de excommunicato, qui incidit in excommunicationem poſt Reſcriptum Papale jam anteà impetratum, ac proinde, ut poſſit ſtare, & agere in judicio, haud obſtante exceptione ſuæ excommunicationis per Reum propoſitâ, & probatâ, priùs in forma Eccleſiæ abſolvendus eſt: non autem ibi ſermo eſt de tali, qui tempore impetrationis fuit excommunicatus, ut ibidem notat Gloſſa, *v. Vinculo.* & Abbas *n. 10.* Pirhing *tit. De Offic. Delegat. n. 85.* & alij. Quòd ſi etiam quis illud Capitulum velit intelligere de Reſcripto in excommunicatione impetrato, dicendum erit, id procedere in caſu articuli excommunicationis, vel appellationis, juxta *cap. 1. h. t. in 6.*

Quæritur IV. Utrum quis poſſit impetrare Reſcriptum pro alio absque ejus ſpeciali mandato? Reſp. cum communi, hîc eſſe diſtinguendùm inter Reſcripta gratiæ, & juſtitiæ. Et quidem Reſcripta gratiæ poſſe impetrari pro alia perſona capaci ſine ejusmodi mandato ſpeciali, fatentur paſſim Doctores, poſt Gloſſam *in c. Nonnulli v. Sine ſpeciali. h. t.* Idque ſatis deſumitur ex *l. Univerſis. C. de Precib. Imperat. offerend.* ibi: *Univerſis ſimul hanc obſervantiam remittimus, ut à quocunque ſupplicante impetratum fuerit reſcriptum, minimè requiratur, per quem preces oblatæ ſint.* Hoc quippe ad minùs habebit locum in Reſcriptis gratiæ. 56

Econtrà verò Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, quantùm eſt de rigore juris, ac ſeclusâ contrariâ conſuetudine, non poſſe pro alio impetrari absque ejusdem mandato ſpeciali, expreſse habetur *cit. cap. Nonnulli. 28.* §. *Sunt & alij. & c. Ex parte. 33.* §. *fin. h. t.* In quo poſteriori loco proinde concluditur, non valere Reſcriptum, quod Procurator revocatus, & de hoc certificatus, pro Domino impetravit? cùm idem ſit, non habuiſſe mandatum, & mandatum eſſe revocatum; imò hoc plus ſit, quia contra expreſſam voluntatem Domini tunc ageretur. 57

Ab hoc tamen rigore Juris in utroque *cit. cap.* excipiuntur Perſonæ conjunctæ, à quibus non debet de Jure exigi mandatum: quales ſunt Liberi, Parentes, Fratres, Affines, & Liberti, *arg. l. Sed & hæ perſonæ. ff. de Procurat.* ac notat Gloſſa *in cit. c. Ex parte. v. Perſonis.* Quia enim agere licet pro talibus conjunctis perſonis absque earum voluntate, vel mandato, dummodò contraria voluntas non probetur, *Text. clar. l. Pomponius.* §. *fin ff. de Procurat.* Ergo & Reſcriptum juſtitiæ pro iiſdem obtineri poterit absque mandato, dum tamen non apparet de contraria earum voluntate. 58

Additur etiam *num. 57. quantùm de rigore Juris ac ſeclusâ contrariâ conſuetudine.* Siquidem ſecundùm Stylum, & hodiernam conſuetudinem Curiæ Romanæ, poſſunt etiam extraneis perſonis nomine alieno, & ſine ſpeciali mandato, impetrari Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites; nec ſolet ampliùs admitti exceptio defectûs mandati. Navarrus *Conſil. 4. de Reſcript. n. 9.* poſt Felinum, qui fuit Auditor Rotæ, *in c. Cùm inter. de Exception.* Vallenſis *h. t.* §. 3. *n. 4.* citans Gonzalez *ad Reg. VIII. Cancell. Gloſſa. 63. n. 16.* & ſeqq. Pirhing *h. t. num. 13.* & alij. 59

§. III.

§. III.

De Præſentatione Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

60. *Reſcripta juſtitiæ ſunt præſentanda intra annum, habitâ copiâ Judicis delegati; alioquin valet ſecundum Reſcriptum ab adverſario impetratum, etiam non factâ mentione de primo.*

61. *Solvitur inſtantia* ex c. Cæterùm. h. t. *deſumpta.*

62. *Si non impetratur ſecundum Reſcriptum per adverſarium, tunc prius eſt perpetuum.*

63. *Et hac ratione Reſcripta juſtitiæ dicuntur perpetua.*

64. *Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, non eſt certum tempus in Jure præfixum, quo præſentari debeant.*
Unde hæc ſunt perpetua. Ibid.

65. *Dummodò dolus, aut notabilis negligentia in præſentando, cuipiam imputari non poſſit.*

66. *Quando quis dicatur negligens in præſentandis Reſcriptis gratioſis?*

67. *Et dummodò aliunde certum tempus faciendæ præſentationis non ſit præfinitum. Et num. ſeqq.*

68. *Concordata Germaniæ, quid diſponant circa præſentationem Reſcriptorum ad Beneficia?*

69. *In Reſcriptis Gratiæ attenditur tempus* Datæ, *& in Reſcriptis juſtitiæ tempus* Præſentatæ. *Et n. ſeqq.*

70. *Exemplificatur hoc quoad Reſcripta juſtitiæ.*

71. 72. & 73. *Ac etiam quoad Reſcripta gratiæ, & ad beneficia.*

74. *Gratia Papalis, an perficiatur ex ſola Signatura?*

75. *Conditio appoſita ſuſpendit effectum Conceſſionis Pontificiæ.*

76. *Declaratur, in ordine ad quos effectus in Reſcriptis juſtitiæ attendatur tempus* Præſentatæ, *vel aliud tempus.*

77. 78. & 79. *Ac in reſcriptis gratiæ, ſeu ad Beneficia attendatur tempus* Datæ, *vel aliud.*
Motus proprius purgat ſubreptitionem, ac defectum ætatis pro tempore Datæ *reſcripti beneficialis. num. 79.*

60 QUæritur I. Intra quod tempus Reſcripta ſint præſentanda? Reſp. Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, ſunt præſentanda intra annum, habitâ tamen copiâ Judicis delegati: alioquin, ſi impetrator ejusmodi Reſcripto intra annum dolo, vel negligentiâ uſus non fuerit, & tamen delegati Judicis copiam habuerit, valet ſecundum Reſcriptum impetratum ab adverſario, licèt de primo non faciat mentionem. Ita communis; & habetur expreſſum *in c, Si autem. 9. & c. Plerumque. 23. h. t.* Idque meritò ſtatutum eſt, eò quòd nonnulli impetratis Litteris Apoſtolicis malitiosè, aut negligenter, ipſis longo tempore uti noluerint, & tunc demum eas exhibuerint, quando ipſorum adverſarius alias poſteriores litteras à Papa impetravit, excipientes, quòd hæ, utpote non facientes mentionem de prioribus, non valeant. Cùm igitur malitijs hominum non ſit indulgendum, mandavit Pontifex, Reſcripta ad lites intra annum præſentari debere, poſtquàm tamen copia Judicum habita fuerit; alioquin valeat poſterius Reſcriptum, etſi non faciat mentionem de priori.

61 Nec obſtat *c. Cæterùm. 3. h. t.* ubi non valet ſecundum Reſcriptum, ſuper aliqua cauſa à Sede Apoſtolica obtentum, ſi in ipſo non fit mentio de primo. Reſp. enim, hoc Capitulum eſſe limitandum, atque intelligendum conformiter *cit. c. Si autem. & c. Plerumque*; videlicet, quando primus impetrator intra annum uti cœperit primo Reſcripto à ſe impetrato, vel ſaltem probare poſſit, quòd eodem tempeſtivè uti voluerit, nec tamen Judicis delegati copiam habuerit: tunc enim non valet ſecundum Reſcriptum, nullâ factâ mentione de primo obtentum; idque ex defectu voluntatis concedentis, *arg. c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat.* Secùs dicendum, quando primus impetrator dolo, vel negligentiâ, ſuo Reſcripto intra annum uti prætermittit.

Notat tamen Abbas *cit. c. Si autem. num. 3. h. t.* quòd Reſcriptum ad lites ob dolum, vel negli- 61
gentiam impetratoris in utendo (quæ poſt lapſum anni præſumitur, niſi ab impetratore probetur impedimentum) tunc demum perdatur, ſi per adverſarium impetratur ſecundum contrarium: aliàs autem, non datâ impetratione ſecundi Reſcripti, primum eſt perpetuum; id eſt, durat tanto tempore, quanto durat actio, ſuper qua impetratur. Et hoc probatur ex textu ſingulari, *l. Falsò aſſeveratur. C. de Diverſis Reſcript.* ubi dicitur, quòd Reſcripta juſtitiæ, ſive ea, quæ ad jus reſcribuntur, perennia eſſe debeant, non verò annalia, niſi aliud tempus definiatur in eis. Atqui allegati textus Juris Canonici, ponentes terminum unius anni, loquuntur duntaxat in caſu impetrati poſterioris Reſcripti: ergo hoc non impetrato procedit Jus antiquum, *in d. l. Falsò aſſeveratur*, expreſſum; cùm non cenſeatur plus de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum, *l. Præcipimus. C. de Appellat.*

Et hac de cauſa Jaſon *in d. l. Falsò aſſeveratur, n. 1.* & Fachineus *Controverſ. Juris lib. 8. cap. 65.* alle- 6
gans veram, & comunem ſententiam, abſolutè docet, Reſcripta juſtitiæ perpetua eſſe: cùm non ſit inducenda inter Jus Civile, & Canonicum

diſcor-

diſcordia, niſi apertè ſit expreſſa; quamvis ſi dolo, vel negligentiâ quis intra annum non utatur obtento à ſe Reſcripto ad lites, poſſit adverſarius ejus aliud impetrare, illúdque valeat, licèt nullam de priori faciat mentionem.

64 Reſp. II. Reſcriptis gratiæ, & ad beneficia, non eſt certum tempus in Jure præfixum, intra quod præſentari debeant; adeóque hujusmodi Reſcripta regulariter ſunt perpetua, niſi dolus aut notabilis negligentia cuipiam imputari valeat, vel aliunde certum tempus faciendæ præſentationis præfinitum exiſtat. Ita Abbas *d. c. Si autem. n. 4. h. t.* Jaſon *loc. cit. n. 2.* Engel *h. t. n. 23.* & alij. Probatur, ſimúlque declaratur Concluſio per ſingulas partes. Et quidem prima pars patet ex eo: quia nullibi reperitur in Jure determinatum certum tempus, intra quod Reſcripta gratioſa, vel Privilegia, præſentari debeant: quinimò, quòd ipſa ſint perpetua, neque expirent morte concedentis, textus eſt notabilis *in c. Si ſuper gratia. 9. de Offic. Delegat. in 6.*

65 Altera pars habetur *ex c. Tibi qui. 12. §. fin. h. t. in 6.* ubi ille, qui priùs Litteras Beneficiales impetravit, in aſſecutione Præbendæ præfertur alteri, qui poſteà alias Litteras Beneficiales quoad eandem Eccleſiam obtinuit, licèt has priùs præſentaverit (per quod confirmatur ulteriùs prima pars Concluſionis) cum hac tamen limitatione: *Dum tamen dolus tibi*, priores litteras obtinenti, *non poſſit, vel notabilis negligentia imputari.* Et conſequenter, argumento à ſenſu contrario deſumpto, ſi quis dolo, vel notabili negligentiâ, ejusmodi Reſcripto diutiùs uti poſtpoſuerit, & ſuperveniat impetratio contrarij Reſcripti ab alio poſtmodùm obtenti, tunc prius Reſcriptum vim ſuam amittit, & poſterior impetrator alterius Reſcripti in aſſecutione Beneficij præfertur primo. Aliud hujus exemplum habetur *in c. Si Clericus. 11. de Præbend. in 6.* ubi dicitur, quòd ſi Clericus, cui mandabatur provideri de Præbenda proximè vacatura, negligit petere Præbendam primò vacantem, ſibique debitam, facta gratia per ipſius negligentiam ſit extincta.

66 Cæterùm, quando aliquis dicatur negligens in præſentandis Reſcriptis gratioſis, non eſt in Jure definitum (ſicut in Reſcriptis juſtitiæ, ubi annus præſcribitur habitâ copiâ Judicis) ac proinde id arbitrio boni viri, id eſt, Judicis, relinquendum cenſet Gloſſa *d. c. Si Clericus. ℣. Negligenter.* per textum notabilem *l. Continuus. §. Cùm ita. ff. de Verb. obligat.* & Alexander *lib. 1. Conſil. 19. n. 5.* id dijudicandum dicens inſpectâ qualitate perſonæ, & loci diſtantiâ, ac qualitate cauſæ, *arg. Cùm ſit Romana. 5. de Appellat.* Menochius *de Arbitrar. Judic. Caſu* 204. *n.* 4. citans Innocentium *in c. Plerumque. in fin. h. t.* Jo. de Selva, & alios.

67 Tertia pars datæ Concluſionis ex eo patet: quia, ſi aliunde certum tempus faciendæ præſentationis præfinitum exiſtat, id omnimodis obſervandum erit: nam ubi eſt certum, conjecturæ locus non eſt, *l. Ille aut ille. ff. de Legat. III. & d. l. Continuus. §. Cùm ita.* cum ſimilibus. Hinc, cui mandatur per Reſcriptum Apoſtolicum, provideri de Præbenda proximè vacatura, eveniente tali vacaturâ tenetur præſentare Reſcriptum; alioquin perdet gratiam, *cit. c. Si Clericus. de Præbend. in 6.*

Inſuper in Concordatis Germaniæ, anno 1447. 68
inter Sedem Apoſtolicam tempore Nicolai Papæ V. & inclytam Nationem Germanicam initis, *§. De cæteris,* expreſsè cavetur, ut quoties aliquo vacante Beneficio in menſibus Papalibus, *non apparuerit infra tres menſes, à die notæ Vacationis in loco Beneficij, quod alicui de Apoſtolica Authoritate proviſum fuerit, ex tunc, & non anteà, Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo liberè diſponere poterit.* Hæc ibi. Verùm, quia circa ſenſum dictorum verborum, quæ ordinarij Collatores in præjudicium collationis Papalis interpretabantur, frequentes difficultates oriebantur: hinc Gregorius XIII. in Bulla *Quæ in Eccleſiam* (quæ refertur *Tom. 2 Bullarij Rom. Conſtitut. 41.* ipſius) declaravit, voluntatem concedentis, ac ſenſum dictorum verborum eſſe, *ut diſpoſitio Beneficij intra tres menſes à die notæ vacationis à Sede prædicta fieri, déque gratiâ factâ alicubi apparere debeat.* Adeóque ulteriùs æquitate, & juſtitiâ ſuadente, declaravit, quòd poſt lapſum etiam trium menſium non poſſint ordinarij Collatores diſponere de ejusmodi Beneficijs, quando de ipſis intra tempus trium menſium per Sedem Apoſtolicam qualiscùnque gratia, vel diſpoſitio, aut conceſſio facta fuit. Ne autem cuiquam licitum foret, factam à Sede præfatâ diſpoſitionem in longum obtegere; hinc idem Pontifex providè decrevit, quòd proviſi de Beneficio, conceſſionis ſibi factæ *fidem, & teſtimonium intra tres menſes à die notæ vacationis in loco Beneficij hujusmodi, vel dictis collatoribus ſignificare, vel in ipſo Beneficii loco publicare quoquo modo teneantur.* Quod proinde omnimodis obſervandum eſt, dummodò commodè fieri poſſit, & temporis anguſtia, vel alia juſta impedimenta non obſtent. Engel *h. t. n.* 23. Pirhing *tit. de Præbend. n.* 363. ac præſertim Georgius Branden *ſuper Concordata Germaniæ, quæſt. 12. Notab. 1.* Ubi *n. 3. &* 4. ſubinfert, quòd, ſi Papa providerit intra tres menſes juxta Concordata, non officiat, quòd talis proviſio intra tres menſes à die vacationis non innotuerit in partibus: quia hoc non eſt neceſſe, ſtante Declaratione Rotæ *coram Fabio Accoramb.* 13. *Febru.* 1559. *in Deciſ. Diverſ.* 126. Et quamvis Gregorius XIII. *ubi ſuprà,* decreverit, ſignificationem obtentæ proviſionis intra tres menſes fieri debere: id tamen ſolùm mandavit ad excitandam diligentiam Proviſorum, non tamen annullat proviſionem, ſi hoc omiſſum fuerit; licèt irritas declaret quascunque proviſiones Collatorum factas poſt publicationem gratiæ Apoſtolicæ.

Quæritur II. Utrùm in Reſcriptis Papalibus 69
attendatur tempus *Præſentatæ*, ſeu factæ præſentationis, vel potiùs tempus *Datæ?* Reſp. Eſſe diſtinguendum inter Reſcripta gratiæ, & Reſcripta juſtitiæ: nam in his poſterioribus inſpicitur tem-

tempus factæ præſentationis; in illis autem, hoc eſt, in Reſcriptis gratioſis, ac beneficialibus, tempus *Datæ*, dummodò in iſtis non fuerit appoſita aliqua conditio. Ita Baldus *in c. Sicut Romana. n. 18. h. t.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Differentia inter Reſcript. gratiæ & juſtitiæ, n. 53.* Barboſa *in c. Capitulum ſanctæ Crucis. n. 30. h. t.* Engel *h. t. n. 18.* Felinus *c. Eam te. n. 18. & ſeqq. de Reſcript.* ponens quaſdam hujus limitationes. Rota Romana *in una Sypontina Penſionis. 5. Julij. 1638. apud Coccinum Deciſ. 1276. & in una Calaguritana Canonicatûs. 3. Aprilis. 1620. apud eundem Coccinum Deciſ. 1134. n.* 7. & alia Rota *coram Merlino Deciſ.* 281. *n. 6.* Vincentius de juſtis, *de Diſpenſat. matrim. lib. 1. cap. 6. n. 564.* & alij. Ratio diſparitatis eſt: quia ante factam Reſcriptorum juſtitiæ præſentationem Judex delegatus nullam habet jurisdictionem efficacem, *c. Ut debitus. 59. de Appellat.* Imò hiſce Reſcriptis tacita ineſt conditio, ſi præſententur, *arg. c. Super eo. 12. eod.* ubi dicitur: *Si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cùm Judices contigerit litteras recepiſſe.* Unde patet, quòd in Reſcriptis juſtitiæ, per quas confertur jurisdictio Judicibus delegatis, inſpici debeat tempus *Præſentatæ*, ſeu factæ præſentationis Litterarum Apoſtolicarum.

70 Hinc infertur, quòd Judex ordinarius poſſit proſequi Proceſſum judiciarium, non obſtante, quòd pars adverſa contrà excipiat, dicendo, quòd ad Papam nuntium deſtinaverit, vel ab eodem jam litteras alium Judicem dantes impetraverit, priusquàm hæ Judici delegato actualiter præſentatæ fuerint, *text. clar. cit. c. Ut debitus. 59. de Appellat.* Econtrà verò, ſi quis tempore impetrati Reſcripti juſtitiæ fuerat Prælatus Eccleſiaſticus, ſed tamen ante præſentatas ſibi litteras renuntiavit Prælaturæ, vel ab ea depoſitus fuit, ulteriùs officium commiſſæ ſibi delegationis ſuſcipere non poterit: quia videlicet tempore *Præſentatæ* non ampliùs eſt conſtitutus in Dignitate Eccleſiaſtica; officium autem delegationis alijs committi non poteſt, niſi conſtitutis in Dignitate, Perſonatu, vel Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis, *c. Statutum. 11. §. 1. h. t. in 6.* Engel *h. t. n.* 18.

71 Secùs dicendum de Reſcriptis gratioſis: nam in his pro eo inſtanti, quo Litteræ ſunt datæ, ſeu expeditæ, illicò parti jus eſt quæſitum, dummodò aliud non obſtet: unde meritò in iſtis attenditur tempus *Datæ*. Et hoc ipſum ulteriùs deſumitur *ex c. Eam te. 7. h. t.* ibi: *Quod nullatenus feciſſe deberes, ſi Datam litterarum diligentiùs attendiſſes.* Concordat cap. Conſtitutus. 19. junctâ Gloſsâ. *℣. Impetrâſſet. h. t.* ubi pariter in Reſcripto ad Beneficium emanato, conſideratur tempus *Datæ*. Et cap. Eum cui. 7. de Præbend. in 6. ubi Summarium inquit: *In impetratione Beneficiorum inſpicitur Data, non præſentatio, vel receptio.*

72 Hinc *c. Si eo tempore. 9. h. t. in 6.* Pontifex reſolvit, virtute Reſcripti Beneficialis non poſſe conferri Beneficium curatum illi, qui tempore *Datæ* ipſius Reſcripti nondum habebat ætatem idoneam ad illud, etiamſi poſtmodùm fuerit effectus legitimæ ætatis: quia nimirum in litteris ad Beneficia impetratis inſpicitur tempus *Datæ*. Textus, Gloſſa, & Doctores ibidem.

Similiter *in Clem. ult. h. t.* pariter deciditur, 73
quòd Litteræ Apoſtolicæ ſuper conferendo Beneficio vacaturo, non extendantur ad Beneficium poſt *Datam* earum creatum, ſeu primò erectum. Item *c. Tibi qui. 12. h. t. in 6. & c. Eum cui. 7. de Præbend. in 6.* cum ſimilibus, quoad impetrationem Præbendæ vacantis, vel proximè vacaturæ, præfertur ille, qui priùs litteras impetravit, licèt alius, ſimilem gratiam poſteà obtinens, ſuas litteras priùs præſentaverit, prout ampliùs dicetur infrà *num. 95. & ſeqq.*

Nec dicas. Gratia Papalis perficitur ex ſola 74
Signatura. Rota *Deciſ.* 418. *n. 3. p. 1. Diverſ.* Caſſadorus *Deciſ. 4. n. 2. De Cauſ. poſſeſſ.* Imò & ſolo verbo gratiæ Principis perficitur. Bartolus *in l. Humanum. ℣. Breviter. C. de Legib.* Pariſius *Conſil. 5. n. 60. lib.* 4. Rota *in Bononienſi de Binarinis, 5. Martij. 1618. coram D. Andrea*: ergo in Litteris gratioſis Papæ potiùs attendi debet tempus Signaturæ, ſive conceſſionis, quàm *Datæ*. Reſp. enim, Antecedens, certis caſibus exceptis, & illicò ſpecificandis, meritò revocari in dubium: nam in Regula 27. Cancellariæ Apoſtolicæ, per SS. D. N. Innocentium PP. XII. reaſſumpta, dicitur, *quòd ante confectionem Litterarum gratia Apoſtolica ſit informis.* Ac proinde ibidem ſtatuitur, quòd *Judices non juxta Supplicationum ſignatarum ſuper quibusvis impetrationibus (niſi in Romana Curia duntaxat ſint commiſſiones juſtitiam concernentes, per Placet, vel per S. R. E. Vice-Cancellarium juxta facultatem ſuper hoc ſibi conceſſam ſignatæ) ſed juxta Litterarum ſuper eisdem impetrationibus, & conceſſionibus confectarum tenores, & formas judicare debeant.* Idémque loquendo de Diſpenſationibus repetitur in Regula 52. quæ inſcribitur: *Nulli ſuffragetur diſpenſatio, niſi litteris confectis.* Verùm, quidquid ſit de Antecedenti, negatur conſequentia. Quinimò ſimul ſtat utrumque: nam Papa cenſetur ſignâſſe Supplicationem à die, ſub qua apparet data à Datario per ipſum Papam ad hoc munus deputato, neque admittitur probatio in contrarium. Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſ. univ. cap. 13. n. 199.* poſt Puteum *Deciſ. 94. lib. 2. in correct.* Stephan. Gratian. *Diſcept. Forenſ. c. 191. n. 1. & ſeqq.* & alios.

Additur notanter *n. 69. Dummodò in iſtis*, ſive 75
Reſcriptis gratioſis, *non fuerit appoſita aliqua conditio*: ut puta, conditio acceptationis, vel electionis, prout exemplificat Baldus *cit. n.* 18. Nam conditio appoſita ſuſpenderet effectum diſpoſitionis, ſeu conceſſionis Pontificiæ, eúmque rejiceret in eventum futuræ conditionis, *l. Cedere diem. ff. de Verb. ſignif.* Menochius *Conſil. 63. n. 28.* ac proinde non poſſet attendi tempus *Datæ*, ſed potiùs tempus evenientis conditionis.

Poſſent etiam contra datã Concluſionẽ objici 76
plura Jura, in quibus quoad Reſcripta attenditur aliud tempus, quàm *Datæ* in litteris gratioſis,

&

& *Præſentatæ* in litteris juſtitiæ; prout fuſiùs oſtendit Gloſſa *in c. Dilectus filius. ℣. Receperunt.* & Abbas *ibid. n. 7. de Præbend.* Verùm facilè reſpondetur diverſificando caſus, & ſic jura juribus concordando. Licèt enim in Reſcriptis juſtitiæ, ad hoc, ut Judici delegato conferatur jurisdictio, attendatur tempus factæ præſentationis eorundem, ut dictum; nihilominus quoad alios effectus tale tempus non attenditur. Sic quippe reſpectu actionis, ſuper qua talia Reſcripta impetrantur, conſideratur tempus *Datæ*, *text. clar. cap. ult. h. t.* ubi cavetur, ne Reſcripta juſtitiæ ad futuras trahantur controverſias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Deinde in Reſcriptis juſtitiæ, quantùm ad eorum perpetuitatem, ſive quantùm ad perpetuandam jurisdictionem Judicis delegati poſt mortem Principalis, inſpicitur tempus factæ citationis per Delegatum. *c. Gratum. 20. & c. Licèt. 30. de Offic. Delegat.* cum concordantijs. His præter alios adde caſum illum, quo Judex datus tempore impetrati Reſcripti fuit excommunicatus, & ante ejus receptionem abſolutus: nam tunc litteræ ab initio fuiſſent nullæ, sicque poſteà per abſolutionem reconvaleſcere non poſſent. Gloſſa *loc. cit.* & Abbas *ibid. n. 12.*

77 Similiter in Reſcriptis gratiæ, ſeu ad Beneficia, conſideratur quidem tempus *Datæ*, quando gratia jam eſt perfecta, sicque jus parti quæſitum; ac etiam, quando quæritur de viribus Reſcripti, & commiſsâ vel non commiſsâ ſubreptione, *c. Conſtitutus. 19. h. t.* Quia enim impetranti imputandum non eſt, ſi non faciat mentionem de his, quæ tempore *Datæ* nondum erant, benè tamen, ſi taceat neceſſariò de jure exprimenda, quæ tunc exiſtebant: hinc quantùm ad valorem Reſcripti, & evitandam ſubreptionem, neceſſe eſt attendi tempus *Datæ*. Nihilominus in pluribus alijs caſibus hoc tempus non conſideratur: nam imprimis, quando gratia nondum eſt perfecta, ſed mandatur primùm fieri, ſeu conferri per alium, tunc inſpicitur tempus inchoatæ executionis mandati, ad hoc, ut cenſeatur non expirare per mortem concedentis, *c. Si cui. 36. §. fin. de Præbend. in 6.*

Deinde, quantùm ad convincendam inobedientiam, ſeu negligentiam non parentis Mandato Apoſtolico, inſpicitur tempus receptionis Litterarum, ſeu notitiæ: quia non poteſt quis dici inobediens, vel negligens, ſi ignorat Mandatum Superioris. Et in hoc caſu procedit *cit. c. Dilectus filius. 27. de Præbend. & cap. 1. de Conceſſ. Præbend. in 6.* 78

Inſuper, ſi motu proprio Papa mandat cuipiam, v. g. Titio, provideri de Beneficio proximè vacaturo, ſufficit, quòd Titius habeat legitimam ætatem tempore vacantis Beneficij, licèt nondum habuerit tempore Datæ, *arg. c. Ei cui. 29.* junctâ Gloſsâ *fin. de Præbend. in 6.* Nam Motusproprius, qui purgat ſubreptionem, *c. Si motu proprio. 23. eod. in 6. & Clem. Si Romanus, 4. eod.* purgat pariter defectum ætatis pro tempore Datæ; ac proinde ſufficit, ſi Titius habeat legitimam ætatem illo tempore, quo recepturus eſt Beneficium. Et ſic oportet limitare *c. Si eo tempore. 9. de Reſcript. in 6.* ut non procedat in Litteris motu proprio conceſſis. Abbas *in cit. c. Dilectus filius. n. 9.* & Jo. Andreas, *ibid. de Præbend.* 79

§. IV.

De Prælatione, ſeu Prævaliditate Reſcriptorum, quando plura ſunt impetrata.

SUMMARIUM.

80. *Plura ſunt hîc diſtinguenda.*
81. *Si primum Reſcriptum juſtitiæ eſt generale & alterum ſpeciale, valet ſpeciale.*
82. *Dummodò generalitatis illius non priùs facta ſit ſpecificatio.*
83. *Et à potiori, quando primum Reſcriptum eſt ſpeciale, alterum generale, prævalebit ſpeciale.*
84. *Quid juris, quando utrumque Reſcriptum eſt generale?*
85. *Si utrumque Reſcriptum juſtitiæ eſt ſpeciale, & poſterius facit mentionem de priori, valebit ſecundum, non primum: ſecùs, quando in ſecundo non ſit mentio de priori.*
86. *Quando prius Reſcriptum communi partium conſenſu fuit impetratum, non valet ſecundum, niſi etiam hoc exprimatur.*
87. *Imò impetrans ſecundum, præter hujus nullitatem, adverſa parti condemnatur in expenſis.*
88. *Quid, ſi impetrans primum Reſcriptum, eodem intra annum uti neglexerit?*
Et unde talis negligentia probetur? Ibid.
89. *An perdatur Reſcriptum per ſollicitudinem prævenientis, ſi nempe ſecundum Reſcriptum præſentetur ante primũ? Ponitur ſententia affirmativa.*
90. *Sed improbatur.*
91. *Ejúsque fundamenta ſolvuntur.*
Judex idoneus, quis? Ibid.
Quod exceptione repelli poteſt, habetur pro inutili. *Ibid. & n. 93.*
92. *Secundum Reſcriptum ad lites absque mentione prioris impetratum, non eſt ipſo jure nullum, ſed ope exceptionis annullandum.*
93. *Solvuntur inſtantiæ. Et n. ſeqq.*
94. *Verba illa,* Vires nolumus obtinere, Nullam obtineat firmitatem &c. *Quando importent nullitatem ipſo jure?*

95. *Papa non intendit gravare eandem Eccleſiam, ſeu Collatorem, ſuper receptione duorum ad Beneficium, niſi id expreſſerit.*

96. *Si diverſa à duobus Reſcripta ſuper Beneficio in eadem Eccleſia ſibi conferendo impetrantur, ſimulq́ conſtet, quis primò impetraverit: regulariter ſtatur* Datæ: *non præſentationi; ſicque præfertur primus impetrans. Et num. ſeqq.*

97. *Et hoc procedit non ſolùm in proviſione Beneficij, ſed etiam in Mandato de providendo.*

Proviſio, & collatio Beneficij, idem ſunt. Ibid.

98. *Solvitur inſtantia ex* c. Capitulum ſanctæ Crucis. h. t. *deſumpta.*

Ibi ly, prius, *ſumitur nominaliter, non adverbialiter. Ibid.*

99. *Fallit data regula in pluribus caſibus, in quibus præfertur ſecundus impetrans. Et n. ſeqq.*

I. *Quando uterque impetravit Mandatum de providendo, & poſterior impetrans actu de Beneficio jam eſt proviſus. Quod rurſus limitatur, cit. n. 99.*

100. *II. Si primo impetranti dolus, vel negligentia in præſentando litteras imputetur.*

101. *III. Ubi ſecundus impetrator habet in litteris ſuis clauſulam.* Anteferri.

102. *IV. Quando priori mandatur provideri de Præbenda, poſteriori autem de Præbenda & Dignitate &c. ac poſteà vacet Præbenda habens annexam Dignitatem.*

103. *V. Ubi ſecundus impetrator habet Jus ſuum à Papa, ſed primus ab inferiore.*

104. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure: *quando procedat?*

105. *Si non appareat, quis ex duobus primò impetraverit litteras Beneficiales, quid juris? Et num. ſeqq.*

106. *Prioritas ejuſmodi, unde poſſit apparere?*

107. *Præfertur tunc is, cui Papa contulit Beneficium, ſi hoc alteri non contulit, ſed ſolùm ab alijs conferri mandavit.*

108. *Quòd ſi utrique contulit, vel neutri, præfertur, qui priùs præſentavit Reſcriptum.*

Quid, ſi ambo in præſentando concurrant? Ibid.

109. *Quid juris, ſi unus impetret litteras Beneficiales à Papa, alter ab inferiori? Et n. ſeqq.*

110. *Si agitur ſolùm de jure ad rem, ſive ad Beneficium acquirendum, tunc ſemper præfertur receptus à Papa.*

111. *Quando intervenit actualis collatio Beneficij, præbens jus in re, quis præferatur?*

112. *Reſcriptum gratiæ, ſicut & Privilegium, non tollitur per aliud, niſi de eo fiat mentio.*

113. *Confirmatur, & exemplificatur Concluſio hæc.*

114. *Solvitur inſtantia.*

115. *Concluſio patitur limitationes. Et n. ſeqq.*

Primum privilegium generale tollitur per ſecundum ſpeciale. Ibid.

116. *Notabile hujus exemplum.*

117. *Dummodò per prius nondum fuerit cuipiam jus quæſitum.*

Papa non cenſetur jus quæſitum alicui tollere, niſi id exprimat. Ibid.

118. *Idq́ extenditur ad jus quæſitum ipſi privilegiato.*

80 HAnc materiam fusè tractat Gloſſa magna *in cap. 1. h. t.* & Abbas, aliique Doctores ibidem, diſtinguendo plura membra ipſius: unde ut ordinatè, claréque procedatur, expedit diſtinguere, ac ſingillatim loqui de Reſcriptis juſtitiæ, de Reſcriptis ad Beneficia Eccleſiaſtica, & de alijs Reſcriptis gratioſis, ipsisque Privilegijs. Unde

81 Quæritur I. Quodnam ex pluribus Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites impetratis, ſit præferendum? Reſp. I. Circa hoc imprimis eſt attendendum, utrum ex duobus Reſcriptis per diverſos impetratis, unum ſit ſpeciale, & alterum generale, nec ne. Et quidem, ſi primum Reſcriptum ſit generale, & alterum ab adverſario impetratum ſit ſpeciale, valet ſpeciale, etiamſi de priori generali non faciat mentionem, *text. clar. cap. 1. & c. Paſtoralis. 14. §. Quoniam. h. t.* Ratio eſt: quia *ſpeciale mandatum derogat generali*, prout ibidem dicitur. Concordat *Reg. 34. Juris in 6. & l. In toto. ff. de Reg. Jur.* ibi: *In toto jure generi per ſpeciem derogatur, & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.* Gloſſa magna *cap. 1. h. t.*

82 Limitatur hoc *cit. §. Quoniam.* dummodò tamen generalitatis illius non priùs facta fuerit ſpecificatio, exprimendo videlicet nominatim perſonas, vel res illas, ſuper quibus conveniendis priores illæ Litteræ generales impetratæ ſunt. Nam factâ tali ſpecificatione, ſeu nominatione perſonarum, vel rerum, jam ceſſat ratio generalitatis; ſicque litteræ ſpeciales, poſteà primùm impetratæ, non ampliùs derogant prioribus: quia licèt hæ de ſe fuerint generales (non quidem reſpectu Judicis, ſed reſpectu perſonarum, vel rerum conveniendarum. Abbas *cit. §. Quoniam. n. 1.*) nihilominus factâ harum ſpecificatione effectæ ſunt ſpeciales.

Quòd ſi primum Reſcriptum fuerit ſpeciale, 8
& ſecundum generale, à potiori idem erit juris, & valebit ſpeciale: ídque tum ratione prioritatis in obtinendo, tum ratione ſpecialitatis, per Jura proximè allegata, juncto *c. Abbatem. 40. h. t.* ubi Gloſſa, *℣. Per litteras.* indiſtinctim concludit, quòd generale mandatum ſecundò impetratum, non deroget ſpeciali primò impetrato.

Reſp. II. Quando utrumque Reſcriptum 8
eſt generale, tunc attenditur illud, quod eſt magis ſpeciale: Rebuffus *tract. de Reſcriptis. n. 104.* Vallenſis *h. t. §. 5. n. 3.* & favent Jura proximè adducta. Quòd ſi verò nulla major ratio ſpecialitatis poteſt notari in uno, quàm in altero (quod tamen in praxi vix locum habet) prævalet primum, niſi in ſecundo fiat mentio de priori, prout illicò dicetur de duobus Reſcriptis ſpecialibus: Unde

Reſp. III. Si tam primum, quàm ſecundum Reſcriptum juſtitiæ eſt ſpeciale, dum duo v. g. ſuper unam eandémque cauſam diverſa Reſcri-

pta

pta ad diverſos Judices delegatos impetrârunt; tunc vel poſterius facit mentionem de priori, & valebit ſecundum, non primum: vel in ſecundo Reſcripto per adverſarium impetrato non fit mentio de priori, & valet primum, ac ſecundum habetur ſubreptitium, éſtque invalidum. Ita habetur deciſum *c. Cæterùm. 3. h. t.* & tradunt ibi Abbas, ac Doctores communiter, juncto *c. Ex litteris. 2. de Dolo & contum.* Ratio eſt: quia ſi poſteriores litteræ faciant mentionem de prioribus per adverſarium impetratis, cenſetur Papa prioribus velle derogare: Secùs eſt, quando in eis non fit mentio de prioribus: tunc enim Papa videtur circumventus, nec daturus ejusmodi litteras, aut ſaltem non eodem modo, & ſub eisdem clauſulis, ſi priorum fuiſſet recordatus, juxta *c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat.* ibi: *Quoniam ſi memores fuiſſemus, nos pro prædicto N. litteras direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus.* Adeóque poſterius Reſcriptum, non factâ mentione de priori, impetratum, cenſetur ſubreptitium, & neutiquam ſubſiſtit; idque defectu voluntatis concedentis.

Limita tamen primam partem, quando prius Reſcriptum communi conſenſu partium fuit impetratum: nam tunc non valet ſecundum, quod alterutra pars alterâ neſciente impetravit, etiamſi prioris Reſcripti mentionem faciat, niſi etiam expreſſum ſit, quòd illud de communi conſenſu partium impetratum fuerit. Patet hoc *ex cit. c. Cæterùm. §. fin.* junctâ Gloſsâ. *℣. De commiſſione. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 3.* cum alijs. Ratio eſt, quæ ſuprà: quia nimirùm, ſi Papa ſciviſſet, primum Reſcriptum fuiſſe obtentum de communi conſenſu partium, non dediſſet ſecundum, vel ſaltem non tam faciliter, ac ſub eisdem clauſulis, ad petitionem alterius duntaxat partis, *arg. l. Obſervandum. ff. de Judicijs.*

Adde, quòd ſic malitiosè, vel fraudulenter impetrans ſecundum Reſcriptum, præter hujus nullitatem, etiam parti adverſæ condemnari debeat in expenſis, ſi quas fortaſsè occaſione hujus fecerat, veniendo v. g. in judicium ad citationem ſecundarũ litterarum, ut prioris Reſcripti validitatem propugnaret, vel ex alia hujusmodi cauſa laborem ſeu expenſas impendendo. *cit. c. Cæterùm:* & Gloſſa. *ibid. ℣. Laborare. h. t. & c. Ex litteris. 2. de Dolo & contum.*

Limita quoque alteram datæ Concluſionis partem, ut non procedat, quando impetrans primum Reſcriptum, dolo vel negligentiâ eodem per annum, habitâ copiâ Judicis delegati, uti poſtpoſuit. Tunc enim, juxta dicta ſuperiùs *n. 60.* valet ſecundum Reſcriptum impetratum ab adverſario, licèt non faciat mentionem de primo, *text. clar. c. Si autem. 9. h. t. & c. Plerumque. 23. eod.* Ubi Gloſſa *fin.* rectè notat, quòd transcurſus anni probet negligentiam, nec alia interpellatio ſit facienda; niſi prior impetrans velit oſtendere contrarium, probando videlicet impedimentum, ob quod copiam Judicis habere non potuit, haud obſtante ſuâ diligentiâ in eodem acquirendo: quæ ſatis probatur, ſi tempore impedimenti ſuper hoc publicè fuit proteſtatus. Abbas *in d. c. Plerumque. n. 6. h. t.*

Addit Gloſſa *in c. Cæterùm. ℣. Iudicio. h. t.* quòd etiam perdatur Reſcriptum per ſollicitudinem præveniientis: ut ſi Impetrator ſecundi Reſcripti juſtitiæ illud primò præſentavit Judicibus delegatis, ac vigore ipſius citatio partis facta eſt. 89
Idipſum tenet Gloſſa magna *in cap. 1. h. t. & c. Ut debitus. 59. ℣. Aſſignatæ. de Appellat.* Ratio eſſe poteſt: tum quia per Reſcriptum ad lites neque confertur, neque aufertur jurisdictio, antequàm litteræ ſint præſentatæ Judicibus delegatis, *c. Super eo. 12. de Appellation. & cit. cap. Ut debitus. 59. eod.* atque ampliùs probat Felinus *c. Cæterùm. 3. n. 11. h. t.* qua de cauſa in Reſcriptis juſtitiæ attenditur tempus factæ præſentationis, ut dictum *num. 69.* Tum quia per citationem perpetuatur jurisdictio, & non antè; ut *in c. Gratum. de Offic. Delegat. & c. Propoſuiſti. 19. de Foro compet.* cum ſimilibus.

Verùm hanc Gloſſæ opinionem Abbas *in d. c. Ut debitus n. 22. & ſeqq.* ex profeſſo impugnat, ac rejicit, haud obſtante, quòd fateatur, eandem tempore conditæ Gloſſæ fuiſſe communem. & multùm (ut audierat) invaluiſſe in Curia Romana: eandémque mentem Gloſſæ reprobat Barboſa *in c. Cæterùm. n. 3. h. t.* Ratio eſt: quia ex una parte Jura *n. 85.* allegata expreſsè diſponunt, quòd ſtetur priori Reſcripto, ac ſecundum ſit ſubreptitium, neque à Papâ fuiſſe conceſſum, ſi recordatus eſſet prioris: & alioquin primus impetrans, qui fortè in nulla culpa fuit, privaretur jure ſuo, ac fruſtraretur laboribus, & expenſis ſuis absque cauſa, contra *can. Satis perverſum. diſt. 56. & c. Sine culpa. de Reg. Juris in 6.* Ex altera verò parte Jura, *n. 89.* allegata, nihil convincunt in oppoſitum, imò loquuntur in caſibus diverſis; ac proinde neutiquam admittenda eſt priorum Jurium correctio. 90

Siquidem *in c. Gratum. de Offic. Delegat.* cum ſimilibus, ſermo non eſt de Judice dato per ſecundum Reſcriptum non factâ mentione prioris, ſicque ſubreptitiè obtentum; imò de tali ſecundo Reſcripto nec minima eſt mentio, ut patet ex textu. Deinde *cit. c. Ut debitus de Appellat.* procedit, quando quis non vult reſpondere coram Judice idoneo, à cujus citatione jam præventus eſt, allegatâ illâ exceptione, quòd priùs nuntium miſerit ad Sedem Apoſtolicam, vel quòd ab eadem litteras impetraverit, quas tamen non vult præſentare: Atqui Judex idoneus non eſt, qui fuit datus per ſecundum Reſcriptũ ſubreptitiè obtentum; nam ille ſolus eſt idoneus, qui nullâ exceptione repelli poteſt, *cap. 1.* junctâ Gloſsâ. *℣. Idonei. de Teſtib.* Et illud, quod exceptione repelli poteſt, habetur pro inutili, ac quaſi pro nihilo, *l. Si ita ſtipuler. ff. de Verb. obligat.* Unde patet, Capitulum illud non urgere. Multò minùs urget illud, quòd in Reſcriptis juſtitiæ attendatur tempus *Præſentatæ*: nam hoc procedit ſolùm in Reſcriptis legitimè, ac validè obtentis; non autẽ in ſubreptitiè impetratis, qualc eſt ſecundum non faciens mentionẽ de priori. 91

92 Reſp. IV. Nihilominus ſecundum Reſcriptum ad lites nullâ factâ mentione de priori impetratum, non eſt ipſo jure nullum, ſed ope exceptionis annullandum; ita ut Proceſſus per Judicem poſteriori Reſcripto datum formatus valeat, ſi contra iſtud ab adverſa parte non excipiatur. Ita Abbas Ponormit. *in c. Cæterùm. n. 5.* & Felinus *ibid. n.* 10. *h. t.* poſt Innocentium, Hoſtienſem, Goffredum, & fermè communem omnium Doctorum. Ratio eſt: tum quia, ſi primus impetrans dolo, vel negligentiâ intra annum non utatur Reſcripto à ſe priùs impetrato, poteſt is conveniri authoritate poſterioris Reſcripti per adverſarium obtenti, licet in hoc non ſit facta mentio prioris, *c. Si autem.* 9. *& c. Plerumque.* 23. *h. t.* Ergo iſtud à principio non fuit ipſo Jure nullum: alioquin enim non poſſet ſucceſſu temporis convaleſcere ob negligentiam alterius; nam quod nunquam valuit, poſteà non poteſt reconvaleſcere, *c. Non firmatur. de Reg. Juris. in 6.* cum ſimilibus. Tum quia tunc per conſenſum partium tacitum, vel expreſſum proceditur: unde tenet ſententia, cùm ſit lata à Judice ſuo, nec contra jus conſtitutionis, ut probat Gloſſa magna *in c. Ad audientiam.* 31. *h. t.*

93 Nec obſtat textus ſæpè *cit. c. Cæterùm.* 3. *h. t.* ibi: *Nec ſecundæ litteræ obtinent alicujus roboris firmitatem.* Reſp. enim, hoc dici, non quòd ejusmodi Litteræ ad lites ipſo jure ſint nullæ, ſed quia in effectu nullæ ſunt, cùm ope exceptionis elidi poſſint; prout in ſimili dicitur *l. Si dari ſtipuler. ff. de Verb. obligation.* ibi: *Quia ſuperior* (ſtipulatio) *quaſi nulla ſit, exceptione obſtante.*

94 Dices. Verba illa, *Vires nolumus obtinere*, important nullitatem ipſo jure in litteris Beneficialibus; ut notatur *in c. Ad aures.* 8. *h. t.* Idémque dicendum de verbis illis, *Nullam obtineat firmitatem*; ſicuti patet *ex c. Quod in dubijs.* 8. *de Renunciat. & l. Prolatam. C. de Sentent. & interlocut.* cum ſimilibus: ergo pariter in propoſito verba illa, *Nec obtinent alicujus roboris firmitatem*, important nullitatem ſecundarum Litterarum ad lites ipſo jure. Reſp. cum Felino *in c. Cæterùm. n.* 10. *h. t.* neg. conſequent. Quia licèt ejusmodi verba denotent nullitatem ipſo jure in materia, in qua per alia Jura non eſt declaratum, quòd ſit opus exceptione: ſecùs tamen dicendum, ubi ſic eſt declaratum; prout fit in propoſito, ſive in Reſcriptis ad lites, per *cit. c. Si autem. & c. Plerumque. h. t.*

95 Quæritur II. Quodnam Reſcriptum Beneficiale prævaleat, ſi diverſa à duobus Reſcripta ſuper Beneficio in eadem Eccleſia ſibi conferendo impetrantur? Ubi nota, quòd in dubio, ſeu ceſſantibus clauſulis aliud exprimentibus, Papa non intendat gravare eandem Eccleſiam, ſeu eundem Collatorem, ſuper receptione ac proviſione duorum; adeóque uno Beneficium obtinente repellatur alter, *c. Mandatum.* 38. *& c. Abbatem* 40. *h. t.* junctò *c. Duobus.* 14. *eod. in 6.* ibi: *Quo electo alter omninò careat impetratis, niſi ex tenore litterarum ipſius expreſsè appareat, quòd utrique ipſorum providere voluerimus*: ut puta ſi Pontifex addat clauſulam, *Non obſtante, quòd pro alio ſcripſerimus*, aut hujusmodi, juxta Gloſſam *ibid. ℣. Expreſsè.* Hoc prænotato

Reſp. I. Si duo ſuper Beneficio ſimili in eadem Eccleſia ſibi conferendo litteras Apoſtolicas impetrârint, ſimúlque conſtet, quis primò impetraverit, regulariter ſtatur Datæ, & non præſentationi; adeò, ut primus impetrans præferatur, non autem ille, qui priùs ſuas litteras præſentavit. Ita Abbas *cap.* 1. *n.* 14. *h. t.* Felinus *in c. Capitulum ſanctæ Crucis. n.* 5. *eod.* & alij communiter. Nam cæteris paribus locum habet Reg. 54. Juris in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Confirmatur idipſum ex *cit. c. Mandatum. & c. Abbatem. h. t.* & ampliùs *ex c. Eum cui.* 7. *de Præbend. in 6.* ubi ex profeſſo decernitur, quòd is, cui Canonicatus alicujus Eccleſiæ à Sede Apoſtolica eſt collatus, omnibus alijs ſit præferendus, quibus poſtmodùm in dictâ Eccleſiâ ſimilis gratia eſt conceſſa, licèt ille nondum fuerit receptus, & iſti primò ſuas litteras præſentaverint, & primò recepti fuerint in eadem. 96

Nec obſtat, quòd hîc ſermo ſit ſolummodò de Proviſione, ſeu Collatione Beneficij (quæ duo idem ſunt, ut probat Gloſſa *ibidem in caſu*) per ipſummet Papam facta, & per quam Beneficium jam cenſetur affectum, ſive alteri obligatum: ac proinde dubitari poſſit, an idem procedat de Gratiâ expectativâ, ac Mandato Apoſtolico, quo Pontifex mandat cuipiam conferri Beneficium vacans, vel proximè vacaturum, nondum autem confert; cùm longè diverſum ſit, *Conferre, & Mandare conferri.* Gloſſa *loc. cit. ℣. Collatus.* Reſp. enim, hoc non obſtare: idque tum ob paritatem rationis: tum quia idipſum de Gratiâ expectativâ, ſeu Mandato, quo Papa mandat cuipiam provideri de Beneficio, v. g. de Canonicatu certæ Eccleſiæ, habetur expreſsè deciſum *in c. Tibi. qui.* 12. *h. t. in 6.* Adeò quidem, ut ibidem impetrans primum Mandatum, alteri præferri jubeatur in conſequenda Præbenda Canonicali, licèt iſte priùs præſentaverit litteras ſuas, atque in Canonicum jam receptus ſit: dummodò tamen huic inferiori Præbenda vacans ante receptionem prioris actu collata nondum fuerit, ſimúlque primus impetrans dolo, aut notabili negligentiâ, litteras præſentare, ac Beneficium petere non intermiſerit, prout limitat textus ibidem. 97

Dices. *In c. Capitulum ſanctæ Crucis.* 30. *h. t.* jubetur in aſſecutione Beneficij Præbendalis ille præferri, *qui ad eos* (Canonicos Capituli S. Crucis) *prius Mandatum Apoſtolicum reportavit*; ergo in Reſcriptis ad Beneficia attenditur tempus præſentationis, non Datæ. Reſp. neg. ſequel. Quia, ut notat Felinus *ibid. n.* 5. & Gloſſa *in d. c. Tibi qui. ℣. Receptus.* cum alijs, ly *prius* hîc non ſumitur adverbialiter, ſed nominaliter, ut ſenſum faciat, *prius mandatum*, id eſt, *primum mandatum.* Vel, ſi placet, ly *prius* ſumere adverbialiter: dicendum cum Abbate *in d. c. Capitulum S. Crucis. n.* 4. quòd in caſu hujus Decretalis ille, qui fuit primu

primus impetrator, nomine Callimachus, etiam priùs præ alio præſentaverit Litteras ſuas, ſcilicet monitorias, & præceptorias, prout inſinuat textus; ſicque meritò præferatur alteri.

Additur notanter num. 96. *Regulariter ſtatur Datæ, & non præſentationi.* Fallit enim hoc in nonnullis caſibus, quos refert Gloſſa magna *in c. Si ſoli 6. de Conceſſ. Præbend. in 6.* & Felinus *loc. cit. n. 5.* Et imprimis tunc, quando primus Impetrator obtinuit ſolummodò *Gratiam expectativam, ſeu Mandatum de providendo*, & alius poſtmodùm ſimiles Litteras impetravit, eásque non ſolùm ante primum præſentavit, ſed etiam virtute earum ipſi Præbenda actualiter collata fuit. In tali quippe caſu Præbenda eſt relinquenda ſecundo jam proviſo, & non ampliùs conferenda primo: niſi forſan datus Executor jam ordinario Collatori notificâſſet, ſe velle per poteſtatem Papalem ſibi factam conferre Præbendam; vel eidem collationem Præbendæ inhibuiſſet, aut hanc ſuæ collationi reſervâſſet; vel niſi Decretum in litteris primi impetrantis fuiſſet appoſitum, quo à Papa irritum & inane decernebatur, ſi quid contra ipſas contingeret attentari. Patet hoc totum *ex d. c. Tibi qui. 12. h. t. in 6.* junctâ Gloſsâ *in Caſu. & DD. ibid.*

Fallit ulteriùs, ac præfertur ſecundus impetrans, ſi primo impetranti dolus, vel notabilis negligentia in præſentandis ſuis Litteris poteſt imputari; prout notatur in *cit. c. Tibi qui. §. fin.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *n. 88.*

Fallit tertiò, ubi ſecundus impetrator Gratiæ expectativæ habet in litteris ſuis clauſulam, *Anteferri*, per quam jubetur omnibus, etiam ante ipſum authoritate Apoſtolica, vel quâvis alia in ejusmodi Eccleſia receptis, anteferri. Nam clarum eſt, ſecundum virtute talis clauſulæ, utpote quæ eſt revocatoria prioris Gratiæ expectativæ alteri factæ, præferendum eſſe primo; ut *in c. Quia ſæpè. 15.* junctâ Gloſsâ. *℣. Apparet. & c. Quodam. 40. de Præbend. in 6. & c. Auctoritate. 7. de Conceſſ. Præbend. in 6.*

Fallit quartò, quando Papa primo mandat provideri de Præbenda, deinde mandat provideri ſecundò de Præbenda & Dignitate, Perſonatu, aut Officio in eadem Eccleſia: tunc enim, ſi Præbenda vacans eſt annexa Dignitati, Perſonatui, vel Officio, præfertur ſecundus; ſecùs, ſi Præbenda ſit ſola, & non annexa alteri, *text. clar. cit. c. Quia ſæpè. 15. de Præbend. in 6.* Accedit ratio: quia in tali caſu debetur ſecundo Dignitas, Perſonatus, vel Officium; ergo etiam debetur eidem Præbenda vacans, quæ eſt annexa tali Dignitati, Perſonatui, vel Officio: cùm ſit quid acceſſorium ad Dignitatem &c. Sicque reguletur ſecundùm eam, *c. Acceſſorium. 42. de Reg. Jur. in 6. & l. Cùm principalis. ff. eod.* cum Concordantijs.

Fallit quintò, ubi ſecundus impetrator à Papa habet jus ſuum (intellige jus ad rem, puta ad Beneficium acquirendum) ſed primus ab Inferiore: tunc enim ille, qui receptus eſt authoritate Apoſtolicâ, in aſſecutione Præbendæ præferendus eſt omnibus, etiam anteà receptis authoritate Inferiorum. Textus eſt *in c. Hi qui. 12. de Præbend. in 6.* ac notat Gloſſa *ibid. in Caſu*, dicens, hoc eſſe verum, quando agitur de jure ad rem: ſecùs, ſi agatur de jure in re, puta, acquiſito per actualem collationem Beneficio priori factam, *c. Si à ſede. 31. eod. in 6.* Felinus *cit. c. Capitulum S. Crucis. n. 5. §. Fallit ſecundò. h. t.* poſt Jo. Andream, & Dominic. *in c. Ei cui. de Præbend. in 6.* Pirhing *tit. de Præbend. n. 81.* & alij.

Nec obſtat Reg. 54. Jur. in 6. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.* Nam ipſa locum duntaxat habet in illis, quorum utriusque par eſt cauſa: ſi autem diſpar eſt cauſa, non habet locum Regula, ut hic, ubi longe amplior Conferentis prærogativa habetur in Papa, quàm in quocunque inferiore Collatore. Gloſſa *in cit. c. Hi qui. ℣. Anteà.* 104

Reſp. II. Quòd ſi verò inter duos Impetrantes non appareat ex Data, nec alio modo, quis primò impetraverit litteras ad Beneficium in eadem Eccleſia vacans, vel proximè vacaturum; tunc opus eſt notabili diſtinctione, quæ refertur *in c. Duobus. 14. h. t. in 6.* atque ampliùs declaratur per Gloſſam, & Doctores ibidem. 105

Notanter tamen additur, *Quando non apparet ex Data &c.* ut puta, quia utriusque litteræ eodem die ſunt impetratæ, atque expeditæ, nec aliunde conſtat, quis fuerit primus Impetrans: nam ſi de hoc conſtaret, ſive ex eo, quòd unum Reſcriptum dicatur, v. g. *Datum Kalendis Januarij ante Tertiam*; & alterum, *Datum Kalendis Januarij poſt Veſperas* (quod tamen ſpecificare non eſt in uſu) ſive per teſtes, aut per confeſſionem propriam appareret, quòd unius petitio eâdem die fuerit lecta, & per Papam admiſſa ante alteram; jam locum ſibi vendicabunt dicta *Concl. præc. n. 96.* ac anteferri debebit Reſcriptum primò impetratum. Gloſſa *in c. Si à Sede. ℣. Nec appareat. de Præbend. in 6.* Remanente autem dubio de prioritate litterarum, onus probandi incumbit ei, qui ſuas litteras priùs fuiſſe expeditas affirmat. Imola *in c. Relatum. n. 8. de Præbend.* Layman *cit. c. Duobus. n. 1. h. t. in 6.* Nam generale eſt, quòd affirmanti incumbit probatio, *L. 2. ff. de Probation.* 106

Verùm, quando inter duos Impetrantes non apparet ulla prioritas in Data, tunc imprimis conſiderandum eſt, utrùm Papa uni eorum contulerit Beneficium talis Eccleſiæ, puta Canonicatum, mandando, ut defactò inſtallaretur, & Præbenda ei conferretur; alteri verò non ſic contulerit Canonicatum, ſed mandaverit ſolummodò alijs, ut puta Canonicis, vel datis ad hoc Executoribus, ut ei conferrent Canonicatum. Atque in hoc caſu præfertur ille, cui Papa contulit Canonicatum, haud obſtante, quòd alter priùs Litteras præſentaverit eis, ad quos ſpectat receptio Canonicorum, & ab eis jam in Canonicũ fuerit receptus. *text. clar. cit. c. Duobus. §. 1.* 107

Deinde dato caſu, quòd Pontifex neutri eorũ vel utriq; Canonicatum contulerit: tunc (ex quo in gratia ſunt æquales) is, qui primò præſentavit 108

tavit Reſcriptum Apoſtolicum, erit potior in Præbenda. Quòd ſi forſan ambo in præſentando concurrant; tunc illi, ad quos ſpectat Canonicorum receptio, & collatio Præbendarum, vel eorum major pars, ex eis alterum, quem voluerint, eligere tenentur. Et hoc electo, alter penitùs carebit impetratis, niſi ex tenore Litterarum expreſsè appareat, quòd Pontifex utrique eorum providere voluerit; prout *cit. c. Duobus. §. 2. & 3.* etiam clarè deciſum habetur: alioquin autem, & in dubio, Papa non cenſetur velle gravare eandem Eccleſiam ſuper receptione duorum, ut dictum *n. 95.*

109 Et hactenùs dicta præcipuè procedunt de duobus à Papa impetrantibus Litteras ad Beneficium in eadem Eccleſia, nec apparet de earundem prioritate. Quòd ſi verò unus impetret Litteras Beneficiales à Papa, alter verò ab aliquo Inferiori, v. g. Legato Papæ, aut Epiſcopo: tunc imprimis eſt attendendum, an agatur de ſola receptione alicujus in Beneficiarium, v. g. in Canonicum, quâ acquiritur ſolummodò jus ad rem, ſive ad Beneficium, puta Canonicatum obtinendum; vel an etiam intervenerit actualis collatio Beneficij, quâ confertur jus in re, ſive in Beneficio.

110 In priori caſu, ubi agitur duntaxat de jure ad rem, ſive ad Beneficium obtinendum (quale ſolummodò acquiritur ex Mandato de providendo, *c. Si poſtquàm. 13. de Præbend. in 6.* ac notat ibidem Barboſa *n. 2.* citans alios; item ex Gratijs expectativis, quas tamen nemo ampliùs concedere poteſt præter Romanum Pontificem, *cap. 2. de Conceſſ. Præbend. & c. Deteſtanda. eod. in 6.* juncto Concilio Trident. *Seſſ. 24. de Reformat. cap. 19.* Item & ex præſentatione alicujus, ac hujusmodi) Ubi, inquam, duntaxat agitur de jure ad rem, ſive Beneficium obtinendum, certum eſt, quòd ſemper præferatur ille, qui eſt receptus à Papa: ſive dein ſit dubium ſuper prioritate factæ receptionis per Papam, & Inferiorem; ſive clarè conſtet, quòd receptio per Inferiorem anteà fuerit facta, *text. clar. c. Hi qui. de Præbend. in 6.* eſtque dictum *n. 103.*

111 Cæterùm in caſu poſteriori, ſive quando intervenit actualis collatio Beneficij, præbens cuipiam jus in re, ſive in Beneficio: ut ſi uno eodémque die hinc à Sede Apoſtolica, vel ejuſdẽ authoritate uni; illinc autem ab Ordinario cuipiam alteri, idem Beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit priùs facta (nam ſi de hoc conſtaret, is præfertur, cui Beneficium priùs collatum, ab eóque acceptatum fuit *arg. c. Si à Sede. 31. de Præbend. in 6.*) tunc rurſus eſt diſtinguendum, an alter ex duobus illis impetrantibus poſſideat Beneficium, nec ne. Et ſi quidem alter eorum jam eſt in poſſeſſione Beneficij, præfertur is, qui poſſidet: quia *in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, juxta Reg. 65. Jur. in 6. Quòd ſi neuter poſſideat, præfertur is, cui Sedes Apoſtolica, vel ejus Legatus, contulit Beneficiũ; idque propter ampliorem conferentis prærogativam, prout expreſsè deciſum habetur *cit. c. Si à Sede.*

Quæritur III. Quid dicendum de alijs Reſcriptis gratioſis, ipſisque Privilegijs, & quodnam eorum ſit præferendum, ſi plura à diverſis ſunt impetrata circa eandem cauſam? Reſp. Reſcriptum gratiæ, ſicut & Privilegium priùs conceſſum, non tollitur per ſecundum Privilegium, aut aliam contrariam diſpoſitionem, ſive Reſcriptum, niſi de ipſo faciat mentionem. Ita Gloſſa magna *cap. 1. h. t.* & ibi Abbas *n. 6.* & Felinus *n. 10.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. n. 27.* & alij. Idque patet *ex c. Cùm ordinem. 6. h. t. & c. Veniens. 19. §. Chriſma. de Præſcript.* ibi: *Non obſtante privilegio Clementis Papæ, per quod privilegijs ſuorum Prædeceſſorum non extitit derogatum, cùm de illis nullam fecerit mentionem.* Ubi proin Gloſſa, *V. Nullam*, rectè concludit: *Sic patet expreſsè, quòd ſecundum privilegium debet facere mentionem de primo, ad hoc, ut revocet illud.* 11

Accedit ratio: quia ſecundum Reſcriptum, ſive Privilegium, cenſetur proceſſiſſe ex ignorantia prioris: aliàs vel hujus mentionem feciſſet, vel nullatenùs conceſſum fuiſſet, *ut in c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat.* juncto *cap. 1.* & notatis per DD. *de Conſtit. in 6.* Unde iſtud exemplificando concludit Baldus *cap. 1. n. 16. h. t.* & Felinus *cit. n. 10.* quòd ſi Princeps conceſſit mihi immunitatem, & poſteà generali Statuto, vel Privilegio alteri conceſſo, imponit onera, non tollat meum Privilegium, niſi de ipſo fiat mentio derogatoria: idque ulteriùs probatur *ex l. Decurionibus. C. de Silentiarijs, lib. 12.* 11

Dices. Privilegium eſt lex privata, *can. Privilegia. diſt. 3.* atqui, ut una lex deroget alteri, non eſt neceſſaria hujus mentio ſpecialis, *cit. cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ergo. Reſp. Minorem procedere in Legibus communibus, utpote quas Princeps habet in ſcrinio pectoris ſui, ut notatur *cit. cap. 1. & l. Omnium. C. de Teſtament.* Secùs eſt in Legibus privatis, ſive Privilegijs; nam ob talium multitudinem Princeps non cenſetur habere, nec poteſt habere memoriam omnium, ſicut nec Reſcriptorum, *cit. c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat.* Gloſſa *in c. Veniens. V. Nullam. de Præſcript.* ac proinde per poſterius non videtur velle derogare priori: alioquin enim hoc expreſſiſſet, vel ſaltem in poſteriori Privilegio appoſuiſſet clauſulam ſufficienter derogatoriam prioris. 11

Fatendum tamen, quòd licèt data *n. 112.* Concluſio ſtet pro Regula, ſicq; regulariter procedat; eadem nihilominùs quaſdã patiatur limitationes, ſeu fallentias, quarum ſex enumerat Felinus *cit. cap. 1. n. 11. ac ſeqq. h. t.* Præcipua tamen, ac præ alijs notatu digna eſt hæc, quando primum Privilegium fuit generale, ſecundũ verò ſpeciale: tunc enim ſpeciale prævalet etiam non factâ mentione prioris generalis, dummodò per hoc parti, vel tertiæ perſonæ necdũ fuerit jus quæſitum. Ratio eſt: quia dicta Concluſio, ſive Regula ſolummodò procedit datâ paritate Privilegiorũ reſpectu generalitatis, aut ſpecialitatis, dum videlicet vel utrumq; Privilegium eſt generale, vel utrumque ſpeciale: alioquin enim *Generi per ſpeciem derogatur*, juxta *Reg. 34. Juris* 1

in

in 6. ſive dein ſpecies præcedat, ſive ſequatur, ut inquit Gloſſa *ibid.* & Abbas *cap. 1. n. 14. h. t.* Barboſa *c. Quamvis tibi. 38. de Præbend. in 6.* Layman *loc. cit. n. 27.* & alij.

16 Exemplum hujus habetur *in c. Quamvis tibi. 38. de Præbend. in 6.* ubi primæ gratiæ generali, quâ Pontifex in genere dederat Titio poteſtatem conferendi ſex Beneficia, derogatur absque ulla prioris mentione per poſteriorem gratiam ſpecialem, quâ Pontifex poſteà cuipiam ſpecialiter mandavit de certo Canonicatu provideri, adeò ut hunc Canonicatum Titius conferre non poſſit: *nam* (ut argumentatur Pontifex) *primæ generali gratiæ tibi* Titio *factæ derogat poſterior ſpecialis, licèt de illa non fecerit mentionem.*

17 Additur notanter n. 115. *Dummodò per hoc parti, vel tertiæ perſonæ necdum fuerit jus quæſitum.* Siquidem præſumendum non eſt, quòd Papa, vel alius Princeps, per poſterius ſpeciale Privilegium, absque majori examinatione cauſæ, ſuæque voluntatis expreſſione, velit alicui præjudicium afferre, aut jus cuipiam quomodolibet quæſitum tollere, *text. clar. c. Quamvis is. 8. de Reſcript. in 6.* Quinimò ad præcludendas pravas quorundam ſuggeſtiones, oppoſitum ſolent Pontifices declarare, ac noviſſimè declaravit S. D. N. Innocentius PP. XII. in Reg. 18. Cancellariæ, quæ inſcribitur: *De non tollendo jus quæſitum.* Concordat *c. Ex tua. 9. de Filijs Presbyt.* ubi Pontifex diſpenſationem cum aliquo factam virtute privilegij diſpenſatori conceſſi, decernit non revocari, neque collationem Beneficij exinde factam irritari poſteriorum Litterarum Apoſtolicarum intuitu: quia videlicet diſpenſatis, & proviſis, jam fuerat jus in Beneficio quæſitum. Simile quid habetur *cit. c. Quamvis tibi. §. fin. de Præbend. in 6.* uti colligere licet ex illis verbis: *Antequàm tu conferas*: quia videlicet per collationem Beneficij factam ab eo, qui conferre poterat vi Privilegij, jus tertio quæſitum foret; ſicque non ampliùs locum haberet collatio ejusdem, poſtmodùm cuipiam per Papam ſpecialiter facta, vel fieri mandata, de qua ibidem eſt ſermo.

Hocipſum procedit de jure quæſito ipſi privilegiato: nam ſi Papa per privilegium conceſſerat cuipiam omnes Decimas alicujus Parochiæ, & ipſi jam fuerat acquiſitum jus in re ad ſingulas ſpecies, non ampliùs tali juri derogatur per poſteriores Litteras ſpeciales absque alia expreſſione. Abbas *cap. 1. num. 10. h. t.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 27.* & alij. 118

§. V.

De Interpretatione Reſcriptorum, nec non & Privilegiorum.

SUMMARIUM.

119. *In omnibus Reſcriptis, atque Privilegijs, ſi verba ſint clara, ea intelligenda ſunt ſecundùm propriam ſignificationem.*

120. *In dubio Reſcripta juſtitiæ ſunt interpretanda ſecundùm Jus commune.*

121. *Eaque ſunt ſtrictæ interpretationis, neque extendenda ad caſum, vel Perſonam non expreſſam. Et num. ſeqq.*

122. *Sub clauſula,* Et quidam alij, *in Reſcripto juſtitiæ non comprehenduntur perſonæ majores, & digniores expreſſis.*

123. *Neque effrænata multitudo.*

124. *Per Reſcriptum impetratum contra homines Diœceſis, v. g. Sagienſis, non poſſunt conveniri homines Civitatis Sagienſis.*

In materia ſtrictæ interpretationis, nomine Diœceſis non comprehenditur Civitas. Ibid.

125. *Nec per Reſcriptum impetratum contra hominem unius Diœceſis, poteſt conveniri homo alterius Diœceſis.*

126. *Reſcripta gratiæ, & ad beneficia, qualiter ſint interpretanda? Et num. ſeqq.*

127. *In Beneficijs ſtrictè ſumptis ampliſſima eſt interpretatio facienda. Et n. 130.*

128. *Reſcripta ad Beneficia Eccleſiaſtica, veluti ambitioſa, ſunt ſtrictè interpretanda. Et n. 126.*

129. *Declaratur hoc inductione, atque exemplificatur. Et n. præc.*

130. *In Privilegijs, qualis interpretatio locum habeat? Et num. ſeqq.*

Quando in his agitur de præjudicio ſolius concedentis, fit ampliſſima interpretatio. n. 130.

131. *Dummodò hinc excipiatur Privilegium conceſſum ab Eccleſia Romana.*

132. *Si in Privilegio agitur de præjudicio tertij, vel Juris communis, fit ſtricta interpretatio. Et num. ſeqq.*

133. *Omnis receſſus à Jure communi eſt odioſus.*

134. *Notabilis Objectio, probans, nullum Privilegium eſſe latè interpretandum. Ejúsque Solutio. Et n. ſeqq.*

Hæres cenſetur eſſe eadem perſona cum Teſtatore. Ibid.

135. *Regula illa,* Privilegium conceſſum contra jus, eſt ſtrictè interpretandum, *patitur plures limitationes. Et n. ſeqq.*

136. *Solùm procedit, quando verba Privilegij ſunt dubia: ſecùs, ſi clara.*

137. *Et dummodò Privilegium adhuc aliquid operetur.*

Privilegium ita debet interpretari, ut aliquid conferat, & non reddatur inutile. Ibid.

138. *In Privilegijs favore cultûs Divini conceſſis fit la-*

ta interpretatio, etiam in præjudicium tertii.
139. *Privilegia conceſſa in favorem publicum, latè ſunt interpretanda.*
140. *Sicut & privilegia Motu proprio Principis conceſſa.*

119 Quæritur I. Qualis interpretatio in Reſcriptis præſertim juſtitiæ, ſeu ad Lites, ſit facienda? Reſp. I. Generatim loquendo tam in Reſcriptis juſtitiæ, & ad beneficia, quàm in Litteris merè gratioſis, ipsiſque Privilegijs, quando verba ſunt clara, ea intelligenda, atque interpretanda ſunt ſecundùm propriam ſignificationem, & communem uſum loquendi. Ita Abbas *in c. Cauſam quæ. n. 1. & c. Nonnulli, n. 5. h. t.* Innocentius, Bartolus, & alij communiter. Nam, ut *l. Ille aut ille. 25. ff. de Legatis III.* dicitur, *Cùm in verbis nulla eſt ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio.* Et l. Non aliter. 67. ff. eod. ibi: *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe Teſtatorem.* Idem igitur, & quidem à fortiori, dicendum erit de Reſcriptis, ſeu Litteris ſupremi Principis, *c. Ad audientiam. 12. de Decimis*: ubi proin Gloſſa *fin.* infert, ac pluribus alijs allegatis Iuribus probat, quòd *à forma verborum ſine certa ſcientia non eſt recedendum.* Concordant dicta ſuperiùs *Tit. præc.* §. *16. num. 389. & ſeqq.* agendo de Regulis in Legum interpretatione obſervandis, quæ unà cum ſuis limitationibus, ac declarationibus (ſervatâ tamen proportione) huc applicanda erunt. Et hæc ſunt certa, & communiter recepta; prout ampliùs oſtendit Barboſa *Axiomat. 222. n. 4. & ſeqq.* Quid autem ſit dicendum in dubio, oportet de ſingulis ſeorſim loquendo, clariùs exponere, hinc

120 Reſp. II. Loquendo ſpeciatim de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, hæc in dubio, atque ubi de contraria Principis intentione, & voluntate non conſtat, debent intelligi, ac interpretari ſecundùm jus commune, ita ut quàm minimum ab eo recedatur, etiamſi oporteat id facere per impropriationem verborum, ac transpoſitionem clauſularum. Ita deſumitur *ex c. Cauſam quæ. 18. h. t.* ubi circa hoc habetur caſus, & deciſio ſingularis, ac notat ibidem Abbas *n. 1.* Felinus *n. 9.* Fagnanus *n.* 4. & alij communiter. Ratio eſt: quia Reſcriptum juſtitiæ conceditur ad Juris obſervantiam, nec debet aliquid continere contra Jus commune; alioquin enim, vel non valet, *c. Reſcripta. 25. q. 2.* vel, ſi conſtet de contraria voluntate concedentis, mutat nomen Reſcripti, & tranſit in Privilegium, juxta Gloſſam *cap. 1. ℣. Noſcatur. de Conſtitut. in 6.* Ergo in dubio, & quando non patet de alia mente concedentis, debet Reſcriptum ita intelligi, ut non obviet Juri communi, neque operetur contra naturam ſuam.

121 Reſp. III. Inſuper Reſcripta juſtitiæ ſunt ſtrictæ interpretationis, ac proinde ad caſum, vel perſonam in Reſcripto non expreſſam, minimè extendenda. Ita Gloſſa *in c. Nonnulli. 26. ℣. Lites reſtringendæ. h. t.* Felinus *in d. c. Cauſam quæ n. 8. h. t.* aſſerens, quòd Reſcripta ad lites ſint ſtrictiùs interpretanda, quàm Reſcripta ad Beneficia Eccleſiaſtica. Pirhing *h. t. n. 17.* & alij. Ratio eſt: quia per Reſcripta ad lites detrahitur juriſdictioni Judicum ordinariorum; ſimúlque per ea præbetur anſa, & materia litigandi; ergo meritò cenſeri debent eſſe odioſa, ſicque reſtringenda, nec extendenda ultra caſus, & perſonas expreſſas: cùm *Lites reſtringendæ ſint potiùs, quàm laxandæ*, cit. c. Nonnulli. §. Cùm autem.

Sequitur proinde primò, quòd ſi quis obtinuerit Reſcriptum, in quo ſunt deſignatæ perſonæ minores, vel viliores, quas in Judicio convenire valeat, additâ clauſulâ generali, *Et quidam alij*: vi hujus clauſulæ non poſſint conveniri perſonæ majores, vel digniores, ſed ſolummodò pares, vel minores expreſſis, *text. clar. c. Sedes Apoſtolica. 15. h. t.* Et quod hîc dicitur de perſonis, pariter procedit de rebus, ſeu cauſis: adeò, ut ſi in Reſcripto deſignentur cauſæ, ſeu res leviores, additâ clauſula, *Cognoſcatis ſuper his, & quibusdam alijs*: vi hujus non poſſint cognoſci res, & cauſæ majores, ſeu graviores expreſſis, *cit. c. Sedes. §. Nec ſuper.* Et meritò: nam dictio *Alius*, *Alia*, ex propria ſua ſignificatione ſtat implicativè, & eſt repetitiva ſimilium; ſicque in propoſito non involvit perſonas, res, vel cauſas majores expreſſis, ſed ſolummodò pares aut minores: alioquin quippe Reſcripta ad lites non reſtringerentur, ſed nimiùm extenderentur. 122

Sequitur ulteriùs, quòd ſub dicta generali, & indefinitâ clauſulâ, *Et quidam alij*, non comprehendatur effrænata multitudo, ut *cit. c. Sedes Apoſtolica* notatur. Quinimò, ne litibus nimiùm laxentur habenæ, providè *cap. 2. h. t. in 6.* ſtatuitur, ut per illam generalem clauſulam, *Quidam alij*, quæ frequenter Litteris Apoſtolicis inſeritur, ſolummodò tres, vel quatuor perſonæ in Judicium trahi, ſeu conveniri poſſint; ſimúlq; horum nomina in primo Citatorio teneatur Impetrator exprimere, ne locus fraudibus forſan relinquatur, ſi circa ipſas poſſet liberè variare. 123

Sequitur tertiò, quòd per Reſcriptum impetratum contra homines certæ Diœceſis, v. g. Sagienſis, non poſſint conveniri homines Civitatis, v. g. Sagienſis; prout deciſum habetur *c. Rodulphus. 35. h. t.* Ratio eſt, quam indicat Abbas *ibid. n. 1.* Quia in materia ſtrictæ interpretationis, appellatione Diœceſis non comprehenditur Civitas; licèt ſecùs ſit in materia largâ, & favorabili, vel ſaltem indifferenti, *cap. un.* junctâ Gloſsâ, *℣. Diœceſi. de Rerum permutat. in 6. & c. Cùm Epiſcopus. 7. de Offic. Ordin. in 6.* Atqui materia Reſcriptorum ad lites eſt odioſa, & reſtringenda, ut dictum; ergo. 124

Sequitur tandem, & quidem à fortiori, quòd per Reſcriptum impetratum contra hominem unius 125

unius Diœceſis, non poſſit conveniri homo ejusdem nominis alterius Diœceſis; prout habetur *c. Significante. 34. h. t.* Siquidem Reſcriptum non extenditur ad perſonam in eo non expreſſam, ut loquitur Abbas *ibid. n. 1.* Et quia non infrequens eſt, quòd plures vocentur eodem nomine, expreſsâ aliâ Diœceſi non conſtat de corpore perſonæ, ſive quòd Reſcriptum fuerit impetratum contra hanc numero perſonam; quæ eſt alterius Diœceſis; ac proinde error iſte verſatur circa ſubſtantialia. Verùm de errore in nomine Diœceſis, plura inferiùs *h. t. n. 221. & ſeqq.*

126 Quæritur II. Qualiter in dubio interpretanda ſint Reſcripta gratiæ, atque ad Beneficia Eccleſiaſtica? Reſp. I. Licèt in Beneficijs Principum, quæ nulli præjudicant, pleniſſima ſeu ampliſſima ſit interpretatio facienda: nihilominus Reſcripta ſuper Beneficijs Eccleſiaſticis obtinendis, tanquam ambitioſa, ſtrictè ſunt interpretanda, & reſtringenda. Ita communis, & habetur expreſſum *c. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* ibi: *Quamvis pleniſſima ſit altàs in Beneficijs interpretatio facienda, Litteræ tamen ſuper obtinendis Beneficiis debent, cùm ſint ambitioſæ, reſtringi.*

127 Et quidem prior pars procedit de Beneficio ſtrictè ſumpto, ac prout illud contradiſtinguitur à Privilegio, quod eſt contra Jus commune, & Reſcripto, quod eſt ſecundùm Jus commune; ut notat Fagnanus *in c. Olim. n. 4. & ſeqq. de Verb. ſignif.* In quo ſenſu Beneficium aliud non eſt, quàm gratia quædam ex liberalitate concedentis facta ſine præjudicio tertij, præter Jus commune, ut dictum ſuprà *num. 18. & 19.* Atque in hac acceptione Beneficium, ſi quando vergit in præjudicium concedentis, eſt contra ipſummet concedentem pleniſſimè interpretandum; per textum jam allegatum, juncto *c. Cùm dilecti. 6. de Donationib. & c. Olim. 16. de Verb. ſignif.* ibi: *Cùm beneficia Principum ſint interpretanda largiſſimè.* Et ratio eſt: quia, ſi Princeps concedens voluiſſet non tam largam contra ſe fieri interpretationem, potuiſſet quæ placuiſſent excepiſſe; prout notavit Pontifex *in c. Quia circa. 22. de Privileg.* ibi: *Cùm nihil exceperit, & potuerit excepiſſe; ac in beneficijs pleniſſima ſit interpretatio adhibenda.* Unde, ne ſtrictior Beneficij interpretatio excogitatâ fraude ſuæ obviet liberalitati, ut loquitur Gloſſa *fin. in cit. c. Quia circa*, contra Principem concedentem fit ampliſſima interpretatio.

128 Altera pars, loquens de Reſcriptis ad Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, & reſtringendis, eò quòd ſint ambitioſa (hoc eſt, ambitionem ſapiant, & per hanc nonnunquam importuniùs obtineri ſoleant) probatur, & declaratur ulteriùs inductione. Sic quippe *in cit. c. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* Pontifex ex jam allegata ratione declarat, quòd ſi cuipiam de Beneficio obtinendo usque ad certam ſummam provideri mandatur, ei non in penſione, ſed in Beneficio Eccleſiaſtico tantùm ſit providendum. Et *ibid. §. Quamquàm*, ſubjungitur, quòd, licet aliàs ſub nomine Eccleſiarum Civitatis comprehendatur Eccleſia Cathedralis, *ut cap. 1. de Auctorit. & uſu pall.* tamen quando alicui de Beneficio mandatur in aliqua Eccleſiarum Civitatis, vel Diœceſis provideri, tale mandatum ad Eccleſiam Cathedralem ſe non extendat.

Inſuper *in c. Cui de non ſacerdotali. 27. eod. in 6.* 129 habetur, quòd ſi cuipiam per Reſcriptum Apoſtolicum mandatur conferri Præbenda non ſacerdotalis, vel integra, vel certi valoris: eidem etiam volenti, & conſentienti, non poſſit vi talis Mandati conferri Præbenda ſacerdotalis, vel Præbenda dimidia, aut minoris valoris. Cujus ratio eſt: Quia hujusmodi Reſcripta ad Beneficia, utpote ambitioſa, reſtringi debent, ſicque neutiquam extendi ad caſus non expreſſos; eò præſertim, quòd fines talium Mandatorum diligenter ſervari oporteat, prout ibidem ſubjungitur. Tacentur alij ſimiles caſus.

Quæritur III. Qualis interpretatio locum 130 habeat in Privilegijs? Reſp. cum Abbate *in cap. ult. n. 22. & 23. de Tranſlat. Epiſc.* Fagnano *in c. Olim. n. 15. de Verb. ſignif.* & alijs, hìc eſſe diſtinguendum. Aut enim in Privilegio agitur de præjudicio ſolius concedentis: & ſic, cùm illud non tam ſit Privilegium, quàm Beneficium ſtrictè acceptum, fit ampliſſima contra concedentem interpretatio, juxta dicta *num. 127.* Hinc in præjudicium concedentis verba generalia, & indefinitè prolata, ad futura extenduntur: ut eſt caſus ſingularis *in c. Quia circa. 22. de Privileg.* ubi, cùm Epiſcopus ſecundùm Canones, ac de conſenſu Capituli ſui, cuipiam Eccleſiæ remiſiſſet indefinitè Decimas Epiſcopales, Papa conſultus reſpondet, cenſeri remiſſas Decimas non ſolùm præteritas, ſed etiam futuras.

Excipe tamen privilegium conceſſum ab Ec- 131 cleſia Romana, quæ in ſuum præjudicium non præſumitur quemquam privilegiare, *arg. c. Cùm inſtantia. de Cenſib.* ibi: *Quod non credimus*: junctâ Gloſsâ ibidem: quem textum ad hoc dicit notabilem Ludov. Romanus *Conſil. 498. n. 8.* ac ſequitur Fagnanus *loc. cit. n. 17.*

Aut agitur in Privilegio de præjudicio tertij, 132 vel Juris communis: & tunc fit ſtricta interpretatio. Prima pars deſumitur *ex c. Super eo. 15. de Offic. Delegat.* ibi: *Non tamen eſt noſtræ intentionis, Diœceſano Epiſcopo præjudicium generare.* Concordat textus *in c. Licèt. 12. de Offic. Ordin. & c. Cùm Capella. 16. & c. Paſtoralis. 19 & c. Dudum. 31. de Privileg.* junctâ Gloſsâ, & DD. ibid. inde inferentibus, quòd Papa nullius juri intendat derogare, niſi forſan hoc expreſſerit. Atque idcircò privilegium præjudicans tertio, in dubio, ac niſi aliud in ipſo fuerit expreſſum, civiliter, & temperatè eſt intelligendum; ita ut, quantò minùs fieri poſſit, juri alieno præjudicet: ac proinde ob identitatem rationis non eſt extendendum de caſu ad caſum. Concordant dicenda inferiùs *num. 142.*

Ratio poſterioris partis eſt: quia omnis receſ- 133 ſus à Jure communi, cenſetur odioſus, *cap. 1. & 2. de Filijs Presbyt. in 6.* junctâ *Reg. 28. Juris in 6.* cum concordantijs. Nec obſtat, quòd privilegia

gia talia contineant favorem. Reſp. enim, quòd licèt hujusmodi privilegia in præjudicium Juris communis obtenta, ſint favorabilia, quatenùs reſpiciunt privilegiatum, eadem nihilominùs cenſentur odioſa, quatenus à Jure communi exorbitant: ac proinde, cùm favor Juris communis præponderet favori privato, erunt ſtrictæ interpretationis, ſicque reſtringenda, & interpretanda, ut quantùm fieri poteſt, minùs lædatur Jus commune.

134 Dices. Si omne privilegium, quod tendit in præjudicium tertij, vel Juris communis, eſt ſtrictè interpretandum; ergo nullum erit privilegium, quod eſt latiſſimè interpretandum, contra dicta *num.* 130. Probatur ſequela: quia omne privilegium, utpote privans legem, *can. Privilegia. diſt.* 3. eſt contra Jus commune, & contra jus tertij, ſaltem ſucceſſoris ipſius concedentis; ut patet in caſu *cit. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* ubi remiſſio Decimarum partim derogat Juri communi, attribuenti Epiſcopis proprias Decimas; partim præjudicat Succeſſoribus Epiſcopis, qui ex tali ſui Anteceſſoris privilegio Eccleſiæ facto impoſterùm tenentur carere fructibus illarum Decimarum. Reſp. Neg. ſequel. Nam imprimis, ut taceatur, quòd Hæres cenſeatur eſſe eadem perſona cum Teſtatore, *Auth. De jurejurand. à morient. præſtit. Collat.* 5. cum ſimilibus: etiam in Beneficijs Eccleſiaſticis geſta per Prædeceſſorem canonicè facta, ſeu nomine Eccleſiæ, & concurrentibus alijs de Jure requiſitis, extenduntur ad Succeſſorem, *c. Is qui in jus.* 46. *de Reg. Jur.* cum ſimilibus: licèt ſecùs ſit dicendum de illis, quæ inter perſonas potiùs, quàm inter Eccleſias facta videntur, *c. Veniens.* 8. *de Transactionib.*

135 Deinde axioma illud, quòd *Privilegium conceſſum contra jus eſt ſtrictè interpretandum,* patitur nonnullas exceptiones, atque fallentias. Et primò quidem, quantum attinet ad propoſitam Objectionem, debet illud intelligi, & reſtringi, niſi privilegium præjudicet ipſi tantùm concedenti: alioquin quippe cenſetur eſſe Beneficium Principis, ſicque latiſſimè interpretandum, haud obſtante, quòd illud in aliquo deroget Juri communi, dummodò hoc fiat reſpectu Juris communis concernentis concedentem. Abbas *in cap. ult. n.* 12. *de Translat. Epiſc.* Et iſtud accidit *in cit. c. Quia circa.* ubi idem Abbas *num.* 4. notanter ſubjungit, quòd ſi dictum privilegium remiſſionis Decimarum Epiſcopalium fuiſſet conceſſum à Papâ, & non ab ipſomet Epiſcopo, cum conſenſu Capituli ſui, id etiam ſtrictiſſimè fuiſſet interpretandum; quia tunc præjudicâſſet juri Ordinarij, ſicque alicui tertio.

136 Ulteriùs memoratum axioma procedit ſolùm in dubio; ſecùs ubi verba privilegij ſunt clara: quia tunc à verbis ejus non eſt recedendum, ſed ſervanda verborum proprietas, haud obſtante præjudicio tertij, vel Juris communis, prout *num.* 119. jam dictum.

Limitatur inſuper dictum axioma, dummodò privilegium adhuc aliquid operetur, ſeu conferat, Card. Tuſchus *Litt. V. Concl.* 85. *n.* 65. Barboſa *Axiomat.* 222. *n.* 15. cum alijs. Alioquin enim fit lata interpretatio, etiamſi agatur de alterius, vel Juris communis præjudicio, ne privilegium ſit inutile; ut habetur c. In his. 30. de Privileg. ibi: *Ita quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentia noſtra videantur in hoc gratiam conſecuti.* Ubi Gloſſa inquit: *Indulgentia enim* (ſeu privilegium) *ſemper debet aliquid conferre: aliàs deluſoria eſſet indulgentia Principis.* 137

Limitatur quartò allegatum axioma, ut non procedat in Privilegijs conceſſis favore cultûs Divini: quia in talibus fit lata interpretatio, etiam in præjudicium tertij. Fagnanus *in c. Olim. n.* 25. *de Verb. ſignif.* poſt Calderinum *Conſil.* 422. *aliàs* 6. *de Privileg.* & patet *ex cit. c. In his. de Privileg.* ubi dicitur: *In his, quæ ad cultum Divinum facere dignoſcuntur, non maligna, ſed benigna eſt potiùs interpretatio facienda.* Unde Laymanus *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 4. *cap.* 23. *n.* 5. poſt Sylveſtrum, *V. Privilegium. quæſt.* 3. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 27. *n.* 7. & alios, hoc ipſum exemplificans, meritò docet, quòd privilegium datum in favorem cauſæ publicæ piæ, religioſæ, alteriúsve favorabilis, puta Privilegium exemptionis Clericorum à jurisdictione Principum ſæcularium, & Religioſorum à jurisdictione Ordinariorum, amplè ſit interpretandum in favorem Religionis. *Nam ſummam eſſe rationem, quæ pro Religione facit,* habetur expreſſum in *l. Sunt perſonæ. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer.* 138

Huc deſerviunt, quæ habet Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 42. *n.* 60. videlicet privilegia, quæ ſunt conceſſa in favorem publicum, v. g. privilegia concedentia facultatem diſpenſandi, & commutandi vota, quæ conceduntur non alicui particulari, ſed integro Ordini, non cenſeri mera privilegia, & odia Juris, ſed potiùs favorem ac beneficium Principis: ac proinde latè eſſe interpretanda, eò præſertim, quia talia ſunt beneficia non tam Ordinis, quàm populi Chriſtiani. 13

Limitatur ultimò ſæpè dictum axioma, quando privilegium, licèt contra Ius commune datum, motu proprio ipſius Principis conceſſum fuit: tunc enim amplam potiùs interpretationem meretur, veluti quod proprium Principis beneficium eſt, atque ex certa ſcientia datum cenſetur; *ut c. Si motu proprio.* 23. *& c. Si pluribus.* 24. *de Præbend. in* 6. Layman *cit. cap.* 23. *n.* 5. Suarez *d. cap.* 27. *n.* 8. & alij. Nam temerarium eſt, & perabſurdum, liberalitatem Principis non ad augmentum privilegiorum, ſed diminutionem convertere, ſive interpretari velle, *l. Hac Conſultiſſima. C. de Agentibus in rebus, lib.* 12. 1

§. VI

§. VI.

De clauſulis, & formâ Reſcriptorum neceſſariò obſervanda.

SUMMARIUM.

141. *Clauſula,* Si ita eſt, Si preces veritate nitantur, *in Reſcriptis vel apponitur, vel ſubintelligitur. Et num.* 189.
142. *Idem dicendum de clauſula*, Salvo jure alterius.
143. *De alijs Reſcriptorum clauſulis. Remiſſivè.*
144. *Forma in Reſcriptis præſcripta neceſſariò eſt obſervanda: adeò, ut actus ſit nullus, ſi quoad aliquid ſubſtantiale non obſervetur. Et num ſeqq.*
145. *Nec ſufficit formam per aliud æquipollens implere.*
146. *Secùs dicendum, ſi quid non ſubſtantiale prætermittatur. Et num. ſeqq.*
147. *Signa colligendi, an in Reſcripto quidpiam ſit poſitum, pro forma ſubſtantiali, nec ne? Et num. ſeqq.*
Ubi in Reſcripto præfigitur certus ordo procedendi, præſumitur is eſſe de ſubſtantia. Ibid.
148. *Idem dicendum, ſi quid alio modo, vel in alium finem præſcribitur in Reſcripto, ac Jus commune requirit.*
149. *Secùs, ſi in Reſcripto exprimatur id, quod de Jure communi jam ineſt.*
150. *Vel ex alijs conjecturis oppoſitum ſufficienter non deprehendatur.*
151. *Forma cenſetur eſſe ſubſtantialis, quando in Reſcripto additur clauſula,* Non aliter, *aut hujusmodi.*

QUæritur I. Quænam clauſulæ in Reſcriptis communiter apponantur, vel ſaltem ſubintelligi debeant? Reſp. Hujusmodi clauſulæ ſunt plures, potiſſimùm verò ſequentes. Prima eſt, *Si ita eſt,* prout videlicet Supplicans narraverat; Sive, quod idem eſt, *Si preces veritate nitantur.* Et hæc in omni Reſcripto ad inſtantiam partis emanato, etiamſi non apponatur, ſemper eſt ſubintelligenda, *text. clar. cap. 2. h. t.* Unde ſi opponatur, narrata non eſſe vera, onus probandi incumbit impetranti, ut notat Abbas *ibid. n.* 3. Quinimò de rigore Juris Civilis neceſſe eſt, ut dicta clauſula expreſsè Reſcripto inſeratur; adeò, ut ſi non ſit appoſita, non valeat Reſcriptum, *L. ult. C. de Diverſ. Reſcript.* Verùm de hac clauſula plura *in* §. *ſeqq.* agendo de Subreptione Reſcriptorum.

142 Altera clauſula, quæ in Reſcriptis tum juſtitiæ, tum gratiæ, vel apponi ſolet, vel ſubintelligi debet, eſt illa, *Salvo jure alterius.* Nam Papa non intendit ullius juri derogare, ſed vult jus ſuum cuilibet manere illæſum, niſi aliud exprimat, *c. Paſtoralis.* 19. *de Privileg. & can. de Eccleſiaſticis.* 25. *q.* 2. *& can. Nunc verò.* 9. *q.* 3. *& c. Ad aures.* 8. *h. t.* In quo proinde poſtremo loco, Gloſſa *℣. Intentionis*, pluribus alijs Juribus allegatis notat, Dominum Papam ſic uni concedere beneficium, quòd alium non lædat, vel gravet, ſaltem graviter, ſeu enormiter (modicum quippe præjudicium æſtimari non ſolet. Pirhing *h. t. n.* 39. & Gloſſa *margin. fin. can.* 1. *diſt.* 85.) Meliùs eſt enim, neutrum juvare, quàm alterum lædere, *can. Denique.* 14. *quæſt.* 5. *& c. Apoſtolicæ.* 9. §. *Quia tamen. de Donationib.* Concordat illud Apoſtoli, 2. Corinth. 8. dicentis: *Non enim volumus, ut alijs fiat remiſſio, vobis autem tribulatio.* Et Regula Cancellariæ, 18. quæ inſcribitur, *De non tollendo jus quæſitum.* Huc faciunt dicta ſuperiùs *num.* 132.

Præter haſce generales clauſulas, quæ cuivis Reſcripto ad inſtantiam partis emanato (niſi ſecùs certis de cauſis exprimatur) tacitè inſunt, 143
atque non rarò expreſsè apponuntur: dantur plures clauſulæ ſpeciales, quæ pro ratione materiæ ſubjectæ, ipsáque Reſcriptorum diverſitate inſeri conſueverunt. Verùm de his partim ſuo loco commodiùs agetur; partim conſulendi erunt Authores, præſertim verò Auguſtinus Barboſa, & Doctores per ipſum citati, in præclariſſimis ſuis Tractatibus varijs, qui *De Axiomatibus* Juris, *& Clauſulis, ac Dictionibus uſu frequentioribus* inſcribuntur.

Quæritur II. An, & quâ neceſſitate, forma in Reſcriptis præſcripta obſervari debeat? Reſp. 144
Forma in Reſcriptis præſcripta neceſſariò eſt obſervanda; adeò quidem, ut eâ quoad aliquid ſubſtantiale non obſervatâ Actus inde ſequens ipſo jure ſit irritus. Patet hoc ex *c. Cùm dilecta.* 22. *h. t.* ubi proceſſus contra dati formam Reſcripti attentatus, irritus decernitur & inanis: hoc eſt, ipſo jure nullus, & non primùm per ſententiam Judicis irritandus, juxta Gloſſam ibidem *℣. Irritum,* Abbatem, Felinum, & alios, qui proin dictum Capitulum ita ſummant: *Proceſſus factus per litteras ſubreptitias irritatur; ſed factus contra formam reſcripti irritus nuntiatur.* Concordat textus *in c. Cui de non ſacerdotali.* 27. *de Præbend. in* 6. ubi pariter in Reſcriptis ad Beneficia obtinenda dicitur, quòd *eorum fines diligenter ſervari oportet,* junctâ *l. Diligenter. ff. Mandati,* cum ſimilibus.

Accedit ratio in *cit. l. Diligenter* inſinuata illis 145
verbis: *Nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur.* Quia videlicet Commiſſarius, ſive Judex delegatus

gatus, nullam habet poteſtatem agendi, niſi quatenùs hæc ipſi à Delegante fuit conceſſa: ergo, ſi ipſe agat contra formam Mandati, ſive Reſcripti, hujuſque limites à Delegante poſitos excedat, nihil agit; cùm nullam ad ſic agendum acceperit poteſtatem, ſed limitatam duntaxat, videlicet juxta formam ſibi præſcriptam, & ſub tacitâ conditione, ſi eam obſervaverit, Pirhing *h. t. num. 44. & 45.* Et hoc adeò verum eſt, ut non ſufficiat formam in Reſcripto datam per aliud æquipollens implere: quia ſpecificè eſt implenda, & obſervanda. Felinus *in d. c. Cùm dilecta. n. 10. ampliat. 11. h. t.* poſt Baldum, & alios *in L. 1. ff. de Liberis & poſthumis.*

146 Additur notanter num. 144. *ut eâ quoad aliquid ſubſtantiale non obſervatâ &c.* Nam non invalidatur actus, quando Commiſſarius, ſive Judex delegatus, quidpiam in data ſibi inſtructione poſitum prætermittit, ſi id non pertineat ad formam ſeu ſubſtantiam actûs, ſed potiùs concernat ejus qualitates, aut admonitionem ſeu inſtructionem quandam convenientiùs procedendi in negotio contineat; prout mox ampliùs declarabitur. Unde

147 Quæritur III. Ex quibus ſignis colligi poſſit, quidpiam in Reſcriptis eſſe poſitum, ſeu præſcriptum pro forma ſubſtantiali, nec ne? Reſp. I. Ubi Papa, vel alius Superior, in Reſcriptis præfigit certum ordinem procedendi, talis Ordo ſemper præſumitur eſſe de ſubſtantia. Ita colligitur *ex cit. c. Cùm dilecta*, ac notat Baldus *ibidem, num. 10.* ubi ad hoc ipſum probandum allegat *c. Piſanis. 19. de Reſtitut. ſpoliat.* Unde, quando in aliquo Reſcripto mandantur duo, vel plura fieri, illud ante alia eſt expediendum, quod in ipſo priùs narratur, ſeu fieri præſcribitur: aliàs ipſo jure irritum erit, quod ſecùs geſtum fuerit; idque tum per rationem, tum per Jura proximè allegata.

148 Reſp. II. Illa etiam cenſetur eſſe forma ſubſtantialis, quæ in Reſcriptis, ſeu Mandatis Apoſtolicis, alio modo, vel in alium finem præſcribitur, ac Jus commune requirit. Ita Covarruvias *in c. Alma mater, part. 1. §. 9. num. 8.* Abbas *in cit. c. Cùm dilecta. num. 12.* & ibi Layman. *n. 7. h. t.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 33. num. 4.* & alij. Ratio eſt: quia tunc Superior, ut puta Papa reſcribens, cenſetur novum mandatum concipere, neque ſub alia conditione ſive modo, quàm expreſſerat, poteſtatem exequendi ſuo Commiſſario, ſeu Judici delegato committere; & proinde talis expreſſio inducit novam formam.

149 Aliud eſt dicendum de expreſſione illius, quod ineſt de Jure communi, nec tamen juxta iſtud ſpectat ad formam, ſive ſubſtantiam actûs: nam talis expreſſio non inducit novam formam, ſed potiùs ſapit inſtructionem ad cauſam. Abbas *cit. n. 12.* Pirhing *h. t. num. 48.* & alij. Exemplum hujus affert Sanchez *loc. cit. num. 2.* de Sacerdote, cui Epiſcopus committit facultatem aſſiſtendi Matrimonio quorundam ſponſorum, præmiſſis tamen trinis denunciationibus: nam quia hoc ipſum de jure ineſt, hujus expreſſio non cenſetur novam formam inducere; ac proinde Sacerdos ille validè (etſi illicitè) aſſiſtit Matrimonio, quamvis trinæ denunciationes non fuerint præmiſſæ. Atque in ſimili expreſſio conditionis, quæ de jure ineſt, nihil operatur, *arg. L. 3. ff. de Legatis I.* ac notat Bartolus *ibid. in Summario*: quamvis enim non exprimeretur, tamen ſubintelligi deberet.

Quinimò etiam dictum illud, quòd quando commiſſio fit ſub certa forma, quæ de Jure non ineſt, cenſeatur forma illa eſſe ſubſtantialis, adeò ut ipsâ non ſervatâ corruat Actus; limitari, atque intelligi debet, dummodò ex alijs conjecturis oppoſitum ſufficienter non deprehendatur. Sanchez *cit. diſp. 33. num. 6.* Et ita accidit, quando vel ex materia ſubjecta, aut modo loquendi; aliiſve circumſtantijs, vel ex Curiæ conſuetudine, ſufficienter colligi poteſt, non fuiſſe mentem Delegantis, per talia verba præſcribere novam formam ſubſtantialem, ſine quâ actus non ſubſiſteret; ſed ſolummodò monitionem quandam, atque inſtructionem facere, quid ipſe circa negotij expeditionem obſervandum arbitretur. Layman *in d. c. Cùm dilecta. num. 6. h. t.* Pirhing *num. 48.* & alij. Hinc *in l. Diligenter. §. fin. ff. Mandati*, habetur, valere emptionem, ſi quis accepto mandato, ut emeret Stychum decem v. g. florenis, emit eundem novem florenis: quia cauſa mandantis benè poteſt reddi melior; ſicque ex hoc de mente ejus abundè liquet. 15

Reſp. III. Ubi in Reſcriptis certa forma præſcribitur additâ illâ clauſulâ, *Non aliter, Sic neque alio modo, Si ſecùs fiat, irritum ſit & inane*, aut hujusmodi: clarum eſt, quòd ejusmodi forma ſit ſubſtantialis, eâque non ſervatâ corruat actus. *Barboſa in tract. De Clauſulis uſu frequent. Clauſ. 81.* citans plurimos alios. Nam hujusmodi clauſula arguit præciſam Reſcribentis mentem, ac denotat omninò abeſſe ejus voluntatem in caſu contrario: ſicque neceſſitatem facit, & expreſſam formam inducit, quâ non ſervatâ nihil agitur. Neque enim Superior taliter reſcribens voluit alteri facultatem agendi committere, ſeu delegare, niſi ſub conditione, ut procedat modo ſibi præſcripto; ac proinde deficiente tali conditione perinde eſt, acſi nihil actum fuiſſet. 1

Jaſon *in l. Cùm dubitabitur. n. 142. C. de Jure Emphyteuſ.*

§. VII.

§. VII.

De Obreptione, ac Subreptione Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

52. *Obreptio, & Subreptio Reſcriptorum, quomodo committatur?*

53. *Nonnulli volunt, eſſe differentiam inter Obreptionem, & Subreptionem.*

54. *Et juxta hos Reſcriptum obreptitium, & ſubreptitium, quid ſit?*

55. *Obreptio, & Subreptio, quantùm ad propoſitum, coincidunt. Et num. 153.*

56. *Obreptio, ſive Subreptio, an, & quando vitiet Reſcriptum? Et num. ſeqq.*

Cap. Super litteris. 20. h. t. *eſt clavis totius Tituli: & quæ diſtinctio in ipſo ponatur. Ibid.*

57. *Vitiatur Reſcriptum, ſi per fraudem, vel malitiam exprimitur falſitas, aut veritas ſupprimitur.*

58. *Quid ſi per ſimplicitatem, vel ignorantiam hoc fiat?*

59. *Tres regulæ Abbatis circa hoc.*

160. *Utrum Deciſio Pontificia* d. c. Super litteris. h. t *etiam locum habeat in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, atque Privilegijs?*

In materia Subreptionis Privilegia, & Litteræ Beneficiales pariſicantur. Ibid.

161. *Per Subreptionem doloſam vitiantur in totum Reſcripta gratiæ, & ad Beneficia, ipſaq; Privilegia.*

162. *Idem dicendum in caſu expreſſæ per ſimplicitatem, vel ignorantiam falſitatis, aut ſuppreſſæ veritatis, ſi cognitâ veritate Pontifex non dediſſet ejusmodi Litteras.*

163. *Secùs, ſi tales Litteras cognitâ veritate adhuc Pontifex conceſſurus fuiſſet.*

164. *Probatur hoc efficaciter.*

165. *Ac in ſpecie loquendo de Reſcriptis Beneficialibus.*

166. *Exemplificatur iſtud caſu notabili.*

167. *Solvitur inſtantia* ex c. Si motu. de Præbend. in *6.*

168. *Alia inſtantia* ex c. Suſceptum. h. t. in *6. reſolvitur.*

Vacatio Beneficij per mortem, & vacatio per renunciationem, ſunt diverſa; & falſitas in his contingens vitiat Reſcriptum, cur? Ibid.

169. *Alia ſolutio poſterioris inſtantiæ.*

Falſitas expreſſa non causâ demonſtrationis, ſed causâ taxationis, vitiat Reſcriptum. Ibid.

170. *Reſcriptum ſubreptitium, an ipſo jure ſit nullum, vel duntaxat ope exceptionis? Et num. ſeqq.*

171. *Reſcriptum gratiæ, & ad Beneficia, per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo jure nullum. Et num. præc.*

172. *Reſcriptum juſtitiæ econtrà per ſubreptionem etiam doloſam, non vitiatur ipſo jure, ſed duntaxat ope exceptionis. Et num 170.*

173. *Et ratio diſparitatis inter hæc Reſcripta.*

Quæritur I. Quid ſit Obreptio, & Subreptio, & an differant? Reſp. Obreptio, & Subreptio reſcriptorum tunc committitur, quando per ſupplicantem vel exprimitur falſitas, vel tacetur veritas de jure exprimenda. Ita deſumitur *ex c. Super litteris.* 20. *h. t.* ibi: *Tacitâ veritate, vel ſuggeſtâ falſitate.* Et infrà: *Falſitatem exprimit, vel ſupprimit veritatem &c.* Dupliciter enim in Reſcriptis poteſt ob- vel ſubreptionis vitium contingere, nempe vel propter expreſſionem falſitatis, vel propter taciturnitatem veritatis, quæ de jure exprimi deberet, prout ampliùs patebit ex dicendis.

Reſp. II. Quamvìs nonnulli velint, eſſe differentiam quandam inter obreptitium, & ſubreptitium: nihilominùs hæc duo ſæpiùs inter ſe confunduntur, & quantùm ad propoſitum non differunt, ſed quidquid dicitur de uno, etiam dictum intelligitur de altero. Ita Abbas *in c. Cùm dilecta. n. 7. h. t.* Jaſon *in c. Præſcriptione. n. 1. C. Si contra jus &c.* Fagnanus *in c. Super litteris. n. 5. h. t.* citans alios.

Et quidem prima pars patet ex eo: quia nonnulli volunt, quòd Obreptio committatur per falſi narrationem, Subreptio autem per veri taciturnitatem. In quo ſenſu *Reſcriptum* dicitur *ſubreptitium*, quando impetratur tacitâ veritate neceſſariò explicanda: *Obreptitium* verò, quando impetratur expreſsâ falſitate. Et ita tenent plures Doctores, quos refert Menochius *de Arbit. Judic. caſ.* 201. *n.* 9. qui proinde addunt, quòd majus eſt vitium Obreptionis, quàm Subreptionis; cùm gravius eſſe reputetur falſum exprimere, ac verum tacere. Alij verò *Reſcriptum ſubreptitium* appellant illud, quod impetratum fuit expreſsâ falſitate, vel ſuppreſsâ veritate: *Obreptitium* verò, quod eſt impetratum ſub involucro verborum, puta ironicè, vel ita callidè loquendo, ſive ſupplicando, quòd Papa non percipiat veritatem; prout voluit Innocentius *in c. Cùm dilecta. n. 1. & 2. h. t.* & ibidem Imola *n.* 10. & nonnulli alij, quam differentiam Abbas *cit. n.* 7. ait, ſemper menti tenendam, quamvìs ultrò fateatur, ipſam aperto Jure non probari, imò Leges promiſcuè uti his vocabulis.

Altera pars, præter authoritates Doctorum jam relatas, probatur *ex L. 1. C. Si nuptiæ ex reſcript. petant.* ubi eædem litteræ modò *obreptione precum*, modò *ſubreptione precum*, impetrari dicuntur; 155

ſic-

ſicque hi termini inter ſe confunduntur, ac pro ſynonimis, & idem importantibus accipiuntur. Concordat textus *in l. Si quis obrepſerit. ff. Ad Leg. Cornel. de Falſis*, ibi: *Si quis obrepſerit Præſidi* (veritatem in precibus ab eo datis non adjiciendo) *perinde punitur, atque ſi falſum fecerit.* Et ampliùs hoc ipſum liquet *ex c. Super litteris. 20. b. t.* ubi per totum parificantur taciturnitas veri, cæteroquin de jure exprimendi, & ſuggeſtio falſi, ac notat Fagnanus *ibid. n. 25.* cum alijs. Et meritò: nam *uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit*, prout legitur *can. Quisquis metu. 11. q. 3. & cap. 1. de Crimine falſi*: ſicque rectè concluditur, quòd quantùm ad propoſitum, ſeu in ordine ad irritanda Reſcripta, obreptio & ſubreptio pro eodem ſumantur, & nihil inter ſe differre cenſeantur. Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 21. n. 2.*

156 Quæritur II. An, & quando, obreptio, ſive ſubreptio vitiet Reſcriptum? Reſp. De hoc extat celebre Capitulum, quod incipit, *Super litteris. 20. h. t.* atque à Summario ibidem appellatur *Clavis totius Tituli*: ubi Pontifex ex profeſſo loquens de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, imprimis diſtinguendum inquit *inter eos, qui per fraudem, vel malitiam; & illos, qui per ſimplicitatem, vel ignorantiam*, tacitâ veritate, vel expreſsâ falſitate, Litteras impetrant Apoſtolicas.

157 Deinde loquendo de prioribus, ſive de illis, qui per fraudem, vel malitiam exprimunt falſitatem, vel ſupprimunt veritatem, decernit ibidem verbis ſequentibus Pontifex, quòd ipſi *in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis Litteris commodum conſequantur: ita videlicet, quòd Delegatus (poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides) nullatenùs de cauſa cognoſcat.*

158 Loquendo autem de altero membro diſtinctionis, ſive quando falſitas expreſſa, vel veritas occultata fuit per ſimplicitatem, vel ignorantiam: rurſus Pontifex verbis ſequentibus cenſet *diſtinguendum, quæ falſitas ſuggeſta fuerit, vel quæ veritas occultata. Nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvìs fuiſſet tacita, vel expreſſa, Nos nihilominus* (inquit Pontifex) *ſaltem in forma communi, Litteras dediſſemus, Delegatus non ſequens formam in litteris ipſis appoſitam, ſecundùm ordinem Juris in cauſa ipſa procedat. Si verò per hujusmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ, vel expreſsâ, Nos nullas prorſus litteras dediſſemus* (de quo, juxta Doctores, Delegatus cognoſcere debet, attendendo ad Stylum Curiæ Romanæ, vel conſuetudinem alioquin in ſimilibus obſervari ſolitam) *à Delegato non eſt aliquatenùs procedendum, niſi forſitan eatenùs, ut partibus ad ſuam præſentiam convocatis, de precum qualitate cognoſcat.* Hæc ibi.

159 Ex quibus verbis Abbas *ibid. n. 4.* elicit, brevitérque ponit tres Regulas. Prima eſt: Subreptio doloſa vitiat Reſcriptum in totum. Secunda: Subreptio ex ignorantia, vel ſimplicitate, ſi fuit cauſa obtinendæ ſolius formæ Reſcripti, non vitiat ſubſtantiam ipſius Reſcripti, ex quo Princeps aliàs expreſsâ veritate, vel falſitate tacitâ, Reſcriptum conceſſiſſet. Tertia: Si ceſſante ſubreptione Papa nullo modo dediſſet Reſcriptum, vitiatur illud in totum, licèt ex ignorantia, vel ſimplicitate, veritas fuerit tacita, vel falſitas ſuggeſta. Et haſce duas poſteriores Regulas (primâ verbatim retentâ) Felinus *in Summario cit. c. Super litteris*: paucioribus verbis complectitur, dicens: *Subreptio, ſi proceſſit ex ſimplicitate, vel ignorantia, eatenùs vitiat, quatenus fuit cauſa conceſſionis.* Verùm circa allegatas Regulas, ac memoratam Deciſionem Apoſtolicam plura poſſunt moveri, & occurrere dubia, hinc pro clariori prædictorum intelligentia

Quæritur III. Utrùm Deciſio Apoſtolica, *in d. c. Super litteris. h. t.* contenta, quæ ex profeſſo loquitur de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, ac Regulæ inde formatæ pariter locum habeant in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, nec non & in Privilegijs? Et notanter ſimul fit mentio de Privilegijs: nam in materia ſubreptionis Privilegia, & litteræ Beneficiales parificantur, imò utraque ad Reſcripta gratiæ pertinent, ut notat Innocentius *in c. Cùm dilecta. n. 3. h. t.* & ſequitur Abbas *in cit. c. Super litteris. n. 5.* & ibi Felinus *n. 3.* ac Fagnanus *n. 79. eod.* & Engel *h. t. num. 12.* cum alijs, quamvis non deſint oppoſitum tenentes. Hoc prænotato 16

Reſp. I. Quoad primam Regulam certum eſt, & conveniunt omnes Doctores, quòd ipſa etiam locum habeat in Reſcriptis gratiæ, & litteris Beneficialibus, atque Privilegijs: adeóque talia per ſubreptionem doloſam vitientur in totum. Ita Abbas, & Felinus, *ubi ſuprà.* Et ratio eſt: quia Reſcripta Apoſtolica, & à fortiori Litteræ gratioſæ ad inſtantiam partium emanatæ, ſemper habent clauſulam illam, vel expreſsè, vel ſaltem tacitè annexam: *Si eſt ita, Si preces veritate nitantur*; prout liquet ex *cap. 2. h. t.* Deinde, ut *in c. Sedes Apoſtolica. 15. eod.* generaliter dicitur, *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*: atque idcircò, tum ibidem, tùm *in c. Super litteris. 20. eod.* rectiſſimè concluditur, & pro fundamento allegatur, *quòd mendax precator carere debeat penitùs impetratis*; idque in pœnam ſuæ perverſitatis. Atqui mendacium committi poteſt, non tantum exprimendo falſum, ſed etiam tacendo verum, quod exprimi debuiſſet, ut habetur *in c. Cùm dilecti. 18. de Accuſat. & cap. 1. ff. fin. de Crimine falſi.* Quinimò à fortiori iſta prima Regula potiùs procedit de Reſcriptis gratiæ, & Beneficialibus, quàm de Reſcriptis juſtitiæ; eò quòd ſubreptio faciliùs inficiat Litteras gratioſas, & Beneficiales, quàm ad lites, juxta dicenda *n. 173. & 176.*

Et hæc ultima ratio etiam urget quantùm ad tertiam Regulã, ut proinde, quando per ſimplicitatem, vel ignorantiã, talis exprimitur falſitas, vel tacetur veritas, quâ cognita Pontifex nullas omninò dediſſet litteras: tunc non ſolùm Reſcripta ad lites, ſed à fortiori Reſcripta gratiæ, & ad Beneficia, ipsáq; Privilegia vitientur in totũ. Verùm

Verùm quantùm ad ſecundam Regulam non modicum eſt dubium, & controverſia inter Doctores: unde

Reſp. II. Multùm probabile eſt, quòd diſtinctio illa, & deciſio Pontificia, ipſáque Regula ſecunda *n.* 158. *&* 159. allata, etiam in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia locum habeat: adeò, ut non vitietur gratia, quam quis expreſsâ per ignorantiam, vel ſimplicitatem falſitate, aut ſuppreſsâ veritate impetravit, ſi eam Pontifex cognitâ rei veritate nihilominùs conceſſurus fuiſſet. Ita Abbas *loc. cit. n.* 5. ſolvens contraria. Felinus, *ubi ſuprà. n.* 2. citans Butrium, Imolam, & alios. Fagnanus *in cit. c. Super litteris. n.* 54. *& ſeqq. h. t.* citans pro hac ſententia multiplicem Deciſionem Rotæ. Engel *eod. n.* 12. & alij, contra Gloſſam *in c. Si motu. ℣. Taceatur. de Præbend. in* 6. & non paucos alios, oppoſitum tenentes.

Ratio Concluſionis eſt: quia ſubreptio non doloſa illud duntaxat vitiat, cujus fuit cauſa: atqui non cenſetur eſſe cauſa illius, quod cognitâ tali ſubreptione Princeps, ſive Papa, nihilominùs conceſſiſſet; ergo ſubreptio non doloſa, ſive per ſimplicitatem, aut ignorantiam commiſſa, hoc non vitiat. Minor, & conſequentia patent. Major autem probatur imprimis ex contextu *cit. c. Super litteris,* ubi, dum olim diverſi diverſa ſentirent, ut *ibid.* §. 1. notatur; Pontifex non aliam diſtinctionis ſuæ, in ſecunda & tertia Regula contentæ, reddit rationem, niſi quòd in caſu ſecundæ Regulæ cognitâ rei veritate nihilominus Papa gratiam petitam fuiſſet conceſſurus, non item in caſu tertiæ Regulæ.

165 Et ne quis forſan prætendere queat, iſta procedere de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, non item de Reſcriptis gratioſis, & Beneficialibus, hoc idem ſpeciatim probatur de iſtis. Sic quippe *in c. Dudum.* 14. *§. Nos igitur. de Præbend. in* 6. Pontifex valorem litterarum Beneficialium, & collationis à ſe factæ, inter alia probat ex eo: *Conſiderantes quoque, quòd Nos expoſito nobis de poteſtate prædictâ, nihilominùs Litteras gratioſas daremus*: & conſequenter memorata ratio procedit pariter in litteris Beneficialibus, & gratioſis. Concordat *c. Si pro Clericis* 8. *eod. in* 6. ubi taciturnitas defectûs Ordinum ad Beneficium neceſſariorum, non vitiat Reſcriptum Beneficiale, quando impetrans intra tempora à Jure ſtatuta poteſt eos ſuſcipere. Et *c. Si eo tempore.* 9. *h. t. in* 6. ubi litteræ Beneficiales, quæ fuerunt impetratæ tacito defectu ætatis requiſitæ ad Beneficium curatum, pro parte valent, & pro parte non valent: nam virtute talium Litterarum nequit obtineri Beneficium curatum (iſtud enim Papa, cognito tali defectu ætatis, non fuiſſet conceſſurus) benè tamen Beneficium non curatum, utpote quod ætatem illam non requirit, ſicque fuiſſet conceſſum etiam cognitâ rei veritate.

166 Hinc, cùm olim quiſpiam impetrâſſet Theſauriam Senenſem vacantem, & dixiſſet, eam eſſe Dignitatem, cùm tamen (ut poſteà compertum fuit) Dignitas non eſſet, ſed Officium: motâ quæſtione, num hæc ſubreptio vitiet Reſcriptum, Domini de Rota cenſuerunt, non vitiare: quia falſitas illa non fuit cauſa inductiva conceſſionis gratiæ, imò Papa faciliùs hanc conceſſiſſet, ſi dictum fuiſſet, quòd erat Officium tantùm. Abbas *loc. cit. n.* 6.

Dices cùm Gloſſa *in c. Si motu.* 23. *℣. Taceatur. de Præbend. in* 6. In hoc *cit. cap.* 23. abſolutè dicitur, quòd taciturnitas Beneficij, quantumcunque modici, priùs obtenti, vitiet Reſcriptum impetratum ad novum Beneficium, niſi fuerit conceſſum Motu proprio; ergo, ſive per malitiam, ſive per ſimplicitatem id taceatur, ſemper invalidum erit Reſcriptum: cùm enim Jus non diſtinguat, neque nos diſtinguere debemus. Reſp. cum Fagnano *loc. cit. n.* 58. & Engel *n.* 12. hanc Gloſſæ doctrinam procedere, ac noſtram Concluſionem eſſe limitandam, loquendo de illis qualitatibus, & circumſtantijs, quæ de Jure communi, conſuetudine, aut ſtylo Curiæ Romanæ ſpecialiter ſunt exprimendæ; prout exprimi debet Beneficium præhabitum, quantumvis modicum, *c. Si proponente.* 42. *h. t. & cit. c. Si motu.* cum ſimilibus. Tunc enim talium expreſſio cenſetur pertinere ad formam Reſcripti, qualis ad unguem obſervanda eſt: ac proinde, ſi ejusmodi, qualitates, ſeu circumſtantiæ non exprimantur, licet ex ignorantiâ, errore, ſeu ſimplicitate, non valet Reſcriptum; quia ſine forma non ſubſiſtit actus. Menochius, *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *caſu* 201. *n.* 27. Pirhing *h. t. n.* 63. Secùs eſt dicendum loquendo de alijs qualitatibus, vel circumſtantijs, quæ nec de Jure communi, neque ex conſuetudine, aut ſtylo Curiæ Romanæ, ſpecialiter ac neceſſariò ſunt exprimendæ, ſimúlque cognitâ veritate adhuc per Papam gratia fuiſſet conceſſa; prout proximè inter alia fuit exemplificatum de Theſauria, quam quis in aliqua Eccleſia impetravit ſub nomine Dignitatis, cùm eſſet duntaxat Officium.

Urgebis. In *c. Suſceptum.* 6. *h. t.* expreſsè dicitur, quòd ſi quis impetravit à Domino Papa Beneficium, quod dixit vacare per mortem, non poſſit ipſi conferri Beneficium vacans per ceſſionem, ſeu reſignationem; & tamen renunciatio, & mors, quantùm ad vacationem, æquiparantur: ergo. Reſp. neg. conſequent. Nam imprimis vacatio per mortem, & vacatio per renunciationem, ſunt diverſa; ac proinde in Reſcriptis Beneficialibus, cùm ſint ſtrictæ interpretationis, appellatione unius non venit alterum; cùm in odioſis non fiat extenſio de uno ad aliud. Gloſſa *in caſu. cit. cap.* Accedit, quòd vacatio per mortem, aut renunciationem, ſit qualitas & circumſtantia de Jure communi ſpecialiter exprimenda, per textum *cit. cap.* unde redit prior reſponſio. 167

Addit Abbas *cit. n.* 6. aliam ſolutionem: quia (inquit) Papa ibidem taxavit gratiam ad illum caſum expreſſum, puta, ſi vacet Beneficium per mortem; ideò non debet fieri extenſio ad alium caſum, puta quando vacat Beneficium per mor- 168 169

tem: nam quando falſitas eſt expreſſa non cauſâ demonſtrationis, ſed causâ taxationis gratiæ, tunc iſta vitiatur, licèt etiam cognitâ veritate eam Papa conceſſiſſet: quia natura Dictionis taxativæ eſt, ponere quod affirmat, & præter id quod ponit, omne aliud excludere.

170 Quæritur IV. Utrùm Reſcriptum ſubreptitium ipſo jure ſit nullum, vel duntaxat ope exceptionis? Reſp. Reſcriptum gratiæ, & ad Beneficia, per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo jure nullum; ac proinde, quidquid prætextu illius factum fuit, nullius prorſus momenti. Secùs eſt in Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, nam hæc per ſubreptionem, etiam doloſam, regulariter non vitiantur ipſo jure, ſed duntaxat ope exceptionis; ac proinde Proceſſus virtute illorum factus, validus eſt, niſi adverſarius, contra quem impetrata ſunt, de ſubreptione ipſorum excipiat. Ita Abbas *loc. cit. n.* 5. *& in c. Cæterùm. n.* 6. *& ampliùs c. Ad Audientiam.* 31. *n.* 5. *&* 8. & ibi Felinus *n.* 17. *de Reſcript.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 21. *n.* 3. Menochius *de Arbitrar. Judic. caſ.* 201. *n.* 2. *&* 3. Vantius *de Nullitat ex defectu jurisdict. n.* 60. Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 64. Fagnanus *in cit. c. Super litteris. n.* 22. *h. t.* citans Innocentium, Bellameram, Butrium, & communem opinionem.

171 Prima pars, ſeu quòd Reſcripta gratioſa, & Beneficialia, per ſubreptionem ipſo jure vitientur, deſumitur ex *cap. ult. de Filiis Presbyt. in* 6. ibi: *Talis diſpenſatio, veluti per ſubreptionem obtenta, nullius penitùs eſt momenti.* Qui textus ab univerſis Doctoribus ad quaslibet Litteras, gratiam vel diſpenſationem continentes extenditur. Concordat *c. Ad audientiam.* 31. *& c. Conſtitutus.* 19 *h. t.* & adhuc clariùs *Clem.* 1. *de Præbend.* ubi loquendo de Litteris gratioſis ſuper Dignitate obtentis, non habitâ mentione neceſſariò exprimendorum, dicitur: *Gratia hujusmodi, velut ſubreptitia, nullius penitùs eſt momenti.*

172 Altera verò pars, nempe quòd Reſcripta juſtitiæ per ſubreptionem, etiam doloſam, non vitientur ipſo jure, ſed duntaxat ope exceptionis: probatur *ex c. Si autem.* 9. *& c. Plerumque.* 23. *h. t.* ubi poteſt quis conveniri authoritate poſterioris Reſcripti per adverſarium obtenti, licèt de primo non faciat mentionem, quando primus impetrans iſto neglexit uti per annum: nam hoc fieri non poſſet, ſi poſterius Reſcriptum ita ſubreptitiè impetratum, ipſo jure fuiſſet nullum, juxta dicta *n.* 92. Ubi etiam alia hujus ratio redditur: quia nempe, quando adverſarius de ſubreptione non excipit, tunc Judex procedit de communi partium conſenſu, ſicque valet Proceſſus.

Confirmatur utraque pars, aſſignando diſparitatem inter Reſcripta gratiæ, & juſtitiæ. 1 Imprimis enim in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, negotium illicò terminatur, & acquiritur jus impetranti: econtrà verò in Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, fit tantùm præparatio ad cauſam, ipsùmque negotium expediendum, dum hujus cognitio certis judicibus delegatis committitur, jus verò per ipſa nullum tribuitur impetranti: cùm igitur priores ſint majoris præjudicij, meritò per ſubreptionem citiùs, atque ipſo jure vitiantur, & invalidantur. Deinde hac ipſa de cauſa faciliùs ſolent concedi, & acquiri Reſcripta juſtitiæ, quàm gratiæ: unde nec mirum, quòd Litteras gratioſas, cùm ſint difficilioris impetrationis, majorisque præjudicij, faciliùs inficiat ſubreptio, quàm Litteras ad lites. Tandem, ut argumentatur Fagnanus *in c. Ad audientiam. il.* 2. *n.* 37. *h. t.* in Litteris gratioſis non eſt pars, quæ poſſit excipere de ſubreptione; unde ceſſante proviſione hominis neceſſe fuit, ut Lex ipſa provideret, ipſo jure hujusmodi Reſcripta ſubreptitiè obtenta irritando, & caſſando: at verò in Reſcriptis juſtitiæ adeſt pars, cujus intereſt, quæ poteſt opponere exceptionem ſubreptionis; & ſi hoc non fecerit, cenſetur in tale Reſcriptum, ac datum per illud Judicem, ultrò conſenſiſſe; unde valebit Proceſſus virtute illius per Judicem delegatum factus, niſi contra hujusmodi Reſcriptum ab adverſa parte excipiatur.

§. VIII.

Alia Dubia circa Subreptionem Reſcriptorum ſolvuntur.

SUMMARIUM.

174. *Subreptio non doloſa, ſed per ignorantiam, vel ſimplicitatem contingens in una parte Reſcripti, plures partes habentis, non vitiat totum.*

175. *Secùs dicendum de ſubreptione doloſa, quæ probabiliùs vitiat totum. Et num. ſeqq.*

176. *Subreptio faciliùs vitiat Reſcripta gratiæ, & ad beneficia, quàm Reſcripta juſtitiæ; & cur? Et n.* 173.

177. *Oppoſita ſententia Doctorum, volentium, tunc non vitiari totum Reſcriptum, refertur, ac probatur.*

178. *Et ampliùs confirmatur.*

179. *Solvuntur rationes hujus ſententiæ. Et n. ſeqq.*
Utile non debet per inutile vitari, *quomodò intelligendum. Eod. n.* 179.

180. *Inſtrumentum Notarij, in cujus uno Capitulo reperitur falſitas, an reprobetur in totum, etiam quoad capitula ſeparata. Et n.* 178.
Quandò teſtis quandam falſitatem adjicit ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum. Eod. n 180. *&* 181.

181. *Transactio ex falſis inſtrumentis inita ſolùm retract-*

retractatur quoad Capitula, quæ inde compoſita ſunt, non quoad alia. Et n. 178.

182. *An per ſubreptionem, quæ contingit circa cauſam non motivam, ſed impulſivam tantùm, vitientur Reſcripta? Et n. ſeqq.*

183. *Cauſa motiva, & impulſiva; quæ?*

184. *Subreptio circa ſolam cauſam impulſivam, non vitiat Reſcriptum.*

185. *Sive ea contingat per taciturnitatem veri. Et n. præc.*

186. *Sive per narrationem falſi. Et n.* 184.

187. *Confirmatur hoc utrumque ratione.*

188. *Quid, ſi pro impetratione Reſcripti, vel Diſpenſationis, plures allegantur cauſæ motivæ, & una earum eſt falſa?*

189. *Solvuntur objectiones. Et n. ſeqq.*

In quocunque Reſcripto ſubintelligitur clauſula, Si preces veritate nitantur, *quomodo? Ibid.*

190. *Cauſa impulſiva movet ad concedendum effectum; quomodo?*

191. Qui citò dat, bis dat, *quâ ratione?*

192. *Taciturnitas Beneficij Eccleſiaſtici præhabiti, quantumvis modici, cur vitiet Reſcriptum ad Beneficium novum obtinendum? Et num. ſeqq.*

193. *Collatio Beneficij à Legato Apoſtolico facta non valet, niſi facta ſit mentio de præhabito Beneficio; ſecùs dicendum in inferioribus Collatoribus; & quæ ratio differentiæ?*

194. *Quoties in Reſcripto exprimitur unica cauſa, ea cenſetur eſſe motiva.*

195. *Quænam ex pluribus cauſis allegatis cenſenda ſit eſſe motiva, & quæ ſolùm impulſiva, unde deſumendum?*

196. *Si omnibus maturè conſideratis adhuc remanet dubium, an cauſa ſit motiva, vel potiùs impulſiva: præſumitur, eam eſſe duntaxat impulſivam.*

Verba ſunt ſic intelligenda, ut res, de qua agitur, magìs valeat, quàm pereat. Ibid.

197. & 198. *De quibus mentio ſit facienda in Reſcriptis juſtitiæ?*

199. *Ac in Reſcriptis Beneficialibus?*

200. *Reſcriptum impetratum contra conſuetudinem, vel Statutum particulare Eccleſiæ, ſive loci, non valet, niſi fiat mentio hujus.*

201. *In impetratione Reſcriptorum, Diſpenſationum, & Conceſſionum, quænam omnia ſint exprimenda?*

202. *Motus proprius Principis quid? Et n.* 7.

Habet locum, etiamſi præceſſerit ſupplicatio partis. Ibid.

203. *Motus proprius ſupplet vitium ſubreptionis ex taciturnitate veri proveniens.*

Proviſio de ſecundo Beneficio motu proprio Papæ facta valet, etiam non factâ mentione de præhabitis Beneficijs. Ibid.

204. *Idem dicendum, ſi motu proprio per Legatum Sedis Apoſtolicæ conferatur ſecundum Beneficium.*

Non tamen poteſt tunc proviſus utrumque Beneficium ſimul retinere, ſed tenetur eligere, quod maluerit. Ibid.

205. *Motus proprius purgat taciturnitatem, non ſolùm in Beneficialibus, ſed in omnibus Reſcriptis gratioſis.*

206. *Dantur tamen caſus, in quibus Motus proprius non firmat gratiam conceſſam. Et n. ſeqq.*

207. *Ut ſi fiat cum expreſſione cauſæ falſæ: licèt hæc per ſolum Principem, v. g. Papam, appoſita fuerit. Ibid.*

208. *Motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas perſonæ.*

209. *In hoc tamen caſu vitium Perſonæ non poteſt objici per viam ſubreptionis, ſed per viam juris.*

210. *Motus proprius nihil operatur in præjudicium tertij.*

211. *Alia clauſulam,* Motu proprio, *concernentia. Remiſſivè.*

Quæritur ulteriùs. I. Utrum ſubreptio contingens in una parte Reſcripti, habentis plures partes, ſive Capitula, vitiet totum? Reſp. I. Quando ſubreptio ejusmodi non fuit doloſa, ſed per ignorantiam, vel ſimplicitatem commiſſa, non vitiatur totum, ſed illa duntaxat pars, cujus fuit cauſa, quæque aliàs per Principem non fuiſſet conceſſa. Ita Abbas *in c. Super litteris. n.* 2. & ibi Fagnanus *n.* 24. *h. t.* qui id probant ex *c. Si eo tempore.* 9. *eod. in* 6. quod procedere ajunt, quando ſubreptio non fuit doloſa. Idem, & clariùs, probatur *ex cit. c. Super litteris,* ac Regulâ ſecundâ exinde deductâ, de quibus ſuprà *n.* 158 *&* 159. Unde præſens Concluſio eſt communis inter Doctores, quam Pirhing *h. t. n.* 98. extendit ad ſubreptionem non doloſam, factam ex ignorantia etiam craſſa, modò non ſit ingens temeritas.

Reſp. II. Quando ſubreptio per dolum, vel malitiam facta fuit in una parte Reſcripti plura capitula habentis, probabilius eſt vitiari totum. Ita Abbas *in cit. c. Super litteris. n.* 2. & ibi Fagnanus *n.* 18. & Barboſa *n.* 4. *h. t.* & Engel *eod. n.* 11. cum alijs. Ratio eſt: quia de illis, qui per fraudem, vel malitiam ſupprimunt veritatem, vel exprimunt falſitatem, expreſsè ſtatutum habetur ſæpè *cit. c. Super litteris*, quòd *in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum conſequantur*: atqui dictio illa *Nullum*, includit negationem univerſalem. Inſuper tum *loc. cit.* tum *in c. Sedes Apoſtolica. eod.* generaliter ſtatuitur, quòd *mendax precator carere debeat penitùs impetratis.* Ubi benè notanda venit dictio *Penitùs*, utpote quæ eſt præciſa, nullámque limitationem admittens, *l. Ambiguitatem. C. de Uſufructu*, atque idem importat, quod ly *Omnino*, *Ex toto*, *Penitùs.* Barboſa *Dictione* 249. *n.* 3. citans alios, ídque probans *ex cap.* 1. *De ſupplend. neglig. Prælat. in* 6. 176

Et quia allegata Jura loquuntur de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu Litteris contentioſis, fortiùs data Concluſio procedit in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia: quia ſubreptio faciliùs vitiat Litteras gratioſas; prout argumentatur Abbas ibidem, eſtque ſuperiùs *n.* 173. dictum, aſſignando multiplicem hujus rationem.

177 Fatendum tamen, non deeſſe Authores, qui tenent oppoſitum, docentes, quòd per ſubreptionem etiam doloſam ſolummodò vitietur capitulum illud, in quo ipſa contingit, non item aliud capitulum à priori ſeparatum, abeóque penitùs independens; prout docet Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 21. n. 70.* citans Decium *in c. Super litteris. notab. 1. n. 7.* & Layman *in d. c. Super litteris. n. 2. h. t.* ac probabile cenſet Pirhing *h. t. n. 109.* Rationem dant. Tum quia in hujuſmodi caſu cenſentur eſſe duo veluti Reſcripta: unde vitiato uno capitulo, non idcircò vitiatur alterum, quod à priori ſeparatum eſt, ac penitùs independens. Tum quia Conſtitutio, relata *in cit. c. Super litteris*, eſt pœnalis, prout liquet ex illis verbis, *In ſuæ perverſitatis pœnam*; ergo non debet extendi ab uno Capitulo ad alterum, in quo nulla intervenit ſubreptio. Quinimò hîc locum habebit *Reg. 37. Jur. in 6.* dicens: *Utile non debet per inutile vitiari.* Quod ipſum colligere licet *ex c. Si eo tempore. h. t. in 6.* ubi Reſcriptum tacitâ veritate impetratum ex parte valet, ac ex parte non valet. Nec juvat dicere, textum illum loqui duntaxat de ſubreptione per ignorantiam, vel ſimplicitatem commiſsâ. Nam contrà eſt: quia hoc dictum nullo jure probatur, ſicque divinando, & ad libitum aſſeritur.

178 Confirmatur idipſum à pari: nam, quando datur Inſtrumentum alicujus Notarij habens plura capitula, & in uno horum reperitur falſitas, tunc ſolent diſtinguere nonnulli Doctores, quòd aut capitula illa ſunt inter ſe connexa, & reprobatur in totum; aut ſunt ſeparata, & tunc non reprobatur, niſi illud capitulum, quod eſt falſum; ut probat Gloſſa *in can. Si ad ſcripturas. ℣. Quid in eis. diſt. 9.* & ibi Archidiaconus *n. 3.* citans Gofredum, & Jo. Monachum. Idémque ampliùs probatur per textum *in l. Si ex falſis. C. de Tranſact.* ubi tranſactio ex falſis inſtrumentis inita, ſi facta fuit de pluribus cauſis, ſive capitulis, ſolummodò retractatur quoad illas cauſas, quæ ex falſo inſtrumento compoſita ſunt, alijs capitulis firmis manentibus: ergo hocipſum videtur dicendum in propoſito, ubi Reſcriptum habet plura capitula prorſus diverſa inter ſe, ac ſeparata, & ſubreptio doloſa ſolummodò contingit circa unum capitulum.

179 Verùm inſiſtendo noſtræ Concluſioni, veluti probabiliori, atque Juribus magis conformi, reſpondetur ad allatas rationes. Et imprimis ad primam earum negatur aſſumptum: nam, ut ſupponitur, eſt unicum Reſcriptum, licèt contineat plura capitula. Ad ſecundam neg. conſequent. Quia loquendo de ſubreptione doloſa ſecùs ſtatuerunt Jura, idque in pœnam perverſitatis mendacis precatoris, juxta textus *n. 161.* allegatos: unde quia malitijs hominum non eſt indulgendum, neutiquam videtur recedendum à verbis Legis adeò claris, atque indiſtinctè loquentibus, in favorem mendacis precatoris. Ad tertiam patet per idem: nam allegata Regula Juris quoad hunc caſum patitur expreſſam, & ſpecialem exceptionem; idque ob rationes, & textus Juris in oppoſitum allegatos. Gloſſa *in c. Pura. 3. q. 9.* dicens: *Utile per inutile vitiatur, ubi id in Jure reperitur expreſſum.* Engel *cit. n. 11.* & alij. Ad quartam reſpondetur per idem: nam quòd *d. c. Si eo tempore,* ſit intelligendum de ſubreptione non doloſa, adeóque per ignorantiam, vel ſimplicitatem commiſſa, ſatìs deſumitur ex Juribus *num. 175.* allegatis; ac proinde id non aſſeritur gratìs, & mere divinando.

180 Ad ultimum, ſive ad confirmationem dicitur, allatam doctrinam de Inſtrumento quoad unum capitulum falſo, communiùs ab alijs Doctoribus relinqui. Unde cit. Gloſſa, *℣. Quid in eis.* poſt relatas aliorum ſententias, ac loquens ex mente propriâ, protinùs ſubdit: *Ego dico, quòd ſi aliquid falſitatis reperiatur in inſtrumento, totum redditur ſuſpectum, nec ei creditur, ut L. 2. in fin. ff. de Fide Inſtrum.* Idem tenent Archidiaconus, atque etiam Abbas *l. l. c. c.* quorum uterque allegat Innocentium; idque probatur exemplo teſtis: nam, quando teſtis quandam falſitatem adjicit ſuo teſtimonio, dictum ejus reprobatur in totum, quia reperitur perjurus, *can. Pura. 3. q. 9.* & ampliùs probat Gloſſa magna *c. In noſtra. 33. de Teſtibus.* Atqui etiam Notarius conficiens Inſtrumentum, eſt quidam teſtis, *l. Domitius Labeo. ff. de Teſtament.* Unde ratio ultima militat in oppoſitum.

181 Nec urget, quod ſubjungitur *ex l. Si ex falſis.* Nam id procedit in caſu ſpeciali, tranſactionum videlicet, & pactionum inter privatos mutuo conſenſu initarum, quas proinde æquum eſt ſuſtineri quoad illa capitula, quæ non ex falſo Inſtrumento, ſed ex mutuo duntaxat paciſcentium conſenſu proceſſerunt. Secùs dicendum, quando vel Notarius in Inſtrumento, vel Supplicans, in impetratione Reſcripti, commiſit doloſam falſitatem circa ſubſtantialia negotij: nam tunc & ille fit perjurus, & iſte cenſetur mendax precator, ſicque corruit tum Reſcriptum, tum Inſtrumentum in totum; quamquàm ſi falſitas accideret circa non ſubſtantialia, vel extrinſeca ſolùm, quæ non faciunt ad negotium, illa non noceret. Abbas *in c. Fraternitatis. n. 14. de Hæretic.* citans Innocentium, & addens, idem eſſe in teſte. Concordant illicò dicenda de cauſa merè impulſiva; Unde

182 Quæritur II. Utrùm per ſubreptionem, quæ contingit circa cauſam non motivam, ſed impulſivam tantùm, vitientur Reſcripta? Ubi ſupponendum eſt, quòd ſubreptio, ſive per taciturnitatem veri, ſive per falſi expreſſionem, poſſit contingere non ſolùm circa cauſam motivam, ſeu principalem, ac finalem, ſed etiam circa impulſivam.

183 Porrò *Cauſa* Reſcripti *motiva* (quam alio nomine primariam, principalem, & finalem appellant) eſt illa, quâ non exiſtente Princeps reſcriptum non conceſſiſſet, vel ſaltem non tam abſolutè, ſed ſolùm reſtrictè, ſive ſub certis clau-

ſulis

ſulis, ac limitationibus. *Cauſa impulſiva*, ſive ſecundaria dicitur ea, quâ non exiſtente Princeps quidem Reſcriptum conceſſiſſet, ſed non tam facile. Unde patet, quòd prior cauſa conducat ad ſubſtantiam conceſſionis, poſterior verò ſolùm juvet ad modum conceſſionis, nempe ut faciliùs detur. Quod ipſum, ſub alijs tamen verbis, tradit Abbas Panormit. *in c. Poſt tranſlationem. n.* 18. *de Renunciat.* dicens: *Cauſa finalis* eſt, quæ ex toto & funditùs animum movet diſponentis, aliàs veriſimiliter non facturum. *Impulſiva* verò, quæ impellit ſtatuentem, quâ ceſſante ſtatuens adhuc erat ſtatuturus. Quando igitur vel tacetur aliquid verum, vel exprimitur falſum, quo ritè cognito Princeps veriſimiliter conceſſurus fuiſſet Reſcriptum, ſed non tam citò ac facilè, contingit ſubreptio circa cauſam impulſivam: ſi autem id nullo modo conceſſurus fuiſſet, aut non niſi ſub certis reſtrictionibus, tunc committitur ſubreptio circa cauſam motivam, ſeu principalem. His prænotatis

14 Reſp. I. Subreptio ſive per taciturnitatem veri, ſive per falſi expreſſionem, contingens circa ſolam cauſam impulſivam, non vitiat Reſcriptum. Ita Gloſſa *in c. Ex parte.* 14. *℣. Falſa. de Converſ. conjugat.* dicens inter alia, quòd *non conſideratur, quæ fuerit cauſa impulſiva.* Covarruvias *lib. 1. Variar. Reſolut. cap.* 10. *n.* 5. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 21. *n.* 11. *&* 32. id extendens ad diſpenſationes matrimoniales. Layman *lib. 1. tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 10. *& c. Super litteris. n. 1. h. t.* Engel *tit. De matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. §.* 3. *n.* 9. Pirhing *h. t. n.* 103. pluresque alij ab his relati; quamvis non pauci oppoſitum teneant, adeò ut Menochius *lib. 2. de Arbitrar. Judic. caſ.* 201. *n.* 22. contrariam opinionem dicat magis eſſe receptam.

15 Prior pars, loquens de taciturnitate veri, quæ contingit circa cauſam duntaxat impulſivam, probatur *ex c. Dudum.* 14 §. *Nos igitur. de Præbend. in 6.* ubi valor cujusdam Reſcripti beneficialis ex eo probatur, quia Papa illud cognitâ rei veritate nihilominus dediſſet, ibi: *Conſiderantes quoque, quòd Nos expoſito nobis de poteſtate prædicta, nihilominus litteras gratioſas daremus.* Accedit textus *in cap. ult. de Filijs Presbyt. in 6.* ubi pro oſtendenda invaliditate cujuſpiam Reſcripti, ſeu Diſpenſationis tacito quodam defectu, veluti per ſubreptionem obtentæ, redditur ratio illa, quòd cognitâ rerum veritate, atque expreſſo ejusmodi defectu, Sedes Apoſtolica veriſimiliter non diſpensâſſet; ergo, argumento à ſenſu contrario deſumpto, valet diſpenſatio, vel alia diſpoſitio, quam Princeps cognitâ rei veritate nihilominus dediſſet; prout fit, quoties taciturnitas veri concernit duntaxat cauſam impulſivam. Idem probant rationes, pro altera parte Concluſionis illicò adducendæ: & quidem

15 Altera pars, loquens de ſubreptione, quæ fit circa cauſam impulſivam ex narratione falſi, probatur imprimis per Jura proximè allata: nam eadem ferme eſt ratio ſubreptionis, quæ fit per narrationem falſi, & quæ per taciturnitatem veri, ut dictum *n.* 155. Idem deſumitur ex *l. Si mulier. C. de Jure Dotium*, ubi defectus cauſæ impulſivæ non impedit jus agendi. Et *L.* 1. *§. Sexum. ff. de Poſtuland.* junctâ Gloſsâ *ibid.* *℣. Cauſam*, & Doctoribus, inde paſſim inferentibus cum Abbate *in c. Poſt translationem n.* 17. *de Renunciat.* quòd ceſſante duntaxat causâ impulſivâ non ceſſet effectus, ſive diſpoſitio.

Confirmatur Concluſio quoad utramque 187 partem ſimul ratione: quia ſubreptio, quæ fit tantummodò circa cauſam impulſivam, ſive tacendo verum, ſive falſum ſuggerendo, non tollit voluntarium ex parte Principis, ſeu Papæ concedentis Reſcriptum; ergo ipsa non obſtante Reſcriptum eſt validum. Antecedens patet ex natura cauſæ impulſivæ: nam hac etiam remotâ adhuc concederetur Reſcriptum, etſi non tam faciliter & citò. Conſequentia probatur: quia ad validitatem Reſcripti ſufficit poteſtas, & voluntas ex parte Principis concedentis, *c. Cùm ſuper.* 23. *de Offic. Delegat.*

Et ex dictis deducitur reſponſio ad illum caſum, quo plures pro impetratione Reſcripti, vel 188 diſpenſationis cujuspiam, allegantur cauſæ finales, ſive motivæ (hoc eſt, tales, quarum quælibet ex ſe eſt ſufficiens ad impetrandum Reſcriptum, atque ob ipſam ſolam juxta ſtylum Curiæ Reſcriptum, vel diſpenſatio impertiri ſolet) & tamen una duntaxat eſt vera, altera falſa. Dicendum quippe eſt, hujusmodi Reſcriptum, ac diſpenſationem fore validam; prout inter alios notat Gobat *tract.* 9. *Theolog. Experimental. n.* 614. *&* 633. Tum quia, ut habet Regula 37. Juris in 6. *Utile non debet per inutile vitiari*: ergo etiam in propoſito cauſa vera, atque ex ſe ſufficiens, non vitiatur per admixtionem alterius cauſæ falſæ. Tum quia in tali caſu cauſa falsò allegata, vel ampliùs non ſubſiſtens, potiùs cenſetur eſſe impulſiva, ſeu juvans ad citiùs faciliúsque impetrandum, non verò ad ſimpliciter obtinendum; eò quòd iſtâ etiam non allegatâ, adhuc ob alteram cauſam verè ſubſiſtentem, Reſcriptum, ſive diſpenſatio concederetur. Unde in ſimili, quandò in ordine ad certum effectum conſequendum plura mandantur, ſufficit alterum eorum probare, vel facere, quando iſtud per ſe ſufficit ad ejusmodi effectum, *c. Ex parte.* 2. junctâ Gloſsâ *℣. Et perpetuò. h. t.* Verùm majoris claritatis causâ contra præmiſſa

Objicies I. In quocunque Reſcripto ſubin- 189 telligitur clauſula iſta, *Si preces veritate nitantur*; ergo narratio falſi, etiam quoad cauſam impulſivam, vitiat Reſcriptum, ac mendax precator carere debet penitùs impetratis, per Jura *n.* 161. allegata. Reſp. neg. conſequent. Nam Jura allegata procedunt, quando contingit ſubreptio, ſive falſitas in ſubſtantialibus; hoc eſt, in illis, ex quibus dependet voluntas Principis concedentis Reſcriptum: adeò videlicet, ut alioquin cognitâ rei veritate Princeps, ſeu Papa, veriſimiliter, vel nullo modo, vel ſaltem non tam abſolutè, ac non niſi adhibitis certis mode-

 ratio-

rationibus, petitum Reſcriptum, ſive diſpenſationem fuiſſet conceſſurus; prout accidit in cauſa motiva, primaria, ſive finali. Secùs eſt in ſubreptione, quæ contingit circa non ſubſtantialia; hoc eſt, ea, quibus ritè intellectis Princeps nihilominus petitum Reſcriptum veriſimiliter conceſſiſſet, quamvis non tam facilè & citò (hoc enim per accidens ſe habet) ut fit in cauſa impulſiva, ſive ſecundaria duntaxat, per Jura, & rationes jam allegatas, quibus Jura contraria rectè diſtinguuntur, & concordantur.

190 Nec obſtat, quòd etiam cauſa impulſiva moveat ad concedendum ejuſmodi Reſcriptũ &c. Quia movet quidem, ſeu potiùs impellit, ad citiùs vel faciliùs dandum id, quod cæteroquin cognitâ omnimodâ rei veritate Princeps dediſſet; non tamen movet ad ſimpliciter dandum.

191 Neque dicas. Qui cum majori difficultate daret, non cenſetur dare: nam qui citò dat, bis dat; ergo, ſi cognitâ ſubreptione cauſæ impulſivæ, atque omnimodâ rei veritate, Papa difficiliùs daret Reſcriptum (forſan etiam non niſi ſub certis limitationibus concedendum) non cenſetur illud eſſe daturus. Reſp. enim. neg. antecedens, cum ſua probatione: nam qui tardiùs, aut difficiliùs dat, non dat aliquid minus quoad rem, ſed ſolùm quoad modum dandi, ac ponderationem beneficij, in ea dationis facilitate & celeritate exhibiti, ratione cujus procedit dictum illud: *Qui citò dat, bis dat.* Dum autem ſubjungitur, vel potiùs ſupponitur, quòd alioquin Reſcriptum forſan non niſi ſub certis limitationibus fuiſſet concedendum; id prorſus eſt negandum, veluti ſuppoſitum ſeipſum deſtruens: alioquin enim ejuſmodi cauſa non ampliùs foret impulſiva, & ſecundaria ſolùm, ſed motiva, & finalis, utpote ſine qua Reſcriptum non eodem pacto, ſed quibusdam duntaxat reſtrictionibus adhibitis concederetur. Covarruvias *loc. cit. n.* 5. & Sanchez *n.* 52.

192 Objicies II. Taciturnitas Beneficij Eccleſiaſtici præhabiti, quantumvis modici, vitiat Reſcriptum ad Beneficium novum obtinendum, *c. Si motu proprio.* 23. *de Præbend. in* 6. cum concordantijs, & tamen cognitâ rei veritate Pontifex concederet ſecundum Beneficium, ne alioquin Clericus inops ob tenuitatẽ redditũum prioris Beneficij mendicare cogatur; ergo. Reſp. neg. conſequent. Nam, quòd taciturnitas Beneficij quantumvis modici vitiet Reſcriptum, id non provenit ex eo, quòd ſubreptio cauſæ impulſivæ ſoleat vitiare Reſcriptum: ſed quia tunc tacetur talis aliqua qualitas & circumſtantia, quæ de Jure communi, ac ſtylo Curiæ Romanæ ſpecialiter ac neceſſariò eſt exprimenda, prout ſuprà *n.* 167. ex Fagnano *in c. Super litteris. n.* 58. *h. t.* & alijs, jam dictum eſt.

193 Confirmatur hæc reſponſio ex *Clem. ult. de Offic. Ordinar.* ubi expreſsè deciſum habetur, quòd etiam collatio Beneficij, à Legato Sedis Apoſtolicæ impetrata tacito priore Beneficio, ſit nulla: ſecùs tamen ſit dicendum in alijs quibusvis ordinarijs Collatoribus; ac proinde valeat collatio Beneficij ab his obtenta, etiam non factâ mentione de alio præhabito Beneficio, dummodò nihil aliud obſtet. Hoc quippe dici non poſſet, ſi in priori caſu, ſeu reſpectu Legati, nullitas collationis ab eo factæ proveniret ex defectu cauſæ impulſivæ: nam par defectus pariter in poſteriori caſu illam annullaret. Igitur, quòd taciturnitas Beneficij quantumvis modici vitiet Reſcriptum Pontificium, imò & collationem Beneficij à Legato factam, non niſi ex eo provenit, quia tacetur qualitas de Jure communi, ac ſtylo Curiæ neceſſariò exprimenda. Cur autem ejuſmodi qualitas neceſſariò in dictis duobus caſibus ſit exprimenda, non item in collatione Beneficij per inferiorem Collatorem factâ, rationem differentiæ aſſignat Abbas in *cit. Clem. ult. n.* 6. *de Offic. Ordinar.* & Pirhing *eod. tit. n.* 66. quia nimirum inferior ordinarius Collator ad ſuam præſentiam, & cum altero converſationem, præſumitur habere ſcientiam de præhabito jam per illum Beneficio, ac nihilominus ſecundum velle ipſi conferre; ſicque non cenſetur intervenire ſubreptio, ac proinde tenet facta collatio. Secùs dicendum de Papa, ejuſque Legato: nam uterque ob ſuam abſentiam, ac multitudinem negotiorum, præſumitur habere ignorantiam de Beneficio priùs obtento; ac proinde iſtud, quantumvis modicum, jubetur exprimi: alioquin ipſo tacito committitur ſubreptio, vitians Reſcriptum, & factam ab ipſis collationem alterius Beneficij.

Quæritur III. Unde cognoſci poſſit, quòd 194
Princeps veriſimiliter cognitâ rei veritate Reſcriptum fuiſſet conceſſurus; adeóque ſubreptio contingat ſolummodò circa cauſam impulſivam ac ſecundariam, & non circa motivam & primariam? Reſp. I. Quoties in Reſcripto, ac præſertim in Litteris diſpenſationis, exprimitur unica cauſa, dicendum eſt, eam eſſe cauſam motivam, finalem ſeu primariam. Ita Abbas *in c. Quia circa. n.* 6. *de Conſang. & affinit.* id probans *ex c. Poſtulâſti h. t.* ac noviſſimè tradit Gobat *Tract.* 9. *Theolog. Experimental. n.* 614. citans alios; idemque loquendo de cauſa, quæ inſeritur à Lege, tenet Menochius *Conſil.* 272. *n.* 57. poſt Baldum, Oldradum, Tiraquellum, & alios. Ratio eſt: quia Princeps, ſive Papa, non ſolet abſque omni cauſa Reſcriptum concedere, & multò minùs cum aliquo diſpenſare: ergo, quando allegatur unica cauſa, rectè ipſa cenſetur eſſe motiva. Quinimò tunc locum habebit illud vulgatum axioma: *Ratio legis, eſt anima legis,* ſive diſpoſitionis, *can. Conſuetudo. diſt.* 1. éſtque dictum *Tit. præc. §.* 16. *n.* 388.

Reſp. II. Quænã ex pluribus allegatis cauſis 195
cenſenda ſit cauſa motiva, & principalis, & quæ ſolumodò impulſiva, id imprimis deſumendũ eſt ex ſtylo Curiæ Romanæ: & quando de eo nõ conſtat, hoc ipsũ arbitrio viri prudentis, ſeu Judicis, relinquitur diſcernendũ, qui id dijudicabit attento Jure cõmuni, & conſuetudine cæteroquin in ſimilibus obſervari ſolitâ, atq; penſatis alijs circũſtantijs, ex quibus veriſimiliter conjecturari poteſt de voluntate concedentis. Ita Abbas

bas *in c. Ex conqueſtione. n. 4. de Reſtitut. ſpoliat.* Felinus *in c. Super litteris, n. 8. h. t.* Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſ. 201. n. 24. & ſeqq.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 19.* & alij. Idque deſumitur *ex l. Non poſſunt. 11. & l. Nam ut ait. 12. ff. de Legib.* cum concordantijs.

96 Reſp. III. Quando concurrentibus diverſis hinc inde motivis, ac præmiſſis omnibus maturè conſideratis, adhuc dubium remanet, an cauſa ſubreptitiè allegata, ſit motiva, & finalis, ita ut ſine ipſa Reſcriptum non concederetur, vel potiùs impulſiva: probabilius videtur eſſe præſumendum, quòd ſit impulſiva duntaxat, ſicque Reſcriptum valeat. Ita Gloſſa *fin. in L. 2. de Donationib.* Dynus *in Reg. Decet. n. 6. de Reg. Jur. in 6.* & Sanchez *cit. Diſp. 21. n. 20.* citans alios, quamvis non pauci oppoſitum teneant. Ratio fundamentalis eſt: quia, quantùm poſſumus, debemus ſtare pro valore actûs, idque ob præſumptionem Juris; ergo, ubi penſatis omnibus circumſtantijs adhuc remanet dubium, oportet præſumere, cauſam eſſe duntaxat impulſivam, ſicque Reſcriptum exiſtere validum. Antecedens patet *ex c. Abbate. 25. §. Contra, de Verb. ſignif.* ibi: *Profectò ſic intelligenda ſunt verba, ut res de qua agitur, valere poſſit potiùs, quàm perire.* Concordat textus in l. Quoties in actionibus. ff. de Rebus dubijs, ibi: *Quoties ambigua Oratio eſt, commodiſſimum eſt id accipi, quo res de qua agitur, magis valeat, quàm pereat*, cum concordantijs. Quidni igitur hoc ipſum fiat in caſu propoſito, ac ſtante tam gravi dubio, an cauſa ſit motiva, vel potiùs impulſiva? Hinc à ſimili *in l. Cùm tale. §. Falſam. ff. de Condit. & demonſtrat.* habetur, *Falſam cauſam legato non obeſſe*: quia videlicet cenſetur impulſiva, & non motiva: ſive, ut loquitur textus: *quia ratio legandi legato non cohæret, niſi probetur aliàs legaturum non fuiſſe.*

197 Quæritur IV. De quibus oporteat facere mentionem in Reſcriptis, ne, veluti tacitâ veritate obtenta, cenſeantur ſubreptitia? Reſp. I. Loquendo de Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, oportet imprimìs in poſterioris impetratione facere mentionem prioris, ut dictum *num. 85. & ſeqq.* Deinde exprimenda eſt conditio perſonæ privilegiatæ (ſi fuerit talis) contra quam impetratur Reſcriptum ad lites: ut puta, ſi huic competit privilegium, ut per Reſcriptum conveniri non poſſit, niſi factâ de ipſo mentione; *ut c. Cùm Ordinem. 6. h. t.* Vel ſi ſit perſona miſerabilis, juxta Innocentium *in c. Significantibus. de Offic. Delegat.* Aut Scholaris, ut tradit Rebuffus *tract. de Privileg. Scholar. privileg. 91.* & ampliùs declarat Menochius *de Arbitrar. Judic. lib. 2. caſu 202. n. 39.*

Rurſus in Reſcriptis juſtitiæ facienda eſt men-
198 tio dependentia litis, & Proceſſu coram alio Judice inchoato, quando talis ſubeſt, *c. Inter Monaſterium. de Sentent. & re judic.* ac notat Gloſſa *in c. Prudentiam. §. Sextò.* & ibi Abbas *n. 9. de Offic. Delegat.* & alij. Imò tunc etiam explicandum eſt, coram quo Judice lis pendeat, Eccleſiaſtico, vel ſæculari, ordinario, vel delegato. Menochius *loc. cit. n. 34.* allegans alios. Item, ſi in cauſa jam concluſum eſt, aut ſententia lata, vel negotium ipſum per Laudum Arbitri, aut tranſactionem determinatum, etiam iſtud in impetratione Reſcripti juſtitiæ eſt exprimendum. Menochius *ibid. n. 40. & ſeqq.* cum alijs, fusè de iſtis, & alijs huc attinentibus diſcurrens. Accedit ratio: quia omnia hactenùs enumerata, ſunt tales qualitates, quæ ſi narratæ fuiſſent, Principem movere poterant ad non concedendum Reſcriptum, vel id ſub certis duntaxat reſtrictionibus concedendum; & conſequenter eorum taciturnitas cauſat ſubreptionem.

Reſp. II. Loquendo nunc de Reſcriptis Be- 199
neficialibus, quibus Pontifex cuipiam confert, aut conferri mandat Beneficium Eccleſiaſticum, oportet in eorum impetratione cumprimìs facere mentionem alterius Beneficij, ſi quod impetrans jam habet, ſive illud ſit ſufficiens ad honeſtam Clerici ſuſtentationem, *c. Cùm adeò. 17. h. t. & c. Cùm teneamur. 6. de Præbend.* Sive inſufficiens, & quantumvis modicum, *c. Si proponente. 42. h. t. & c. Si motu. 23.* junctâ Gloſsâ *ỽ. Taceatur. de Præbend. in 6.* Sive etiam ſit perpetua Vicaria, *c. Poſtulâſti. 27. h. t.* Inſuper debet exprimi, ſi Beneficium præhabitum ſit Dignitas, Perſonatus, vel aliam hujusmodi qualitatem habeat, *c. Ad aures. 8. h. t.* Item, ſi quis alicubi jam receptus eſt in Canonicum, licèt Præbendam, ſeu fructus ſui Canonicatûs nondum percipiat, per poſteriores litteras hoc ſupprimentes non poteſt obtinere Beneficium in alia Eccleſia, *c. In noſtra. 32. h. t.* Generaliter enim in impetratione Reſcripti Beneficialis oportet fieri mentionem non ſolùm de jure, quod quis habet in Beneficio jam obtento, ac poſſeſſo (& vocatur jus in re) ſed etiam de jure ad rem reſpectu Beneficij, vel Præbendæ conſequendæ, *arg. cit. c. In noſtra.* ac notat Abbas *ibid. n. 2. & ſeqq.* Imò etiam illius Beneficij mentio facienda eſt, quo quis injuſtè ſpoliatus fuit: nam per ſpoliationem de facto attentatam, non perdit quis jus in re, ſive titulum Beneficij, ſed tantùm poſſeſſionem ejus. Abbas *loc. cit. n. 10.*

Reſp. III. Reſcriptum quodcunque gratiæ, 200
vel ad Beneficia, impetratum contra conſuetudinem, ſive Statutum particulare cujuſpiam Eccleſiæ, ſeu loci, non valet, niſi fiat mentio ejusdem, ſaltem per clauſulam generalem derogatoriam, *Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus contrarijs.* Ita deſumitur *ex c. Conſtitutus. 19. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 6. & 7.* ubi addit, quòd ſi Statutum ſit juratum, etiam de juramento debeat fieri mentio. Pirhing *h. t. n. 72.* & alij. Ratio eſt: quia mens Pontificis non eſt, velle derogare laudabilibus locorum conſuetudinibus, vel ſtatutis, niſi id exprimat, *text. clar. cap. 1. de Conſtitut. in 6.* Concordat *c. Cùm aliquibus. 4. h. t. in 6.* ubi, ut talibus conſuetudinibus, & Statutis per Reſcriptum derogetur, inſerenda cenſetur clauſula derogatoria: *Non obſtantibus ejusdem Eccleſiæ privilegijs, conſuetudinibus, vel ſtatutis, juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâcunque firmitate aliâ roboratis.*

tis. Hinc defectu talis clauſulæ caſſatur *in c. Conſtitutus. 19. h. t.* Reſcriptum Beneficiale, quod fuerat impetratum non factâ mentione de certo numero Canonicorum, qui per Statutum juramento firmatum, & à Romano Pontifice confirmatum, conſtitutus fuerat.

201 Cæterùm, quænam omnia in impetratione aliorum Reſcriptorum, diſpenſationum, atque conceſſionum exprimenda ſint, ex proprijs locis, atque conſideratâ qualitate cujuslibet negotij deſumendum erit. Generaliter id ſolùm dici poteſt cum Gloſsâ *in c. In noſtris. ℣. Non vacaret. de Conceſſ. Præbend.* ad hoc, ut Reſcriptum non ſit vitioſum, non ſolùm ea, quæ juris ſunt, narranda eſſe, ſed etiam ea, quæ ſunt facti. Nam, ut alia Gloſſa *in c. Super litteris. ℣. Litteras. h. t.* inquit, ubicunque talem quis veritatem tacuit, quâ expreſsâ Papa litteras non dediſſet (vel ſaltem non eodem modo, nec abſque alia limitatione, ut addit Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 20. num. 5.* & Sanchez *cit. diſp. 21. n. 11.* cum alijs) Reſcriptum inutile fit.

202 Quæritur V. Utrùm Motus proprius tollat vitium ſubreptionis in Reſcriptis? Ubi ſciendum, quòd impræſentiarum per *Motum proprium* intelligantur Litteræ, ſeu Reſcripta Summi Pontificis, in quibus hæc clauſula, *motu proprio* inſerta habetur, prout liquet *ex c. Si motu proprio. 23. de Præbend. in 6.* ibi: *Motu quoque proprio tunc ſolùm gratia fieri cenſeatur, cùm hoc expreſsè cautum fuerit in ea.* Et hoc adeò verum eſt, ut quando Princeps exprimit, ſe motu proprio concedere, dicatur motu proprio conceſſiſſe, quamvìs conſtet hujusmodi gratiam fuiſſe à Poſtulante petitam. Gloſſa *in d. c. Si motu proprio. ℣. Expreſsè.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu 201. n. 79.* Barboſa *Clauſul. 79. n. 6.* citans alios. Licèt enim gratia ab impetrante fuerit petita, tamen per clauſulam iſtam ſignificat Princeps, ſe nòn illâ petitione, ſed proprio motu, ſeu ſpontaneè, ac ex mera liberalitate ſua, fuiſſe ductum ad illam concedendam, ſicque hæc duo non repugnant. Quin etiam idem operatur Motus proprius ad inſtantiam partis conceſſus, ac Motus proprius ex mera Principis liberalitate procedens. Barboſa *cit. n. 6. & 7.* cum alijs. His prænotatis

203 Reſp. I. Motus proprius, ſive clauſula *Motu proprio* in Reſcriptis Pontificijs appoſita, ſupplet vitium ſubreptionis ex taciturnitate veri neceſſariò exprimendi proveniens. Ita Doctores univerſi, uti teſtatur Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 47.* Idemque patet *ex cit. cap. Si motu proprio. & Clem. Si Romanus. 4. de Præbend.* ubi valere dicitur proviſio de Beneficio, cuipiam facta per Papam *motu proprio*, etiam non habitâ mentione de Beneficiis priùs per ipſum obtentis, quæcunque ea ſint, & quantacunque; cùm tamen alioquin, ſive ſecluſo Motu proprio, taciturnitas præhabiti Beneficij, quantumvìs modici, inducat vitium ſubreptionis, ac nullitatem proviſionis, ut *d. c. Si motu proprio.*

204 Et hoc extenditur, etiamſi hæc clauſula apponatur à Legato Sedis Apoſtolicæ; ut docet Gloſſa comùniter recepta, *cap. ult. ℣. Mentio. de Offic. Legat. in 6.* ac tradit Barboſa *loc. cit. n. 17.* citans alios. Unde etiam in hoc caſu tenet collatio ſecundi Beneficij, non obſtante taciturnitate alterius jam præhabiti: quamvìs Proviſus ambo Beneficia (ſi tamen cæteroquin ſint incompatibilia) ſimul retinere non poſſit, ſed ex eis eligere teneatur, quod maluerit retinere, *c. Gratia. 7. de Reſcript. in 6.* ac loquendo etiam de priori caſu, tradit Gloſſa *in cit. c. Si motu proprio. ℣. Beneficium.* Siquidem per talem clauſulam Papa, vel ejus Legatus, non cenſetur diſpenſare in pluralitate Beneficiorum. *c. Non poteſt. 21. de Præbend. in 6.*

Ampliatur quoque hic effectus Motûs proprij, ut locum habeat non ſolùm in Beneficialibus, ſed etiam in omnibus Reſcriptis, ſeu Conceſſionibus gratioſis; adeò, ut in his pariter purget taciturnitatem, ſicque tollat vitium ſubreptionis. Quia non eſt dare rationem diverſitatis, & ubique gratia pendet à mera voluntate, ac liberalitate Principis. Felinus *in c. Ad aures. n. 6. h. t.* Rebuffus *in Praxi Beneficiorum. Tit. de Mandatis Apoſtolicis. §. Motu proprio. effect. 29.* Barboſa *cit. Clauſul. 79. n. 17.* 205

Reſp. II. Dantur nihilominus nonnulli caſus, in quibus clauſula *motu proprio* non firmat gratiam conceſſam; idque ob defectum voluntatis ex parte Principis gratiam concedentis. Ita Abbas, Felinus, Menochius, & alij in progreſſu citandi, qui proinde hactenùs dicta in caſibus illis limitanda cenſent. 206

Imprimìs itaque Motus proprius non prodeſt, quando fit cum expreſſione cauſæ falſæ: ſive dein talis cauſa falſa fuerit anteà per ſupplicantem allegata (ut in obreptione contingit, prout hanc quidam Doctores diſtinguunt à ſubreptione per ſolam veri taciturnitatem commiſsâ, atque iſtâ graviorem æſtimant, juxta dicta *n. 153.*) ſive Motus proprius cum expreſſione cauſæ falſæ per Principem ſponte, ac nemine alio petente, ſicque abſque vitio ſubreptionis, conceſſus ſit. Abbas *in c. Quia circa. n. 7. de Conſang. & affinitat.* Felinus *loc. cit. n. 9.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſ. 201. n. 83.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 52.* Barboſa *loc. cit. n. 23.* & alij. Ratio eſt: quia, dum Princeps, puta Papa, exprimit cauſam conceſſi à ſe Motûs proprij (de cauſa finali, ſeu motiva ſermo eſt, non de merè impulſiva, juxta dicta *n. 184. & ſeqq.*) hoc ipſo cognoſcitur intentio ejus, quòd nolit concedere gratiam ejusmodi, ſi cauſa à ſe expreſſa non ſubſit; ergo tunc Motus proprius nihil operatur: alioquin enim firmaret gratiam contra intentionem concedentis, nobis ex appoſitione cauſæ jam patefactam; quod eſt abſurdum. 207

Secundò Motus proprius non firmat gratiam, quando tacetur inhabilitas perſonæ, pro qua ſcribitur: ut ſi proviſus de Beneficio patiatur defectū Nataliū, vel vitiū corporis, aut ſit bigamus, ſive carens legitimâ ætate, vel aliàs irregularis. Nam clauſula *motu proprio* non ſupplet tales defectus; neque enim ipſa continet diſpenſationē ſuper inhabilitatibus, ſeu defectibus perſonæ. 208

Gloſſa

Gloſſa *in Clem. Si Romanus.* ℣. *Validam. de Præbend.* Felinus *loc. cit. n.* 7. Menochius, *ubi ſuprà, n.* 81. *& ſeqq.* Sanchez *d. diſp.* 21. *n.* 49. Barboſa *num.* 18. & alij.

209 Solummodò nota, quòd in tali caſu vitium perſonæ non poſſit obijci per viam ſubreptionis (nam perſona nihil petijt, ſicque ſubreptionem non commiſit, ſupponitur enim, quòd Motus proprius ſponte, ac nemine petente, per Principem fuerit expeditus) ſed tantummodò poterit illud opponi per viam juris: quia nimirum perſonæ, talibus defectibus laborantes, Jure commũni ſunt inhabiles ad conſequendam hujusmodi gratiam, v.g. Beneficium Eccleſiaſticum; neque vi memoratæ clauſulæ Motûs proprij reperitur facta cum ipſis diſpenſatio aliqua. Felinus, Sanchez, ubi ſuprà.

210 Tertiò clauſula *Motu proprio* nihil operatur in præjudicium juris tertij; ac proinde non firmat gratiam, quando tacetur qualitas reſpiciens jus tertij, ut putà, ſi Papa cuipiam Motu proprio conferat Beneficium, quod eſt juris patronatûs, & de hoc nulla fiat mentio. Abbas *in c. Ad aures. n.* 5. & ibi Felinus *n.* 8. *h. t.* generaliter docens, quòd Motus proprius non tollit jus quæſitum alteri in re, vel ad rem. Barboſa *cit. Clauſul.* 79. *n.* 19. Rebuffus *loc. cit.* ℣. *Nono non tollit.* Sanchez *n.* 50. & alij. Ratio eſt: quia Papa non cenſetur velle præjudicare juri tertij, niſi id exprimat, *c. Quamvis* 8. *h. t. in* 6. junctis dictis ſuprà *num.* 117. Ac proinde Motus proprius non firmat gratiã in præjudicium tertij, quando nulla de hoc fit mentio: idque non ex defectu ſubreptionis (hæc enim locum non habet, ubi Princeps gratiam ſponte, ac nullo petente conceſſit) ſed quia non apparet de voluntate Principis concedentis: nam Princeps in dubio, ac niſi aliud exprimat, non præſumitur velle præjudicium tertio facere, ut dictum.

Plura alia clauſulam *Motu proprio*, ejusque effectus concernentia, videri poſſunt apud Rebuffum, *in cit. Tit. De Mandatis Apoſtolicis.* §. *Motus proprius*, ubi quadraginta ſeptem effectus hujus clauſulæ per ordinem refert, ac poſtmodùm ſedecim enumerat caſus, in quibus ipſa nihil operatur. Eandem clauſulam unà cum ſuis effectibus, fusè explicat Barboſa *in cit. Clauſula* 79. per totum. 211

§. IX.
De Erroribus, & Raſura Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

212. *Error latinitatis manifeſtus vitiat Reſcriptum.*
213. *Idq; ob præſumptionem falſificationis.*
214. *Dummodò error ille non ſit omninò levis.*
215. *Nec aliunde appareat de veritate Litterarum Apoſtolicarum.*
216. *In Teſtamentis, & alijs Inſtrumentis, error latinitatis non præjudicat.*
217. *Ratio diſparitatis inter hæc, & reſcripta Apoſtolica.*
218. *Error in nomine, vel Pronomine, non vitiat Teſtamentum vel aliam diſpoſitionem, ſi conſtet de corpore.*
Idq; variè extenditur. Ibid.
219. *Secùs, ſi per talem errorem diſpoſitio reddatur incerta.*
220. *Etiam Reſcripta non vitiantur per errorem in nomine, quando conſtat de corpore.*
221. *Error tamen in nomine Diœceſis vitiat Reſcriptum; cur?*
222. *Et quæ ſit diverſa ratio de errore in nomine perſonæ, ac Diœceſis.*
223. *Quando ipſemet Pontifex gratiam concedit, tunc non obeſt error in nomine Diœceſis, ſi conſtet de corpore.*
224. *Raſura, vel cancellatio in loco ſuſpecto, vitiat Reſcriptum, & aliud Inſtrumentum.*
225. *Locus ſuſpectus raſuræ, quis?*
Quid, ſi fiat raſura in narratione facti, vel alio loco non ſuſpecto? Ibid.
226. *Aut raſura ſit modica?*
Litteræ Apoſtolicæ per quamcunque abraſionem ab impetrante factam redduntur falſæ, & radens falſarius. Ibid.
227. *Vel ſcriptura abraſa, manu ejusdem Notarij reſcripta fuerit?*
228. *Cautela notabilis circa hoc adhibenda.*
229. *Quid, ſi Reſcriptum, vel aliud Inſtrumentum, in qua raſura exiſtit, adhuc clauſum exhibeatur Ordinario?*
Bullæ Pontificiæ ob raſuram non facilè ſolent reijci; & cur? Ibid.
230. *Vel illud reperiatur penes adverſarium?*
231. *Aut corroboretur per vivam vocem teſtium?*
Raſura, *vel cancellatio præſumitur facta ab eo, penes quem reperitur Inſtrumentum, niſi probetur oppoſitum. Num.* 230.

212 Quæritur I. Utrùm error latinitatis vitiet Reſcriptum, vel Teſtamenta, aut publica Inſtrumenta? Reſp. I. Manifeſtus error latinitatis vitiat Reſcriptum Papæ, dummodò non ſit omninò levis. Patet hoc ex *c. Ad audientiam.* 11. *h. t.* ubi Pontifex inquit: *Quibus litteris, quoniam manifeſtum continent in conſtructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* Et additur, *manifeſtum.* Nam, ſi error latinitatis foret dubitabilis, aut poſſet adhuc ſalvari per ſubauditionem, vel quandam figuram, non vitiaretur Reſcriptum. Abbas *in cit. c. Ad audientiam. n.* 2. & ibi Felinus *n.* 3. *& ſeqq.* ubi undecim modis limitat allegatam Decretalem, junctâ Gloſſâ *in c. Forus.* ℣. *Parte ablatâ. de Verb. ſignif.* ubi varias tales figuras explicat.

213 Accedit ratio, quam ponit Gloſſa *d. c. Ad audientiam. ℣. Manifeſtum.* Quia Reſcriptum Domini Papæ tranſit per multas manus, magnáq; maturitate decoquitur; ergo veriſimile non eſt, quòd ex tam multis, támq; doctis Officialibus nullus viderit patentem, ſimúlq; gravem errorem latinitatis, aut ſi vidit, ipſum reliquerit incorrectum. Unde oritur præſumptio, Reſcriptum adeò vitioſum proceſſiſſe extra voluntatem Papæ, & ab alio falſicatum eſſe.

214 Additur notanter in Concluſione, *dummodò non ſit omninò levis.* Secùs enim dicendum eſt de tam levi errore; ut puta defectu unius litteræ, vel ſyllabæ: nam talis faciliùs ſubterfugit oculos plurium, præſertim gravioribus negotijs diſtentorum, ac proinde non vitiat Reſcriptum; ut *c. Ex parte. 11. de Fide Inſtrument.* ubi *Reſcriptum Apoſtolicum, pro eo, quòd in hac dictione, ſpoliârunt, hæc figura O, deerat,* declaratur vitioſum non eſſe. Concordat textus *in l. Qui habebat. ff. de Manumiſſis teſtament.* ubi in caſu, quo teſtator manumiſſurus ſervum, quem unicum habebat, vocavit eum *Craſticum*, cùm appellaretur *Cratinus*: reſpondetur, *Nihil obeſſe, quòd in ſyllaba erráſſet.* Unde Bartolus in Summario ibidem inquit: *Error in ſyllaba non nocet.*

215 Quinimò, quamvìs manifeſtus latinitatis error præſumptionem pariat de falſificatione litterarum Apoſtolicarum, ut dictum: eám nihilominùs eſſe præſumptionem juris tantùm, & quamdiu aliunde de veritate litterarum non apparet, probabile cenſet Engel *h. t. n. 13.* Et favet textus *in l. Illicitas. §. Veritas. ff. de Offic. Præſid.* ubi dicitur: *Veritas rerum erroribus geſtorum non vitiatur.* Et conſequenter, ubi aliunde apparet de veritate Litterarum Apoſtolicarum, ejuſmodi error latinitatis, qui ob defectum ſcriptoris, ac nimiam occupationem, negotiorúmq; multitudinem, aliquando irrepere poſſet, non vitiabit Reſcriptum Apoſtolicum. Nec obſtant verba *cit. c. Ad audientiam. h. t.* ibi: *Fidem te noluimus adhibere.* Nam hæc procedunt, quamdiu aliunde nó apparet, Litteras eſſe legitimas, ac veras.

216 Reſp. II. Loquendo nihilominus de Teſtamentis, & alijs inſtrumentis, v. g. contractuum, quæ alicui Tabellioni ſine reviſione aliorum Officialium Curiæ ſcribenda committuntur, & in quibus proinde error latinitatis ex vitio ſcribentis faciliùs irrepere poteſt, non præjudicat ejuſmodi error reliquæ diſpoſitioni. Ita Gloſſa *fin. in cit. c. Ad audientiam.* & ibi Abbas *n. 3.* Felinus *n. 8.* & alij paſſim. Idque patet *ex l. Errore. C. de Teſtament.* ubi Summarium ſic habet: *Error ſcribentis, veritati non nocet: & ideò, ſi apparet de voluntate teſtatoris, licèt per errorem ſcribentis ſcripta non fuerit, habetur pro ſcripta.*

217 Accedit ratio diſparitatis inter Reſcripta Apoſtolica, & Inſtrumenta Notariorum: quia hæc non tranſeunt per tam multas manus, ſicuti Reſcripta; ac proinde faciliùs in illis poteſt irrepere falſa latinitas, aut alius error. Æquum proinde eſt, ut talis error Inſtrumentum non vitiet, neque de falſitate ſuſpectum reddat, quamdiu cæteroquin ſufficienter apparet de voluntate Teſtantis, ſive diſponentis.

Quæritur II. Quid dicendum de errore in nomine, vel pronomine, & an vitiet Reſcriptum, vel alia Inſtrumenta? Reſp. I. Error in nomine, vel pronomine, non vitiat Teſtamentum, vel aliam diſpoſitionem, dummodò conſtet de corpore, ſive de quo ſenſerit Teſtator, aut diſponens. Ita communis; & habetur deciſum textu claro *l. Si in nomine. C. de Teſtament.* ibi: *Si in nomine, vel pronomine, ſeu cognomine, ſeu agnomine Teſtator erraverit, nec tamen de quo ſenſerit, incertum ſit: error hujuſmodi nihil officit veritati.* Ubi Gloſſa finalis hoc ipſum extendit ad errorem nominis Legatarij, *§. Si quis in nomine. Inſtit. de Legat.* Item ad errorem in nomine rei legatæ, dummodo de ipſa cæteroquin non ambigatur, *l. Si Fontidianum. C. de Legat.* Item ad errorem in vocabulo circa rem petitam in judicio, ſi de corpore conveniat, *l. Idem Pomponius. 5. §. Cùm in rem. ff. de Rei vendicat.* ubi Bartolus hoc ipſum extendit ad errorem in nomine Judicis. Concordat *l. Si quis in fundi vocabulo. ff. de Legatis I. & l. Demonſtratio. ff. de Condit. & demonſtrat.* 21

Notanter autem additur, *dummodò conſtet de corpore &c.* Nam ſi per talem errorem reddatur diſpoſitio incerta, ita ut propter errorem in nomine (puta, quia plures tali nomine appellantur) non appareat, de quo ipſorum fuerit intentio diſponentis, nihil valet, *d. l. Idem Pomponius. §. fin. & l. Si in nomine.* junctâ Gloſſâ *fin. C. de Teſtament.* & concordantijs per ipſam adductis. Quis enim hominum ſtante tali incertitudine poterit divinare de vera mente diſponentis? 21

Reſp. II. Proximè dicta procedunt etiam in Reſcriptis, adeò ut iſta non vitientur, neque invalida reddantur per errorem in nomine, vel cognomine commiſſum, ſi conſtet de corpore, ſive perſona, pro qua ſunt conceſſa. Ita Felinus *in c. Significante. n. 1. h. t.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 21. n. 37.* citans alios. Idque probatur à ſimili per textus *num. 214.* jam allegatos. Et ratio eſt: quia Reſcriptum non conceditur propter nomen, ſed propter perſonam ſupplicantis, & qualitates ipſi intrinſecas; ergo, quando conſtat de perſona, ejúſque preces veritate nituntur, non eſt, cur obſtet error in nomine, *c. Intelligentia. 6. de Verb. ſignif.* 2

Objicies nihilominus majoris claritatis gratiâ. Error in nomine Diœceſis vitiat Reſcriptum Papale; ergo etiam in nomine, vel pronomine impetrantis. Antecedens probatur *ex c. Significante. 34. h. t.* ubi propter errorem in nomine Diœceſis caſſatur Reſcriptum, quod fuerat obtentum contra Vitum Diœceſis Rhemenſis, cùm idem Vitus non de Rhemenſi, ſed de Leodienſi Diœceſi exiſteret: ubi proin Summarium inquit: *Reſcriptum impetratum contra hominem alicujus Diœceſis, non extenditur ad hominem ejuſdem nominis alterius Diœceſis.* Reſp. Hoc imprimis accidere ex eo, quia in 2

in tali caſu non conſtat de corpore perſonæ, contra quam impetratum eſt Reſcriptum; cùm non rarò contingat, plures eodem nomine appellari, ſimúlque non præſumatur error in circumſcriptione perſonæ. Abbas *d. c. Significante. n.* 1. junctâ Gloſsâ *ibidem* ℣. *Non de Rhemenſi.* Unde, ne tales litteræ adeò incertæ trahi poſſent ad plures perſonas, meritò contra hujusmodi Reſcriptum (utpote quod non extenditur à perſona ad perſonam) potuit perſona alterius Diœceſis excipere; cùm præſumatur fuiſſe impetratum, atque datum, non contra ipſam, ſed contra aliam perſonam ſpecificatæ Diœceſis.

22 Deinde, ac magìs generaliter reſpondetur, eſſe diverſam rationem de errore in nomine perſonæ, de cujus corpore conſtat, & de errore, in nomine Diœceſis, quando per Reſcriptum fit delegatio cauſæ, ſeu cuipiam demandatur juriſdictio, aut executio Reſcripti Apoſtolici; ut accidit *in cit. c. Significante.* Nam error in nomine non eſt cauſa finalis, ac motiva concedendi tale Reſcriptum; benè tamen error in Diœceſi, utpote qui fuit cauſa, cur Pontifex ad Judicem hujus Diœceſis falsò expreſſæ, & non additis conſuetis clauſulis derogatorijs, Reſcriptum direxerit: ſi enim Papa ſciviſſet, Vitum memoratum eſſe de Leodienſi Diœceſi, jam non Rhemenſibus, ſed potiùs Leodienſibus Judicibus cauſæ ejusmodi cognitionem demandâſſet, vel ſaltem non tali modo ac formâ Reſcriptum dediſſet, ſed cum clauſula derogatoria dietarum &c. ac proinde talis error intrinſecè & ſubſtantialiter afficit Reſcriptum. Quinimò iſtud eſt nullum, non tam ob errorem in nomine Diœceſis, quàm ob defectum voluntatis ex parte concedentis: ſiquidem Reſcripta, quæ continent delegationem cauſarum, regulariter concedi non ſolent, niſi ad Judices delegatos intra Diœceſin Rei exiſtentes, aut ſaltem non niſi cum clauſula derogatoria dietarum; cùm alioquin Reus extra ſuam Diœceſin trahi non poſſit ultra duas dietas, *c. Nonnulli.* 28. *h. t.* imò nec ultra unam dietam, prout Jure novo limitatur *in c. Statutum.* 11. §. *Cùm verò. eod. in* 6. Layman *in d. c. Significante. n.* 1. *h. t.* Pirhing *eod. n.* 114. & alij.

22 Additur notanter, *quando per Reſcriptum fit delegatio cauſæ &c.* Nam, quando ad præviam ſupplicationem partis ipſemet Pontifex gratiam concedit, v. g. actualiter cum aliquo diſpenſando, jam conſtat de mente concedentis; ac proinde non obeſt error in nomine Diœceſis, ſicut nec in pronomine, dummodò conſtet de corpore. Ratio eſt: quia tunc Papa intendit gratiam concedere propter alias rationes in ſupplicatione expreſſas, adeóque independenter à Loco, ſive nomine Diœceſis; ſicque error ejusmodi nullo modo eſt cauſa motiva, ſeu finalis dandi tale Reſcriptum. Gobat *tract.* 8. *Theolog. Experiment. n.* 741. & favet Felinus *in cit. c. Significante. n.* 2. & ibi Abbas *n.* 4. *h. t.* poſt Jo. Andream diſtinguens, quòd *aut expreſsâ verâ Diœceſi* Orator *Litteras* habuiſſet (intellige cum ijs clauſulis) *& tunc error non habet vitiare, ſi conſtat de corpore,* prout accidit in præſenti caſu. *Aut expreſsâ verâ Diœceſi Litteras non habuiſſet, & tunc error habet vitiare,* uti fit in priori caſu.

Quæritur III. An, & quando raſura vitiet Reſcriptum, vel alia Inſtrumenta? Reſp. Raſura, vel cancellatio litterarum in loco cæteroquin ſuſpecto, gignit præſumptionem falſitatis; adeóque Reſcriptum, vel aliud quodcunque Inſtrumentum habens raſuram in loco ſuſpecto, tanquam falſum atque invalidum reiici poteſt, nihilque probat. Ita communis; & patet tum *ex c. Licèt.* 5. junctâ Gloſsâ ℣. *Tenuem. de Crimin. falſi. & c. Inter dilectos.* 6. §. *Sed contra. de Fide inſtrument. & c. Cùm olim.* 14. *de Privileg.* ac præſertim ex *c. Cùm venerabilis.* 7. *de Religioſ. domib.* ubi in facti contingentia quoddam Inſtrumentum *propter ſuperlinearem ſcripturam, & raſuram loco ſuſpecto factam, ubi videlicet annotatio temporis recenſetur,* ad faciendam fidem reputatur eſſe invalidum, utpote de jure ſuſpectum. 224

Dicitur notanter, *Raſura in loco ſuſpecto &c.* Ubi notandum, quòd *Locus ſuſpectus* impræſentiarum cenſeatur eſſe, quando in verbis diſpoſitivis facta eſt litura. Abbas *c. Ex litteris. n.* 1. *de Fide Inſtrument.* Rebuffus *in Praxi Benefic.* §. *Requiſita in Litteris Collationum. n.* 33. Et hinc raſura intelligitur facta in loco ſuſpecto, quando eſt facta in ea parte Reſcripti, vel Inſtrumenti, unde potiſſima ipſius vis, ac mota deſuper quæſtio dependet. Alioquin enim, ſi raſura reperiatur in loco non ſubſtantiali, adeóque nec ſuſpecto, Reſcriptum Apoſtolicum idcircò non redditur vitioſum. Gloſſa *fin. cit. c. Cùm venerabilis. de Relig. domib.* & alia Gloſſa *in l. Edicto.* ℣. *Vitiatum. C. de Edicto divi Adrian. tollend.* & ibi Jaſon *n.* 19. ubi hoc exemplificat de raſura in exordio, vel præfatione Notarij: ſive, ut inquit Abbas *cit. n.* 1. in narratione Reſcripti, vel privilegij. Maſcardus *de Probationibus. Concl.* 1261. *n.* 9. & communis aliorum. Idque patet *ex c. Ex litteris.* 3. *de Fide inſtrument.* ubi, cùm quædam litteræ arguerentur falſitatis, eò quòd in narratione facti abraſæ fuiſſent: reſpondit Pontifex, *quòd propter abraſionem illam litteræ judicari falſæ non poſſunt, nec etiam haberi ſuſpectæ: præſertim, cùm & Privilegia in poſſeſſionibus* (hoc eſt, in nominibus poſſeſſionum, ut explicat Gloſſa) *abradantur, & litteræ in narratione facti (ſi erratum eſt) poſſunt incunctanter abradi.* Hæc ibi. 225

Inſuper data *n.* 224. Regula patitur quasdam limitationes. Et primò quidem, quando raſura eſt modica, ſeu paucarum litterarum non mutantium ordinarium ſenſum. Maſcardus *loc. cit. n.* 10. Engel *h. t. n.* 15. Vel quando ex præcedentibus, ac ſubſequentibus verbis, aut alijs hujusmodi Reſcriptis, ſive inſtrumentis ſatìs appareat, raſuram ſuſpectam non eſſe, nec aliter ſcribi debuiſſe. Gloſſa *fin. d. c. Cùm venerabilis. de Religioſ. domib.* Jaſon *cit. n.* 19. & alij. Cæterùm, quænam raſura ſit modica, & quando ſenſus rectus percipi valeat, Judicis arbitrio relinquitur, qui illud ex qualitate abraſionis, & contextu ver- 226

verborum dijudicabit. Menochius *de Arbitrar. Judic. caſ.* 187. *n.* 41. Maſcardus *loc. cit. n.* 20.

Verùm loquendo de litteris Apoſtolicis iſtud eſt ſpeciale, quòd ſi conſtet, abraſionem quantumvis modicā in eis factam eſſe ab impetrante, vel utente, ipſæ reddantur falſæ, & ſic radens efficiatur falſarius, ac excommunicatus. Gloſſa *in c. Licèt. ℣. Tenuem. de Crimin. falſi.* Fagnanus *in c. Ex conſcientia. n.* 8. *eod.* citans plures alios, atque hoc intelligens, etiamſi foret raſura unius ſyllabæ, unius litteræ, vel puncti.

227 Deinde limitatur dicta Regula, quando ſcriptura abraſa in parte cæteroquin ſubſtantiali, ita benè reſcripta fuit, ut apertè cognoſcatur, id manu ejusdem Notarij factum eſſe. Jaſon *loc. cit.* poſt Gloſſam *in d. l. Edicto. ℣. Prima figura.* Bartolum, & alios; quamvìs Abbas Panormit. contrarium teneat *in cit. c. Cùm venerabilis. n.* 8. *de Relig. domib.* eò quòd nonnulli reperiantur ſcientes adulterare, atque exactè imitari aliorum ſcripturam.

228 Ut igitur talis ſcriptura, quæ in loco cæteroquin ſubſtantiali per ipſummet Notarium abraſa fuit, & ſuperinſcripta, vel etiam cancellata, ab omni falſi præſumptione removeatur; expedit adhibere cautelam illam, quam tradit Abbas *ibid.* & Maſcardus *cit. Concl.* 1261. *n.* 16. & 17. citans alios, & allegans conſuetudinem vulgò receptam: Ut videlicet Notarius in fine ſcripturæ, & ante ſubſcriptionem Inſtrumenti, atque appoſitionem ſigilli atteſtetur, qualiter ipſe abraſit tale verbum in tali linea, vel fecit talem lineam in margine; quia tunc raſura illa nihil oberit, cùm in tali caſu & diem habeat, & teſtes: ſecùs, ſi non eſſet facta talis atteſtatio per Notarium de ejusmodi vitio, vel eſſet facta in margine, aut poſt ſubſcriptionem, quia tunc die, & teſtibus careret. Maſcardus *cit. n.* 17. poſt Bartolum *l. Si unus. n.* 5. *C. de Teſtament.* junctâ Addit. Marginal. Paulum de Caſtro, Decium, & Auguſt. Beroum *in Conſil.* 1. *n.* 38. *Volum.* 2. & alios.

229 Tertiò limitatur Regula, quando Reſcriptum, vel aliud Inſtrumentum adhuc clauſum, & ſignatum, coram Ordinario exhibitum fuit: quia tunc raſura, ſi quæ apparet, potiùs in Cancellaria præſumitur facta, quàm ab impetrante. Quomodo enim impetrans illæſo Sigillo, ac litteris nondum apertis, eandem facere potuiſſet? Engel *cit. n.* 15. poſt Joan. Honorium *h. t. n.* 20. Et hâc potiſſimùm ratione poteſt ſalvari hodierna praxis Vicariorum, & Delegatorum Papæ, qui propter raſuram etiam in diſpoſitivis, imò & in Data, non ſolent facilè ejusmodi Bullas Pontificias rejicere: nam, ut obſervat Pyrrhus Corradus *lib.* 7. *Praxis Diſpenſationum Apoſtolicarum, n.* 77. Litteræ Apoſtolicæ, antequàm ad plumbum ab ipſa Cancellaria transmittantur, per Officiales ad hoc deputatos poſſunt abradi, atque immutari, prout juxta mentem ſummi Pontificis, cujus Cancellaria dicitur Organum, opus fuerit; prout pluribus declarat idem Pyrrhus Corradus *cit. n.* 77. 78. & 79. addens, iſtud jam diu in Cancellaria Apoſtolica permitti ob ingentem numerum negotiorum.

Quartò limitatur, ſi ſcriptura, vel inſtrumentum reperiatur penes meum adverſarium, & Judex ipſum cogat exhibere inſtrumentum in iudicio. Quia tunc non vitiatur in mei præjudicium, imò ei præſtatur integra fides in omnibus, in quibus poteſt ſumi ſenſus ex tali inſtrumento; haud obſtante, quòd habeat raſuram in loco ſubſtantiali: præſumitur enim, quòd adverſarius eam doloſè fecerit. Siquidem abraſio, ſive cancellatio, vel additio, præſumitur facta ab eo, penes quem reperitur Inſtrumentum, niſi oppoſitum probetur, *arg. l. Majorem.* junctâ Gloſsâ, & DD. *ibid. C. Ad leg. Cornel. de Falſis.* Jaſon *in l. Si unus. n.* 9. *C. de Teſtament.* Atqui non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. Non debet.* 75. *ff. de Reg. Jur.* ac proinde raſura per adverſarium meum facta, mihi non nocebit. Jaſon *in d. l. Edicto. n.* 19. *C. de Edicto divi Adrian. tollend.* Maſcardus *n.* 22. & alij.

Quintò limitatur, quando Inſtrumentum, in quo reperitur raſura, corroboratur per vivam vocem teſtium, *arg. Auth. de Inſtrumentorum cautela. Collat.* 6. Jaſon *cit. n.* 19. ubi rejectâ priùs opinione eorum, qui in iſto caſu unum teſtem ſufficere dixerunt, ponit quasdam alias limitationes memoratæ Regulæ, ſed minùs notabiles, quæ proinde hìc omittuntur.

§. X.

De Expiratione Reſcriptorum ob mortem Concedentis.

SUMMARIUM.

232. *Reſcripta juſtitiæ expirant morte concedentis re integrâ; non item, quando res non ampliùs eſt integra.*

233. *Ea expirant etiam re integrâ, licèt Delegatus ignoret mortem Delegantis, ſeu concedentis Reſcriptum.*

234. *Dummodò non concurrat ſimul error communis.*

235. *Reſcripta juſtitiæ re integrâ expirant etiam ceſſatione officij ipſius concedentis, ſeu Delegantis, per renunciationem, vel diſpoſitionem.*

236. *Non item, ſi hic poſtmodùm incurrat excommunicationem, vel ſuſpenſionem.*

237. *Quando*

237. *Quando res deſinat eſſe integra? Referuntur tres* *vv. circa hoc ſententiæ.*
238. *Ut res deſinat eſſe integra, ſicque perpetuetur, valor Reſcripti ad lites, requiritur, ac ſufficit citatio partis ante obitum concedentis facta.*
239. & 240. *Idq; probatur.*
241. *Sufficit autem, citationem ante obitum concedentis à Delegato emanatam eſſe, tametſi hæc ad partes nondum pervenerit.*
242. *Proponitur notabilis inſtantia contra hanc ſententiam ex* c. Relatum. 19. de Offic. Delegat.
243. *Quæ eſt difficilis objectio; & cur?*
244. 245. 246. & 247. *Referuntur variæ DD. reſponſiones ad conciliandum* d. c. Relatum. & c. Gratum, 20. eod. *cum earum impugnationibus.*
248. *Expeditior reſponſio concedit, priorem Decretalem corrigi per poſteriorem.*
249. *Solvuntur rationes in oppoſitum.*
250. *Reſcripta gratiæ, ſeu ad Beneficia, non expirant morte concedentis etiam re integrâ, quando continent* Gratiam factam.
251. *Secùs, ſi contineant* Gratiam faciendam.
252. *Diſparitas inter* Gratiam factam, & faciendam.
253. *Reſcripta, quæ cenſeantur continere* Gratiam factam, & *quæ* faciendam? *Et n. ſeqq.* *Præſertim ſi ſint conceſſa in favorem aliorum. Ibid.*
254. *Commiſſio, ſive facultas cuipiam perſonæ, aut Communitati reſpectu aliorum indeterminatè data, cenſetur continere* Gratiam factam.
255. *Idq; probatur.*
256. *Si autem commiſſio, ſive facultas in favorem tertij conceſſa fuit cum determinatione certæ perſonæ, rurſus eſt diſtinguendum.*
257. *Nam, ſi ipſe fuerit executor neceſſarius, gratia cenſetur jam facta in favorem tertij.*
258. *Secùs, quando Commiſſarius ille eſt executor voluntarius: quia tunc cenſetur gratia facienda.*
259. *Ratio diſparitatis inter utrumque caſum.*
260. *Reſcriptum gratiæ conceſſum ſub clauſula,* Uſque ad beneplacitum noſtrum, *expirat morte concedentis.*
261. *Et quid, ſi morte concedentis communiter ignoratâ proceſſerit Delegatus ad executionem Reſcripti?*
262. *Reſcriptum gratioſum conceſſum ſub clauſula,* Uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ; Donec revocavero &c. *durat perpetuò, donec revocetur.*
263. *Nec expirat morte concedentis.*

232 QUæritur I. Utrùm Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, morte concedentis ſuperveniente expirent? Reſp. I. Certum eſt, quòd Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, re adhuc integrâ expirent morte concedentis; non item, quando res non ampliùs eſt integra. Ita communis; habetúrque clarè deciſum quoad utramque partem *in c. Licèt undique.* 30. *de Offic. Delegat.* ibi: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi juriſdictione à ſuo ſibi collega delegatâ, eo vivente uti non cœperit, quia mandatum hujusmodi re integrâ morte mandatoris expiravit, non habet ſolus officium judicandi: ſi verò ante mortem illius juriſdictione uti cœperit demandatâ, vices ſuas & illius poterit adimplere.* Concordat *c. Relatum.* 19. & *c. Gratum.* 20. *de Offic. Delegat.* & *c. Quamvis. eod. in 6.* & *l. Et quia. ff. de Jurisdict. omn. judic.* cum ſimilibus.

233 Et quidem adeò verum eſt, quòd per mortem concedentis, ſeu Delegantis, re integrâ expirent Reſcripta juſtitiæ, ac juriſdictio delegata, ut hoc procedat, etiamſi Delegatus mortem Delegantis ignoret; adeóque non valeat Proceſſus poſteà per ipſum formatus. Abbas in *cit. c. Gratum. n.* 10. *de offic. Delegat.* Speculator *tit. de Judice Delegato.* §. *Reſtat videre. n.* 5. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 22. *n.* 55. & 59. & alij. Siquidem Jura proximè allegata loquuntur indiſtinctè: unde nec nos diſtinguere debemus inter ſcientes, & ignorantes mortem Delegantis. Accedit, quòd iurisdictio nondum efficaciter tranſierit in Delegatum re adhuc integrâ, ſeu ante illius uſum, *c. Quamvis. de Offic. Delegat. in* 6. ſed potiùs effectualiter adhuc exiſtat penes Delegantem: unde non mirum, quòd hujus morte expiret, tametſi iſtam Delegatus ignoraverit. Sola verò ignorantia non poteſt tribuere jurisdictionem non habenti, *arg. l. Privatorum. C. de Jurisdict. omn. Judic.*

Intellige, quando ſolus Delegatus ignorat mortem Delegantis, neque error communis concurrit. Secùs quippe videtur dicendum, ſi omnibus paſſim talem mortem ignorantibus, concurrat ſimul error communis: nam tunc Proceſſus ex tali communi errore inchoatus, & geſtus valebit, eò quòd error communis jus tribuat, *ut l. Barbarius. ff. de Offic. Prætor.* & notat Sanchez *loc. cit. n.* 59. ac Layman *in d. c. Gratum. n.* 9. poſt Flamin. Pariſium *lib.* 7. *de Reſignat. Benefic. q.* 24. *n.* 33. *ampliat.* 4. quidquid contradicat Abbas, *ubi ſuprà, n.* 10. & 11. citans pro ſe Bartolum in *l. Et quia. n.* 19. *ff. de Jurisdict. omn. judic.* quorum ſententia duntaxat procedit ſecluſo communi errore, & quando ſolus Delegatus ignorat mortem Delegantis, alijs eam paſſim ſcientibus. 234

Reſp. II. Reſcriptum juſtitiæ, ſicut & jurisdictio delegata, re integrâ expirat etiam ceſſatione officij ipſius Delegantis per renunciationem, vel depoſitionem, aut translationem ad aliam Dignitatem. Ita Anchoranus *in c. Gratum. in fine. de Offic. Delegat.* Bartolus *in l. More majorum. n.* 16. *ff. de Jurisd. omn. judic.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſput.* 28. *n.* 56. & alij. Siquidem eadem eſt ratio de ceſſatione officij dictis modis factâ, ac de morte naturali: ſicut enim per hanc, ita & per renunciationem, depoſitionem, ſeu translationem, finitur officium, atque jurisdictio Delegantis; ac proinde utrobique pari modo ceſſare debet re adhuc integrâ jurisdictio Delegati, utpote quæ necdum efficaciter in ipſum tranſivit, 235

vit, *d. c. Quamvis. de Offic. Delegat. in 6.* ſicque omnino dependet à priori. Huc facit *cap. ult. de Offic. Legati,* junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Expiret.*

236 Secùs eſt dicendum de excommunicatione, vel ſuſpenſione per Delegantem, ſeu conceſſorem litterarum contracta. Quia enim per hanc non extinguitur juriſdictio, Delegantis, etſi pro tunc impediatur exercitium ſuæ juriſdictionis: ita nec expirat Reſcriptum, ſive juriſdictio delegata ab ipſo ante ſuam excommunicationem, vel ſuſpenſionem. Bartolus, *ubi ſuprà*, *n.* 17. citans Innocentium in *c. Licèt undique. de Offic. Delegat.* Francus *in c. Si gratiosè. n.* 12. *de Reſcript. in 6.* Sanchez *loc. cit. n.* 57. & alij. Verùm pro majori dictorum intelligentia

237 Quæritur II. Quandonam res deſinat eſſe integra, ita ut valor Reſcripti ad lites, ac juriſdictio delegata, non ampliùs morte concedentis cenſeatur expirare? Celebris eſt hæc quæſtio, ac multùm inter Doctores controverſa: nam aliqui ad hoc, ut res non ampliùs dicatur integra, ſicque perpetuetur juriſdictio delegata, ſeu Reſcriptum ad lites, requirunt præviam litis conteſtationem, *arg. c. Relatum.* 19. *de Offic. Delegat.* Alij verò requiri, ac ſufficere ajunt citationem, ut *c. Gratum.* 20. *eod.* Alij tandem ſatis eſſe volunt quemcunque actum Judicis, quo juriſdictione ſibi delegatâ ante mortem Delegantis uti cœpit, ut puta juriſdictionem alteri ſubdelegando, aut Notarium vocando, ſive locum judicij exercendi deſtinando, &c. quamvis nondum ſit ſecuta citatio partium, *arg. c. Licèt undique.* 30. *eod.* ibi: *Si Juriſdictione uti non cœperit*, cum ſimilibus; & partim tenet Gloſſa *c. Si à ſubdelegato.* ℣. *Proceſſum. de Offic. Delegat. in 6.* partim Hoſtienſis *in d. c. Licèt undique*, ac nonnulli alij. Ad quæſtionem igitur adeò controverſam

238 Reſp. I. Ut res deſinat eſſe integra, ſicque perpetuetur valor Reſcripti ad lites, & juriſdictio delegata, requiritur, ac ſufficit citatio partis per Delegatum ante obitum concedentis, ſeu Delegantis facta. Ita Abbas *in d. c. Relatum. n.* 5. *de Offic. Delegat.* Bartolus *in l. More majorum. n.* 13. *ff. de Juriſdict. omn. judic.* Maranta *in Speculo Aureo, part.* 4. *diſt.* 5. *n.* 61. dicens, hanc eſſe communem opinionem. Barboſa *ad cit. c. Gratum. n.* 3. *de Offic. Delegat.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *n.* 10. & plures alij ab his allegati, contra relatas duas extremas ſententias.

239 Concluſio hæc deſumitur ex *cit. c. Gratum.* 20. *de Offic. Delegat.* ubi Urbanus III. ſuper hoc conſultus reſpondit, quòd *citatione factâ, negotium ſit quaſi cœptum*; ſicque Delegatus poſſit, ac debeat in cauſa procedere. Concordat *cap. ult. de Offic. Legati*, ubi dicitur, quòd juriſdictio Delegatorum per Legatum Sedis Apoſtolicæ expiret, ſi ante hujus diſceſſum, citatio per ipſos facta non præceſſit: ubi proin Gloſſa finalis infert: *Ergo, ſi citatio præceſſit, valebit commiſſio poſt diſceſſum: ſic per citationem perpetuatur juriſdictio.* Accedit ratio: quia, ut perpetuetur juriſdictio Delegati reſpectu partium, oportet, ut interveniat aliquis actus erga partes: atqui primus actus reſpectu partium, ac juriſdictionis contentioſæ erga eas exercendæ, eſt citatio, ut *c. Quoniam contra.* 11. §. *Statuimus. de Probationib.* & §. *fin. Inſtit. de Pœna temerè litigant.* ubi primo actu Judicij ponitur citatio; ergo.

Et per hoc patet contra tertiam *n.* 237. relatam ſententiam, quòd ad valorem Reſcripti, & perpetuandam Delegati juriſdictionem, ſupervenìente concedentis morte, requiratur, citationem partium præceſſiſſe, nec ſufficiat alius actus Judicis. Tum quia *in cit. c. Gratum* iſtud conceditur duntaxat citationi; ſicut & hæc ponitur primus actus reſpectu juriſdictionis contentioſæ, per Jura proximè allegata, de qua proinde etiam *d. c. Licèt undique. eod.* cum ſimilibus eſt intelligendum. Tum quia cæteri actus, ut puta juriſdictionem ſubdelegare, Notarium vocare &c. non exercentur erga partes, ſicque per eos nondum poteſt dici negotium quaſi cœptum. 240

Reſp. II. Nihilominùs ad conſervandum valorem Reſcripti juſtitiæ, haud obſtante concedentis morte, atque perpetuandam juriſdictionem Delegati, ſufficit præceſſiſſe citationem ab iſto emanatam, tametſi hæc ad partes anteà non pervenerit. Ita Gloſſa *in Clem.* 2. ℣. *Ad partem. Ut lite pendente.* Abbas *d. c. Gratum. n.* 3. & ibi Layman *n.* 2. & Barboſa *n.* 5. *de Offic. Delegat.* Sanchez *cit. lib.* 8. *diſp.* 28. *n.* 13. & alij. Idque deſumitur imprimis ex verbis *cit. c. Gratum*, dum ibidem dicitur: *Ante obitum delegantis propoſito citationis edicto.* Ubi ponderandum ly, *propoſito*, & quòd poſteà ſubjungatur, quòd hujuſmodi citatione facta (non diſtinguendo, an hæc jam pervenerit ad notitiam citati, nec ne) negotium ſit quaſi cœptum. Accedit ratio: quia, ut res non ampliùs cenſeatur integra, ſolus Judicis actus reſpectu partium eſt attendendus, per jura *n.* 232. citata: atqui talis actus judicis jam intervenit per citationem ab ipſo emanatam, ſeu alteri demandatam: ergo. 24

Dices. In *c. Relatum.* 19. *de Offic. Delegat.* Lucius III. expreſsè declarat, quòd res primùm deſinat eſſe integra, atque perpetuetur juriſdictio Delegati, per litis conteſtationem; adeò, ut ſi Papa delegans *ante litis conteſtationem deceſſit, non ſit à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujuſmodi procedendum*: ergo ad id non ſufficit ſola citatio partium à Delegato facta. 24

Hæc eſt difficilis objectio, plurimùm torquens ingenia Canoniſtarũ: nam memoratæ duæ Decretales, immediatè in Corpore Juris ſeſe ſubſequentes, atque à duobus Summis Pontificibus immediatè in Cathedra S. Petri ſibi ſuccedentibus emanatæ, ſpeciem cujuſdam antinomiæ, & contrarietatis præſeferunt; qualis tamen in Volumine ejuſdem Compilationis (niſi id exprimatur) non eſt admittenda, ut dictum *in Proœmio* §. 12. *n.* 205. & *ſeqq.* Oportet ſiquidem, quantùm fieri poteſt, jura juribus concordare, *c. Cùm expediat.* 29. *de Electione. in 6.* Et alioquin, ſi textus *in d. c. Relatum.* 19. *de Offic. Delegat.* ex toto fuiſſet 24

ſet correctus per ſubſequens *c. Gratum.* 20. *eod.* ipſe non fuiſſet poſitus in hac Compilatione, utpote per S. Raymundum de Pennafort factâ *reſecatis ſuperfluis*; prout atteſtatur GregoriusPapa IX. *in Proœmio Decretalium.* Juvabit proinde præcipuas Doctorum reſponſiones breviter adducere, ac examinare. Et quidem

4 Imprimis Gloſſa *in d. c. Relatum. ℣. Conteſtata*, inquit, textum illum habere locùm ſecundùm Leges, juxta quas requiritur litis conteſtatio, ante mortem Mandatoris, ſeu Delegantis facta per Delegatum, ad perpetuandam hujus jurisdictionem; ut *Auth. de Litigioſis. §. Omnem. Collat. 8.* Secundùm Canones autem ſufficere ſolam citationem factam ante mortem Mandatoris ad perpetuandum Reſcriptum, ſeu jurisdictionem delegatam, ut *d. c. Gratum. eod.* Hæc reſponſio paſſim relinquitur: tum quia utraque allegata Decretalis loquitur ſecundùm Canones, cùm quælibet earum emanârit à Summo Pontifice, ſitque Corpori Juris Canonici inſerta. Tum quia, quòd ſecundũ Leges requiratur litis conteſtatio ad perpetuandã jurisdictionẽ Delegati, nullibi ſatis eſt expreſsũ: imò Legiſtæ multùm de hoc diſputant, uti videre eſt apud Gloſſam *in l. Et quia. ℣. Antequàm. ff. de Jurisdict. omn. judic.* atq; Bartolus, *ubi ſuprà, n.* 13. & 14. & plures alij tenent oppoſitum.

Deinde Abbas in *cit. c. Gratum. n.* 1. & 2. & ibi Felinus *n.* 1. & Barboſa *num.* 4. & Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *n.* 10. & quidã alij volunt, unum textũ eſſe ſupplendum per alium, atq; in priori textu ſubaudiendũ eſſe ly, *maximè*: quaſi Lucius III. voluerit dicere, quòd res deſinat eſſe integra maximè per litis conteſtationẽ, quamvis etiam per citationem integra eſſe deſinat. Verùm hæc reſponſio gravẽ ex eo patitur inſtantiam: quia Lucius Papa in *cit. c. Relatum*, expreſsè declarat, quòd ſi Delegans *ante litis conteſtationem deceſſit, non ſit à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum*: ſicque apertè excludit dictam ſuppletionem per ſubauditum ly, *maximè*.

Alij igitur, ut refert Barboſa *d. c. Gratum. n.* 4. exiſtimant, citata Capitula ita poſſe concordari, ut prius, ſeu *c. Relatum* procedat, quando Delegatus certum accepit nuntium de morte Delegantis; poſterius verò, nempe *c. Gratum* procedat, quando Delegatus nondum eſt certus de morte Delegantis; prout innuit textus ibi: *& maximè, ſi Delegatus non ſit certus de obitu Delegantis, poteſt* (citatione anteà factâ) *& debet in cauſa procedere.* Verùm hæc reſponſio partim nimium reſtringit communiorem Doctorum ſententiam, aſſerentium indiſtinctè, quòd per ſolam citationem perpetuetur jurisdictio Delegati, ac res deſinat eſſe integra, dum dicta reſponſio hanc ſententiã ſolùm admittit in caſu ignoratæ mortis Delegantis. Partim iſti reſponſioni adverſatur contenta in relato textu dictio illa, *maximè*: nam hæc eſt Dictio implicativa, atque ex vi ſuæ ſignificationis implicat, ſeu denotat, idem eſſe in caſu contrario, ſeu ubi ratio expreſſa deficit, licèt in ipſo fortior militet ratio, *arg. L.* 1. *§. Si ex dodrante. ff. de Collationib.* Euerardus, *Loco à natura dictionum implicativarum, n.* 1. Barboſa, *Diction.* 197. *num.* 1. & alij.

Noviſſimè aliam dictarum Decretalium conciliationem invenire ſtuduit Emanuel Gonzalez 247
Telez *in Commentarijs ad lib.* 1. *Decretal. c. Gratum. n.* 4. *de Offic. Delegat.* ubi inquit, in *d. c. Gratum*, ſermonem eſſe non de ſimplici citatione, ſed potiùs de citatione per Edictum peremptorium (de hoc enim ibidem fit mentio) quæ inducit litis conteſtationem, ſi non veram, ſaltem fictam; ut *c. Quoniam. §. Porrò. Ut lite non conteſtata: & Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando*: ſicque (inquit) dictas duas Decretales ſibi non contrariari, cùm ambæ velint, valorem Reſcripti, ſeu jurisdictionem Delegati, ſolùm perpetuari per litis conteſtationem, vel veram, vel ſaltem fictam. Verumtamen etiam hæc reſponſio patitur inſtantiam: tum quia pariter nimium reſtringit concluſionem, & communiorem DD. ſententiam, eò quòd citatio per Edictum non habeat locum, niſi in caſu Actoris, vel Rei contumaciter abſentis, per Jura proximè citata. Tum quia, licèt in *cit. c. Gratum. §.* 1. fiat mentio de citatione per Edictum, ibi tamen ſolùm continetur *Narratio facti*, ſeu quid in caſu illo, de quo tunc quæſtio movebatur, contigerit: poſteà verò *in §. Nos autem*, ubi continetur *Deciſio Juris*, Pontifex indiſtinctè reſpondet, quòd *citatione factâ negotium ſit quaſi cœptum.*

Ultima tandem, & cæteris expeditior reſpon- 248
ſio, eſt Gloſſæ *in Caſu, ad cit. c. Relatum.* 19. *de Offic. Delegat.* volentis, iſtam Decretalem eſſe correctam per ſequentem, ſeu per *d. c. Gratum.* 20. *eod.* Atque hanc opinionem præter Tancredum, & Goffredum, quos pro ea citat Abbas, *ubi ſuprà*, ſequitur Decius *in d. c. Gratum. n.* 1. & Layman *ibid. n.* 1. Cùm enim (inquit iſte) Legibus Civilibus non ſatis eſſet expreſſum, an jurisdictio Delegati primùm per litis conteſtationem cœpta cenſeatur, vel potiùs per ipſam citationem; quia pro utraque parte graves ſtant Authores: hinc etiam orta eſt diverſitas Decretalium. Nam Lucius III. *in d. c. Relatum*, priorem ſententiam veluti tutiorem ſecutus, reſpondit, ad perpetuandã Delegati jurisdictionẽ requiri, litis conteſtationem ante obitum Delegantis eſſe factam. Econtrà Urbanus III. qui fuerat immediatus ejus Succeſſor in Sede Apoſtolica, amplexus poſteriorẽ ſententiam, utpote benigniorem, reſpondit, ad id ſufficere citationem vivente Delegante eſſe factam; cùm per hanc *negotium ſit quaſi cœptum*, ut loquitur textus.

Nec obſtant rationes *n.* 243. allatæ. Non pri- 249
ma: nam fallit, quando poſterior Canon expreſsè corrigit priorem, in eodem Compilationis volumine poſitum; ut *c. Exigit.* 2. *& c. Fœlicis.* 3. *de Cenſib. n* 5. Hoc autem contingit etiam in præſentiarum, ſi non verbis omninò expreſſis, ſaltẽ ipſo facto, dũ ſæpè dictæ duæ Decretales non ſolùm ſub eodem Titulo im̃ediatè per Compilatorem

torem fuerunt poſitæ, ſed etiam à duobus Sũmis Pontificibus imediatè ſe ſubſequentibus editæ: atqui noti juris eſt, quòd Lex; ſeu Canon poſterior deroget priori, etiam nullâ ejus factâ mentione, *c. Licèt Romanus. de Conſtitut. in 6.* Nec ſecunda: etenim Decretalis *Relatum*, non revocatur ex toto per Decretalem *Gratum*; quia etiam prior defactò juvat ad probandum, quòd re integrâ expiret Reſcriptum, & juriſdictio delegata per mortem Delegantis. Accedit, quòd non ſit ſuperfluum, deciſionem Quæſtionis adeò controverſæ, ac inter Summos quoque Pontifices agitatæ, propoſitis diverſis ſententijs Corpori Juris Communis inſerere. Videantur dicta in *Proœmio.* §. 12. *num.* 207. 208. *& ſeqq.*

250 Quæritur III. An, & quando Reſcripta gratiæ, ſeu ad Beneficia, expirent morte concedentis? Reſp. cùm communi, quoad hoc attendendam eſſe notabilem diſtinctionem, utrum Reſcripta contineant *Gratiam factam*, vel *Gratiam faciendam*. Et quidem, ſi continent gratiam jam factam, hujusmodi Reſcripta ſunt perpetua; adeò, ut nec ipſa gratia, nec poteſtas dictæ gratiæ executoribus conceſſa, expiret morte concedentis, etiam re integrâ. Patet hoc clariſſimè ex *c. Si ſuper gratia. 9. de Offic. Delegat. in 6.* ibi: *Si ſuper gratiâ, cuipiam ab Apoſtolica Sede factâ, executores fuerunt deputati: æquum eſſe cenſemus, ut ſicut ipſa gratia (licèt nondum ſit in ejus executione proceſſum) morte non perimitur concedentis; ſic nec etiam re integrâ perimatur executoribus data poteſtas; quam veluti gratiæ prædictæ acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis.* Et meritò: ne alioquin gratia, cuipiam jam facta, reddatur quandoque omninò inutilis; vel ſaltem, ſi opus foret denuò adire Papam pro executione gratiæ ſibi jam factæ, hanc non ſine diſpendio impetrantis in longius tempus differri contingat; prout ibidem obſervat Pontifex. Concordat textus *in c. Si cui nulla. 36. de Præbend. in 6.*

251 Econtrà verò, quando Reſcripta continent gratiam primùm faciendam, ſeu conceſſam non in proprium recipientis litteras, ſed in alterius duntaxàt favorem, certum rurſus eſt, quòd ejusmodi gratia facienda expiret morte concedentis re integrâ. Patet hoc ſimiliter ex textu expreſſo *d. c. Si cui nulla. §. fin. 36. de Præbend. in 6.* ibi: *Si ſuper proviſione certæ perſonæ facienda, ſit data poteſtas eidem, non ob ſuam, ſed ejus, cui provideri mandatur gratiam, vel favorem: illa quidem expirat omnino, ſi concedens re integrâ moriatur.*

252 Accedit ratio diſparitatis: quia in priori caſu, quando Reſcriptum, ſive Mandatum Apoſtolicum continet *gratiam factam*, jam illi, cui talis gratia facta eſt, jus fuit acquiſitum, quod proinde ſolâ morte concedentis æquum eſt ampliùs non auferri. Econtrà verò per *gratiam* primùm *faciendam* nulli adhuc jus quæſitum fuit, unde non mirum, quòd ejusmodi gratia, veluti primùm facienda, expiret morte concedentis re integrâ, ſeu quando in ejusdem executione nondum eſt proceſſum. Verùm occaſione hujus illicò

253 Quæritur IV. Quænam Reſcripta, ſeu Commiſſiones gratioſæ, præſertim in favorem aliorum conceſſæ, cenſeantur continere *gratiam factam*, & quænam *faciendam*? Et notanter additur, *præſertim in favorem aliorum conceſſæ.* Nam quoad gratiam cuipiam in particulari conceſſam, modica eſt difficultas: illicò enim ex terminis conceſſionis patere poterit, num ſit *Gratia facta*, ipſique actu jam conceſſa, vel primùm *facienda*, hoc eſt, concedenda in futurum. Verùm de Reſcriptis gratioſis, ſeu commiſſionibus, in favorem & gratiam aliorum conceſſis, major eſt difficultas; de quibus proinde loquendo

Reſp. I. Quando ejusmodi commiſſio, v. g. facultas abſolvendi, vel diſpenſandi, cuipiam perſonæ, vel etiam Communitati Religioſorum reſpectu aliorum indeterminatè, ac ſine certarum perſonarum expreſſione data fuit: ſignum eſt, eam principaliter in ipſius perſonæ, vel Communitatis gratiam, & favorem eſſe conceſſam, ac proinde eſſe *Gratiam factam*, neque expirare morte concedentis etiam re integrâ. Ita Federicus de Senis *Conſil.* 78. Angelus, *V. Diſpenſatio, n.* 13. Navarrus *Conſil.* 2. *n.* 1. *de Offic. Delegat.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *n.* 81. Pirhing *de Offic. Delegat. n.* 190. & probabilior aliorum. 254

Deſumitur hoc imprimis *ex c. Si cui nulla. 36. de Præbend. in 6.* ubi ſic deciſum legitur: *Si cui (nullâ perſonarum factâ expreſſione) ſit gratioſè conceſſa facultas, ut authoritate Apoſtolicâ poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia providere, vel Beneficia (quorum collatio eſt ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta) conferre: hujusmodi gratia (quam, cùm ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram) non expirat etiam re integrâ per obitum concedentis.* Ubi quantùm ad propoſitum, ponderanda eſt clauſula illa, *Nullâ perſonarum factâ expreſſione*: junctis illis verbis, *hujusmodi gratiam, quam &c.* Accedit ratio; quia ſic poſſe generaliter conferre Beneficia, diſpenſare &c. eſt magna prærogativa ejus, cui ejusmodi gratia ſpecialis, ſeu facultas generalis, ſine expreſſione certæ perſonæ conceſſa eſt; ergo gratia hujusmodi cenſetur principaliter eſſe conceſſa in favorem, ſive ad majorem prærogativam ipſius recipientis, ſeu diſpenſaturi, ac proinde eſſe *gratia* jam *facta*, qualis non expirat morte concedentis re integrâ. 255

Reſp. II. Quando cuipiam gratia, ſive commiſſio, vel facultas conceſſa fuit, tendens in favorem alterius cum determinatione perſonæ, ut puta ad diſpenſandum cum Titio, ad providendum Caio de Beneficio: tunc rurſus diſtinguendum eſt, atque attendendum, utrùm ipſe ſit executor neceſſarius talis gratiæ, habens mandatum exequendi talem gratiam, ſi preces veritate nitantur; vel ſolùm voluntarius. 25

Et quidem ſi ſit executor neceſſarius, juſſus exequi gratiam cognitâ precum veritate (puta, ſi dicatur ei in Reſcripto: *Diſpenſes cum Titio, Provideas Caio de Beneficio, ſi hæc ita eſſe cognoveris*) tunc ejusmodi gratia cenſetur jam facta in favorem petentis, ſicque non perit morte concedentis; 2

tis; & ipſi Commiſſario ſolùm injungitur inquiſitio ſuper veritate precum, atque executio talis gratiæ, ſi viderit precum veritatem. Gloſſa *in c. Veniens.* ℣. *Renunciâſſe juri.* & Abbas *ibid. n.* 13. *de Renunciat.* dicentes, quòd per Litteras monitorias, præceptorias, ſive executorias, acquiratur jus impetranti, non quidem quoad ipſammet rem, ſive Eccleſiam petitam, ſed quoad jus agendi, & implorandi officium Judicis ad proſequendam gratiam. Rebuffus *tit. De Mandatis Apoſtolicis.* §. 1. ℣. *Sui Pontificatûs.* Suarez *de Cenſuris, diſp.* 24. *ſect.* 2. *in fine.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *n.* 87. & alij ab his citati.

Secùs dicendum, quandò Commiſſarius ille eſt executor voluntarius, ut putà, ſi in Reſcripto, ſeu litteris Apoſtolicis ipſi dicatur: *Diſpenſes cum Titio, Conferas Cajo Beneficium, ſi volueris, ſi expedire judicaveris.* Nam talis gratia nondum eſt facta à Principe, ſed primùm facienda à delegato Commiſſario, ſi voluerit, aut expedire judicaverit, atque ideò morte concedentis expirat, & perit re integrâ (id eſt, ſi nondum Commiſſarius ille in talis gratiæ executione proceſſit, ſaltem vocando partes ad cognoſcendum de precum veritate, utpote qui actus correſpondet citationi in jurisdictione contentioſâ. Sanchez *cit. diſp.* 28. *n.* 94.) Idque totum clarè patet ex jam *cit. c. Si cui nulla.* §. *fin. de Præbend. in* 6.

Accedit manifeſta ratio diſparitatis: quia in hoc poſteriori caſu nullum adhuc jus parti quæſitum fuit, quinimò libera Reſcripti Apoſtolici executio relinquitur voluntati, atque arbitrio delegati Commiſſarij: in priori autem caſu, de quo *n. præced.* ſtante precum veritate jam parti gratiam petenti jus fuit acquiſitum, ſaltem ad agendum, & implorandum officium Superioris, ſi delegatus Commiſſarius, haud obſtante precum veritate, nollet, ſive tardaret, gratiam ſibi conceſſam exequi. Atque conformiter dictis, ſive diſtinguendo benè inter *gratiam* jam *factam*, & *gratiam* primùm *faciendam*, plures textus Juris facilè concordantur, qui cæteroquin videri poſſent contrarij.

Quæritur V. An morte Concedentis expirent Reſcripta, ſive gratiæ illæ, quæ fuerunt conceſſæ ſub clauſula, *Uſque ad beneplacitum noſtrum, Uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, Donec revocavero*, & hujusmodi? Reſp. I. Reſcriptum Papale, & quæcunque gratia conceſſa ſub clauſula, *Uſque ad beneplacitum noſtrum*, per mortem concedentis ipſo facto expirat. Ita omnes Doctores; & habetur expreſsè deciſum *in c. Si gratiosè.* 5. *h. t. in* 6. Siquidem per obitum concedentis, etiam beneplacitum ipſius omninò extinguitur; prout ibidem argumentatur Pontifex.

261 Notat tamen Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 22. *n.* 59. citans Albericum *l. Si fortè. ff. de Offic. Præſid.* & alios, quòd ſi morte concedentis, ut puta Pontificis, communiter ignoratâ, procedatur ad executionem gratiæ faciendæ, vel alterius, quæ per ipſius obitum expiraverat, valeat ejusmodi executio: nam communis error jus tribuit, *l. Barbarius ff. de Offic. Prætor.* eſtque in ſimili dictum paulò ſuperiùs *n.* 234.

262 Reſp. II. Reſcriptum gratioſum, ſive gratia conceſſa ſub clauſula, *Uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, vel *Donec revocavero*, aut hujusmodi, durat perpetuò, niſi à concedente, vel ſucceſſore ipſius revocetur, neque expirat morte concedentis. Ita communis. Et quidem prior pars habetur expreſsè deciſa *d. c. Si gratiosè, h. t. in* 6. ibi: *Secùs autem, ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim, quia Sedes ipſa non moritur, durabit perpetuò, niſi à Succeſſore fuerit revocata.* Quibus poſterioribus verbis etiam ratio datæ Concluſionis affertur.

263 Altera pars, quam tenet Barboſa, *Clauſul.* 43. *n.* 21. & Menochius *de Arbitrar. Judic lib.* 1. *quæſt.* 69. *n.* 12. citans communem aliorum, contra Bartolum, probatur ex eo; quia ad revocationem requiritur actus poſitivus contrarius; qualis non habetur per ſolam mortem concedentis. Nam aliud eſt, voluntatem ceſſare; aliud, eam revocare: prius fit per mortem, quia morte finitur voluntas hominis, *L.* 4. *ff. Locati.* poſterius autem requirit factum quoddam, nempè expreſſionem ipſius revocationis. Menochius *Conſil.* 360. *n.* 9. cum alijs.

§. XI.

De Renunciatione, ac Revocatione Reſcriptorum.

SUMMARIUM.

264. *Reſcripto, quod tendit in favorem ſolius impetrantis, poteſt renunciari, etiamſi emanâſſet motu proprio Principis.*

265. *Si Reſcriptum, vel Privilegium continet favorem plurium, quilibet eidem renunciare poteſt, quatenùs continet favorem ſuum, nec lædit jus alterius; aliàs ſecùs.*

266. *Declaratur hoc exemplo ſatis uſitato.*

267. *Etiam Reſcripto juſtitiæ, pro privata utilitate obtentò, poteſt impetrator liberè renunciare, uſque ad ejus præſentationem.*

268. *An etiam poſt præſentatum Judici Reſcriptum poſſit eidem renunciari invito adverſario? Negant aliqui.*

269. *Probabilius eſt, id fieri poſſe uſque ad actum citationis per Judicem factæ.*

270. *Si Reſcriptum emanavit pro bono publico, non poteſt eidem impetrator renunciare.*

271. *Reſcripta generatim revocantur dupliciter, tacitè, ac expreſsè; & quomodo?*

272. *Quibus alijs modis revocentur Reſcripta, præcipuè gratioſa, ſive privilegia? Remiſſivè.*

264 QUæritur I. Utrùm Reſcripto ritè impetrato poſſit quis renunciare? *Reſp.* I. Quando Reſcriptum tendit in favorem ſolius impetrantis, certum eſt, quòd hic poſſit eidem renunciare: nam cuilibet licitum eſt, juri ſuo, & ijs, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare, *c. Si diligenti. de Foro compet. & l. Si quis in conſcribendo, C. de Pactis.* Et hoc procedit, etiamſi emanâſſet Reſcriptum motu proprio Principis ad privatam alicujus utilitatem: adhuc enim is poteſt renunciare favori ſibi facto, neque cogitur eodem uti, ut *l. Quod favore. C. de Legib.* Abbas *in c. Ex conqueſtione. n. 10. de Reſtitut. ſpoliat.* Felinus *ad Rubric. h. t. n.* 3.

265 Reſp. II. Quando Reſcriptum, vel Privilegium continet favorem duorum, vel plurium, tunc quilibet poteſt eidem renunciare, quatenus continet favorem ſuum, & non lædit favorem alterius, ut *d. c. Si diligenti. de Foro compet.* Si autem renunciando ſimul læderetur favor tertio conceſſus, tunc eſt diſtinguendum: aut enim jus tertio jam fuit quæſitum; & non poteſt impetrans renunciare, ne lædatur jus tertij eo invito, contra *l. Id quod noſtrum. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.* cum ſimilibus. Aut jus tertio nondum fuit quæſitum, quia nempe non apparet, concedentem voluiſſe illi jus acquiri à tempore Datæ, neque intervenit præſentatio Reſcripti eidem facta; & tunc non obſtante illius tertij contradictione, poteſt impetrans tali Reſcripto renunciare.

266 Declaratur hoc exemplo ſatis uſitato. Si v. g. Eccleſiæ Metropolitanæ ad ipſius ſolius inſtantiam datum fuit privilegium, quòd Capitulum unà cum Suffraganeis eligat Metropolitanum, poteſt Capitulum renunciare privilegio, antequàm eo utatur: ſed ex quo utebatur privilegio, aut illud præſentavit Suffraganeis, ampliùs ei renunciare non poteſt abſque Suffraganeorum conſenſu, *arg. l. Qui abſenti. ff. de Acquir. poſſeſſ.* ac notat Innocentius, & Hoſtienſis *in c. Ex conqueſtione. de Reſtitut. ſpoliat.* & Abbas *ibid. n.* 11.

Quæritur II. Utrùm ſpecialiter loquendo de
267 Reſcriptis juſtitiæ, ſeu ad lites, poſſit quis eidem renunciare, etiam invito adverſario? Reſp. Poteſt impetrator tali Reſcripto juſtitiæ, pro ſua privata duntaxat utilitate obtento, liberè renunciare, eòque nolle uti, uſque ad ejus præſentationem Judici factam; imò probabiliùs uſque ad actum citationis factæ per Judicem, etiam invito adverſario. Ita Abbas *loc. cit. n.* 10. & Felinus *ad Rubric. h. t, n.* 3. cum alijs. Et quidem prior pars ſequitur ex dictis: quia Reſcriptum juſtitiæ, in quo cauſa aliqua Judici delegato diſcutienda committitur, etiam eſt gratia, ſeu beneficium Papæ delegantis, ſaltem latè loquendo; ergo poteſt impetrans eidem liberè renunciare ante præſentationem; cùm ante iſtam nullius alterius jus lædatur ex tali renunciatione, & juri ſuo privato quilibet renunciare valeat. Neque etiam Reus juſtè conqueri poterit, quòd Actor Reſcripto contra ipſum impetrato non utatur: quia nemo invitus agere compellitur, *L. un. C. Ut nemo invitus &c.* 268

Altera pars eſt contra nonnullos Doctores, qui voluerunt, quòd poſt præſentatum ſemel Judici Reſcriptum impetrator hujus non poſſit ampliùs eidem renunciare, ſed Reus tali Reſcripto uti valeat contra impetrantem Actorem, licèt hic ſit invitus, & agere nolit. Rationem dant: quia à tempore præſentationis litterarum Apoſtolicarum, atque ex harum receptione incipit jurisdictio Judicis delegati, *c. Super eo. 12. §. fin. de Appellat*: ergo etiam factâ ſemel earum Judici præſentatione, litteræ cenſentur factæ communes utrique parti. Butrius *in c. Ex parte Decani. n. 33. h. t.* 269

Verùm probabilius eſt, quod uſque ad actum citationis per Judicem factæ, poſſit Actor Reſcripto pro ſua duntaxat privata utilitate obtento renunciare, ſi velit. Ratio eſt: tum quia ante citationem partis licitum eſt pœnitere, & à propoſita in Libello actione deſiſtere (imò & poſteà uſque ad Conteſtationem litis, dummodò Actor refundat expenſas propter hoc à Reo citato factas, *Auth. Qui ſemel. C. Quomodo & quando Judex &c.*) ergo pariter licitum eſt, renunciare Reſcripto juſtitiæ ante factam Rei citationem, utpote quæ eſt fundamentum, & principium exercitij jurisdictionis contentioſæ, *c. Gratum. 20. de Offic. Delegat.* & ante quam, ſuperveniente morte Delegantis, Mandatum veluti re integrâ expirat, *c. Licèt undique. 30. eod.* Atqui ad citationem partium, ſive Rei, non poteſt Judex procedere invito Actore, cujus favore Reſcriptum fuit conceſſum, *arg. c. Quod ob gratiam. 61. de Reg. Juris in 6. & l. Quod favore, C. de Legib.* Et per hoc patet ad fundamentum contrariæ ſententiæ *n. præc.* relatæ. 270

Additur notanter, *Reſcripto pro ſua privata tantùm utilitate obtento.* Nam quando Reſcriptum emanavit pro bono publico, licèt ad alicujus inſtantiam, non poteſt eidem ampliùs impetrator renunciare. Unde, ſi per Reſcriptum mandetur fieri inquiſitio, v. g. de Eccleſijs, vel perſonis ad bonum commune. poſt receptas ejusmodi Litteras poteſt Judex procedere, licet impetrans deſiſtat proſequi negotium, aut etiam ſit invitus, & quantumcunque contradicat, *arg. c. Quoniam Apoſtolica. 43. §. Is autem. de Offic. Delegat. & cap. 1. ac 2. de Colluſion. detegend.* Imò etiam ante præſentationem non poteſt impetrator renunciare Reſcripto in favorem publicum impetrato, ac proinde poteſt per Judicem cogi ad exhibendum: nam ei, quod eſt conceſſum in favorem publicum, à privatis renunciari non poteſt, *cit. c. Si diligenti. de Foro compet.* cum concordantijs. Abbas, & Felinus, *ubi ſuprà.*

Quæ-

Quæritur III. Qua ratione revocentur Reſcripta? Reſp. I. Reſcripta generatim revocantur dupliciter, tacitè videlicet, ac expreſsè. Et quidem tacitè revocantur per conceſſionem alterius Reſcripti, quando hoc eſt præferendum priori contrario. Verùm de hac tacitâ revocatione uberiùs jam dictum eſt ſuprà h. t. §. IV. *Expreſſè*, revocantur, quando Princeps, ſive Papa, verbis claris revocat Reſcripta, Mandata, ſive gratias à ſe priùs conceſſas ſupplicantibus. Idque potiſſimùm accidere ſolet, quando gratiæ, indulgentiæ, ſive conceſſiones ejusmodi, quæ per nimiam quandoque importùnitatem petentium obtinentur, ſeu potiùs extorquentur, incipiunt eſſe damnoſæ. Sic *cap. ult. h. t. in 6.* Bonifacius VIII. revocavit omnes indulgentias, & conceſſiones, à ſe, vel ſuis Anteceſſoribus factas quibusdam Clericis, ut fructus Beneficiorum ſuorum poſſint percipere in abſentia: *Ex quo* (inquit Pontifex) *inſolentiæ oriuntur vagandi, & diſſolutionis præparatur materia, minuitur cultus Divinus, & officium plerumq; (propter quod Beneficium Eccleſiaſticum datur) omittitur.*

272 Reſp. II. Utrùm, & qua ratione Reſcripta juſtitiæ, ſeu ad lites, poſſint revocari à concedente, ſicque expirent, uberiùs declarabitur infrà *Tit. 29. De Officio, & Poteſtate Judicis Delegati.* §. 6. ubi agetur de ceſſatione officij Judicis delegati. Similiter, an, & quâ ratione amittantur, expirent, atque revocentur Reſcripta gratioſa, ſive Privilegia, propter non uſum, vel actum contrarium, aut per abuſum, ſive damnum ſuperveniens, per lapſum temporis, ceſſationem cauſæ, vel aliâ conſimili ratione; commodiùs, atque ex profeſſo dicetur *Lib. V. Decretalium, Tit. 33. De Privilegijs, & Exceſſibus Privilegiatorum.* Ibi videatur.

 TITU-

TITULUS IV.
De Conſuetudine.

1. *Ratio continuationis Rubricæ.*

1. Quia viſum eſt hactenus de Jure ſcripto, quod conſiſtit in Conſtitutionibus, & in Reſcriptis: meritò ſubjungitur de Jure non ſcripto, quod conſiſtit in Conſuetudine. Cæterùm præſentem Titulum ob materiæ amplitudinem, ſimul & utilitatem expedit majoris claritatis gratiâ in paragraphos dividere: Unde ſit

§. I.
De natura, & diviſione Conſuetudinis.

SUMMARIUM.

2. *Conſuetudo, unde ſic dicatur?*
3. *Sumitur tripliciter. I. Pro aſſuefactione alicujus.*
4. *II. Pro facto.*
5. *III. Pro jure.*
Conſuetudinis *nomen abſolutè poſitum, de qua intelligatur? Ibid.*
6. *Conſuetudo pro jure accepta, quid?*
7. *Dividitur variè juxta quatuor cauſarum genera. Et num. ſeqq.*
8. *Conſuetudo ſecundùm legem.*
9. *Conſuetudo præter legem, &*
10. *Conſuetudo contra legem, quid?*
11. *Cur contra Canones valeat conſuetudo, non autem Lex inferioris?*
12. *Conſuetudo Canonica, & Civilis, quæ?*
13. *Non datur tertium membrum, ſive Conſuetudo mixta.*
14. *Conſuetudo generaliſſima,*
15. *Generalis,*
16. *Et ſpecialis, quæ?*
Hæc prævalet generali. Ibid.
17. *Conſuetudo ſpecialiſſima, quæ?*
Non facit jus, ſed præſumptionem inducit. Ibid.
18. *Conſuetudo Judicialis, & Extrajudicialis, qualis?*
19. 20. & 21. *Qua ratione differat Conſuetudo à Legibus, & Statutis?*
22. *Atque à Traditionibus,*
23. *Et à Præſcriptione. Et num. ſeqq.*
Conſuetudo nequit induci à particularibus perſonis, benè tamen Præſcriptio. Ibid.
24. *Ex illa acquiritur publico, ex hac privato.*
Hæc fit cum damno unius, & lucro alterius: illa cum æquali damno, vel lucro omnium. Ibid.
25. *Ad conſuetudinem non requiritur Titulus.*
26. *Conſuetudo eſt favorabilis, Præſcriptio odioſa.*
27. *Et qualis conſuetudo ſit favorabilis?*
28. *Aliæ differentiæ inter hanc, & Præſcriptionem.*

2. Quæritur I. Unde derivetur, & quid ſit Conſuetudo? Reſp. I. Ordiendo à nominis etymologia, *Conſuetudo* dicitur à verbo *Conſueſco*, ſive *Conſuefacio*, hoc eſt, ſimul & ſæpiùs facio: quia videlicet non inducitur, niſi à majori parte Communitatis, ſimul ac ſæpiùs actum frequentantis.

3. Sumitur autem Conſuetudinis vocabulum generatim tripliciter, ut notat Bartolus *in l. De quibus. §. Veniamus. ff. de Legib.* Primò pro aſſuefactione hominis: prout ſumitur *l. Si ſervus plurium. ff. de Legat. I.* ibi: *Ante omnia ipſius patrisfamilias conſuetudo exquirenda eſt.* Sed hæc acceptio parùm facit ad propoſitum; & ſuo modo convenit ipſis etiam animalibus irrationabilibus, prout ſumitur *in §. Pavonum. Inſtit. de Rerum diviſion.* ibi: *In his autem animalibus, quæ ex conſuetudine abire, vel redire ſolent.*

Secundò, & magìs ad propoſitum noſtrum, accipitur Conſuetudo pro Facto, quod in frequentatione actuum, vel morum alicujus Communitatis conſiſtit: & *Conſuetudo* taliter accepta, nempe pro ipſomet uſu, ſive frequentatis actibus alicujus Populi, ſeu Communitatis, dicitur eſſe *Facti*, & *in Facto* conſiſtere; ut *cap. 1. de Conſtit. in 6.* ac notat Vallenſis *h. t. §. 1. n. 2.* Et hæc eſt via ad Conſuetudinem juris, illicò declarandam.

Tertiò tandem Conſuetudo ſumitur pro Jure, quod ex ejusmodi diuturno uſu, & frequentatis actibus naſcitur. Et Conſuetudo hoc poſteriori modo accepta dicitur *Jus non ſcriptum*, ut habetur §. *Ex non ſcripto. Inſtitut. de Jur. nat. gent. & civil.* ibi: *Ex non ſcripto jus venit, quod uſus approbavit: nam diuturni mores conſenſu utentium comprobati, Jus efficiunt.* Et de Conſuetudine taliter ſumpta loquimur in propoſito: ſicut & aliàs in dubio nomen *Conſuetudinis* intelligitur de Conſuetudine

ne jam præſcriptâ,ſeu ſumptâ pro jure ; nam hæc ſola propriè,& abſolutè dicitur Conſuetudo, per textum notabilem *in c. Cumana. 50.de Electíon.* ac notat Abbas *ibid. n. 4.* poſt Jo.Andreã. Jaſon. *l. De quibus. n.44.ff. de Legib.*& Maſcardus *de Probationibus, Concl.* 172. *n.* 11.citans alios.

Reſp. II. Conſuetudo hoc tertio modo accepta,aliud non eſt, quàm Jus moribus conſtitutum.Et definitur ab Iſidoro, relato *in can. 5. diſt. 1.* taliter: *Conſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur,cùm deficit lex.* Ubi particula illa,*cùm deficit lex,*vel poteſt omitti cum Engel *h. t. n.* 1. & quibusdam alijs; vel cum Vallenſi *h. t.§.1.-n.* 2. intelligenda eſt,quòd deficiat Lex,quando vel omninò non eſt lata,vel quando eſt ambigua,aut quando eſt inutiliter poſita, neq; moribus populi accommodata:juxta quod poſteà Conſuetudo dividitur in eam, quæ eſt præter legem,quæ eſt ſecundùm legem, & quæ eſt contra legem, ut mox ampliùs dicetur.

Quæritur II. Quotuplex ſit Conſuetudo ? Reſp. I. Conſuetudo generatim accepta juxta omnia quatuor cauſarum genera variè poteſt dividi: & imprimis quidem ex parte finis, ſive effectuum per ipſam intentorum, dividitur Conſuetudo in eam, quæ eſt ſecundùm legem, præter legem,& contra legem. Ita communis; & ratio eſt: quia finis, atque effectus primarius conſuetudinis, quandoq; eſt interpretari legem jam conditam, quandoq; jus novum conſtituere, & quandoque legi jam conditæ derogare, aut eandem penitùs tollere. Atqui ex hoc oriuntur tria iſta membra datæ diviſionis ; prout patebit inductione, atque explicatione ſingulorum membrorum. Siquidem

Conſuetudo ſecundùm legem eſt illa,quæ legem jam præexiſtentem ſupponit,eamque vel deducit in uſum,vel ſi ambigua eſt, interpretatur. Unde hæc jus novum non conſtituit, ſed aut dubium interpretatur, juxta *l. Si de interpretatione. ff. de Legib.* ibi : *Optima enim eſt legum interpres Conſuetudo.* Quod ipſum habetur *in c. Cùm dilectus.* 8.*h.t.* Aut jus præexiſtens confirmat, & adjuvat deducendo illud in opus,juxta illud can. 3. diſt. 4. *Leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur.* Concordat c. Sopitæ. de Cenſibus, ibi: *Inde utique vidimus,intentionem tuam jure communi, & prædeceſſorum tuorum conſuetudine adjuvari.* Quamquàm hic poſterior effectus ipſimet legi rite promulgatæ potiùs conveniat,quàm conſuetudini, eò quòd ad intrinſecam legis conſtitutionem,& firmitatem ejus eſſentialem,non requiratur populi acceptatio,vel conſuetudo ipſam in praxin deducens,licèt per hanc accidentaliter perficiatur,ut jam alibi dictum.

9. *Conſuetudo præter legem* (quæ & *Juris conſtitutiva* dicitur) eſt illa, quæ reperitur in caſibus illis, qui à Jure communi non ſunt deciſi. Unde hujus Conſuetudinis munus eſt, conſtituere jus novum ubi lex deficit,ſeu nulla poſita fuit: eaq; non minùs in conſcientia, quàm in Foro externo obligat; cùm idem operetur tacitus, atque expreſſus conſenſus, *l. De quibus. ff. de Legib.* ibi: *Id cuſtodiri oportet,quod moribus, & conſuetudine introductum eſt &c. Nam quid intereſt,ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis?* Concordat textus *l. Cùm quid. ff. Si certum petatur;* ubi Summarium ſic habet: *Quod agitur tacitè, pro expreſſo habetur.*

Tandem *Conſuetudo contra legem* (quæ & *Deſuetudo*, ſeu *Conſuetudo legi contraria* appellatur) eſt 10.
illa,quâ lex ſcripta,vel uſu nunquam recipitur, vel jam recepta denuò contrarijs moribus tollitur,uſuque longævo abrogatur. Et de hac fit mentio *in cap. ult. h. t.* ac de ipſa,ejúsque requiſitis, in progreſſu præcipue agetur.

Nec dicas. Inferiores Papâ non poſſunt condere legem,ſive Statutum contra ſacros Cano- 11.
nes, *c. Cùm inferior. 16. de Majorit. & obed.* cum ſimilibus; ergo nec inducere conſuetudinem contra eos: & conſequenter nulla datur conſuetudo contra Canones. Reſp. enim neg. conſequent. Diſparitas autem inter legem, & conſuetudinem, ab inferioribus contra Canones inducendam, hæc eſt: quia in priori caſu penitùs deeſt conſenſus Principis, ſeu Papæ ; idque præcipuè propter periculum animarum, ut *Tit. 2. De Conſtitutionibus.* §. 4. *num.* 81. *& ſeqq.* fuſiùs dictum eſt. Secùs eſt in conſuetudine, cæteroquin tamen rationabili: nam quia lex tota ordinatur ad bonum commune Subditorum,ſi longâ experientiâ, optimâ rerum magiſtrâ, conſtet, Legem ſive Canonem à Subditis non obſervari, ſicque eam non eſſe moribus hominum accommodatam, imò potiùs deſervire ad laqueum conſcientiarum,quàm ad utilitatem Subditorum: tunc ea à Legislatore Subditorum infirmitati condeſcendente, cenſetur per conſenſum ſaltem tacitum,atque legalem, denuò revocari; cùm ſit deſtituta fine ſuo,juxta *cap. ult. h. t.* cum concordantijs. Unde in tali caſu,re meliùs perpensâ,privati ſeu Subditi non tollunt legem Superioris, ſed hanc tollit ipſe Superior cònſenſum præſtando tali conſuetudini, ac Jure communi ſtatuendo, quòd per contrariam conſuetudinem rationabilem, & legitimè præſcriptam,poſſit tolli Jus poſitivum humanum. Abbas *cap. 1. num. 4. de Treuga & pace*: atque ampliùs dicetur infrà *§.5. n.*140.

Reſp. II. Inſuper Conſuetudo ut ſic ratione 12.
materiæ dividitur in Canonicam, & Civilem. Siquidem,conſuetudo eſt jus non ſcriptum, habétque vim, & rationem legis; ergo, ſicut lex ratione diverſæ materiæ, circa quam verſatur, rectè dividitur in Eccleſiaſticam,& Civilem, ita & conſuetudo. Cæterùm *Conſuetudo Eccleſiaſtica*, ſive *Canonica* eſt, quæ circa materiam ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam verſatur. *Civilis* autem, quæ circa materiam temporalem, ſeu ſpectantem ad rectam gubernationem Reipublicæ circa res profanas occupatur.

Ex quibus deducitur,quòd non detur tertium 13.
membrum,videlicet *Conſuetudo mixta* : ut ſi Clerici,& Laici,in eadem re conveniunt. Nam vel talis ſpectat ad materiam ſpiritualem,ſervatúrque tam à Clericis,quàm à Laicis,quatenùs ſunt

Ff 3 Chri-

Chriſtiani; & vocatur *Conſuetudo Canonica*: qualis eſt conſuetudo ſervandi dies Feſtos in honorem Dei,& Sanctorum,ac hujusmodi. Vel conſuetudo illa eſt de re merè profana,& pertinente ad commune bonum politicum, rectámque gubernationem Reipublicæ, ſive Civitatis; & abſolutè vocatur *Civilis*: quia cuſtoditur etiam à Clericis,non quatenus ſunt Clerici,ſed quatenus ſunt Cives,& membra Communitatis.Suarez *lib.7. de Legib. cap. 5.n.1*.Pirhing *h.t.n.7*.&alij.

14 Reſp. III. Rurſus Conſuetudo ex parte cauſæ efficientis,ſeu juxta diverſas Communitates, à quibus ortum habet,dividitur in generaliſſimã, generalem,ſpecialem,& ſpecialiſſimã. Ita Hoſtienſis *in Summa n.11.h.t.* Et quidem *Conſuetudo generaliſſima* eſt, quæ non tantùm in aliqua Civitate,vel Provincia; ſed in toto Romano Imperio, vel univerſo Orbe Chriſtiano obtinet, & pro Lege ſervatur. Tales ſunt Conſuetudines Feudales,item Conſuetudines illæ Eccleſiaſticæ, de quibus fit mentio in *can. Eccleſiaſticorum. diſt.* 11.

15 *Conſuetudo generalis* eſt, quæ nõ omnes Chriſtianos,nec totum Romanum Imperium, ſed certam aliquam Provinciam obſtringit. Et de tali Conſuetudine generali fit mentio *c. Cùm Eccleſia de Electiõ. & c. Ex tuarum. de authorit. & uſu Pallij*; ubi Abbas *num.* 3. breviter inquit: *Conſuetudo generalis dicitur, quæ ſervatur in una Provincia.*

16 *Conſuetudo ſpecialis* appellatur,quæ in aliqua Urbe, pago,aut villa habetur: & de hac fit mentio in *c. Venientes* 19. *de Jurejurand.* ibi: *Secundùm veſtræ Civitatis conſuetudinem.* Item *l. An in totum. C. de Ædific. privat. & l. Venditor. §. Si conſtat.ff.Communia prædior. &* alibi. Et hujusmodi conſuetudo ſpecialis prævalet generali, eíque derogat, quando ſunt incompatibiles, juxta Reg. 34. Juris in 6. *Generi per ſpeciem derogatur.* Aut,ſi ſe compatiuntur,tunc conſuetudo generalis recipit interpretationem à magis ſpeciali. Card. Tuſchus *Litt. G. Concl. 36.n.*41. Barboſa *Axiomat.* 107. *n.* 3. *&* 12.

17 *Conſuetudo ſpecialiſſima* vocatur illa,quæ ſervari conſuevit ab aliqua minima parte populi: puta, ab aliqua Communitate imperfecta,vel à Patrefamilias,ut *l. Si ſervus plurium.§.fin. ff. de Legat. 1. & l. Qui ſemiſſes. ff. de Uſuris.* Et iſta parùm deſervit ad propoſitum: hæc enim jus non facit (cùm non procedat à majori parte Communitatis) ſed duntaxat præſumptionem inducit, cui ſtatur, niſi contrarium probetur, per *Leg. cit.* juncto *c. Ex ſtudijs. & c. Mandata. de Præſumption.* Hoſtienſis *loc. cit. n* 12.

18 Reſp. IV. Ulteriùs Conſuetudo ex parte cauſæ formalis dividitur in judicialem,& extrajudicialem. Zaſius *tit. de Legib.ff. num. ult.* ac alij. Et quidem *Conſuetudo judicialis* nuncupatur, quæ pluribus ſententijs conformibus, ſuper eodem cauſarum genere prolatis, obtinuit in Judicio: id eſt,quando ad minùs bis pariformiter judicatum fuit circa cauſas ſimiles in judicio contradictorio intra decennium. Gloſſa *in l. De quibus. §. Inveterata.* & ibi Bartolus *ff. de Legib.* Quòd ſi verò quandoque ſecundùm eam, & quandoque contra eam fuit judicatum, nulla oritur conſuetudo. Gloſſa *l. Cùm de conſuetudine. ℣. Contradicto. ff. eod.* Econtrà *Conſuetudo extrajudicialis* eſt illa, quæ longo uſu populi extra judicium inducitur.

Quæritur III. Quâ ratione Conſuetudo differat à Legibus, & Statutis? Reſp. Differre in multis. Et primò quidem: quia Lex, vel Statutum, eſt jus ſcriptum; Conſuetudo autem, jus non ſcriptum. Hoc tamen oportet intelligere in ſano ſenſu: nam non repugnat conſuetudini,quòd ex poſtfactò in ſcripturam redigatur; prout *Jus Feudale* adhuc hodie dicitur *Jus conſuetudinarium*, haud obſtante,quòd in Corpus Juris Civilis ſit redactũ.Sufficit ergò,quòd conſuetudo in primo ſui exordio, non ex ſcripto, vel præcepto alicujus Legislatoris, ſed ex uſu & moribus utentium deſcenderit, neque poſteà tanquam nova Lex per aliquem Legislatorem ſit præcepta. Imò etiam *Lex* dicitur *Jus ſcriptum*, non quòd ſcriptura ſit de eſſentia legis,cùm ſufficiat,ſi ad mandatum Legislatoris promulgetur voce præconis: ſed ad differentiam Conſuetudinis, & quia Lex communiter ſtatim à principio ſolet redigi in ſcripturam. 19

Secundò differunt,quòd Leges, & Statuta,in facto minorem recipiant dubitationem, quàm Conſuetudo. Illæ ſiquidem, cùm jam ſint ſolemniter publicatæ, probatione ampliùs vix indigent: econtrà verò magna plerumque eſt difficultas in probanda conſuetudine; nam ob plures conditiones ad conſuetudinem réquiſitas, de quibus in progreſſu, Gloſſa *fin. in cap. ult. h. t.* optimè notavit, *quòd difficile ſit,probare conſuetudinem.* 20

Tertiò differunt: quia Conſuetudo cauſatur à conſenſu tacito; Lex verò,& Statutum à conſenſu expreſſo,ut *l. De quibus. ff. de Legib.* Tacentur aliæ differentiæ paſſim excogitabiles, ac minoris momenti. 21

Quæritur IV.Quomodo Conſuetudo differat à Traditionibus?Reſp.Differre potiſſimùm per hoc,quòd Traditio ſupponat jus antiquũ, & potiùs vices promulgationis ſubeat;ut patet in illis Traditionibus,quas circa Jus Divinum,& Sacras Leges,ab Apoſtolis perpetuo conſenſu Eccleſiæ accepimus. Secùs fit in Conſuetudine,quæ regulariter conſtituit novum jus. Engel *h. t. n.*2. 22

Quæritur V.Quomodo differat Conſuetudo à Præſcriptione? Reſp. Plures paſſim afferri differentias. Primò ſiquidem,ac principaliter differunt,quòd Conſuetudo non poſſit induci à particularibus perſonis: Secùs eſt in Præſcriptione,quæ cadit inter privatum,& privatum. Et hanc eſſe ſubſtantialem differentiam,tradit Abbas *in cap. ult. n.* 20. *h. t.* Geminianus *Conſil.* 123. *Pro clariori,in princ.* & Card. Tuſchus *Litt.C. Concl.* 801. Engel *h.t. n.* 5. & alij. 23

Secundò differunt: quia Conſuetudo tendit ad inducendũ jus comune,ſeu univerſaliter omnes afficiens in loco,ubi viget: Præſcriptio autem reſpicit acquiſitionẽ juris in particulari. Per hanc quippe nemini acquiritur jus, niſi illi, qui 24

per

per ſe, vel per alium, debito tempore uſus eſt. Conſuetudo econtrà neminem excipit, & extenditur tam ad utentes, quàm non utentes: ipſa enim eſt jus non ſcriptum univerſaliter conſtitutum, & habet vim legis, qualis debet eſſe communis, *can. Erit autem lex. diſt* 4. *& L.* 1. *ff. de Legib* Unde paucis loquendo, ex Conſuetudine acquiritur publico: ex præſcriptione acquiritur privato. Hoſtienſis *in Summa, tit. de Conſuetudine. n.* 13. Card. Tuſchus *cit. Concl.* 801. *n.* 1. Fagnanus *in c. Venerabili. n.* 26. *de Cenſibus*, citans alios. Item, Præſcriptio fit cum damno unius, & lucro alterius: Conſuetudo autem cum æquali damno, vel lucro omnium. Unde ſi agatur de tollendo jus uni, & acquirendo alteri, dicitur præſcriptio, non conſuetudo: quamquàm hi termini non raro promiſcuè uſurpentur. Card. de Luca *Diſcurſ.* 34. *de Jurisdictione*, *n.* 28. citans alios.

Tertiò, in Præſcriptione contra jus requiritur titulus, & bona fides, *c. Si diligenti.* 17. *de Præſcriptionib.* ac ſuo loco ampliùs dicetur. Econtrà ad Conſuetudinem non requiritur titulus: nullo enim Jure hoc cavetur, imò potiùs oppoſitum innuitur; eò quòd conſuetudo ſit jus quoddam moribus conſtitutum, quod habet vim legis; ſicque ad eam ſufficiat voluntas, & tacitus utentium conſenſus tempore à Jure definito continuatus. Abbas, & Hoſtienſis, *ubi ſuprà.* Barboſa *in Collectaneis, ad cap. ult. n.* 21. *h. t.* citans alios. An autem ad inducendam Conſuetudinem requiratur bona fides, infrà *n.* 141. *& ſeqq.* examinabitur.

Quartò differunt ex eo: quia Conſuetudo eſt favorabilis, Præſcriptio autem odioſa. Fagnanus *in c. Venerabili. n.* 26. *de Cenſibus.* Card. de Luca *de Servitutibus, Diſcurſ.* 28. *n.* 6. id deſumens ex eo: quia Præſcriptio reſpicit jus privatum; Conſuetudo autem jus publicum, ſeu univerſale, proportionabiliter & diſcretivè acquirendum.

27 Cæterùm hoc, quòd Conſuetudo ſit favorabilis, ſicque extendenda, intelligendum eſt de illa, quæ non eſt contra jus, neque in præjudicium tertij: qualis proinde, utpote nemini præjudicans, extenditur ab uno caſu ad alium, *arg. L.* 1. *C. Quæ ſit longa conſuetudo. & l. De quibus. ff. de Legib.* Et ſi deeſt propria, attenditur, quæ eſt in locis vicinis, *c. Super eo. de Cognat. ſpirit.* atque infrà *n.* 163. ampliùs dicetur. At verò Conſuetudo contra Jus commune eſt ſtricti juris, & tantùm habet de potentia, quantùm de uſu & actu; adeóque ultra id, quod actum eſt, non extenditur. Bartolus *in Auth. Qui rem. n.* 8. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Maſcardus *de Probationibus, Concl.* 423. *n.* 15. Vallenſis *h. t. §.* 3. *n.* 1. Pirhing *eod. n.* 15. & alij. Quod ipſum obſervat Fagnanus *in c. Cùm contingat. n.* 10. *de Decimis*, dicens, licèt aliàs conſuetudo ſit favorabilis, & extendenda, hoc tamen eſſe verum in materia non multùm præjudiciali; aliàs ſecùs.

28 Differunt ulteriùs, quia Conſuetudo erronea nihil juvat: ſiquidem ad eam inter alia requiritur, ut ex certa ſcientia, & non per errorem ſit inducta, juxta communiter receptam Gloſſam *fin. c. ult. ℣. Legitimè. h. t.* Econtrà Præſcriptio erronea valet, quia ad hanc ſufficit Titulus putativus. Rurſum differunt, quia Præſcriptio eſt actionis, ſeu petitionis excluſio; Conſuetudo verò eſt actionis, ſeu juris acquiſitio. Tacentur aliæ differentiæ levioris momenti, quas tum Gloſſa *loc. cit.* tum Vallenſis *h. t.* §. 3. *n.* 6. & alij Doctores paſſim afferunt.

§. II.

De Conditionibus ad Conſuetudinem requiſitis, & cumprimis de ejus rationabilitate.

SUMMARIUM.

29. *Conditiones conſuetudinis plures à Gloſſa requiſitæ.*
30. *Omnes illæ reducuntur ad duas, nempe ut Conſuetudo ſit rationabilis, & legitimè præſcripta.*
31. *In declarando, quæ conſuetudo generatim cenſeatur rationabilis, nec ne, variant Doctores. Et n. ſeqq.*
32. *Rejicitur ſententia Navarri.*
33. *Aliorum opinio refertur, ſed relinquitur.*
34. *Vera Sententia ſtatuitur. Et n. ſeqq.*
35. *Minùs requiritur ad abrogationem, quàm ad introductionem juris.*
36. *Irrationabilis eſt conſuetudo, quæ Juri naturali, aut Divino adverſatur.*
37. *Aut à Jure Canonico reprobatur.*
38. *Vel peccandi licentiam, ſeu occaſionem præbet.*
39. *Aut bono communi pernicioſa eſt.*
40. *Lex, & contraria Conſuetudo, poſſunt ſimul eſſe rationabiles ex diverſo reſpectu.*
41. *An hæc vel illa in particulari conſuetudo ſit rationabilis, nec ne, Judicis arbitrio relinquitur.*
42. *Ad hoc dijudicandum, quid Judex attendere debeat?*
43. *In dubio præſumitur conſuetudo rationabilis.*
44. *Tribus modis poteſt Jus reſiſtere conſuetudini.*
45. *Si Jus reprobat conſuetudinem ut corruptelam, cenſetur ipſa irrationabilis, ac nullo tempore induci poteſt.*
46. *Niſi nova ſuperveniat cauſa tollens iniquitatem, quæ priùs ei ineſſe videbatur.*
47. *Si lex prohibet induci conſuetudinem, hæc non poteſt induci tempore ordinario.*
48. *Limitatur hoc.*

49. Va-

49. *Valet tamen conſuetudo immemorialis poſtmodùm inducta.*
50. *Contraria quorundam Doctorum ſententia quoad priorem partem refertur.*
51. *Clauſula prohibitoria inducendæ conſuetudinis nequit referri ad ſolos Judices.*
52. *Alia quorundam diſtinctio non improbabilis circa hoc.*
53. *Lex derogatoria conſuetudinis ſub clauſula,* Nullâ obſtante conſuetudine; *tollit conſuetudines præſentes, non futuras. Et n. ſeqq.*
54. *Solvitur objectio.*
55. *Quid dicendum de conſuetudine immemoriali? Remiſſivè.*

29 QUæritur I. Quænam generatim conditiones ad legitimam Conſuetudinem requirantur? Reſp. I. Conditiones ad conſuetudinem legitimè introducendam requiſitæ, præſertim ut ipſamet præjudicet Iuri communi, plures ſolent adduci; ut videre eſt apud citatam Gloſſam *fin. cap. ult. h. t.* ubi fermè decem, vel undecim hujusmodi conditiones diſtinguit, atque ex diverſis textibus Juris probare nititur.

30 Reſp. II. Nihilominus ejusmòdi conditiones vel re verâ non ſunt neceſſariæ ad inducendam legitimam conſuetudinem, vel commodè reducuntur ad duas illas conditiones, quæ referuntur *in cit. cap. ult. h. t.* ubi dicitur, quòd Conſuetudo non deroget Juri naturali, ac Divino, nec etiam poſitivo humano, niſi fuerit *rationabilis, & legitimè præſcripta.* Verba poſteriora citati Capituli ſic ſonant. *Licèt etiam longævæ conſuetudinis non ſit vilis authoritas: non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta.* Hæc ibi: Neque in re diſſentit Gloſſa *cit. loc.* eò quòd in fine videatur recedere ab älijs conditionibus priùs à ſe enumeratis, & ſolùm exigere rationabilitatem, & curſum temporis, ſive quòd conſuetudo ſit præſcripta. Itaque præfatas duas conditiones præ cæteris examinando, & alias interim differendo,

31 Quæritur II. Quænam Conſuetudo generatim cenſeatur eſſe rationabilis, & quæ irrationabilis? Reſp. I. Circa hoc magna reperitur Doctorum varietas, atque ſententiarum diverſitas in declarando, quænam conſuetudo cenſeatur rationabilis, & quæ irrationabilis; uti videre eſt apud Gloſſam *cap. ult. ℣. Rationabilis.* & Abbatem *ibid. n. 5. h. t.* Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 6.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 4. n. 14. & alios.* Et quidem

32 Imprimìs Navarrus *Conſil. 3. de Cenſibus. n. 4.* & nonnulli alij, quos refert Sanchez *cit. n. 14.* illam ſolam conſuetudinem, ajunt, cenſeri irrationabilem, ita ut præſcribi non poſſit, quæ Juri naturali aut Divino adverſatur. Sed hæc ſententia non placet, cùm etiam Conſuetudo illa, quæ à Sacris Canonibus reprobatur ut corruptela, ſit irrationabilis, & nunquam præſcribi poſſit; quamvìs ex objecto non pugnet cum Jure naturali, aut Divino, quinimò per privilegium Summi Pontificis poſſit ſubſiſtere, ut infrà *n. 65. & ſeqq.* dicetur. Unde *cit. cap. ult. h. t.* notanter dicitur, Conſuetudinem *, ut Juri poſitivo* (humano) *præjudicium generet*, debere eſſe *rationabilem*: quod ultimum ſuperfluè apponeretur, ſi omnis ea conſuetudo cenſeretur rationabilis, quæ Juri naturali, aut Divino non adverſatur; nam quòd nulla conſuetudo valeat contra Jus naturale, & Divinum, ibidem jam in prioribus verbis definitum erat.

3[3] Alij volunt, tunc Conſuetudinem cenſeri rationabilem, quando de eadem re, de qua eſt conſuetudo, juſta eſſet lex, ſi qua conſtitueretur priori mutatâ. Rationem dant: quia conſuetudo inſtar legis eſt, & habet vim legis ex tacito conſenſu; ergo, ut ſit rationabilis, debet eſſe de re honeſta, & utili Reipublicæ, non minùs ac lex. Ita Sanchez *cit. lib. 7. de Matrim. diſp. 4. n. 14.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 3. punct. 2. §. 1. n. 1.* Bonacina, Barboſa, pluresque alij. Verùm hæc reſponſio, quamvìs cæteroquin ſit bona, videtur explicare rationabilitatem conſuetudinis per æquè obſcurum: illicò enim redit quæſtio, quænam Lex generatim cenſenda ſit rationabilis. Unde dimiſſis hiſce opinionibus, ſimùlque clariùs

3[4] Reſp. II. Ea *Conſuetudo* generatim loquendò eſt *irrationabilis*, quæ vel Juri naturali, aut Divino adverſatur, vel à Jure Canonico reprobatur, vel peccandi licentiam, aut occaſionem præbet; vel aliâ ratione communi utilitati perniciosâ eſt: quæ verò in nullo horum deficit, cenſetur *rationabilis.* Ita Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 6. n. 10.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 17. quæſt. 5.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 4.* & plures alij, quos citat.

Ratio poſterioris partis eſt. Quia illa, quæ nec Juri naturali, aut Divino adverſantur, neque à Sacris Canonibus reprobantur &c. jam ſe indifferenter habent, ut occurrente aliquâ causâ, ſive pro bono Communitatis, poſſint per legem, aut conſuetudinem conſtitui, & multò magìs per hanc tolli, ſeu abrogari. Dicitur notanter, *multò magìs*: nam ad Juris introductionem requiritur, ut poſitivè ad publicam utilitatem conferat; ad ejusdem verò abrogationem vi contrariæ conſuetudinis ſufficit, ut hæc communi utilitati non adverſetur.

3[5] Prior verò pars probatur inductione. Et quidem Conſuetudinem illam, quæ Juri naturali, aut Divino adverſatur, eſſe irrationabilem; patet *ex cap. ult. h. t.* ubi talis Conſuetudo appellatur corruptela. Unde & Chriſtus tales conſuetudines reprobavit, Matth. 15. ibi: *Quare & vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtram?*

Deinde, quòd Conſuetudo illa, quæ à Iure Canonico reprobatur, ſit cenſenda irrationabilis, patet ex eo; quia judicare inter ſanguinē & ſanguinem, inter lepram & lepram, inter cauſam & cauſam, atque ſecernere virtutē à vitio, veritatē ab errore, ſalubria paſcua à noxiis, vel maximè ad Sedē Apoſtolicā, ipſumq; Chriſti in terris conſtitutum Vicarium, & Conditorem Canonū, ſpectare dignoſcitur; ut *c. Per venerabilem. 13.*

Qui

Qui filij ſint legit. & *c. Solitæ. 6. de Majorit. & obed.* & *c. Novit.* 13. *de Judicijs.* Si igitur à Canone reprobetur conſuetudo, veluti irrationabilis, & corruptela, quis Fidelium Chriſtianorum eam audebit dicere rationabilem?

Inſuper Conſuetudinem, quæ peccandi licentiam, vel occaſionem præbet, non valere, conſtat *ex c. Ex parte.* & *cap. ult. h. t.* cum ſimilibus. Unde hujusmodi conſuetudo nutritiva peccati omnimodis eſt extirpanda, juxta *c. Extirpandæ. de Præbend.* ibi: *Extirpandæ conſuetudinis vitium.* Et ratio eſt: quia tantò graviora ſunt peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, *d. cap. ult. h. t.* Simúlque *diuturnitas temporis non diminuit peccata, ſed auget;* ut dicitur *in c. Non ſatis.* 8. & *c. Cùm in Eccleſia.* 9. *de Simonia.*

Tandem Conſuetudinem, quæ bono communi pernicioſa eſt, eſſe irrationabilem, ac proinde invalidam, patet ex eo: quia conſuetudo pro lege ſuſcipitur; ergo, ſicut lex non niſi ob bonum commune Reipublicæ ferri poteſt, *can. Erit autem lex. diſt.* 4. ita & conſuetudo: & alioquin tam hæc, quàm illa, foret injuſta, & irrationabilis.

Dices. Omnis lex debet eſſe rationabilis, juſta, & Reipublicæ utilis, *cit. can. Erit autem lex. diſt.* 4. ergo hoc ipſo quælibet conſuetudo legi contraria erit irrationabilis, injuſta, ac bono communi pernicioſa? Reſp. neg. conſequent. Quia nihil impedit, quòd lex ſecundùm unam rationem, & in ordine ad certum finem, vel reſpectum fuerit rationabilis; ſimúlque conſuetudo eidem contraria ſecundùm aliam rationem, ac ſub diverſo reſpectu, & fine, etiam ſit rationabilis, ut inquit Abbas *cap. ult. n. 6. h. t.* Sicut etiam duæ oppoſitæ ſententiæ non rarò ſimul ſunt probabiles; atque duæ contrariæ leges (prout accidit in mutatione, & abrogatione legum) ſolent eſſe rationabiles, ut *c. Non debet. de Conſanguin. & affinit.*

1 Reſp. III. Loquendo in ſpecie, ſive in caſibus particularibus, num hæc vel illa Conſuetudo ſit rationabilis, nec ne, id prudentis Judicis arbitrio relinquendum eſt. Ita Gloſſa *in cap.* 1. *V. Rationabilia. de Conſtitut. in 6.* Abbas *cap. ult. n. 5. h. t.* Hoſtienſis, & alij communiter. Ratio eſt: quia diverſis rationibus inſpectis benè poteſt nonnunquam conſuetudo hinc videri rationabilis, illinc irrationabilis: ut ſi ex objecto ſpectata, ſit quidem honeſta, & bono communi conducens, tamen ob ſupervenientes circumſtantias non nihil vitietur, aut econtrà: unde tunc Judicis arbitrio id relinquitur diſcutiendum, quando in Jure non reperitur deciſum.

2 In praxi autem oportet omnia diligenter perpendere, & ponderare rationes hinc inde militantes, attendendo ſimul ad conſuetudines alias, quæ in Jure reperiuntur vel approbatæ, vel rejectæ ac improbatæ; & ſicuti prudens Judex viderit, conſuetudinem illam, de cujus rationabilitate controvertitur, magìs accedere ad aliam ſimilem, quæ quandam habet Juris aſſiſtentiam, vel reſiſtentiam, ſecundùm eam judicabit, *arg. l. Non poſſunt. ff. de Legib.* Abbas *cit. cap. ult. n.* 5. & Jo. Andreas *ibid. h. t.*

Quòd ſi verò penſatis omnibus adhuc remaneat dubiũ ſuper rationabilitate conſuetudinis, præſumenda erit rationabilis, ac bono comuni expediens. In dubio enim favor conſuetudinis, veluti in poſſeſſione exiſtentis, erit firmandus, juxta *Reg. 65. Iuris. in 6.* ac tradit Baldus *c. Cùm veniſſent. n. 5. De eo, qui mittitur in poſſeſſ.* dictam præſumptionem ulteriùs ſuadens ex eo, quia ſic civibus placuit, *arg. L.* 1. junctâ Gloſsâ, *V. Ratus. ff. de Poſtuland.* ubi pro ratione legis affertur judicium, & voluntas Legislatoris, qui ratus fuit ita expedire. Idem tenent Suarez *cit. lib. 7. de Legib. cap. 6. n.* 15. Caſtro Palao *cit. §. 1. n.* 5 & alij. 43

Quæritur III. Utrùm Conſuetudo, cui Jus reſiſtit, hoc ipſo ſit cenſenda irrationabilis, ac proinde invalida? In reſolutione hujus Quæſtionis ſunt diſtinguendi tres diverſi modi, quibus Jus poteſt reſiſtere conſuetudini: quia aut hoc fit reprobando conſuetudinem ut corruptelam; aut eam ſimpliciter prohibendo, ne inducatur; aut clauſulam derogatoriam adhibendo. Quo prænotato 44

Reſp. I. Quando Jus, ſive Lex reſiſtit conſuetudini ipſam penitùs reprobando tanquam irrationabilem, & corruptelam, tunc ea pro tali eſt habenda, ac nullo tempore etiam imemorabili induci poteſt. Ita communis; atque deſumitur ex *c. Cùm venerabilis.* 7. & *cap. ult. h. t.* ubi dicitur, quòd talis *non tam conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda;* ac proinde, quantocunque tempore duraverit, impoſterùm non ſervanda. Accedunt dicta, & rationes ſuprà *n.* 37. allatæ. 45

Limita nihilominus hanc Concluſionem, ipſâque intellige: Niſi nova ſuperveniat cauſa, tollens iniquitatem, quæ ab initio ineſſe videbatur conſuetudini, quando Legislator ipſã ut iniquã reprobavit. Nam frequens, & veriſſima ſententia habet, quoties lex reprobat conſuetudinẽ ut iniquã, ſicq; ipſi etiam futuræ derogat, poſſe ex nova cauſa, quæ tollit iniquitatẽ illã, induci conſuetudinem adversùs eam legem; prout notavit Gloſſa *in cap.* 1. *V. Expreſsè. de Conſtitut. in 6.* junctâ Gloſsâ marginali, ibi: *Niſi conſuetudo juvaretur novâ ratione.* Abbas *cap. ult. n. 24. h. t.* id probans *ex c. Non debet. de Conſang. & affinit.* ubi dicitur, non debere reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum (ſive rationum) leges mutentur. Et *l. Si hominem. ff. Mandati*, ubi generalis Procurator poteſt ex juſtâ causâ de novo ſuperveniente, vel anteà ignoratâ, mutare ea, quæ à domino ſpecialiter ſunt proviſa. Sanchez *lib 7. de Matrim. diſp. 4. n.* 14. allegans plures alios. Idem, præter Jura jam allegata, probatur ex eo: quia ratio legis, eſt anima legis; ergo ſuperveniente novâ ratione, ſive causâ, quæ tollit iniquitatem prioris conſuetudinis, cenſetur etiam tolli ipſamet lex hanc reprobans, *arg. c. Intelligentia. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus. 46

Reſp. II. Si lex ſimpliciter prohibeat, conſuetudinem contra legem induci, eam tamen veluti irrationabilem non damnet, non valet conſuetudo poſteà contra ejusmodi legem tempore or- 47

ordinario inducta, benè tamen conſuetudo immemorialis. Prior pars eſt Abbatis *cap. 2. n. 7. & 8. de Probat.* Bartoli *l. De quibus. in 10. Oppoſit. ff. de Legib.* Covarruviæ *lib. 3. var. reſolut. cap. 13. n. 4.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 7.* & aliorum; quamvìs non deſint oppoſitum tenentes, ac *n. 50.* allegandi. Ratio eſt: quia in tali caſu deeſt conſenſus legalis, ad conſuetudinis valorem neceſſariò requiſitus: Lex enim ſemper loquitur; *arg. l. Arriani. C. de Hæretic.* & conſequenter, ſi prohibet induci conſuetudinem in contrarium, eam ſemper prohibet, ac reprobat.

48 Hoc tamen limita cum Abbate *cit. cap. 2. n. 8.* & alijs: Niſi ſuperveniat nova cauſa, vel innoteſcat antiqua aliqua, quæ ſi anteà jam extitiſſet, aut detecta fuiſſet, veriſimiliter Princeps talem conſuetudinem non prohibuiſſet; & hoc per Jura, & rationes *n. 46.* allatas. Deinde idipſum limita cum Layman *cit. n. 7.* quando Princeps, conſuetudinis de novo introducendæ conſcius, eam non prohibet, cùm prohibere poſſit: tunc enim non deeſt conſenſus ejus ad contrariam conſuetudinem introducendam requiſitus, quin potiùs ipſemet Princeps tacitè priorem legem revocare cenſetur.

49 Altera pars Concluſionis, videlicet valituram conſuetudinem immemorialem, ſi talis poſtmodùm induceretur, traditur à Covarruvia *cit. cap. 13. n. 5.* poſt Baldum *L. unic. C. de Annonis.* & alios; idémque tenet Alexander *Conſil. 6. n. 4. vol. 1.* Barboſa *Clauſul. 87. n. 4.* Maſcardus *de Probationibus, Concl. 424. n. 4.* Layman *cit. n. 7.* cum alijs. Siquidem conſuetudo immemorialis habet majorem vim, & authoritatem, quàm aliæ conſuetudines; ut patet *ex l. Hoc jure. §. Ductus aquæ. ff. de Aqua quotidian.* ergo neceſſe eſt, ut ei ſpecialiter ac expreſsè derogetur, alioquin valebit. Exemplum hujus extat *in c. Si Epiſcopus. de Pœnit. & remiſſ. in 6.* ubi dicitur, nullâ poſſe conſuetudine induci, quòd aliquis præter ſui Superioris licentiam poſſit ſibi eligere Confeſſarium; & tamen ante Concilium Tridentinũ ſimplices Presbyteri ſibi invicem confitebantur, ſuffragante videlicet ipſis conſuetudine immemoriali, quam poſtmodùm expreſsè revocavit Conciliũ Trident. *Seſſ. 23. cap. 15. de Reform.* Barboſa *loc. cit. n. 5.*

50 Quinimò non pauci Doctores, ut Navarrus *tom. 1. Comment. de Spolijs Clericorum. §. 14. n. 8.* Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 9. n. 21.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 17. quæſt. 10.* volunt, quòd, ſi lex ſimpliciter prohibeat introduci conſuetudinẽ, non verò eam damnet ut irrationabilem, adhuc contra eã tempore ordinario præſcribi poſſit. Quia (inquit Navarrus *loc. cit.*) licèt ex tali prohibitione pateat, contrarium aliquâ ratione magìs placere Legislatori; nihilominùs, dum conſuetudo illa nec directè, nec indirectè contraria exiſtit legi naturali, aut Divinæ, hoc ipſo veluti rationabilis tempore ordinario præſcribi, atque induci poterit. Verùm iſtud Navarri fundamentum jam ſuprà *n. 32.* rejectum fuit.

51 Quòd ſi forſan nonnemo dicat, ejuſmodi clauſulam prohibitoriam ſolummodò ad Judices referri, prohibendo videlicet ipſis, ne patiantur conſuetudinem aliquam adversùs legẽ induci. Contrà eſt: tum quia hoc eſt generale omnibus legibus: nam parùm eſt, Jura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur, *c. Ubi periculum. §. Prætereà. de Elect. in 6.* Tum quia clauſula ſimpliciter prohibitoria conſuetudinis inducendæ, vi verborum aliud importat, eò quòd prohibeatur ipſa conſuetudo ſecundùm ſe, neque dubium ſit, quin Legislator eam ſimpliciter prohibere poſſit: atqui à propria verborum ſignificatione non eſt recedendum abſque gravi cauſa, ut dictum *tit. De Conſtitut. §. 16. n. 389. 390. & ſeqq.*

Aliâ ratione incedit Pirhing *h. t. n. 40.* poſt Molinam *tract. 2. de juſt. & jur. diſp. 77. n. 4.* & alios, dicendo, quòd ad inducendum viâ præſcriptionis conſuetudinem contra talem legem, ſine titulo requiratur tempus immemoriale, ut dictum: tamen cum titulo ſaltem colorato, & præſumpto, ſufficiat tempus quadraginta annorum. *arg. cap. 1. de Præſcript. in 6.* ubi ſic expreſsè ſtatutum habetur de præſcriptione, quando Jus commune, vel præſumptio eſt contra præſcribentem. Et hæc ſententia non eſt improbabilis: licèt enim ad conſuetudinem non neceſſariò requiratur titulus, ut dictum *n. 25.* negari tamẽ non poteſt, quin fortior ſit conſuetudo, quæ poteſt allegare titulum, quàm quæ talem non habet; cùm hoc ipſum expreſsè cautum habeatur de præſcriptione, *cit. cap. 1. eod. in 6.* 52

Reſp. III. Quando lex derogatoria conſuetudinis ūtitur hac clauſula, *Conſuetudine contrariâ qualibet non obſtante*, & nihil aliud exprimit, videtur tantùm tollere conſuetudines tempore conditæ legis exiſtentes, non item ſe extendere ad futuras; ideòque nihil obſtat adversùs talem legem induci conſuetudinem de novo. Ita Gloſſa *in Clem. Statutum. ℣. Conſuetudine. de Elect.* Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 7.* Layman *cit. n. 7.* Azorius, *ubi ſuprà, quæſt. 10.* Engel *h. t. n. 23.* allegans magìs communem DD. Jaſon *l. De quibus, n. 55. ff. de Legib.* citans inſuper Bartolum, Baldum, Angelum, & alios; quamvìs non deſint oppoſitum tenentes, ut Barboſa *Clauſul. 87. n. 13.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 4. n. 13.* Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. diſp. 5. punct. 4. §. 2. n. 8.* citans alios. Ratio Concluſionis eſt: quia verba illa, *Nullâ obſtante conſuetudine*, commodè poſſunt intelligi de ea, quæ extat tempore conditæ legis; ergo de hac duntaxat debent intelligi: tum quia correctoria Juris, veluti odioſa, non ſunt extendenda: tum quia ſi Legislator voluiſſet comprehendere conſuetudinem etiam futuram, potuiſſet expreſſiſſe. Accedit, quòd verba talis legis habeant duntaxat vim Juris ſcripti: atqui huic per novam contrariam conſuetudinem poteſt impoſterùm derogari, niſi aliud exprimatur; ergo & illi. 53

Dices. Lex ex ſui natura trahitur ad caſus futuros, *cap. ult. de Conſtitut. & l. Leges. C. de Legib.* ergo hoc ipſum oportet dicere de lege, habente inſertam clauſulam illam, *Nullâ obſtante conſuetudine.* Accedit *c. Ad noſtram. 3. h. t.* ubi patet

patet, ejuſmodi clauſulam extendi etiam ad conſuetudinem futuram. Reſp. hoc totum procedere pro tempore illo, quo nova conſuetudo necdum legitimè fuit præſcripta: alioquin autem, ſicuti quævis alia lex per contrariam conſuetudinem, legitimo tempore continuatam, denuò abrogatur; ita etiam erit dicendum de lege, clauſulâ illâ inſertam habente, niſi aliud in eadem expreſſum habeatur. Ad *c. Ad noſtram.* 3. *h. t.* dicitur, ibi ſermonem eſſe de conſuetudine irrationabili, ut liquet ex textu: unde non mirum, quòd in illo caſu clauſula memorata extendatur etiam ad conſuetudinem futuram.

Cæterùm qualis conſuetudo per dictam clau- 55.
ſulam, *Nullâ obſtante conſuetudine*, revocetur, & an etiam immemorialis, dicetur inferiùs *n. 184. & 185. & ſeqq.* Sufficit impræſentiarum annotâſſe, quòd dicta clauſula generaliter loquens, ad conſuetudinem impoſterùm inducendam, non extendatur, neque hanc veluti irrationabilem, damnare convincatur; niſi aliud quid addatur, aut hoc ipſum aliunde appareat.

§. III.
De nonnullis Conſuetudinibus irrationabilibus, à Jure reprobatis.

SUMMARIUM.

56. *Conſuetudo, per quam rumpitur Nervus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, non valet.*
57. *Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ?*
Cur appelletur Nervus? *Ibid.*
58. *Irritandum quandoque dicitur id, quod ipſo jure eſt irritum.*
59. *Conſuetudo, per quam impeditur Correctio morum, non valet.*
60. *Contra Correctionem morum, ac Obedientiam, non poteſt præſcribi* extinctivè; *benè tamen* translativè.
61. *Conſuetudo adversùs Libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam, non valet.*
62. *Idq; probatur tum ex Jure Canonico.*
63. *Tum ex Jure Civili.*
64. *Poteſt Papa ex parte derogare Immunitati Eccleſiaſticæ.*
65. *Acquiſibilia privilegio, ſunt acquiſibilia conſuetudine, vel præſcriptione, quomodo intelligendum?*
66. & 67. *An ſaltem Conſuetudo immemorialis, conjuncta cum fama privilegij Apoſtolici, valeat contra Immunitatem Eccleſiaſticam?*
68. *Conſuetudo habendi in eadem Eccleſia duas Dignitates, Perſonatus, vel Officia perpetua unà cum Canonicatu, absque diſpenſatione Papæ, non valet.*
69. *Benè tamen de habendo uno eorum præter Canonicatum.*
70. *Papa, cur in priori caſu poſſit diſpenſare? Ubi ſolvitur notabilis objectio circa hoc.*
71. *Conſuetudo anſam peccandi, vel bona ſua diſſipandi præbens, non valet.*
72. & 73. *Referuntur tales pravæ conſuetudines. Et n. ſeqq.*
74. *Conſuetudo, aut Statutum, ut homicida, vel ſimilis crimminoſus, puniatur ſolùm pecuniariter, non valet.*
75. *Conſuetudo appellandi à Vicario Generali ad Epiſcopum non valet; & cur?*
76. *Hoc procedit in Vicario Generali principali, non in Foraneo.*
77. *Imò & ille poteſt recuſari veluti ſuſpectus; ac ſupplicari Epiſcopo propter ejusdem gravamen &c.*
78. *Quomodo idem ſit Auditorium Vicarij Generalis, & Epiſcopi?*
79. *Generaliter non valet conſuetudo. quæ eſt contra ſubſtantiam actûs, vel rei, de qua agitur.*
80. *Reprobatur conſuetudo impediens, ne Legati Sedis Apoſtolicæ recipiantur in Provincijs.*
Et quæ pœnæ contravenientium? Ibid.
81. *Non valet conſuetudo, ut Clericus non Epiſcopus exerceat ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis.*
82. *Cur hoc fieri poſſit ex conceſſione Papæ, non item ex conſuetudine, etiam immemoriali?*
83. *Non valet conſuetudo, ut Prælatus immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, poſſit abſque ejus licentia Eccleſiam ſuam dimittere.*
84. *Omnes conſuetudines, quæ grave damnum inferunt Eccleſijs, aut perſonis Eccleſiaſticis, irritæ ſunt.*
85. *Idque tum probatur, tum exemplificatur.*
86. *Simul & declaratur.*
Conſuetudo graveſa Eccleſijs, quæ? Ibid.
87. *Quid attendendum in dijudicando, an hæc vel illa conſuetudo ſit rationabilis, nec ne?*
88. *Modus competens defendendi ſe, contra conſuetudinem antiquam.*

56 QUæritur I. Utrùm valeat Conſuetudo, per quam rumpitur Nervus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ? Reſp. negativè, eſtque communis Doctorum. Patet hoc *ex c. Cùm inter. 5. h. t.* ibi: *Nos igitur cognito, quòd ex tali conſuetudine* (non ſervandi Interdictum generale) *ſi qua foret, diſrumperetur Nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, ipſam duximus irritandam.* Ubi Gloſſa finalis ſic concludit: *Et ſic patet, quòd ubicunque ſit aliquid contra Eccleſiaſticam diſciplinam, ſive nervum Eccleſiæ, non habet locum præſcriptio.*

Porrò per Diſciplinam Eccleſiaſticam intelligitur obſervantia bonorum morum, atque or- 57.
dinis Eccleſiaſticæ Hyerarchiæ: qualis procul dubio diſrumpitur, atque violatur, per conſuetudinem non ſervandi Interdictum generale;

ac proinde hæc, veluti irrationabilis, & corruptela potiùs quàm vera conſuetudo, meritiſſimè reprobatur. Additur autem, *Nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ*: quia per hanc Fideles conſervantur in ſuo officio, atque ab exceſſibus ſeu peccatis retrahuntur, ſicuti nervis membra corporis humani continentur, ut officia ſua ritè præſtare valeant. Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 6. n. 8.* Vel Poteſtas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dicitur nervoſa ex eo, quia non tam facilè dimittitur, *can. Abſit. diſt. 50.* Aut quia non frangitur, ex cauſa concedendo diſpenſationem, licèt in cortice vulneretur; ut loquitur Archidiaconus *in can. Fraternitatis. diſt. 34. n. 3.* & Fagnanus *in c. Cùm venerabilis. n. 4. h. t.*

58. Quòd ſi obijcias contra Concluſionem. In *cit. cap. Cùm inter h. t.* non dicitur, memoratam ibi Conſuetudinem eſſe irritam, ſed irritandam; ergo hæc antecedenter valebat. Reſp. neg. conſequent. Siquidem non eſt infrequens in Jure, ut id, quod irritum eſt, dicatur irritandum, id eſt irritum & inane declarandum. Sic quippe in ſimili habetur *c. Cùm dilectus. 8. h. t.* Electionem (de qua eſt ſermo, fuerátque à ſuſpenſis celebrata) *juſtitia ceſſavimus exigente*; id eſt, caſſam nuntiavimus, ut explicat ibidem Gloſſa communiter recepta, *℣. Caſſavimus.* Sic etiam Gloſſa *fin. c. Pervenit. 2. de Jurejurand.* explicat verbum illud, *quem abſolvimus*; & probat, id eſſe intelligendum, *de facto ad cautelam*: vel exponendum, *abſolvimus*, id eſt, *abſolutum eſſe oſtendimus.* Concordant dicta ſuperiùs *Tit. de Conſtitutionibus. §. 11. num. 252.*

59. Quæritur II. Quid dicendum de valore Conſuetudinis, per quam impeditur correctio morum? Reſp. Conſuetudo illa non valet, quæ morum reformationem, & correctionem impedit. Ita communis; & clarè habetur in *c. Irrefragibil. 13. de Offic. Ordinar.* ibi: *Ut autem correctionis, & reformationis Officium* (Prælati Eccleſiarum) *liberè valeant exercere, decernimus, ut executionem ipſorum nulla conſuetudo, vel appellatio valeat impedire.* Concordat c. Cùm ex officij. 16. de Præſcript. ibi: *Quemadmodum nec contra viſitationem ipſam poteſt aliquo modo præſcribi, &c.* Accedit ratio clara: quia talis conſuetudo foret bonis moribus adverſa, & fomentum diſſolutionum, ſicque irrationabilis, ac dicenda potiùs corruptela, quàm conſuetudo.

60. Circa hoc tamen nota cum Barboſa *part. 3. de offic, & poteſt. Epiſcop. allegat. 129. n. 9.* & alijs, quod quidem obedientia, atque viſitatio, & conſequenter morum correctio, *Extinctivè* præſcribi non poſſit, ita ſcilicet, ut nulli competat viſitatio morúmque correctio, & nulli debeatur obedientia: ne videlicet dentur Acephali, ſicut Locuſtæ, unde oriretur repugnantia, confuſio, & inordinatio, quæ foret ſummè nociva Bono communi. Adhuc tamen præſcribi valeat obedientia *Tranſlativè*: nempe ut jus viſitandi, & pravos mores corrigendi, transferatur ab uno in alium; & alteri, quàm Epiſcopo, v. g. competat viſitatio, ac debeatur obedientia, ut puta, proprio Abbati, vel Summo Pontifici. Et hoc ſatis indicatur *in cit. cap. Cùm ex officij. de Præſcript.* mox ſubjungente: *Etſi alius contra eum præſcribere poſſet utramque*; prout ampliùs in *Tit. De Præſcriptione*, dici ſolet.

Quæritur III. Utrùm valeat conſuetudo adversùs Libertatem, & Immunitatem Eccleſiaſticam? Reſp. Non valere; adeò quidem, ut conſuetudo etiam immemorialis, ſi ſola ſit, & nullo privilegio, aut famâ privilegij Summi Pontificis adjuvetur, non poſſit Immunitati Eccleſiaſticæ quidquam derogare. Ita Gloſſa *cap. ult. ℣. Rationabilis*, & ibi Abbas *n. 5. h. t.* Baldus *in c. Cùm terra. n. 2. de Elect.* Suarez *lib. 4. Defenſion. Fidei Cathol. cap. 34.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 10. n. 1.* Alex. Sperellus *Deciſ. 37. Fori Eccleſiaſt. n. 41. & 42.* allegans Rotam *Deciſ. 10. de Conſuetud in antiq. & in Oſcens. Canonicatus. 1. Decemb. 1596. coram Penna*, Barboſa *in Collectan. ad c. Eccleſia S. Mariæ. n. 18. & ſeqq. de Conſtitut.* & alij communiter; demptis Covarruviâ *Pract. Quæſt. cap. 31. n. 5.* & Julio Claro *lib. 5. Practicæ Criminalis. §. fin. quæſt. 36. n. 3.* qui tenent, quòd, quamvìs Immunitas Eccleſiaſtica univerſim tolli non poſſit per conſuetudinem, poſſit tamen tolli ex parte, & quoad certas cauſas.

Ratio hujus communis Concluſionis eſt: quia conſuetudo adversùs Libertatem, ſeu Immunitatem Eccleſiaſticam militans, paſſim in utroque Jure reprobatur, & veluti irrationabilis, ac Divinitati contumelioſa damnatur. Et quidem loquendo imprimìs de Jure Canonico, iſtud pluribus in locis expreſsè reprobat talem conſuetudinem; ut *in cap. 1. & c. Cùm inter. 5. h. t.* & ampliùs *in c. Ad noſtram. 3. eod.* ubi etiam hujusmodi Conſuetudo vocatur *minùs rationabilis*; ac generaliter ſubditur, quòd *Conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis* (qualis eſt præſens) *nullius debeat eſſe momenti.* Accedit c. Cùm terra 14. de Elect. ibi: *Quia igitur hoc redundat in gravamen, & perniciem Eccleſiaſticæ Libertatis, præſcriptam conſuetudinis pravitatem, ſancimus penitùs abolendam.* Item *c. Clerici. 8. de Judicijs, & c. Noverit. 49. de Sent. excomm.* in quo poſtremo loco etiam excommunicantur, *qui de cætero ſervari fecerint Statuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem.* Idem habetur ex Bulla Urbani VIII. Quæ incipit, *Romanus Pontifex.* 1641. die 5. Junij edita (& refertur *Tom. 4. Bullarij Romani Conſtit. 159. dicti Pontific.*) Item ex Bulla Cœnæ Domini, quæ quotannis publicatur, & reprobat generaliter omnia Immunitati, & Libertati Eccleſiaſticæ præjudicialia: ut proinde ob expreſſam contradictionem Principis, ſeu Papæ, actúmque contrarium ipſius toties renovatum, nunquam intervenire poſſit legalis ejuſdem conſenſus, ac tempus ad præſcribendam ritè talem conſuetudinem de Jure requiſitum.

Loquendo etiam de Jure Civili, iſtud quaſcunque conſuetudines contra Libertatem, ſeu Immunitatem Eccleſiaſticam, pariter & expreſsè

preſsè reprobat, ac ipſo jure nullas eſſe decernit, in *Auth. Caſſa. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* illis verbis: *Caſſa & irrita eſſe denunciari per totam Italiam præcipit omnia Statuta, & Conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ, ejusque perſonas inductas adversùs Canonicas, & Imperiales Sanctiones, & ea de Capitularibus penitus aboleri mandat nova Conſtitutio: & de cætero ſimilia attentata ipſo jure nulla eſſe decernit.* Et nè forſan, pro ſola Italia iſtud ſtatutum fuiſſe, dici poſſet, protinus ſubditur: *Sed ſi per annum hujus Novellæ Conſtitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum Imperium impunè ab omnibus occupentur.* Hæc ibi. Similiter in *Auth. Cauſa quæ. C. de Epiſcop. & Cleric.* Judex Monachum ad Judicium ſæculare trahens puniri jubetur *tanquam Divinitati contumeliam faciens.*

5. Dicitur notanter in Concluſione, *Si conſuetudo ſola ſit, & nullo privilegio, &c.* Siquidem certum eſt; atque indubitatum, quòd Summus Pontifex per ſpeciale privilegium, ob juſtam cauſam datum alicui Principi, vel Magiſtratui ſæculari, ex parte aliqua derogare poſſit Libertati, ſeu Immunitati Eccleſiaſticæ. Sic enim in Concilio Lugdunenſi, relato in *c. Generali 13. de Electiou. in 6.* Gregorius X. Regibus ſtabilivit Jus Regaliæ, vi cujus vel titulo fundationis, vel ex antiqua conſuetudine, vendicârunt ſibi jus uſurpandi bona, ſeu redditus Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorúmque piorum Locorum, tempore vacationis horum provenientia: ſtatutâ ſimul pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ in eos, qui tale Jus Regaliæ, hactenùs non obtentum, de novo invadunt, extendunt, ſeu uſurpant. Deinde, quòd Papa cauſam aliquam Eccleſiaſticam, vel criminalem Clericorum, poſſit committere Laico, puta Principi ſæculari; tenet Gloſſa *in c. Benè quidem. ℣. Præter. diſt. 96.* Abbas *in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. n. 6.* & ibi Felinus *n. 6. de Conſtitut.* Julius Clarus *cit. lib. 5. quæſt. 41. n. 8.* dicens poſt Beroum *quæſt. 7. n. 1.* quòd prææallegatam Gloſſam ſequitur totus Mundus. Atque illud reijciendum eſt in ſupremam Pontificis poteſtatem, juxta quam de rebus Eccleſiarum, ipsiſque perſonis Eccleſiaſticis, veluti Diſpenſator fidelis, ac prudens, ſicut pro majori Eccleſiæ Univerſalis utilitate expedire judicaverit, diſponere valet. *c. Propoſuit. de Conceſſ. Præbend. & c. Licèt Eccleſiarum. de Præbend. in 6.* Accedit, quòd in poſteriori caſu Laicus exequeretur cauſam Eccleſiaſticam ſibi commiſſam, non authoritate ſuâ ordinariâ (hujus enim eſt incapax) ſed nomine, atque authoritate Summi Pontificis, ſibi hac in parte commiſſa, prout innuit Gloſſa *loc. cit.*

6. Neque hinc inferre licet. Juxta illud vulgatum, *Acquiſibilia privilegio, ſunt acquiſibilia conſuetudine,* vel præſcriptione, ut docet Barboſa *Axiomat. 56. n. 7.* citans alios; ergo, ſi per privilegium Papale poſſunt Sæculares Principes aliquid acquirere contra Immunitatem Eccleſiaſticam, idem etiam poterit acquiri conſuetudine. Reſp. enim cum Fagnano *in c. Cùm contingat. n. 8. & ſeqq. de Foro compet.* & alijs, dictum illud non procedere univerſaliter, ut patet ex eo: quia ex conceſſione, ſeu privilegio Papæ poteſt Laicus, putà, Princeps ſæcularis, cognoſcere cauſas criminales Clericorum, *arg. cap. 2. de Judicijs*, junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Non præſumant*: non tamen poteſt Laicus hanc cognitionem acquirere, ſibique vendicare ex ulla conſuetudine, vel præſcriptione, *c. Clerici. 8. de Foro compet.* Similiter ex privilegio Pontificio poteſt obtineri immunitas ab obligatione ſervandi Interdictum, *c. Alma mater. de Sentent. excom. in 6.* non item ex conſuetudine *c. Cùm inter. 5. h. t.* Tacentur plura ſimilia. Igitur dictum illud eſt limitandum, ac primò intelligendum, dummodò adſit capacitas in exercente, vel poſſidente; alioquin multa competere poſſunt ex privilegio Apoſtolico, quæ tamen non poſſunt acquiri ex conſuetudine, vel præſcriptione: hæc enim ſine poſſeſſione, adeoque ſine capacitate in poſſidente, non procedit, juxta *Reg. 2. Juris in 6.* Laici autem non poſſunt ſpiritualia poſſidere, *c. Cauſam. 7. de Præſcript.* Deinde dictum illud eſt intelligendum, niſi conſuetudo ſit à Jure reprobata: quia tunc non habet vim privilegij, etiamſi foret immemorialis, ut *cap. 1. h. t. in 6.* ac notat Gloſſa *in Clem. 1, ℣. Quanticunque. de Foro compet.* Abbas *c. Cùm ex officij. n. 4. de Præſcript.* Fagnanus *loc. cit. n. 11.* citans alios. In propoſito autem talis conſuetudo eſt reprobata à Jure, ut dictum in probatione Concluſionis. Unde negatur conſequentia.

Additur quoque in data *num. 61.* Concluſione: *Aut famâ privilegij.* Siquidem conſuetudo immemorialis conjuncta cum fama privilegij, quantùm eſt de Jure communi, ſufficit ad derogandum ex parte Immunitati Eccleſiaſticæ; non obſtante, quòd conſuetudo ſola ad hoc non ſufficiat. Felinus *c. Cùm contingat. n. 4. de Foro compet.* poſt Joan. Andream *in c. Cùm Apoſtolica. De his, quæ fiunt à Prælat.* approbatum per omnes *ibid.* Et ratio eſt: quia tunc tale privigium, cujus Laicus eſt capax, ex lapſu temporis immemorialis videtur probatum, ſicque non tã ex conſuetudine, quàm ex titulo privilegij olim conceſſi, id habetur. Quem in finem Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 10. n. 2.* ait, tametſi contingat, titulum privilegij, vel conceſſionis modò exhiberi non poſſe, ſi tamen conſtans ſemper fama & traditio fuerit de accepto privilegio, tunc tandem præſcriptioni locus erit per tempus immemoriale. Intellige hoc, quantùm ad titulum emanati privilegij Apoſtolici, ſeu ut præſumatur, illud aliquando fuiſſe conceſſum, & uſui initium dediſſe: nam loquendo de ipſa Libertate Eccleſiaſtica, contra eam nulla prorſus præſcriptio locum habet. 66.

Notanter tamen rurſus additum fuit, *quantùm eſt de Jure communi, ſufficit, &c.* Nam, ut inquit Fagnanus *loc. cit. n. 11.* hodie ſervanda eſt Conſtitutio Urbani VIII. qui in cit. 159. Conſtitutione, *Romanus Pontifex.* §. 3. & 15. revocavit *quaſcunque Conceſſiones, atque Conſuetudines etiam* 67.

longiſſimas, & immemoriales, etiam cum aſſertâ famâ privilegij Apoſtolici, quæ militârunt contra Immunitatem Eccleſiaſticam, & Eccleſijs, ac perſonis Eccleſiaſticis, earúmque bonis ſunt præjudiciales. Concordat Bulla Cœnæ Domini, juxta dicta *num. 62.*

68. Quæritur IV. Utrùm valeat conſuetudo, vi cujus quis in eadem Eccleſia habeat duas Dignitates, Perſonatus, vel Officia unà cum Canonicatu, abſque diſpenſatione Papæ? Reſp. I. Conſuetudo ejuſmodi neutiquàm valet. Ita communis. Siquidem conſuetudo, licèt immemorialis, aut etiam juramento firmata ſit, quòd Canonici in Eccleſia ſua, unà cum Præbenda Canonicali, ſimul *duos Perſonatus, aut duas Dignitates, vel Præpoſituras, vel Adminiſtrationes, aut duo Officia* (intellige perpetua) *aut eorum alterū cum reliquo, poſſint licitè abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ obtinere*, coruptela reputatur, & authoritate Apoſtolicâ reprobatur; prout habet textus clarus in *cap. 1. h. t. in 6.* Cujus ratio ibi redditur: quia talis conſuetudo *Sacris eſt inimica Canonibus, & de ambitionis radice proceſſit.* Adde, quòd unum Officium vix dignè valeat aliquis adimplere, prout ibidem argumentatur Pontifex. Accedunt plura, eáque graviſſima inconvenientia, quæ ex pluralitate Beneficiorum ſimul retentorum conſurgere noſcuntur, atque ad longum referuntur in *Extravag.* Execrabilis. *de Præbend. & Dignitat. inter communes.*

69. Reſp. II. His tamen non obſtantibus valida eſt Eccleſiæ alicujus conſuetudo, vel Statutum, ſicuti & Epiſcopi diſpenſatio, quòd quis in eadem Eccleſia, unà cum Canonicali Præbenda, ſimul obtineat Dignitatem, Perſonatum, aut Officium perpetuum, v. g. quòd idem ſit & Præpoſitus & Canonicus. Ita Gloſſa *in cit. cap. 1. ℣. Niſi unicum. h. t. in 6.* Layman *ibid. n. 6.* poſt Ant. de Butrio *ibid. n. 4.* & Francum. *n. 7.* Pirhing *h. t. n.* 97. & alij. Idque deſumitur per ſenſum contrarium ex citato textu: nam, quia ibi ſolùm prohibetur, ne quis cum Præbenda Canonicali, ſimul obtineat duas Dignitates &c. abſque diſpenſatione Papali; ergo ſine tali diſpenſatione poteſt quis ſimul cum Præbenda unam aliam Dignitatem habere; ídque vel vi conſuetudinis, aut Statuti, vel ex diſpenſatione Epiſcopi. Concordat *c. Eam te. 7. de Reſcriptis.* ubi legitur, quòd idem *erat Archidiaconus, & Canonicus ejuſdem Eccleſiæ.*

70. Dices. Si irrationabile, Eccleſiæ damnoſum, & SS. Canonibus eſt inimicum, quòd Canonicus in eadem Eccleſia ſimul duas Dignitates obtineat; ergo nequidem per diſpenſationem Sedis Apoſtolicæ id fieri poterit, cujus tamen contrarium habetur *in cit. textu.* Ad hoc commune argumentum (quod urget in pluribus alijs ſimilibus caſibus) Reſp. neg. conſequent. Quia, cùm hujuſmodi diſpenſationes non niſi juſtis, & gravibus de cauſis, per Papam concedi conſueverint; ſimúlque is *ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſit ſupra jus diſpenſare*, ut legitur *in c. Propoſuit. de Conceſſ. Præbend.* jam cohoneſtatur, & compenſatur damnum illud, quod ex alia conſideratione poſſet inferri Bono communi, vel Eccleſiæ. Adde cum Layman *loc. cit. n. 4.* licèt Statutum, aut introducta conſuetudo, ut tale quid ordinariè fiat, aut fieri valeat, non poſſit non eſſe Eccleſijs, & ſaluti animarum pernicioſa, ſicque meritò reprobetur tānquam corruptela: ſecùs tamen eſſe de diſpenſatione Summi Pontificis, utpote ſolùm conceſſa pro unâ vel alterâ vice, ubi ipſa ob ſpeciales circumſtantias cohoneſtari, & utilis eſſe poterit. Verùm de pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum plura ſuo loco.

71. Quæritur V. Quid dicendum de Conſuetudine, anſam peccandi, aut bona ſua diſſipandi præbente? Reſp. Generaliter loquendo non valet conſuetudo, per quam homines inducuntur ad peccandum, vel bona ſua diſſipanda. Ita communis; & habetur expreſſum *c. Ex parte.* 10. *h. t.* quod paſſim ſic ſumatur, & in quo tales *Conſuetudines* rectè vocantur *abuſivæ.* Et iſtud meritò Barboſa *in Collectaneis ad cit. c. Ex parte. n. 2.* cum alijs, extendit ad ejuſmodi conſuetudinē, etiamſi ſit immemorialis: ſicut à pari non valet Statutum, neque lex, quæ delinquendi occaſionem præbet, *can. Erit autem lex. diſt. 4.* Abbas *in cit. c. Ex parte. n. 3. h. t.* Menochius *de Præſumptionib. lib. 5. præſ.* 49. *n.* 25. & alij. Accedit ratio: quia tales leges, ſeu conſuetudines, per quas homines inducuntur ad peccatum, hoc ipſo contrariantur bonis moribus; ſuntque pernicioſæ tum ſaluti animarum, tum communi bono Reipublicæ, quæ virtutibus ſtabilitur, vitijs autem perturbatur, & enervatur.

Tales conſuetudines anſam delinquendi præbentes referuntur duæ *in cit. c. Ex parte. h. t.* Prima eſt, Conſuetudo illa alicubi vigens, quòd ſi maritus, ſive vitio prodigalitatis, ſive injuriâ, aut quocunque alio caſu diſſipâſſet, vel amiſiſſet bona ſua, poſſet alienare bona uxoris ſuæ pro libitu. Hæc enim conſuetudo manifeſtè inducebat viros ad negligentiùs agendum, & prodigaliùs vivendum, ſicq; ad bona ſua diſſipanda, ſub ſpe, quòd poſſent deinde pro libitu alienare bona uxoris ſuæ: quæ proinde veluti abuſiva, & irrationabilis, jure merito reprobatur.

Alterum exemplum refertur ibidem de conſuetudine illa prava, quòd licèt uxor alicujus, fide conjugali violatâ, commiſerit adulterium, ipſa nihilominùs medietatem omnium bonorum, quæ fuerit vir adeptus, exigere, & apprehendere valeat. Hæc quippe conſuetudo mulieres reddebat proniores ad peccandum, ſive committendum adulterium; dum non ſolùm non perdebant dotem ſuam (prout in pœnam adulterij perdere debebant, *c. Plerumque. de Donationib. inter virum & uxor. & l. Si dotem. C. de Jure dot. & l. Libertatem C. ad Leg. Jul. de Adult.*) ſed inſuper dimidiam partem bonorum à marito acquiſitorum exigere poterant.

Huc

74 Huc pertinet omnis illa conſuetudo, quæ nutrit peccatum, aut eſt ſcandaloſa, ut dictum *n.* 38. Vel quæ aliquem indebitè gravat; quia hoc ipſum eſt peccare. Menochius *de Arbitrar. Judic. caſ.* 82. *n.* 17. *&* 18. poſt Socinum *jun. Conſ.* 98. *num.* 41 *lib.* 3. Et idem dicendum de Statuto, vel conſuetudine illa, per quam homicida, vel ſimilis crimіnoſus, punitur ſolùm pecunialiter; cùm de Jure ad coërcendam delinquentium audaciam, & conſervandam ſecuritatem innocentium, eſſet puniendus corporaliter: nam talis conſuetudo inducit pronitatem peccandi, & homicidia perpetrandi, ob levitatem pœnæ, sicq; non valet. Abbas *cap. ult. n.* 3. & ibi Baldus *n.* 5. *h. t.* Hoſtienſis, & DD. *in cap.* 2. *de Delictis puer.* juncto textu *in Can. Factæ ſunt autem leges. diſt.* 4.

75 Quæritur VI. An valida ſit conſuetudo appellandi à Vicario Generali ad Epiſcopum? Reſp. I. Non valet conſuetudo, etiam immemorialis, quòd ab Officiali, ſive Vicario Generali Epiſcopi, appelletur ad ipſum Epiſcopum. Patet hoc ex *c. Non putamus.* 2. *h. t. in* 6. ubi ejuſmodi conſuetudo cenſetur irrationalis, ſive *rationi non conſona.* Et meritò: quia talis conſuetudo eſt contra ſubſtantiam actûs, ſive appellationis; utpote de cujus eſſentia eſt, quòd ſit ab inferiore Judice ad ſuperiorem provocatio, *L.* 1. §. *Si quis. ff. de Appellat.* Atqui hoc non fieret, ſi à Vicario Generali ad Epiſcopum appellari poſſet; quia potiùs *ab eodem ad ſeipſum (cùm ſit idem Auditorium utriusque) appellatio interpoſita videretur*, ut loquitur textus *cit. cap.* ergo.

76 Reſp. II. Nihilominùs allata doctrina eſt intelligenda de Vicario Generali principali, qui perſonam Epiſcopi repræſentat, ſicque idem eſt Auditorium utriusque; non de Officialibus, ſeu Vicarijs Foraneis, qui ſunt Subdelegati Officialis principalis, aut Epiſcopi: quia ab his rectè appellatur ad Epiſcopum, ſicut à Subdelegato ad Delegantem. Gloſſa *in Caſu ibidem.* Layman *in l. c. Non putamus. n.* 5. hoc intelligens de Vicario Epiſcopi conſtituto in certa parte Diœceſis, aut in caſu ſpeciali: prout etiam annotavit Maranta *in Speculo Aureo, part.* 6. *de Appellatione. n.* 370. poſt Gloſſam *in Clem.* 2. *℣. Foraneo. de Reſcript.* & alios, quos citat.

77 Deinde, licèt à Vicario Generali ad Epiſcopum appellari nequeat, nihilominùs in particulari aliquo caſu poteſt Vicarius ille recuſari, tanquam ſuſpectus parti litiganti, text. clar. *c. Si contra.* 4. §. *fin. de Offic. Delegat. in* 6. Poteſt inſuper de nullitate ſententiæ, à Vicario Generali latæ, agi coram Epiſcopo. Francus *in cit. c. Non putamus. n.* 10. Maranta *loc. cit. n.* 371. Poteſt tandem Epiſcopo ſupplicari propter gravamen illatum à Vicario Generali: nam ſupplicatio, veluti remedium extraordinarium, poteſt interponi etiam negatâ facultate appellandi. *l. Si quis.* junctâ *Auth. ſeq. C. de precib. Imperat. offerend.*

78 Nec his obſtat, quòd idem ſit Auditorium ſeu Tribunal utriusque. Nam, licèt hoc verum ſit ſubſtantialiter, ac repræſentativè; adhuc tamen accidentaliter differt jurisdictio Vicarij à jurisdictione Epiſcopi: cùm illa ab hac dependeat, arctarique valeat, prohibendo, ne Vicarius in certa cauſa judicet; sicque ſit firmior in Epiſcopo, quàm in Vicario Generali. Layman *in cit. c. Non putamus. n.* 4. *h. t. in* 6.

His adde, quòd ex textu ſæpè dicti Capituli, 79. *Non putamus. h. t. in* 6. junctâ ratione in ipſo expreſsâ, Doctores generaliter inferant, quòd conſuetudo nihil poſſit contra ſubſtantiam rei, ut loquitur Fagnanus *in c. Studuiſti. n.* 34. *de Offic. Legati.* Ac proinde, quòd omnis illa conſuetudo, quæ eſt contra ſubſtantiam actûs, ſive rei, de qua agitur, non valeat; ſed cenſeri debeat de jure impoſſibilis, & irrationabilis. Francus *ibid. n.* 7. Layman *n.* 1. Pirhing *h. t. n.* 98. Siquidem non aliâ de causâ reprobat Pontifex conſuetudinem appellandi ab Officiali ad Epiſcopum, veluti diſſonam rationi, niſi quòd idem ſit Auditorium utriusque; ac proinde talis conſuetudo repugnet ſubſtantiæ appellationis, quæ eſt provocatio ab inferiori ad ſuperiorem: idem ergo dicendum de omni alia conſuetudine, quæ eſt contra ſubſtantiam actûs, ſive rei, *arg. l. Non poſſunt. ff. de Legib.* cum ſimilibus.

Quæritur VII. Quænam aliæ conſuetudines 80. ſpecialiter à Jure Canonico ſint reprobatæ? Reſp. I. Non valet conſuetudo impediens, ne Legati Sedis Apoſtolicæ recipiantur, neque certas Provincias, aut Regna, ad quæ eos deſtinari contigerit, liberè ingrediantur, & commiſſæ ſibi Legationis munus exerceant. Ita habetur expreſſum *in Extravag. Super gentes. h. t. inter communes*, ubi talis conſuetudo non ſolùm, ut irrationabilis, ſed etiam ut Sedi Apoſtolicæ, ejusque poteſtati detrahens & injurioſa, ac nonnunquam animarum ſaluti contraria, penitùs reprobatur: ſimúlque ſtatuitur, ut qui dictos Legatos impedire præſumpſerint, ipſo facto excommunicationem incurrant, & eorum terræ eo ipſo Eccleſiaſtico ſint ſubjectæ Interdicto, quamdiu in tali contumacia perſtiterint.

Reſp. II. Non valet conſuetudo, etiam im- 81. memorialis, ut Clericus non Epiſcopus poſſit exercere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis; ut puta, conferre Sacramentum Confirmationis, Ordinationis, ac hujusmodi. Textus eſt *in c. Quanto* 4. *h. t.* & tradunt ibi Doctores unanimiter. Siquidem ordinarius miniſter conferendi Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, eſt ſolus Epiſcopus, ut definivit Concilium Trident. *Seſſ.* 7. *Can.* 3. *& Seſſ* 23. *Can.* 7. & conſtat ex perpetuo uſu, ac praxi Eccleſiæ.

Nec obſtat, quòd ex ſpeciali conceſſione 82. Summi Pontificis, etiam inferiores Epiſcopo poſſint Sacramentum Confirmationis conferre, *can. Pervenit. diſt.* 95. & tradit ibi Gloſſa, & Archidiaconus *n.* 1. ac Scotus *in* 4. *diſt.* 7. *quæſt.* 1. §. *Circa iſtam*, cum alijs. Sicut & Sacramentum Ordinis, ut *can.* 1. *diſt.* 69. *& cap. Cùm contingat.* 11. *de Ætat. & qualit. præficiend.* juncto Concilio Trid. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 10. ubi Abbatibus conceſſum eſt, ut proprijs Clericis conferre poſſint

pri-

primam Tonſuram, ac Ordines minores. Reſp. enim, licèt hoc fieri poſſit ex delegatione Summi Pontificis, ejuſdemque conceſſione ſpeciali; hinc tamen non ſequi, quòd inferiores Clerici, ſeu ſimplices Sacerdotes, etiam per conſuetudinem acquirere poſſint poteſtatem illam. Ratio eſt: quia Clerici inferiores ſunt incapaces poſſeſſionis exercendi actus Ordinis Epiſcopalis; & ſi ſuâ temeritate præſumant conferre, v. g. Sacramentum Confirmationis, illud inaniter conferunt, ut loquitur textus *in cit. c. Quanto. h. t. & can. Manus. de Conſec. diſt.* 5. Ergo nunquam poſſunt talem poteſtatem præſcribere, aut longævâ conſuetudine, etiam immemoriali, acquirere; cùm ſine poſſeſſione non currat præſcriptio, juxta *Reg.* 3. *Juris. in 6.* Et actus nulliter celebrati, conſuetudinē inducere nequeant: nam quod nullum eſt, nullum producit effectum, *c. Illud. de Jure patronat.* cum ſimilibus. Et paria ſunt, non fieri, & inutiliter fieri. Barboſa *Axiomat.* 164. *n.* 1. & 174. n. 14. citans alios.

83 Reſp. III. Inſuper non valet conſuetudo, ut Prælatus immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, poſſit Eccleſiam ſuam dimittere, & ad aliam tranſire, abſque licentia Summi Pontificis, vel ejus Legati. Ita habetur *in c. Cùm venerabilis.* 7. *h. t.* ubi etiam additur, quòd *hæc non tam conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda.* Accedit ratio: quia per talem conſuetudinem deſtruitur bonus ordo Eccleſiaſticæ Hyerarchiæ, ac tollitur debita ſubjectio Inferiorum erga Superiorem; ideoque ipſa veluti irrationabilis, ac Sacris Canonibus inimica, & Statui Hyerarchico Eccleſiæ præjudicialis, valere non poteſt.

84 Reſp. IV. Generaliter loquendo omnes illæ conſuetudines, quæ grave damnum inferunt Eccleſijs, aut perſonis Eccleſiaſticis, irritæ ſunt. Ita communis; idque deſumitur *ex cap.* 1. junctâ Gloſſâ *un. h. t.* & notat Abbas *ibid. n.* 1. & Baldus *eod. cap.* 1. id extendens ad illam conſuetudinem, per quam Clerici redduntur timidiores, & adverſarij audaciores; nam & iſtud cenſetur gravamen, *arg. L.* 1. §. *Quæ onerandæ. ff. Quarum rerum actio non detur*; & ſequuntur Canoniſtæ paſſim. Concordat *can. Mala conſuetudo. diſt.* 8. *& cap.* 1. *De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ubi conſuetudines, quæ contra utilitatem Eccleſiæ veniunt, ac juramenta deſuper facta, penitùs reprobantur: *Non enim juramenta* (inquit Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro III. celebratum, & *cit. cap.* 1. relatum) *ſed potiùs perjuria ſunt dicenda, quæ contra utilitatem Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum veniunt inſtituta.*

85 Accedit ratio: quia conſuetudo eſt quædam lex: atqui lex, quæ tendit in grave damnum Eccleſiarum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum, non valet, cit. *c. Quæ in Eccleſiarum.* 7. *de Conſtitut.* cum concordantijs; ergo neque talis conſuetudo. Idem ſuadet favor Religionis: nam multa ſpecialia ſunt inducta favore Religionis, & Eccleſiarum, *l. Sunt perſonæ. ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* Abbas *cit. cap.* 1. *h. t. circa principium*, ubi hoc exemplificat de conſuetudine quorundam Ruſticorum, qui nolebant ſolvere Decimas Eccleſiæ, niſi antea Parochus aliquod munus, puta certas libras carnium porcinarum, cuilibet eorum tradidiſſet. Nam hoc partim pugnat contra Sacros Canones, juxta quos Decimæ debent ſolvi gratìs, nec ſunt redimendæ à populo, *can. Decimas.* 16. *q.* 7. cum ſimilibus: partim ſucceſſu temporis grave generat præjudicium Eccleſijs, ac perſonis Eccleſiaſticis. Hoc ipſum tradit Fagnanus *in c. Conſuetudinis. n.* 18. *& ſeqq. h. t.* ubi iſtud ulteriùs confirmat ex Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex.* die. 5. Junij. 1641. editâ, & §. 3. damnante, ac reprobante omnia, & ſingula Eccleſijs, ſeu Locis pijs, perſoniſque Eccleſiaſticis quomodolibet præjudicialia. Talis etiam eſt conſuetudo, prætextu cujus Laici ab Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis, propriâ authoritate exigunt pedagia, vel collectas imponunt: qualis conſuetudo *dicenda eſt potiùs corruptela*, ut notatur *in c. Quamquàm. de Cenſib. in 6.*

Cæterùm allatam Concluſionem intelligunt 86
Doctores, quando aliqua conſuetudo per ſe ac directè grave damnum infert Eccleſijs, ſeu perſonis Eccleſiaſticis: aliàs ſecùs. Pirhing *h. t. n.* 85. Siquidem *Conſuetudo gravamen Eccleſijs inferens*, ſive *gravoſa Eccleſijs*, illa ſolummodò dici poteſt, quæ principaliter ipſas gravat: econtrà verò ea cenſetur favorabilis, quæ principaliter favet bono publico, licèt in conſequentiam gravet, *arg. l. Qui exceptionem. ff. de Condiction. indebit.* ac notat Barboſa *cap.* 1. *in fine. h. t.* citans Tiraquellum *de Retractu, tit.* 1. *§.* 30. *gloſſ.* 5. *à num.* 5. & Molinam *de Primogenijs, lib.* 1. *cap.* 18. *à num.* 2. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. de Conſtitutionibus.* §. 14. *n.* 319. declarando, quæ Lex cenſeatur Clericis eſſe præjudicialis, nec ne.

Tacentur aliæ conſuetudines, quæ varijs in 87
locis Juris Canonici reprobantur, veluti irrationabiles, & corruptelæ. Quantùm ad præſens propoſitum ſufficiant præmiſſæ, unà cum ſuis declarationibus, juxta quas aliarum quoque conſuetudinum rationabilitas, vel irrationabilitas dignoſci poterit. Certè num hæc, vel illa conſuetudo in ſpecie cenſenda ſit irrationabilis, nec ne, pendet à pluribus particularibus circumſtantijs; & quod ex una parte videtur rationabile, ex altera quandoque deprehenditur pernicioſum, atque irrationabile: quod proinde ad ordinarios Judices, vel ſuperiores Magiſtratus examinare ſpectabit, juxta dicta ſuperiùs *num.* 41. *&* 42. poſt Gloſſam communiter receptam *in cap.* 1. *℣. Rationabilis. de Conſtitut. in 6.* Alijs verò conſultum ſit, attendant, ne impingant in illud Philoſophi: *Ad pauca reſpicientes, facilè enunciant.*

Solummodò hîc nota cum Abbate *in c. Ex* 88
parte. 10. *num.* 3. *h. t.* & alijs, modum competentem defendendi ſe contra conſuetudinem antiquam; ſi videlicet allegetur, & conformiter dictis oſtendatur ejus irrationabilitas: nam conſuetudo irrationabilis eſt invalida, & nullius roboris, quantocunque tàndem tempore duraverit, *cap. ult. h. t.*

§. IV.

§. IV.

De Tempore ad præſcribendam, ſeu inducendam Conſuetudinem requiſito.

SUMMARIUM.

89. *Præſens controverſia locum habet in Regimine Monarchico, non in Democratico.*
90. *Conſuetudo, in quo ſenſu dicatur præſcripta?*
91. *Et ſi eſt præter jus, quo tempore inducatur?*
92. *Quantum temporis requiratur, ut conſuetudo contra jus legem aboleat? Et num. ſeqq.*
Conſuetudo contra legem, quando dicatur induci viâ conniventiæ, vel viâ præſcriptionis? Ibid.
93. *Ut inducatur viâ conniventiæ, non requiritur determinatum tempus.*
94. *Loquendo tam de Legibus Civilibus, quàm Eccleſiaſticis.*
95. *Sed quot actus, quantumq; tempus ſufficiat, Judicis arbitrio relinquitur dijudicandum.*
96. *Ad conſuetudinem contra legem Civilem viâ præſcriptionis inducendam requiritur, & ſufficit decennium.*
97. *Afferuntur, & ſolvuntur notabiles Objectiones contra hoc. Et num. ſeqq.*
98. *Conſuetudo non ſic valet, ut rationem vincat, aut legem; quomodo intelligendum? Et num. 97. & 99.*
99. *Conſuetudo non præjudicat veritati.*
100. Non exemplis, ſed legibus judicandum: *Declaratur.*
101. *Conſuetudo, an debeat eſſe inveterata? Inveteratum, quid? Ibid.*
102. *Decennium, an ſufficiat etiam ad inducendam conſuetudinem contra Canones, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas? Et num. ſeqq.*
Refertur ſententia diſtinguentium inter Conſtitutiones Eccleſiaſticas uſu receptas, & non receptas. Ibid.
103. *Ejúsque affertur ratio.*
104. *Sed refellitur, &*
Ponitur altera Sententia, requirens utrobique ſpatium quadraginta annorum, ejúsque ratio. Ibid.
105. *Sententia tertia docet, generaliter ad abrogandam Conſtitutionem Eccleſiaſticam vi contrariæ conſuetudinis ſufficere decennium.*
106. *Ejúsque ratio.*
107. *Solvuntur rationes in oppoſitum.*
108. *Diſparitas inter præſcriptionem bonorum immobilium Eccleſiæ, & inter conſuetudinem contrariam legi.*
109. *Hæc tertia ſententia non habet locum, ubi agitur de præjudicio tertij. Et num. 105.*

89 Notandum hîc eſt, quòd præſens controverſia potiſſimùm procedat loquendo de Regimine Monarchico, quale datur tum in Eccleſia Catholica, tum in Romano Imperio, ubi eſt unus ſupremus Princeps (hinc Imperator, illinc verò Romanus Pontifex) qui ſimul eſt Legislator. Siquidem in Statu Populari, ſeu Regimine Democratio, in quo Populus principatum habet, certum tempus non requiritur, ſed ſufficit Populi conſenſus; ut *l. De quibus. ff. De Legib.* Ubi & hujus ratio redditur, illis verbis: *Nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis?* Hoc prænotato

90 Quæritur I. In quo ſenſu dicatur Conſuetudo legitimè præſcripta, & quo tempore Conſuetudo præter jus inducatur? Reſp. I. Quamvis *in cap. ult. h. t.* de Conſuetudine contra jus dicatur, quòd debeat eſſe *legitimè præſcripta*; & cap. 3. in 6. quòd ſit *canonicè præſcripta*; iſtud tamen non eſt accipiendum propriè, ac in rigore, ſed ſolùm impropriè, ut notat Jaſon *l. De quibus. n. 44. ff. de Legib* citans alios, ac noviſſimè Engel *h. t. n. 15.* Dicitur enim *Conſuetudo* eſſe *præſcripta*, id eſt, ex lapſu temporis de Jure requiſiti obtenta, & roborata, ad ſimilitudinem præſcriptionis, licèt proprie non ſit præſcriptio: ſicque idem importat ac *Conſuetudo longa* ſeu *longæva*, prout appellatur *in c. Cùm conſuetudinis. 9. & cap. ult. h. t. & in Cod. tit. Quæ ſit longa conſuetudo.* Conſuetudo enim propriè loquendo non præſcribitur, ſed per hanc, ſi habet omnia requiſita, præſcribitur adversùs legem; ut obſervat Layman *cap. ult. n. 9. h. t.* De reliquo autem conſuetudo, & præſcriptio propriè ſumpta, plurimùm differunt, ut jam ſupra dictum *§. 1. num. 23. & ſeqq.*

Reſp. II. Quando conſuetudo eſt rationabilis, ac præter jus, ad eam præſcribendam ſufficit ſpatium decem annorum. Ita Gloſſa *in cap. ult. ℣. Conſuetudo. h. t. n. 6.* Abbas *cap. ult. n. 11. h. t.* id limitans, niſi conſuetudo veniat ad detrahendum juri alicujus Eccleſiæ. Felinus *cap. 1. num. 13. de Treuga & pace*, & alij. Idque generaliter loquendo de conſuetudine, tum Canonica, tum Civili, probatur *ex can. Conſuetudo, diſt. 12. & L. 1. C. Quæ ſit longa conſuetudo*: ubi in utroque loco dicitur, revocandum eſſe, *quidquid contra longam conſuetudinem fiet.* Concordat *l. Sed ea. ff. de Legib.* pariter loquens de conſuetudine præter jus, ibi: *Sed ea, quæ longâ conſuetudine comprobata ſunt - - - non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt jura, ſervantur.* Atqui longa conſuetudo cenſetur ea, quæ duravit decem annis: nam ſpatium decem annorum, in Jure vocatur longum tempus, *l. Super longi. C. de Præſcript. longi tempor. & §. 1. Inſtit. de Uſucap.* Et in hoc quidem modi- 91

ca eſt difficultas, major autem in deſignando tempore requiſito ad præſcribendam conſuetudinem contra Jus, tum Civile, tum Canonicum; unde

92 Quæritur II. Quantum temporis requiratur, ut conſuetudo contra jus cenſeatur legitimè præſcripta, ita ut legem, præſertim Civilem, aboleat? Reſp. I. Circa propoſitum eſt diſtinguendus duplex caſus; videlicet, an conſuetudo vigeat ſciente, & tolerante Principe; vel, an Principe eam in particulari ignorante. In priori caſu dicitur *Conſuetudo contra legem induci viâ conniventiæ*, quia videlicet Princeps ſciens, ac tolerans, cenſetur connivere tali conſuetudini contra ſuam legem vigenti. In poſteriori autem caſu dicitur *Conſuetudo contra legem induci viâ præſcriptionis*, ſive longævo uſu contrario populi. Unde ulteriùs

93 Reſp. II. Ad inducendam Conſuetudinem *viâ conniventiæ*, id eſt, Principe ſciente ac tolerante, cùm facilè poſſet reſiſtere introductioni conſuetudinis contrariæ, eamque prohibendô ſubditos cogere ad obſervantiam legis, probabiliùs eſt, non requiri determinatum tempus. Ita Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 6. n. 45.* Pirhing *h. t. n.* 34. & alij. Ratio eſt: quia dum Princeps ſcit, ſuam legem non ſervari, & ſilet, jam cenſetur connivendo conſentire; & ne Reſpublica perturbetur, conditæ à ſe legis obligationem tollere, eámque revocare.

94 Et hoc non ſolùm procedit de Legibus Civilibus, Statutiſque ſæcularibus, ſed etiam de Conſtitutionibus Canonicis, ſive Eccleſiaſticis: eadem enim in his, ac de illis, militat ratio. Siquidem in tali caſu lex propriè non tollitur ab inferioribus, ſive per contrariam horum conſuetudinem, ac viâ præſcriptionis: ſed potiùs ab ipſomet Principe, ſeu per tacitam ejus revocationem, ac viâ conniventiæ.

95 Quot autem actus contrarij, quantúmque tempus in hoc requiratur, ut cenſeatur Princeps tacitè revocaſſe ſuam legem, id in dubio prudentis Judicis arbitrio, ſpectatâ materiâ legis, aliiſque circumſtantijs, erit dijudicandum. Nam, quòd nonnulli docere videantur, ſufficere, ſi bis vel ter actum ſit contra legem ſciente Principe, nec contradicente, generaliter ſubſiſtere non videtur: quia poteſt Princeps habere aliquas cauſas ſibi notas permiſſionis, ſeu diſſimulationis pro una vel altera vice, puta, ut alio tempore commodiùs transgreſſores puniat; ac proinde ex tali non reſiſtentia Principis præcisè, haud rectè infertur ejus approbatio, *arg. c. Super eo. de Cognation. ſpirit.* ibi: *Verùm ſi de conſuetudine habeatur --- diſſimulare poteris, ita, quòd nec contradicere, nec tuum videaris præſtare aſſenſum.* Concordat c. Cùm jam dudum. de Præbend ibi. *Multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debent tolerari.* Igitur in tali caſu requiritur talis permiſſio, ſeu taciturnitas Principis, quæ ſpectatis omnibus æquivalet legitimæ abrogationi legis. Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 13. n.* 12. Caſtro Palao *tom. 1. tr. 3. diſp. 3. punct. 2. n.* 10. & alij.

Reſp. III. Ad conſuetudinem contra Legem Civilem Principe ignorante, & viâ præſcriptionis inducendam requiritur, & ſufficit decennium. Ita communis Doctorum, de qua teſtatur Abbas *cap. ult. n. 11. h. t.* & Pirhing *eod n.* 35. Ratio eſt, quia Conſuetudo, ut deroget Legi Civili, debet eſſe longa, quæ & ſufficit, *L. 1. C. Quæ ſit longa conſuetudo*, ibi: *Et ne quid contra longam conſuetudinem fiat, ad ſollicitudinem ſuam revocabit præſes.* Atqui per *longam Conſuetudinem* intelligitur illa, quæ decennio duravit: nam decennium in Jure vocatur *Longum tempus*, l. Super longi. C. de Præſcript. long. temp. ibi: *Super longi temporis præſcriptione, quæ ex decem annis introducitur*: junctâ Rubricâ. *Cod. de Præſcriptione longi temporis decem, vel viginti annorum.*

Objicies contra hanc tertiam, licèt cæteroquin indubitatam Concluſionem, majoris claritatis gratiâ. Quòd conſuetudo non valeat contra legem, habetur expreſsè *in can. Conſuetudinis. diſt. 11. & L. 2. C. Quæ ſit longa conſuetud.* quo in utroque loco dicitur: *Conſuetudinis, uſuſq; longævi non vilis authoritas eſt, verùm non uſque adeo ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem;* ergo. Ad hanc objectionem plures ſolutiones affert Gloſſa ad citatam Legem: tandem ex propria mente reſpondens ait, hîc ſermonem eſſe de conſuetudine particulari alicujus loci, quæ generaliter legem non abrogat (nam hæc extra illum locum eſt in ſuo vigore) quamvìs reſpectu illius loci, in quo viget Conſuetudo, vincat legem.

Verùm, quia de hoc nullum dubium eſſe poterat, idcircò alij dicunt, hîc ſermonem eſſe de Conſuetudine irrationabili, ac mala, quæ propriè non eſt Conſuetudo, ſed magìs corruptela. Et hæc reſponſio poteſt fundari in ly, *Aut rationē vincat.* Huc facit Can. Uſus. diſt. 11. ibi: *Pravum uſum lex, & ratio vincat.* Item illud, quod habet Gloſſa *in cap. ult. ℣. Vilis. h. t.* ubi ait: quamvìs Conſuetudinis particularis non ſit vilis authoritas, non tamen præjudicat Juri poſitivo, niſi ſit rationabilis, & legitimè præſcripta. Tandem Barboſa *Clauſul. 87. n. 13. in fine*, reſpondet, quòd *cit. L. 2. C. Quæ ſit long. conſuetud.* procedat in lege abrogante ipſam conſuetudinem, háncq; prohibente impoſterùm induci. Et de tali lege loquendo ſatis patet, atq; ad litteram verificatur, quòd eam conſuetudo non vincat: idque ex defectu conſenſûs legalis, dum Legiſlator prohibet ejuſmodi conſuetudinem impoſterùm induci.

Inſtabis. In c. Cùm cauſa. 8. de Sent. & re judicat. dicitur: *Licèt uſûs, vel conſuetudinis non ſit minima authoritas, nunquam tamen veritati aut legi præjudicat.* Concordat *can. Veritate. & ſeqq. diſt.* 8. ubi pluribus habetur, quòd veritati, & rationi cedat conſuetudo. Reſp. In priori textu ſermonem eſſe de conſuetudine iniqua, & vergente in præjudicium Eccleſiæ, adeoque irrationabili;

nabili; ut notat Summarium, & Abbas *ibid. n. 15.* Ad alterum dicitur cum Archidiacono *in cit can. Veritate*, per hanc intelligi Jus naturale, ſive eam veritatē, quæ conſiſtit in Evangelio, vel in veteri Teſtamento, quantùm ad Moralia: quâ manifeſtatâ, procul dubio cedere debet omnis cōtraria conſuetudo, utpote quæ jus naturale, ac Divinum, nequit vincere, ſed potiùs eſt irrationabilis, ac proinde nullius valoris, *ut cap. ult. h. t.*

10 Urgebis. Non exemplis, ſed legibus judicandum eſt, *l. Nemo. C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* ergo nihil valet conſuetudo. Reſp. cum Gloſſa *in l. De quibus, ff. de Legib.* hîc non judicari exemplis, ſed conſuetudine legitimè præſcriptâ. Vel dic cum eadem Gloſſa, non exemplis unius, ſed benè multorum eſſe judicandum.

11 Dices ulteriùs. Saltem ejuſmodi conſuetudo debet eſſe inveterata; ut *cit. l. De quibus. ff. de Legib.* ibi: *Inveterata etiam conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur.* Atqui *Inveteratum* dicitur, cujus non extat memoria; ut probat Gloſſa *ibid. ℣. Inveterata.* ergo ad inducendam conſuetudinem contra Legem Civilem non ſufficit decennium. Reſp. neg. maj. Nam quamvis conſuetudo inveterata, ſeu cujus initij non extat memoria, meritò pro lege cuſtodienda dicatur; non tamē negatur, ſufficere quoque conſuetudinem longi temporis, ſive decem annorum, per textus *num. 96.* allegatos.

12 Quæritur III. An etiam ſufficiat decennium ad inducendā Conſuetudinē contra Jus Canonicum, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas? *R*eſp. In ſolutione hujus quæſtionis multùm variant Doctores. Et imprimis non pauci diſtinguendū cenſent inter Leges, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſemel receptas, & inter nunquam receptas: & has quidē decēnio per contrariam conſuetudinem tolli concedunt; ad illas verò abrogandas requirunt ſpatiū quadraginta annorū, non minùs, ac ad præſcribendum contra alia jura Eccleſiaſtica, *arg. c. Auditis. 15. de Præſcript. & c. Cùm Eccleſia 3. de Cauſa poſſeſſ.* cum concordantijs. Ita ſentiunt Felinus *cap. 1. n. 13. de Treuga.* Navarrus *Conſil. 1. quæſt. 5. n. 24. de Conſtitut.* Covarruvias *lib. 2. Var. Reſolut. cap. 16. n. 6. §. Quintò* Zoëſius *h. t. n. 14.* & ibi Lud. Engel *n. 15.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 3. n. 4.* Calderinus, Butrius, & plures alii, quos citat, & ſequitur Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 18. n. 12.*

13 Ratio hujus ſententiæ eſſe poteſt: quia in priori caſu, ſeu quando lex nunquam fuit recepta, nō agitur de præſcribendo contra legē, ſed de impediendo vinculum legis; ergo de conſuetudine eidem contraria idem videtur dicendum, ac de conſuetudine præter jus, ad quam præſcribendā ſufficit decennium, ut dictum *n. 91.* Deinde non eſt mirandum (inquit Layman) plus temporis requiri ad abolendam legem Eccleſiaſticam jam receptam, quàm non receptam: quia illa plus roboris & firmitatis habet, quàm iſta; juxta illud notiſſimum, can. 3. diſt. 4. *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Tandem, ut argumentatur Covarruvias *ubi ſuprà*, Leges nullam vim obligandi habent, ſi ab initio receptæ non fuerint à Subditis; quia cenſentur latæ à Principe eâ conditione, atque intentione, ut non aliter obligent, quàm ſi fuerint à Republica receptæ: aliquin enim vel maximè præſumendum eſt, eam legem, quæ à Republica non recipitur, minimè ei convenire.

Sed contra hanc ſententiam graviter urgent 104
fundamenta ſecundæ ſententiæ, quā tenet Abbas *cap. ult. n. 11. h. 1.* Imola *in c. Treugas n. 13.* & ibi Fagnanus *num. 40. & 67. de Treuga & pace;* quámque cum pluribus alijs à ſe citatis ſequitur Diana *part. 6. tract. 5. Reſol. 2. §. Sed quid ego,* aſſerens, ſe eam tenere authoritate Sacræ Rotæ Romanæ, quæ ſemper hanc ſententiā canonizavit; ut patet *in una Gerundenn. Adminiſtrationis, die 13. Maij, 1630. coram Eminent. Veroſpio.* Et hæc quidem ſecunda ſententia indiſtinctè docet, Legem Canonicam, ſive uſu recepta fuerit, ſive non, neutiquam tolli niſi ſpatio quagraginta annorū, *arg. cap. ult. h. t.* juncto *c. Auditis. de Præſcriptionib.* cum concordantiis. Quia (inquiunt) Leges Canonicæ legitimè latæ, & promulgatæ, jam ante acceptationem Populi habent totam vim ſuam obligandi, atque firmitatem ſubſtantialem, juxta dicta ſuperiùs *Tit. de Conſtitutionibus §. 6. n. 13. & ſeqq.* Ergo, ſi contra legem uſu receptam non præſcribitur, niſi quadraginta annis, idem dicendum de lege nondum recepta. Probatur conſequentia: Tum quia utraq; jam habet totam vim obligandi. Tum quia in poſteriori caſu reverà non agitur de impediendo legis vinculo (ut oppoſita ſententia ſupponit) ſed de eodem tollendo, utpote cùm tale vinculum jam adfuerit ante acceptationē Populi: unde corruit totum fundamentū prioris ſententiæ. Accedit, quod, ubi Jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debeamus: atqui Jus nullibi diſtinguit inter legē uſu receptam, & non receptā, quantùm ad propoſitum; ergo utramque eodem tempore, videlicet ſpatio quadraginta annorum, tolli per contrariam conſuetudinem, dicendum eſt.

Tertia tandem ſententia pariter quidem cum 105
præcedenti aſſerit, non eſſe opus memoratâ diſtinctione; addit tamen, generaliter ad abrogandam quamcunq; Conſtitutionem Eccleſiaſticam vi contrariæ conſuetudinis, rationabilis tamen, ſufficere decennium. Ita cenſet Leſſius *lib. 2. de Juſt. & jur. cap. 6. n. 46.* Lugo *diſp. 7. de Juſt. & jur. ſect. 6. n. 94.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 18. quæſt. 6.* Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 3. punct. 2. §. 2. n. 9.* Pirhing. *h. t. n. 39.* Chriſtophorus Haunoldus *tom. 1. de Juſt. & jur. tract. 1 cap. 3. controverſ. 2. n. 130.* Sannig. *diſt. 4. de Legib. q. 1. n. 5.* & innuit Herincx *diſp. 3. de Legib. quæſt. 16. n. 217.* Emanuel Sà *℣. Conſuetudo. n. 3.* atque probabilis cenſetur à Diana *cit. part. 6. tract. 5. Reſol. 2.* cum alijs à ſe allegatis. Quamquàm hæc ſententia tantùm intelligēda ſit de vera cōſuetudine, ſeu quæ ſolummodò eſt contra- vel præter Jus commune; nō autem de illa, in qua ſimul agitur de præjudi-

cio tertij, puta, alicujus particularis Eccleſiæ: nam ut hujus juri jam quæſito præjudicetur, requiri veram præſcriptionem quadraginta annorum, in confeſſo eſt, juxta dicenda *num.* 107. *& ſeqq.*

106 Ratio hujus tertiæ ſententiæ, quæ ſub data declaratione cæteris probabilior, Jurique conformior videtur, imprimis deſumitur ex dictis *n.* 104. quia ubi Jus non diſtinguit, neq; nos diſtinguere debemus; ſed Jus nullibi diſtinguit inter LegēCanonicam uſu receptā, & non receptam; ergo. Quinimò, cùm acceptatio Populi non requiratur ad intrinſecam conſtitutionem Legis, parùm refert, an ea aliquando ſit uſu recepta, nec ne; cùm utraq; habeat ſuam intrinſecam firmitatem, ac robur obligandi. Confirmatur, ſimúlq; quoad alteram partem probatur eadem ſententia: quia non eſt inducenda diſcrepantia inter Jus Civile & Canonicum, ubi non habetur expreſſa diſpoſitio Juris in contrariū, *cap.* 1. *de Novi oper. nunciat.* & ampliùs dictū eſt in Proœmio §. 13. *n.* 225. *& ſeqq.* Atqui ad abrogandam legem Civilem per conſuetudinem contrariám, ſufficit decennium, juxta dicta *n.* 96. ſimúlque quoad hoc in Jure Canonico non reperitur expreſſa diſpoſitio in contrarium; ergo pariter ad abrogandam Legem Canonicam quamcunque ſufficit decennium. Videtur enim tunc Legislator, ſive Conditor Canonis, legem à ſe latam poſteà revocare, veluti loco, tempori, & comuni ſubditorum utilitati non convenientem: quia, ſi per tantum tempus, puta decennium, communiter obſervata non fuit, potiùs deſerviret ad illaqueandas animas, & multiplicanda hominum peccata, contra *can. Erit autem lex. diſt.* 4. & concordant dicta ſuperiùs §. 1. *num.* 11.

107 Nec obſtat, quòd *in cit. cap. Auditis. de Præſcript. & c. Cùm Eccleſia. de Cauſa poſſeſſ.* cum ſimilibus, ad præſcribendum contra Eccleſiam requiratur ſpatium quadraginta annorum. Reſp. enim, ibi ſermonem eſſe de præſcriptione contra Eccleſias, ſive Bona immobilia Eccleſiarum, prout deſumitur ex ipſomet textu; non autem de conſuetudine contraria, ſeu de præſcriptione contra Leges Eccleſiaſticas, ſive Conſtitutiones Pontificias. Alioquin enim, cùm contra Romanam Eccleſiam non currat niſi centenaria præſcriptio, *c. Ad audientiam.* 13. *& c. Cùm vobis.* 14. *de Præſcript.* Conſtitutiones Papales non niſi ſolâ centum annorum præſcriptione, ſeu conſuetudine in contrarium abrogari poſſent: quod eſt contra utramque præcedentem ſententiam, communémque Doctorum.

108 Accedit ratio diſparitatis inter præſcriptionem bonorum immobilium, vel jurium Eccleſiæ, & inter conſuetudinem contrariam legi; nam, ut notat etiam Haunoldus *loc. cit. n.* 134. per ejuſmodi præſcriptionem bonorum Eccleſiæ, ſi breviori tempore abſolveretur, ipſamet Eccleſia plurimùm damnificaretur in ſuis bonis, ac juribus, utpote quæ ipſi vi præſcriptionis auferrentur; ac proinde, ne hac occaſione cogeretur Eccleſia in ſuis bonis ac juribus damnum ſuſtinere, per Leges fuit ipſi benignè proviſum de longiori tempore, ad præſcribendum contra eam requiſito. Secùs fit in abrogatione legis per contrariam conſuetudinem, utpote quæ non minuit utilitatem, & commoda Eccleſiæ, aut bonorum vel jurium ejus; imò fit ſalvâ poteſtate, ac jurisdictione Legislatoris, ſive Summi Pontificis, atque Eccleſiæ Romanæ: quinimò hujus tacitus, & legalis conſenſus ſemper ſimul intervenit in conſuetudine contra legem inducenda, prout patebit ex dicendis *num.* 139. *& ſeqq.* Tacetur, quòd inter Conſuetudinem contra legem, & inter Præſcriptionem ſit magna differentia, juxta dicta *num.* 23. *& ſeqq.* ac proinde textus de hac loquentes, malè applicentur ad illam.

Atque conformiter dictis poteſt reſponderi ad Deciſiones Rotæ, quadraginta duntaxat annorum conſuetudinem contra leges Eccleſiaſticas admittentis. Nam, quia coram hoc Supremo Eccleſiæ Tribunali partes litigantes non niſi de proprio, aut Eccleſiarum ſibi commiſſarum præjudicio vitando, litigare conſueverunt (de nuda enim derogatione Legis per conſuetudinem contrariam, hujusque validitate, non facilè quis tantis ſumptibus litigaret, niſi ſimul privatum intereſſe concurreret) hinc dicendum, memoratas Rotæ Deciſiones procedere in illis caſibus, ubi ſimul agitur de præjudicio tertij, vel alicujus Eccleſiæ particularis, aut alterius Loci Sacri: quia, poſtquàm ſemel per legem conditam huic jus fuit quæſitum, iſtud non per ſimplicem abrogationem legis, ſed per veram duntaxat præſcriptionem elidi poteſt; qualis contra Eccleſias, aliáque pia Loca non niſi quadraginta annis completur, *cit. c. Auditis de Præſcription.* cum ſimilibus. Accedit, quòd ſtante longâ conſuetudine contra legem communiter vigente, ipſemet Legislator cenſeatur legem revocare, veluti deſtitutam fine ſuo, & communitati non convenientem; non tamen præjudicare juri tertij jam quæſito. Atq; hinc in ſimili Abbas *in cap. ult. n.* 11. *de Conſuetud.* & Sperellus *Deciſ.* 89. *Fori Eccleſiaſt. n.* 23. *&* 25. *& ſeqq.* licèt concedant, conſuetudinem præter jus poſſe induci decennio: illicò tamen hoc limitant, requirúntque tempus quadraginta annorum, quando inde reſultaret præjudicium tertij, puta, ad detrahendum juri alicujus Eccleſiæ. Concordat Maſcardus *Concl.* 424. *n.* 36. *&* 37. ubi pari modo deſtinguit inter conſuetudinem non detrahentem juri tertij, ad quam ſciente Principe inductam (inquit) ſufficit probare decennium: & eam, quæ detrahit juri tertij, puta alicujus Eccleſiæ, ac requirit probationem quadraginta annorum. Et meritò: nam ubi agitur de tollendo jus uni, & acquirendo alteri, dicitur præſcriptio, non autem conſuetudo; haud obſtante, quòd termini iſti non rarò promiſcuè adhibeantur. Card. de Luca *de Jurisdictione, & Foro competenti, Diſcurs.* 34. *n.* 28. cum alijs.

§. V.

§. V.

De alijs ad Conſuetudinem inducendam requiſitis.

SUMMARIUM.

110. *Conſuetudo nequit induci ab una tantùm perſona, nec à Familia imperfecta.*
111. *Sed ſolùm à Familia perfecta.*
112. *Quæ vel habet poteſtatem condendi leges pro ſubditis ſuis.*
Vel ſaltem ipſi lex imponi poteſt. Ibid.
113. *Per mulieres nequit induci conſuetudo.*
114. *Moniales, an obligentur ex conſuetudine ad recitandum Breviarium?*
115. *Aut per eam ſe poſſint eximere à legibus?*
116. *Ad conſuetudinem requiritur aliqua actuum frequentia.*
117. 118. & 119. *An ſufficiat unus actus ſucceſſivus, & continuatus?*
120. *Vel ſaltem ad eam inducendam ſufficiant duo actus?*
121. *Suadetur pars affirmativa.*
122. *Meliùs tamen in dubio iſtud relinquitur arbitrio Judicis.*
123. *Solvuntur rationes in oppoſitum. Et num. ſeqq.*
124. *In criminibus duo actus inducunt conſuetudinem; & quomodo? Et num. 121.*
125. *Ad conſuetudinem requiruntur actus voluntarij. Et num. ſeqq.*
126. *Conſuetudo debet induci ex certa ſcientia, & non per errorem; idq; exemplificatur.*
127. *Neque per actus vi, aut ex metu gravi elicitos.*
128. *Actus ad conſuetudinem requiſiti, debent eſſe uniformes,*
129. *Publicéque frequentati quaſi ex obligatione.*
130. *Actus meræ facultatis, qui?*
In dubio quid dicendum? Ibid.
131. *Actus illi debent eſſe frequentati à majore parte Communitatis.*
132. *In hac non computantur mulieres, parvuli, furioſi.*
133. *Conſuetudo non debet fuiſſe interrupta.*
134. *Et quibus modis cenſeatur interrumpi.*
135. *Conſuetudo jam completa non revocatur per unicum actum contrarium.*
Secùs, ſi eſt primùm in fieri. Et num. 134.
136. *Ad inducendam conſuetudinem an requiratur ſcientia, & conſenſus Principis? Et num. ſeqq.*
Sententiæ affirmativæ fundamentum. Ibid.
137. *Sed impugnatur.*
138. *Triplex conſenſus Principis poteſt hîc diſtingui, nimirum expreſſus, tacitus, & legalis.*
139. *Ad conſuetudinem ſufficit conſenſus legalis, ſeu juridicus Principis.*
140. *Qui & requiritur.*
Conſuetudo ſumit vires ſuas, non à ſubditis, ſed ab authoritate Legiſlatoris. Ibid.
141. *Solvitur fundamentum ſententiæ affirmativæ.*
142. *Ad inducendam conſuetudinem contra legem, an requiratur bona fides? Et rationes Sententiæ affirmativæ.*
143. *Sententia negativa ſuadetur.*
144. *Solvuntur rationes in oppoſitum. Et num. ſeqq.*
145. *Hæreticorum conſuetudines contra ſtatum Eccleſiæ Catholicæ ſunt irrationabiles, ac invalidæ.*
146. *An ad conſuetudinem requiratur, ut ſit obtenta in Judicio contradictorio? Aſſertur ratio dubitandi.*
Judicium contradictorium *quid? Ibid.*
147. *Sententia negativa probatur.*
148. *Solvitur ratio dubitandi.*

QUæritur I. Per quos poſſit, vel non poſſit induci conſuetudo? Reſp. I. Conſuetudo nequit induci ab una tantùm perſona, neque ab aliqua Communitate imperfecta; ut eſt Familia privata. Ita communis; & ratio eſt: quia conſuetudo eſt Jus ſcriptum, habétque vim legis; ergo nequit introduci ab una duntaxat particulari perſona, vel Familia: hæc enim, licèt ſit capax ſimplicis præcepti, expirantis in morte præcipientis, v. g. Patrisfamilias, pro recta gubernatione domus quædam ordinatio; non tamen eſt capax legis, utpote quæ eſt commune præceptum, *L.* 1 *ff. de Legib.* ac durat etiam poſt mortem Legiſlatoris in perpetuum, niſi revocetur. Et hinc ſuprà *num.* 23. inter alia dictum fuit, Conſuetudinem per hoc ſubſtantialiter differre à Præſcriptione, quòd hæc poſſit induci à particularibus perſonis, non item conſuetudo.

Reſp. II. Conſuetudo poteſt induci ſolummodò à Familia perfecta; qualis eſt ea, quæ capax eſt 111
poteſtatis legiſlativæ pro proprijs Subditis, aut ſaltem legis recipiendæ, quatenùs vel ipſa pro ſuis Subditis poteſt leges, ſive Statuta facere, vel ſaltem ipſi lex imponi poteſt. Prior pars ſequitur ex proximè dictis. Et hinc *l. De quibus, & l. Cùm de conſuetudine. & ſeqq. ff. de Legib.* conſuetudo non niſi à Populo, Civitate, ſive tacito Civium conſenſu, aut à Concilio, ſive Judicio, quod repræſentat mentem Populi, inducta legitur.

Altera pars eſt Bartoli *in d. l. De quibus.* §. *Secundo loco, ff. eod.* Illud quippe poteſt Communitas 112
per tacitum conſenſum, quod poteſt per expreſſum; neq; enim refert, ſuffragio volunta-

 tem

tem ſuam declaret, an rebus ipſis: ergo, ſi Communitas habet potetatem condendi leges, ſive Statuta, hoc ipſo etiam conſuetudinem inducere poterit.

Ultima tandem pars eſt D. Thomæ 1.2.*quæſt.* 97.*art.* 3. *ad* 3. Suarezij *lib. 7. de Legib. cap. 9. n.* 3. *& ſeqq.* & aliorum, qui proinde pro regula ponunt, ab ea Communitate poſſe induci conſuetudinē, cui poteſt imponi lex; cùm lex ſit commune præceptum, obligans etiam poſt mortem Legislatoris, atque in perpetuum, ſicque non niſi Communitati perfectæ imponi valeat.

Reſp. III. Per mulieres, atque earum uſum,
113 non poteſt introduci conſuetudo aliqua. Ita Abbas *cap. ult. n. 8. h. t.* Bartolus *in l. Lex eſt. num. ult*, & ibi Jaſon *n.* 14. *ff. de Legib.* citans alios. Deſumitur hoc imprimis ex *cit. l. Lex eſt. ff. eod.* ubi dicitur: *lex eſt commune præceptum, Virorum prudentum conſultum*: atqui conſuetudo eſt Jus commune, ac lex non ſcripta; ergo hæc, non niſi per viros introduci poteſt, & conſequenter non per merum uſum mulierum: quia, ut loquitur cit. Bartolus, Lex & Conſuetudo æquipollent, *l. De quibus. ff. de Legib.* ſicque valet argumentum ab uno ad aliud. Accedit textus expreſſus *in l. Fœminæ. 2. ff. de Reg. Jur.* ubi generaliter dicitur; *Fœminæ ab omnibus Officijs Civilibus, & publicis remotæ ſunt.*

Ex quo proinde infert Gobat *tract. 5. Theolog.*
114 *Experiment. num. 570.* Moniales non obligari ex ulla conſuetudine ad recitandum Breviariū: quia à Monialibus, utpote fœminis, non poteſt introduci conſuetudo obligans ſub mortali, ut docet Decius *in Reg. 2. ff. de Reg. Jur. n. 37.* cum alijs. Verùm hoc intelligendū eſſe ſecluſâ approbatione Superioris, rectè notavit Baſſæus *℣. Conſuetudo n. 6.* & Bonacina *diſp. 1. de Legib. quæſt. 1. punct. ult. §. 3. n. 15.* poſt Bartolum *L. 2. C. Quæ ſit longa conſuetud.* Suarez *cit. cap. 9. n. 11.* & alios: nam accedente Superioris approbatione expreſsâ, vel tacitâ, ſicut Communitas Monialium eſt capax condendæ alicujus legis, ſive Statuti novi; ita etiam capax eſſe dignoſcitur introducendæ conſuetudinis, quæ vim legis obtineat.

115 Et hac ipsâ ratione accedente videlicet conſenſu Superioris, ſaltem tacito, poſſe Moniales conſuetudine à legibus ſibi impoſitis ſeſe eximere, cùm ſint capaces legis recipiendæ; poſt Suarez *cit. num. 11.* tenet Caſtro Palo *part. 1. tr. 3. diſp. 3. punct. 3. n. 6.* Idémque innuit D. Thomas *cit. quæſt. 97. art. 3. ad 3.* ubi æquiparat poteſtatem condendi legem vi conſuetudinis, & poteſtatem removendi legem per contrariam conſuetudinē.

116 Quæritur II. An ad inducendam Conſuetudinem requiratur aliqua frequentia actuū, & quot horum ſufficiant? Reſp. I. Certum eſt, ad inducendā conſuetudinem, ſive contra- ſive præter legem, requiri aliquam actuū frequentiam, ſeu uſum ſæpiùs iteratum. Patet hoc tum ex *can. 5. diſt. 5.* ipsáque conſuetudinis definitione, qua dicitur eſſe *Jus quoddam moribus conſtitutum.* Tum ex *§. Ex non ſcripto. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* ubi ad eam inducendam requiruntur *diuturni mores, conſenſu utentium comprobati.* Concordat *L. 1. C. Quæ ſit longa conſuetud.* ibi: *Quæ in Oppido frequenter ſervâta ſunt*, cum ſimilibus. 11

Limitant hoc nonnulli, ut Abbas *cap. ult. n. 17. h. t.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 17. quæſt. 9* ac Valenſis *§. 2. n. 1. h. t.* Niſi ſit unus actus ſucceſſivus, & continuatus tempore ad præſcribendam conſuetudinē requiſito: ut ſi ædificaretur pons in loco publico, ibíque toleraretur à Populo per tempus ad inducendā conſuetudinē ſufficiens; aut ſi Beneficium ſæculare conferatur cupiā Regulari, & ab uno, vel pluribus Regularibus Rectoribus continuò, & pacificè gubernetur, donec præſcriptio legitima ſit completa; *ut c. Cùm de beneficio. de Præbend. in 6.* prout exemplificat Abbas ibidem. In tali enim caſu (inquiunt) actus ille debito tempore continuatus æquivalet pluribus actibus, ſicq; ſufficienter declarat tacitum conſenſum Populi pro inducenda conſuetudine.

Verùm alij generaliter negant, poſſe unico a- 1
ctu, etiam multùm notorio, induci conſuetudinem; ut Bartolus *l. De quibus n. 11.* & ibi Jaſon *n. 51. ff. de Legib.* Suarez *d. lib. 7. cap. 10.* Caſtro Palo *cit. §. 3. n. 3. & 5.* Rationem dant: quia conſuetudo requirit frequentiam actuum: ſed ea, quæ uno actu fiunt, non dicuntur frequenter fieri, ut *l. Ex his. & l. Nam ad ea. ff. eod.* Quinimò id foret contra ſubſtantiam conſuetudinis, & ſignificationem hujus vocabuli. Nec urget (ajunt) exemplum de ponte, ac Beneficio ſæculari adductum: quia utrumq; loquitur non de conſuetudine, ſed ſolùm de præſcriptione dominij, ſive juris alicujus; quod uno actu perſeverante præſcribi poſſe, gratìs conceditur, & patet ex *cit. c. Cùm de beneficio. de Præbend. in 6.* ubi expreſsè eſt mentio de præſcriptione.

Sciendum tamen, quòd Bartolus, & Jaſon, *ubi ſuprà*, loquantur de uno actu notorio, non au- 11
tem de uno actu ſucceſſivè continuato: unde, quia talis æquipollet pluribus, ſimúlque ex eo ſufficienter colligi poſſit tacitus Communitatis conſenſus, non illicò reijcienda videtur memorata limitatio Abbatis, & aliorum.

Reſp. II. Quamvis non pauci Doctores velint, duos ſaltem actus requiri, eóſque ſufficere ad inducendam tempore debito conſuetudinem: meliùs tamen dicitur, in dubio, hoc totum arbitrio Judicis eſſe relinquendum, qui juxta rerū & factorum diverſitatem penſabit, quot actus ſint neceſſarij, ac ſufficientes ad oſtendendum, tale quid fuiſſe factum frequenter, ipſámq; conſuetudinem dici poſſe confirmatam.

Priorem partem tenet Gloſſa *in c. Venerabilem. ℣. Ex ſucceſſione. de Electìon.* Abbas *cit. cap. ult. n. 17. h. t.* Baldus *in L. 1. n. 2. C. Quæ ſit longa conſuetud.* & plures alij. Ratio hujus afferri ſolet: quia generaliter duo actus ſufficere ſolent, quoties aliunde numerus eorū in Jure non reperitur eſſe determinatus: nam, ut habet Reg. 40. Juris in 6. *Pluralis locutio duorum numero eſt contenta.* Conçordat can. Ita nos. 25. q. 2. & l. Nemo

mo deinceps.C. de Epiſcop. Audient. ubi Gloſſa fin. inquit: *Nota, quòd duæ vices conſuetudinē faciunt.* Et quòd conſuetudo judicialis inducatur per duas ſententias conformiter latas intra decem annos, expreſsè docet Gloſſa *un. in l. Diuturna. ff. de Legib.* & ſequitur Zaſius *eod. tit. num.* 7. Nam, ut inquit Bartolus *l. De quibus.* §. *Item quæro. ff. de Legib.* cùm Judex authoritate Populi ſit præpoſitus, quod facit Judex, totus Populus facere videtur, juxta illud: Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur, *L.* 1. §. *Omnia. C. de Veteri jure enucleand.*

12 Poſterior verò pars eſt Jaſonis, *cit. n.* 51. Menochij *de Arbitrar. Judic. caſ.* 81. *n.* 4. qui hanc opinionem appellat veriorem; Vallenſis *h. t.* §. 2. *n* 2. Engel *eod. n.* 8. & aliorum plurium. Ratio eſt: quia ad conſuetudinem inducendam requiruntur tot actus, ut ex illis ſufficienter poſſit deſumi, & colligi conſenſus Populi, ſive majoris partis Communitatis: atqui hoc non ſemper poteſt colligi ex duobus actibus; quia fortè per errorem, ignorantiam, aut vitandi ſcandali causâ, non ſtatim Populus contradixit, aut aliud impedimentum intervênit. Et conſequenter in dubio, iſtud totum eſt relinquendum arbitrio Judicis, qui in caſibus particularibus cuncta perpendendo, atque rimando dijudicabit, an id, de quo controvertitur, fuerit frequenter, longoque tempore obſervatum; ſicque conſuetudo ipſa poſſit dici confirmata, atque præſcripta, nec ne, *arg. L.* 1. *ff. de Jure deliberand.*

12 Nec obſtant Jura *num.* 121. allegata. Nam, quòd attinet ad *Reg.* 40. *Juris in* 6. ea non urget: quia impræſentiarum non ſimpliciter requiruntur plures actus, ſed tot actus frequentati, ut ex illis poſſit ſufficienter colligi conſenſus Populi, ſeu majoris partis Cōmunitatis, de inducenda conſuetudine. In hoc autem dijudicando recurrendum eſt ad arbitriū prudentis Judicis.

2 Ad *can. Ita nos.* 25. *q.* 2. *& cit. l. Nemo deinceps. C. de Epiſc. Audient.* dicitur, ibi ſermonem eſſe de criminibus. De his enim loquendo, geminatio actûs criminoſi vocatur *Conſuetudo*, non quidem ſumendo conſuetudinem pro ea, quæ ad legem inducendam, vel abrogandam ſufficiat (talis enim non habet locum in criminibus, ac nutritivis peccati) ſed accipiendo conſuetudinē impropriè, ſeu pro aſſuefactione criminis, quæ ſufficiat ad graviorem ejus punitionem. Caſtro Palao *cit. diſp.* 3. §. 3. *n.* 5. poſt Bartolum *in L.* 2. *C. Quæ ſit longa conſuetud.* Suarez *d. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 3. & Bonacina *diſp.* 1. *q.* 1. *punct. ult. num.* 32.

2 Quæritur III. Quales actus requirantur ad inducendam Conſuetudinem? Reſp. I. Certum eſt, ad conſuetudinem requiri actus voluntarios illis, per quos ipſa inducitur. Alioquin enim deficeret cauſa efficiens Conſuetudinis, qui eſt conſenſus Populi, rebus ipſis, & factis demonſtrandus, *d. l. De quibus. ff. de Legib.*

2 Unde infertur primò cum Gloſſa *fin. cap. ult. h. t.* & Abbate *ibid. n.* 12. & alijs paſſim, quòd conſuetudo debeat induci ex certa ſcientia, & non per ignorantiam, ſeu errorem: alioquin enim, ſi error contingeret circa ſubſtantiam actûs, vel ipſius conſuetudinis, hæc vires firmas nunquam obtineret. Siquidem nihil magis voluntati eſt contrarium, quàm ignorantia, & error: quia errantis nullus eſt conſenſus, *l. Non idcirco. C. de Juris & facti ignorant.* Hinc, ſi Populus ex errore per decem annos obſervaret Diem Feſtum, vel Jejunium, putans, ſe aliquâ Lege ad hoc teneri, non per hoc induceretur Conſuetudo præter jus: & ſimiliter, ſi longo tempore eliceret actus contrarios legi, quam ignoraret eſſe poſitam, non præſcriberet contra legem. Caſtro Palao *cit. diſp.* 3. §. 3. *n.* 11. Haunoldus *Tom.* 1. *de Juſtit. & Jur. tract.* 1. *diſp.* 3. *n.* 140. & alij. Ratio eſt, quæ ſuprà.

Infertur ulteriùs, quòd ſi vi, aut per metum gravem, obligetur Populus ad exercendum actum quempiam longo tempore, non idcircò cenſeatur præſtare conſenſum requiſitum ad introducendam conſuetudinem; quin potiùs per hoc oſtendit, actum ſibi eſſe oneroſum: ac proinde Conſuetudo præter jus, ſive novi juris inductiva, non oritur. Suarez *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 10. Caſtro Palao *cit. num.* 11. & alij. 127

Reſp. II. Inſuper actus illi debent eſſe uniformes; hoc eſt, eâdem ratione à majori parte Communitatis obſervati, & practicati. Si enim modò hoc, modò illud fuerit obſervatum, remanet dubium, quid Populus ſervare voluerit; ac proinde conſuetudo non inducitur. Gloſſa *l. Cùm de conſuetudine. ff. de Legib.* Vallenſis *h. t.* §. 2. *n.* 5. & communis. 128

Reſp. III. Actus illi debent etiam eſſe publicè frequentati quaſi ex obligatione, ſeu animo (ſaltem interpretativo) inducendi Conſuetudinem præter legem, ſive obligatoriam. Ita Gloſſa notabilis *can. Conſuetudo diſt.* 1. ℣. *Inſtitutum.* Abbas *cit. cap. ult. n.* 17. *h. t.* & alij paſſim. Ratio eſt: quia Actibus meræ & liberæ facultatis non inducitur Conſuetudo præter legem, *arg. L.* 2. *ff. de Via publicâ. & c. Abbate. de Verb. ſignif.* Et hac de cauſa devota praxis Fidelium Miſſam diebus Ferialibus audiendi, ſæpiùs per annum confitendi, ſtatis horis ad ſonum campanæ Beatiſſimam Virginem ſalutandi, in ingreſſu Templi frontem Aquâ Luſtrali aſpergendi, & hujusmodi novum jus, ſeu conſuetudinem obligatoriam, ſub peccato nō inducit: quia videlicet hæ, & ſimiles conſuetudines ex liberali tantùm affectu, & devotione, non verò ex ulla inducendæ obligationis voluntate inchoatæ ſunt, & continuantur; ac proinde ſunt actus meræ facultatis. 129

Ubi ſupponendum, quòd per *Actus meræ facultatis* intelligantur illi, qui nullam juris, ne putativam quidem obligationem, aut neceſſitatem habent, ſed pro cujuslibet arbitrio fieri, vel omitti poſſunt. Engel *h. t. n.* 9. In dubio autem, an conſuetudo ex devotione duntaxat, vel animo ſe obligandi fuerit introducta; præſumendum eſt, conſuetudinem potiùs eſſe devotionis, quàm obligationis, ſicque continere actus meræ facultatis, *arg. l. Arrianus. ff. de Actionib. & obligat.* cum ſimilibus; 130

libus; ac notat Maſtrius *diſp. 1. Theolog. Moral. num. 204.*

131 Reſp. IV. Requiritur inſuper, quòd actus illi fuerint frequentati à majori parte Populi, ſeu Communitatis; ſive, quòd major pars Populi uſa fuerit tali conſuetudine Ita Gloſſa *fin. cit. cap. ult. h. t.* eſtque communis. Ratio eſt, quia, ſicut minor pars non poteſt inducere legem, ita nec conſuetudinem: nam generale eſt, quòd in Univerſitatibus ſemper prævaleat id, quod fit à majori parte; atque in iſtud tota Communitas conſentire cenſeatur, niſi quid rationabiliter ab alijs fuerit objectum, atque oſtenſum; ut *cap. 1. De his quæ fiunt à majori parte Capit. & c. Quia propter. 42. & c. Eccleſia veſtra. 48. de Elect. & l. Quod major. ff. Ad Municipalem,* cum concordantijs.

132 Rectè tamen notat Abbas ſæpè *cit. cap. ult. n. 18. h. t.* iſtud intelligendum eſſe de majori parte Populi habilis ad introducendam legem, vel conſuetudinem: quia mulieres, parvuli, ac furioſi, non computantur in numero, cùm non ſint habiles ad condendam legem, ut *L. 1. ff. de Legib.* Inſuper dicta procedunt de Conſuetudine generali, ſive totius Populi: nam loquendo de conſuetudine ſpeciali, v. g. alicujus Collegij, ſufficit major pars iſtius Collegij.

133 Quæritur IV. Utrùm Conſuetudo debeat eſſe non interrupta; & quâ ratione interrumpatur? Reſp. I. Ad Conſuetudinem vel maximè requiritur, quòd ea ante completum legitimum tempus non fuerit interrupta. Ita communis; & ratio eſt clara: quia alioquin non eſſet, nec dici poſſet legitimè præſcripta, contra *cap. ult. h. t.* cum concordantijs.

134 Reſp. II. Cenſetur conſuetudo interrumpi, quando vel Populus ex certa ſcientia exercet actum contrarium, etiam unicum, *arg. c. Sollicitudinem. 24. §. fin. de Appellat. & l. Ubi repugnantia. ff. de Reg. Jur.* ac notat Gloſſa *fin. in l. Nemo alieno. ff. eod.* Abbas *loc. cit. n. 19.* Vel quando Superior transgreſſores ſuæ legis punit, aut in tribunali pro lege ſua contra conſuetudinem judicat. Hac enim ratione conſuetudo expreſsè revocaretur per Superiorem: tacitè verò, quando ex certa ſcientia populus exerceret actum contrarium, quia hoc ipſo oſtenderet, ſe nolle ampliùs conſuetudinem incæptam continuare. Et tunc poſt hujuſmodi interruptionẽ, erit de novo inchoanda conſuetudo: alioquin nõ valebit.

135 Quòd ſi autem poſt lapſum legitimi temporis conſuetudo jam fuerit completa, & firmata, tunc ea per unicũ actum Populi contravenientis non revocatur: ſed vel opus eſt lege Superioris, conſuetudinem illam expreſsè derogantis; vel novâ contrariâ conſuetudine cum temporis diuturnitate, alijſque requiſitis. Gloſſa *fin. in d. l. Nemo alieno. ff. de Reg. Jur.* Abbas *ubi ſuprà n. 19.* Felinus *c. Cùm acceſſiſſent. n. 30. de Conſtitut.* citans quàmplures alios. Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 20. n. 20.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 14.* & alij. Ratio eſt: quia conſuetudo ritè jam præſcripta induxit novum jus, cùm habeat vim legis: atqui huic non derogatur, niſi vel per expreſſam Principis revocationem, vel per contrariam conſuetudinem ritè præſcriptam; ergo.

Quæritur V. An ad inducendam Conſuetudinem requiratur ſcientia, & conſenſus Principis potentis legem condere? Affirmat Gloſſa *fin. in cap. ult. h. t.* Federicus de Senis *Conſil. 17. num. 3. verſ. Præterea conſuetudines,* aſſerens, quòd conſuetudo contra legem non valeat, niſi ſit inducta ex certa ſcientia ejus, qui illam legem poſſet expreſsè tollere in illo loco; atq; pro hac ſua ſententia allegans Bernardum *in cap. ult. h. t.* & Innocent. ac Compoſtell. *ſuper Rubr. eod.* Sperellus *Deciſ. 133. Fori Eccleſiaſtici. n. 22.* poſt Rotam *in Treverens. Abbatiæ S. Maximini. 24. Junij. 1525. coram Coccino.* Fagnanus *c. Utrùm autem. n. 18. de Cognat. ſpirit.* citans Rotam *in Romana, Concordiæ S. Petri, coram Card. Cavalerio,* & alios complures. Rationem dant: quia conſuetudo eſt ſpecies juris, habetque vim legis; ergo aliter, quàm cum ſcientia & authoritate ejus, qui poteſt legem condere, nequit introduci: ac multò minùs poterit per eam prior lex tolli, cùm inferior non poſſit tollere legem ſuperioris absque ejuſdem ſcientia, & conſenſu, *Clem. Ne Romani. §. 1. de Election.* cum ſimilibus. 13

Verùm hæc ſententia, niſi meliùs explicetur, graves patitur inſtantias. Nam imprimis *cap. ult. h. t.* plus non requiritur ad conſuetudinem contra legem, ſeu quæ Juri poſitivo præjudicium generet, quàm ut ea *ſit rationabilis, & legitimè præſcripta*: præſcriptio autem currit etiam contra ignorantes. Deinde *in cap. 1. de Conſtitut. in 6.* dicitur *Romanus Pontifex locorum ſpecialium conſuetudines probabiliter ignorare,* & tamen dictæ conſuetudines validæ cenſentur; ergo ad eas ſcientia Principis non requiritur. Unde pro reſolutione hujus quæſtionis 1

Advertendum eſt, quòd tribus modis Princeps in conſuetudinem conſentire intelligi poſſit, videlicet expreſsè, tacitè, aut legaliter; atque juxta hoc triplex ejus conſenſus diſtingui valeat. *Conſenſus expreſſus* intervenit, quando Princeps expreſsè, ſeu clarè conſentit in talem conſuetudinem, dando licentiam ad eam introducendam, vel ipſam approbando. *Conſenſus tacitus* dicitur, quando Princeps ſcit talem conſuetudinem, & diſſimulat, ſeu non contradicit, cùm commodè contradicere poſſet: ſic enim, dum tacet, conſentire videtur. *Conſenſus legalis* (qui & *generalis, ac juridicus* appellatur) eſt ille, qui datur per legem, ſive per Jus ipſum, quatenus Legiſlatores per publicam legis authoritatem conſentiunt in omnes conſuetudines rationabiles, ac legitimè præſcriptas, eáſque firmas eſſe, vímque legis habere volunt; ut *cap. ult. h. t. & L. 1. & ſeqq. C. Quæ ſit longa conſuetud.* cum ſimilibus. Atque ideò *Conſenſum* hunc alio nomine vocant *generalem*, eò quòd per publicam legem præſtetur generaliter pro omnibus conſuetudinibus rationabilibus, & ritè præſcriptis; at verò duplicem priorem *Conſenſum* appellant *ſpecialem*, eò quòd pro hâc vel illa determinata conſuetudine in ſpecie detur, dum 1

in

in eam Princeps vel expreſsè, vel ſaltem tacitè conſentit. Hoc prænotato,

140 Reſp. I. Ad conſuetudinem cæteroquin rationabilem, præter vel contra legem inducendam, requiritur quidem aliquis conſenſus, & ſcientia Principis: tamen conſenſus ille non neceſſariò debet eſſe expreſſus, ſed ſufficit tacitus, imò & juridicus ſeu generalis per legem datus. Ita Gloſſa *can. In iſtis. §. Leges. ℣. Abrogare. diſt.* 4. ex profeſſo reijciens ſententiam illorum, qui ad conſuetudinem inducendam contra legem requirunt expreſſum conſenſum Principis. Abbas *cap. ult. n. 13. h. t.* Engel *eod. n.* 19. Sannig *h. t. cap. 5. n.* 2. Pirhing *eod. n. 15. & 16.* hanc appellans communem ſententiam Juriſperitorum: quam etiam ſequuntunr Theologi, ut Suarez *lib. 7. de Legibus, cap.* 13. Sanchez *lib. 7. de Matrimonio, diſp.* 4. *n.* 11. Layman *lib. 1. tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 2. & tacendo alios Barthol. Maſtrius *diſp. 2. Theol. moral. n.* 201. aſſerens, hoc totum eſſe de mente Scoti *in 3. diſt. 29. q. un.* Ratio Concluſionis eſt: quia ex una parte requiri aliquem conſenſum, & conſequenter etiam ſcientiam Principis de conſetudine inducenda, probant dicta *n.* 136. Ex altera verò parte non ſemper requiri ſcientiam ſpecialem ipſius, neque conſenſum expreſſum Principis in eam, convincunt Jura *num.* 137. allegata. Confirmatur: quia, quando adeſt conſenſus expreſſus Principis ſuper conſuetudine contrariâ legi, non eſt opus præſcriptione; cùm ipſo facto Princeps revocet legem ſuam. Similiter, quando intervenit conſenſus tacitus, ſeu tolerantia Principis, ſcientis, ſuam legem non ſervari, & tamen non prohibentis, nec punientis tranſgreſſores, cùm poſſet: rurſùm opus non eſt, ut abrogetur lex per contrariam conſuetudinem, & *viâ præſcriptionis*; cùm jam cenſeatur tolli per tacitam Principis revocationem, ſeu *viâ conniventiæ*, prout explicatum fuit *ſuprà n.* 93. *& ſeqq.*

Requiri autem conſenſum Principis juridicum, ſeu per legem generaliter datum, ad conſuetudinem, patet ex eo: quia conſuetudines illæ, quibus Jus reſiſtit, ſeu eaſdem improbat, non poſſunt induci, juxta dicta *num. 37. & 44. ac ſeqq.* Accedit, quòd conſuetudo ſit ſpecies juris, habeátque vim legis; ac proinde ſine authoritate, ſaltem juridica, ſive per publicam legem datâ illius, qui poteſt legem condere, introduci nequit; & multò minùs prior lex per eam tolli, ob dicta *num.* 136. Unde conſuetudo, cæteroquin rationabilis, ac legitimè præſcripta, non ſumit vires ſuas à poteſtate ſubditorum; ſed à fomento Juris, & auctoritate Legislatoris, ſeu Papæ, permittentis induci ejuſmodi conſuetudinem contra Canonem, *cap. ult. h. t.* cum ſimilibus. Abbas in *d. cap. ult. n. 8. h. t.* hinc ſolvens illud mirabile (ut vocat) quòd conſuetudo poſſit contra Canones induci per inferiores, non autem ab iſtis poſſit fieri Statutum contra eoſdem; quia nimirum ibi intervenit auctoritas, ſeu conſenſus ſaltem legalis, ipſius Papæ; non autem hîc. Idipſum docet Sperellus *Deciſ. 89. Fori Eccleſiaſt. n. 8. &* 14. nec in re diſſentiunt cæteri; atq; concordant dicta ſuperiùs *num. 11. & n. 106.*

Dices. Rota Romana, & Doctores *n.* 136. allegati ad hoc ut conſuetudo contra Canones valeat, requirunt certã ſcientiã, & expreſſum conſenſum Principis, ſeu Papæ; ergo conſenſus merè legalis ad id non ſufficit. Reſp. Hanc imprimis ſententiam, niſi meliùs explicetur, fortiter impugnari per *cit. cap. ult. h. t. & cap. 1. de Conſtitut. in 6.* ut jam ſuperiùs *n.* 137. dictum eſt. Deinde allegati Doctores, ac in ſpecie Sperellus, & Fagnanus, *ubi ſuprà*, loquuntur in caſu conſuetudinis, cui Jus comune reſiſtit, eámq; improbat: prout Sperellus *cit. Deciſ.* 133. *n.* 19. & 20. ſemetipſum explicat, aſſerens, quòd conſuetudines illæ, de quibus ibidem loquitur, *non tam dicendæ ſint conſuetudines, quàm corruptelæ.* Sicut & Fagnanus *cit. c. Utrùm autem. de Cognat. ſpirit.* loquitur de tali conſuetudine, quam ſecutus, *in cap. 1. de Sponſalib.* appellatur *Tranſgreſſor Legis Evangelicæ*: prout & ipſe ſeſe declarat *loc. cit. num.* 15. Quia igitur in hiſce caſibus deficit conſenſus juridicus, ſeu generalis per legem communem à Principe datus, reſpectu talis conſuetudinis inducendæ, mirum nõ eſt, quòd ea nullo unquam tempore poſſit contra Canones induci abſque expreſſo conſenſu Papæ; puta, conceſſo per ſpeciale privilegium, ac poſteà continuò practicatum, juxta dicta ſuperiùs *§. 3. n. 61. & 64. ac ſeqq.* Atque eodem modo poteſt reſponderi ad Deciſiones Rotæ, utpote pro allegatis conſuetudinibus à Jure reprobatis adductas: præſens autem Concluſio, & communis ſententia Juriſperitorum, ſolùm loquitur de conſuetudine rationabili, & legitimè præſcripta; cui proin Jus commune non reſiſtit, nec deeſt conſenſus ſaltem generalis, ac juridicus Principis, ſive Papæ. 141

142 Quæritur VI. An ad Conſuetudinẽ inducendã contra legẽ requiratur bona fides? Affirmant Gloſſa *c. Non eſt. ℣. Canonicè. h. t. in 6.* Suarez *lib. 4. Defenſionis Fidei Cathol. c.* 32. *n.* 20. Layman *cit. cap.* 24 *n.* 11. Leſſius *lib. 2. cap. 6. n.* 46. Sylveſter, & alij plures. Rationem dant: quia conſuetudo debet *eſſe legitimè præſcripta*, juxta ſæpè *cit. cap. ult. h. t.* ergo ſicut ad omnem aliam præſcriptionem, ita & ad præſcribendam conſuetudinem, requiritur bona fides: nam, ut habet Reg. 2. Juris in 6. *Poſſeſſor malæ fidei, ullo tempore non præſcribit*, cum concordantijs. Ex hoc proinde inferunt hujus ſententiæ Authores, quòd primi legem Reipublicæ utilem cognoſcentes, eámque illicitè tranſgredientes, præſcriptionem, ipſámque conſuetudinem re ipsâ inchoare non poſſint: quamvis eorum Succeſſores, videntes, legem ab Anteceſſoribus ſuis non fuiſſe obſervatã, exiſtimare, atq; in dubio præſumere valeant, eos habuiſſe juſtam legis non ſervandæ cauſam, ſicq; conſuetudinem inchoare, vel quaſi bonâ fide ab Anteceſſoribus inchoatã, perficere poſſint; prout explicat Layman *loc. cit.* allegans alios.

143 Oppoſitum nihilominùs tenent Jaſon *l. De quibus. n. 49. ff. de Legib.* poſt Jo. Andream, Baldum, Archidiaconum, Hoſtienſem, & alios. Sanchez *lib.*

lib. 7. de Matrim. diſp. 4. n. 14. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 6.* Diana *part. 8. tract. 7. reſolut.* 37. Lugo *diſp. 8. de Juſtit. & jur. ſect. 6. n. 96.* Haunoldus *cit. tract.* 1. *cap.* 3. *n.* 136. Bonacina, pluréſque alij. Ratio hujus deſumitur ex communi ſenſu hominum: alioquin enim vix unquam à Subditis præſcribi poſſet ulla conſuetudo contra legem; cùm moraliter impoſſibile ſit, ut Subditi ab initio non ſciant, ſe agere contra legem, ſicque conſuetudinē malâ fide incipiant. Certè, in dubio nunquam poſſet præſumi pro valore conſuetudinis: quia præſumitur lex non ignorari (quinimò Juris ignorantia non excuſat, juxta *Reg.* 13. *Juris. in* 6.) adeóq; transgreſſiones præſumerentur eſſe peccaminoſæ; sicq; everteretur tota propemodùm materia, & Juris utriusq; diſpoſitio circa Conſuetudinem. Accedit, quòd conſuetudo non inducatur ex errore, ſive ex actibus ob legis ignorantiam elicitis, ut dictum *num.* 126. ergo ex hoc capite Succeſſores priorum non poſſunt conſuetudinem inchoare, vel perficere.

144 Nec urget ratio in oppoſitū. Quia conſuetudo ſolùm impropriè dicitur præſcripta, quatenùs nimirum tempore legitimo, ſeu longo, debet eſſe continuata, ut dictum *num.* 90. aliàs autem plures ſunt differentiæ inter Conſuetudinem, & Præſcriptionem, ſuprà *n.* 23. *& ſeqq.* aſſignatæ. Adde aliam quoad propoſitum diſparitatem: quia præſcriptio cum mala fide facta, redundaret in damnum tertij innocentis, cui res ſua injuſtè auferretur; non ſic conſuetudo contra legem. Etenim, cùm lex tota ordinetur ad bonum commune Subditorum, ſi conſtet per experientiam, optimam rerū magiſtram, quòd à Subditis non obſervetur, ſicque non niſi ad conſcientiæ laqueum deſerviat, non verò ad utilitatem Subditorum; tanquam deſtituta ſuo fine, ſapienter, ac meritò à Legislatore, Subditorum infirmitati condeſcendente, cenſetur revocari ſaltem per conſenſum ſuum legalem, & juridicum, non obſtante malâ fide ſubditorū, qui per legis transgreſſionem antehàc peccaverunt.

Quòd ſi omnino contendas, requiri bonam fidem in præſcribenda conſuetudine contra legem, ne alioquin ſequi videatur, Hæreticos omnibus Eccleſiæ legibus vi contrariæ conſuetudinis eſſe exemptos. Certè cauſæ rationabilitas, ob quam Populus legem non obſervat, actuúmque frequentia, & legalis, ſeu juridicus Principis conſenſus eam ſufficienter ſupplebit.

145 Neq; urget inſtantia de Hæreticis. Reſp. enim, impræſentiarum eſſe ſermonem duntaxat de conſuetudine rationabili. Patet autem, tales non eſſe conſuetudines Hæreticorum: tum quia hæ procedunt ex pertinaci errore contra veram Fidem Catholicam, atque directè tendunt in contemptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, eiúsq; viſibilis Capitis, Chriſtique in terris Vicarij Romani Pontificis; adeóque veluti repugnantes veræ Fidei, Juriq; Divino, rationabiles eſſe neutiquam poſſunt. Tum quia patet ex dictis *§. 3. num.* 56. *& n.* 59. *& n.* 71. *& ſeqq.* quòd conſuetudines illæ ſint irrationabiles, per quas rumpitur Nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, impeditur morum reformatio, debita extinguitur obedientia, peccandi licentia miniſtratur, aut deformatur Status Eccleſiæ univerſalis: atqui hæc omnia fiunt per depravatas illas Hæreticorum conſuetudines, quibus peſtifero odio erga Sanctam Eccleſiam, ejúſque viſibile Caput Pontificem Romanum, ſaluberrimas ipſius leges, atque ſacras Conſtitutiones, non ex parte duntaxat, ſed in totum, imo & ipſam Poteſtatem Legislativam, divinitùs ipſi conceſſam, pertinaciſſimè negant, contemnunt, conculcant, & contumaciter transgrediuntur. Unde verificatur illud in ipſis, eorúmque depravatis conſuetudinibus, quod *cap. ult. h. t.* refertur, videlicet *tantò graviora eſſe peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.*

Quæritur VII. Utrùm ad conſuetudinem requiratur, ut etiam in contradictorio judicio ſit obtenta? Ratio dubitandi deſumitur *ex l. Cùm de conſuetudine. ff. de Legib.* ubi dicitur: *Cùm de conſuetudine Civitatis, vel Provinciæ confidere quis videtur, primùm quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando judicio conſuetudo firmata ſit.* Accedit Gloſſa *in c. Abbate. ℣. Contradicto judicio. de Verb. ſignif.* ubi ait: *Ad hoc, ut conſuetudo valeat, oportet, ut ſit obtenta contradicto judicio, id eſt, ſi ex adverſo negetur conſuetudo. ff. de Legib. l. Cùm de conſuetudine, &c. Contradictum judicium dicitur, puta, cùm ego dicerem, hanc eſſe conſuetudinem; adverſarius dicebat, non eſſe conſuetudinem, & judicatum fuit, quòd erat conſuetudo.* Hæc Gloſſa. 14[illegible]

Reſp. nihilominùs cum Abbate *cap. ult. n.* 16. *h. t.* allegante communem opinionem Canoniſtarum, & Legiſtarum, id non requiri, ſed ſufficere ad Conſuetudinem introducendam actus extrajudiciales: quia in eis etiam conſenſus, & uſus Populi verificatur. Accedit, quòd nullo jure hoc requiratur, imò & oppoſitum ſatìs innuatur *cap. ult. h. t.* ubi ad Conſuetudinem ſufficere dicitur, quòd ſit *rationabilis, & legitimè præſcripta.* Et reverà, ſi ad eam neceſſariò requireretur, ut ſit obtenta in contradictorio Judicio, defectu hujus conditionis nulla prorſus nova dari poſſet conſuetudo; cùm prima conſuetudo nunquam potuerit, nec poſſit eſſe obtenta in contradictorio judicio, ut patet. 14[illegible]

Nec urget *cit. l. Cùm de conſuetudine. ff. de Legib.* Nam hæc non loquitur de introductione conſuetudinis, ſed de ejus confirmatione; ut liquet ex illis ejus verbis: *An etiam contradicto judicio conſuetudo firmata ſit.* Ubi ponderandum ly, *firmata ſit.* Unde ſenſus illius Legis eſt, hoc imprimis à Judice eſſe explorandum: quia, ſi talis conſuetudo jam aliquando in Judicio recepta eſt, ac pro ea extitit judicatum, tunc allegans conſuetudinem, quam aliàs tanquam rem Facti per teſtes probare deberet, relevatur ab onere probandi; cùm ex priori judicio, ac ſententiâ, conſuetudo illa jam ſit firmata. 14[illegible]

§. VI.

§. VI.
De Effectibus Conſuetudinis.

SUMMARIUM.

149. *Quatuor generatim ſunt effectus Conſuetudinis; & qui?*
150. *Conſuetudine poteſt irritari actus in contrarium geſtus.*
151. *Dupliciter interpretatur legem, videlicet authenticè, ſive neceſſariò, ſi eſt Conſuetudo juris.*
152. *Et conjecturaliter, ſeu probabiliter, ſi eſt Conſuetudo facti.*
153. *Neque ad hoc poſterius requiritur decennium.*
154. *Conſuetudo rationabilis poteſt abrogare Legem, ejusq; obligationem.*
155. *Imò & pœnam Legis manente ejus obligatione ad culpam, & econtrà.*
156. *Idque exemplificatur,*
157. *Ac limitatur in Cenſuris.*
158. *Conſuetudo habet vim obligandi etiam pro Foro conſcientiæ.*
159. *Et quæ ad afferendam talem obligationem in praxi ſint attendenda?*
160. *Conſuetudo unius loci non obligat alium vicinum.*
161. *Conſuetudo eſt ſtricti juris, nec extenditur de loco ad locum.*
162. *Si eſt odioſa: ſecùs, quando eſt favorabilis. Et num. ſeqq.*
163. & 164. *Eſt recurrendum ad conſuetudinem vicinarum Eccleſiarum, Civitatum &c. & quando?*
165. *Si diverſa eſt conſuetudo vicinarum Eccleſiarum, attenditur magìs rationabilis.*
166. *Quid agendum in dubio, quæ conſuetudo ſit magìs rationabilis?*
Conſuetudo S. Romanæ Eccleſiæ, an ſit neceſſariò obſervanda? Ibid.
167. *Conſuetudo diuturna, ſed mala, an, & quos habeat effectus? Et num. ſeqq.*
168. *Ipſa excuſat à pœna temporali, ſeu Fori exterioris.*
169. *Non tamen à pœna æterna, & in Foro conſcientiæ.*

4 QUæritur I. Quot generatim ſint effectus Conſuetudinis? Reſp. Quatuor, videlicet Interpretatio legis jam præexiſtentis, Abrogatio legis anteà poſitæ, Obligatio ſive inductio novæ legis, & Irritatio actûs in contrarium geſti. Ita communis. Et quidem juxta priores tres effectus, paſſim dividitur *Conſuetudo* in eam, quæ eſt *ſecundùm legem, præter legem*, & *contra legem*, ut dictum *num. 8. &*
10 *ſeqq.*

Quartus autem effectus, videlicet Irritatio actûs in contrarium geſti, deſumitur *ex cap ult. h. t. & l. De quibus. ff. de Legib.* cum concordantijs. Ubi generaliter, ac ſine limitatione, conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta, vim legis habere dicitur; eò quòd nihil interſit, ſuffragio Populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis: cùm igitur detur Lex irritans actus in contrarium geſtos, pari ratione id per longævam Conſuetudinem fieri poterit. Sic per conſuetudinem loci efficitur quis ineligibilis, & inhabilis ad Beneficium Eccleſiaſticum, *c. Cùm olim. 6.* junctâ Gloſſâ *fin. de Cleric. conjugat.* Sic etiã electio contra conſuetudinẽ legitimè præſcriptam attentata non valet, ſed irrita declaratur, *c. Cùm dilectus. 8. h. t. & c. Cumana. 50. de Election.* cum ſimilibus. Et hæc de quarto Conſuetudinis ef-
11 fectu: nunc de alijs tribus ſingillatim agendo.

Quæritur II. Quibus modis Conſuetudo poſſit interpretari Legem præexiſtentem? Reſp. Dupliciter id fieri, videlicet authenticè ſive neceſſariò, & probabiliter ſeu conjecturaliter tantùm: juxta quod Conſuetudo alia eſt Juris, & legitimè præſcripta; alia Facti duntaxat, & conſiſtens in mera frequentatione actuum. Et quidem *Conſuetudo juris*, quæ videlicet legitime fuit præſcripta, ſicque vim legis obtinuit; interpretatur legem authenticè, adeò ut ejus interpretatio ſit neceſſaria, ſeu neceſſariò obſervanda. Hæc quippe nomine *Conſuetudinis* abſolutè poſitæ intelligitur, *c. Cumana. 50. de Election.* ac proinde de ipſa procedit illud *c. Cùm dilectus. h. t. & l. Si de interpretatione. ff. de Legibus*; ubi dicitur: *Optima eſt legum interpres conſuetudo.* Et l. Nam Imperator. ff. eod. ubi Imperator reſcripſit, *in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere.*

Cæterùm *Conſuetudo facti*, quæ nimirum eſt in 152
fieri duntaxat, & conſiſtit in mera frequentatione actuum, eſtque via ad priorem (ac proinde ſolet nonnunquam appellari *Conſuetudo in fieri*) ſolummodò conjecturaliter, ſive probabiliter mentem Legiſlatoris, ipſiúsque legis, interpretari poteſt: prout in ſimili Doctores interpretantur leges probabiliter ſolùm, non item neceſſariò. Quamquàm adhuc altiori quadam ratione id præſtet Conſuetudo præ Doctoribus, eò quòd ibi plures in unum conveniant, & quidem rebus ipſis ac factis, per majorem videlicet Communitatis partem præſtitis, & non verbis præciſè: unde etiam ſucceſſu temporis Conſuetudo vim legis obtinere noſcitur, quod interpretatione Doctorum nunquam conveniet.

Et quidem hujusmodi Conſuetudo interpre- 153
tativa conjecturalis neutiquam expoſtulat tempus decennij (ad inſtar Conſuetudinis interpretativæ authenticæ) ſed minori tempore eſt contenta: eò, quòd iſtud jure non reperiatur definitum,

tum, ſimúlque ipſa vim legis nondum habeat, neque neceſſariò ſit tenenda. Unde Menochius *lib. 2. de Arbitr. Judic. caſ.* 83. *n. 10.* poſt Cravettam *Conſil.* 21. *n.* 12. & alios, haud immeritò dixit, quòd, ſi agatur de conſuetudine interpretativa, poſſit Judex æſtimare eam ſatis ſtabilitam parvo tempore, cùm tempore diuturnitas in his non requiratur. Quod tamen eſt intelligendum de probabili, ſeu conjecturali conſuetudine: nam ad interpretativam conſuetudinem authenticam requiri ſaltem decennium, concedit idem Menochius *loc. cit. n. 6.* allegans communem. Et hæc quoad primum Conſuetudinis effectum, qui eſt *Interpretatio legis* jam præexiſtentis: nunc pergendo ad alios,

154 Quæritur III. Qua ratione Conſuetudo poſſit abrogare legem præexiſtentem? Reſp. I. Certum eſt, & in confeſſo, quòd conſuetudo rationabilis, ac legitimè præſcripta, vim habeat abrogandi legem præexiſtentem, ejúſque obligationem. Patet hoc ſiquidem *ex cap. ult. h. t.* cum concordantijs.

155 Reſp. II. Poteſt inſuper ejuſmodi Conſuetudo abrogare pœnam legis, manente hujus obligatione ad culpam; & viciſſim tollere legem quoad culpam, remanente ejus obligatione ad pœnam: dummodò hæc non ſit talis conditionis, ut culpam neceſſariò præſupponat. Ita Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 19. n.* 3. *&* 12. Caſtro Palao *part. 1. tract. 3. diſp. 3. punct.* 4. *§. 2. n.* 4. citans alios. Ratio eſt: quia Jura indiſtinctè loquuntur de ſublatione legis poſitivæ humanæ per contrariam conſuetudinem legitimè præſcriptam. Deinde ſi per contrariam conſuetudinem poteſt lex abrogari ex toto, cur non etiam eidē poterit derogari ex parte? Nam conſuetudo non niſi ex tacito, ſive legali conſenſu Principis vim ſuam obtinet: clarum eſt autem, quòd poſſit Princeps abrogare pœnam in lege poſitam, manente ejus obligatione quoad culpam; & viciſſim tollere legis obligationem quoad culpam, remanente obligatione ejus quoad pœnam, prout tale quid accidit in lege merè pœnali: idem ergo fieri poteſt conſuetudine legitimè præſcriptâ.

156 Et hac ratione, quòd *Extravag.* Ambitioſæ. *de Rebus Eccleſ. non alienand.* in quibuſdam locis ſit recepta ad nihil, in aliquibus ad aliquid, non autem quoad pœnas ipſo jure inflictas, tradit Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 149. *&* 150. poſt Cajetanum; ac ſequitur Guilielm. Herincx *diſp. 5. de Legib. quæſt. 2. n. 14.* citans alios. Idémque videre eſt in pluribus alijs Decretis varias pœnas imponentibus, quæ jam uſu contrario ceſſarunt, manente cæteroquin legis obligatione. Accedunt dicta *Tit. de Conſtitutionibus.* §. 9. *n. 206.* ubi etiam exempla quædam referuntur, in quibus conſuetudine longævâ videtur Lex mixta tranſijſſe in merè pœnalem.

157 Additur notanter *num.* 155. *Dummodò pœna non ſit talis conditionis, ut culpam neceſſariò præſupponat.* Nam fallit Concluſio in Cenſuris Eccleſiaſticis, utpote quæ non imponuntur niſi contumacibus, & Eccleſiæ inobedientibus; ſicque culpam propriè dictam præſupponunt.

1 Quæritur IV. Utrùm conſuetudo legitimè introducta habeat vim obligandi etiam pro Foro conſcientiæ? Reſp. Loquendo de conſuetudine quidpiā præcipiente, aut prohibente, habet ipſa vim obligandi nedū pro Foro externo, ſed etiā pro Foro conſcientiæ: unde, ſi alicubi ex longæva conſuetudine, & concurrentibus alijs conditionibus hactenùs enumeratis, celebretur Dies Feſtivus veluti de præcepto, abſq; dubio is tandem obligabit etiam pro Foro interno, & conſcientiæ. Ita cōmunis; & patet *ex can. Illa autem. diſt.* 12. ubi loquendo pro Foro conſcientiæ, atque evitando peccato, hoc ipſum traditur de obſervantia jejunij, allegato illo S. Ambroſij effato: *Cùm Romam venio, jejuno Sabbato; cùm Mediolani ſum, non jejuno:* propter diverſam videlicet utriuſq; Eccleſiæ conſuetudinem. Idipſum convincit ratio manifeſta: quia conſuetudo pro lege ſuſcipitur, éſtque jus non ſcriptum; ergo, ſicut lex juxta materiæ qualitatem obligat in conſcientia, ita & conſuetudo legitimè præſcripta.

1 Additur notantur *& concurrentibus alijs conditionibus hactenùs enumeratis.* Nam in praxi ad aſſerendam hujuſmodi obligationem vel maximè erit attendendum, utrùm actus illi à majori parte Cōmunitatis fuerint publicè frequentati quaſi ex obligatione, ſimúlq; extiterint uniformes, ac voluntarij, non autem ex errore aliquo procedentes; prout jam ſuprà *num. 127. & ſeqq.* ulteriùs dictum eſt. Deinde quando Superior, ut puta Epiſcopus loci, expreſsè contradixit tali conſuetudini introducendæ, palàm eſt, talem conſuetudinem fore invalidam, ſicque non obligare pro Foro conſcientiæ: deficeret enim conſenſus Superioris, etiam legalis, & tacitus, ob hujuſmodi expreſſam contradictionem.

1 Quæritur V. An conſuetudo unius loci, v. g. Civitatis, obliget alium locum, ſeu Civitatem vicinam? Reſp. I. Si ibidem vigeat ſpeciale Statutum, aut propria Conſuetudo, certum eſt, conſuetudinem unius loci non poſſe obligare alium. Idq; liquet ex *cit. can. Illa autem. diſt.* 12. ubi conſuetudo Romæ vigens jejunandi in Sabbato, non obligavit Mediolani. Concordat *can. Catholica Eccleſia. diſt.* 11. ubi dicitur, quòd quælibet Eccleſia regatur ſuis ſpecialibus conſuetudinibus, & conſtitutionibus. Accedit ratio: quia conſuetudo eſt localis, nec inducitur, niſi ex actibus frequentatis per majorem partem determinatæ Communitatis; ergo, ubi Communitates ſunt diſtinctæ, conſuetudo vigens in una nequit obligare alteram; cum illa nullam habeat poteſtatem in iſtam. Federicus de Senis *Conſil.* 91. *n.* 4. Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 821. & communis.

1 Et hac de cauſa rectè notant Doctores, quòd conſuetudo ſit ſtricti juris, & non extendatur de loco ad locum, nec de caſu ad caſum, nec de perſona ad perſonam; ut tenuit Alexander *Conſil. 68. n. 5. & n. 19. lib. 2.* Maſcardus *de Probationib. Concl. 423. n. 13.* poſt Decium *cap. 1. n. 27. de Probat.* Card.

de

de Luca *Diſcurſ.* 30. *de Beneficijs. num.* 12. & alij.

162 Quod tamen intelligendũ eſt de conſuetudine odioſa, ſeu contra jus militante; qualis extendi non debet ultra ea, in quibus ſpecificè obſervata eſt, *l. Quòd verò contra rationem. ff. de Legib.* ac notat Alexander *cit. n.* 5. Quódque adeò verum eſt, ut conſuetudo odioſa, veluti ſtrictè interpretanda, etiã ex majoritate rationis non debeat extendi ad alium caſum ſimilem: ſecùs autem, quando conſuetudo eſt favorabilis; tunc enim extenditur. Maſcardus *loc. cit. n.* 15. *&* 16. citans alios. Idem confirmatur ex mox dicendis: unde

163 Reſp. II. Nihilominùs, ubi Jure cõmuni nihil habetur expreſſum, ſimúlq; in certa Eccleſia, Civitate, vel loco, non extat ſpeciale Statutum, nec Conſuetudo particularis, quidpiam circa talem materiam diſponens, aut decîdens; tunc pro facienda diſpoſitione, vel cauſarum occurrentiũ deciſione, recurrendum eſt ad conſuetudinem vicinarum Eccleſiarum, Civitatum, ſive locorũ. Ita deſumitur *ex c. Cùm olim.* 6. *h. t.* ubi loquendo de Officijs, Dignitati noviter erectæ attribuendis, expreſsè ſic ſtatuitur; ac notat Abbas *ibid. n.* 4. hinc inferens, quòd ubi in honoribus deferendis nõ apparet in Jure, nec ex conſuetudine ſpeciali, quid juris, recurrendum ſit ad conſuetudines vicinorum. Et Barboſa *in Collectaneis ad tit. c. Cùm olim. n.* 4. notans, quòd in ſubſidium conſue. tudo Regni, ſeu loci vicini attendatur. Idémq; tradit Menochius *Conſil.* 312. *n.* 13. generaliter docens, quòd in re dubia ſequendum ſit exemplum, & mos vicinorum locorum, juxta Cravettam *Conſil.* 206. *n.* 14. *& Conſil.* 258. *n.* 8. & alios. Concordat *c. Super eo.* 22. *de Cenſib.* ubi ſimili modo in ſubſidium jubetur obſervari conſuetudo vicinarum Provinciarum. Item *c. Super eo.* 3. *de Cognat. ſpirit.* ubi circa hanc mandat Pontifex obſervari conſuetudinem Metropolitanæ Eccleſiæ, vel aliarum circumpoſitarum.

164 Notanter autem additur, *ubi Jure communi nihil habetur diſpoſitum &c.* Nam, quando adeſt diſpoſitio Juris communis, priùs eſt recurrendum ad Jus commune, quàm ad conſuetudinem vicinarum Eccleſiarum, vel locorum. Siquidem ſpecialis talium locorum conſuetudo non præjudicat Juri communi univerſaliter, ſed ſolùm ſpecialiter, pro tali videlicet determinato loco, ubi viget: ac proinde extra ipſum, & in loco v. g. vicino obligat diſpoſitio Juris communis. Qua ratione ſingulariter eſt intelligendus textus *in L.* 2. *C. Quæ ſit longa conſuetudo*, dicens, quòd licèt conſuetudinis non ſit parva authoritas, non tamen uſque adeò valitura ſit, ut vincat legem, ſcilicet univerſaliter. Abbas in *c. Cùm olim. n.* 7. *h. t.* & alij. Similiter, ubi in quapiam Civitate, ſive loco, habetur jus determinatum, vel ſpecialis conſuetudo, tunc hæc erit obſervanda, nec attendere oportet ad conſuetudinem vicinarum Civitatum, aut locorum, per jura, & rationes *num.* 160. adductas. Card. Tuſchus *cit. Concl.* 821. *n.* 5. poſt Federicum de Senis, *ubi ſuprà.*

165 Reſp. III. Quando diverſa eſt conſuetudo vicinarum Eccleſiarum, Civitatum, Provinciarũ, ſeu locorum, & aliud ſervatur in uno, aliud autem in alio loco: tunc in defectu Juris communis, & Statuti, conſuetudiniſque particularis, obſervanda eſt conſuetudo magis rationabilis, minúſque alijs præjudicans, ſeu nociva. Ita habetur *cit. cap. Cùm olim. h. t.* & ampliùs tradunt idem Abbas *n.* 7. & Barboſa *n.* 1. citans alios.

In dubio autem, quænam conſuetudo ſit magis rationabilis, minúsq; nociva alijs, oportet attendere ad conſuetudinem propriæ Eccleſiæ Metropolitanæ; ut *can. De his. diſt.* 12. *& c. Super eo.* 3. *de Cognat. ſpirt.* Vel maximè autem attendenda eſt conſuetudo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, utpote quæ eſt Mater & Caput omnium Eccleſiarum, *can.* 1. *& ſeqq. diſt.* 12. *& can. Dudum.* 3. *q.* 6. Et quæ tanquam Magiſtra in omnibus eſt ſequenda, *can. Quis neſciat. diſt.* 11. *& can. Omnes. diſt.* 22. cum ſimilibus. Quamquàm his non obſtantibus Gloſſa *fin. in cap. Nolite diſt.* 11. *& in cap. un.* ℣. *Doceat. de Summa Trinit.* quam ſequitur Abbas *cap. ult. n.* 1. *de Reg. Jur.* rectè notet, quòd exceptis illis, quæ ſunt de Fide Catholica, & ejus Articulis, vel ubi ipſa quidpiam præcipit obſervandum, non neceſſariò teneantur aliæ Eccleſiæ ſequi conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ſed quælibet Eccleſia debeat ſequi conſuetudinem ſuam; *ut c. Certificari.* 9. *de Sepultur. & can. De trina. de conſec. diſt.* 4. cum ſimilibus. 166

Quæritur VI. Utrùm Conſuetudo diuturna, minùs tamen juſta, ſeu mala, nullum penitùs habeat effectum? Reſp. Habere ſequentes effectus. Primò, quòd præſtet probabilem cauſam dubitandi de validitate juris, ſive actûs ei conformiter geſti, *arg. c. Cùm cauſam.* 27. *de Elect.* ibi: *Dubitatis, & meritò.* ac notat Abbas *ibid. n.* 3. inde inferens à ſimili, quòd valeat ſententia lata contra jus, de quo poteſt probabiliter dubitari, aut ratione conſuetudinis, aut aliâ de causâ. Quod tamen intelligendum eſt cũ Nicol. Garcia, *part.* 9. *de Beneficijs, cap.* 2. *n.* 28. dummodò conſuetudo illa non ſit evidenter mala: alioquin enim juſtam ignorantiæ cauſam non præberet. 167

Deinde conſuetudo diuturna licèt prava, minúsq; juſta, habet hunc effectum, quòd excuſet à pœna Fori exterioris, licèt non interioris. Et ita tenet Gloſſa *in can. Deniq; diſt.* 4. ubi multis pro- & contrà allegatis concludit, dicens: *Conſuetudo excuſat à pœna temporali, ſed non à gehennali* Idem tradit Jaſon *l. De quibus. n.* 8. *ff. de Legib.* Zoëſius *h. t. n.* 3. Maſcardus *Concl.* 194. *de Probat. n.* 10 *& Concl.* 1417. *n.* 35. citans alios. Ratio prioris partis eſt: quia hoc ipſo, quòd ejuſmodi conſuetudo toleretur, ac permittatur in Foro externo, non debet in eo puniri: alioquin jam non permitteretur. Accedit textus expreſſus *in c. Sanè. de Temporib. Ordinat.* ubi propter antiquam conſuetudinem loci, licèt cæteroquin pravam & irrationabilem, evitatur pœna Depoſitionis, & Suſpenſionis. Imò quòd talis conſuetudo excuſet etiam à pœna Excommunicationis, notat Fagnanus *in c. Ad hæc. n.* 70. *de Religioſ. Domib.* poſt Tiraquellum *de pœnis. Conſil.* 42. 168

169 Altera pars liquet ex eo; quia conſuetudo prava, ſeu irrationabilis, hoc ipſo, quòd ſit talis, non excuſat à culpa; imò hanc ratione diuturnitatis ſuæ aggravat, ut *cap. ult. h. t.* ergo nec excuſat in Foro conſcientiæ, aut à pœna gehennali, quæ correſpondet illi culpæ.

§. VII.

De Probatione Conſuetudinis.

SUMMARIUM.

170. *Conſuetudo eſt difficilis probationis; & cur?*
171. *Cui incumbat onus probandi conſuetudinem?*
172. *Conſuetudo notoria non indiget probatione.*
173. *Conſuetudo probatur pluribus modis.*
174. & 175. *Et quibus?*
176. *Binus actus in judicio, ſeu gemina ſententia conformis inducit conſuetudinem.*
177. *Solvitur inſtantia.*
178. *Alij modi probandi conſuetudinem referuntur.*
179. *Teſtes ut probent conſuetudinem, quæ conjunctim deponere debeant?*
180. *Præſertim loquendo de conſuetudine immemoriali? Et cujus ætatis hi teſtes eſſe debeant? Ibid.*

170 Quæritur I. An, & cur Conſuetudo ſit difficilis probationis? Reſp. Conſuetudinem eſſe difficilis probationis, paſſim fatentur Doctores, poſt Gloſſam *fin. cap. ult. h. t.* ubi circa medium inquit: *Et ſic videtur, quòd difficile ſit probare conſuetudinem.* Accedit ratio: quia ad ejus probationem neceſſe eſt probare omne id, quidquid ad conſuetudinem requiritur; ac præſertim, an à majori parte Communitatis, & animo eam inducendi, ac per tempus legitimum, continuoque uſu fuerit obſervata: hoc enim probare, quam ſit difficile, quis non videt? eò præſertim, quòd mores populi valde ſint mutabiles, & variabiles, ut dicitur. *§. penult. Inſtitut. de Jure nat. gen. & civil.* Accedit, quòd conſuetudo debeat plenè probari; ut tradit Bartolus *in Repetitione l. Conſuetudinis. quæſt. 27. C. Quæ ſit longa conſuetud.* & alij apud Maſcardum *cit. Concl.* 423. *n. 19.* Simúlq; ipſa ſit probanda in ſpecie, imò & in individuo; cùm non extendatur de caſu ad caſum, ut loquitur Card. de Luca, *Diſcurs.* 53. *de Feudis. n.* 4. Quæ omnia ſimul ſumpta reddunt probationem conſuetudinis difficilem, imò ut loquitur Abbas *Conſil.* 53. *n* 2. *lib.* 3. difficillimam, & juxta Hoſtienſem *cap. ult. h. t.* quaſi impoſſibilem.

171 Quæritur II. Cui incumbat onus probandi conſuetudinem? Reſp. Certùm eſt, quòd allegans conſuetudinem, teneatur ipſam probare. Ratio eſt clara: quia generale eſt, quòd affirmanti incumbat probatio, *L.* 2. *ff. de Probationib.* Simúlque conſuetudo conſiſtit in facto, *cap. 1. de Conſtitut. in 6.* quæ autem conſiſtunt in facto, non præſumuntur, ſed indigent probatione. Nam facta ex ſui naturâ ſunt incerta, *l. In omnibus. ff. de Juris & facti ignorant.* ſicque non præſumuntur, niſi probentur, *l. Aſſeveratio, C. De non numerat. pecun.* & latè Barboſa *Axiom.* 93. *num.* 27. citans alios.

172 Excipitur tamen conſuetudo notoria: hæc quippe propter ejus notoreitatem non indiget probatione, ſed ſufficit ſimpliciter ipſam allegare. Maſcardus *cit. Concl.* 423. *n.* 27. *&* 28. allegans alios. Imò (quod plus eſt) hujuſmodi conſuetudinem notoriam Judices ſupplere poſſe, ac teneri ſupplere, cenſent Guido Papæ *Singul.* 952. *n.* 1. pluréſque alij Doctores, quos refert idem Maſcardus *n.* 28. *&* 30 poſtmodùm ſubjungens nonnullas alias Fallentias datæ Concluſionis.

Quæritur III. Quibus modis Conſuetudo probetur? Reſp. Plures modi, quibus probatur conſuetudo, referuntur à Doctoribus, uti videre eſt apud Hoſtienſem *in Summa tit. De Conſuetudine, n.* 5. *& ſeqq.* Maſcardum *Concl.* 424. *de Probationibus,* & alios paſſim. 17

Et imprimis probatur conſuetudo ex eo; quia ipſa ſucceſſu temporis redacta eſt in ſcripturam: ut contingit in Uſibus, ſeu Conſuetudinibus Feudorum. Deinde probatur conſuetudo, quia jam ſemel obtenta fuit in Judicio contradictorio: ut habetur *c. Abbate.* 25. *de Verb. ſignif. & l. Cùm de conſuetudine. ff. de Legib.* Atque hi duo modi probandi carent graviori difficultate. 17

Tertiò probatur conſuetudo; quia bis judicatum fuit inter longum tempus ſecundùm conſuetudinem allegatam, licèt non contradictam. Et per hoc differt iſte modus à priori, quòd ibi quæſtio moveatur ſuper exiſtentia conſuetudinis, puta cùm unus dicit, hanc eſſe conſuetudinem, & adverſarius dicit non eſſe, & judicatum fuit, quòd erat talis conſuetudo. Gloſſa *cit. c. Abbate. ℣. Contradicto judicio.* Quod impræſentiarum non requiritur, ſed ſufficit, quòd intra lapſum longi temporis bis ſaltem ita fuerit judicatum: nam 1

Binus actus in judicio, ſeu gemina ſententia judicialis conformiter lata circa idem genus cauſarum inducit conſuetudinē, licèt non probetur, quòd ſic lege fuerit conſtitutum; *arg. l. Diuturna. ff. de Legib.* junctâ Gloſſâ *ibid.* dicente, quòd conſuetudo inducitur per duas ſententias latas intra decem annos. Bartolus *in Repetit. l. Conſuetudinis. quæſt.* 19. *C. Quæ ſit longa conſuetud.* Hoſtienſis, *ubi ſuprà. n.* 5. Accedit ratio: quia cùm Judex authoritate populi ſit conſtitutus, quod ipſe facit, populus facere cenſetur, *arg. L. 1. C de Veter. jure enucleand.* ibi: *omnia enim noſtra facimus &c.* 1

ac

ac proinde ex binâ ſententiâ judiciali, in eodem genere cauſarum uniformiter latâ, ſatis colligitur tacitus conſenſus populi: alioquin enim à tali ſententia fuiſſet appellatum.

17 Dices. Res inter alios judicata, alijs non præjudicat, *l. Sæpè. ff. de Re judicat. & c. Quamvis. 25. de Sent. & re judic.* cum ſimilibus: ergo nec duæ illæ ſententiæ cæteris præjudicabunt. Reſp. Quidquid ſit de anteced. nam dictum illud procedit ſolùm regulariter, ac patitur ſuas limitationes, quas ad longum refert Gloſſa *un. cit. c. Quamvis.* neg. conſequent. Quia impræſentiarũ binæ illæ ſententiæ pariformiter latæ non præjudicant alijs in vim Rei judicatæ (quod regulariter fieri non debet, per Jura allegata) ſed quia conſenſus populi per eas ſufficienter colligitur, reſultat exinde conſuetudo, quæ pro lege ſuſcipitur; ac proin ſententiæ illæ præjudicant alijs ſolummodò in vim conſuetudinis. Bartolus, *ubi ſuprà*, ſolvens alia contraria.

18 Quartò probatur conſuetudo, probando, quòd ita ab antiquo inviolabiliter obſervatum fuerit, ita ut non extet memoria, quòd contra factum ſit; *ut c. Venerabilis. 37. de Præbend.* Et hîc non eſt opus probare ſententiam judicialem, nec ſtatutum aliquod. Hoſtienſis *in Summa cit. tit. de Conſuetudine. num. 6.* Quintò tandem conſuetudo poteſt probari per teſtes. Et quidem duos teſtes ſufficere ad probationem conſuetudinis, etiam longiſſimæ, notat Hoſtienſis *in Summa. n. 10. h. t.* & Maſcardus *cit. Concl. 424. n. 6.* poſt Guido Papæ *Conſil. 116. n. 9.* & alios: quoniam ſcriptum eſt; *In ore duorum, vel trium teſtium, ſtat omne verbum, c. Relatum eſt. 11. de Teſtament. Deuteron. 17. & Matth. 18.*

19 Iſti teſtes tamen debent hæc tria conjunctim deponere; videlicet, uſum populi vel majoris partis, frequentiam actuum, & diuturnitatem temporis illorum actuum: alioquin enim non cenſetur probata conſuetudo, ſi deficiant in uno ex illis tribus, eò quòd hæc omnia conjunctim ad conſuetudinem requirantur. Rota Romana *Deciſ. 286. n. 12. apud Penia.* Maſcardus *loc. cit. n. 2.* Bartolus *cit. l. Conſuetudinis. quæſt. 28. C. Quæ ſit longa conſuet.* Decius *Conſil. 483. n. 20.* atteſtans de communi. Inſuper teſtes illi debent convenire in tempore, & actibus; alioquin enim forent teſtes ſingulares, & ſic non probarent. Bartolus, *ubi ſuprà, quæſt. 30.* Maſcardus *cit. Concl. 424. n. 3. & ſeqq.* ubi ex profeſſo hanc materiam tractat.

180 Cæterùm loquendo de Conſuetudine immemoriali, ut ea concludenter intelligatur probata, ulteriùs teſtes conformiter deponere debent de quatuor alijs: videlicet, primò de viſu per quadraginta annos. Secundò de auditu à ſuis majoribus, qui dixerunt, & ab alijs audierunt, ſemper ita obſervatum fuiſſe. Tertiò; quòd nunquam viderint, nec audierint ſervari contrarium. Quartò, quòd fuerit, & ſit vox publica, ſeu fama, memoriam non extare, nec extitiſſe in contrarium. Gloſſa *in cap. 1. ℣. Memoria. de Præſcript. in 6.* Sperellus *Deciſ. 69. Fori Eccleſiaſt. n. 26.* Gabriel *lib. 5. tit. de Præſcript. Concl. 1. n. 81.* Hondedeus *Conſil. 79. n. 36. lib. 1,* atque tenet Rota Romana *apud Rubeum. Deciſ. 512.* & aliàs ſæpè, ut refert Sperellus *loc. cit.* allegans alios, & atteſtans de communi. Unde, quòd teſtes deponentes ſuper immemoriali, debeant habere quinquaginta quatuor annos ætatis ſuæ (ſubducto tempore litis) ut poſſint deponere de viſu quadraginta annorum, notat idem Sperellus *cit. Deciſ. 69. n. 50.* poſt Seraphin. *Deciſ. 54. n. 5.* & alibi. Francus *cap. 1. de Præſcript.* & Rota *Deciſ. 512. apud Rubeum.*

§. VIII.
De Abrogatione Conſuetudinis.

SUMMARIUM.

181. *Conſuetudo legitimè introducta poteſt iterùm tolli; & quibus modis?*

182. *Lex poſterior generalis abrogat conſuetudinem priorem generalem, licèt nullam hujus faciat mentionem.*

183. *Secùs dicendum de conſuetudinibus particularibus locorum.*

184. *His ſufficienter derogatur per clauſulam generalem,* Nullâ obſtante conſuetudine.

185. *An per clauſulam illam generalem,* Non obſtante quâcunque conſuetudine, *etiam derogetur conſuetudini futuræ, ſeu impoſterum introducendæ?*

Ponuntur rationes ſententiæ affirmativæ. Ibid.

186. *Sententia negativa tenetur, niſi conſuetudo ſit reprobata ut irrationabilis.*

187. *Solvuntur rationes prioris ſententiæ.*

188. *Utrum per clauſulam generalem,* Non obſtante quâcunque conſuetudine, *aut hujusmodi, cenſeatur ſublata conſuetudo immemorialis?*

Afferuntur fundamenta ſententiæ affirmativæ, Ibid.

189. *Sententia negativa præfertur. Et n. 190.*

190. *Limitatur tamen hæc ſententia. Et n. ſeqq.*

Quando lex nova reprobat conſuetudinem veluti irrationabilem, etiam tollitur immemorialis. Ibid.

191. *Idem dicendum, quando ratio legis etiam militat in conſuetudine immemoriali.*

192. *Aut quando tolluntur omnes conſuetudines excepto certo caſu.*

193. *Extra hos caſus clauſula generalis non derogat conſuetudini immemoriali.*

194. *Conſuetudo poteſt abrogari per contrariam conſuetudinem.*

195. *Et quæ ad hoc requirantur?*

196. *Ut*

196. *Ut conſuetudo contra legem abrogetur per aliam, non requiritur tempus ordinarium.*

197. *Et ſufficit decennium. Et num.* 193.

198. *imò neque tale tempus requiri videtur.*

181 QUæritur I. Quibus modis generatim conſuetudo ritè introducta, denuò tolli, ſeu abrogari poſſit? Reſp. I. Certum eſt, quòd conſuetudo legitimè jam introducta iterum tolli, atque abrogari valeat: idque generatim dupliciter accidit, nempe vel per contrariam legem novam ejus abrogatoriam, vel per aliam conſuetudinem contrariam; prout ampliùs in progreſſu dicetur. Nunc loquendo de priori modo, ſeu abrogatione conſuetudinis per contrariam legem, oportet imprimis diſtinguere inter conſuetudinem generalem, & conſuetudines particulares locorum; ac rurſus inter has, quæ non excedunt memoriam hominum, & quæ ſunt immemoriales. Unde

182 Reſp. II. Lex poſterior generalis abrogat conſuetudinem generalem priorem ſibi contrariam, licèt nullam hujus faciat mentionem, neque clauſulam ejus derogatoriam contineat: ſecùs dicendum de conſuetudinibus particularibus locorum, his enim non derogatur abſque ſpeciali mentione vel clauſulâ ſufficienter derogatoriâ ipſarum. Ita Abbas *cap. ult. n.* 24. *h. t.* & communis aliorum; idque apertè deſumitur *ex cap. 1. de Conſtitut. in* 6. ubi imprimis pro Regula poſitum habetur, quòd per novam Conſtitutionem generaliter latam tollatur prior Conſtitutio contraria, etiam nullâ hujus mentione factâ; eò quòd Pontifex omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habere, ſicque ipſam non ignoraſſe noſcatur: atqui etiam conſuetudo univerſalis non præſumitur à Principe ignorari; ergo & hæc tollitur, prout notat Gloſſa *cit. cap.* 1. ℣. *Singularium.*

183 Secùs dicendum de particularibus locorum conſuetudinibus: hæ enim ſunt facti, & in facto exiſtunt, ſicque Papa præſumitur eas ignorare; adeóq; non cenſetur velle ipſis in aliquo derogare, niſi expreſsè id caverit, ſeu clauſulam ſufficienter derogatoriam addiderit, v. g. dicendo, *Nullâ obſtante conſuetudine in contrarium*, aut hujusmodi; prout notatur *in cit. cap.* 1. *de Conſtitut. in* 6. éſtque jam ſuprà *Tit. De Conſtitutionibus.* ℣. 19. *n.* 498. *&* 499. inſinuatum.

184 Reſp. III. Loquendo de conſuetudinibus particularibus locorum, quæ hominum memoriam non excedunt, ſufficienter ipſis derogatur per clauſulam illam generalem, *Nullâ obſtante conſuetudine*, aut hujusmodi. Ita communis; idque liquet ex eo: quia neceſſe eſt, ut dicta clauſula quidpiam operetur: atqui nihil operaretur, niſi tollendo conſuetudines particulares locorum; nam conſuetudo generalis, ſi qua extaret, jam ſufficienter tolleretur per ipſammet novam conſtitutionem contrariam, ut proximè dictũ. Accedit, quòd hæc clauſula demonſtret, Principem habuiſſe notitiam contrariæ conſuetudinis; prout fuit reſolutum per Rotam *in Toletana admiſſionis.* 17. *Junij.* 1609. *coram D. Patriarcha Pamphilio*, impreſſa per Farinacium *Deciſ.* 182. *n.* 6. *p.* 1. *recent.* ac refert Barboſa *Clauſul.* 87. *n.* 1.

Quæritur II. An per clauſulam generalem, *Non obſtante quâcunque conſuetudine*, etiam derogetur conſuetudini futuræ, ſeu impoſterum introducendæ? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi eſt: quia lex ſemper loquitur; ac pro- 18
in reprobatâ indiſtinctè quâcunque conſuetudine, non ſolùm præterita & præſens, verùm etiam futura reprobari videtur: deeſt enim conſenſus legalis ad eam requiſitus, lege ſemper loquente, ac conſuetudinem de novo induci cœptam reprobante. Accedit, quòd lex de ſui natura in futurum, atque ad futuros caſus ordinetur, *cap. ult. de Conſtitut. & l. Leges. C. de Legib.* ergo ubi generaliter reprobat conſuetudinem, etiam futuram reprobare intelligitur. Idem probatur ex *c. Ad noſtram.* 3. *& c. Cùm inter.* 5. *h. t.* ubi talis ex poſt facto introducta conſuetudo non valere declaratur. Atque ita tenent plures Doctores, quos allegat Card. Tuſchus *Litt. C. Concluſ.* 814. *n.* 6. & multùm huic ſententiæ favet Barboſa *Clauſul.* 87. *n.* 11. *& ſeqq.* Verùm his non obſtantibus

Reſp. Lex, ſive Conſtitutio ſub dicta clauſula 1
reprobans conſuetudinem, præſentem ſeu exiſtentem duntaxat, non etiam futuram improbare cenſetur: niſi ſimpliciter eam reprobet, ſeu damnet ut iniquam, & irrationabilem. Ita Gloſſa *in Clem. Statutum.* ℣. *Conſuetudine. de Electîon.* Abbas *in cap. ult. n.* 24. *h. t. & Conſil.* 7. §. *Et ego puto. lib.* 2. Card. Tuſchus *cit. Concl.* 814. *n.* 8. Covarruvias *lib.* 3. *Var. Reſolut. cap.* 12. *n.* 4. *concl.* 1. *&* 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 24. *n.* 7. Engel *h. t. n.* 23. appellans hanc ſententiam magis communem DD. Ratio eſt: quia *in cap. ult. h. t.* generaliter dicitur, quòd per conſuetudinem rationabilem, ac legitimè præſcriptam derogetur priori legi poſitivæ humanæ; ergo hoc ipſum etiam procedit reſpectu legis conſuetudinem reprobantis, dummodò hæc non fuerit damnata ut irrationabilis, & fovens iniquitatem: alioquin enim nova conſuetudo in contrarium introducta, hoc ipſo non foret rationabilis, ſicque nunquam poſſet procedere, niſi forſan ex nova ſuperveniente causâ iniquitas illius tolleretur, ut dictum ſuprà §. 2. *n.* 46.

Ac per hoc patet ad rationes dubitandi, ac 1
pro contraria ſententia *num.* 185. allatas. Ad primam negatur conſequentia: quia non obſtante, quòd lex ſemper loquatur, valet contra eam conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta; atque ad hoc adeſt conſenſus ipſius Principis, ſive legalis; in *cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantijs expreſſus. Ad alteram reſpondetur per idem: nam lex ordinatur utique de ſui natura ad caſus futuros, ſed donec revocetur, aut per contrariam conſuetudinem rationabilem, & legitimè præſcriptam, eidem denuò derogetur. Ad *c. Ad noſtram. & c. Cùm inter.*

inter. h. t. dicitur, ibi ſermonem eſſe de conſuetudine reprobatâ tanquam iniquâ, & irrationabili, ut patet ex littera; qualem etiam data Concluſio neutiquam admittit, imò expreſsè excipit: unde hujuſmodi Jura in ejus probationem pro altera parte deſerviunt.

188 Quæritur III. Utrùm per clauſulam generalem, *Non obſtante quâcunque conſuetudine*, aut hujuſmodi, cenſeatur ſublata conſuetudo im̃emorialis? Affirmat Gloſſa *fin. in Clem. ult. de Rebus Eccleſ. non alienand.* eámq; ſequitur Abbas Panormit. *in cit. Clem. ult. n.* 17. dicens, Gloſsã procedere, ſi in nova Cõſtitutione ponantur verba hujuſmodi, *Nulla obſtante conſuetudine*, aut ſimilia: vel ſi ipſa reprobet *quamvis conſuetudinẽ*, aut *conſuetudinẽ quantocunq; tempore de facto ſervatam*, ut fit *cap.* 2. *h. t. in* 6. licèt ſecùs cenſeat eſſe dicendum, quando ſimpliciter damnatur conſuetudo. Et pro hac ſententia plures alios allegat Barboſa *d. Clauſul.* 87. *n.* 3. Accedit ratio: quia, *qui dicit omnia, nihil excludit*; ut *c. Solitæ.* junctâ Gloſſâ. *ỹ. Quodcunque de Majorit. & obed.* Item conſtitutio generalis, præſertim in materia non pœnali, generaliter eſt intelligenda, *l. In fraudem. §. fin. ff de Teſtament. Milit. & l. De pretio. ff. de Publician. in rem action.* cum ſimilibus. His tamen non obſtantibus,

189 Reſp. I. Sub clauſula generali revocatoria, *Non obſtante quâcunque conſuetudine*, aut hujuſmodi, non comprehenditur conſuetudo im̃emorialis. Ita Covarruvias *lib.* 3. *Var. reſolut. cap.* 13. *n.* 5. citans præ cæteris Baldum, Angelum, & Alexandrum. Barboſa *cit. Clauſul.* 87. *n.* 4. *&* 8. allegans plurimos alios. Caſtro Palao *part.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 5. *§.* 1. *n.* 10. aſſerens, hanc eſſe communem ſententiam. Ratio eſt: quia pro conſuetudine immemoriali præſumitur juſtus titulus; nam poſſeſſio temporis immemorialis, eſt inſtar tituli, imò quâ non poteſt allegari melior titulus de toto mundo, ut loquitur Fagnanus *in c. Cùm Apoſtolica. n.* 6. *De his quæ fiunt à Prælat. &c.* Inſuper conſuetudo antiquiſſima, vel hominum memoriam excedens, habet vim privilegij à Principe conceſſi, *arg. c. Super quibusdam.* 26. *de Verb. ſignif.* Ubi Gloſſa *ỹ. Non extat memoria*, inde concludit, & diligenter notandum inquit, quòd conſuetudo illa, cujus initij non extat memoria, jus ſive privilegium inducit, ut *l. Hoc jure. §. Ductus aquæ. ff. de Aqua quotidian.* cum ſimilibus. Idem tradit, & ampliùs confirmat Maſcardus *Concl.* 129. *de Probationib. n.* 3. citans alios, ac Fagnanus *c. Cùm contingat. n.* 6. *de Foro compet.* Unde meritò concludendum, quòd conſuetudo im̃emorialis, utpote adeò privilegiata; non comprehendatur ſub generali revocatione conſuetudinum; ſed ad ejus abrogationem requiratur ſpecialis mentio per ly, *etiam immemorialis*: aut hujuſmodi. Et ita quondam decreviſſe Sac. Congregationem, refert Fagnanus *in c. Ad hæc. n.* 34. *de Religioſ. domib.*

190 Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio patitur quaſdam limitationes. Et imprimìs ipſa fallit, atque ſub generali revocatione Conſuetudinis comprehenditur etiam immemorialis, quando per novam legem, ſive conſtitutionem, reprobatur conſuetudo veluti irrationabilis: *ut fit cap. Ad noſtram.* 3. *& c. Cùm inter.* 5. *& c. Ex parte* 10. *h. t.* cum ſimilibus; ac patet ratio ex dictis ſuprà *§.* 2. *num* 37.

Deinde fallit Concluſio, quoties ratio illa, ob quam lex conſuetudinem abrogavit, etiam militat in conſuetudine immemoriali: tunc enim etiam huic cenſetur derogatum, ut tradit Covarruvias *cit. cap.* 13. *n.* 5. & Barboſa *d. Clauſ.* 87. *n.* 10. citans inſuper Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar.* Gloſſ. 33. *n.* 2. & Nicol. Garcias *de Benefic. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 190. Concordant dicta in ſimili *tit. de Conſtitut. §.* 17. *num.* 429. *& ſeqq.* 191

Inſuper, quoties generaliter tolluntur quæcunque conſuetudines, excipiendo duntaxat unum certum caſum (prout fit in Concilio Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 9. *de Reformat.*) cenſetur etiam ſublata conſuetudo immemorialis, quando ipſi non convenit ratio caſûs exceptuati. Ratio eſt: quia tunc exceptio illa firmat regulam in caſibus non exceptuatis, adeóque regula locum habebit etiam in conſuetudine immemoriali. Fagnanus *cit. c. Ad hæc. n.* 34. *de Religioſ. domib.* 192

Cæterùm extra memoratos caſus, atque limitationes, procedit data noſtra Concluſio. Siquidem Jus ſufficienter diſtinguit inter conſuetudinem communem, ſive tempore ordinario præſcriptam, & inter conſuetudinem immemorialem, hoc ipſo, quòd tribuerit huic ſuprà dictas ſpeciales prærogativas. Prout ſimile quid notatur *cap.* 1. *de Præſcript. in* 6. ubi præſcriptio temporis immemorialis expreſsè diſtinguitur à præſcriptione temporis ordinarij, & valet iſtâ non valente. Atque per hæc patet ſolutio ad rationes contrariæ ſententiæ. 193

Quæritur III. An, & quâ ratione Conſuetudo abrogetur per contrariam conſuetudinem? 194 Reſp. I. Certũ eſt, conſuetudinẽ legitimè completam poſſe abrogari, ſeu tolli per aliam conſuetudinem ſibi contrariam. Ratio eſt clara: quia conſuetudo habet vim legis; ergo ſicut lex poſterior derogat priori, *cap.* 1. *de Conſtitut. in* 6. & ſicut pacta noviſſima prævalent prioribus, *l. Pacta noviſſima. C. de Pactis.* ita conſuetudo poſterior excludit priorem.

Reſp. II. Ut conſuetudo poſterior tollat priorem, requiritur imprimis, quòd ipſi ſit directè contraria: alioquin enim una conſuetudo ſecum compateretur alteram, aut ipſam explicaret; ſicq; poſterior non tolleret priorem. Deinde requiritur, ut conſuetudo abrogatoria prioris fuerit legitimè præſcripta; hoc eſt, frequentatis contrarijs actibus continuata tanto tempore, quanto opus habuerat prior conſuetudo ad ſui introductionem. Hoc tamen præcipuè locum habet in Conſuetudine præter legem, utpote quæ eſt novi Juris conſtitutiva, ſicque non abrogatur, niſi tempore ad aliam legem abrogandam requiſito: nam in Conſuetudine contra legem datur ratio ſpecialis, de qua *num. ſeq.* Tandẽ ad conſuetudinem abrogatoriam prioris requiritur, quòd ſit rationabilis, atque a majori 195

jori parte Communitatis obſervata: quia enim conſuetudo legitimè introducta habet vim legis; ergo ad ejus abrogationem ea omnia requiruntur, quæ requiri ad legem vi contrariæ conſuetudinis abrogandam ſuperiùs jam dictũ fuit.

196 Reſp. III. Loquendo de Conſuetudine contra legem (quæ alio nomine *Deſuetudo* appellatur) ad huius abrogationem, utpote per quam reditur ad Jus commune, non eſt neceſſarius lapſus temporis cæteroquin ad conſuetudinem introducendam requiſitus. Unde quando conſuetudo poſterior contra aliam conſuetudinem reducit nos ad terminos Juris communis Eccleſiaſtici, ſufficere tempus decem annorũ ad tollendam contrariam conſuetudinem priorem, tenet Abbas *cap. ult. n. 19. h. t.* Felinus *c. Cùm acceſſiſſent. n. 30 de Conſtitut.* Maſcardus *Concl. 172. n. 15.* citans alios; & Suarez *lib. 7. de Legib. cap. 20. num. 21.* Qui tamen non ſolùm admittit in caſu, quo prior conſuetudo contra Jus commune fuit particularis, ſeu alicujus ſpecialis loci, non autem univerſalis totius Eccleſiæ.

197 Et hoc tradunt præcitati Authores, haud obſtante, quòd ad derogandum Juri Canonico per contrariam conſuetudinem requirant tempus quadraginta annorum. Rationem dictæ ſpecialitatis dant: quia ad inducendam Conſuetudinem præter jus, generaliter ſufficit lapſus decem annorum, per dicta ſuperiùs *num. 91.* atqui poſterior conſuetudo, per quam fit regreſſus ad Jus commune antiquum, hoc ipſo eſt Conſuetudo præter jus, aut potiùs ſecundùm jus, non autem contra jus; ergo. Verùm, quia ſuperiùs §. 4. *n. 105. & ſeqq.* cum pluribus alijs dictum fuit, ad derogandum Legibus Eccleſiaſticis per contrariam conſuetudinem ſufficere decennium, hinc juxta eandem ſententiam data horum Doctorum reſponſio caret ſpecialitate.

198 Aliâ vero ratione incedit Navarrus *Conſil. 1. de Conſtitut. quæſt. 7 n. 28* quem ſequitur Suarez *lib. 4. de Legib. cap. 16 n. 13.* dum ajunt, quòd ſi Lex ab initio non fuerit recepta, neq; obſervata per aliquod tempus ſufficiens, non idcircò lex cenſeatur omninò añullata, & revocata: ac proinde, ſi poſteà Comunitas mutet animum, legémque illam generaliter latam incipiat recipere, ac pro majori parte obſervare, reverà lege illâ obligari incipiat abſque nova Legislatoris voluntate. Ratio hujus eſſe poteſt; tum quia non ſunt idẽ, legem à Principe revocari; & legi per contrariã conſuetudinem (præſertim ſpecialem) derogari. Ibi enim lex omninò tollitur, ac perit ejus ſubſtantia, ſicque non poteſt ampliùs reviviſcere, niſi Legislator, aut conſuetudo legitimè præſcripta, eam denuò reproducat: hîc autem ſolùm quoadamodò ſuſpenditur obligatio legis, & revocatur nõ ſimpliciter, ſed quamdiu Populus, ſive Comunitas, in ſua contraria conſuetudine vult perſiſtere, nec juri ſuo cedere incipit. Tum quia res de facili revertitur ad ſuam primævam naturam, *arg. l. Filio quem pater. ff. de Liberis & poſthum & l. Si unus. §. Pactus in fin. ff. de Pactis.* Simúlque conſuetudo, per quam fit regreſſus ad Jus commune, ſeu ad priorem regulam, ſive legem, cenſetur favorabilis ac benigna; ut tradit Card. de Luca, *de Juriſdictione. Diſcurs. 37. n. 7. & de Dote. Diſcurs. 13. n. 8.* citans Ancharanum *Conſil. 131.* Tum tandem, quia quilibet poteſt renunciare juri ſuo, *c. Si diligenti. de Foro compet.* cum ſimilibus; ergo etiam Populus, ſive alia Communitas, poteſt renunciare juri per contrariam conſuetudinem ſibi competenti quoad exemptionem à lege communiter lata: atqui is, qui juri ſuo ſemel renunciat, illud repetere non poteſt, *can. Quàm periculoſum. 7. q. 1.* cum concordantijs; ergo. Certè, ut legi à Principe latæ derogetur per contrariam conſuetudinem *vi conniventiæ*, ſeu Principe eam ſciente & tolerante, non requiritur certum tempus, ſed ſufficiunt actus contrarij judicio prudentis Viri determinandi, ut dictum ſuprà §. 4. *n. 93. & ſeqq.* multò magìs igitur hoc eſt dicendum de abrogatione prioris conſuetudinis contra legem per aliam poſteriorem, eò quòd hanc & Princeps lege ſuâ generaliter latâ expreſsè deſideraverit induci, & ipſam Populus mutato ſuo priori animo ex certa ſcientia amplecti voluerit.

TITU

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*
Parum eſt jura condere, niſi ſint, qui ea tueantur. Ibid.

EXplicatis generalibus principijs Juris, tum ſcripti, tum non ſcripti, incipit Compilator Juris Canonici hoc Titulo tractare de Miniſtris ipſis, id eſt, Judicibus, & Prælatis Eccleſiaſticis, qui poſſint eadem Jura reddere. Siquidem parum foret, Jura condere, niſi eſſent, qui eadem tuerentur, *c. Ubi periculum. §. Præterea. de Elect. in 6. & L. 2. §. Poſt originem. ff. de Orig. Jur.* quique ea executioni debitæ demandarent, *cap. un. §. Et quoniam. de Statu Regular. in 6.* Cùm igitur Prælati Eccleſiaſtici ad Dignitates, & Officia ſua promoveantur vel per Poſtulationem, vel per Electionem, vel per Translationem, quâ v. g. Epiſcopus authoritate Apoſtolicâ transfertur ab uno Epiſcopatu ad alium: hinc de iſtis tribus modis per ſequentes tres Titulos ſingillatim agitur, incipiendo à Poſtulatione. De qua loquendo ſit

§. I.

De natura, & diviſione Poſtulationis, ejúſque differentijs ab Electione.

SUMMARIUM.

2. *Poſtulatio propriè dicta,*
3. *Et Poſtulatio in genere, quid?*
4. *Eſt introducta in ſubſidium Electionis. Et n. 27.*
5. *Poſtulatio ſolemnis,*
6. *Et non ſolemnis, ſeu ſimplex, quæ?*
7. *Hæc multipliciter differt à ſolemni.*
8. *Poſtulatio non ſolemnis dupliciter fieri poteſt.*
9. *Et non tam eſt Poſtulatio, quàm Electio.*
10. *Poſtulatio ſolemnis, in quibus differat ab Electione. Et num. ſeqq.*
11. *Earum differentia primaria, & eſſentialis, quæ?*
12. *Eligentes conſentiunt in Electum, ut in Sponſum Eccleſiæ: ſecùs fit in Poſtulatione.*
13. *Poſtulatio innititur gratiæ, Electio juri.*
14. *Solvitur inſtantia.*
15. *Poſtulatus an, & qua ratione poſſit conſentire? Et num. 68. ac ſeqq.*
16. *Poſtulatio in Jure dicitur* admitti; *Electio* confirmari; *& cur?*
17. *Electio poſt publicatum Scrutinium nequit revocari, benè tamen Poſtulatio.*
18. *Etiamſi hæc jam fuiſſet Poſtulato præſentata.*
19. *Hoc tamen pro Foro conſcientiæ nequit fieri absque juſta cauſa.*
Alioquin Poſtulantes tenentur ad reſtitutionem expenſarum. Ibid.
20. *Poſtulatio præſentata Superiori, nequit ampliùs variari.*
21. *Niſi Superior conſentiat.*
22. *Ad Poſtulationem, ſi concurrat cum Electione, requiritur Poſtulantium numerus duplo major.*
23. *Secùs, ſi non concurrat cum Electione.*
24. *Reijcitur Poſtulatio à minore parte Capituli facta.*
25. *Ex Electione competit actio, non ex Poſtulatione.*
26. *Electus ſuis ſumptibus tenetur procurare confirmationem, non verò Poſtulatus admiſſionem.*

2 QUæritur I. Quid ſit Poſtulatio? Reſp. I. *Poſtulatio propriè dicta*, & quantùm ad propoſitum, eſt alicujus perſonæ ad Prælaturam, ſeu Dignitatem Eccleſiaſticam erga Superiorem directa petitio, ut eam diſpenſativè admittere velit. Ita in re communis; & patebit ampliùs ex dicendis.

3 Dicitur notanter, *Poſtulatio propriè dicta.* De hac enim impræſentiarum ex profeſſo loquimur: alioquin enim, ſi velimus loqui de Poſtulatione in genere, ac prout etiam impropriè dictam ſub ſe complectitur, abſolutè erit dicendum cum Gloſſa *ad Rubric. h. t. in 6.* quòd *Poſtulatio eſt petitio gratiæ facta à Superiore.*

Et additur inter alia, *diſpenſativè*: quia Poſtu- 4
latio ſemper eſt de perſona, quæ quopiam impedimento, aut defectu laborat, ratione cujus de jure eligi non poteſt, ac propterea opus habet diſpenſatione. Poſtulatio ſiquidem fuit inventa in ſubſidium Electionis, nimirum ut illi, qui ſecundùm Canones eligi non poſſunt, ſaltem poſtulari, atque ex Superioris gratia diſpenſativè promoveri valeant, quando cæteroquin Ec-

Eccleſiæ utiles eſſe futuri dignoſcuntur. Zoëſius *h. t. n.* 3. Pirhing *num. 1.* Ille autem, qui de jure poteſt eligi, non debet poſtulari: & ſi Electores ipſum poſtulant, nihil agunt. Abbas *ad Rubric. h. t. n.* 3. & ampliùs infrà *n.* 31. *&* 32. dicetur.

5 Quæritur II. Quotuplex ſit Poſtulatio? Reſp. I. Poſtulatio eſt duplex, ſolemnis videlicet, & nō ſolemnis. Ita Abbas *cap.* 1 *n.* 34. *h. t.* Engel *eod. n.* 8. & alij paſſim. Et quidem *Poſtulatio ſolemnis* dicitur, quando poſtulatur quis ab eo Superiore, qui poteſt in impedimento, ſeu defectu Poſtulati diſpenſare. Et de hac procedit proximè data definitio Poſtulationis: ſimúlq; ejus admiſſio ſpectat ordinariè ad Sum̄um Pontificem; cùm ipſi ſoli regulariter, & niſi inferior ſpeciali privilegio, vel conſuetudine munitus ſit, diſpenſandi poteſtas competat.

6 *Poſtulatio non ſolemnis*, ſeu *ſimplex*, eſt, in qua non petitur diſpenſatio contra jus, ſive relaxatio legis, ſed ſolùm licentia & conſenſus Superioris ad promotionem Poſtulati, qui eidem ſubeſt: ut ſi Religioſus poſtuletur à Canonicis in Epiſcopum, vel Monachus unius Monaſterij in Abbatem alterius Monaſterij; quia neutrū fieri poteſt abſq; conſenſu, & licentia proprij Prælati, ad quē proinde facienda eſt poſtulatio hujuſmodi pro impertienda licentia transeundi à proprio Monaſterio ad aliud, vel ad ipſum Epiſcopatū.

7 Reſp. II. Poſtulatio non ſolemnis, ſeu ſimplex, multipliciter differt à ſolemni. Primò, quia in Poſtulatione ſolemni poſtulatur directè Sponſus ipſe, hoc eſt, perſona aſſumenda ad prælaturā; in Poluſtatione ſimplici econtrà petitur ſolummodò aliquid prævīū, vel concomitans, puta conſenſus illius, cui aſſumendus ſubeſt, vel qui in tali aſſūmptione alterius ad Prælaturam quoquo modo habet intereſſe. Deinde Poſtulatio ſolemnis, admiſſa à Superiore, habet vim electionis, & confirmationis, adeò ut ex tunc Poſtulatus acquirat jus, ac ſi fuiſſet electus, neq; indigeat aliâ cōfirmatione: ſecùs eſt in Poſtulatione minùs ſolemni, quæ licèt admittatur, adhuc opus eſt electione, & ipſius Electi confirmatione. Abbas *cap.* 1. *n.* 34, *h. t.* Summa Angelica, *℣. Poſtulatio. n.* 4. & alij. Tertiò differunt: quia Poſtulatio ſimplex non neceſſariò fit collegialiter, imò ſufficit, ſi quoquo modo tollatur obſtaculum, aut obtineatur conſenſus Superioris: ſecùs eſt in ſolemni, nam, quia hæc eſt canonica forma providendi Eccleſiæ viduatæ, nequit fieri niſi ab Electoribus capitulariter, ſeu collegialiter congregatis. Paſſerinus *cap.* 24. *de Electione. quæſt.*

8 *1. n.* 4. afferens plures alias differentias.

Cæterùm ſimplex Poſtulatio poteſt dupliciter fieri. Primò, ante electionem canonicè celebratam, petendo videlicet ſuppliciter à Superiore eligendi conſenſum, ut ſubditum ſuum eligi patiatur: & talis Poſtulatio nullū omninò Jus tribuit Poſtulato, ſed id duntaxat operatur, ut ſi obtentâ licentiâ Superioris ſui fuerit electus, poſſit conſentire, atque electionem de ſe factam acceptare. Secundò poteſt ſimplex Poſtulatio fieri poſt electionem jam canonicè celebratam, dum videlicet Poſtulandus eligitur ſub tacitâ conditione, ſeu quæ de jure ineſt, ſi ejus Superior licentiam acceptandi conceſſurus erit. Et hâc poſtmodùm ad prævias preces per Superiorem conceſſâ, purificatur electio, poteſtque Electus illicò acceptare electionem, ſibiq; jus ex ea acquirere, Sylveſter *℣. Poſtulatio. quæſt.* 6. Pirhing *h. t. n.* 39. & alij.

Ubi ulteriùs notandum cum Ludov. Engel *h. t. n.* 9. quòd hujuſmodi ſimplex Poſtulatio non tam ſit Poſtulatio, quàm Electio, ac proinde nihil interſit, utrum Capitulares Electionis, vel Poſtulationis vocabulo utantur. Idque deſumitur *ex c. Si Religioſus.* 27, *&* *c. Nullus.* 28. junctâ Gloſſâ, *℣. Eligatur. de Electon. in 6.* ubi Regulares aſſumpti ad regimen aliarum Eccleſiarum, ſeu Prælaturarum, dicuntur eligi, haud obſtante, quòd ſint poſtulandi Poſtulatione minùs ſolemni. Verùm de hac impoſterùm ex profeſſo non erit ſermo, ſed tantùm de ſolemni Poſtulatione. Proinde

Quæritur III. In quibus Poſtulatio ſolemnis differat ab Electione? Ubi ſupponendum, quòd *Electio* ſit perſonæ idoneæ ad Eccleſiam vacantem, ſeu Prælaturam per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio; de qua mox plura *Tit. ſeq.* Hoc prænotato

Reſp. cum communi. Plures ſunt differentiæ inter Poſtulationem, & Electionem; & tales, quibus probè intellectis natura Poſtulationis ſolemnis exactiùs cognoſcetur. I. Siquidem Electio eſt perſonæ habilis ad Dignitatem; Poſtulatio verò perſonæ aliquo defectu, vel impedimento laborantis, ob quod non eſt eligibilis, ac propterea diſpenſatione opus habet: ut, ſi quis non eſt procreatus de legitimo Matrimonio, *c. Innotuit.* 20. *de Elect.* vel quia non habet legitimam ætatem, aut alium ſimilem defectum patitur. Et hæc eſt primaria, atque eſſentialis differentia inter Poſtulationem & Electionem, ex qua proveniunt cæteræ: Unde

II. Differunt: quia Eligentes conſentiunt in Electum ut in Sponſum Eccleſiæ, ad quam eligitur: etenim per electionem initiatur ſpirituale vinculum conjugij, quod eſt inter Eccleſiam & Electum, *cap. ult. de Tranſlat. Epiſcop.* Secùs eſt in Poſtulatione: nam qui poſtulant, non conſentiunt in Poſtulatum ut in Sponſum Eccleſiæ, nec initiatur ſpirituale matrimonium (Poſtulatus enim ad hoc cenſetur eſſe inhabilis) ſed ſolùm vota ſua dirigunt ad Superiorem, ab eoque humiliter petunt, ut is ex gratia, & diſpenſativè velit Poſtulatum admittere ad Eccleſiam gubernandam. Gloſſa *cap. un. ℣. Eligo poſtulando. h. t. in 6.* Abbas *ad Rubric. h. t. n.* 3. & alij.

III. Differunt: quia Poſtulatio innititur gratiæ, Electio juri, juxta Gloſſam communiter receptam, *in cap. un. ℣. Eligo poſtulando. h. t. in 6.* Ratio eſt: quia Poſtulatio nullum tribuit jus Poſtulato, utpote qui habet defectum: quem proin Superior non tenetur diſpenſativè admittere ex juſtitia, ſed ſolùm ad diſpenſandum cum eo, atque ad ejus admiſſionem concedendam quandoque

doque movetur ex gratia, *c. Bonæ memoriæ. 3.* junctâ Gloſſâ *℣. Gratia. h. t.* Econtrà verò Electio, ſi canonicè ſit celebrata, & ab Electo acceptata, confert huic jus ad Prælaturam; ita ut absque injuria reijci non valeat, ſi cæteroquin dignus ſit, ac idoneus: & ſi vel ipſa, vel ſuæ confirmatio electionis ſibi negetur, poteſt eâ Electus actione inſtituta petere, eò quòd ex juſtitia debeatur, *ut c. Poſtquàm. 3. de Elect.* & docet ampliùs Gloſſa *ad Rubricam. h. t. in 6.*

14 Dices. Quando Poſtulatio eſt facta ab omnibus, vel ſaltem duabus partibus Vocalium, tunc Superior eâ non admittendo facit injuriam; ergo Poſtulatio quandoq; eſt admittenda ex juſtitia, & non tantùm ex gratia. Anteced. probatur tum per Gloſſam notabilem *in c. Cupientes. §. Denique. ℣. Gratia. de Elect. in 6.* tum *ex c. Scriptum eſt. 40. de Elect.* ubi dicitur Poſtulationem duabus partibus factam, eſſe admittendam. Reſp. neg. conſequent. Quia etiam in dicto caſu Poſtulatio innititur gratiæ, ſed generali, de quali fit mentio *in c. Sedes. 15. & c. Nonnulli. 28. §. 1. de Reſcriptis.* At ſi non ſit facta in concordia, vel à duabus partibus, vel ex publica cauſa, tunc ea dependet ex gratia ſpeciali. Gloſſa *cit. ℣. Gratia.* & Abbas *cap. penult. n. 2. h. t.* Et quamvis in priori caſu Superior, absque juſta cauſa negans admiſſionem Poſtulationis, facere dicatur injuriã, hæc tamen non fit Poſtulato (utpote cui ob ſuam inhabilitatem, ſeu defectum, quem patitur, ex poſtulatione jus nullum competit; cùm adhuc indigeat diſpenſatione ſimpliciter petenda) ſed ſolùm Eccleſiæ, pro cujus majori bono ipſe à Capitularibus fuit concorditer poſtulatus, quódque Superior vi officij ſui promovere deberet, prout ampliùs infrà *num. 69. & ſeqq.* dicetur.

15 IV. Poſtulatio & Electio differunt: quia Electus poteſt in electionem de cætero canonicam conſentire, eámque ſimpliciter acceptare; non ſic Poſtulatus, eò quòd nullum huic jus ſit quæſitum, ſicut illi. Quinimò ſi Poſtulatus ante factam à Superiore admiſſionem Poſtulationis in hanc conſentiret, cenſeretur ambitioſus, ac proinde tanquam ambitioſus caſſaretur in Curia; ut atteſtatur Hoſtienſis *c. Etſi unanimiter. in princip. ℣. Volatum.* & Joan. Andreas *ibid. n. 2.* & Fagnanus *n. 12. h. t.* Igitur, ſi Poſtulatus velit conſentire, poteſt dicere: *Non diſſentio:* vel, *Committo me diſpoſitioni Domini Papæ.* Abbas *d. c. Etſi unanimiter. n. 11. h. t.* Aut poterit conſentire non abſolutè, ſed ſolùm quantùm eſt ex ſe, ac ſub conditione diſpenſationis. Paſſerinus *cit. cap. 24. quæſt. 8. n. 13.* Engel *h. t. n. 3.*

16 V. Differunt: quia Poſtulatio, utpote quæ abſque ulla Poſtulati injuriâ poteſt reijci, in Jure ſolùm dicitur *admitti; ut cit. c. Bonæ memoriæ. 3. h. t. & c. Scriptum eſt. 40. de Elect.* & alibi; quamvis ejusmodi admiſſio facta à Superiore habente poteſtatem diſpenſandi, & confirmandi, vim habeat electionis, & confirmationis. Econtrà verò Electio dicitur *confirmari;* ut *c. Quia diligentia. 5. & c. Cùm Monaſterium. 13. de Election.* cum ſimilibus. Ratio hujus eſt: quia *Confirmatio* ſupponit jus aliquod præexiſtens (nam quod non eſt, confirmari nequit, *c. Inter dilectos. §. Cùm igitur. de Fide Inſtrument.*) atqui Poſtulatio nullum tribuit jus, benè autem Electio; ergo rectè hæc *confirmatur*, non item illa, quæ proin ſolùm *admitti* dicitur.

VI. Differunt: quia Electio poſt publicatum ſcrutinium, ab Eligentibus revocari, vel mutari nequit, *c. Publicato. 58. de Elect.* junctâ Gloſſâ *℣. Variare.* & DD. ibidem. Poſtulatio verò, quantumcunque fuerit publicata, vel etiam ad Superiorem deſtinata, dummodò actualiter Superiori tradita necdum ſit, revocari poteſt à Poſtulantibus, atque ab his alius liberè eligi, vel poſtulari, prout deſumitur *ex cap. 4. §. Nec obſtabat. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 11.* & Barboſa *n. 14.* citans alios, contra Gloſſam *fin. cap. ult. h. t.* Et ratio diverſitatis eſt: quia per poſtulationem nullum jus acquiritur Poſtulato, cùm ſit inhabilis; unde is non habet, de quo conqueratur, ſi Poſtulantes variare velint, atque poſtulationem revocent: ſecùs fit in electione. 17

Et hoc adeò verum eſt, ut extendatur etiam ad eum caſum, quo Poſtulatio jam eſt præſentata ipſi Poſtulato, ab eóque conſenſus conditionatus præſtitus: adhuc enim licet Poſtulantibus variare, antequàm poſtulatio ſit actualiter præſentata Superiori. Engel *h. t. n. 4.* & Paſſerinus *cit. cap. 24. quæſt. 9. n. 17.* Imò hoc ipſum eſſe verum, licèt promiſerint ſe non variaturos, tradit Baldus *in c. Poſtulationem. n. 2. h. t.* Tum quia (ut ipſe loquitur) libera debet eſſe poſtulatio re integrâ. Tum quia nullum ex tali poſtulatione, vel etiam promiſſione, acquiritur jus Poſtulato, eò quòd ſit inhabilis. 18

In Foro tamẽ conſcientiæ non poſſunt Poſtulantes absq; juſta cauſa à Poſtulatione recedere. Talis quippe variatio abſque aliâ honeſtâ causâ facta non caret levitate, ac peccato inconſtantiæ: ſimúlq; de facili cedit in præjudicium honoris, & reputationis Poſtulati: imò tale factum habet in ſe contumeliam, *arg. l. Si verò. § fin. ff. Qui ſatisdare cogantur*, ac notat Baldus *c. Publicato. n. 5. de Elect.* Paſſerinus *d. quæſt. 9. n. 19. & 20.* Ubi addit, quòd ſi Poſtulatus fecit aliquas expenſas de conſenſu Poſtulantium, teneantur hi ad reſtitutionẽ dictarum expenſarum, ſi receſſerint à Poſtulatione: quia ſic variando intulerunt Poſtulato præjudiciũ dictarũ expenſarũ, utpote inutiliter factarum: atqui non eſt licitum variare cum alterius detrimento, *c. Mutare. 33. de Reg. Jur. in 6.* 19

Additur autem num. 18. *Antequàm Poſtulatio ſit actualiter præſentata Superiori.* Nam ſi ea Superiori, v. g. Papæ tradita jam fuerit, ampliùs Poſtulantes ab ea recedere non poſſunt, ſed debent expectare judicium Superioris; prout habetur expreſſum cit. cap. 4. h. t. ibi: *Si enim, poſtquàm poſtulatio ſubſcriptionibus Poſtulantium roboratur, & præſentatur Romano Pontifici approbanda, poſſent ab ea recedere Poſtulantes, Nobis* (inquit Pontifex) *frequenter illuderent, & judicium noſtrum ex eorum pendere arbitrio videretur.* 20

Quòd

21 Quòd ſi verò quoad hoc Superior, & Poſtulantes ſimul concordent, locum habet variatio poſtulationis, etiam poſt hujus præſentationem Superiori factam, non obſtante contradictione Poſtulati, *arg. c. Bonæ memoriæ. 4.* ac notat Abbas *ibid. n.* 12. & Fagnanus *num.* 50. *h. t.* citans alios. Tunc etenim ex una parte ceſſat periculū illudendi Superiori, dū hic ipſe conſentit: ex altera verò nullum adhuc jus eſt quæſitum Poſtulato, ac proinde non habet, de quo juſtè conqueratur.

22 VII. Electio, & Poſtulatio differunt quantùm ad numerum ſuffragiorum. Siquidem ad electionem ſufficit, ut major & ſanior pars Capituli conſentiat in electum, nihilque aliud canonicū obſtet, *c. Quia propter. 42. de Elect.* cum concordantijs. Econtrà verò ad poſtulationem, ſi concurrat cum electione (id eſt, ſi una pars Capitularium quempiam poſtulet, altera verò alium eligat) requiritur, ut Poſtulantium numerus ſit duplo major, quàm Eligentium; ita videlicet, ut duæ tertiæ Capitularium, v. g. ex quindecim decem, ſtent pro Poſtulato: alioquin enim poſtulatio eſt repellenda, juxta *c. Scriptum eſt* 40. *de Elect.* atque ampliùs dicetur *Tit. ſeq. n.* 153. *& ſeqq.*

23 Additur notanter, *ſi poſtulatio concurrat cum electione.* Nam ſi cum ea non concurrat (puta, ſi omnes Capitulares poſtulationem, ſed circa diverſas perſonas inſtituant) ſatis erit, quòd poſtulatio perſonæ idoneæ facta ſit à majori parte Capituli, ut eam Superior admittere poſſit, neque opus eſt, ut habeat duas tertias. Abbas *c. Bonæ memoriæ. 3. n.* 12. *h. t.* citans Gofredum, & Layman *cap.* 3. *n.* 5. *h. t.* cum alijs. Nam ordinariè ad geſta Capituli plùs non requiritur, quàm quòd major pars conſentiat; ut *cap. 1. De his, quæ fiunt à major. part. Capit. & l. Quod major. ff. ad Municipalem.*

Nec obſtat *c. Bonæ memoriæ.* 3. *h. t.* ubi reijcitur poſtulatio facta à minori, quàm tertiâ parte Capituli, haud obſtante, quòd ipſa concurrerit cum alia poſtulatione, ut patet ex textu. Reſp. enim, id factum ex eo, quia poſtulatio illa nō fuit facta à majori parte Capituli; cùm nec à tertia parte facta fuerit, ſed ſolùm ab aliâ adhuc minori. Tales quippe poſtulationes in tanta diviſione, & contradictione celebratas, non conſuevit Sedes Apoſtolica recipere; ſecùs, ſi poſtulatio illa fuiſſet facta à majori parte Capituli, per Jura proximè allegata. 24

VIII. Differunt: quia ex Electione competit actio ad proſequendam ejus confirmationem, non autem ex Poſtulatione. Gloſſa *in c. Bonæ memoriæ. 3. ℣. Gratia. h. t.* & alia Gloſſa *ad Rubricam. h. t. in 6.* Ratio eſt: quia actio eſt jus proſequendi in judicio, quod ſibi debetur, §. 1. *Inſtit. de Actionib.* Atqui ex poſtulatione nullum acquiritur jus, benè tamen ex electione canonicè facta; ergo. 25

IX. Tandem, ut alia taceantur, differunt: quia Electus ſuis ſumptibus tenetur procurare confirmationem electionis; non verò Poſtulatus admiſſionem ſuæ poſtulationis, imò hæc eſt obtinenda expenſis poſtulantium, ut ſtatuitur *in c. Cupientes.* 16. *§. Si verò. & §. Denique de Electionib. in 6.* Et ratio diſparitatis eſt: quia electo ex electione fuit jus quæſitum, quod proinde ſuis expenſis proſequi debet, alioquin tali jure privaretur: ſecùs fit in poſtulatione, ut dictum. 2

§. II.

De ijs, qui poſtulare, vel poſtulari poſſunt.

SUMMARIUM.

27. *Omnes illi poſtulare poſſunt, qui poſſunt eligere.*
 Electio, & Poſtulatio, quoad jus ſuffragandi, æquiparantur. Ibid.
28. *Compromiſſarius datus ad eligendum, poteſt poſtulare.*
 Procurator tamen datus ad proſequendam electionem, non poteſt proſequi poſtulationem; & quæ diſparitas? Ibid.
29. *Qui præſcripſit jus eligendi, etiam præſcripſit jus poſtulandi.*
 Limitatur hoc. Ibid.
30. *Solvitur inſtantia.*
31. *Generatim, qui ſint poſtulandi?*
32. *Poſtulantes illum, qui poteſt eligi, nihil agunt.*
33. *In poſtulando ſemper intervenit defectus; & qualis? Et num. ſeqq.*
34. *Defectus, ſeu inhabilitas ex parte Poſtulandi, alia indiſpenſabilis,*
35. *Alia diſpenſabilis; & quæ?*
36. *In Poſtulatione ad Superiorem directâ oportet omnes defectus exprimere.*
37. *Epiſcopus conſecratus, imò & confirmatus tantùm, ad alium Epiſcopatum eligi nequit, ſed ſolùm poſtulari.*
38. *Poteſt tamen ſic eligi ante factam ſuam confirmationem.*
39. *Sicut & Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui.*
40. *Epiſcopi Titulares, qui?*
 Appellantur etiam Suffraganei, *& cur? ibid.*
41. *Sunt ad alium Epiſcopatum poſtulandi, non eligendi. Et num ſeqq.*
 Et ſunt veri Epiſcopi. Ibid. & num. ſeqq.
42. *Habentq; Votum deciſivum in Concilio Generali.*
43. *Qualiter careant Clero, & populo Chriſtiano?*
44. *Cardinales S. R. E. an poſſint eligi? Et ratio dubitandi.*
45. *Cardinales Epiſcopi non poſſunt eligi ad Epiſcopatum.*

46. Be-

46. *Benè tamen Cardinales non Epiſcopi.*
47. *Et ratio hujus.*
48. *Solvuntur rationes dubitandi. Et num. ſeqq.*
49. *Cardinales ſunt Epiſcopis majores quoad officium, non quoad dignitatem Ordinis Epiſcopalis. Et num.* 40.
Epiſcopatu non datur major Ordo in Eccleſia. Ibid.
50. *Cardinales habent alas ligatas. Et num.* 40.
Unde debent poſtulari, Poſtulatione minùs ſolemni. Ibid. & num. 46.
51. *Habent in Eccleſijs ſui Tituli jurisdictionem quaſi Epiſcopalem. Et num.* 44.
52. *Omnes Clerici Epiſcopis inferiores poſſunt eligi.*
53. *Abbas poteſt eligi in Epiſcopum.*
54. *Idem dicendum de Præpoſitis, Dignitatibus inferioribus, ac Religioſis.*
Specialia de conſenſu Religioſorum quoad hoc. Ibid.
55. *Pœnæ Poſtulantium indignum, quæ? Et num ſeqq.*
De qua indignitate procedat hæc quæſtio? Ibid.
56. *Tales pro ea vice privati exiſtunt jure poſtulandi, ac eligendi.*
57. *Idem dicendum de ijs, qui poſtulationem vitio perſonæ caſſatam innovant.*
58. *Pœnæ Poſtulantium minorem viginti ſeptem annis ad Epiſcopatum.*

27 Quæritur I. Quinam poſtulare poſſint? Reſp. Omnes illi poſtulare poſſunt, qui poſſunt eligere. Ita Gloſſa *c. Poſt translationem. ℣. Liberam. de Renuntiat.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. num.* 9. Abbas *c. Publicato. n.* 10. *de Elect.* Paſſerinus *cit. cap.* 4. *quæſt.* 4. *n.* 7. Barboſa *c. Bonæ memoriæ.* 4. 5. *h. t.* Zoëſius *eod. n.* 5. Pirhing *n.* 17. & alij. Idque deſumitur *ex cap.* 1. *§. fin. & cap.* 4. *§. Cæteri. h. t. & c. Innotuit.* 20. *de Elect.* ubi electio, & poſtulatio quoad jus ſuffragandi æquiparantur; & qui eligere poſſunt, etiam poſtulare permittuntur. Accedit ratio: quia poſtulatio eſt medium perveniendi ad electionem: inventa eſt enim poſtulatio in ſubſidium electionis, ut qui per Canones eligi prohibentur, ſaltem poſtulari, atque ex Superioris gratia diſpenſativè in Prælatum haberi valeant. Simúlque poſtulatio à Superiore admiſſa habet vim electionis, & confirmationis, ut dictum *num.* 7. ergo qui poteſt eligere, poteſt hoc ipſo etiam poſtulare. Nam conceſſo principali, conceditur acceſſorium, *c. Acceſſorium. de Reg. Jur. in* 6. Et conceſſo fine, etiam media, quibus ad eum pervenitur, conceſſa intelliguntur; *ut c. Prætereà.* 5. *& c. Suncionis.* 39. *de Offic. Delegat. & L.* 2. *ff. de Jurisdict. omn. judic.* Et cui committuntur ſequentia, videntur committi antecedentia. *l. Ad rem mobilem. & l. Ad legatum. ff. de Procurat.* cum ſimilibus.

28 Et hoc adeò verum eſt, ut Compromiſſarius datus ad eligendum (dummodò non prohibetur expreſsè) etiam poſtulare poſſit, *c. In cauſis.* 30. junctâ Gloſſâ ℣. *Poſtulatio. de Elect. & c. Poſt translationem.* §. 1. *de Renunciat.* Nec obſtat, quòd Procurator datus ad proſequendam electionē, non poſſit proſequi poſtulationem, *ut c. Innotuit.* 20. §. *fin. de Elect.* Diſparitas enim eſt: quia Procurator datur ad petendum juſtitiam, non gratiam: ſecùs in Compromiſſario, qui poſtulando petit gratiam. Baldus *c. In cauſis. n.* 5. *de Elect.* ubi aliam adhuc ſubjungit rationem; quia videlicet Procurator non poteſt extendere mandatum ſuum ad diverſum genus cauſæ, *l. Marius. C. de Procurat.*

29 Inſuper, ſi quis præſcripſit jus eligendi in certa Eccleſia, etiam præſcripſiſſe cenſetur jus poſtulandi. Abbas *c. Bonæ memoriæ.* 4 *n.* 4. *h. t.* Paſſerinus *cit. quæſt.* 24. *n.* 7. & alij. Quod tamen Abbas *cit. n.* 4. & Pirhing *h. t. n.* 17. cenſent, intelligendum eſſe ordinariè loquendo: nam ſi extraneus, qui ad electionem admiſſus jus eligendi præſcripſit, datâ interim poſtulatione fuiſſet à poſtulatione excluſus, ſolùm jus eligendi præſcriberet, non autem jus poſtulandi: quia non plus præſcriptum, quàm poſſeſſum, juxta *Reg.* 3. *Juris in* 6. cum concordantijs.

Dices. Poſtulatio, & electio differunt ſpecie, 30 ſaltem morali; cùm ſint diverſi modi providendi Eccleſijs, ac proinde ſub diſtinctis Rubricis collocentur: ergo præſcripto uno, non præſcribitur alterum. Probatur conſequent. Tum quia non plus præſcriptum, quàm poſſeſſum, ut dictum. Tum quia præſcriptio eſt odioſa, adeóque non extendenda, *ut c. Cùm contingat. de Decimis.* Reſp. neg. conſequent. cum ſuis probationibus: nam fallunt, quando unum eſt connexum alteri, vel via perveniendi ad illud; prout eſt poſtulatio reſpectu electionis, ut dictum in Concluſione.

Quæritur II. Qui generatim poſſint poſtu- 31 lari? Reſp. I. Generatim loquendo illi ſoli ſunt poſtulandi ad Prælaturam, qui eligi non poſſunt, & tamen ſunt habiles ad promovendum. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 2. *& ſeqq.* eſtque in re communis. Ratio prioris partis eſt: quia poſtulatio eſt inventa duntaxat in ſubſidium electionis; ergo, ubi huic locus eſt, nequit fieri poſtulatio.

Imò ſi Capitulares ſimpliciter poſtulant il- 32 lum, qui poteſt eligi, nihil agunt: quia hæc duo ſibi invicem adverſantur, *cap. un. h. t. in* 6. Ac proinde tunc locum habet illud vulgatum: Quod potuit, noluit; & quod voluit, non potuit adimplere, *c. Cùm ſuper.* 23. *de Offic. judic. delegat.* ac notat Gloſſa *fin. cap. ult. & cap. un.* ℣. *Eligo poſtulando. eod. in* 6. poſt Innocentium *cap.* 1. *h. t.* Abbas *ad Rubricam h. t. num.* 3. addens aliam rationem: quia videlicet Electores debent providere Eccleſiæ de meliori, & modo, quo poſſunt, meliori. Verumtamen hæc poſterior ratio parum probat, cùm eâ non obſtante ſit valida electio minùs digni omiſſo digniori. Imò Baldus *ad Rubric. h. t. n.* 4. inquit, quòd ſi eligibilis ſolemniter poſtuletur ſervatâ formâ *c. Quia propter. de Elect.* talis poſtulatio habeatur pro electione, eò quòd magis realitatem actûs, quàm vocabuli inſpiciamus, *l. Pater Severinam.* §. *Conditionum. ff de Con-*

Conditionib. & demonſtrat. Hoc ipſum tamen Judicis arbitrio eſſe relinquendum, cenſet Paſſerinus *cit. cap. 24. quæſt. 12. n. 24.*

33 Altera pars, nempe quòd Poſtulandi debeant eſſe habiles ad promovendum, probatur ex eo: quia, licèt in Poſtulando ſemper interveniat defectus, ſive impedimentum, ob quod is eſt inhabilis ad eligendum; non tamen ſemper defectus ille eſt talis, ut eum etiam reddat inhabilem ad promovendum, ſed tunc ſolùm, quando ratione ipſius non poteſt Poſtulatus honeſtè ac utiliter exercere officium ſuum; adeóque in tali defectu Superior vel non poteſt, vel non ſolet diſpenſare. Quod ut meliùs intelligatur,

34 Reſp. II. Duplex quoad propoſitum debet diſtingui defectus, ſeu inhabilitas. videlicet diſpenſabilis, & indiſpenſabilis. Ita Abbas *cap. ult. n. 8. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 2. & ſeqq.* Pirhing *h. t. n. 5.* & alij. *Defectus*, ſeu *inhabilitas indiſpenſabilis* dicitur illa, in qua non poteſt, vel non ſolet diſpenſari ad obtinendam Prælaturam: ut ſi quis ſit hæreticus, criminoſus necdum emendatus, excommunicatus, ſuſpenſus, vel non ſervans interdictum, ut *cap. 1.* junctâ Gloſſâ. *℣. Perſonam. h. t.* cum ſimilibus. Item ſi quis ſit omninò illiteratus, membro mutilatus, epilepticus, aut alium hujuſmodi gravem animi, ſive corporis defectum patiens. Item ſi quis ſit bigamus, ſpurius, aut ex damnato coitu procreatus, *arg. c. Niſi cùm pridem. §. Perſonæ. de Renunciat.* ac notat Layman *in princip. h. t. Coroll. 2.* Huc ſpectant, qui vigeſimum ſeptimum ætatis annum nondum attigerunt: nam hi ad Eccleſiam Cathedralem, & Mendicantes Religioſi ad inferiores Cathedralibus Eccleſias, ſub graviſſimis pœnis *in Extravag. un. h. t. inter communes* expreſſis, poſtulari prohibentur.

35 *Defectus*, ſeu *Inhabilitas diſpenſabilis* econtrà dicitur illa, in quo, ſeu qua Superior poteſt, ac ſolet diſpenſare: ut eſt defectus natalium in illegitime natis, *c. Innotuit. 20. de Elect.* Defectu ſacri Ordinis ad Prælaturam requiſitus, *arg. c. Dudum. 22. eod.* & notat Layman *loc. cit.* Item defectus ætatis paucorum annorum, juxta *cit. Extravag. un. h. t.* ac etiam vinculum alterius Epiſcopatûs, *cap. ult. h. t.* Sunt & nonnulli alij defectus diſpenſabiles, eò quòd non impediant, quò minus Poſtulatus cum honeſtate, atque ædificatione populi præfici, & Prælati officium utiliter exercere valeat, de quibus Joan. Andreas *cap. ult. n. 4. h. t.*

36 Et quidem in Poſtulatione ad Superiorem directa, omnes hujuſmodi defectus, ſeu inhabilitates, etſi diſpenſabiles, oportet exprimere: nam ſi aliqui ſubticerentur, non ſolùm talis Poſtulatio non foret admittenda, ſed etiam ſcienter Poſtulantes privarentur jure eligendi, ſeu poſtulandi pro una vice. Abbas *cap. ult. n. 9. h. t.* Layman *loc. cit.* Sicut in ſimili concurrentibus pluribus impedimentis matrimonialibus, pro impetranda legitima diſpenſatione oportet omnia ſimul exprimere: quia diſpenſatus in uno, non cenſetur diſpenſatus in altero. Quinimò, ſi taceatur alterum impedimentum, ſeu defectus, diſpenſatio veluti ſubreptitia corruit in totum, *arg. cap. 1. de Ætat. & qualit. in 6.* & tradit Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 23.* citans plurimos alios.

Quæritur III. Utrùm Epiſcopi, Archiepiſcopi, & his Superiores, debeant ad aliũ Epiſcopatũ poſtulari, vel eligi? Reſp. I. Non ſolùm Archiepiſcopus, & Epiſcopus conſecratus, ſed etiam confirmatus tantùm, licèt nondum conſecratus ad alium Epiſcopatum nequit eligi, ſed ſolùm poſtulari. Ita communis; & patet *ex cap. ult. h. t.* ubi idcircò electio Epiſcopi Sutrinenſis in Archiepiſcopum Caralitanum irritatur, ſeu potiùs irrita declaratur: *cùm eligi nullo jure potuerit, ſed potiùs poſtulari*, ut loquitur textus. Accedit ratio ibidem expreſſa, quia Epiſcopus, veluti Sponſus, eſt alligatus ſuæ Eccleſiæ; ergo abſq; permiſſione, & authoritate Papæ, ad aliam Eccleſiã transferri, ſeu propriâ temeritate tranſire non poteſt. Patet conſequentia: quia inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuam, intercedit ſpirituale matrimonium, *c. Inter corporalia. & cap. ult. de Translat. Epiſcop.* Atqui tale vinculum diſſolvi non poteſt, niſi authoritate Romani Pontificis, qui cùm ſit Vicarius JESU Chriſti, non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, ſicque quos ipſe pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiarum ſeparat, non humanâ, ſed Divinâ potiùs authoritate diſſolvit, *c. Quanto. & cit. c. Inter corporalia. & cap. ult. de Tranlat. Epiſc.* Et hæc ratio etiam urget in Epiſcopo confirmato, licèt nondum conſecrato: ſiquidem fœdus conjugij ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam, jam intelligitur eſſe ratum in ejus confirmatione, *cap. ult. eod.* ſicque ampliùs diſſolvi non poteſt, niſi authoritate Papæ, Chriſti in terris Vicarij.

Reſp. II. Electus verò duntaxat in Epiſcopum, ſeu ante factam ejus confirmationem, ſicut poteſt ſuæ electioni, priorique Epiſcopatui liberè renunciare, *arg. c. Si electio. 26. de Elect. in 6.* ita ad alium Epiſcopatum eligi poteſt & debet, non autem poſtulari. Abbas *in cap. ult. n. 7. h. t.* Pirhing *eod. n. 10.* & alij. Ratio ulterior eſt: quia, licèt fœdus conjugij ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam, in electione ſit initiatum, *cap. ult. de Translat. Epiſc.* adhuc tamen nondum eſt ratum, ſeu perfectè contractum; fit enim ratum in confirmatione primùm, prout ibidem ſubjungitur.

Reſp. III. Ulteriùs Epiſcopus, qui renunciavit Epiſcopatui, poteſt ad aliam Eccleſiam eligi; nec debet poſtulari, niſi aliud quid canonicum obſtiterit. Ita Abbas *in cap. ult. n. 7. h. t.* & alij paſſim. Ratio eſt: quia talis non ampliùs eſt alligatus cuipiam Eccleſiæ per ſpirituale fœdus conjugij; cum vinculum prioris Eccleſiæ per renunciationem à Papa acceptatam, authoritate divinitùs huic conceſſâ, penitus fuerit diſſolutum.

Quæritur IV. An Epiſcopi Titulares ad alium Epiſcopatum ſint poſtulandi, nõ autem eligendi? Ubi prænotandum, quòd per *Epiſcopos Titulares*

[ul]ares intelligantur illi, qui creantur Epiſcopi ali[c]ujus Eccleſiæ in partibus Infidelium exiſtentis. Atque hi alio nomine appellantur *ſuffraganei*, eò quòd dentur ad hoc, ut *ſuffragentur*, ſeu auxilio [s]int alijs Epiſcopis. Fagnanus *in c. Epiſcopalia. n.* [1]*. de Privileg.* Dantur enim à Romano Pontifice veluti coadjutores Epiſcopis infirmis, ſenibus, [a]ut aliâ ſimili ratione impeditis, *can. Non autem. & can. Paſtoralis.* 7. *q.* 1. ac notat Barboſa *part.* 1. [d]*e offic. & poteſt. Epiſc. cap.* 6. *n.* 17. & 18. inde infe[r]ens, quòd quamvìs propriam Diœceſin non [h]abeant, ubi nomine proprio functiones Epi[ſ]copales exerceant, non tamen debito Epiſcopa[l]i honore ſint fraudandi. Indignum namque fo[r]et, ſi accidens pecuniæ magis in honore habe[r]etur, ac ſubſtantia & dignitas Ordinis Epiſcopa[l]is. Quo prænotato,

1 Reſp. I. Epiſcopi Titulares ad alium Epiſcopatum ſunt poſtulandi, nō eligendi. Hanc quæſtionem non reperi in terminis ab impreſſo Authore diſcuſſam, videtur tamen data Concluſio à Doctoribus communiter ſupponi. Unde & juxta Stylum Curiæ Romanæ, Brevia Eligibilitatis ſolent per Romanum Pontificem concedi Epiſcopis Titularibus talia debitè ſollicitantibus: quod utiq; non fieret, ſi de jure eſſent eligibiles. Accedit ratio: quia ejusmodi Epiſcopi Titulares, ſunt veri Epiſcopi, *arg. can. Legimus* §. *Ubicunque diſt.* 93. *& can. Paſtoralis.* 7. *q.* 1. ac notat hic Archidiaconus *num.* 4. Barboſa *cit. part.* 1. *de offic. & poteſt. Epiſc. tit.* 1. *cap.* 6 *n.* 15. poſt Jo. Quintinianum *in Repet. c. De multa. n.* 44. *de Præbend.* & Paulum Gryſaldum *in Deciſ. Catholicæ Fidei.* ℣. *Epiſcopus. n.* 10. qui advertit, contrarium cum pertinacia aſſerere, eſſe hæreticum. Menochius *de Arbitrar. Judic. lib.* 2. *caſu* 68. *n.* 52. & 53. Diana *part.* 12. *tract.* 1. *de Conſecrat. Epiſc. Reſol.* 51. Fagnanus *in c. Ego N. num.* 83. *de Jurejurand.* & alij ab his citati. Conſecrantur quippe Epiſcopi Titulares eodem ritu, quo cæteri Epiſcopi juxta Pontificale Romanum, *tit. De Conſecratione Electi in Epiſcopum.* Súntque ejusdem Sacerdotij cum iſtis, *cit. can. Legimus.* §. *Ubicunque.* 1. *diſt.* 93. Simúlque inter ipſos & Eccleſiam, ad quam conſecrantur, intercedit fœdus conjugij ſpiritualis, *c. Inter corporalia de Translat. Epiſc.* Unde meritò diſpoſitio loquens de Epiſcopis, etiam ad Titulares extenditur, Baldus *in Auth. Licentiam. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Simanca *de Cathol. Inſtit. tit.* 25. *num.* 12. Ricciulus *Lucubrat. Eccleſiaſt. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 1. Ac proinde non mirum, quòd ipſi (ſecluſo ſpeciali Decreto Eligibilitatis, per Papam ſibi conceſſo) ad aliam Eccleſiam eligi nequeant, ſed tantùm poſtulari, ad inſtar aliorum Epiſcoporum: nam, ubi militat eadem ratio, puta conjugij ſpiritualis, idem jus eſt ſtatuendum; cùm ratio ſit anima legis, *l. Cùm ratio. ff. de Portionib. quæ liberis &c.* cum concordantijs.

4 Accedit, quòd Eccleſiæ Cathedrales licèt ſint in manibus inimicorū, ſicq; careant Clero & ſubditis Chriſtianis, nihilominùs maneāt *Cathedrales Eccleſiæ*, ſicut anteà, per textum notabilem *Clem. In plerisque.* §. *Volentes. de Election.* ergo & Epiſcopi Titulares, earum Sponſi, veri ſunt Epiſcopi. Imò & pro talibus agnoſcuntur in Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reform.* Et veluti veri Epiſcopi, ac in ſua Conſecratione recipientes Ordinem Epiſcopalem, vocari debent ad Concilium Generale. Barboſa *part.* 3. *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 93. *n.* 1. poſt Steph. Gratianum *Diſceptat. Forens. cap.* 291. *n.* 6. Habéntque in eo Votum deciſivum, ſicut cæteri Epiſcopi; cùm teneant Dignitatem Epiſcopalem: fuítque hoc noviſſimè obſervatum in Concilio Tridentino, ut patet ex ejusdem Hiſtoria per Pallavicinum conſcripta, nec nō ex ſubſcriptionibus Epiſcoporum ad finem memorati Concilij. Quidquid nonulli ſenſerint in contrarium, volentes, Epiſcopos Titulares nō eſſe vocandos ad Concilium Generale, ob defectum jurisdictionis. Licèt enim jurisdictionem actu non exerceant, in habitu tamē eam tenent; prout reſpondet Frances *de Eccleſ. Cathedral. captivis, cap.* 32. *n.* 10. & *ſeqq.* Ricciulus *Lucubrat. Eccleſ. lib.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 2. Diana *part.* 12. *tract.* 1. *de Conſecrat. Epiſc. Reſol.* 77. Tacetur, quòd Epiſcopi Titulares ex Religionibus aſſumpti, non ampliùs ſubjaceant Superiori Regulari, ſed ſoli Pontifici. Frances *in cap.* 9. *de cauſis privan. Cathedr. Eccleſ.* Azorius *part.* 2. *Inſtitut. Moral. lib.* 9. *cap.* 3. *q.* 13.

Nec obſtat, quòd ejusmodi *Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus Infidelium conſiſtunt, Clero careant, & populo Chriſtiano*, ut loquitur Concilium Trident. *cit. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reform.* Nam primò his ipſis verbis à Concilio illo Oecumenico agnoſcuntur pro veris & abſolutè dictis Epiſcopis: unde, cùm in Jure nulla reperiatur diſtinctio quoad propoſitum, neque nòs diſtinguere debemus inter Epiſcopos Titulares, & alios Epiſcopos Clerum & populum Chriſtianum habentes, quantùm ad eorum poſtulationem reſpectu alterius Eccleſiæ faciendam. Deinde, licèt ejusmodi Epiſcopi Titulares actu non habeant populum Chriſtianum, neq; ſuas Eccleſias perſonaliter accedere valeant, ob infidelitatem incolarum loci: in habitu tamen eundem obtinent, prout paulò ſuperiùs jam dictum. Nam hoc ipſo, quòd conſecrentur ad titulum talis Eccleſiæ, acquirunt jus reſpectu illius: & ſi hæc in manus Catholicorum iterum deveniat, tunc absq; nova electione, ſeu collatione, liberè poſſunt redire ad ſuam Eccleſiam, ſicque Clerum & populum Chriſtianum actu ſibi acquirere, *cit. can. Paſtoralis.* 7. *q.* 1. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 19. *n.* 38. Aſcan. Tamburinus *de Jure Abbatum, tom.* 1. *diſp.* 16. *q.* 8. Frances *de Eccleſ. Cathedral. captivis. cap.* 32. *n.* 34. *ac ſeqq.* & alij. 43

Quæritur V. Utrùm Cardinales S. Rom. Eccleſiæ poſſint eligi in Epiſcopū, vel debeant poſtulari? Ratio dubitandi, ac poſterius tenendi, eſt: quia *in c. Bonæ memoriæ.* 3. *h. t.* quidam ſanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis legitur fuiſſe in Archiepiſcopū poſtulatus. Accedit, quòd Cardinales ſint majores Epiſcopis, *arg. Extravag. Si fra-* 44

fratrum. Joan. 22. Ne ſede vacant. junctâ Gloſsâ *ỷ. Alia Superiori.* Nam Cardinales conſtituunt unum corpus cum Papa, *arg. can. Si quis cum militibus. 6. q. 1.* ac notat Gloſſa magna *in c. Excommunicati. de Offic. Legat.* Simúlque in executione Sacerdotalis Officij ſunt Coadjutores Papæ, *c. Per venerabilem. §. Sunt autem. Qui filij ſint legit.* Et ipſi habent alas ligatas, quòd non conſueverint exire Curiam Romanam absque licentia Papæ; ut inquit Abbas *c. Eccleſia veſtra. 57. num. 15. de Elect.* Eorum quippe præſentia in Curia regulariter eſt utilior nō ſolùm Romanæ, ſed etiā Generali Eccleſiæ, *d. c. Bonæ memoriæ. h. t.* Imò Cardinales in Eccleſijs ſui Tituli habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, *c. His quæ. 11. de Majorit. & obed.* Ergò, cùm Epiſcopi non poſſint eligi, ſed tantùm poſtulari, ut dictum: ſimúlque nemo ſit eligendus ad minus officium, ſed ſolùm ad majus, *can. Legimus. §. fin. diſt. 93. & cap. 1. & c. Licèt. de Translat. Epiſcop.* etiam Cardinales non ſunt ad Epiſcopatum eligendi, ſed poſtulandi.

Reſp. I. Certum eſt, quòd Cardinales Epiſco-
45 pi non poſſint eligi ad alium Epiſcopatum, ſed duntaxat poſtulari: hoc enim generale eſt de quibusvis Epiſcopis, ut proximè dictū. Verùm, quia dantur Cardinales non Epiſcopi, ut ſunt Cardinales Presbyteri, & Diaconi, de his ſolùm poteſt moveri dubium: ad quod

Reſp. II. Cardinales non Epiſcopi poſſunt e-
46 ligi in Epiſcopum, non verò ſolemniter poſtulari; licèt debeant poſtulari non ſolemniter pro obtinenda licentia Papali, ut poſſint exire Curiam. Ita Abbas Panormit. *d. c. Eccleſia veſtra. 57. n. 15. de Elect.* Fagnanus *c. Bonæ memoriæ. n. 16. h. t.* allegans inſuper Abbatem antiquum, & Ægidium. Pirhing. *h. t. n. 11.* & alij, contra Hoſtienſem *d. c. Eccleſia veſtra. n. 1. de Elect.* & Sylveſtrum, qui tenent, Cardinalem Presbyterum eſſe poſtulandum.

47 Concluſio hæc deſumitur imprimìs ex *c. Eccleſia veſtra. 57. de Eelect.* ubi quidam Presbyter Cardinalis legitur fuiſſe electus in Epiſcopū. Idipſum probatur ex eo: quia in Cardinalibus non Epiſcopis ceſſat ratio conjugij ſpiritualis, ob quod Epiſcopi non poſſunt eligi, ſed tantū poſtulari ad alium Epiſcopatum. Deinde tunc ſolùm neceſſaria eſt ſolemnis Poſtulatio, quando quis non poteſt aſſumi in Epiſcopum abſque diſpenſatione Superioris (ſiquidem Poſtulatus nō niſi diſpenſativè admittitur ad Prælaturam) ſi autem nullâ opus eſt diſpenſatione, tunc locū habet electio; etſi quandoq; requiratur licentia Superioris, cui quis im̄ediatè eſt ſubjectus ſicq; Poſtulatio minùs ſolemnis accedere debeat. Atqui Cardinalis nō Epiſcopus nullâ indiget diſpēſatione, ut poſſit aſſumi in Epiſcopum, ſed ſolâ licentiâ Papæ ad recedendum è Curia; ergo.

48 Nec urgent rationes dubitandi in oppoſitum allatæ. Non enim obſtat *c. Bonæ memoriæ. 3. h. t.* quia opponitur *cit. c. Eccleſia veſtra. 57. de Elect.* Unde, ut concordentur jura juribus, dicendum, quòd in *d. c. Bonæ memoriæ*, verbum, *Poſtulârunt*, ponatur impropriè quoad Cardinale (illud intelligendo de Poſtulatione minùs ſolemni, quæ re ipsâ eſt electio) haud obſtante, quòd quantùm ad alterum Epiſcopum, qui ſimul ibidem dicitur poſtulatus, propriè ſit accipiendum. Abbas Panormit. *cit. c. Bonæ memoriæ. n. 5.* allegans Abbatem antiquum.

Ad alterum dicitur cum Gloſſa marginali *in can. Quamquam. 2. q. 7.* ac Abbate Panormit. *cit. num. 15.* & alijs, quòd quidem Cardinales ſint Epiſcopis majores quoad officium, utpote reſpiciens ſtatum Eccleſiæ Univerſalis, *c. Bonæ memoriæ. 3. h. t.* non tamen Cardinales ſint majores iſtis, quoad dignitatem Ordinis Epiſcopalis. Quia enim in Eccleſia Dei non reperitur Ordo major Epiſcopatu (unde Epiſcopus *cap. 1. §. Per frontis. de Sacra Unction.* appellatur ſummus Sacerdos: atque ipſemet Papa, denominando ſe ab Ordine, appellat ſe Epiſcopum, ut notat Gloſſa *in Proemio Sexti Decretaliū ỷ. Epiſcopus*) hinc Epiſcopus eſt major Presbytero Cardinali quoad dignitatem Ordinis Epiſcopalis. Et per hoc patet ad alias ſequentes probationes.

Nec obſtat, quòd Cardinales dicantur habere alas ligatas. Inde enim ſolùm ſequitur, quòd ſint poſtulandi Poſtulatione minùs ſolemni, quatenus videlicet petenda eſt licentia Domini Papæ, ut poſſint diſcedere ab Eccleſia Romana, cui ſpecialiter ſunt aſtricti, ad Eccleſiam particularem, in cujus Epiſcopum eliguntur: non autem inde ſequitur, quòd ſint poſtulandi Poſtulatione ſolemni, de qua impræſentarum eſt ſermo, ad inſtar Episcoporum.

Inſuper ex eo, quòd Cardinales in Eccleſijs ſui Tituli habeant jurisdictionem quaſi Epiſcopalē, rectè quidem colligitur eorundē Dignitas atq; excellentia ſui Officij: nō autem fœdus ſpiritualis Conjugij cum Eccleſia proprij ſui Tituli, quæ eſt ratio, cur Epiſcopi non poſſint eligi, ſed ſolùm poſtulari. Illud autem, quòd nemo debeat eligi ad minorem Dignitatē, eſt de decentia nō de neceſſitate: præſertim accedente proprio conſenſu, & in caſu illo, ubi minor Dignitas ſub certo reſpectu ſimul exiſtit major; prout Epiſcopatus ratione Ordinis Epiſcopalis, atque ſpiritualis matrimonij cum propria Eccleſia, eſt major, digniórque ſimplici Cardinalatu.

Quæritur VI. Utrùm Abbates, aliique Clerici Epiſcopis inferiores, ad aliam Eccleſiam, ſeu Dignitatem poſſint eligi, vel potiùs ſint poſtulandi? Reſp. Omnes Clerici infra Epiſcopos non prohibentur eligi ex eo, quia habēt Eccleſias ſeu Dignitates inferiores. Hanc Concluſionem pro regula ponit Abbas *cap. ult. n. 8. h. t.* & Paſſerinus *cit. cap. 24. quæſt. 12. n. 38.* Pirhing. *h. t. n. 13.* & alij. Ratio eſt: quia non eſt tanta conjunctio inter inferiores Clericos, & eorum Eccleſias, quanta inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam: ſiquidem matrimonium ſpirituale propriè conſiſtit inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam, *can. Sicut vir. & can. Sicut alterius. 7. q. 2. & c. Inter corporalia. de Translat. Epiſcop.* Inter inferiores autem Clericos,

ricos, eorúmq; Eccleſias, non contrahitur propriè matrimonium, ſed quaſi matrimonium. Abbas *loc. cit. n.* 5. Accedit, quòd nullo Jure ſit prohibitum, ſed potiùs permiſſum, ut Clerici Epiſcopis inferiores eligantur; prout oſtenditur inductione.

5 Sic quippe imprimis Abbas poteſt eligi in Epiſcopum, *text. clar. c. Si Abbatem. 36. de Elect. in 6.* Quamvis Abbas, ſi ſit exemptus, ac immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, non poſſit ad aliam Eccleſiam tranſire ſine licentia Papæ, vel ejus Legati de Latere, prout ibidem notatur. In Abbate autem non exempto requiritur, & ſufficit ad hoc licentia proprij Epiſcopi, aut immediati Superioris, *arg. c. Si Religioſus. eod. in 6.*

Deinde, quòd Præpoſiti, & habentes Dignitatem inferiorem, pòſſint eligi, patet ex *c. Cùm inter. 21. & c. Dudum. 22. de Electon.* Idem de Religioſis eſſe dicendum, conſtat ex *c. Si Religioſus. 27. & c. Nullus. 28. de Elect. in 6.* cum ſimilibus. Quamquàm Religioſi, cùm velle vel nolle non habeant, electioni de ſe extra ſuum Monaſteriū, vel ſuam Eccleſiam celebratæ, nequeant conſentire abſque petitâ & obtentâ licentiâ ſui Superioris; & quidem ſub nullitate actûs, atq; electionis, ſi ſecùs quiſpiam eorū facere præſumpſerit, *cit. c. Si Religioſus. & c. Quorumdam. 24. eod. in 6.*

Quæritur VII. Quæ ſint pœnæ Poſtulantium indignū? Ubi prænotandū, quòd præſens quæſtio ſolummodò intelligenda ſit de indignitate, ſeu inhabilitate indiſpenſabili, in qua videlicet vel non poteſt, vel non ſolet diſpenſari: ut ſi quis ſit omninò illitteratus, criminoſus, excommunicatus, ſuſpenſus, aut alium defectum indiſpenſabilem patiens; juxta dicta *n.* 34. Alioquin enim Poſtulatio ſolemnis ſemper fit circa perſonam de jure inhabilem ad obtinendam Prælaturam, ac proinde diſpenſatione Superioris indigentem. Hoc prænotato.

Reſp. I. Qui ſcienter ad Prælaturam poſtulant 56
indignum, ſeu laborantē defectu indiſpenſabili, ipſo jure pro ea vice privati exiſtunt poteſtate poſtulandi, ſeu eligendi. Ita deſumitur ex *cap. 1. §. fin. h. t.* ac notat ibidem Gloſſa ℣. *Privare.* & Abbas *n.* 31. cum alijs. Concordat c. *Scriptum eſt 40. §. Si verò de Electon.* cum ſimilibus. Quomodo autem ſit intelligendum ly *ſcienter*, & ly *pro ea vice*, ex profeſſo dicetur *Tit. ſeq.* §. 11. *num.* 253. *&* 258. *& ſeqq.*

Reſp. II. Inſuper illi, qui Poſtulationem vitio 57.
perſonæ caſſatam, denuò innovare præſumunt, ipſo ure pro una vice privati exiſtunt poteſtate poſtulandi, & eligendi. Ita habetur expreſſum *cap. 2. h. t.* atque ampliùs declarat Gloſſa ibidem, ℣. *Niterentur*, & Doctores paſſim.

Reſp. III. Qui minorem viginti ſeptem annis 58.
(hoc eſt, eum, qui vigeſimum ſepimum ætatis annum nondum attigit) ſcienter poſtulaverint ad Eccleſiam Cathedralem; aut qui Profeſſorem cujusvis Mendicantium Ordinis poſtulant ad inferiores Cathedralibus Eccleſias extra ſuos Ordines: non ſolùm pro ea vice poſtulandi, ac eligendi poteſtate ipſo jure ſunt privati; ſed etiam Beneficijs, quæ in tali obtinebant Eccleſia, per trieñium ſuſpenſi eſſe noſcuntur. Patet hoc ex *Extravag. un. h. t. inter Communes*: ubi etiam diverſæ pœnæ ſtatuuntur in Poſtulatos, qui ejusmodi Poſtulationis de ſe factæ negotium per ſe, vel per alium, in Romana Curia proſecuti fuerint.

§. III.

De Forma Poſtulationis, & alijs eam concernentibus.

SUMMARIUM.

59. & 60. *Tutius eſt, ut forma Scrutinij obſervetur in ſolemni Poſtulatione.*
61. *Id tamen abſolutè non eſt neceſſarium. Et n.* 56.
62. *Solvitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ.*
63. *Formulæ poſtulandi ſpecialiter à Jure Canonico reprobatæ.*
64. *Illa,* Eligo & poſtulo, prout poteſt meliùs de jure valere, *eſt etiam invalida.*
65. *Et quid ſtante dubio, an quis ſit eligendus, vel poſtulandus?*
66. *Quo tempore Poſtulatio ſit præſentanda Poſtulato?*
67. *Hujúsque mens explicanda?*
68. *Quomodo Poſtulati dicantur non teneri præſtare conſenſum?*
69. *An Poſtulatus intra menſem non explicans mentem ſuam, incurrat pœnám?*
70. *Superior an poſſit repellere Poſtulationem abſque ullius injuriâ? Et num. ſeqq.*
Quid, ſi contra eam agatur de alicujus contemptu? Ibid.
71. *Aut ſi per ipſam minor utilitas præferatur majori?*
72. *Et quid, ſi ejus admiſſionem exigat publica cauſa?*
73. *Habet tunc locum Implorátio officij Judicis.*
74. *Et poteſt ſuperior Prælatus compellere inferiorem ad Poſtulationem admittendam.*
75. *In Papam non cadit talis compulſio. Et Tit. ſeqq. n.* 28.
76. *Ob perſonam Poſtulati duntaxat, non compellitur Superior admittere ejus Poſtulationem.*
77. *Etiamſi Poſtulatio fuiſſet facta in concordia.*

Quæritur I. Utrùm forma Scrutinij ſit neceſſaria ad Poſtulationem ſolem-
59. nem? Reſp. Etſi tutius ſit, ut forma Scrutinij (qualis pro electione præſcribitur in *c. Quia propter. 42. de Elect.*) unàcum alijs ſolemnitatibus ad electionem requiſitis, etiam obſervetur in ſolemni Poſtulatione: nihilominùs id abſolutè neceſſarium non eſt. Ita Hoſtienſis *in Summa. Tit. de Poſtulatione. n.* 10. Layman *cap. un. n.* 5. & ibi Francus *n.* 3. *h. t. in 6.* Fagnanus *c. Publicato. n.* 50. *de Elect.* Paſſerinus *cit. cap.* 24. *quæſt.* 5. *n.* 9. Pirhing *h. t. n.* 31. Sylveſter *℣. Poſtulatio. q.* 2. & alij ab ipſis citati: Quamvìs quoad alteram partem oppoſitum teneant Abbas Panormit. *in c. Quia propter. n.* 9. *quæſt.* 2. *de Elect.* Innocentius *c. In cauſis. n.* 1. *eod.* Baldus *ad Rubricam. h. t. n.* 4, Tholoſanus, Tabienna, & nonnulli alij.

60. Prima pars ex eo patet. Tum quia plures inſignes Doctores (ut proximè allegati) cenſent, formam Scrutinij etiam ad Poſtulationē requiri: ac proinde ſubintrat illud D. Auguſtini, relatum in c. Si quis autem. de pœnit. diſt. 7. *Ergo tene certum, dimitte incertum.* Tum quia Electio & Poſtulatio, tanquam duo ad unum eundémque finem tendentia, in Jure æquiparantur: quinimò Jura antiqua promiſcuè his vocabulis interdum utebantur; ut patet *ex can. Litteras. diſt.* 63. Tum tandem, quia licèt Papa de plenitudine poteſtatis poſſit admittere Poſtulationem, non ſervatâ formâ Scrutinij celebratâ; id tamen ordinariè facere non conſuevit, ut ait Pirhing *cit num.* 31.

Secundæ verò partis probabilitas ſuadetur,
61. tum ex authoritate Doctorum pro ea jam allegatorum: tum ex eo, quia ſolemnitas Scrutinij nullibi in Jure habetur expreſſa in ordine ad Poſtulationem: nam *in cit. c. Quia propter. de Election.* ſolùm eſt ſermo de Electione. Accedit, quòd majoris ſit efficaciæ Electio, utpote per quam electo jus acquiritur, quàm Poſtulatio; ac proinde nō mirum, quòd plures ibi requirantur ſolemnitates, quàm in Poſtulatione: ſicut in ſimili plures requiruntur ſolemnitates ad Teſtamentum, quàm ad Codicillū. Tandē probatur hoc ex eo: quia, ſi eædē ſolemnitates requirerentur ad Poſtulationem, quæ ad Electionē; ergo ſicut hìc publicato Scrutinio non poſſunt variare Electores, ita nec poſſent variare Poſtulantes: atqui hoc eſt falſum, juxta dicta *nu.* 17. *& ſeq.* ergo.

62. Ad fundamentum ſententiæ oppoſitæ Reſp. Electionem & Poſtulationem in jure ſuffragandi quidem æquiparari, ut jam dictum *n.* 17. *& ſeqq.* non tamen in omnibus alijs, ac præſertim non in ijs, quæ ad eſſentiale earum diſcrimen pertinent, vel inde oriuntur. Hoc autem fit in propoſito, cùm Electio ſit majoris virtutis, ac tribuat jus electo, non item Poſtulatio: unde & Poſtulantes adhuc variare poſſunt, non verò Eligentes publicato Scrutinio.

Quæritur II. Quænam formæ poſtulandi à
63. Jure Canōico ſint ſpecialiter reprobatæ? Reſp. I. Quæſtio hæc reſolvitur *in cap. un. h. t. in 6.* ubi ſequentes formulæ, quas pernicioſa curioſitas adinvenit, reprobantur, & ipſo jure declarantur irritæ; videlicet, *Eligo poſtulando, & Poſtulo eligendo.* aut *Eligo poſtulandum, & Poſtulo eligendum.* Ratio eſt: quia nec vera electio, nec vera poſtulatio reſultat ex ipſis, quin ſibi potiùs adverſantur. Idem dicendum de hiſce formulis: *Eligo in poſtulandum*; vel, *Poſtulo in eligendum*: cùm rem imperfectam ſignificare noſcatur, prout ibidem argumentatur Pontifex.

Reſp. II. Invalida quoque eſt ſequens formula: *Eligo, & poſtulo, prout poteſt meliùs de jure valere.* 6
Ita habetur *cit. cap. un. h. t. in.* 6. Et ratio eſt: quia talis formula continet incertitudinem.

Excipitur tamen caſus, quando probabiliter dubitatur, utrùm quis ſit eligendus, vel potiùs 6
poſtulandus. Verùm in hoc caſu poſtulatus, ſeu Electus, tenetur tempore conſenſûs eligere viam Electionis, vel poſtulationis, ne in incerto vagetur: & harum unâ electâ, ad alteram redire non poterit, prout ibidem ſubjungitur.

Quæritur III. Quo tempore Poſtulato præ- 6
ſentanda ſit Poſtulatio, ab eoque conſenſus præſtandus? Reſp. I. Poſtulantes tenentur Poſtulationem præſentare Poſtulato, quàm citiùs commodè poterunt: & ſi ipſi fuerint negligentes non præſentando infrà octo dies punientur ut Electores. Ita deſumitur *ex c. Quàm ſit Eccleſijs. de Elect. in 6. & c. Cupientes. §. Cæterùm. & §. Deniquè.* junctâ Gloſsâ *℣. Conſenſum. eod. in 6.* Quia enim Eccleſijs diſpendioſa eſt diuturna vacatio ipſarum, hinc quoad præmiſſa æquiparatur poſtulatio electioni, ut textus ibidem ſatis oſtendit.

Reſp. II. Poſtulatus poſt factam ſibi præſen- 6
tationem Poſtulationis, tenetur intra menſem explicare mentē ſuam; &, ſi velit acceptare Prælaturā, conſentire conditionatè, aut ſaltē dicere, quòd nō diſſentiat, ſed in hoc voluntati Domini Papæ ſe ſubmittat. Ita Gloſſa *loc. cit.* junctis juribꝰ præallegatis: & concordant dicta ſuperiùs *n.* 15.

Nec obſtat, quòd *in cit. cap. Cupientes. §. Deni- 6
que.* dicatur, quòd Poſtulati *nec ſuis Poſtulationibus præſtare conſenſum teneantur.* Reſp. enim, iſtud eſſe intelligendum de conſenſu abſoluto (talem enim nec dare poſſunt, nec debent; cùm illis per Poſtulationem nullum jus fuerit acquiſitum, imò adhuc indigeant gratia, & diſpenſatione Superioris) non autem de conſenſu conditionato, aut de non diſſenſu, qui eſt quid medium inter conſenſum & diſſenſum, *arg. c. is qui tacet. de Reg. Jur. in 6.* Gloſſa *cit. §. Denique ℣. Conſenſum. & ℣. Non diſſenſerint.*

Quòd ſi Poſtulatus intra menſem nō explica- 6
verit mentē ſuam, & nec conſenſerit, nec diſſenſerit Poſtulationi, modo prædicto: ipſe quidem nō incurret pœnam ſtatutam *cit. c. Quàm ſit Eccleſijs. de Elect. in 6.* Quæ eſt privatio juris acquiſiti ex electione: ſiquidem Poſtulatus nullum jus ex Poſtulatione acquiſivit, quo poſſit privari. Nihilominùs ex tali negligentia Superior rectè movetur ad negandā gratiam, ipſámq; Poſtulationem repellendā: quia Poſtulatus ex ea negligen-
tia

a præſumitur diſſentire *arg. can. Cùm pro par-ulis. de Conſecrat. diſt.* 4. Accedit, quòd, licèt Po-ſtulatus ob talem negligentiã ſuam non poſſit amittere jus aliquod (tale enim non habuit) ad-huc tamẽ cenſeatur amiſiſſe ſpem gratiæ, quam habebat, ut loquitur Gloſſa *loc. cit.* ℣. *Similis pœ-na*; ſive illud tale quale jus æquitatis, quâ cæte-roquin æquum eſt, poſtulationem honeſtam admitti, *arg. cit. c. Quàm ſit Eccleſijs.* Paſſerinus *de electione, cap.* 24. *quæſt.* 8. *n.* 15.

Quæritur IV. Utrùm Superior teneatur ad-mittere Poſtulationem, vel hanc poſſit repelle-re absque ullius injuria. Reſp. I. Poſtulatio con-tra quam agitur de contemptu, poteſt abſque ullius injuriâ, & præjudicio repelli; tamen de ſpeciali gratia poteſt etiam admitti. Patet hoc ex *c. Poſtulationem.* 5. *h. t.* juncto Summario, & Doctoribus ibidem: nam, ut deſumitur ex Su-perſcriptionibus, ac notat Abbas, dictum Capi-tulum loquitur de eodem facto; relato in Capi-tulo præcedenti, ubi §. 1. fit mentio de Poſtula-tione attentatâ quibusdam contemptis, qui jus habebant eligendi. Unde referendo ſe ad dictã Poſtulationem, de qua in Capitulo præcedenti ſermo erat, quámque alij impugnabant, inquit Pontifex: *Licèt ergo per poſtulationem hujusmodi nul-lum jus ſit alicui acquiſitum, ideóque ſine præjudicio ali-cujus, poſtulationem potuiſſemus repellere memoratam: ut tamen vobis de ſpeciali gratia conſulamus* &c. Accedit ratio: quia hoc ipſum procedit de Electione, quæ celebretur aliquibus contemptis, ad horũ in-ſtantiam eſt caſſanda; *ut c. Venerabilem.* 34. *& c. Bonæ memoriæ.* 36. *de Election.* cum ſimilibus.

Reſp. II. Inſuper Poſtulatio, per quam priva-ta, ſeu minor utilitas præfertur communi, ſeu majori bono, non debet admitti, ac proinde ea abſque ullius injuria reijcitur. Patet hoc *ex c. Bonæ memoriæ.* 3. *h. t.* ubi circa hoc habetur caſus ex-preſſus, atque Papa rejecit poſtulationem alicu-jus Cardinalis ad Archiepiſcopatum Ravena-tenſem, præferendo ſpeciali communem utili-tatem, eò quòd dicti Cardinalis præſentia fuerit utilior tam Romanæ, quàm etiam univerſali Ec-cleſiæ. Nam publica utilitas eſt præferenda pri-vatæ, *can. Scias.* 7. *q.* 1. cum concordantijs.

Reſp. III. Si Poſtulatio cæteroquin rite fuerit celebrata, ejúſque admiſſionem exigat publica cauſa, ut puta neceſſitas, vel utilitas magna Ec-cleſiæ, tenetur ipſam Superior admittere; nec poteſt eam repellere abſq; injuria Poſtulantium, & Eccleſiæ, in qua facta eſt poſtulatio. Ita Abbas *in c. Poſtulationem. num.* 2. *h. t.* poſt Joan. Andream, & Hoſtienſem *in c. Cùm ad Monaſterium. de Elect.* atque tradit Gloſſa notabilis *in c. Cupientes §. De-nique.* ℣. *Gratia de Elect. in* 6. id à ſimili probans *ex l.* 1. §. *penult. ff. de Aqua quotid.* Alexander *Con-ſil.* 80. *n.* 12. *lib.* 1. Fagnanus *c. Bonæ memoriæ. n.* 6. *h. t.* & alij. Ratio eſt: qui Superior ex lege Ju-ſtitiæ Legalis, ac vi ſui officij, tenetur neceſſita-tibus commiſſæ ſibi Eccleſiæ, atque utilitatibus boni communis providere; ergo etiam tenetur admittere Poſtulationẽ, quoties viderit ita exi-gere cauſam publicam, ſive neceſſitatem, mag-námve utilitatem Eccleſiæ, in ipſos etiam Poſtu-lantes redundaturam. Sin minùs, fiet his injuria, ob nõ ritè adminiſtratum ſibi Officiũ Paſtorale.

Hinc notat Gloſſa *in c. Bonæ memoriæ.* 3. ℣. *Gra-tia.* & ibi Layman *n.* 7. *h. t.* quòd ſi Prælatus Papâ inferior, habens poteſtatẽ diſpenſandi, & poſtu-lationem admittendi, nolit hanc, licèt concordi-ter, atque ex gravi cauſa celebratam admittere, Poſtulantes poſſint ſuperioris Prælati officium implorare. Licèt enim ex Poſtulatione Actio non detur, ut dictum *num.* 25. adhuc tamen lo-cum habet Imploratio Officij Judicis: nam re-medium Implorationis Officij Judicis concedi-tur, cùm deficit Actio propriè dicta, ut liquet ex *c. Officium judicis.* 2. *de Offic. judic.* 73.

74. Atque in tali caſu poteſt ſuperior ille Prælatus compellere inferiorem ad Poſtulationẽ admit-tendam, ſi ſubſit cauſa tam juſta, & concernens utilitatem Eccleſiæ: puta quia poſtulatus eſt po-tens ad defendendam Eccleſiam, aut benè do-ctus, ſive morigeratus, licèt non legitimè natus, ſimúlque non reperitur alius, per quem ita benè conſulatur Eccleſiæ; prout exemplificat Abbas *in c. Bonæ memoriæ.* 3. *n.* 15. *h. t.*

75. In Papam verò non cadit talis compulſio, cùm non habeat ſuperiorem in terris, *c. Licèt de vitan-da. §. fin. de Elect.* Unde reſpectu ipſius locum non habet Imploratio officij Judicis, ſed potiùs Poſtulantes gratiam debent implorare ab ipſo, ut inquit Gloſſa proximè citata.

76. Reſp. IV. Ubi non ſubeſt cauſa publica, ne-ceſſitatis v. g. vel utilitatis Eccleſiæ, ſed ea con-cernit duntaxat perſonam Poſtulati, ut puta quia eſt ita doctus, vel morigeratus, ut mereatur di-ſpenſationẽ, atque admiſſionem: tunc Superior non compellitur ad faciendam ei hanc gratiam, & admittendam ejus Poſtulationẽ, niſi velit. Ita Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà*, cũ alijs. Ratio eſt: quia nemo invitus de ſuo cogitur facere beneficium, *can. Precariæ.* 10. *q.* 2. Simulq;, nõ quidquid Judicis poteſtati permittitur, juris neceſſitati ſubijcitur.

77. Et hoc amplia cum Paſſerino *cap.* 24. *de Elect. quæſt.* 14. *n.* 49. etiam ad Poſtulationem in con-cordia, ſive ab omnibus, ſive à duabus partibus Capitularium factam, quidquid nonnulli in cõ-trarium dicere videantur. Nam, ut probant ra-tiones proximè allatæ, ubi Superior ex officio, & lege Juſtitiæ, aut alterius virtutis (utpote qua-rum actus in certis circũmſtantijs quandoque cadunt ſub præcepto) non tenetur admittere Poſtulationem; tunc nec eam admittere com-pellitur, licèt ſit facta in concordia, Quinimò tunc procedit illud *cit. c. Bonæ memoriæ.* 3. *h. t.* ubi dicitur, quòd Sedes Apoſtolica, *etiam quando aliquis ab alijs unanimiter poſtulatur, ad admittendam poſtulationem eorum, non tam ex juſtitia, quàm ex gra-tia moveatur.* Quia videlicet Poſtulato ratione ſuæ inhabilitatis ex poſtulatione nullum jus ac-quiſitum fuit; ſimúlque hîc ceſſat ratio publicæ cauſæ, ſive utilitatis: beneficium autem invitus nemo regulariter præſtare cogitur.

TITULUS VI.

De Electione, & Electi poteſtate.

1. Ratio ordinis Rubricæ.

1. VIſum eſt Titulo præcedenti de uno modo, quo Eccleſijs de idoneo Paſtore providetur per viam gratiæ, mediante videlicet Poſtulatione: ſequitur nunc alius modus, quo providetur eiſdẽ per viam juris, ſeu mediante Electione; nam poſtulatio innititur gratiæ, electio juri. Quia verò præſens Titulus valdè copioſus eſt, ſimul & ſcitu utiliſſimus, eundem claritatis gratiâ oportet dividere in Paragraphos.

§. I.

De natura Electionis, ejúsque differentijs ab alijs modis providendi Eccleſiæ.

SUMMARIUM.

2. *Electio eſt nomen verbale; & quid generatim ſignificet?*
3. *Accipitur dupliciter.*
4. *Electio propriè dicta, quid? Et num. ſeqq.*
5. *Cur dicatur* Canonica vocatio?
6. *Epiſcopi olim dicebantur Presbyteri.*
7. *Electio activa & paſſiva, quæ?*
8. *Habere vocem activam, vel paſſivam, quid? Simpliciter privatus voce, in dubio cenſetur privatus ſolâ voce activâ. Ibid.*
9. *Modi generales providendi Eccleſiis, qui?*
10. *Nominatio triplex; & quid ſit Nominatio ſolemnis?*
11. & 12, *Hæc in pluribus differt ab Electione, & Poſtulatione. Et num. ſeqq.*
13. *Primò nominatus cenſetur cæteris dignior.*
14. *Per nominationem an acquiratur jus Nominatis?*
15. *Simplex Petitio, quid?*
16. *Proviſio eſt nomen latum, comprehendens ſub ſe omnes modos providendi Eccleſijs.*
17. *An, & quando ſub ſe comprehendat Electionem?*
18. *Præſentatio, quid?*
19. *Poteſt fieri per litteras.*
20. *Multiplex differentia inter Præſentationem, & Electionem. Et num. ſeqq.*
21. *Electio potentius jus confert, quàm Præſentatio.*
22. *Collatio libera Beneficij, quæ? Et num. 24.*
23. *Collatio generatim accepta dividitur in liberam, & neceſſariam.*
24. *Cur hæc dicatur neceſſaria, & prior libera? Collatio libera quodammodò eſt donatio. Ibid.*
25. *In quo hæc differat ab Electione?*

2. QUæritur. I. Quot modis Electio ſumatur? Reſp. I. *Electio* eſt nomen verbale, ac proinde habet duplicem ſignificationem, activam videlicet, ac paſſivam: ut & cætera verbalia nomina, *arg. L. 2. ff. de duobus reis*, junctâ Gloſsâ *fin. ibid.* Abbas *ad Rubricam. h. t. n. 2.* Et quidem generatim *Electio* ſignificat delectum unius rei, vel perſonæ, à pluribus. In propoſito autem ea reſtringitur ad perſonas quoad certam functionem, vel Dignitatem Eccleſiaſticam eligendas. Quo modo de ipſa loquendo,

Reſp. II. Electio dupliciter accipitur. Primò
3. generaliter, ſeu latiſſimè: quo modo etiã comprehendit Poſtulationem, Præſentationem, Nominationem, & Collationem; nam in his omnibus ſuo modo eligitur perſona Beneficio Eccleſiaſtico idonea, quæ poſtuletur, præſentetur, nominetur, aut cui Beneficium liberè à Superiore conferatur. Sic *in c. Cùm Eccleſia. 31. h. t.* Collatio Canonicatûs vacantis per Epiſcopum facta, vocatur *Electio*: ſicut & Præſentatio Clerici, *c. Querelam. 24. eod.* ibi: *Populus in quaſi poſſeſſione præſentandi Clericum exiſtebat, quando ipſum Presbyterum ad illam elegit.* Et quòd etiam Nominatio nomine Electionis veniat; textus eſt in *c. Quod ſicut. 28. §. 1 h. t.* Secundò ſumitur Electio propriè, ſeu ſtrictè, ac prout à cæteris enumeratis contradiſtinguitur: & in hoc ſenſu impræſentiarum de electione loquendo,

Quæritur II. Quid ſit Electio propriè dicta? Reſp. *Electio* eſt perſonæ idoneæ ad Eccleſiam vacantem, ſeu Prælaturam, per eos, quibus jus eligendi competit, canonica vocatio, authoritate Superioris confirmanda. Ita Hoſtienſis *in Summa. Tit. de Electione. n. 1.* Sannig. *eod. n. 2.* & in re communis; patebitq; bonitas datæ definitionis ex declaratione ſingularum particularum.

Dici-

Dicitur cumprimis, *Canonica vocatio.* Quia electio debet eſſe *canonica*, hoc eſt, facta ſecundùm præſcriptum ſacrorum Canonum, id eſt, abſque vitio tum formæ electionis, tum eligentium, tum ipſius electi. Et additur *Vocatio*, non autem *Inſtitutio*: quia electio non tribuit Electo jus in re, neque poſſeſſionem Beneficij, ſicuti Inſtitutio (quæ vulgò dicitur *Inſtallatio*, ſeu *Inveſtitura*) ſed ſolummodò jus ad rem, donec Superioris confirmatio accedat, à qua electio canonica ſuum complementum accipit, & acquiritur Electo jus in re reſpectu Prælaturæ. Atque ideò additur: *authoritate Superioris confirmanda.*

Dicitur ulteriùs, *ad Eccleſiam vacantem, ſeu Præ-*
6 *laturam.* Quia hæc definitio propriè convenit illi electioni, per quam quis eligitur in caput, ac veluti Sponſum Eccleſiæ: ſive ſæcularis, ut Epiſcopi (qui olim dicebantur Presbyteri, *can. Olim. diſt.* 96. ibi: *Olim idem erat Presbyter, & qui Epiſcopus*) ſive Regularis, ut Abbates, qui in ſuos quaſi Epiſcopalem jurisdictionem obtinent, *c. Abbates.* 3. *de Privileg. in 6.* Quo tamen non obſtante ea, quæ in progreſſu dicentur, etiam cæteris inferiorum Electionibus, ſervatâ proportione, accommodari poſſunt.

7 Dicitur rurſus *per eos, quibus jus eligendi competit*, ad denotandam Electionem activam; éſtque eorum, qui eligere poſſunt. Et additur *perſonæ idoneæ*, ad indicandam Electionem paſſivam; illius nempe perſonæ, quæ eſt habilis; ut eligatur ad obtinendam Prælaturam, ſive Dignitatem Eccleſiaſticam.

Et quidem illi, qui poſſunt eligere, dicuntur
8 habere *Vocem activam*; poſteriores, ſeu qui eligi poſſunt, habere dicuntur *Vocem paſſivam*: unde qui privati ſunt voce activâ & paſſivâ, neque eligere poſſunt, neq; eligi. Si quis verò ſimpliciter per Canones privetur *voce*, id in dubio de activa tantùm, quæ ſimpliciter & abſolutè *vox* eſt, non etiam de paſſivâ accipiendum erit: nam in pœnalibus, ſtante dubio, verba ſtricta, atque in propria ſignificatione accipienda ſunt, juxta illud: *Odia reſtringi &c.* Et illud: *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda.* de Reg. Juris. in 6. Exemplum hujus habetur *in Clem.* 2. *de Ætat. & qualit.* atque in Concilio Trident. *Seſſ.* 22. *de Reform. cap.* 4. ubi de ijs, qui in Ordine ſaltem Subdiaconatûs conſtituti non ſunt, ſtatuitur, ut vocē in Capitulo non habeant. Intelligitur enim hoc de voce activâ duntaxat, ut tradit Garcias *part.* 3. *de Beneficijs. cap.* 4. *in addit. ſub num.* 15. Barboſa *de Canonicis. cap.* 16. *n.* 18. Engel *h. t. à princip. num.* 2. Ac proinde talis Canonicus non Subdiaconus benè poteſt eligi licèt non poſſit eligere. Imola *ad cit. Clem.* 2. *§. An autem.* Poteſtque exercere actus non collegiales, ſive illos, qui expediuntur à Canonicis ut à privatis, non ut à Capitulo. Gloſſa *ad cit. Clem.* 2. *V. In Capitulo.*

Quæritur III. Quid ſit Nominatio, & quomo-
9 do differat ab Electione, & Poſtulatione? Ubi ſupponendũ, quòd tres ſint generales modi providendi Eccleſijs, videlicet per Electionem, Poſtulationem, & Nominationem; ut deſumitur *ex c. Bonæ memoriæ.* 3. *§. fin. de Poſtulat. Prælat.* ibi: *Quatenus per electionem, poſtulationem, ſeu nominationem canonicam in perſonam idoneam convenire curetis*: ac notat Abbas *ibid. n.* 8. Faganus *n.* 39. & concordat *c. Quod ſicut. §.* 1. *n.* 28. *de Elect.* Quamvis enim dentur alij quidam modi providendi Eccleſijs viduatis, ſeu Beneficijs Eccleſiaſticis, videlicet per Translationem Epiſcoporum, per Collationem Beneficij liberi, & per Inſtitutionē in Beneficio ad præſentationem Patroni, item & per Permutationem Eccleſiarum, ſeu Beneficiorum, de quibus agitur in ſpecialibus Titulis: tamen hi ipſi modi facilè ad unum prædictorum trium modorum, ſaltem generaliùs acceptorum, referuntur. Sic quippe Collatio, & Præſentatio, comodè reducitur ad Electionem latiùs ſumptam; cùm in his quoque interveniat delectus perſonæ habilis ad Beneficium: Translatio autem Epiſcoporum, ſicut & Permutatio inferiorum Beneficiorum, non fit niſi ad præviā Poſtulationem, Electionem, ſeu Nominationē alicujus, ac mediante novâ Inſtitutione, cui per accidens eſt, quòd Epiſcopi translati, aut Clerici permutantes, jam priùs ſupponantur habuiſſe Epiſcopatum, vel Beneficium; ac proinde hæc duo nō niſi per accidens, ac reſpectu *termini à quo* conſtituunt ſpecialem modum. Paſſerinus *cap.* 1. *de Electione. n.* 53. His prænotatis,

Reſp. I. *Nominatio ſolennis* eſt illa, per quam duo, 10
vel plures excellentiores nominantur, ſeu proponuntur Superiori, ad hoc, ut unum ex illis admittat, eíque de Beneficio providere dignetur. Et additur notanter, *Nominatio ſolemnis.* Nam, ut advertit Abbas *in c. Quod ſicut. n.* 1. *h. t.* Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. univ. cap.* 19. *n.* 17. Fagnanus *in c. Bonæ memoriæ n.* 79. *de Poſtul. Prælat.* poſt Rebuſſum *Tract. de Nominat. quæſt.* 1. *n.* 26. & alios, triplex poteſt diſtingui Nominatio. Una dicitur conſultoria, ſeu Nominatio minùs ſolemnis; éſtque ea, quæ præcedit ſcrutinium, ſive quæ fit in Collegio quosdam proponendo, tanquam bonos viros, ut de eis fiat ſcrutinium. Et hæc nullum jus tribuit nominatis, *arg. cit. c. Quod ſicut. h. t.* Imò tali nominatione non obſtante, poſſunt Capitulares eligere alium. Abbas *loc. cit.* & Fagnanus *ubi ſuprà num.* 78. poſt Gloſſam magnam, *can. Quanto. diſt.* 63. eò, quòd per talem nominationem exprimatur ſolùm conſenſus de futuro. Altera Nominatio eſt, quæ fit in Scrutinio: & hæc coincidit cum votatione privata ſingulorum eligentium, atque exprimit conſenſum de præſenti, & publicato ſcrutinio non poteſt ampliùs variari, ut *c. Publicato.* 58. *h. t.* Tertia Nominatio eſt illa ſolemnis, per quam duo, vel plures magìs digni nominantur Superiori, ut ex illis unum promovere velit. Et de hac impræſentiarum præcipuè eſt ſermo, atq; de ipſa loquendo,

Reſp. II. Nominatio ſolemnis differt in pluri- 11
bus ab Electione, ac Poſtulatione; & imprimìs ex eo, quia nominatio fit de pluribus, non ſic Electio & Poſtulatio. Ita deſumitur ex *c. Quod ſicut.* 28. *h. t.*

28. *h. t.* ibi: *Cùm ex prima electione, quæ facta de tribus, dicenda videtur potiùs nominatio, nihil juris acquiſitum ſit nominatis.* Et infrà: *Non ſimplex nominatio* (qualis ibi ſupponitur facta de tribus) *ſed ſolemnis electio debet Principi præſentari, ut poſtulationi præſtet aſſenſum.*

Cæterum Electio, ſicut & Poſtulatio, fit de
12 uno tantùm; adeò, ut ſi plures eligantur, nominatio ſit potiùs, quàm electio, per textum allegatum: & ſi etiam unus ſolùm nominetur, poſtulatio ſit, vel quaſi poſtulatio, *arg. c. Bonæ memoriæ. 3. de Poſtulat. Prælat.* ibi: *Per electionem, poſtulationem, ſeu nominationem canonicam.* Ubi Gloſſa fin. ait, quòd *talis nominatio ſatis ſimilis eſt poſtulationi, imò quaſi idem: unde dicit poſtulationem, ſeu nominationem.*

13 Alia differentia eſt, quòd Nominatio poſſit fieri, ac fiat alternativè; non item Electio, vel Poſtulatio. Fagnanus *ubi ſuprà, n. 68.* citans alios. Electio quippe, atque Poſtulatio, fit de uno ſolùm; Nominatio ſolemnis autem de pluribus, ut ex illis Superior vel hunc, vel illum promoveat, ſicque patet, hanc fieri alternativè. Solùm adde, quòd primò nominatus cenſeatur cæteris dignior: nam ex ordine verborum eſt argumentandum, *arg. can. Inter verba. 11. q. 3.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Præmiſit.* Felinus *c. Cùm dilecta. n. 5. de Reſcript.* hoc limitans, niſi mens diſponentis ſit certa: quia tunc non curatur ordo verborum. Fagnanus *cit. c. Bonæ memoriæ. 3. num. 70. de Poſtulat. Prælat.* & alij.

14 Tertiò differt Nominatio ab Electione, quòd per hanc, poſtquàm eſt acceptata, acquiratur jus electo: non item acquiritur jus per Nominationem, *d. c. Quod ſicut. de Elect.* ibi: *Nihil juris acquiſitum ſit nominatis*, ac notat Abbas *ibid. n. 1.* Paſſerinus *cap. 1. de Elect. num. 50.* citans alios. Quamquàm, ſi Nominatio præſentata jam fuit Superiori, Nominantes variare ampliùs nō poſſint, ne alioquin illudi valeat Superiori; ſicut dici ſolet de Poſtulatione. Et in hoc ſenſu Archidiaconus *in can. Quanto. diſt. 63. n. 6.* & Fagnanus *loc. cit. n. 51.* docet, quòd ex Nominatione jus acquiratur Nominato, quatenus videlicet poſt ejus præſentationem Superiori factam, nō licet ab eo reſilire, neque eâ pendente ad electionem alterius procedere. Antequàm autem Nominatio fuerit præſentata Superiori, omnino liberum erit Nominantibus, ab ea recedere. *can. Ei qui. §. Nominationes. 2. q. 6.* Fagnanus *ubi ſuprà n. 78.*

Quæritur IV. Quid ſit ſimplex Petitio, Proviſio, Præſentatio, & Collatio Beneficij, & quo-
15 modo differat ab Electione? Reſp. I. *Simplex petitio*, quantùm ad propoſitum, aliud non eſt, ac ſupplicatio, quâ plebs ipſa, ſeu populus, aliquem ſibi dari in Prælatum depoſcit: prout accidit *in c. Quod Dei timorem. de Statu Monach.* & concordat *can. Nulla ratio. diſt. 62.* ibi: *Nec à plebibus expetiti.* Verumtamen hujuſmodi ſimplex Petitio nullum jus tribuit, ſicque nō continet ſpecialem Eccleſiæ proviſionem. Paſſerinus *cit. cap. 1. n. 53.* Per quod patet magna ejuſdē differentia ab Electione, quarum nō minima eſt, quòd electio jus tribuat electo ipſam acceptanti, juxta dicenda *§. ſeq.* non autem ſimplex Petitio.

Reſp. II. *Proviſio* eſt nomen ſatis latum, ac 16
veluti genus comprehendit ſub ſe omnes modos, per quos providetur cuipiam de Beneficio, ipſiq; Eccleſiæ de idoneo Rectore. Unde complectitur, ſub ſe Nominationem, Poſtulationem, Præſentationem, & Collationem, *arg. Clem. ult. de Election.* ac notat ibidem Gloſſa. *℣. Proviſioni.* & Abbas *n. 1.* Concordat textus *in cap. 1. §. 1. & in c. Si Compromiſſarius. §. fin. h. t. in 6.* ibi: *Electionem, poſtulationem, aut proviſionem*: nam hìc per ly *Proviſionem*, omnis modus providendi cuipiam de Beneficio comprehenditur, quamvis textus ad majorem declarationem de electione, & poſtulatione, ſpecialem fecerit mentionem. Unde, quòd nomen *Proviſionis*, in materia ſaltem favorabili, comprehendat ſub ſe ipſam quoque electionem, tradit Abbas *in cit. Clem. ult. n. 3. h. t.* Felinus *c. In noſtra. n. 28. de Reſcript.* Barboſa *tract. de Appellativa verb. jur. ſignificat. Appell. 228.* & alij.

Nec obſtat *c. Cùm in illis. 16. §. illis verò. de Præbend. in 6.* ubi expreſsè cavetur, quòd ſub mandato providendi cuipiam de Beneficio, *ad collationem, proviſionem, præſentationem, vel diſpoſitionem quorumcunque* ſpectante, non contineatur Beneficium ſpectans ad electionem quorundam; & conſequenter ſub nomine *Proviſionis* non comprehendetur *Electio.* Reſp. enim, hoc verum eſſe in materia odioſa, & ſtrictæ interpretationis: ut eſt *Mandatum de providendo*, cùm per hoc præjudicetur juri tertij, ſeu ordinarij Collatoris: ſimúlq; Litteræ de obtinendis Beneficijs, cùm ſint ambitioſæ, debeant reſtringi, *c. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* Secùs verò eſt dicendum in materia favorabili, ac largè interpretanda; quia tunc verbum *Proviſio*, comprehendit omnem modum, per quem providetur Eccleſiis. Felinus, & alij, *qui ſuprà.* Atque ex his patet differentia Proviſionis ab Electione, cùm veluti ſuperius, & inferius, differre dignoſcantur.

Reſp. III. *Præſentatio* propriè pertinet ad Patronum; hoc eſt, ad eum, cui competit jus patronatûs, de quo in Jure Canonico extat ſpecialis Titulus; ac rectè definitur dicendo: *Præſentatio eſt perſonæ ad Epiſcopum, vel alium, cui competit inſtitutio, per Patronum legitimè facta exhibitio, ut ei de Beneficio vacante provideat.* Vallenſis *tit. de Jure patronat. §. 5. n. 1.* eſtque in re communis.

Licèt autem *Præſentatio* vi nominis idem videatur ſignificare, ac aliquē ſenſibus corporeis præſentem exhibere, juxta Gloſſam *in Clem. Dudum ℣. Præſentari de Sepult.* Nihilominùs habens jus præſentandi poteſt præſentare Clericum per litteras, *arg. c. Ea noſcitur. De his quæ fiunt à Prælat.* ac notat ibidem Gloſſa *℣. Per litteras,* & Abbas *num. 2.*

Et quidem inter Præſentationem, & Electionē, multiplex eſt differentia. Imprimis enim per mutuum conſenſum eligentium, & electi, quaſi conjugale vinculū ſpirituale contrahitur, *c. Cùm inter*

inter

inter Canonicos. 21. *h. t.* Ac fœdus ſpirituale con-jugij inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam, in electione cenſetur initiatum; *cap. ult. de Tranſlat. Epiſcop.* non item in præſentatione. Deinde jus eligendi ad Beneficium Eccleſiaſticum non cadit in Laicos, *c. Sacroſancta.* 51. *& c. Maſſana.* 56. *h. t.* benè tamen jus præſentandi, *c. Quod autem.* 5. *& c. Paſtoralis.* 29. *de Jurepat.* Tertiò Præſentationi correſpondet inſtitutio, Electioni confirmatio per Superiorem facienda: nam Clericum legitimè à Patrono Præſentatum, & cæteroquin habilem, tenetur Superior ex juris neceſſitate inſtituere in Beneficio; ſicut & ejus, qui canonicè electus fuit, electionem confirmare, per quod confertur ipſi jus in re reſpectu Beneficij.

Quartò differunt, quia Præſentatio poteſt eſſe
21 unius ſolius, videlicet Patroni: Electio autem non niſi multorum, videlicet totius Collegij, *c. 1. h. t.* cum ſimilibus. Quintò ſolùm capitulariter fieri poteſt. *c. Quia propter.* 42. *h. t.* ſecus accidit in Præſentatione, nam hæc etiam per litteras, & ab uno fieri poteſt, ut *num. præc.* dictum. Tandem differunt, quia Electio potentius jus confert, quàm Præſentatio. Card. Tuſchus *Litt. E. Concl.* 89. *n.* 1. Pirhing. *h. t. n.* 3. Nam eligentes publicato Scrutinio, non poſſunt ampliùs variare.

Reſp. IV. *Collatio libera* eſt gratuita Beneficij
22 Eccleſiaſtici vacantis conceſſio, facta ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem. Ita Vallenſis *tit. de Inſtitutionib.* §. 1. *n.* 4. eſtque in re communis. Additur verò notanter, *Collatio libera* ad excluſionem Collationis neceſſariæ.

Unde notandum, quòd Collatio generatim accepta dividatur in liberam, & nõ liberam ſeu
23 neceſſariam. Rebuffus *tit. de Collatione. n.* 1. *& ſeqq.* Vallenſis *cit. num.* 4. ac alij. Et quidem *Collatio non libera*, ſeu *neceſſaria*, dicitur ea, quæ fit ex neceſſitate juris, videlicet ad præſentationem, nominationem, electionem alicujus, vel ad mandatum Superioris, aut ex cauſa permutationis Beneficiorum. Gloſſa *in Clem. un.* ℣. *Conferantur. de Rerum permutat.* Barboſa *Tract. de Appellativa verbor. jur. ſignificat. Appell.* 54. Vallenſis, & alij.

Collatio libera, ſeu *voluntaria*, viciſſim vocatur 24.
illa, quæ fit ſolo jure Prælati, ſicque eſt gratuita conceſſio Beneficij facta cuipiam ab Epiſcopo; ut jam dictum. Et hæc quodammodo eſt quædam donatio, atque liberalitas: ac proinde, ſeclusâ ſpeciali conceſſione, non poteſt fieri per Vicarium Generalem Epiſcopi, *cap. ult. de Officio Vicarij in 6.* neque ipſa tranſit ad Capitulum Sede vacante *cap. un. de Inſtitut. in 6* Licèt enim habens jus liberè conferendi Beneficia, teneatur hæc intra tempus à jure præfixum conferre perſonis habilibus; non tamen tenetur ea conferre huic vel illi, ſed cui vult liberè confert, dummodò is cæteroquin ſit idoneus: atque ideò, ſi tibi conferat, gratiam facit, cùm tibi eam conferre non teneretur. Secùs accidit in Collatione neceſſaria: nam ibi Superior neceſſe habet conferre Beneficium ipſimet præſentato, nominato, electo, permutanti, aut provideri mandato, dumodò is ſit idoneus: ſicque talis Collatio dicitur neceſſaria, non ſolùm in dando, ſed etiam in cui dando; ac poteſt fieri etiam per Capitulum, Sede vacante, *cap. un. de Inſtitut. in 6. & c. Cùm olim.* 14. *de Majorit. & obed.* cum ſimilibus. Gloſſa *fin. in c. Relatum.* 9. & Abbas *ibid. n.* 4. *de Præbend.* & alij.

Differt autem libera Collatio ab Electione vel 25.
maximè ex eo, quòd per Collationem Beneficij, quam quis ratam habuit, acquiratur jus in re, & quaſi dominium in ipſo, licèt poſſeſſio ipſius necdum acquiſita fuerit. *arg. c. Si tibi abſenti* 17. *de Præbend. in 6.* ac notat Layman *in princip. h. t. n.* 4. & Garcias *part.* 4. *de Beneficijs. cap.* 2, *n.* 1. citans alios. Per electionem acceptatam verò nõ acquiritur jus in re, ſed duntaxat jus ad rem reſpectu Beneficij, ut ſtatim ampliùs declarabitur. Tacentur aliæ differentiæ, conformiter hactenùs dictis colligendæ.

§. II.

De jure Electis obveniente vi Electionis.

SUMMARIUM.

6. *Per electionem acquiritur Electo jus petendi confirmationem.*
7. *Et ad hanc dandam poteſt Superior compelli.*
8. *Fallit hoc in Papa.*
9. *An electio tribuat jus in re, vel ad rem reſpectu Prælaturæ?*
o. *Sententia aſſerentium, tribui jus in re; ejúsque probatio.*
1. *Præfertur ſententia, dicens, per eam tribui ſolùm jus ad rem, ante confirmationem.*
Quæ probatur multipliciter. Ibid. & num. ſeqq.
ʒ. *Qui nihil habet, nihil dare poteſt.*

33. *Si Electus moriatur ante confirmationem, non per mortem ejus, ſed prioris, vacat Prælatura.*
Vacatio Beneficij durat uſque ad confirmationem novi Prælati. Ibid.
34. *Electus ante confirmationem liberè reſignat Beneficium, ſive Prælaturam.*
35. *Solvuntur rationes prioris ſententiæ.*
36. *Electis ante obtentam confirmationem prohibita eſt adminiſtratio; & qualis?*
37. *Ratio talis prohibitionis.*
38. *Nec valet conſuetudo adminiſtrandi ante confirmationem.*

39. *Non tamen prohibentur fieri præparatoria, neque ſimplex Inſtallatio.*
40. *Electus, ſi ante confirmationem ſe adminiſtrationi immiſcere præſumpſerit, privatur jure ex electione ſibi quæſito.*
41. *Caſſantúrque omnia ab ipſo geſta.*
42. *Dicitur intruſus.*
Et redditur ineligibilis ad Prælaturam. Ibid.
43. *Etiamſi ante electionem fuiſſet Procurator, vel Oeconomus Eccleſiæ.*
44. *Secùs, ſi quidem ſe Oeconomum fieri procuravit, ſed non adminiſtravit.*
45. *In certis caſibus poteſt Electus adminiſtrare ante obtentam confirmationem. Et n. ſeqq.*
46. *I. Si adminiſtratio fiat de conſenſu Superioris.*
47. *II. Si hoc habeat ex privilegio.*
48. *III. Electus in concordia, ſimúlque valdè remotus à Curia.*
49. *Electi in concordia, qui dicantur?*
50. & 51. *An hæc conceſſio adminiſtrandi ante confirmationem, adhuc ſit in vigore?*
52. *Geſta per Electum ante ſuam confirmationem an valeant, ſi ipſe ob defectum aliquem poſteà repellatur.*
53. *IV. Electus in Summum Pontificem, poteſt adminiſtrare ante Coronationem.*
54. *Sic ut & Romanus Imperator.*

26. QUæritur I. An, & qua ratione competat Electo jus petendi confirmationem? Reſp. I. Per electionem canonicam, & acceptatam, acquiritur imprimis Electo jus petendi confirmationem: unde ſi confirmatio ſuæ electionis ſibi injuſtè negetur, poteſt eam actione inſtitutâ petere, eò quòd ex juſtitia debeatur; ſi cæteroquin electus per Superiorem reperiatur habilis. Deſumitur hoc ex *c. Poſtquàm* 3. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 1. dicens, quòd confirmatio ſit neceſſitatis, licèt electio à principio fuerit voluntatis.

27. Reſp. II. Quando Superior, ad quem ſpectat confirmatio, debitè requiſitus, non vult confirmare ritè electum, & cæteroquin dignum, poteſt ipſe ad inſtantiam electi per ſuum Superiorem compelli, vel ei præfigi terminus ad faciendam confirmationem cum comminatione, ſive intimatione, quòd niſi infra talem terminum confirmet, Superior jure devolutionis id faciet. Ita Gloſſa *ad Rubric. de Poſtulat. Prælat. in* 6. Abbas *c. Poſtulationem. n.* 4. *eod.* & alij. Ratio eſt: quia electio innititur juri, ſicque canonicè electo per eam fuit jus quæſitum ad Prælaturam; ergo, ſi electus confidat de idoneitate ſuæ perſonæ, poterit proſequi jus ſuum, *c. Cupientes.* 16. *h. t. in* 6. nec petendo confirmationem reputatur ambitioſus, cùm jus ſuum proſequatur.

28. Cæterùm iſtud procedit duntaxat in Superiore habente poteſtatem confirmandi infra Papã. Tum quia Sumus Pontifex non habet Superiorem in terris, à quo poſſit compelli ad concedendam confirmationem. Tum quia is, de plenitudine poteſtatis, poteſt denegare confirmationem, *arg. can. In memoriam. diſt.* 19. *& can. Per principalem. diſt.* 9. junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Ad nos.* dicente, quòd Papa poſſit aliquem privare Beneficio præſertim accedente rationabili causâ, *can.* 1. *diſt.* 22. junctâ Gloſsâ, *℣. Injuſtitiam.* Abbas *cit. n.* 4. Rebuffus *quæſt.* 6. *ſuper Concordatis Germaniæ. n.* 3. dicens, Pontificem non ſic electione eſſe ligatum, quin ex evidenti causâ, poſtpoſito electo, Eccleſiæ de alio Prælato poſſit providere. Pirhing. *h. t. num.* 304. id probans etiam ex Concordatis Germaniæ. Unde Fagnanus *c. Conſultationibus. n.* 29. *de Cleric. ægrot.* inquit, quòd omnia Beneficia ſint Papæ libera, & manualia.

Quæritur II. Utrùm electio tribuat Electo 2
jus in re, vel ſolummodò jus ad rem reſpectu Prælaturæ? Reſp. I. Circa hoc non adeò inter ſe conveniunt Doctores; unde expedit diverſas eorum opiniones ponere.

Et quidem Gloſſa magna *in can. Quanto. diſt.* 63. velle videtur, illud eſſe jus in re; ſic enim inquit: *Per electionem acquiritur electo jus Prælaturæ, & jus adminiſtrandi, ſed non exercitium Prælaturæ, vel adminiſtrationis: per confirmationem enim nihil novi juris acquiritur, ſed tantùm exercitium.* Eandem Sententiam tenet Joan. de Selva *Tom.* 15. *Tractatuum. tract. de Beneficio, part.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. *& ſeqq.* docens cum alijs à ſe allegatis, quòd electio nondum acceptata conferat jus ad rem, *arg. c. Publicato. de Elect.* ſed, ubi acceſſerit conſenſus Electi, tribuat jus in re, *arg. c. Nihil eſt.* 44. *eod.* ibi enim Electus nondum confirmatus habet adminiſtrationem: ſimúlque, quia per confirmationem non acquiritur jus, ſed ſolùm confirmatur jus olim acquiſitum, ut *c. Cùm dilecta.* 4. *de Confirmat. utili.* Et huic ſententiæ favet Abbas *c. Poſtquàm. n.* 2. *h. t.* & Fagnanus *c. Noſti. n.* 3. *eod.* dum dicunt, quòd Electus ante confirmationem habeat jus ſolùm in habitu, non in actu; & quòd per confirmationem acquirat electus exercitium juris competentis Prælaturæ. Hæc enim ſententia in re non diſtinguitur à priori quinimò idem Fagnanus *c. Cùm vos. n.* 41. *de Offic. Ordinar.* expreſſis terminis dicit, quòd electio dat jus in re. Verùm his non obſtantibus,

Reſp. II. Electio canonica, & acceptata, ante confirmationem Superioris non tribuit jus in re, ſed tantùm jus ad rem reſpectu Prælaturæ. Ita Antonius de Butrio *c. In noſtra. n.* 25. *&* 26. *de Reſcript.* Imola *Clem.* 1. §. *Gloſſa collatio. Ut lite pendente,* addens, quòd electus ante confirmationem non poſſit dicere, Beneficium eſſe ſuum, ſed ſibi debitum. Layman *in princip. h. t. n.* 4. Pirhing *eod. n.* 2. Paſſerinus *cap.* 33. *de Elect. n.* 7. appellant hanc communem, & veram ſententiam. Probatur hæc Concluſio imprimis *ex c. Super his.* 16 *de Accuſationib.* ubi dicitur, quòd ſi crimen obijciatur electo *ante confirmationem, crimen hoc modò probatum, impedit promovendum, ſed non deijcit jam promotum; poſt confirmationem verò deijcit ab obtento.* Et conſequenter electus ante confirmationem non-

nondum habet jus in re reſpectu Prælaturæ (alioquin jam tunc ob crimen probatum deijceretur ab obtento) ſed duntaxat jus ad rem, utpote promovendus, ſi nihil canonicum obſtiterit.

32 Accedit ratio: quia, qui nihil habet, nihil dare poteſt, ut *can. Gratia. 1. q. 1. & can. Daibertum. 1. q. 7.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa adductis: atqui Electores nō habent jus in re reſpectu Prælaturæ; ergo nec hoc dare poſſunt. Unde hoc jus Electo tribuendum eſt, ac primùm tribuitur per Summum Pontificem, veluti Caput Eccleſiæ Univerſalis, dum vel per ſe, vel per inferiorem Prælatum ſuâ authoritate fungentem, confirmat electionem canonicè celebratam, per quam eidem Electo jus ad rem reſpectu Prælaturæ fuerat acquiſitum.

33 Præterea ſignum hujus, & quidem manifeſtum eſt hoc: quia, ſi Electus moriatur ante confirmationem, Prælatura non cenſetur vacare per mortem hujus Electi, ſed per mortem prioris Prælati. Siquidem prima vacatio Beneficij, ſeu Prælaturæ, durat uſque ad confirmationem alterius Prælati, *arg. c. Quàm ſit Eccleſijs. 6. & c. Cupientes. 16. §. 1. de Elect. in 6.* ac notat Gloſſa *in Clem. 1. ℣. Collato. Ut lite pendente.* & ibi Abbas *n. 1.* Layman *d. n. 4.* ac alij. Qui proinde, ſicuti & Rota *deciſ. ult. de Elect. in novis*, inde concludunt, quòd ſi Electus nondùm confirmatus moriatur in Curia, Eccleſia illa, in qua facta eſt electio, non cenſeatur vacare in Curia: ſecùs, ſi ibidem moriatur Electus jam confirmatus.

34 Accedit, quòd Electus ante obtentam confirmationem liberè, ſeu non requiſito conſenſu Superioris, poſſit renunciare Beneficium, ſeu Prælaturam in manibus eligentium; ut pluribus tradit Gloſſa *in c. Si electio. 26. ℣. Renunciat. h. t. n 6.* & alia Gloſſa *c. Cùm veniſſent. ℣. Renunciavit. De in integrum reſtitut.* atque Abbas *ibid. n. 11.* cum alijs paſſim. Etenim ante confirmationem nondum eſt Eccleſiæ jus quæſitum reſpectu Electi: & conſequenter etiam hic nondum habet jus in re ad illam. Unde *in cap ult. de Tranſlat. Epiſc.* notanter dicitur, quòd ſpirituale fœdus conjugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, in electione intelligitur initiatum, & ratum in confirmatione: atqui fœdus conjugij duntaxat initiatum (quod in Matrimonio carnali fit per Sponſalia de futuro) non tribuit jus in re, ſed tantummodò jus ad rem; ergo.

35 Nec obſtant rationes Jo. de Selva, in contrarium *n. 30.* adductæ. Nam *in c. Nihil eſt. h. t.* non tribuitur omnibus Electis poteſtas adminiſtrandi, ſed ſolùm valdè remotis, ſeu ultra Italiam conſtitutis; & hoc diſpenſativè *propter neceſſitates Eccleſiarum, & utilitates*, ut loquitur textus; qui proinde nihil probat, ſed magìs militat in oppoſitum. Neque urget *c. Cùm dilecta. de Fide Inſtrument.* Nam ibi ſermo eſt de confirmatione, ſeu innovatione inſtrumentorum, ſeu litterarum, privilegium olim conceſſum continentium, ex qua utique jus novum non acquiritur, ſed ſolummodò antiquum conſervatur; ſecùs eſt de confirmatione electionis, juxta hactenùs dicta. Cur autem Electores publicato ſcrutinio non poſſint variare, dicetur infra §. *12. n. 291. & ſeqq.* Sufficit pro nunc, quòd cauſa hujus non ſit jus in re, per electionem acquiſitum electo: nam tale jus, juxta ipſummet Selvam, non acquiritur, niſi poſt acceptationem electionis, quæ tamen tempore publicati ſcrutinij nondum adeſt, imò tunc necdum perfecta eſt Electio communis, ſeu Capitularis.

Quæritur III. Utrùm Electo ante obtentam 36
confirmationem ſit prohibita adminiſtratio Prælaturæ, & quâ ratione? Reſp. I. Electus, antequàm confirmationem à Superiore obtineat, nullatenùs debet, nec poteſt ſe im̃iſcere adminiſtrationi: ut puta, recipiendo à Clericis, vel à Laicis juramenta fidelitatis, & obedientiæ, *c. Qualiter. 17. h. t.* Aut concedendo honores, vel Præbendas, ſeu alias diſponendo de rebus Eccleſiæ, *c. Noſti. 9. eod.* Vel in dicto officio miniſtrando, ut *c. Cùm jam dudum. 18. de Præbend.* Aut excom̃unicando, abſolvendo, interdicendo, cenſus & debita recipiendo, ſeu habendo curā colligendorum, & conſervandorum fructuū, ac hujusmodi; prout exemplificat Gloſſa *in c. Avaritiæ. 5. ℣. In ſpiritualibus. & ℣. Temporalibus. h. t. n. 6.* Hæc, inquā, & alia ſimilia, ſunt Electis prohibita ante obtentam confirmationem, per Jura hìc allegata.

Accedit ratio: quia imprimìs hoc exigit de- 37
bita Superiori reverentia, ne videlicet Electus irreverenter, ac ſpreta Superioris confirmatione, ſtatim ſeſe adminiſtrationi im̃iſcere præſumat; cùm tamen ſecundùm Apoſtolum *Hebræ. cap. 5.* nemo debeat ſibi honorem aſſumere, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Deinde idipſum meritò ex eo fuit ſtatutum, ne alioquin Electis daretur anſa non curandi de obtinenda confirmatione, maximè illis, qui non habent neceſſe conſecrari. Idem ſuadent abſurda, cæteroquin ſubſecutura: nam ſi per electionem illicò conferretur jus adminiſtrandi, ergo ſubſequens confirmatio nihil ampliùs operari, ſicque eſſe ſuperflua videretur; quod abſit. Inſuper, ſi quandoque contingeret electionem caſſari, non poſſet ampliùs commodè electus removeri, utpote jam in actuali rerum adminiſtratione conſtitutus; ex quo magna Eccleſiarum pericula, & damna, ſuboriri poſſent. Gloſſa *in d. c. Avaritiæ. ℣. Confirmetur.* juncto textu *in cit. c. Noſti. h. t.*

Et hæc adeò ſunt vera, ut etiam non valeat 38
conſuetudo, quòd poſſit electus adminiſtrare ante obtentam confirmationē. Abbas *in c. Tranſmiſſam. 15. n. 3. ℣. Tertio caſu. h. t.* citans Innocentiū, & Hoſtienſem *ibid.* Oldradus *Conſil. 191.* Fagnanus *c. Qualiter. n. 2. h. t.* & alij. Idque deſumitur *ex c. Cùm venerabilis. 7. de Conſuetud.* ubi talis conſuetudo reprobatur ut corruptela: quia tenderet in maximam perniciem Eccleſiæ, eò quòd nonnunquam indignus, aut electus in diſcordia, poſſet dilapidare bona Eccleſiæ, adminiſtrando ante obtentam à Superiore confirmationem: ſimúlque, quia talis conſuetudo adminiſtrandi foret contra bonos mores, & ordinatum ſtatum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ.

39 Non tamen prohibetur Electus, præparatoria facere ad futuram adminiſtrationem. Engel *h.t. n.*51. Nec etiam cenſetur prohibita ſimplex inſtallatio, quâ Electus peractâ electione permittit ſe poni in ſtallo, ſeu Sede Prælati. Tum quia per hoc non adminiſtrat bona Prælaturæ: tum quia ita ſe habet generalis conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, & de qua teſtatur Fagnanus, *ubi ſuprà num.* 3. poſt Innocentium, Hoſtienſem, & alios, ac tenet Abbas *in c. Qualiter. n.* 1. *h. t.* & communis aliorum.

40 Reſp. II. Si Electus ante obtentam confirmationem per ſe, vel per alium, pro parte vel in totum, ſeſe ad miniſtrationi immiſcere præſumpſerit, ſub quocunque tandem illud fiat colore, etiam ſub nomine Oeconomi, vel Procuratoris, ipſo facto privatus exiſtit jure ſibi ex electione quæſito. Ita deſumitur *ex cit. c. Avaritiæ.* 5. *h.t. in* 6. junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Privatos.* ac tenet Abbas *c. Qualiter.* 17. *n.*4. & Fagnanus *ibid. num.*10. *h.t.* ubi hanc ſententiam dicit eſſe comūniorem, & veriorem; & ſequitur Layman *in cit. c. Avaritiæ. num.* 1. Quamvis non deſint, aſſerentes, ibi pœnam privationis ipſo jure ſolùm infligi in adminiſtrantes ſub nomine Procuratoris, ſeu Oeconomi, aut alio quæſito colore, non autem in adminiſtrantes ſub nomine Electi: ut ſic (inquiunt) evitetur jurium correctio, eò quòd de Jure antiquo tales non ipſo jure privati exiſtebant, ſed primùm privandi erant per ſententiam, *arg. d. c. Qualiter.* 17. *h.t.* ibi: *Electionem de ipſo factam duximus irritandam.* Et huic ſententiæ præter Joan. Andream, & Jo. Monachum, noviſſimè non parùm favet Pirhing *h. t. n.* 292. appellans eam probabiliorem.

41 Quòd ſi autem Electus ante obtentam confirmationem ſeſe irreverenter adminiſtrationi ingeſſerit, caſſatâ ejuſdem electione, pariter omnia ab ipſo geſta ratione talis uſurpatæ juriſdictionis, & officij, ſunt caſſanda, & penitùs non valere denuncianda; prout liquet *ex c. Qualiter.* 17. *in fin. h.t.* ac notat ibidem Layman *n.* 3. cum alijs.

42 Quinimò Electus, qui ante confirmationem adminiſtrare præſumpſit, dicitur intruſus, *arg. c. Cùm jam dudum.* 18. & ibi Abbas *n.* 3. & 4 *de Præbend.* Paſſerinus *cap.* 33. *de Elect. n.* 16. & alij. Inſuper talis, cujus electio fuit caſſata ob indebitā, & ante tempus præſumptam adminiſtrationē, poſteà non poterit ad eandem, vel aliam Prælaturam eligi: quia tunc prior electio cenſetur caſſata vitio perſonæ, ſicque ipſi obſtat *cap. Super eo.* 12. *h.t.* Abbas *d. c. Qualiter. n.* 8. citans Archidiaconum *in c. Avaritiæ. eod. in* 6. Pirhing *h. t. n.* 290. & alij.

43 Porrò hactenùs dicta procedunt etiam in eo, qui ante electionem extiterat Procurator, vel Oeconomus Eccleſiæ: nam ſi contingat, Oeconomum Eccleſiæ eligi in Prælatum, ſtatim à tempore electionis tenetur ipſe abſtinere ab adminiſtratione œconomiæ. Geminianus *in d. c. Avaritiæ. n.* 4. Paſſerinus *cit. cap.* 33. *de Elect. n.* 4. citans alios.

44 Solùm adde, quòd Electus, qui ſe Oeconomū, vel Procuratorem Prælaturæ fieri procuravit, ſed eam re ipſâ per ſe, vel per alium non adminiſtravit, prædictam pœnam privationis juris, ſibi ex electione quæſiti, neutiquam incurrat: nam verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu, *c. Relatum* 4. *de Cleric. non reſident.* cum ſimilibus. Gloſſa communiter recepta *cit. c. Avaritiæ.* ℣. *Eo ipſo.* & ibi Layman *n.* 3.

Quæritur IV. Utrùm nullus omninò detur caſus, in quo Electus poſſit adminiſtrare ante 4
obtentam confirmationem? Reſp. cum comūni, dari nonnullos tales caſus, qui potiſſimùm ſunt ſequentes.

Et primò quidem hoc accidit, ſi talis adminiſtratio fiat de conſenſu Superioris: prout nonnunquam Papa per ſpeciale Breve ſolet concedere Epiſcopis electis, ut ante acceptam confirmationem ſuam adminiſtrent. Non tamen ſufficit licentia adminiſtrandi ante confirmationem petita, niſi fuerit obtenta, *arg. c. Cùm venerabilis.* ac notat ibi Fagnanus *n.* 7. *de Conſuetud.* juncto *c. Admonet. & c. Niſi cùm pridem. de Renunciat.*

Pari ratione, ac ſecundò, poteſt Electus adminiſtrare ante confirmationem, ſi hoc habeat ex privilegio: ut habent Ciſtercienſes, teſte Abbate *in d. c. Cùm venerabilis. n.* 6. & Fagnano *loc. cit. n.* 11. Verùm, quòd non poſſit conſuetudine induci, ut electus adminiſtret non habitâ confirmatione, cùm talis conſuetudo à Jure reprobetur ut corruptela, jam eſt dictum ſuprà *num.* 38.

Tertiò iſtud locum habet quoad valdè remotos à Curia Romana, utputa conſtitutos ultra Italiam, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectos: tales enim Electi poſſunt immediatè adminiſtrare tum in ſpiritualibus, tum temporalibus, etiam ante obtentam confirmationem, dumodò fuerint electi in concordia. Ita quippe propter neceſſitates, atque utilitates Eccleſiarum, eisdem diſpenſativè fuit conceſſum expresſè à Jure, *in c. Nihil eſt.* 44. §. *fin. h.t.* ſic tamen, ut de rebus Eccleſiæ nihil penitus alienent. Et quamvis textus ibidem utatur verbò *diſpenſativè*, ac diſpenſatio, veluti vulnus juris, cæteroquin ſit reſtringenda: quia tamen hæc eſt diſpenſatio Juris, atq; in Corpus Juris redacta, ſimulq; facta nō perſonis, ſed Eccleſijs, atque ob harum utilitatem: hinc ipſam eſſe extendendam ex paritate rationis, ac eâdem æquitate, cenſet Oldradus *Conſil.* 9. *per totum.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 44. *n.* 5. Barboſa *ad cit. c. Nihil eſt. n.* 5. *h. t.*

Cæterùm quinam cenſeantur electi in concordia, non nihil variant Doctores. Et quidem Abbas *in d. c. Nihil eſt. n.* 4. & ibi Fagnanus *num.* 12. poſt Gloſſam *in c. Cupientes.* §. *Ad hæc.* ℣. *Concordem. h.t. in* 6. electos in concordia dicunt eos, qui ſunt electi nemine prorſus diſcrepante. Sed quia rariſſimum eſt, ut electio fiat de aliquo, in quem omnes nemine diſcrepante ſua vota direxerunt, ſicque utilitatibus Eccleſiarum per citatam Decretalem parùm, aut fermè nihil fuiſſet proviſum: hinc Layman *c. In cauſis.* 30. *n.* 4. *h.t.* ac rurſus *cit. c. Nihil eſt. n.* 6. & Pirhing *n.* 297. *eod.* verius eſſe cenſent, eam electionem impræ-

ſentia-

entiarum dici debere concordem, quæ facta uit vel ab omnibus, vel ſaltem à majori parte Capituli; ita tamen, ut minor pars nullam rationabilem contradicendi cauſam habeat, ſicque conſentire debeat, *arg. cap. 1. De his, quæ fiunt à maj. part. Capit.* cum ſimilibus. Et hæc ſententia probabilius ſuſtinetur, quando nullus adeſt, qui electioni à majori parte celebratæ ſeſe opponit: quia tunc ex poſt facto omnes in eam conſentiunt, ipsámque verbo, aut facto comprobant, nemine diſcrepante. Quòd ſi verò appareat contradictor, vel contradictores, ad quos ſpectabat electio, & qui huic jam factæ ſeſe poſtmodum opponunt; cenſetur electio celebrata in diſcordia, juxta Gloſſam notabilem *in c. Quorundam. 24. ℣. In diſcordia. h. t. in 6.*

50 Dubitat tamen Engel *h. t. n. 51.* num hæc diſpenſativa conceſſio adminiſtrandi ante obtentam confirmationē adhuc ſit in vigore? Quinimò difficultatem auget *Extravag.* Injunctæ. *de elect. inter Communes.* ubi Bonifacius VIII ſub nullitate actûs, & alijs graviſſimis pœnis, prohibet, ne Epiſcopi, aliique Prælati, qui apud Sedem Apoſtolicam promoventur, aut confirmationis, conſecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere præſumant, vel à Capitulis, aut Conventibus recipiantur, donec exhibuerint Litteras Apoſtolicas de ſua promotione, confirmatione, &c. atteſtantes. Unde Paſſerinus *cit. cap. 33. de Elect. n. 35* inquit, quòd hodie propter dictam *Extravag.* nulli Epiſcopi, aliique Prælati, qui debent confirmationem petere à Papa, etiam in remotiſſimis Indiarum partibus exiſtentes, poſſint adminiſtrare non habitis Litteris Apoſtolicis, eorum electionem, confirmationem, ſeu proviſionem continentibus.

51 Verùm Layman *in d. c. Nihil eſt. n. 22. h. t.* arbitratur, haud quidquam obſtare, quò minùs licentia dicti Capituli in Eccleſijs Germaniæ propter earum neceſſitates, & utilitates, in praxin deduci valeat. Atque hoc ipſum ampliùs corroborat Pirhing *h. t. n. 297. & 303.* præſertim, cùm hæc diſpenſativa Juris conceſſio ſit Eccleſijs favorabilis, atque in ipſarum utilitates principaliter facta. Nec obſtat dicta *Extravag. Injunctæ.* Nam, ut liquet ex contextu, ibi ſolùm prohibetur, ne quis, aſſerens, ſe à Papa eſſe promotum, vel confirmatum, recipiatur à Capitulis, aut Conventibus, vel adminiſtret, priusquàm exhibeat Litteras Apoſtolicas deſuper confectas (& in hoc ſenſu ea obligat ubique, etiam in ultimis Indiarū partibus.) Non autem prohibetur, quin electi extra Italiā in concordia poſſint diſpenſativè, ac ex conceſſione Juris cōmunis, adminiſtrare ante adventum confirmationis Apoſtolicæ: hi enim non adminiſtrant ex aſſerta confirmatione Apoſtolica, ſed ex conceſſione Juris, ut dictum. His addi poteſt Winzlerus *tit. 5. de Juriſdict. Epiſcop.*

Dices. Talis praxis eſt valdè periculoſa; cùm poſſit contingere, quòd ejusmodi Prælatus ob occultum defectum ante ſuam confirmationem reperiatur inhabilis, ſeu inidoneus ad talem Prælaturam, & conſequenter repellendus: quia tunc, ſi anteà adminiſtrâſſet, ea omnia, quæ medio tempore ſuæ adminiſtraturæ fecerat, forent caſſanda: nam caſſato principali corruunt omnia, quæ ex eo ſecuta ſunt, ut *c. Inter dilectos, §. Cùm igitur. de Fide Inſtrument.* ſimúlque acceſſoriū naturam ſequitur principalis, juxta *Reg. 42. Juris. in 6.* Reſp. negando aſſumptum: quia, ut notat Gloſſa *fin. §. Sed pone. in c. Nihil eſt 44. h. t.* & Abbas *ibid. n. 10. & ſeqq.* citans communem Doctorum, talis Prælatus foret in quieta adminiſtratione, & in quaſi poſſeſſione Prælaturæ de licentia Papæ, ſeu ipſiusmet Juris; ac proinde omnia, quæ medio tempore fecit, rata exiſterent, dummodò nihil de rebus Eccleſiæ alienaverit: hoc enim expreſsè ei prohibebatur. Nec obſtant contraria: nam ea procedunt, quando Electus non habuit poteſtatem adminiſtrandi à Superiore, aut præceſſit notoria inhabilitas: ſecùs, ubi defectus erat occultus, ſimúlque intervenit authoritas Superioris, per quam cauſabatur error communis, qui tribuit jus, ut *l. Barbarius ff. de Offic. Prætor.* 52

Quartò procedit Concluſio in electione Sūmi Pontificis: nam is à duabus partibus Cardinaliū electus, atq; electionem acceptans, illicò eſt Papa, & poteſt adminiſtrare etiam ante ſuam Coronationem; ut habetur *c. Licèt. 6. h. t.* junctâ *Extravag. Quia nonnulli. de Sentent. excomm.* 53

Idem de Romano Imperatore cenſet Gloſſa *in c. Avaritiæ. 5. ℣. Eccleſiarum. h. t.* & ampliùs *in Clem. Romani. ℣. Reges de Jurejurand.* Abbas *c. Venerabilem. n. 26. h. t.* dicens, hodie eſſe receptum conſuetudine, ut electus in Imperatorem ſtatim adminiſtret. Pirhing *h. t. n. 465.* allegans inſuper Imolam, & communem Canoniſtarum, quam conſuetudo & Aurea Bulla confirmat. 54

§. III.

De Præparatorijs, ipsáque Electione per Inſpirationem, & Compromiſſum.

SUMMARIUM.

55. *Inter Præparatoria ad electionem connumeratur Vacatura Eccleſiæ, ſeu Beneficij.*
56. *Et quibus modis hæc contingat?*
57. *Item Sepultura mortui Prælati, ſaltem de honeſtate.*
58. *Aſſignatio loci, & diei certæ ad electionem celebrandam: & an hæc denuò mutari poſſit?*

59. Con-

59. *Convocatio Vocalium, Miſſæq; Solemnis celebratio.*
60. *Et determinatio Formæ electionis.*
61. *Forma electionis, quid?*
62. *Eſt triplex, nempe Forma Scrutinij, Compromiſſi, & Inſpirationis.*
63. *Electio per Sortes reprobatur.*
64. *Electio per inſpirationem,*
65. *Et quaſi inſpirationem, quæ?*
66. *Hæc debet eſſe abſque vitio celebrata, quomodo?*
67. *Electio ad clamorem populi, non eſt confirmanda.*
68. *Electio per Compromiſſum, quid?*
69. *Compromiſſarij, quales eſſe debeant. Et n. ſeqq.*
70. *Non poſſunt eſſe Laici.*
71. *Ad Compromiſſum requiritur conſenſus omnium Vocalium. Et num. ſeqq.*
72. *Compromiſſum aliud abſolutum,*
73. *Aliud limitatum, quid?*
74. *Compromiſſum limitatum, magis ſpecialiter loquendo, quale?*
75. *Et quando vi hujus ſit valida electio?*
76. *Ad hoc ſufficit conſenſus majoris partis Vocalium; & cur?*
77. *Forma Compromiſſi limitati, quomodo differat ab electione per Scrutinium?*
78. *Per tale Compromiſſum limitatum fiunt electiones Superiorum majorum in Ordine FF. Minorum.*

55 QUæritur I. Quænam inter Præparatoria ad electionem connumerentur? Reſp. Ea potiſſimùm ſunt ſequentia. I. Vacatura Eccleſiæ, ſeu Beneficij Eccleſiaſtici: nam Beneficia non vacantia concedi, vel promitti non poſſunt, ut *cap.* 1. *& c. Nulla.* 2. *de Conceſſ. Præbend.* cum ſimilibus; ſicque nec valet electio ad illa.

56 Cenſetur autem Eccleſia, ſeu Beneficium, vacare tum per mortem naturalem prioris Prælati, ſive Rectoris, ut patet; tum etiam per mortem ipſius civilem, ſeu moralem: ut ſi ob culpam aliquam gravem deponatur, aut juridicè privetur tali Prælaturâ, ſeu Beneficio. Item per translationem prioris Prælati ad aliam Eccleſiam; ut *can. Epiſcopus.* 7. *q.* 1. & alibi. Item per renunciationem debitè factam; *ut c. Ex transmiſſa. de Renunciat.* cum ſimilibus. Item per receptionem alterius incompatibilis Beneficij; *ut c. De multa.* 28. *de Præbend.* cum concordantijs. Item per ingreſſum Prælati in Religionem ab Eccleſia approbatam; *ut c. Niſi cùm pridem.* 10. *& c Poſt translationem.* 11. *de Renunciat.* & alibi.

57 II. Inter Præporatoria electionis connumeratur honorifica Sepultura mortui Prælati: uti deſumitur *ex c. Bonæ memoriæ. §. Electionem.* 36. *h. t.* Verumtamen, quòd electio novi Prælati non fiat ante ſepulturam demortui, ſolùm eſt de honeſtate, non autem de neceſſitate, ſeu de ſubſtantia electionis. Gloſſa *in cit. c. Bonæ memoriæ. ℣. Tractatum.* & Abbas *ibid. n.* 5. *&* 10. Fagnanus *c. Quia propter. n.* 71. *h. t.* & alij.

58 III. Aſſignatio loci, & diei certæ ad electionem celebrandam, *arg. c. Cumana.* 50. *& c. Cùm in veteri.* 52. *h. t.* Cæterùm nihil obſtat, quin poſteà, ſi ita expedire videbitur, poſſit mutari locus, aut electio in alium diem prorogari. Fagnanus *loc. cit. n.* 67. citans alios. Quod intellige, dummodò adhuc electio fiat intra tempus à Jure præfinitum: quod eſt trimeſtre reſpectu Prælaturarum majorum, *c. Ne pro defectu.* 41. *h. t.* ſemeſtre verò reſpectu inferiorum Beneficiorum à die habitæ notitiæ computandum; ut *c. Nulla.* 5. *& c. Quia diverſitatem.* 5. *de Conceſſ. Præbend.* Et dummodò particulares Conſtitutiones non obſiſtant; prout, juxta *Clement. Exivit.* §. *Demum quia. de verb. ſignific.* in Ordine FF. Minorum electio Miniſtri Provincialis fieri debet eodem die, quo Capitulum Provinciale fuerit congregatum: ſin minùs, electio Miniſtri Provincialis liberè ad Miniſtrum Generalem devolvitur.

IV. Ad electionem celebrandam die, ac loco jam determinato, omnes Vocales canonicè ſunt vocandi, juxta ampliùs dicenda *§.* 5. *n.* 116. *& ſeqq.* V. Præter alias preces, ſupplicationeſque Sede Epiſcopali vacante, publicè ac privatim habendas, atq; juxta præſcriptum Concilij Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* à Capitulo per Civitatē, & Diœceſin indicendas, ipſo die electionis ſpecialiter invocatur gratia Spiritûs Sancti, celebrando Miſſam Solemnem; *ut c. Cùm terra.* 14. *h. t.* Quam quidem pro forma, & validitate electionis præmittendam eſſe, nonnulli Doctores volunt, quos citat Barboſa *in Collectaneis ibid. n.* 5. *&* 6. Verùm alij non immeritò reſolvunt, Miſſam de Spiritu Sancto in electionibus non eſſe de eſſentia, ſed ſolùm de ſolemnitate, ac decentia, niſi alicubi exſtet ſpecialis conſtitutio cum clauſula irritante, *arg. c. Quia propter. h. t.* ac notat Abbas *c. Cùm Eccleſia. n.* 1. *de Cauſa poſſeſſ.* Barboſa *cit. num.* 6. allegans alios.

Tandem poſt ingreſſum Vocalium in locum Capitularem ac præmiſſam gravem exhortationem de ſolo Deo præ oculis habendo, atque eligendo eo, quem quisque digniorem, & penſatis omnibus Eccleſiæ utiliorem judicaverit; recenſentur nomina ſingulorum Electorum, ac præter iteratam invocationem Spiritûs Sancti recitato Hymno, *Veni Creator*, adhibentur nonnullæ cautelæ, atque cæremoniæ, pro cujuslibet Eccleſiæ laudabili conſuetudine, ipſi actu electionis præmittendæ (de quibus Thoma Zerola *in Praxi Epiſcopali. part.* 1. *℣. Electio. in Forma Inſtrumenti Electionis*) fit determinatio, ſub qua Forma placeat inſtantem electionem celebrare; niſi forſan hoc punctum jam antecedenter inter Capitulares fuerit diſcuſſum, atq; reſolutum. Pro cujus proinde meliori intelligentia,

Quæritur II. Quid, & quotuplex ſit Forma electionis? Reſp. I. Per *Formam electionis* intelligitur modus ille, quo celebrari debet electio, ut ſit canonica: hoc eſt, facta juxta præſcriptum Sacrorum

rorum Canonum, videlicet abſque vitio formæ electionis, eligentium, ipſiúſque electi.

62 Reſp. II. Forma electionis eſt triplex, videlicet Forma Scrutinij, Compromiſſi, & Inſpirationis. Ita communis, & habetur expreſſum *in Quia propter. 42. h. t.* ubi generaliter reprobatur aliæ diverſæ electionũ formæ, decernendo inſuper, quòd *aliter facta electio non valeat*: ſimúlque quòd illi, *qui contra præſcriptas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice poteſtate priventur.*

63 Reſp. III. In ſpecie autem *Electio per ſortes* reprobatur, fieríque prohibetur *in c. Eccleſia veſtra. de Sortilegijs.* Adeò quidem, ut electio per ſortes ſit nulla, utpote facta contra diſpoſitionem Juris *in cit. c. Quia propter.* contentam. Gloſſa *fin.* & Abbas *in d. c. Eccleſia veſtra. n. 5.* Neque per ſortes lis dirimi poſſit, etiamſi duo pari numero ſuffragiorum ad Beneficium Eccleſiaſticum ſint electi. Pirhing. *n. 10. de Sortileg.* Ratio eſt: quia ipſimet Electores tenentur ad Officia Eccleſiaſtica eligere meliorem, & magis Eccleſiæ utilẽ, quem nôrunt; & ſi in hoc non poſſunt concordare, determinent iſtud per Compromiſſarios. Alioquin autem periculum eſt, ne ſors cadat ſuper indignos, vel minùs dignos. Imò per ſortes tentatur Deus, dum ſortem mittentes circa obtinenda Beneficia Eccleſiaſtica volunt, ut Deus revelet meliorem, cùm tamen ipſi hunc eligere poſſent, ac deberent. Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà,* ſolventes contraria. Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. cap. 23. art. 18.* & alij: quamvis Garcias *part. 5. de Beneficijs. cap. 4. n. 205. & ſeqq.* aſſerat, in certo caſu, ac paritate votorum, tandem eſſe deveniendum ad ſortes.

64 Quæritur III. Quid ſit Electio per inſpirationem, vel quaſi inſpirationem? Reſp. I. *Electio per inſpirationem eſt*, quæ fit per veram revelationem divinam: qualis fuit electio S. Nicolai in Epiſcopum Myrræ; & S. Ambroſij, cùm nondum fuiſſet baptizatus, in Archiepiſcopum Mediolanenſem, & S. Severi; de quibus fit mentio *in can. Statuimus. §. Econtrà diſt. 61.* junctâ Gloſſa *ibid.* Et de hac ex profeſſo non loquimur, cùm à ſolo Deo proveniat, neque legibus humanis ullatenùs ſubjaceat.

65 Reſp. II. *Electio per quaſi inſpirationem* tunc cenſetur fieri, quando nullo præcedente tractatu omnes Electores communiter, & quaſi uno corde, ac ore, in unum eundémque conſentiunt. Ob hanc enim ſingularem concordiam talis quaſi per inſpirationem Sancti Spiritûs, animos omnium moventis, electus creditur. Et de hac electione, ejúſque validitate, fit ſermo *in cit. c. Quia propter. 42. h. t.* illis verbis: *Aliter electio facta non valeat; niſi fortè communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio celebrata.*

66 Notanter additur, *abſque vitio celebrata.* Quia requiritur, ut talis electio ſine fraude, & abſque vitio, ſcilicet ſimoniæ, conſpirationis, ſeu conjurationis, ſollicitationis, requiſitionis, & conſenſûs extra Capitulũ ante electionem dati, atq; omnibus & ſingulis liberè conſentientibus, facta ſit. Alioquin enim non dicitur electio quaſi per inſpirationem celebrata, *arg. c. Per inquiſitionem. 26. & c. Cùm poſt petitam. 46. h. t.* cum ſimilibus; ac notat Hoſtienſis *in Summa de Electione. §. Tertia eſt. n. 5.* de quo proinde Superior ante datam confirmationem cognoſcet.

Inſuper electus ad clamorem Populi non debet per Superiorem confirmari; ut habetur in *c. Oſius. 2. h. t.* additâ hâc ratione: *Cùm manifeſtum ſit, potuiſſe plures eorum, qui ſinceram fidem non habent, præmio & mercede corrumpi, ut clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur.* Proinde talis electio neutiquam cenſetur facta per quaſi inſpirationem. 67.

Quæritur IV. Quid ſit Electio per compromiſſum, & quando locum habeat? Reſp. I. *Electio per compromiſſum* tunc fit, quando Capitulares præſentes facultatem eligendi in unum, vel plures idoneos viros conferunt, qui vice omnium eligant. Ita in re communis; & patet *ex c. Quia propter. h. t.* ubi forma Electionis per compromiſſum ſequentibus verbis exprimitur: *Vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore.* Concordat *c. In cauſis. 30. eod.* cum ſimilibus. 68.

Reſp. II. Nihil intereſt, an Compromiſſarij (id eſt, illi, in quos ipſi Capitulares compromittunt) ſint de gremio ipſius Capituli, nec ne. Ita Gloſſa communiter recepta *in cit. c. Quia propter. ℣. Viris.* Quæ etiam notanter addit, quòd, licèt textus allegatus dicat, *aliquibus viris idoneis*, nihilominùs uni etiam poteſtas eligendi poſſit committi, ac in eum compromitti, *arg. c. Cauſam. 8. h. t.* ubi Moniales pro electione Abbatiſſæ, & in extraneum, & in unum, nempe in Epiſcopum compromiſerunt. 69.

Intellige, dummodò dicti Compromiſſarij ſint *viri idonei*, id eſt, prudentes ac probi, ſimúlque Clerici. Siquidem Laicis Eccleſiaſtica tractare negotia nullatenùs competit, *cap. 2. de Judicijs.* Atque in ſpecie generaliter *prohibetur, ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur*, prout legitur *in c. Contingit. de Arbitris.* & ampliùs Gloſſa ibidem, & Doctores paſſim. 70.

Reſp. III. Ut electio per viam compromiſſi locum habeat, requiritur conſenſus omnium Vocalium, adeò ut unius diſſenſus Compromiſſum impediat. Ita Gloſſa *in cit. c. Quia propter. ℣. Vice omnium. h. t.* & ibi Abbas §. *Vel ſaltem. n. 2. & 6.* aſſerens, ita tenere Doctores communiter. Idque ſatis patet *ex cit. c. Quia propter.* ibi: *Qui vice omnium* &c. & per conſequens debent omnes conſentire, adeò, ut aliter electio facta non valeat; prout ibidem ſtatim ſubjungitur. Accedit ratio: quia iſtud intereſt ſingulorum, & alioquin unus eligentium privaretur invitus voce ſuâ activâ. Unde locum habet Reg. 29. Juris in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Et alia Reg. 56. *In re communi, potior eſt conditio prohibentis.* 71.

Cæte-

72. Cæterùm data Concluſio eſt intelligenda duntaxat de Compromiſſo abſoluto, nō autem de limitato. Duplex ſiquidem eſt Compromiſſum, abſolutum videlicet, & limitatum. *Compromiſſum abſolutum* eſt illud, vi cujus omnis poteſtas eligendi à Capitularibus translata eſt in Compromiſſarios, ita ut hi poſſint eligere quemcunque idoneum. Unde virtute talis Compromiſſi poteſt eligi etiam is, qui non eſt de gremio Capituli, ſi ſecùs non exprimatur. Gloſſa *in c. Cùm dilectus. 32. ℣. De gremio. h. t.* ac deſumitur *ex c. In cauſis. 30. eod.* ubi Compromiſſarij vi Compromiſſi abſoluti poſtulârunt Epiſcopum alterius Eccleſiæ.

73. *Compromiſſum limitatum* generatim loquendo dicitur omne illud, per quod datur Compromiſſarijs poteſtas eligendi ſolùm cum reſtrictione aliqua, v. g. ut eligant unum de gremio ipſius Eccleſiæ; prout factum *in cit. c. Cùm dilectus*. Vel, ut electio fiat adhibito aliquorum conſilio; *ut c. Cùm in veteri. 52. h. t.* vel quando alia hujuſmodi reſtrictio fit.

In propoſito autem, & magìs ſpecialiter, per
74. *Compromiſſum limitatum* intelligitur ſolummodò illud, vi cujus Capitulares compromittunt in aliquos ſub hac forma, ut Compromiſſarij exquiſitis ſecretò votis ſingulorum illum eligant, qui à majori parte Capituli nominatus fuerit. Et de hoc habetur caſus *in c. Cùm dilectus. 32. h. t. & c. Cùm expediat. 29. eod. in 6.* ubi ſimul declaratur, hunc eligendi modum per Compromiſſum limitatum, non eſſe abrogatum in Concilio Generali, relato *in c. Quia propter. h. t.* ſed poſſe practicari, ut priùs. Ac meritò: quia continetur ſub forma Compromiſſi ibidem approbati, quòdq; poſteà ſubdividitur in abſolutum, & limitatum.

75. Additur notanter, *à majori parte Capituli.* Nam ſi Compromiſſarij ſecundùm traditam ſibi poteſtatem eligant eum, in quem non major pars Capituli, ſed tantummodò plures aliorum comparatione conſenſerunt, non valet electio: cùm præter tres formas, *in cit. c. Quia propter.* relatas, dignoſcatur eſſe attentata, *text. clar. c. Si cui. 23. h. t. in 6.* Adeòque tunc ſolùm valet tale Compromiſſum limitatum, quando datur Compromiſſarijs poteſtas eligendi eum, in quem ſaltem major pars conſenſerit. Paſſerinus *cap. 22. de Electione. n. 5.* & alij.

76. Porrò ad Compromiſſum taliter limitatum ſufficit, quòd Compromiſſarij eligantur à majori parte Capituli, ut notat Angelus *in Summa. ℣. Electio. n. 27.* citans Lapum, & Geminianum *in 6. Cùm expediat. h. t. in 6.* Paſſerinus *cit. cap. 33. n. 20.* allegans inſuper Francum, Roſellam, Tabiennam, & alios. Ratio eſt: quia per hunc electionis modum nulli eligentium fit aliquod præjudicium, cùm quilibet poſſit nominare eum, quem vult; ſimúlque Compromiſſarij non poſſint eligere alium, niſi nominatum à majori parte Capituli.

Neque hinc quis inferat, quòd forma Compromiſſi limitati prorſus coincidat cum electione per Scrutinium. Reſp. enim cum Gloſſ. *in c. Cùm expediat. 29. ℣. Inquiſitis.* & Laymann *ibid. h. t. in 6.* Engel *n. 41. eod.* & alijs, quòd hæc forma ſit mixta ex Scrutinio, & Compromiſſo ac proinde forma Scrutinij in ipſa à Compromiſſarijs ſit obſervanda: adeò quidem, ut ſi plures ſint Compromiſſarij, per unum eorum pronuncianda, & facienda ſit communis electio, atque aliter facta, electio non teneat, text. clar. *c. Sicut cùm. 21. h. t. in 6.* adhuc tamen ea principaliùs dicatur eſſe forma Compromiſſi. Ratio hujus eſt: quia in electione per Scrutinium ille, cui ex Scrutatoribus committitur electio communis, eligit vice præſentium Electorum, ſive Capitularium: econtrà in Compromiſſo eligit Compromiſſarius vice propriâ, vel Compromiſſariorum, ſi ſunt plures; hæc enim poteſtas jure Compromiſſi à Capitularibus in ipſum, vel ipſos, translata fuit. Paſſerinus *loc. cit. n. 16.* Deinde in hoc Compromiſſo poteſt intervenire unus Compromiſſarius, vel plures tribus: non ſic in electione per Scrutinium poteſt eſſe unicus Scrutator. Tandem forma Compromiſſi limitati eſt expeditior, & facilior, quàm forma electionis per Scrutinium; cùm in illa non requirantur tot ſubſtantialia, quot in iſta, adeò ut in hac, etiam boni Juriſtæ Practicam ignorantes quandoq; deficiant. Gloſſa *loc. cit.* Atque ideò hanc formam mixtam hodie eſſe uſitatiorem, & expeditiorem, quàm eſt forma Compromiſſi abſoluti, & Scrutinij, notat etiam Pirhing. *h. t. n. 210.*

Et hinc non mirum, quòd in Ordine FF. Minorum electiones Superiorum Majorum in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, ſoleant fieri per hujuſmodi Compromiſſum limitatum, utpote modum eligendi cæteris faciliorē, & expeditiorem: prout liquet ex illa formula, quâ juxta præſcriptum Statutorum Generaliū, *cap. 8.* §. 3. unus Diſquiſitorum, ſive Scrutatorum, poſt enumerata, quot quiſque habuerit vota, electionem comunem ſive Capitularem circa perſonam reportantis plura ultra medietatem in Scrutinio vota faciens, pronuntiat in hæc verba: *Et ego Fr. N. ejuſdem Ordinis Profeſſor, unus ex Diſquiſitoribus, & Compromiſſarijs, virtute Compromiſſi in me, & in ſocios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam electionem conſenſerunt, præfatum N. Miniſtrum Provincialem canonicè electum nomino, & ſic electum denuncio, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.* Ubi ly, *virtute Compromiſſi in me, & ſocios meos limitati*, clarè denotat præſens aſſertum: quamquàm in electionibus ejuſdem Ordinis Electores, & Confirmatores non arctari ſolemnitatibus, aut formis Juris, eadem Statuta Generalia *loc. cit.* rectè moneant; ídque ob Conſtitutionem B. Pij V. quæ incipit, *Paſtoralis.*

§. IV.

§. IV.
Varia Dubia circa Electionem per Compromiſſum reſolvuntur.

SUMMARIUM.

79. *Compromiſſum poteſt revocari re integrâ: aliàs ſecùs.*
80. *Solvuntur rationes in contrarium allegatæ.*
81. *In dubio, an cenſeatur Compromiſſarijs data poteſtas gratiâ ſui, vel favore Eccleſiæ?*
82. *Res integra in propoſito, quamdiu ſit?*
83. *Compromiſſum nequit revocari à paucioribus.*
84. *Solvitur inſtantia.*
85. *Compromittentes tenentur recipere electum à Compromiſſarijs.*
86. *Dummodò ſervata fuerit forma Compromiſſi.*
87. *Simulque electus exiſtat idoneus.*
88. *Si Compromiſſarius elegit indignum, poteſtas eligendi revertitur in Compromittentes.*
89. *Niſi hi ratam habuerint talem electionem indigni.*
90. *Ad quem in iſto caſu devolvatur poteſtas eligendi?*
91. & 92. *Compromiſſarius eligens indignum in Epiſcopum, quas pœnas incurrat?*
93. *Si Compromiſſarius abſolutè conſtitutus negligat eligere intra tempus à Jure ſtatutum, devolvitur poteſtas eligendi ad Superiorem.*
94. *Diſparitas inter talem Compromiſſarij negligentiam, & electionem indigni.*
95. *Quid dicendum in caſu negligentiæ Compromiſſarij limitatè conſtituti?*
96. *Quando Compromiſſarius elegit idoneum, ſed is conſentire renuit, jus eligendi redit ad Compromittentes.*
97. *Unus Compromiſſarius nequit eligere ſeipſum.*
98. *Etiamſi judicet ſe cæteris digniorem.*
99. *Compromiſſarij, ſi ſint plures, poſſunt eligere unum ex ſeipſis.*
100. *Solvitur inſtantia.*
101. *Compromiſſarius à medietate aliorum Compromiſſariorum electus, & electioni de ſe factæ conſentiens, cenſetur ritè electus. Et num. ſeqq.*
102. *Nec talis eligit ſeipſum.*
103. *Conſenſus electi auget numerum votorum in Compromiſſo.*
104. *Imò & in quibusdam alijs electionibus.*
105. 106. & 107. *Solvuntur aliæ inſtantiæ.*

79 QUæritur I. An, & qua ratione Compromiſſum, ſeu poteſtas eligendi data Compromiſſarijs, revocari valeat? Reſp. I. Re integrâ poteſt poteſtas data Compromiſſarijs à Compromittentibus liberè revocari: ſecùs, ſi res non ampliùs ſit integra. Ita deſumitur *ex c. In cauſis. 30. h. t.* ubi in facti contingentia Pontifex declaravit, quòd poteſtas data Compromiſſarijs ad eligendum Prælatum ampliùs revocari non potuerit, hâc additâ ratione: *Cùm res non eſſet integra, quia in tractatu jam proceſſerant Electores*, ſeu Compromiſſarij. Ergo argumento à ſenſu contrario deſumpto (quod eſt fortiſſimum in Jure) ſi res adhuc eſt integra, poteſt Compromiſſum liberè revocari; prout argumentatur Abbas *in cit. c. In cauſis. n.* 11. ac notat Barboſa *ibid. n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 220. Paſſerinus *d. cap.* 22. *n.* 25. citans alios. Sic quippe in ſimili poteſtas Judicis delegati re integrâ expirat morte Delegantis: ſecùs ſi res ampliùs non ſit integra, ut *c. Relatum.* 19. *&c. Licèt.* 30. *de Offic. Delegat.* Similiter mandatum re integrâ poteſt revocari, §. *Rectè. Inſtit. de Mandato*, cum ſimilibus. Accedit ratio: quia re integrâ nihil intereſt Compromiſſariorum, ſi tradita eis poteſtas eligendi revocetur: ſecùs, ſi in negotio jam proceſſerunt, ſicque eorum poteſtas cum effectu tranſivit in ipſos, atque in eis radicata exiſtit.

80 Fatendum tamen, quòd Gloſſa *in d. c. In cauſis. ℣. Cùm res non eſſet integra*, non parùm dubitet, an re integrâ poſſit adhuc Compromiſſum revocari? Tum quia, *quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*, ut habet Reg. 21. Juris in 6. Tum quia perfecta donatio non revocatur, *l. Si donationem. C. de Revocat. donat.* cum ſimilibus: atqui talis hîc intervenire cenſetur, cùm Electores liberè Compromiſſarijs conceſſerint jus eligendi, illúdque iſti acceptârint. Verùm, ut benè notat Abbas *loc. cit. n.* 11. & Layman *in d. c. In cauſis. n.* 7. citans inſuper Innocentium, Jo. Andream, & alios, hæ rationes ſolummodò urgent, quando Compromiſſarijs data eſt poteſtas eligendi in gratiam, ſeu favorem ipſorummet Compromiſſariorum, ut videlicet hac ratione ſpecialiter honorentur; tunc enim ea nequit revocari, etiam re integrâ, cùm ſecutâ acceptatione habeat rationem perfectæ donationis. Secùs eſt, quando Compromiſſarijs data eſt illa poteſtas, non favore ſuarum perſonarum, ſed ſolùm intuitu Eccleſiæ, puta, ut huic per viam Compromiſſi faciliùs provideretur: tunc enim Compromiſſarij cêſentur eſſe nudi miniſtri, ac deputati executores, habentes mandatum eligendi vice omnium; ſicque ad inſtar alterius mandati poteſt revocari re integrâ.

Cæterùm in dubio, an Compromiſſarijs data ſit poteſtas favore Eccleſiæ, vel gratiâ ſui, idque ex priùs actis nequeat reſolvi: præſumendum eſt, Compromiſſum priore modo, videlicet ob utilitatem Eccleſiæ fuiſſe factum, & non poſteriore modo, ſeu gratiâ Compromiſſariorum. Siquidem gratia non eſt præſumenda, *arg. cap. ult. de Tranſlat. Epiſcop. & l. Cùm de indebito. §. 1. ff. de Probationib.* Abbas *loc. cit. n.* 12. Layman, & alij. 81

82 Porrò *Res integra* in propoſito cenſetur eſſe tamdiu, donec Compromiſſarij incœperint ipſummet negotium Compromiſſi quantùm ad ſubſtantialia, tractando videlicet inter ſe de perſona eligenda; prout deſumitur *ex cit. c. In cauſis. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 7.* citans Innocentium; & Barboſa *n.4.* Layman *n. 7.* & alij. Qui omnes concorditer aſſerunt, ſi tantùm præceſſerit ſolemnitas præparatoria, v. g, Miſſa cantata de Spiritu ſancto, adhuc dici Rem integram, donec Compromiſſarij de perſona eligenda tractare incœperint.

83 Reſp. II. Nihilominùs re etiam integrâ Compromiſſum non poteſt revocari à paucioribus Capitularibus, ac multò minùs ab uno ſolo, ſed tantùm à majori parte Capituli. Ita Abbas *loc. cit. n. 16.* contra Innocentium. Pirhing *h. t. n. 215.* Paſſerinus, *ubi ſuprà. n. 27.* citans alios. Ratio eſt: quia ex quo Compromiſſum ſemel à toto Capitulo factum eſt, ac tenuit, non poteſt revocari, niſi à majori parte Capituli, *arg. cap. 1. De his, quæ fiunt à majori. part. Capit.* cum concordantijs. Quinimò id cederet in detrimentum totius Capituli, ſi quod communi omnium conſenſu ſtatutum eſt, ab uno cæteris contradicentibus reſcindi poſſet. Unde urget illa recepta Reg. 33. Juris in 6. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* Intellige, niſi minor pars oſtendat, Compromiſſum ob publicam utilitatem eſſe revocandum, eò quòd Eccleſiæ damnoſum ſit; prout hoc ipſum generaliter limitatur *in cit. cap. 1. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ac notant Authores prææallegati.

84 Dices, Poterat à principio unus ſolus reſiſtere, ne fiat Compromiſſum, per dicta *n. 71.* ergo etiam poteſt unus re integrâ illud revocare. Reſp. neg. conſequent. Diſparitas eſt: quia, ne fiat Compromiſſum, intereſt ſingulorum, utpote qui alioquin cogerentur carere voce ſuâ activâ: ſecùs accidit poſt Compromiſſum capitulariter jam factum, quia tunc Compromiſſarij ſunt executores totius Capituli; ſicque negotium tangit omnes, non autem ſingulos de Capitulo, in quo caſu prævalere debet id, quod à majori parte Capituli geſtum fuit.

85 Quæritur II. Utrùm Compromittentes teneantur recipere eum, quem elegerunt Compromiſſarij? Reſp. Compromittentes tenentur recipere eum, quem elegerunt Compromiſſarij, dummodò ſervata fuerit forma Compromiſſi, ſimúlque electus exiſtat idoneus. Ita communis; & clarè habetur *in c. Cauſam quæ. 8. h. t.* ac notant ibidem Barboſa, & communis Doctorum, quos citat. Alioquin enim fruſtrà in Compromiſſarios collata fuiſſet poteſtas eligendi, ſi hunc, cæteroquin idoneum, Compromittentes recipere non tenerentur, ſed liberè recuſare poſſent.

86 Additur notanter primò, *dummodò ſervata fuerit forma Compromiſſi.* Alioquin enim, ſi Compromiſſarij terminos poteſtatis ſibi traditæ non ſervârint, non valet electio inde ſecuta, *c. Cùm dilectus. 32. & c. Cùm in veteri. 51. h. t.* Nam de ſubſtantia Electionis compromiſſariæ eſt, quòd non excedatur forma Compromiſſi. Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæſt. 23. art. 38. concl. 1.* & Barboſa *cit. c. Cùm dilectus. n. 4. h. t.* eò quòd in tali caſu poteſtas Compromiſſariorum penitus ſit reſtricta, & dependens à voluntate & determinatione Capitularium, quorum ſunt quaſi miniſtri: proinde non licet ipſis excedere fines traditæ ſibi poteſtatis.

Additur ulteriùs, *ſimúlque electus exiſtat idoneus.* Nam in Compromiſſo poteſtas tradita Compromiſſarijs ſemper intelligitur de eligenda perſona idonea, licèt hæc clauſula non exprimatur, *arg. d. c. Cauſam quæ. 8. h. t.* ac notat Gloſſa *c. In cauſis. 30. ℣. Idonea. h. t.* Quòd ſi verò Compromiſſarij eligant indignum, ſive id fecerint ſcienter, ſive ignoranter, non valet electio, *c. Cùm in cunctis. 7. & d. c. Cauſam quæ. 8. & c. Dudum. 22. h. t.* cum ſimilibus: ſimúlque tunc redit poteſtas eligendi ad Compromittentes, ut illicò ampliùs dicetur. Unde

Quæritur III. Quid juris, ſi Compromiſſarius eligat indignum? Reſp. I. Quando Compromiſſarius eligit indignum, ſive ſcienter, ſive ignoranter id fiat, tunc præter nullitatem actûs (*ut num. præc.* dictum) poteſtas eligendi liberè revertitur in Compromittentes; niſi & ipſi ſcienter talem electionem ratam habuerint. Ita habetur expreſſum *in c. Si compromiſſarius. h. t. in 6.* Ratio eſt: quia, quando Compromiſſarius ſcienter eligit indignum, tunc ipſe quidem functus eſt officio ſuo (licèt male) ac proin ampliùs non habet poteſtatem eligendi. Quia tamen *dolus ipſius iis* (id eſt, Compromittentibus) *qui non ſunt in culpa, non debet imputari*, ut loquitur Pontifex ibidem: cùm peccata ſuos authores tenere debeant, *c. Quæſivit. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ſimúlq; non debeat aliquis alterius odio prægravari, juxta *Reg. 22. Juris in 6.* Hinc Compromittentes idcircò non amiſerunt jus eligendi, ſed hoc ad ipſos revertitur; quidquid olim in oppoſitum tenuerit Compoſtellanus, dicens, in tali caſu jus eligendi devolvi ad Superiorem. Gloſſa *in cit. c. Si compromiſſarius. ℣. Imputari*, & alij. Si verò ignoranter Compromiſſarius elegerit indignum, etiam tunc ipſe functus eſt officio ſuo; & conſequenter non poteſt novam electionem inſtituere ſine nova commiſſione, ſed tota poteſtas eligendi redit ad Compromittentes.

Additur notanter, *Niſi & ipſi, &c.* Nam ſi Compromittentes ſcienter ratam habeant electionem indigni, tunc locum habebit Reg. 10. Juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*: ſicque & ipſi ratificando ſcienter electionem indigni à Compromiſſario factam, perdunt jus eligendi pro una vice. Gloſſa *in cit. c. Si compromiſſarius. ℣. Ratam. h. t. in 6.*

Proinde in tali caſu, ſi non omnes deliquerint ratificando ſcienter electionẽ indigni, tota poteſtas eligendi pro una vice revertitur ad alios nõ de-

non delinquentes, atq; in ipſis reſidet: quia pars non peccans, fungitur vice Capituli, *arg. c. Cùm Vintonienſis. 25. & c. Dudum. 22.* junctâ Gloſsâ *℣. In ordinibus. h. t.* Quòd ſi verò deliquerunt omnes, tunc præter pœnas *num. ſeqq.* declarandas in electione Epiſcopi tota poteſtas eligendi devolvitur ad Sumum Pontificem; ut *c. Bonæ. 23. §. fin. h. t.* ibi: *Ad nos devoluta fuiſſet hâc vice ordinatio Eccleſiæ Moguntin.* Concordat *c. Quamquàm 18. h. t. in 6.* ubi ſimul declaratur, iſtud habere locum duntaxat in electione Epiſcopi: in inferioribus autem Eccleſijs poteſtas eligendi ſemper devolvitur ad proximum Superiorem, prout ibidem annotatur.

9 Reſp. II. Inſuper Compromiſſarius, qui in Epiſcopum ſcienter elegit indignum (dummodò ipſemet non ſit Epiſcopus) ipſo jure incurrit pœnam ſuſpenſionis à Beneficijs, quæ obtinebat in Eccleſia offenſa, & quidem per trienniū: quam pœnam etiam incurrunt Compromittentes, qui ſcienter ratam habent ejusmodi electionem indigni in Epiſcopum. Patet hoc totum ex ſæpè *cit. c. Si compromiſſarius. 37. h. t. in 6.* junctâ Gloſsâ, & DD. ibidem.

9 Dicitur notanter, *Qui in Epiſcopum &c.* Nam, ut ibidem mox ſubjungitur, hæc pœna ſuſpenſionis triennalis non habet locum in aliorum, quàm Epiſcoporum, & Superiorum ipſorum electionibus, cùm peccatur in eis. Simulq; hæc pœna ſolùm reſtringitur ad Beneficia, quæ quis obtinet in Eccleſia, per talem electionem, & indigni Prælati præpoſitione læsâ. Et cùm Epiſcopi de jure, juxta *c. Quia periculum. 4. de Sent. excommunic. in 6.* nullâ pœnâ ſuſpenſionis incurrant, niſi de ipſis expreſſa mentio habeatur (qualis tamē de ipſis nō habetur in Concilio Lateranenſi, relato *in c. Cùm in cunctis. 7. h. t.* ad quod ibidem fit reflexio) hinc expreſsè ſubditur, quòd Epiſcopus, ſi ad eligendum fiat Compromiſſarius, & peccet ſcienter eligendo indignum, dictam pœnam nō incurrat. Inſuper, quòd ad hanc pœnam incurrendā requiratur, ut electio indigni fiat ſcienter, notat Gloſſa *ibid. ℣. Eligitur,* & ampliùs in ſimili dicetur infrà §. 11. *num. 253.*

Quæritur IV. Quid adhuc juris, ſi Compromiſſarius negligat eligere intra tempus à Jure ſtatutum, aut Electus conſentire nolit electioni? Reſp. I. Si Compromiſſarius abſolutè conſtitutus neglexerit intra tempus à Jure præfixum quempiam eligere, tunc ad proximū Superiorē poteſtas devolvitur providendi; ſibique imputent Compromittentes, qui in tam negligentē tranſtulerunt poteſtatem hujusmodi. Ita habetur *cit. c. Si compromiſſarius. §. 1.* Et meritò: quia debuerant Compromittentes vel magis ſollicitum eligere, vel ipſi Compromiſſario non dare totum tempus, quod habebant ad eligendum; prout notat Gloſſa *ibid. ℣. Tranſtulerunt.*

Dices. Si Compromiſſarius eligit ſcienter indignum, non devolvitur poteſtas eligendi ad Superiorem, ſed redit ad Compromittentes, ut dictum ſuprà *num. 88.* ergo etiam, ſi Compromiſſarius negligit eligere intra tempus à Jure ſtatutum, eadem poteſtas redibit ad Compromittentes, nec devolvetur ad Superiorem: quia quaſi paria videntur, non eligere idoneum, & non eligere intra tempus à Jure præfixū. Reſp. neg. conſequent. cum ſua probatione. Nam, ut patet ex allegata clara diſpoſitione Juris Canonici, hæc duo neutiquam ſunt paria: quia Compromittentes poterant ſuò modò præcavere negligentiæ Compromiſſarij, vel compromittendo in magis ſollicitum, ac induſtrium, *arg. l. Si procuratorem. §. Si tutorem. ff. Mandati.* ubi negligentia Mandatarij non excuſat Tutorem mandantem. Vel ſaltem tali Compromiſſario non dando totū tempus, quòd habebant ad eligendum, ut *c. Cùm in veteri. 52. h. t.* At verò contra Compromiſſarium, eligentem dolosè indignū, non poterant ſic ſe præcavere: unde ne dolus imputetur illis, qui ſunt abſque culpa, in hoc caſu redit ad Compromittentes jus eligendi, non item in priori, *cit. c. Si compromiſſarius,* junctâ Gloſſâ *℣. Tranſtulerunt. h. t. in 6.*

Reſp. I. Quòd ſi poteſtas eligendi Compromiſſarijs commiſſa ſit limitatè ad certum tempus, intra quod electio fieri debeat ab eisdem, vel alia conditio adjecta fuerit; hac deficiente, vel tempore illo elapſo ante factam à Compromiſſarijs electionē, Compromiſſum per ſe expirat. Ità deſumitur *ex c. Cùm in veteri. 52. h. t.* ac notat Innocentius *ibid. n. 4.* & Pirhing *h. t. n. 226.* cū alijs. Unde, ſi tempus à Jure ſtatutum necdum ſit elapſum, redit electio ad Compromittentes. 95

Reſp. III. Quando Compromiſſarius eligit idoneum, ſed is conſentire renuit, etiam tunc jus eligendi revertitur ad Compromittentes. Textus eſt clarus in *cit. c. Si compromiſſarius. h. t. in 6.* Acceditratio: quia in tali caſu ex una parte Compromiſſarius jam eſt functus officio ſuo, ut ibidem dicitur: ex alia verò parte eligentes, ac in aliū ritè compromittentes, jam fecerunt, quod ſpectat ad ipſos, infra Juris terminum eligendo; atque ideò abſque ſua culpa non ſunt privandi jure eligendi aliam perſonam idoneā, *c. Si electio. 26. h. t. in 6.* Ubi idcircò conceditur tempus integrum ad aliam electionem celebrandam, ac ſi nova vacatio extaret. 96

Quæritur V. An Compromiſſarij poſſint eligere aliquem ex ſe ipſis, vel unus ſemetipſum? Reſp. I. Si Compromiſſum in unum duntaxat ſit factum, quamvis illimitatè & abſolutè, ut quemcunque idoneum eligat, is nequit eligere ſeipſum. Ità Gloſſa *in c. Cùm in jure. 33. ℣. Ex ſe, vel alijs;* & Abbas *ibid. n. 4. h. t.* citans Innocentium, Layman *in cit. c. Cùm in jure n. 1.* & alij paſſim. Ratio eſt: quia talis ſemetipſum eligens, cenſeretur ambitioſus, & ideò hoc ipſo foret repellendus, juxta illud can. In ſcripturis 8. q. 1. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus.* Neque enim quis oritur à ſeipſo. Unde etiam ille, ad quem ſpectat collatio Beneficiorum, non poteſt inſtituere ſemetipſum; cùm inter dantem, & recipientem, debeat eſſe diſtinctio perſonarum, ut notatur *cap. ult. de Inſtitut.* 97

98 Nec obſtat, quòd talis Compromiſſarius juraverit eligere digniorem, ac poſteà ſeipſum judicet alijs digniorem. Reſp. enim cum Gloſſa *loc. cit.* quòd is potiùs debuiſſet nō acceptare poteſtatē eligendi ſibi datam, aut huic renunciare: fatuus enim eſſet, qui tale Compromiſſum acceptaret, ſi credit ſe cæteris meliorem; cùm tacitè ipſemet Compromiſſarius cenſeatur eſſe excluſus, poſtquàm acceptavit Compromiſſum. Inſuper, quia quilibet de proximo debet præſumere bonum, *cap. ult. de Præſumpt.* in ſe ipſo autem agnoſcere culpam, *can. Ad ejus. §. fin. diſt. 5.* Compromiſſarius iſtud obſervans neutiquam aget contra ſuum juramentum, alium eligendo.

99 Reſp. II. Si Compromiſſarij ſint plures, poſſunt ij aliquem ex ſe ipſis eligere, etiamſi id in Compromiſſo non ſit expreſſum, dummodò non fuerit expreſsè prohibitum. Ità Abbas *d. c. Cùm in jure. n. 4. h. t.* allegans Innocentium, Hoſtienſem, & quaſi communem; ac tenet noviſſimè Paſſerinus *cap. 22. de Electione. n. 4.* Pirhing *h. t. n. 216.* Sannig *eod. cap. 4. n. 24.* Engel *n. 41.* contra Gloſſam *loc. cit. & cap. ult. ℣. Poteſtatem. de Sortileg.* Ratio eſt: quia in Compromiſſo abſoluto, ſi certa forma non fuerit præſcripta, cenſetur totum jus eligendi in Compromiſſarios delatum; ergo etiam ex ſeipſis poſſunt eligere quemquam idoneum. Alioquin quippe officium ſuum ipſis redderetur damnoſum, imò quandoque etiam Eccleſiæ pernicioſum, ſi videlicet inter Compromiſſarios reperiretur talis, de quo utiliùs poſſet Eccleſiæ provideri; prout argumentatur Hoſtienſis, & poſt ipſum Abbas *loc. cit.*

100 Si dicas cum Gloſſa. Quando ſimpliciter datur poteſtas eligendi tribus Compromiſſarijs, nō poteſt unus eligere ſine alio, nec duo ſine tertio; ſicut in ſimili dicitur de duobus, vel tribus Judicibus delegatis, *in c. Cauſam matrimonij. 16. & c. Uno delegatorum. 42. de Offic. Delegat:* atqui id fieret, ſi duo poſſent eligere tertium Compromiſſariū, cùm ille tertius non eligeret, ſed ſolùm electioni de ſe factæ conſentiret; ergo id fieri nequit absq; ſpeciali conceſſione, ut factum fuit *in cit. c. Cùm in jure.* Reſp. neg. min. Nā in tali caſu omnes tres Compromiſſarij ſimul eligerent, ſed duæ diverſæ perſonæ ab ipſis eligerentur: unde, quia cæteroquin geſtum à pluribus ſolet valere, *cap. 1. De his, quæ fiunt à maj. part.* pariter valebit electio Compromiſſarij factæ ab alijs duobus. Dummodò ipſis non fuerit expreſsè prohibitū, eligere quempiam ex ſeipſis, ut limitatur in Concluſione, eò quòd forma Compromiſſi exactè ſit obſervanda. Simûlque, dummodò in Compromiſſo non fuerit addita illa limitatio, ut non valeat electio, niſi hæc fuerit unanimis, tunc enim nullus Compromiſſariorum eligi poſſet, cùm non caderet in ipſos electio unanimis, eò quòd nemo eorum ſeipſum eligere valeret. Paſſerinus *loc. cit.*

101 Reſp. III. Inſuper in Compromiſſo abſoluto, ſi ſeptem ſint Compromiſſarij, & unus eorum ab alijs tribus eligatur, atque electioni de ſe factæ conſentiat, cenſetur is ritè electus. Ita habetur deciſum *in cit. c. Cùm in jure. h. t.* ac tenet Sumariū ibi, & DD. cōmuniter. Unde in tali caſu Electus, conſentiendo electioni de ſe factæ, auget numerum eligentium, ut inquit Abbas *ibid. n. 6.* Idémq; contingit, ſi ſint tres Compromiſſarij, & unus nominet ſuum Coëlectorem, ipſeq; conſentiat, ſeu acceptet electionem: tunc enim is cenſetur in effectu habere duo vota, & prævalebit extraneo unum duntaxat votū habenti; prout exemplificat Engel *h. t. n. 42.* Atq; hoc ipſum multò magìs obtinet, ſi duo tantùm ſint Compromiſſarij, & unus nominet alterum: nam iſte conſentiendo, electionem ratam efficiet. Abbas *in d. c. Cùm in jure. n. 5.* & Layman *ibid. n. 1.*

Nec obſtat, ſi dicatur: Non poteſt quis eligere ſeipſum, *cit. c. In ſcripturis. 8. q. 1.* atqui hoc videtur fieri in propoſito, ergo. Reſp. enim neg. min. Quia talis non eligitur à ſeipſo, ſed à ſocijs ſuis; quamvìs ipſe conſentiat electioni de ſe factæ, ſicq; numerū augeat. Sive, ut loquitur Layman *cit. n. 1.* Pirhing *n. 218.* & Sannig *cit. cap. 4. n. 24. h. t.* talis im̄ediatè, ac principaliter, ſeu directè ſeipſum non eligit, ſed ſolùm acceſſoriè & completivè; cùm electio non ab ipſo ortum habeat, ſed ab alijs ipſum antecedenter eligentibus, quibus ipſe conſentit, ſicque electionem aliorum de ſe factam veluti perficit, & complet: hoc quippe citra notam ambitionis fieri poteſt, cùm conſenſus electi ſemper requiratur ad electionem.

Neque ulteriùs obſtat, quòd conſenſus electi non augeat numerum, *arg. c. Cumana, 50. & c. Quia propter. 42. h. t.* Reſp. enim cum Abbate *in cit. c. Cùm in jure. n. 5. h. t.* Paſſerino *cap. 22. de Elect. n. 41. & 42.* Layman, & alijs, id verum eſſe, quando electio fit neceſſariò juxta formā Scrutinij, *in d. c. Quia propter. h. t.* præſcriptam, in quo caſu procedunt citata Jura: ſecùs verò eſſe, ſi electio fiat per Compromiſſum. Siquidem Compromiſſum non arctat ad ſervandam formam *in d. c. Quia propter.* præſcriptam, ut deſumitur ex textu ibidem; ac proinde Compromiſſarij poſſunt dare vota palàm, atque audientibus alijs: unde electus à medietate poteſt, ſine nota ambitionis, ſuo conſenſu accedere ad illam medietatem, atq; conſentiendo augere numerum, & fieri electus; ut liquet *ex cit. c. Cùm in jure. h. t.* atque in ſimili habetur *l. Planè. ff. Quod cujusque univerſit. nom.* ubi inter duas partes eligentiū Actorem univerſitatis, connumeratur etiam ille, qui eligitur, ſi habuit vocem ad eligendum, & conſenſit.

Quinimò iſtud non ſolùm procedit in Compromiſſo, ſed etiam locum habet in alijs electionibus, quæ non ſunt alligatæ ad formam eligendi *in d. c. Quia propter. h. t.* præſcriptam; adeò, ut etiam in iſtis electus à medietate, ſi hoc illi conſtet, poſſit ſine nota ambitionis accedere ad illam medietatem, & augere numerum, ſicque fieri electus. Abbas *loc. cit. n. 5. & 6.* id exemplificans de electione Papæ (quod tamen hodiè non tenet; ut liquet ex Bullâ Gregorij XV. quæ incipit: *Æterni Patris. §. 2.*) ac etiam de electione Imperatoris. Paſſerinus, *ubi ſuprà, n. 42.* Pirhing *h. t. n. 218.* citans alios: qui tamen monet, circa

hoc

hoc attendendam eſſe cujusque Eccleſiæ conſuetudinem; prout in ſimili habetur *l. Item eorum. ff. Quod cujusque univerſit. nom.* ibi: *Niſi lex municipij, vel perpetua conſuetudo prohibeat.*

105 Cæterùm ratio diſparitatis inter præmiſſa eſt: quia in electione, juxta formam *d. c. Quia propter.* neceſſariò celebrandâ, debent vota ſingulorum dari ſecretò, atque eadem ignorantur ab habente medietatem eorum; ſicque fit, quòd is ſuo conſenſu non poſſit accedere, nec augere numerum votorum. Secùs eſt in Compromiſſo, atque alijs electionibus, juxta formam. *cit. c. Quia propter.* non neceſſariò celebrandis: quia in his poſſunt vota dari palàm, ſicque videns, ſe habere medietatem, poterit ſuo conſenſu accedere, & augere numerum.

106 Si dicas. Ergo ſaltem in caſu, quo quis ex tribus Scrutatoribus nominatur à media parte aliorum Vocalium, poterit is ſuo conſenſu accedere, & ſic non obſtante *cit. c. Quia propter*, augere numerum vocantium: quia Scrutator ille tunc novit horum numerum, & ante publicationem Scrutinij licitum eſt, adhuc variare. Reſp. I. Tenendo illam opinionem, quòd publicatio Scrutinij fiat, publicè enumerando integrum numerum votorum totius Capituli (de quo infrà §. 12. *n.* 286.) tunc hæc inſtantia penitùs non ſubſiſtit: quia ante talem Scrutinij publicationem nec ipſi Scrutatores ſciunt, quot quisque vota reportaverit. Quòd ſi autem loquamur de altero modo publicandi Scrutinium, pariter *in cit. num.* 286. relato, jam talis conſenſus ipſo jure reddit electionem nullam, juxta *c. Cùm poſt petitam.* 46. *h. t.* ubi electio cenſetur nulla, ſi nominatus in Scrutinio abſolutè conſentiat ante electionem communem, uti notat Gloſſa *ibid. ℣. Requiſitam.* & Abbas *n. 2.* Barboſa *n. 2.* & alij. Tunc enim, ut alia taceantur, fit inordinatus proceſſus contra formam *c. Quia propter. h. t.* juxta quam exquiſitis ſecretò votis ſingulorum, debet fieri horum publicatio in cōmuni, tum eorum collatio, & electio capitularis, & poſteà primùm requiri, ac dari conſenſus Electi; *ut c. Quàm ſit. 6. h. t. in 6. & c. Cupientes. §. Cæterum. eod. in 6.*

Quòd ſi urgeas. Vel Compromiſſarius ille, 107
qui ſuâ acceptatione complet numerum votorum, acceptat electionem factam, vel faciendam. Non primum: quia anteà necdum aderant majora vota. Neque ſecundum: quia aliàs eligeret ſeipſum, & talis electio inchoaretur à propria acceptatione. Reſp. Eum acceptare electionem privatam aliorum priùs ſe eligentium, ſicque compleri pluralitatem votorum, ut exinde ſit celebranda electio communis, ſeu capitularis. Neque hinc ſequitur, quòd quis eligat ſeipſum directè, & principaliter; ſed ſolùm acceſſoriè, & completivè, ut jam dictum.

§. V.

De Electione per Scrutinium.

SUMMARIUM.

108. *Electio per formam Scrutinij, quæ?*
Circa hanc referuntur verba c. Quia propter. h. t. *Ibid.*

109. *Plura, non tamen omnia ibidem comprehenſa, ſunt de ſubſtantia talis electionis.*

110. *Diſpoſitio* c. Quia propter. h. t. *in quorum electionibus ſit neceſſariò obſervanda? Et num. ſeqq.*

111. *Inter Abbates perpetuos, & Eccleſiam, contrahitur quaſi Conjugium ſpirituale.*

112. *Ad electiones Inferiorum ſufficiunt vota majora Capitularium quomodocunque præſtita in Capitulo.*

113. *Electio juxta* d. c. Quia propter. h. t. *debet fieri omnibus capitulariter præſentibus.*

114. *Poſſunt tamen Capitulares, ut dent ſingillatim ac ſecretò vota ſua, interim ad locum contiguum recedere.*
Idem probatur ex verbis cit. c. Quia propter. *Ibid.*

115. *Ad Electionem vocari debent omnes jus eligendi habentes. Et n. ſeqq.*
Ex contemptu unius, an electio reddatur irrita? Ibid.
Electioni plus obeſt contemptus unius, quàm contradictio multorum. Ibid.

116. *Enumerantur plures, qui de jure non debent intereſſe electioni, ſicq; non neceſſariò ad eam vocandi ſunt.*

117. *Quid dicendum de illis, qui electioni intereſſe nolunt?*
Abſens, qui ſcit vacationem Eccleſiæ, & diem electionis, ulteriùs non eſt neceſſariò citandus. Ibid.

118. *Abſentes, an, & quando ſint vocandi ad electiones? Et num. ſeqq.*
Conſuetudo locorum quoad hoc eſt attendenda. Ibid.

119. *Si abſentes commodè vocari non poſſint, putà, ob periculum ex mora imminens Eccleſiæ, poſſunt & debent alij procedere ad electionem.*
In praxi quid obſervandùm circa hoc? Ibid.

120. *Electio nequit fieri, niſi adſint duæ partes Vocandorum; & qui in his computentur?*

121. *Scrutatores, quot, & quales ſint aſſumendi?*

122. *An tres ſint de ſubſtantia electionis?*

123. *Eorum officium. Et num. ſeqq.*

124. *Debent exquirere vota ſingulorum ſecretè,*

125. *Ac ſingillatim, & quomodo?*

126. *Poſſunt tamen adhiberi Teſtes, & Notarius.*

127. *Scrutatores etiam exquirere debent vota cunctorum.*

128. *Et quidem diligenter.*

129. *Vota ſunt in ſcriptis redigenda; & à quo?*

130. *Poſt publicatum Scrutinium, ſtatim collatio votorum eſt facienda.*

131. *Quid agendum, ſi Scrutatores velint eam differre?*
132. *Collatio illa debet eſſe numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum.*
133. *Et quâ ratione hæc triplex collatio fiat?*
134. *In electione unanimi fit ſola collatio numeri, zeli, & meriti; quomodo?*
135. *Idem dicendum, ſi quis à duplo majori parte fuit electus.*
Contra ſic electum nequit opponi, quod votum extenuat: benè tamen, quod votum annullat. Ibid.
136. *In electionibus Regularium fit ſola collatio numeri ad numerum; & cur?*
137. *Alia quorundam ratio refertur, ac reijcitur.*

108 QUæritur I. Quid ſit Electio per formam ſcrutinij, & quæ obligatio Decretalis *in c. Quia propter. h. t.* relatæ? Reſp. I. *Electio per formam ſcrutinij* illa eſt, quæ præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt intereſſe, fit per collectionem ſuffragiorum circa eum, in quem major & ſanior pars Capituli conſentit. Ita in re communis, & patet ex celeberrimo *cap. Quia propter. 42. h. t.* ubi circa hanc formam Electionis in Concilio Generali, ſub Innocentio III. celebrato, refertur ſtatutum in hæc verba: *Quia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſijs viduatis, Statuimus, ut cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni: qui ſecretè, & ſingillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interjecto: ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit. - - - Aliter electio facta non valeat.* Hæc ibi.

109 Reſp. II. Etſi non omnia dictis verbis comprehenſa, ſint de ſubſtantia electionis per formam Scrutinij, plura tamen ejus ſubſtantialia paſſim inde colligunt Doctores. Ita rurſus communis. Et quidem prior pars ex eo liquet: quia, ut alia taceantur, de quibus controvertunt Doctores, præſentia, & vocatio omnium Capitularium non eſt de forma ſubſtantiali; cùm contemptus aliquorum non inducat nullitatem electionis ipſo jure, *c. Quod ſicut. 28. h. t.* Idipſum habetur *in c. Eccleſia veſtra. 57. §. Denique ſtatutum. h. t.* ubi dicitur, quòd illa, *Præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe,* non ſpectent ad formam electionis à Concilio Generali præſcriptam: ne cætera, quæ alibi ſuper hoc ſtatuta noſcuntur, uno verbo videantur everti &c. Altera verò pars ex eo liquet: quia ex allegatis verbis Abbas Panormitanus *in cit. c. Quia propter. n. 12. & ſeqq.* ac ibi Fagnanus *n. 37. & ſeqq. h. t.* enumerant octodecim ſubſtantialia talis electionis; alij plura, vel pauciora, quorum præcipua in progreſſu declarabuntur.

110 Reſp. III. Diſpoſitio *cit. c. Quia propter. h. t.* ſolummodò procedit, ac neceſſariò eſt obſervanda in electionibus illorum Prælatorum, per quorum mortem Eccleſiæ cenſentur viduatæ; non item in alijs electionibus inferiorum. Ita Gloſſa communiter recepta *in d. c. Quia propter. ℣. Eccleſijs viduatis*, & ibi Fagnanus *n. 5. & ſeqq.* Abbas Panormit. *c. Cùm in jure. n. 5. h. t.* & alij. Idipſum deſumitur ex textu illius Decretalis, ponderando priora verba allegati textûs, *Eccleſijs viduatis:* nam hæc, veluti poſita in Procemio illius Conſtitutionis, deſignant cauſam ejus finalem, & regulant totam diſpoſitionem: ut *L. 1. ff. de Orig. Juris. & L. ult. ff. de Hæred. inſtituend.* Ergo, cùm dicta nova Conſtitutio ſpecialiter intenderit providere Eccleſijs viduatis, ac præcavere periculis, quæ ipſis imminebant ex diverſis electionum formis, ſolummodò loquitur, atque neceſſariò obſervanda eſt in electionibus illorum Prælatorum, per quorum mortem Eccleſiæ cenſentur viduatæ. Et talis eſt electio Epiſcopi, qui eſt propriè Sponſus Eccleſiæ ſuæ, *can. Sicut alterius. 7. q. 1.* ac per obitum ipſius Eccleſia dicitur viduata, *c. Inter corporalia. & cap. ult. de Tranſlat. Epiſcop.*

Huc ſpectat electio Abbatum perpetuorum, qui Monaſteria obtinent in titulum: nam, licèt hi non tam ſtrictè, ac propriè, dicantur Sponſi ſuarum Eccleſiarum, ut Epiſcopi (unde & in Epiſcopum eligi poſſunt, nec ſunt ſolemniter poſtulandi, *c. Si Abbatem. 36. h. t. in 6.*) nihilominus inter eos & Eccleſiam, contrahitur quaſi conjugium ſpirituale, atque per obitum ipſorum dicitur Eccleſia viduata; ut *c. Ne pro defectu. 41. h. t.* ac proinde in ipſorum electione oportet ſervare formam, *in cit. c. Quia propter. h. t.* præſcriptam. Idem, atque ob eandem rationem, eſſe obſervandum in electionibus Prælatorum principalium in Eccleſijs Collegiatis, qui in his habent generalem jurisdictionem, tenet Gloſſa *cit. c. Quia propter. ℣. Eccleſijs viduatis.* & ibi Abbas *num. 7. & 8.* intelligens Gloſſam, quando Prælatus Eccleſiæ Collegiatæ ita habet generalem jurisdictionem, prout habent Abbates, qui poſſunt cognoſcere de cauſis criminalibus, & civilibus: & ſequitur Fagnanus, *ubi ſuprà. n. 31.* citans alios. Nam tales Prælati ratione generalis jurisdictionis, quam habent in Eccleſijs Collegiatis, poſſunt etiam appellari quodammodò Sponſi, ſicque per eorum obitum remanet Eccleſia viduata, & ſine Paſtore.

Cæterùm in electionibus inferiorum, ut puta Canonicorum Cathedralium, licèt forma *in cit. c. Quia propter. h. t.* præſcripta rectè obſervetur; nihilominus rigor iſte in eorum electione non neceſſariò eſt obſervandus: nam per horum mortem non cen-

facere Eccleſiam viduatam, omnes cenſent, cùm nô habeant ejuſmodi generalem jurisdictionē, ut Abbates; ac verus Sponſus ejus, videlicet Epiſcopus, adhuc vivat. Unde ab valorem talium electionum ſatis eſt, ſi Capitulares collegialiter congregati, per vota majora quempiā cætero-quin habilem eligant, quomodocunq; conſensū ſuū exprimant; adeò, ut ſufficiant etiā ſingulares conſenſus, dumodò præſtentur in Capitulo. Gloſſa *in c. Sicut cùm.* 21. ℣. *Formam.* Fagnanus *loc. cit. n.* 15. Pirhing *h. t. n.* 203. Cæterùm, an rigor ejusdem Decretalis ſit obſervandus in electione Superiorum Regularium, ex profeſſo dicetur infrà §. *ult. num.* 336. *& ſeqq.*

1 Quæritur II. Quomodo Electio juxta dictam formam Scrutinij debeat fieri præſentibus omnibus? Reſp. I. Neceſſe eſt, ut ea celebretur omnibus in unum, ſeu collegialiter ſive capitulariter congregatis, & non ſingulariter tantùm. Nō enim ſufficeret, ſi nullâ prævia Capitulari congregatione quilibet Electorum daret votum in camera ſua; vel ſi eorum collegialiter non congregatorum vota colligerentur, modò hunc, modò illum ſingulariter duntaxat vocando: prout innuit textus in ſæpe *cit. c. Quia propter,* ibi: *Præſentibus omnibus;* juncto *c. In Geneſi.* 55. *h. t.* ac notat Gloſſa communiter recepta *in cap.* 1. *De rebus Eccleſ. non alienand. in* 6. Abbas, & Fagnanus, *ubi ſuprà,* meritò inter ſubſtantialia talis electionis reponentes, ut Capitulum congregetur.

1 Reſp. II. Non tamen obſiſtit validitati electionis, ſi Canonici ad eam faciendam capitulariter convenientes, poſt electos Scrutatores, ex Capitulo ad alium locum contiguum recedant, indéque ad dandum ſingillatim, & ſecretò, ne ab alijs Electoribus audiri valeant, votum ſuū ſinguli redeant, donec completo ipſorū Eligentiū numero, votiſque per Scrutatores inter ſe collatis, atque in ſcripta redactis, omnes denuò Capitulum ingrediantur ad audiendam publicationem votorum, & cōmunem electionem. Ita Petrus de Baiſio *Tom.* 15. *Tractatuum, tract. de Election. part.* 3 *cap.* 25. *num.* 1. *& ſeqq.* & Guilielm. Mandagotus *eod. Tom.* 15. *tract. De electione novi Prælati, cap.* 24. Paſſerinus *cap.* 18. *de Elect. n.* 3. & Thomas Zerola *in Praxi Epiſcopali, part.* 1. ℣. *Electio. in Formula Inſtrumenti Electionis,* quæ eſt poſita pro perfecto exemplari alicujus Canonicæ Electionis. Atque iſtud ſæpiùs approbavit Sac. Congregatio Conſiſtorialis: & quaſi omnes Electiones Capitulares in Germania fiunt tali formâ; prout videre eſt ex Inſtrumentis Electionum Eccleſiæ Bambergenſis in Præpoſituram Elvvacenſem, & Eccleſiæ Leodienſis; ac noviſſimè ex Inſtrumento Electionis Friſingenſis, Anno Domini 1695. in perſona Reverendiſſimi & Celſiſſimi D. D. Joannis Franciſci, p. t. Epiſcopi Friſingenſis, & Sac. Rom. Imp. Principis (cui DEUS feliciſſimum in plurimos Annos Gubernium concedere dignetur) nam & ipſius electio juxta formulam à Zerola relatam celebrata fuit, & non obſtante quorundam contradictione per Sedem Apoſtolicam confirmata.

Idémque ſuadetur ex verbis *cit. c. Quia propter. h. t.* nam ibidem pro principio actûs inchoativi electionis dicitur: *Præſentibus omnibus ---- aſſumantur tres de Collegio* in Scrutatores. Circa actum verò proſequendum ſubjungitur: *qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter inquirant:* unde in tali proſecutione actûs potiùs apparet deſiderari abſentiam eligentium, præſertim, ſi id requirat anguſtia loci Capitularis, ut Scrutatores poſſint ſecrete, atq; alijs non audientib⁹ vota cunctorum diligenter inquirere. Tandem verò circa terminationem actûs electionis ſubditur ibidem. *Et mox publicent in communi:* unde oportet tunc Capitulares ad priſtina ſua loca denuò eſſe regreſſos. Quamquàm fatendum ſit, dictum egreſſum Eligentium è loco Capitulari non eſſe neceſſariū, ſi cæteroquin is adeò ſit amplus, vel ita conſtitutus, ut inquiſitio votorum ſingulorum poſſit per Scrutatores ſatis ſecretò, ſeu alijs non audientibus, ritè peragi: cùm hoc ſolum ibidem expreſsè requiratur, non illud.

Quæritur III. Quinam ad electionem debeant vocari? Reſp. I. Certum eſt, quòd ad electionem celebrandam convocari debeant omnes jus eligendi habentes; prout in ſæpè dicto *c. Quia propter.* innuitur illis verbis: *Præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commodè intereſſe.* Alias enim, ſi unus eorum contemneretur, id eſt, non vocaretur, quamvis electio ipſo jure non ſit irrita (ac proinde ad ſubſtantiam electionis non pertineat, vocare abſentes, ſed ſolùm ad juſtitiam; ut ait Fagnanus *loc. cit. n.* 28. poſt Abbatem *d. n.* 13. Joan. Andream, & alios) nihilominus ille, qui vocatus non eſt, poterit agere de contemptu; & niſi malit pro bono pacis electionem ratihabere, ad ipſius inſtantiam ea erit irritanda, juxta *c. Quòd ſicut* 28. *b. t.* Siquidem electioni plùs contemptus unius, quàm contradictio multorum obſiſtit; ut dicitur *in c. Venerabilem.* 24. *& c. Bonæ memoriæ.* 36. *h. t.* 115

Dicitur notanter in allegato textu. *Qui debent- ---- intereſſe.* Ad excludendum videlicet eos, qui de Jure non debent intereſſe electioni: uti ſunt Capellani, Eccleſiæ Cathedrali inſervientes, aliique Clerici Civitatis *arg. c. Cumana.* 50. *h. t. & c. Cùm Eccleſia* 3. *de Cauſa Poſſeſſ. & propriet.* Item excommunicati excommunicatione majori, licèt cæteroquin ſint de gremio Capituli, *c. Conſtitutis.* 23. *de Appellat.* Et ſuſpenſi, *c. Cùm dilectus.* 8. *de Conſuetud.* Et interdicti, *c. Cùm inter R.* 16. *de Election.* Intelligendo iſtud de illis, qui ipſo jure hujusmodi cenſuram incurrerunt, ſúntque denunciati, aut notorij percuſſores Clericorum, juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda.* atque ampliùs dicetur infrà *num.* 167. *&* 169. *ac ſeqq.* Inſuper ad electionem vocandi non ſunt Impuberes, qui proinde ſi ad eam non vocentur, nequeunt agere de contemptu, *text. clar. c. Ex eo quod.* 32. *h. t. in* 6. Item, qui necdum ſunt conſtituti in Ordinibus ſacris, *Clem. Ut ijs, qui.* 2. *de Ætat. & qualit. præficiend.* juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 4. *de Reform.* Similiter citari non debent abſentes ex propria culpa; puta, 116

quia,

quia propter delictum, vel quod adhæſerint hoſtibus ſuæ patriæ, vel Eccleſiæ, fuerunt expulſi, & relegati: tales enim perdunt omnia jura propria. *arg. l. Amiſſione. §. Qui deficiunt. ff. de Capitis diminut.* Abbas *in c. Cùm omnes. n. 7.* & Felinus *ibid. n. 22. verſ. Sed utramque. de Conſtitut.* Innocentius *in cap. 2. de Novi operis nunciat.* Bartolus *in l. Cun-*
117 *ctos populos. ff. Secundò quæro, dixi. ff. de Juſtit. & jur.*

Dicitur ulteriùs in relato *num. 115.* textu: *Et volunt -- intereſſe.* Quia eorum Vocalium, qui electioni intereſſe nolunt, ratio habenda non eſt; cùm alienos ab electione ſe feciſſe noſcantur, *c. Cùm nobis. 19. h. t.* junctâ Gloſſâ. *℣. Alienos. & DD. ibid.* Unde tales citari quidem debent, non autem compelli ad intereſſendum, cùm liberè poſſint ſuo juri renunciare: niſi forſitan id exigat utilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ; nam pro intereſſe Eccleſiæ poterunt abſentes compelli, ut veniant, eò quòd commune bonum Eccleſiæ præponderet privato, atque ad illud promovendum vi ſui muneris teneantur Capitulares. Abbas *in c. Quia propter. n. 4. h. t.* Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæſt. 23. art. 6.* Paſſerinus *de Electione. cap. 11. quæſt. 4. n. 28. & 29.* & alij. Ceſſante autem tali periculo Eccleſiæ, Capitularis abſens invitus electioni intereſſe non compellitur. Imò & ille Capitularis abſens, qui ſcit vocationem Eccleſiæ, & diem indictæ electionis, ulteriùs per litteras, aut ſpecialem nuncium, neceſſariò citandus non eſt: tum quia certus non debet ampliùs certiorari, *c. Eum qui certus eſt. 31. de Reg. Jur. in 6.* Tum quia vocatio abſentium non pertinet ad formam electionis, ſed ſolùm ad juſtitiam (ut inquit Fagnanus *in c. Quia propter. n. 38. h. t.*) & ſolemnitatem: ſicque ſuppletur per certam notitiam aliunde acquiſitam; & ſi talis non venerit, cenſetur nolle intereſſe electioni, ſibique imputare debet. Abbas *in c. Eccleſia veſtra. 57. n. 9. h. t.* Paſſerinus *cit. cap. 11. quæſt. 7. n. 66.*
118 & alij.

Tandem dicitur in citato textu. *Et poſſunt commodè intereſſe.* Quia nimium remoti pro electionibus, quibus commodè intereſſe nequeunt, neceſſariò vocandi non ſunt *arg. c. Cùm inter univerſas. 18. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Remoti*, & aliâ Gloſſâ *in can. Factus eſt. 7. q. 1.* Quæ in utroque loco rectè notat, quòd omnes cæteroquin habiles, qui ſunt in Provincia, ad electionem vocandi ſint; cùm illi cenſeâtur præſentes, *c. Coram dilecto 35. h. t. & L. ult. C. de Præſcript. long. temp.* Tamen loquendo de alijs extra Provinciam exiſtentibus, in dijudicanda diſtantia locorum, ut quis pro electione vocandus non ſit, potiùs ſit ſtandum conſuetudini locorum, *arg. c. In Geneſi. 55. h. t.* ubi dicitur, quòd ad electiones faciendas *de toto Regno Franciæ vocentur abſentes de conſuetudine Eccleſiæ Gallicanæ.* Patet enim, quòd in Regno Franciæ dentur plures, & multùm inter ſe diſtantes Provinciæ: ſive dein ſumatur Provincia in ſenſu *can. Scitote. 6. q. 3.* pro territorio Archiepiſcoporum, habentium ſub ſe decem vel undecim Epiſcopos Suffraganeos: ſive pro Diœceſi, ut explicat Barboſa *in c. Coram. 35. n. 2. h. t.* poſt Rotam apud Mantic. *Deciſ. 228.* ſive pro Provincia uſuali, ſcilicet prout homines eam appellant, ut vult Goffredus, relatus à Jo. Andrea in *cit. c. Coram. n. 3. eod.* Nec immeritò circa hoc dicitur ſtandum conſuetudini locorũ: nam, quia conſuetudo poteſt in totum cuipiam deferre jus eligendi, aut eo privare veros Electores, ut *c. Cùm dilectus. 8. de Conſuetud. & c. Cùm Eccleſia. 3. de Cauſa poſſeſſ.* multò fortiùs ea valebit ad declarandum jus eligendi, ubi dubitatur, an iſtud cuipiam ob majorem diſtantiam competat reſpectu futuræ electionis, & vocationis ad eam. Abbas *in d. c. Coram. n. 5. de Elect.*

Verùm ſeclusâ ſpeciali locorum conſuetudine, ac loquendo de rigore Juris communis, ad electionem celebrandam omnes illi vocandi ſunt, qui exiſtunt in Provincia, ſimúlq; commodè vocari poſſunt, per textum *in cit. c. Coram. 35. h. t.* ibi: *Fratribus omnibus, qui fuerint in Provincia, convocatis:* non autem, qui ſunt extra Provinciã, argumento à ſenſu contrario deſumpto ex textu jam allegato, juncto *c. Cùm inter univerſas. 18. h. t.* Súntque tunc abſentes citandi ſingulariter per litteras, vel nuntium, ſi ſciatur ubi degunt, niſi de conſuetudine aliud ſervetur: alioquin verò citatio facienda erit per publicum Edictũ in Eccleſia, vel alio loco, ubi commorari ſolebant, publicè affixum. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 19. n. 90. & 91.* cum alijs. Fatendum tamen, quòd Gloſſa *in d. c. Coram. ℣. In provincia.* & Abbas *ibid. n. 5.* & Barboſa *in Collectan. n. 2.* allegans alios, penſatâ æquitate canonicâ, & Eccleſiarum utilitate, *cit. c. Coram. 35. h. t.* intelligendum eſſe arbitrentur juxta *c. Quia propter. 42. h. t.* ita videlicet, ut non adeò curandum ſit, an aliqui Electores ſint in Provincia, vel extrà; ſed illud potiùs inſpici debeat, an ſint tam propinqui, ut commodè vocari poſſint. Siquidem contingere poteſt, quòd quis exiſtat in alia Provincia, & tamen vicinior ſit Eccleſiæ, de cujus electione agitur, quàm alius, qui quidem eſt in eadẽ Provincia, ſed multùm lata & longa, atq; in finibus ejus conſtitutus, unde cõmodè vocari nõ poſſit.

Et hoc ultimum notanter additur juxta *cit. c. Quia propter. h. t.* Quia, ſi periculum adſit in vocando, ſive in longiori mora ob majorem diſtantiam unius Vocalium, tunc ne ejuſmodi mora ſit damnoſa Eccleſiæ, poſſunt & debent alij ad electionem procedere, cæteris longè diſtantibus non vocatis; prout deſumitur ex *c. Cùm inter univerſas. 18. & c. Quod ſicut. 28. de Elect.* In quo poſteriori loco, loquente de vocandis ad electionem, notabiliter additur clauſula illa: *Si tamen ſine periculo potuerint convocari:* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Sine periculo.* Quale periculum adeſſe cenſeretur, ſi ex diuturniori dilatione electionis, puta ob quorundam abſentiam, immineret periculum ſchiſmatis, ſeditionis, intruſionis, vel abuſûs Laicæ Poteſtatis, aut hujuſmodi gravis mali. Abbas in *c. Coram. n. 3. h. t.* Pirhing *eod. num. 127.* & alij. Atque ob hoc in *cit. c. Quia propter.* notanter additur ly, *Et commodè poſſunt intereſſe.* Ubi Joan. Andreas

dreas *n.* 9. & Abbas *n.* 5. & Barboſa *in Collectan. n.* 12. & Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 6. *concl.* 3. citans unanimem Doctorum, rectè aſſerunt, quod iſtud potiùs intelligendum ſit de commoditate Eccleſiæ, quàm perſonæ: nam commune bonum Eccleſiæ debet prævalere particulari privatorum.

In praxi verò bonus Judex arbitrabitur, quando, & à quo loco vocandi ſint abſentes; qui tamē in non vocando obſervabit conſuetudinē, & in vocando vitandum periculum, ut loquitur Jo. Andreas *cit. n.* 9. poſt Hoſtienſem. Poſtquàm verò per ipsū fuerit concluſum, ac determinatū, qui cōmodè vocari nequeant juxta hactenus dicta, ſine eorum præſentia celebrari poterit electio. Barboſa, & Miranda, *ubi ſuprà*. Et ſi per non vocatos lis moveatur, ad eum Superiorem, cujus eſt electionem confirmare, pertinebit poſteà judicare, num quis abſentium cōmodè potuiſſet, ac debuiſſet vocari, nec ne. Layman *in c. Coram. n.* 2. *h. t.* Porrò, quid ſentiendum de Procuratoribus per Vocales abſentes conſtituendis, nec nō de Vocalibus infirmis, vel ſe abſentantibus, ex profeſſo declarabitur infrà §. *VIII. per totum.*

2 Prædictis tamen adde cum Abbate *in cit. c. Quia propter. n.* 5. & Fagnano *ibid. n.* 40. quòd quidem electio fieri non poſſit, niſi ſint præſentes duæ partes Vocandorum, *arg. l. Nulli, & l. Planè. ff. Quod cujusque univerſit. nom.* ubi non valet actus Univerſitatis, niſi *cùm duæ partes adeſſent, aut ampliùs quàm duæ*: ac proinde, ſi ex duodecim Vocalibus quinque fuiſſent contempti, electio ab alijs ſeptem celebrata non ſolùm eſſet ad illorum contemptorum proſecutionem irritanda, ſed etiam ipſo jure invalida. Nihilominùs in hoc duarum partium numero non ſint computandi, niſi qui debent, & volunt, & poſſunt cōmodè intereſſe. Nam nolentes intereſſe, fecerunt ſe alienos, ſicque non ſunt computandi in numero eorum, quibus competit jus eligendi: idémque dicendum de ijs, qui ob defectum Sacri Ordinis, vel ætatis, aut ob aliud vitium, vocem in electione non habent, aut ob nimiam diſtantiam vocari nequeunt. Gloſſa magna *in Clem. Quod circa. h. t.*

12 Quæritur IV. Qua ratione Scrutatores conſtitui, & coram ipſis Scrutinium fieri debeat?

Reſp. I. Poſtquam Eligentes, ut ſuprà, capitulariter ſunt congregati, oportet, ut per ipſos conſtituantur tres Scrutatores, ſeu *aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi*; ut loquitur Concilium Generale *in ſæpè cit. c. Quia propter. h. t.* relatum. Ex quibus verbis colligitur, quòd ſpectato rigore juris Scrutatores iſti debeant aſſumi per Collegium, ac proinde non ſe ultrò ingerere; alioquin enim redderentur ſuſpecti, ut *l. Quia omnia. §. fin. ff. de Procurat.* Item, quòd tres aſſumi debeant Scrutatores, non plures, vel pauciores. Inſuper, quòd ipſi debeant eſſe viri fide digni: ita videlicet, ut vota ſingulorum fideliter exquirant, & in ſcriptis redacta publicent; taléſq; exiſtant, coram quibus liberè, ac ſecurè, votum ſuum quisque Suffragantium dare valeat. Et tandem, quòd hi ſint aſſumendi de Collegio, & non aliunde, prout ſonat littera.

Et quidem hæc eſſe de ſubſtantia electionis, 122 cenſent multi Doctores; uti videre eſt apud Abbatem, *ubi ſuprà, n.* 13. Fagnanum *loc. cit. num.* 42. *& ſeqq.* & Layman *in d. c. Quia propter. num.* 3. *h. t.* hanc ſententiam appellans cōmunem. Verùm Gloſſa *in d. c. Quia propter. ℣. Sanior. h. t.* cenſet, hæc non ſpectare ad ſubſtantiam electionis: quæ ſententia in praxi teneri poteſt, ubi vel de antiqua conſuetudine receptum fuit, ut extranei, Clerici tamen, aſſumantur in Scrutatores, prout in pluribus Germaniæ Eccleſijs uſu receptū eſſe, teſtatur Pirhing *h. t. n.* 163. Vel ubi ob paucitatem eligentium tres Scrutatores de Collegio haberi nequeunt, puta, quia totum Collegium in tribus, vel duobus conſiſtit. Alioquin verò conſultum non eſt, à verbis adeò claris Concilij generalis, & cōmuni aliorum opinione in conſulendo, practicando, & judicando recedere: ut inquit Fagnanus *loc. cit. num.* 44. poſt Bertrandum *Conſil.* 187. *n.* 1.

Reſp. II. Scrutatores taliter aſſumpti (quos 123 conſultum eſt emittere juramentum de fidelitate, & ſecreto ſervando) tenentur ſecretè, ac ſigillatim, vota ſingulorum exquirere; alioquin electio eſt irrita. Patet hoc ex allegatis verbis Concilij Generalis, & *c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.*

Et quidem *ſecretè* debent exquiri vota ſingu- 124 lorum, non autem publicè, aut in communi: ſive dein Electores vivâ voce dent votum, nominando videlicet illum, quem eligunt, cujus nomen poſteà à Scrutatoribus, vel ſaltem à publico Notario ſcriptis annotetur; prout videtur requirere textus *in cit. c. Quia propter.* & tenet Fagnanus *ibid. n.* 63. *h. t.* ſive ſinguli Electores ſchedulam voto ſuo notatam, & complicatam afferant, ac in vas aliquod, vel Calicem ad ipſum præparatum deponant. Utroque enim modo poſſunt vota dari, cenſentúrque dari ſecretè; eò quòd dentur in ſecreto, ac ſeorſim ab alijs, qui ſunt de Collegio, ſicque liberiùs. Suarez *tom.* 4. *de Religione. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 9. *&* 10. Garcias *part.* 5. *de Beneficijs. c.* 4. *n.* 288 *&* 289. Aſcanius Tamburinus *Tom.* 1. *de Jure Abbatum, diſp.* 5. *cap.* 6. *n.* 10. Barboſa *lib.* 1. *Juris Eccleſ. univerſ. cap.* 19. *n.* 201. Pirhing *h. t. num.* 166. & alij: & concordat conſuetudo, etiam in Curiâ Romanâ approbata, utpote per quam electiones in ſchedulis factæ abſque ulla dubitatione recipiuntur, & confirmantur, etiam ſine clauſula *Supplentes* &c.

Inſuper vota Electorū debent exquiri *ſingilla-* 125 *tim*: ac proinde nō ſunt audiendi bini & bini, ſed unus poſt alterū, ut ſic liberiùs in votando procedere poſſint. Prout in ſimili teſtes, ut eò liberiùs teſtificentur, ſingillatim, ac diligenter examinandi ſunt; alioquin eorū depoſitio non valet, *c. Venerabili.* 52. *& c. Cùm cauſam.* 37. *de Teſtibus.*

His duabus tamen conditionibus non ob- 126 ſtantibus, dum Scrutatores vota exquirunt ſingulorum,

gulorum, benè poſſunt adhiberi teſtes, & publicus Notarius, ad tollendam videlicet omnem ſuſpicionem fraudis, & dandum, ſi opus fuerit, teſtimonium veritati: prout in ſimili etiam teſtes examinari poſſunt in præſentia aliquorum, ut poſſint convinci de falſo, ſi forſan poſteà negare vellent, ſe talia depoſuiſſe. Abbas *cit. n.* 13. Zerola *in Praxi Epiſcopali.* ℣. *Electio, in forma Inſtrumenti Electionis*, & alij. Qamvis rectè notet Greg. Tholoſanus *de Electione, cap.* 16. *n.* 3. quòd nec teſtes, nec publicus Notarius debeat neceſſariò adhiberi, ſed ſine ipſis vota à Scrutatoribus exquiri valeant.

127 Inſuper oportet, ut Scrutatores exquirant *vota cunctorum*: adeò, ut ſi vel unicus ex præſentibus Electoribus præteriretur, ſeu non exquireretur à tribus Scrutatoribus, electio foret nulla. Abbas *loc. cit. num.* 16. & Fagnanus *n.* 49. citans Joan. Andream, & alios. Cæterùm juxta Practicam meliorem, & communiorem, Scrutatores ſcrutantur ſeipſos, & quidem primo loco, ita ut duo ipſorum ſemper ſcrutentur tertium antè Scrutinium aliorum. Abbas *n.* 9. Fagnanus *n.* 50. Zerola, *ubi ſuprà*, & alij.

128 Additur autem in textu allegato, *diligenter exquirant*: interrogando videlicet non ſolùm, in quem Electores velint conſentire (ſi vota dentur vivâ voce) ſed etiam, qua de cauſa, & ob quæ merita, vel qualitates ejus, & quo zelo moveantur ad tale ſubjectum eligendum: alioquin enim non adeò benè poſſet fieri collatio meriti ad meritum, & zeli ad zelum, de qua ſtatim dicetur. Imò alicubi idcircò imponitur juramentum, vel ſaltem Electores à Scrutatoribus adjurantur ſub periculo animæ ſuæ, ut velint eligere eum, quem digniorem, ac Eccleſiæ magis utilem eſſe judicaverint. Notant tamen citati Authores, iſtud non eſſe de ſubſtantia electionis, ſicut de ſubſtantia eſt, ut exquirant.

129 Sequitur in textu, *Et in ſcriptis redacta, mox publicent in communi.* Quibus verbis contineri duo ſubſtantialia electionis, tenet Gloſſa *ibid.* ℣. *Sanior.* & ſequuntur Authores præcitati, aliique communiter. Et quidem ſcriptura requiritur, ut per eam eò magis conſtare poſſit de conſenſu ſingulorũ, quæ proinde impræſentiarum eſt de ſubſtantia actûs: quamvis ſufficiat, ſive per ipſos Scrutatores (quod magis videtur eſſe de mente textûs) ſive per publicum Notarium vota illa in ſcriptis redigantur, eò quòd textus loquatur indiſtinctè, ut inquit Abbas *loc. cit. n.* 9 poſt Gloſſam *ubi ſuprà.* ℣. *Redacta.* & Fagnanus *num.* 53. citans alios. Quomodo autem mox poſt vota in ſcriptis redacta eorum publicatio in communi, ſive publicatio Scrutinij fieri debeat, commodiùs dicetur infrà. §. 12. *n.* 285. *&* 286.

130 Quæritur V. An, & quomodo poſt publicatum Scrutinium, teneantur Scrutatores procedere ad collationem votorum? Reſp. I. Certum eſt, atque unum ex ſubſtantialibus electionis, quòd Scrutatores poſt publicatum Scrutinium ſtatim, atque nullo actu contrario intermedio, nullóque prorſus appellationis obſtaculo interjecto, debeant procedere ad faciendam collationem votorum. Ita textus *in cit. c. Quia propter. h. t.* & Gloſſa *ibidem.* ℣. *Sanior.* & Abbas *n.* 16. Fagnanus *n.* 57. *&* 58. & alij.

Et hoc adeò verum eſt, ut ſi Scrutatores de induſtria, & in fraudem Canonis moram trahere, & collationem votorum, ipſámque electionem communem (de qua §. 12. *n.* 284. *& ſeqq.*) differre conentur, ut ſic ipſa, tanquam non facta incontinenti, ſed primùm poſt intervallum, declaretur irrita: poſſit ſive Electus, ſive quicunque alius ex Capitulo implorare officium Superioris (ſive Præſidis in Capitulo, ut explicat Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. cap.* 23. *art.* 25. aut ejus, ad quem cæteroquin ſpectat confirmatio electionis, ut poſt Jo. Andream, & alios, innuit Abbas *in c. Publicato.* 58. *n. fin. h. t.*) qui dictos Scrutatores compellat ad faciendam ejuſmodi collationem, & electionem, juxta *d. c. Publicato.* 58. *h. t.* Atque in hoc caſu valebit electio, quamvis non fiat incontinenti: quia fraus, & dolus eorum non debet obeſſe nominato, ut inquit Gloſſa *fin. ibid.* præſertim poſt imploratum incontinenti officium judicis.

131 Reſp. II. Collatio illa votorum, poſt publicatũ Scrutinium à Scrutatoribus facienda, non tantùm debet eſſe numeri ad numerũ, ſed etiam zeli ad zelum, & meriti ad meritum: alioquin electio non valet. Ita cõmunis; & patet *ex d. c. Quia propter. h. t.* ubi in collatione habita ſtatuitur eligendus is, *in quem major & ſanior pars Capituli conſentit*: nam major ſanioritas Capituli ex collatione zeli ad zelum, & meriti ad meritum, vel maximè dignoſcitur. Accedit textus apertus *in c. In Geneſi.* 55. *& c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.* ubi non ob factam collationem zeli ad zelum, & meriti ad meritum, irrita decernitur electio, utpote attentata contra formam Concilij Generalis jam allegati. Et hoc præcipuè procedit, quando in diſcordia plures ſunt electi: alioquin id patitur limitationes *Concl. ſeq.* aſſerendas.

132 Cæterùm *Collatio numeri ad numerum* fit attendendo, quis Electorum plura vota, & quidem valida, in ſui favorem obtinuerit. *Collatio zeli ad zelum* fit conſiderando animum ſeu intentionem Eligentium, ex quo videlicet motivo ducantur ad hunc eligendum: putâ, an eligant ſine carnali amore, nec ad gratiam hominum captandam, neque ſpe lucri, aut emolumenti cujuſpiam temporalis; ſed ſolùm ſecundùm meritum vitæ Eligendorum, & ad majorem Eccleſiæ utilitatem, *arg. can. Si ergo.* 8. *q.* 1. ac notat Gloſſa *cit. c. Eccleſia veſtra.* 57. ℣. *Non conſenſerit. h. t.* Huc etiam juvant authoritas, dignitas, prudentia, vitæque integritas Electorum, quæ verum ipſorum zelum cæteris paribus non parum commendant: quamvis hoc poſterius locum non habeat, ſi vota dentur in ſchedulis, & non oretenùs; cùm conſtare Scrutatoribus tunc non poſſit, quis hunc vel illum elegerit; ac proinde alicubi Electores, ad conteſtandum ſuum zelum, ſolent præmittere juramentum de eligendo eo, quem ſpectatis omnibus digniorem,

rem, & Eccleſiæ utiliorem eſſe judicaverint. Tandem *Collatio meriti ad meritum* fit ſpectando in Electis majora ipſorum merita, quando plures ſunt electi in diſcordia.

13 Reſp. III. Si verò contingat fieri electionem unanimem, ita ut omnes in eundem concordent; tunc ceſſat collatio numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum (non enim apparet alius Coelectus, cum quo inſtituatur talis collatio) licèt fieri debeat collatio numeri, zeli, & meriti; conſiderando videlicet tùm numerum votorum, & an omnes præſentes habuerint vocem activam; tum etiam, an elegerint ex zelo bono, & non per preces illicitas, pacta Simoniaca, & hujuſmodi; ſimúlque, an ipſemet Electus polleat meritis, ſitque idoneus ad talem Dignitatem. Ita Abbas *in cit. c. Quia propter. n. 10.* & ibi Barboſa *n. 17. h. t.* citans Franciſc. Marcum *Deciſ. 924. ante num. 6. lib. 1.* Paſſerinus *cap. 19. de Electione. n. 9.* Sylveſter *v. Electio. II. verſ. 11.* & alij. Idq; clare deſumitur *ex c. Si quando. 9. h. t. in 6.*

3 Et hoc ipſum procedit in caſu, quo quis à duplo majori parte Capituli electus fuit: nam etiam tunc numerus adeò excedens præfertur authoritati, & præſumitur ibi major zelus; ac proinde ſufficit ſola collatio numeri, zeli, & meriti. Ita Abbas *loc. cit.* & alij. Nam allegatum *c. Si quando. h. t. in 6.* expreſse loquitur de hoc caſu, decernens, quòd contra Electum à duplo majori parte, vel contra Electores ipſius, nihil à reliqua parte poſſit opponi, quod votum extenuet, objiciendo v. g. quòd ſit datum ab illiterato, vel exiſtente in minori Dignitate &c. Quamvis benè poſſit opponi, quod votum penitùs annullat, ſive ipſo jure nullum reddit, ut puta oſtendendo, quòd votum fuerit datum à non habente jus eligendi, aut electio celebrata ab excommunicatis, vel in ipſa non ſit ſervata forma ſubſtantialis, aut quid ſimile.

Reſp. IV. Inſuper in electionibus Regularium non alia collatio fieri ſolet, quàm numeri ad numerum. Ita Paſſerinus *loc. cit. n. 7.* Pirhing *h. t. n. 184.* & alij. Ratio eſt: quia, cùm Religioſi omnia ſua pro Chriſto reliquerint, hinc ob perſpectam eorum probitatem, vitámque religioſam dubitare non licet, quin ipſi bono zelo, & ex conſideratione meritorum ipſius Eligendi, proceſſerint ad talem electionem faciendam. Unde ſi aliunde non conſtet de indignitate Nominati in Scrutinio, ea quoad Regulares electio valebit, *quæ à majori parte Capituli numero (nullâ zeli, vel meriti collatione, vel conſideratione habitâ) fuerit celebrata;* prout de electionibus Miniſtrorum Provincialium FF. Minorum, ſpecialiter ſtatuitur *in Clem. Exivi. §. Demum. de Verb. ſignif.* 136

Addunt pleriq; recentiores Authores aliam hujus Concluſionis rationem: quia videlicet poſt Concilium Trid. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regularibus,* horum electio debet fieri per vota ſecreta, ſicq; conſtare nequit Scrutatoribus, quis eorùm à ſaniori parte fuerit electus. Sed hæc ratio de induſtria tacetur: nam electio Regularium, ac præſertim Abbatiſſarum, poteſt etiam fieri oretenùs, ac vivâ voce, ut proinde Scrutatores ſcire valeant, quis huic vel illi votum dederit, ut infrà *§. 14. num 333.* dicetur: ſicque hæc ratio generaliter non procedit. 137

§. VI.

De Electione facienda à majori & ſaniori parte Capituli, vel in concurſu Poſtulationis.

SUMMARIUM.

138. *Major pars Capituli, quæ?*
139. *Ad hanc ſufficit exceſſus unius medij voti ultra medietatem.*
140. *Non tamen computantur vota ſingularia data extra Collegium; & cur?*
141. *Electio à minori parte Capituli celebrata, non poteſt ratificari per ſubſequentem conſenſum aliorum.*
142. *Sanior pars Capituli, quæ?*
143. *Major pars numero, præſumitur etiam ſanior.*
144. *Sed contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium.*
145. *Ad electionem validam requiritur, ut ſit facta ſimul à majori, & ſaniori parte Capituli.*
146. *Unde non valet electio celebrata à ſaniori parte Capituli, niſi ea etiam ſit major.*
147. *Nec econtra.*
148. *Quid juris, quando numerus, vel ſanioritas multùm excedit, vel parùm duntaxat.*
149. *Electio Summi Pontificis debet fieri à duabus partibus Cardinalium.*
150. *Abbatiſſa, an ſit eligenda à duabus partibus Monialium?*
151. *De conſuetudine valet alicubi electio, celebrata per majora vota comparatione partis minoris.*
152. *Alij caſus, in quibus valet electio à minori parte Capituli celebrata. Remiſſivè.*
153. *Quot vota ſufficiant ad valorem electionis, quando hæc concurrit cum Poſtulatione. Et num. ſeqq.*
154. *Valet tunc electio à minori parte celebrata, dummodo hæc ſuperet unam tertiam omnium ſuffragantium.*
Idq; noviſſimè obſervatum eſt, in facti contingentia. Ibid.
155. *Atque probatur* ex c. Scriptum eſt. h. t.
156. *Alia ratio, cur tunc præferatur electio poſtulationi.*
Et ſolvuntur contraria. Ibid.
157. *Decretalis* Scriptum eſt. h. t. *continet Jus commune.*
158. *Explicatur clauſula ejus:* Si partes conſenſerint.

138 Quæritur I. Quænam cenſeatur major pars Capituli? Reſp. I. *Major pars* Capituli cenſetur ea, ubi eſt major numerus eligentium reſpectu totius Capituli præſentis. Et notanter additur, *reſpectu totius Capituli præſentis*: Tum quia abſentium, canonicè citatorum, non eſt ratio habenda, cùm ipſi ſeſe alienos reddiderint, *c. Cùm nobis.* 19. *h. t.* Tum quia de Jure non ſufficit habere majora, ſeu plura vota comparatione alterius minoris partis, *text. clar. c. Eccleſia veſtra.* 48. *h. t.* ſed requiruntur majora vota reſpectu totius Capituli; ita, ut ſi ſint duodecim Vocales, requirantur ſaltem ſeptem vota *c. Cumana.* 50. *h. t. & c. Si cui.* 23. *eod. in* 6.

139 Sufficit autem quicunque exceſſus ultra medietatem, etſi foret unius medij voti, v. g. ſi eſſent tredecim Vocales, ſeptem vota jam ſufficerent. Cùm enim Jura loquantur indiſtinctè, quòd valeat electio facta à majori parte Capituli, & nullibi addant, debere eſſe exceſſum unius integri voti; ergo ſufficit qualiſcunque exceſſus: nam ubi Jura non diſtinguunt, neque nos debemus diſtinguere. Abbas *c. Cumana. n.* 9 *h. t.* Card. de Luca *tom.* 1. *Diſcurſ.* 1. *de Parochis. n.* 18. Bernardus Sannig *h. t. cap.* 4. *n.* 9. Paſſerinus *cap.* 19. *de Elect. n.* 18. citans alios. Et hinc Statuta Generalia FF. Minorum *cap.* 8. *§.* 2. *n.* 1. providè determinant, quòd in electionibus Ordinis majorem partem quilibet exceſſus facit; ut, ſi vota novem ſint, quinq; majorē partem conſtituant.

140 Solummodò notandum eſt, quòd vota ſingularia data extra Collegium, ſeu quando Vocales ſtatuta die non comparentes, poſteà primùm per actus ſingulares cuipiam adhærent, non numerentur in electionibus, nec iſtorum habenda ſit ratio in ordine ad colligendam majoritatem votorum: quia in actibus Capitularibus, ſive qui gerendi ſunt à pluribus tanquam conſtituentibus unum, & corpus politicum, vota ſunt præſtanda collegialiter, non ſingulariter, aut extrà Capitulum. Card. de Luca *Tom.* 1. *de Jurepatronat. Diſcurſ.* 61. *n.* 22. *& de Regularibus, Diſcurſ.* 53. *n* 6.

141 Inſuper notandum, quòd electio à minori parte Capituli celebrata, non ſolùm invalida ſit, ſed inſuper per ſubſequentem conſenſum aliorum ratificari non poſſit; prout habetur *c. Auditis.* 29. *h. t.* Tum quia *ex poſt facto nequit convaleſcere, quod ab initio* ipſo jure *non valebat*; ut loquitur textus ibidem. Tum quia electio debet fieri in communi, & ſic collegialiter, non autem ſingulariter; ac proinde conſenſus particularis quorundam ratificantium, non poteſt validare electionem nullam, prout argumentatur Abbas *in cit. c. Auditis. n.* 11.

142 Reſp. II. Illa pars Capituli cenſetur ſanior, quæ eſt juſtior, & majori ratione nititur & authoritate, juxta Gloſſam *c. in Geneſi.* 55. *℣. Ad zelum. h. t.* Sive, ut alij explicant, *Pars ſanior Capituli* dicitur, quæ conſtat viris dignitate, ætate, ac tempore officij, nec non & prudentiâ, pietatéque magìs conſpicuis: nam præcellentes in prædictis habent voces ponderoſas, ut loquitur Abbas *c. Eccleſia veſtra* 57. *n.* 11. *h. t.*

Cæterùm in dubio major pars numero, præſumitur etiam ſanior, juxta *cit. c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.* ibi: *Cùm ubi major numerus eſt, zelus melior præſumatur*, cum ſimilibus; & cum communi notat Fagnanus *c. Cùm in cunctis. n.* 4. *De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Unde præſumptio militat pro habente plura vota, quæ eo ipſo, quòd ſint plura, etiam ſaniora eſſe, atque reſpectum ad digniorem habuiſſe cenſentur, niſi conſtet de oppoſito.

Et notanter hoc additur. Tum quia, quando per legitimas probationes, aut aliunde conſtat de contrario, oportet, ut præſumptio cedat veritati, *l. Imperatores. ff. de Probation.* Tum quia contra dictam præſumptionem admittitur probatio in contrarium, prout accidit *in cit. c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 4. Quamvis eò fortior ſit præfata præſumptio, donec contrarium probetur, quò major eſt eligentium numerus, magiſque ultra medietatem excedens, *arg. c. Dudum.* 22. *h. t.* ac notat Layman *ibid. n.* 3.

Quæritur II. Utrùm ad electionem validam requiratur, ut ſit facta ſimul à majori, & ſaniori parte Capituli? Reſp. affirmativè; adeò, ut neceſſe ſit, electionem eſſe factam copulativè & à majori, & à ſaniori parte Capituli. Ita communis; atque deſumitur ex ſæpe *cit. c. Quia propter. h. t.* ibi: *In quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit.* Nam generale eſt, quòd in Univerſitatibus Eccleſiaſticis non valeat, niſi quod geſtum eſt ſimul & à majori, & à ſaniori parte Capituli; ut *cap. 1. De his, quæ fiunt à majori part. Capit.* cum concordantijs.

Hinc, quòd electio à ſaniori parte Capituli celebrata non valeat, niſi ea etiam ſit major; habetur deciſum *in c. Cumana.* 50. *h. t.* & notat ibidem communis Doctorum. Dummodò tamen major pars non elegerit ſcienter indignū: alioquin enim ipſa pro unâ vice privata exiſteret jure eligendi, ſicque valida foret electio de digno à ſaniori, licèt minori parte celebrata, etiam ex eodem Scrutinio, juxta *c. Congregato.* 53. *h. t.*

Ulteriùs, quòd ad validitatem electionis non ſufficiat, ut quis eligatur à majori parte Capituli, niſi ea etiam ſit ſanior, patet *ex d. c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.* & notant ibidem DD. paſſim. Requiruntur enim iſta duo conjunctim, ſeu copulativè.

Solùm adde notabilem diſtinctionem, quam circa hoc ponit Abbas *ad cit. c. Eccleſia veſtra. n.* 13. poſt Jo. Andream, & inter alios ſequitur Layman *c. Si quando.* 9. *h. t. in* 6. Quia (inquiunt) aut in tali caſu numerus multùm excedit, ſimúlque Electus abſolutè eſt idoneus: & tunc præfertur numerus authoritati, zelo, ac merito, *arg. d. c. Si quando. h. t. in* 6. Aut numerus non multùm excedit; & tunc rurſus oportet ſubdiſtinguere. Vel enim ſanioritas, ſive authoritas, zelus ac meritum alterius partis, etiam

non

non multùm excedit: & tunc iterum præfertur major numerus, ac de illo modico exceſſu authoritatis, & ſanioritatis non eſt curandum, *arg. c. Etſi quæſtiones.* 18. *de Simon.* præſertim, ne propter tam modicum exceſſum recedatur à generali regula, quòd geſta per majorem partem Capituli valeant, *cap.* 1. *De ijs, quæ fiunt à major. part. Capit.* Vel ſanioritas multùm excedit: & tunc electio majoris partis non eſt confirmanda, ſed caſſanda, eò quòd non fuerit facta ſimul à majori & ſaniori parte; ut *cit. c. Eccleſia veſtra.* §. *Nos ergo. h. t.* Nec etiam confirmari debet electio ſanioris partis, juxta dicta *num.* 146. ac tenet communior Doctorum, quidquid contradicat Gloſſa *fin. in cit. c. Eccleſia veſtra.* Sed oportet devenire ad novam electionem: cùm major pars eligentium non amiſerit jus eligendi per id, quòd altera pars ſit ſanior: quia elegit perſonam de ſe idoneam & habilem, non autem ſcienter aliquam indignam.

4 Quæritur III. An in omni prorſus electione requirantur, & ſufficiant vota majora? Reſp. I. In electione Summi Pontificis reperitur quid ſpeciale: nam illa non valet, niſi fiat à duabus partibus Cardinalium præſentium, *c. Licèt. 6. h. t.* Ratio hujus ſpecialitatis ibidem redditur: quia in electionibus inferiorum, ſi *quod dubium venerit, Superioris poterit judicio definiri: in Romana verò Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non poterit ad Superiorem recurſus haberi.* Hæc ibi. Concordat Bulla Gregorij XV. *Æterni Patris.* (ac refertur *Tom.* 3. *Bullarij Romani. Conſtit.* 13. dicti Pontificis) in qua etiam ʃ. 2, expreſsè cavetur, quòd in duabus tertijs partibus ſuffragium Electi non numeretur, nec quisquam ſuffragium ſibi ipſi dare poſſit; quamvis perſona Electi in numerum Cardinalium præſentium computari debeat. Idem habetur in Cæremoniali Electionis Summi Pontificis, relato in *cit. Tom.* 3. *Bullarij Romani*, & approbato per dictum Pontificem, *Conſtit.* 19. quæ incipit: *Decet Romanum.*

5 Reſp. II. Abbatiſſam quoque eligendam eſſe à duabus partibus Monialium Vocalium, docent nonnulli Doctores, qui id deſumunt *ex c. Indemnitatibus.* §. *Sanè. h. t. in* 6. Sed oppoſitum eſſe verum, atque à Rota *coram Duran.* 232. *n.* 3. deciſum, refert Barboſa *in Collectaneis ad Concilium Trident. Seſſ.* 25. *cap.* 7. *de Regular. n.* 6. Idémque veluti certum, atque manifeſtum, tenet Miranda *in Manual. Prælat. tract. de Monialibus. quæſt.* 7. Eman. Rodericus *Tom.* 2. *Quæſt. Regular. q.* 55. *art.* 4. & in caſu notabili reſolvit Navarrus *Conſil.* 5. *de Election. n.* 1. Ratio eſt: quia præter alia Jura, quibus docetur, quòd ad validitatem cujuslibet electionis ſufficiat habere majorem partem votorum Capituli, in ſpecie etiam valere electionem Abbatiſſæ à majori parte factam, traditur *in cit. c. Indemnitatibus.* §. *Si verò ad illam.* Et quod ibidem præmittitur de duabus partibus, procedit ad effectum, ut taliter electa poſſit confirmari omni appellatione remotâ: non autem vult, quòd ad validitatem talis electionis requirantur vota duplo majora; prout rectè notant allegati Authores, ac liquet attentiùs textum ponderantibus.

Reſp. III. Inſuper in nonnullis Eccleſijs, ſive locis, prædictus rigor Juris Communis, requirentis ad valorem electionis majora vota reſpectu totius Capituli præſentis, non obſervatur; ſed per longævam conſuetudinem contrariam ibidem ſufficit ad validitatem electionis, habere majora vota comparatione partis minoris. Ita notat Zypæus *in Analitica Juris Pontificij, lib.* 3. *tit. De his, quæ fiunt à maj. part. Capit.* quem refert Engel *h. t. n.* 37. Verùm, licèt conſuetudo contra jus, concurrentibus cæteris requiſitis, valere poſſit; nihilominus, cùm ipſa conſiſtat in facto, ejus probatio, quæ cæteroquin ſolet eſſe difficilis, in facti contingentia incumbit affirmanti. 151

Tacetur caſus ille, quando major pars ſcienter elegit indignum: nam etiam tunc fallit allata regula, & valida eſt electio digni facta à parte minori, ut ampliùs declarabitur infrà *num.* 251. & 260. Eademque regula quandam patitur limitationem tunc, quando electio concurrit cum poſtulatione, ita ut una pars Capitularium eligat certam perſonam, altera verò poſtulet aliam perſonam: ad cujus clariorem declarationem, 152

Quæritur IV. Qualis numerus votorum, ſeu ſuffragiorum Capitularium, ſufficiat ad valorem electionis, quando hæc concurrit cum poſtulatione? Reſp. I. Si in concurſu electionis cum poſtulatione numerus Poſtulantium eſt duplo major, ipſéque Poſtulatus exiſtit idoneus, tunc rejectâ electione admittitur poſtulatio. Textus eſt *in c. Scriptum eſt.* §. *Et ſi partes.* 40. *h. t.* juncto Summario, & DD. ibidem. Ratio eſt, quia, licèt poſtulatio innitatur gratiæ, *c. Bonæ memoriæ.* 3. *de Poſtulat. Prælat.* ac proinde etiam in hoc caſu Superior poſſit eam reijcere, ſi non velit diſpenſativè gratiam facere, ut inquit Abbas *in cit. c. Scriptum eſt. n.* 14. Nihilominus, cùm in duabus partibus potentia Capitularis, ſeu Univerſitatis conſiſtat, *arg. l. Nulli. & l. Planè. ff. Quod cujusque univerſit. nomin.* meritò tunc admittitur poſtulatio perſonæ cæteroquin idoneæ, rejectâ electione, utpote quæ deſtituta eſt tali potentiâ Capitulari. 153

Reſp. II. Quòd ſi verò in concurſu electionis cum poſtulatione numerus Poſtulantium non ſit duplo major, tunc rejectâ poſtulatione electio ab alia parte, quamvis minori, celebrata valet, & confirmari debet, dummodò hæc pars Eligentium ſuperet unam tertiam omnium ſuffragantium, ſaltem per unicum votum, ſimúlque electus ſit idoneus. Ita Innocentius, & poſt ipſum Abbas *in d. c. Scriptum eſt. n.* 13. & 14. *h. t.* ac Barboſa *ibid. n.* 1. Hoſtienſis *in Summa, de Poſtulat. Prælat. n.* 13. §. *fin.* & alij; fuitq; noviſſimè obſervatum in Electione Colonienſi 1688. celebrata, in qua, cùm Sereniſſimus & Reverendiſſimus Princeps, ac DD. Joſephus Clemens, è Ducibus Bavariæ Epiſcopus Friſingenſis, & Ratisbonenſis &c. &c. (obtento priùs eligibili- 154

tatis

tatis ſuæ Indulto Apoſtolico) ex convenientibus viginti quatuor Capitularibus, per novem vota electus fuiſſet in Archiepiſcopum Colonienſem: ejusdem Electio per Sedem Apoſtolicam confirmata fuit ſub die 20. Septembris, dicto Anno 1688. haud obſtante concurſu poſtulationis, per quam F. Epiſcopus Argentinenſis, tredecim votis (nam reſidua duo vota diſperſa erant) ad memoratum Archiepiſcopatum poſtulatus fuiſſet, quæque poſt non modicam deſuper agitatam controverſiam per Sedem præfatam fuit repulſa.

155 Concluſio hæc fundatur *in cit. c. Scriptum eſt. 40. h. t.* ubi in concurſu poſtulationis cum electione, Pontifex ſic procedendum eſſe decrevit. Primò, ut rejectâ electione admittatur poſtulatio, ſi Poſtulantium numerus duplo fuerit major (ut puta; ſi ex 30. Capitularibus 20. poſtulârint, ſicque 10. ſolummodò ſtent pro electione, prout explicat Abbas *ibid. n. 7.*) dummodò Poſtulatus idoneus exiſtat. Deinde *§. Quòd ſi,* illicò ſtatuit, oppoſitum eſſe obſervandum, quando Poſtulantium numerus non reperiretur duplo major, ſicque Eligentes excederent unam tertiam ſaltem per votum, illis verbis: *Quòd ſi ad faciendum duplo majorem numerum, ſimul omnes prædicti* (Poſtulantes) *minimè ſufficerent: ſive dignus, ſive indignus fuerit Poſtulatus, tu poſtulatione repulsâ, electionem Plebani authoritate noſtrâ confirmes.* Hæc Pontifex.

156 Nec obſtat *c. Quia propter. h. t.* ubi Concilium Generale ſtatuit, invalidam eſſe electionem, quæ non eſt facta à majori & ſaniori parte Capituli: juncto *cap. 1. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* cum concordantijs. Reſp. enim, iſta procedere regulariter, pati tamen limitationem in caſu iſto ſpeciali, quo electio concurrit cum poſtulatione, ſimúlque ea facta eſt à majori parte, quàm una tertia: quia tunc regula illa non procedit, ut inquit Innocentius, atque deſumitur ex allegato textu Juris ſatis aperto. Et ratio ſpecialitatis eſſe videtur, quam affert Abbas *loc. cit. n. 14. ℣. Secundus caſus*: tum quia non datis duabus partibus Poſtulantium, non reperitur ibi potentia Capitularis, ſed aliquid de ea reperitur ex parte Eligentium per vota unam tertiam excedentia. Tum quia poſtulatio eſt via extraordinaria, & ſemper circa perſonam de jure inhabilem, & diſpenſatione gratioſè impertiendâ indigentem: electio autem eſt via ordinaria, & per quam Eccleſiæ providetur modo, quo fieri poteſt meliori, conſentiendo videlicet in Electum tanquam in ſponſum, qui etiam de jure habilis eſt, nullâque indigens diſpenſatione ad eam acceptandam. Unde non mirum, quòd in tali caſu, ob favorem etiam ipſarum Eccleſiarum, ne ſcilicet diutiùs maneant viduatæ Paſtore, Jura ſtatuerint, ut præferatur electio ab Eligentibus ultra unam ſaltem tertiam celebrata, dum cæteri infra duas tertias arripuerunt viam extraordinariam poſtulationis, atque in ea perſiſtunt.

Neque ulteriùs obſtat doctrina Gloſſæ *in cit. c. Scriptum eſt, ℣. Confirmes.* Paſſerini *cap. 24. de Electione n. 58.* & quorundam aliorum, qui aſſerunt, ſæpè citatam Decretalem non continere Jus commune; ſed fuiſſe ſpecialem proviſionem de conſenſu partium olim factam, eò quòd utraque pars tunc juri ſuo renunciaverit, & tam electionem, quàm poſtulationem, Superioris arbitrio ſubmiſerit; uti colligitur (inquiunt) ex verbis ibidem præcedentibus: *Si partes conſenſerint.* Nam contra eſt: quia ut argumentatur Abbas *loc. cit. n. 13.* Compilatio Juris Canonici facta fuit *reſecatis ſuperfluis*, prout loquitur Pontifex *in Proœmio ad quinque Libros Decretalium*: ſed ſi dictum Capitulum non contineret Jus commune, atque obſervandum in alijs ſimilibus caſibus, id non verificaretur, quinimò totum hoc Capitulum, utpote pro illo ſpeciali caſu duntaxat providens, foret ſuperfluum; ergo. Et hinc (ſubjungit Abbas) Doctores ſequuntur dictum Innocentij, ut hæc Decretalis contineat Jus hodie obſervandum in ſimilibus caſibus. 157

Nec urget clauſula illa, *ſi partes conſenſerint.* 158
Hæc quippe verba neutiquam probant Gloſſæ intentionem, ſed referuntur ſolùm ad deciſionem, ſeu diffinitionem cauſæ, quam Pontifex non abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione conſenſûs partium demandaverat Maximo Notario ſuo (hoc eſt, Proto-Notario) ad quem Decretalis illa dirigebatur; duo quippe eidem Papa injunxerat, unum abſolutè, ut videlicet diligentiſſimè inquireret de meritis Electi, & Poſtulati, atque toto electionis ſeu poſtulationis proceſſu; & hæc erat prima pars commiſſionis: alterum conditionatè, ut nempe poſt acceptam ſufficientem de omnibus informationem, ac præſertim, an conſtaret de mutuo conveniſſe conſenſu, quòd ad electionem admitterentur ſeptem Præpoſiti, & quidam alij extranei (nam hoc factum eſſe, una pars affirmabat, altera negabat) ipſemet ad cauſæ illius deciſionem procederet, ſententiámque ferret juxta formam ibidem ſibi præſcriptam, ſi tamen partes conſenſerint, videlicet in ipſum ut Judicem, prout ibidem explicat Layman *in Caſu*: ſive, ut is veluti Commiſſarius, ac Judex delegatus Papæ, poſſet procedere in deciſione cauſæ, ac ſententiam diffinitivam proferre, ut inquit Abbas *ibid. in Caſu.* Ad hoc quippe Pontifex requiſivit conſenſum partium: & ſi hæ noluiſſent conſentire in deciſionem cauſæ à Maximo Proto-Notario faciendam, hic poſt peractam inquiſitionem, ut ſuprà, debuiſſet totam cauſam ſufficienter inſtructam remittere ad Sedem Apoſtolicam, ejusdem judicio poſteà decidendam; prout in ſimili contigiſſe *in c. Dudum. 22. h. t.* refert ibidem Gloſſa *in Caſu.* Ac per hoc corruit totum fundamentum ſententiæ oppoſitæ.

§. VII.

§. VII.
De illis, qui eligere poſſunt, vel non poſſunt.

SUMMARIUM.

159. *Jus eligendi, ſeu electio Prælatorum, pertinet ad Capitulum &c.*
160. *Poteſt privilegio, aut conſuetudine, Clericis extraneis acquiri.*
161. *Imò & per Electores ipſis communicari.*
162. *Sed ad hoc requiritur unanimis omnium Capitularium conſenſus.*
163. *Et quòd jus eligendi conveniat Electoribus vi Collegij.*
164. *Inhabiles ad eligendum, ſunt alij à natura, alij à lege.*
165. *A natura probibentur eligere Pupilli, vel Impuberes.*
166. *Et furioſi, ac mente capti.*
167. *A lege, ſeu Canone prohibentur eligere. I. Excommunicati excommunicatione majori.*
168. *Num vitietur electio, ſi unus excommunicatus eligat cum alijs? Et num.* 171.
169. *Quid de hoc dicendum poſt Extravag.* Ad evitanda?
170. *II. Suſpenſi prohibentur eligere, ac*
171. *III. Perſonaliter interdicti; & qui?* *Electio ab inhabili celebrata, an ſit valida? Ibid.*
172. *IV. Irregulares.*
173. *V. Infames infamiâ juris.*
174. *VI. Qui non ſunt Clerici, nec Religioſi, ſed Laici.*
175. *Solvitur inſtantia* ex c. Querelam. h. t.
176. *VII. Qui non ſunt præſentes capitulariter.*
177. *VIII. Vel non conſtituti in Ordine ſacro.*
178. *Et quid de Regularibus?*
179. *IX. Item privati voce activâ.*
180. *Alij caſus. Remiſſivè.*

159 QUæritur I. Ad quem pertineat electio Prælatorum? Reſp. I. Jus eligendi, ſive electio Prælatorum de Jure communi ſpectat ad Capitulum, Collegium, ſive Communitatem, cujus Prælatus eſt eligendus. Ita Hoſtienſis *in c. Cùm Eccleſia Vulterana. n. 9.* & ibi Abbas *n. 8.* & Fagnanus *n. 39. de Election.* aliique communiter. Idque patet *ex cap. 1. & c. Cùm terra. 14. h. t.* juncto *can. ult. 16. q. 7.* cum ſimilibus. Quamquàm hodie per Regulas Cancellariæ, & alias Ordinationes, hæc poteſtas non nihil ſit coarctata, & proviſio Eccleſiarum Summo Pontifici reſervata.

160 Reſp. II. Etſi directè: ac per ſe primò, jus eligendi Prælatum ſpectato Jure communi pertineat ad Capitulum, ſeu Communitatem, ut dictum: poteſt tamen jus eligendi acquiri Clericis extraneis tum ex privilegio Papali, tum ex conſuetudine legitime præſcripta. Ita comunis; & deſumitur quoad utramque partem *ex c. Cùm dilectus. 8. de Conſuetud. & c. Cumana. 50. h. t* ac notat Gloſſa *hîc ℣. Abbatibus. & ℣. Conſuetudine.* Nam, quòd Summus Pontifex tale privilegium concedere valeat, extra controverſiam eſt: per conſuetudinem verò poſſe derogari Juri communi, aliundè liquet.

161 Reſp. III. Inſuper poſſunt Electores unanimi conſenſu facultatem eligendi, ſive ſecum coëligendi, Clericis extraneis communicare. Ita liquet *ex c. Scriptum eſt. 40. h. t.* ubi ad electionem Patriarchæ Conſtantinopolitani de mutuo Canonicorum conſenſu fuerunt admiſſi ſeptem Præpoſiti, & quidam alij Clerici extranei. Accedit ratio: quia poſſunt Electores totam poteſtatem eligendi transferre in Compromiſſarios, etiam extraneos; ut *c. Cauſam quæ. 8. & c. In cauſis, 30. & c. Quia propter. §. Vel ſaltem. 42. h. t.* Ergo multò magis poſſunt communicare poteſtatem aliquibus Clericis idoneis, ut ſecum eligant.

162 Additur notanter, *unanimi conſenſu.* Nam ad hoc, ut Clericis extraneis poſſit communicari jus eligendi, requiritur conſenſus omnium Capitularium: adeò, ut uno diſcrepante non poſſit admitti extraneus ad jus coëligendi, cùm ex hoc diminuatur poteſtas cujusque, ſicque illud interſit ſingulorum; prout in ſimili dictum eſt ſuprà *n. 71.* de Compromiſſo. Atque pro hoc facit textus *in cit. c. Scriptum eſt*, ibi: *De mutuo conveniſſe conſenſu, quòd ad electionem admitterentur Præpoſiti &c.* ac notat Abbas *n. 3.* poſt Compoſtellanum. Navarrus *Conſil. 2. de Conſuetud. n. 3.* allegans pro hac ſententia Gloſſam comuniter receptam *in c. Quia propter. ℣. Vice omnium.*

163 Deinde Paſſerinus *cap. 3. de Election. num. 34. & ſeqq.* quoad propoſitum notabilem affert limitationem. Vel enim (inquit) jus eligendi convenit Electoribus ex Collegio ipſo, uti convenit Canonicis: & in hoc caſu poteſt ſuſtineri, quòd Collegium poſſit admittere extraneum; quia tunc Collegium eſt, quod Vocales inſtituit. Vel jus eligendi nulli convenit niſi ex conceſſione Pontificiâ, quâ hoc jus ſolùm conceditur habentibus certas qualitates, v. g. quòd ſint de Collegio eligentium, aut de corpore Capituli, ſive Diffinitorij: & tunc Electores non poſſunt admittere extraneum ad coëligendum; quia nemo dat, quod non habet, *can Daibertum. 1. q. 7.* ac ipſi Electores tunc non eligunt, niſi ſub conditionibus à Papa requiſitis.

164 Quæritur II. Quinam cenſeantur inhabiles ad eligendum, ita ut prohibeantur eligere ad Prælaturas Eccleſiaſticas? Reſp. I. Generatim loquendo aliqui prohibentur eligere à natura, alij à Lege, ſeu Sacris Canonibus. Ita Greg. Tholoſanus *tract. de Electione. cap. 7. num. 1.* cum communi; & patebit ampliùs ex dicendis: unde

165 Reſp. II. Naturâ, ſeu ob impedimentum naturale, prohibentur eligere Pupilli, vel Impube-

puberes; cùm pleno uſu rationis, ſeu diſcretione careant, *c. Ex eo quòd.* 32. *h. t. in 6.* Neque hìc attenditur, num malitia ſuppleat ætatem, nec ne; ſicuti & in finienda tutela iſtud non attenditur, *l. Indecoram. C. Quando tutores, vel curat.* & §. 1. *Inſtit. Quibus modis finiat. tutel.* & notat Gloſſa *in cit. c. Ex eo quod.* ℣. *in pupillari.* Quamvìs ſecùs ſit in matrimonio, *c. Puberes. 3. de Deſponſat. impub.* nam diverſus eſt finis utriusque.

166 Et ob eandem rationem, nempe ob defectum usûs rationis, ſeu diſcretionis, naturâ prohibentur eligere furioſi, ac mente capti; ut probat Gloſſa *ibid.* ℣. *Diſcretione.* Quod intellige, quamdiu ſunt in amentia, & niſi habeant lucida intervalla. Tholoſan. *ubi ſuprà. cap. 8. n. 2.*

167 Reſp. III. A Lege, ſeu Sacris Canonibus plures prohibentur eligere. Et I. Excommunicati excommunicatione majori; *ut c. Conſtitutis.* 23. *de Appellat. & cap. un.* junctâ Gloſſâ. ℣. *Majoris. Ne Sede vacante. in 6.* Secùs dicendum de excommunicato excommunicatione minori: nam is eligere non prohibetur, licèt eligi non poſſit, *c. Si celebrat.* 10. *de Cleric. excommun. miniſt.* At verò electio ab excommunicato excommunicatione majori facta, ipſo jure irrita eſt, *arg. c. Cùm inter. 16. h. t.* Et loquendo de Suſpenſis, tenet ibidem Gloſſa. ℣. *Caſſata*: idem ergo à fortiori dicendum de excommunicatis.

168 Quòd ſi quæras, an, quando unus fuit excommunicatus, & eligit cum alijs, vitietur tota electio? Reſp. negativè; dummodò cæteri ſcienter non communicaverint, eidem conſentiendo. Gloſſa *un. cau. Nos in hominem. 9. quæſt.* 1. Nam actus collegialiter geſtus ab habilibus & inhabilibus, ſuſtinetur propter habiles, *arg. cap. ult. de Procurat.* & tradit Abbas *ibid. n.* 3. id limitans inter alia, quando Univerſitas ſcienter admiſit inhabilem, quem habilitare non poterat ad agendum cum eis, v. g. excommunicatum. Sic quippe *in c. Ad probandum. 24. de Sentent. & re judic.* caſſatur, ſeu (ut Gloſſa explicat) caſſa, & irrita nunciatur ſententia Judicum delegatorum; eò, quòd unus ipſorum excommunicationis ſententiâ eſſet publicè innodatus: ac proinde ſimiliter electio eſt invalida, quando alij ſcienter cum ipſo in electione communicârunt. Navarrus *Conſil. 1. de Election. n.* 2. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 19. n. 56. & 57.* & alij

169 Defacto tamen, ſive poſt Extravag. *Ad evitanda*, in Concilio Conſtantienſi à Martino V. editam, iſtud procedit duntaxat de excommunicatis vitandis: ut ſunt nominatim denunciati, atque notorij percuſſores Clericorum. Cæterùm alij excommunicati non vitandi, poſſunt quidem per exceptionem repelli; & ſi abſque ſcandalo, vel alia de cauſa expelli nequeant, per Capitulum fieri proteſtatio, quòd nolint cum excommunicato in eligendo communicare, illiúsque vocem nemini velle ſuffragari, vel nocere: quâ proteſtatione præmiſſâ votum ipſius non valet, nec tamen irritat electionem ejus, qui cæteroquin habet vota ſufficientia. Paſſerinus *cap. 10. de Elect. n. 71. & 79.* Barboſa *cit. n. 57.* & alij. Quòd ſi verò nullus ſe opponat, aut excipiat, valida eſt electio, neque ipſa erit caſſanda: tum quia per cit. Extravag. *Ad evitanda.* indulgetur omnibus Fidelibus, ut non teneantur vitare excommunicatum toleratum: tum quia geſta ab excommunicato tolerato, ratione publici officij, ſuſtinentur ab Eccleſia. Et in ſpecie, quòd electio facta, nullo reclamante, ab excommunicato tolerato ſit valida, tenet *Covarruvias in c. Alma mater. p. 1. §. 7. n.* 9. ac, relatis plurimis alijs, Paſſerinus *cit. cap. 10. n. 77.* Ad præcavendū tamen gravioribus incommodis, ſolet ante pleraſq; electiones, præſertim Regulares, præmitti abſolutio à Cenſuris ad cautelam, in ordine ad electionē ritè celebrandam; prout in ſimili dictum eſt ſuprà *Tit. de Reſcriptis*, §. 2. *n.* 53.

II. A Canone prohibentur eligere Suſpenſi; ut *c. Cùm dilectus.* 8. junctâ Gloſſa ℣. *A ſuſpenſis. de Conſuetud. & c. Cùm inter R. 16. h. t.* Idque procedit non ſolùm de ſuſpenſis ſimpliciter, videlicet tam ab Officio, quàm Beneficio, ſed etiam de ſuſpenſis ab Officio tantùm: quoniam nomine *Officij* intelligitur omne exercitium Clericatûs; ac proinde ſuſpenſus ab Officio abſolutè (ſecùs dicendū de ſuſpenſione ab uno Officio particulari) nequit exercere Officium Eccleſiaſticum eligendi; prout deſumitur ex allegatis Juribus, & tenet Gloſſa *ubi ſuprà*, & Abbas *in cit. c. Cùm dilectus. n. 20.* Barboſa *ad d. c. Cùm inter R. n. 4. h. t.* Paſſerinus *d. cap. 10 n. 89. & 90.* citans plures alios. Non tamen prohibetur eligere, qui eſt ſuſpenſus à Beneficio tantùm: quia per ſuſpenſionem à Beneficio, non ſuſpenditur quis ab Officio, & actibus ad illud pertinentibus (ut eſt præſtatio voti in electione) ſed ſolùm à jure percipiendi fructûs Beneficiales. Gloſſa *c. Cùm Vintonienſis. 25.* ℣. *Admiſerunt.* & Abbas *ibid. n.* 10. Suarez *tom. 5. de Cenſuris. diſp. 27. ſect. 2. n. 34.* Paſſerinus *loc. cit. n. 91. & ſeqq.* & alij. Quamvìs nonnulli hoc limitent, ac negent in caſu, quo vox cuipiam competeret ratione illius Beneficij, à quo quis eſt ſuſpenſus; ut Barboſa *cit. num.* 4. Navarrus *in Manual. cap. 27. num. 163. verſ. Sextò.* Henriquez, & quidam alij.

III. Prohibentur eligere perſonaliter Interdicti: *ut cit. c. Cùm inter R. 16. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. tit. de Elect. num.* 7. Angelus ℣. *Electio. num.* 8. Paſſerinus *cit. cap. 10. num.* 99. Pirhing *h t. num.* 31. & alij. Requiritur autem defactò tam in Suſpenſis, quàm Interdictis, ut ſint ſpecialiter, ac expreſsè denunciati, juxta jam cit. Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, quam inter alios refert Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 35. & docet Paſſerinus *cap. 10. de Electione. num.* 130. poſt Caſtellinum *de Election. cap. 5. num.* 1. Innocent. *c. Cùm Vintonienſis.* & Abbat. *ibid. n. 14. de Elect.* & alios. Siquidem ante ſententiam declaratoriam ſuper crimine admiſſo, & contractâ privatione vocis, nemo eſt privandus quaſi poſſeſſione juris eligendi: forſan enim, ſi priùs audiretur, poſſet quandam prætendere excu-

ſatio-

ſationem, *arg. c. Licèt Epiſcopus.* 28. *de Præbend. in* 6. *& c. Cùm ſecundùm.* 19. *de Hæretic. in* 6.

Unde nullo reclamante, ſi privatus voce activâ eligat, valida eſt electio. Covarruvias *in c. Alma mater. p.* 1. §. 7. *num.* 9. *verſ. Ideò.* Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 35. Suarez *lib.* 5. *de Legib. cap.* 9. *n.* 5. Paſſerinus *cit. cap.* 10. *n.* 77. *& n.* 129. allegans plures alios. Factâ tamen per Capitulum proteſtatione de non admittendis inhabilibus ad electionem, ſi poſteà quis Vocalium convincatur, & per ſententiam judicis declaretur, ipſo jure fuiſſe inhabilis ad eligendum, tunc iſthæc ſententia retrotrahitur: & quamvìs electio facta à toto Capitulo poſt talem proteſtationem non vitietur, ubi electus aliunde habuit vota ſufficientia; ſi tamen conſtiterit, vel dubium ſit, quòd electus acquiſierit vota majora vì ſuffragij dati per talem inhabilem, contrà quem anteà proteſtabatur, electio erit caſſanda. Paſſerinus *cit. cap.* 10. *n.* 79. *&* 96. cum alijs, quos citat.

17 IV. Prohibentur eligere Irregulares, *c. Is qui.* §. *fin.* & ibi Anchoranus. *de Sement. excom. in* 6. Sylveſter ℣. *Electio.* 1. §. 4. Angelus *cit. n.* 8. Barboſa. *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 19. *n.* 65. citans alios. Requiritur tamen defactò, ut & iſti ſint denunciati, aut per exceptionem repellantur. Pirhing *cit. n.* 31. Paſſerinus, *ubi ſuprà, num.* 106. Imò non deſunt contrarium tenentes, videlicet quòd Irregulares non ſint privati voce activâ; ut vult Suarez *diſp.* 40. *de Cenſuris. ſect.* 2. *n.* 27. Filliucius, Bonacina, & nonnulli alij; qui proinde *cit. c. Is qui.* cæteroquin ſatis urgens, conantur explicare de ſola ineligibilitate, ſeu privatione vocis paſſivæ.

7 V. Eligere non poſſunt Infames infamiâ juris. Gloſſa *c. Ut circa.* 4. ℣. *Eligentium. h. t. in* 6. Suarez *de Cenſuris, diſp.* 48. *ſect.* 3. *n.* 2. & alij. Siquidem infamibus prohibiti ſunt actus legitimi, *arg. c. Infamibus. de Reg. jur. in* 6. *& l. Actus. ff. eod.* Atqui eligere, eſt actus legitimus, *c. Solet.* 2. §. *fin. de Sent. excomm. in* 6. Verùm iſtud procedit duntaxat de Infami ſententiato, ſive declarato; ut notat Hyacinth. Donatus *in Praxi Rerum Regular. part.* 5. *tract.* 5. *q.* 20. *n.* 4. Paſſerinus *cit. cap.* 10. *n.* 145.

7 VI. Eligere non poſſunt quoad Prælaturas, & Dignitates Eccleſiaſticas, qui non ſunt Clerici, vel Religioſi. Siquidem Laici ſæculares nullo modo eligere poſſunt; *ut can. Nullus. diſt.* 63. *& c. Sacroſancta.* 51. *de Elect.* Adeò quidem, quòd electio Epiſcopi per Laicos etiam cum Canonicis facta, non valeat; haud obſtante conſuetudine contrariâ, quæ dici debet potiùs corruptela, *text. clar. c. Maſſana.* 56. *h. t.*

17 Nec obſtat *c. Querelam.* 24. *h. t.* ubi dicitur, quòd ad populum de antiqua conſuetudine pertinuerit electio, & quòd is elegit Presbyterum ad quandam Eccleſiam. Reſp. enim verbum *Electio* ibi accipi latiſſimè, prout etiam comprehendit ſub ſe Præſentationem: nam, ut liquet ex contextu, ibi agitur de jure patronatûs, cujus Laici de benignitate Sedis Apoſtolicæ ſunt capaces; unde ſubditur: *Populus in quaſi poſſeſſione præſentandi Clericum exiſtebat, quando ipſum Presbyterum ad illam elegit.* Et infrà: *Salvâ quæſtione ſuper jure patronatûs.*

VII. Eligere nequeunt, qui non ſunt præſentes capitulariter in loco, ubi fit electio. Quia 176
non poſſunt ſinguli Vocales diviſim, ac in ſuis domibus exiſtentes, votum ſuum dare, ſed debent eſſe collegialiter congregati, *arg. c. Quia propter.* 42. *h. t.* ibi: *Præſentibus omnibus,* & concordant dicta ſuperiùs §. 5. *n.* 113. Et hoc adeò verum eſt, ut Canonicus legitimè abſens (quamvìs nullus de Capitulo velit eſſe procurator ipſius) non poſſit votum ſuum dare per litteras, *text. clar. c. Si quis juſto.* § *fin. h. t. in* 6. An autem abſens poſſit dare votum per Procuratorem, & quid agendum ſit circa Capitulares infirmos §. *ſeq.* dicetur.

VIII. Prohibentur eligere in Eccleſijs Cathe- 177
dralibus, vel Collegiatis, vocémque in Capitulo non habent, etiamſi hoc ſibi ab alijs liberè concedatur, qui necdum in Ordine ſacro, ſaltem Subdiaconatûs, ſunt conſtituti. Patet hoc ex *Clem. Ut ij qui.* 2. *de Ætat. & qualitat. præficiend.* eſtq; renovatum in Concil. Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.*

Imò idipſum *in cit. Clem.* 2. extenditur ad Ec- 178
cleſias Regulares quoad mancipatos Divinis Officijs: ſecùs dicendum quoad Laicos, ſeu Converſos, ac etiam quoad Moniales, ut ibidem notat Gloſſa ℣. *Mancipati*; itémque quoad Ordines Militares: nam Clementina illa loquitur de Regularibus, qui Divinis Officijs ſunt mancipati, ſeu ad celebranda Divina Myſteria deputati. Imò, cùm Concilium Trident. *loc. cit.* nullam de Regularibus mentionem faciat, ſimúlque Sac. Congregatio Concilij ſub *Data.* 22. *Maij.* 1577. declaraverit, dictum Decretum Tridentinum non loqui de Eccleſijs Regularium: dicendum eſt, circa hoc ſervandas eſſe cujuslibet Ordinis laudabiles conſuetudines, & ſtatuta particularia; uti communiter tenent Doctores, quos ſequitur Paſſerinus *cit. cap.* 10. *de Elect. n.* 54.

Tandem generaliter loquendo prohibentur 179
eligere, qui ſunt privati voce activâ: prout pro una vice privantur ſcienter eligentes indignum, *c. Cùm in cunctis.* 7. *& c. Innotuit.* 20. *h. t.* cum ſimilibus. Sicut & illi, qui per abuſum Poteſtatis ſæcularis elegerunt, præter ſuſpenſionem ab Officijs, & beneficijs ad triennium ipſis infligendam ipſo jure privati ſunt poteſtate eligendi, *c. Quisquis.* 43. *h. t.* junctâ Gloſſâ, & DD, *ibid.*

Tacentur alij caſus, tum ex diverſis Conſtitu- 180
tionibus Apoſtolicis, tum ex Statutis particularibus locorum, aut Ordinum Religioſorum deſumendi. Adde etiam rationabiles conſuetudines locorum: nam, ſicut per has poteſt acquiri jus eligendi, ita & viciſſim poteſt quis per ipſas à tali jure excludi, ſicque privari voce activâ; idque per vulgata principia Juris, ut *cap. ult. de Conſuetud.* cum concordantijs.

§. VIII.

De Procuratoribus in Electionis negotio conſtituendis, ac de Vocalibus infirmis, vel ſe abſentantibus.

SUMMARIUM.

181. *Procurator in electionis negotio conſtitui nequit, niſi concurrant certæ conditiones.*
182. *Nempe, ut ſit abſens à loco electionis.*
183. *Simulq; juſto impedimento detentus.*
184. *Et, ſi opus fuerit, ſuper hoc fidem faciat juramento.*
185. *An ſit neceſſe, ut in Procuratorem eligatur unus de Capitulo? Et num. ſeqq.*
186. *Poteſt Capitularis abſens non tantùm unum, ſed etiam plures Procuratores conſtituere.*
187. *Dummodò cuilibet eorum poteſtatem eligendi det in ſolidum.*
188. *Et cujus votum tunc valeat?*
189. *Poteſt conſtitui Procurator tam unus de Collegio, quàm extraneus: ſed hic non neceſſariò admittitur.*
190. *An poſſit Procurator de Collegio alium nomine ſuo, & alium nomine mittentis eligere?*
191. *Vota infirmorum etiam ſunt exquirenda.*
192. *Et quomodo hi votum ſuum dare poſſint?*
193. *In praxi oportet obſervare ſpeciales conſuetudines, aut Conſtitutiones cujuslibet Capituli.*
194. *Nequeunt infirmi, aut alij legitimè abſentes, votum ſuum mittere in ſcriptis.*
195. *Aliud eſt, conſtituere Procuratorem: aliud, dare votum in ſcriptis, & cur?*
196. *Examinatur ſententia aſſerentium, poſſe aliquando dari votum in ſcriptis.*
197. *Capitulares vocati, & electioni intereſſe nolentes, cenſentur ſe feciſſe alienos.*
198. *Nec ordinariè compelli poſſunt, ut interſint electioni.*
199. *Quid in Ordine FF. Minorum de Diffinitore, qui non vult convenire in Diffinitorio?*
200. *Si cœpto electionis tractatu aliqui Vocales recedant, procedunt alij ſine ipſis. Et n. ſeqq.*
201. *Et idem dicendum, ſi remaneant quidem, ſed votare nolint.*
202. *Dummodò non major pars Vocalium egreſſa ſit. Quod denuò eſt limitandum. Ibid.*
203. *Si ſchedula vacua mittatur in urnam votorum, ejus nulla habetur ratio.*

181 QUæritur I. An in electionis negotio poſſit conſtitui Procurator? Reſp. I. Id regulariter fieri non poſſe, niſi concurrant certæ conditiones. Ita habetur *in c. Quia propter. 42. §. Illud autem. h. t.* ſequentibus verbis: *Illud autem penitùs interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem conſtituat, niſi ſit abſens, in eo loco, de quo debeat advocari, juſtóque impedimento detentus venire non poſſit: ſuper quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento: & tunc, ſi voluerit, uni committat de ipſo Collegio vicem ſuam.* Hæc ibi. Concordat *c. Si quis juſto. 46. eod. in 6.* quod veluti longius hìc non allegatur.

182 Reſp. II. Conditiones ad hoc requiſitæ, ut quis per Procuratorem poſſit eligere, ſeu dare votum ſuum, ſunt ſequentes. I. Ut, qui Procuratorem conſtituit, ſit abſens à loco electionis: ita videlicet ut Scrutatores non poſſint, vel ſaltem juxta laudabilem cujuslibet Collegij conſuetudinem, non teneantur ipſum perſonaliter accedere pro recipiendo ſuffragio. Debet autem eſſe abſens, non quomodocunque, ſed in tali loco conſtitutus, ex quo poſſit, ac debeat vocari: unde ſi extra talem diſtrictum (attentâ præcipuè cujuslibet loci conſuetudine menſurandum, *arg. c. In Geneſi. 55. h. t.*) ſit conſtitutus, non habet jus conſtituendi Procuratorem; prout deſumitur ex *cit. §. Illud autem.* ibi: *Niſi ſit abſens in eo loco, de quo debeat advocari.* Gloſſa *c. Si quis juſto. ℣. Detentus. h. t. in 6.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univerſ. cap. 19. n. 108.* Paſſerinus *cap. 10. de Elect. n. 37.* & alij.

II. Conditio, ad conſtituendum Procuratorem in negotio electionis neceſſaria, eſt: Ut abſens Vocalis ſit juſto impedimento detentus, quò minùs venire poſſit: prout liquet ex allegatis verbis *cit. §. Illud autem.* Hujusmodi autem juſtum impedimentum, ut explicat Gloſſa *ibid. ℣. Venire,* & Barboſa *cit. cap. 19. n. 109.* cum alijs, cenſetur eſſe gravis infirmitas, timor accedendi locum electionis ob capitales inimicitias, vel inſidias ſibi paratas, detentio in aliquo Caſtro, unde exire non poſſit, aut vocatio ad majus Tribunal, & hujusmodi, dummodò impedimentum exprimatur, quale ſit.

III. Condito eſt: Ut conſtituens Procuratorem ſuper tali impedimento, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento; prout liquet ex verbis jam allegati. *§ Illud autem.* Porrò juramentum iſtud vel poterit præſtare ipſemet Vocalis abſens, atque in inſtrumento procuræ de hoc conſtare faciens; vel ejus Procurator, dummodò habeat ad hoc ſpeciale mandatum. Et hoc poſterius erit magis cautum, eò quòd Capitulum, ſi velit, v. g. quia aliunde jam habet notitiam legitimi impedimenti, poſſit remittere tale juramentum; & ſic iſtud non erit neceſſariò præſtandum: tum quia textus in *cit. §. Illud autem.* ſub conditione loquitur, dicens: *Super quo, ſi opus fuerit, fidem faciat juramento.* Tum quia hujusmodi diſpoſitio emanavit in favorem aliorum Capitularium, unde poſſunt iſti ſuo favori renunciare. Barboſa *loc. cit. n. 110.* & alij.

Præ-

185 Præter haſce tres conditiones, quæ ſpectato Jure Communi requiruntur ad conſtituendum Procuratorem in negotio electionis, ut tenuit Rota *in Calagurittana Beneficij de Morillo.* 13. *Novemb.* 1610. *coram Ubaldo Ragut.* quem refert Barboſa *ad c. Quia propter. n.* 37. *h. t.* poſſet addi IV. Conditio; videlicet, ut in Procuratorem eligatur unus de Collegio, juxta allegata verba *cit.* §. *Illud autem.* ibi: *Et tunc, ſi voluerit, uni committat de ipſo Collegio vicem ſuam.* Verùm, quia circa hæc verba Concilij Generalis plures ſucceſſivè fuerunt exortæ controverſiæ, ad quarum reſolutionem poſtmodùm emanavit Decretalis, *Si quis juſto.* 46. *h. t. in* 6. hæc conditio non niſi conformiter huic Decretali erit intelligenda: unde

186 Quæritur II. Utrùm in electionis negotio unus duntaxat Procurator, & quidem de ipſomet Collegio, conſtitui poſſit, atque admitti debeat? Reſp. I. Capitularis ex juſto impedimento abſens, poteſt non tantummodò unum, ſed etiam plures Procuratores ad actum electionis conſtituere: ita tamen, ut cuilibet eorum poteſtatem eligendi det *in ſolidum.* Ita habetur deciſum *in cit. c. Si quis juſto.* 46. *h. t. in* 6. Et per hoc, quòd quilibet talium Procuratorum habeat poteſtatem eligendi *in ſolidum* (hoc eſt, quòd unus ſine altero poſſit eligere) partim ſalvatur mens Concilij Generalis, volentis, quòd abſens *uni committat vicem ſuam*: partim conſulitur Vocalibus abſentibus, ut hi, ſi forſan Procurator primò conſtitutus nollet in ſe recipere procurationem, illicò haberent alium jam conſtitutum, qui vices ſuas in ſolidum exequeretur.

187 Notanter tamen additur, *ita ut cuilibet eorum poteſtatem eligendi det in ſolidum.* Nam alioquin plures illi Procuratores ſimpliciter conſtituti, poſſent inter ſe diſcordare, atque diverſas perſonas eligere; ſicque res non haberet exitum, & quod ab eis hoc caſu fieret, non valeret. Unde, ſi nullus ipſorum fuerit deputatus *in ſolidum*, ad evitandum iſtud inconveniens etiam nullus eorum admitti debet, ut eligat; ſed ſibi imputet is, qui eos ſic indiſcretè conſtituit, prout ſubjungitur in *cit. c. Si quis juſto. h. t. in* 6.

188 Reſp. II. Quando plures ad eligendum Procuratores fuerunt conſtituti *in ſolidum*, tunc melior erit conditio occupantis, ejúſque votum valebit; prout in ſimili notatur *c. Non injuſtè.* 14. *de Procuratorib.* Quòd ſi autem ambo concurrant in ſimul, ita ut non appareat, quis primò præoccupaverit, poſtulentque ſe admitti, tunc ipſi non debent audiri: ſed is ſolùm admittitur, quem vel major pars Capituli elegerit; vel, ſi in hoc Capitulares concordare nequeant, qui primò in litteris procurationis eſt expreſſus. Ita rurſus habetur deciſum *in d. c. Si quis juſto. h. t. in* 6.

189 Reſp. III. Poteſt conſtitui Procurator ad eligendum, non ſolùm de Collegio, ſed etiam extraneus: ita tamen, ut ſi is ſit de gremio Collegij, teneatur eum admittere Capitulum, *arg. cit. c. Quia propter.* §. *Illud autem.* junctâ Gloſſâ, *℣. Venire. h. t.* Secùs autem, ſi is ſit extraneus: nam ſi Capitulum velit, poterit quidem hunc acceptare, non tamen tenetur extraneum admittere. Ita deſumitur *ex c. Si quis juſto.* 56. §. *Abſens. h. t. in* 6. & ampliùs explicat Gloſſa *ibid.* ℣. *Nolente Capitulo.* Abbas *c. Quia propter.* §. *Illud. n.* 2. *h. t.* & alij. Ratio eſt, quia licèt *in cit.* §. *Illud autem.* dicatur, quòd Procurator ſit unus *de ipſo Collegio*, ſicque hoc invito extraneus conſtitui non poſſit; nihilominùs Conſtitutio illa emanavit in favorem Capituli. Unde ſi iſtud vult cedere favori ſuo, atque Procuratorem extraneum ad coëligendum admittere, ritè is admittitur; cùm poſſit extraneus etiam ſine tali mandato ad eligendum admitti, *ut c. Scriptum eſt.* 40. *h. t.* & *c. Cùm Eccleſia.* 3. *de Cauſ. Poſſeſſ.*

Reſp. IV. Quando Procurator è Collegio eſt ſimpliciter conſtitutus ad eligendum, non poteſt is alium nomine ſuo, & alium nomine mittentis eligere; niſi habeat ſpeciale mandatum de certa perſona eligenda. Ita expreſsè habetur deciſum *in cit. c. Si quis juſto.* §. *Porrò. h. t. in* 6. Ratio primæ partis eſt: quia, ut benè diſcurrit Gloſſa *ibid.* ℣. *Nihil agit*, Procurator taliter conſtitutus, ſicut tenetur meliorem eligere ſuo nomine, ita etiam nomine mittentis; & alioquin incerta videntur hæc vota, ſicque non valent, ut hîc dicitur. Concordat *cap.* 2. *eod. in* 6. ubi in electionibus vota conditionalia, alternativa, & incerta penitùs reprobantur. Ratio poſterioris partis eſt: quia, quando datur ſpeciale mandatum de certa perſona eligenda, tunc potiùs is eligit, qui mandavit: nec tamen is ſuo mandato poteſt alterius libertati præjudicare, quò minùs eligat aliam perſonam, ſi hanc digniorem, atque Eccleſiæ utiliorem judicaverit. 190

Quæritur III. Quid juris de infirmis, qui in Monaſterio, in quo electio peragitur, vel ſaltem in Civitate exiſtunt, locum tamen electionis ob infirmitatem accedere nequeunt? Reſp. I. Etiam talium infirmorum vota ſunt inquirenda. Ita Innocentius in *c. Quia propter. n.* 2. *h. t.* Angelus ℣. *Electio. n.* 17. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 19. *n.* 108. Pirhing *h. t. n.* 146. & alij. Ratio eſt: quia vota omnium præſentium ſunt inquirenda: atqui tales cenſentur præſentes; nam, ut *L.* 5. & 6. *ff. de Procuratorib.* dicitur, *Præſens habetur, & qui in hortis eſt, & qui in foro, & qui in urbe, & qui in continentibus ædificijs*; ergo. 191

Reſp. II. Ejuſmodi infirmus, qui ob infirmitatem perſonaliter electioni intereſſe nequit, ac proinde ſuo modo ob legitimum impedimentū abeſſe dignoſcitur; poteſt aut Procuratorē conſtituere, qui ſuo loco eligat (quod intellige conformiter proximè dictis, ut poſſit eum vel ſimpliciter conſtituere ad eligendū, vel cū ſpeciali mandato de certa perſona eligenda) aut, ſi malit, per ſemetipsū dare votum ſuum: atq; in hoc poſteriori caſu debent Scrutatores ad ipſum accedere, & ſuffragium ipſius recipere. Ita citati Authores cum alijs. Ratio eſt: quia Scrutatores debent inquirere vota omnium præſentium: atqui talis etiam cenſetur præſens, ut dictum; ergo. 192

193 In praxi tamen circa hoc obſervandas eſſe ſpeciales conſuetudines, vel proprias Conſtitutiones cujuslibet Capituli, ſeu Conventûs, rectè notat Paſſerinus *cap.* 10. *de Election. n.* 32. Nam loquendo præſertim de Regularibus, ſatis durum videtur, quòd Scrutatores congregato Capitulo, & cæteris expectantibus, teneantur per civitatem, aut hortos diutiùs diſcurrere ad inquirendum votum infirmi. Inſuper in Ordine FF. Minorum per Statuta Generalia *cap.* 8. *§.* 3. *n.* 20. expreſsè cavetur, quòd *abſentium vota ſuppleri non poſſint, nec alicui ſuum votum committere, aut per Procuratorem ſuffragari in Capitulis, vel Congregationibus licet.*

194 Reſp. III. Infirmi, aut alij Vocales legitimè abſentes, non poſſunt votum ſuum pro electione mittere in ſcriptis. Ita deciſum habetur in ſæpè *d. c. Si quis juſto. §. fin. h. t. in* 6. ubi hoc ſtatuitur etiam pro eo caſu, quandò Canonicus abſens nullum de Collegio reperire poteſt, qui in negotio electionis velit eſſe ſuus Procurator, ſimúlque Capitulum nolit admittere extraneum: adhuc enim Canonicus ille nequit votum ſuum dare per litteras. Siquidem juxta formam à Concilio Generali *in c. Quia propter. h. t.* præſcriptam, votum in ipſo Scrutinio, ſecretè ac ſingillatim eſt exprimendum; & conſequenter non per litteras.

195 Nec obſtat, quòd abſens poſſit conſtituere Pocuratorem etiam cum mandato de eligenda certa perſona. Reſp. enim cum Gloſſa *fin. ibid.* & alijs, aliud eſſe dare votum ſuum in ſcriptis; aliud, conſtituere Procuratorem de dando voto certæ perſonæ. Ille enim dat votũ ſuum multò ante Scrutinium; & poteſt contingere, quòd is ante Scrutinium jam fuerit mortuus, quo in caſu palàm apparet, quòd votum non det in Scrutinio ſecretè ac ſingillatim, ſed jam anteà dederit, contra formam dicti Concilij Generalis. Econtra verò dans mandatum ſuo Procuratori de eligenda tali certa perſona nondum eligit (nam ſi ille interim moriatur, vel mandatum ſui Principalis non exequatur, votum ipſius non computabitur) ſed Procurator ejus nomine, atq; in ipſomet Scrutinio, ſecretè ac ſingillatim perſonam illam nominatam eligit; quod eſt conforme dicto Concilio Generali. Declaratur hoc à ſimili: ſic quippe aliud eſt, contrahere matrimonium carnale; aliud, dare ſuo Procuratori ſpeciale mandatum de eo contrahendo cum certa perſona: iſte enim mandando nondum contrahit matrimonium (imò poteſt adhuc pœnitere, ac revocare mandatum, donec ab alio contractum fuerit matrimoniũ, *cap. ult. de Procurat. in* 6.) ſed ipſemet Procurator illud primùm contrahit nomine ſui Principalis, atque ex ejus mandato nondum revocato: idem ergo dicendum in ſimili de electione, per quam initiatur conjugium ſpirituale inter Electum, ac Eccleſiam ſuam.

196 Fatendum quidem eſt, quòd Layman *in d. c. Si quis juſto.* 46. *h. t. in* 6. & poſt ipſum Pirhing *h. t. n.* 151. doceant, in electionibus Regularium, in quibus forma Scrutinij exactè non ſervatur, ſed ſchedulæ obſignatæ in urnam conijciuntur, nihil obſtare, quin ſuffragium ita ſcriptum ab abſente, vel infirmitate detento, mitti poſſit ad Capitulum. Verùm hæc ſententia non caret difficultate, atque oppoſitum ejus meritò tenet Fagnanus *in c. Quia propter. §. Illud autem. n.* 3. *& ſeqq. h. t.* ubi à Sac. Congregatione ſæpiùs ita deciſum fuiſſe refert. Accedit, quòd tale votum non ampliùs foret ſecretum, juxta Decretum Concilij Trid. *Seſſ.* 25. *cap.* 6. *de Regularib.* præſertim, ſi ſchedula illa priùs ab eis legi poſſet. Imò nec iſtud caret periculo, cùm Procurator, qui portat ſchedulam obſignatam, poſſit illam occultare, & loco ejus aliam benè viſam ponere; prout olim ſæpiùs factum eſſe dicebatur.

Quæritur IV. Quid juris, ſi electione debito tempore, ac loco inſtitutâ, aliqui Vocales adeſſe nolint, vel inde egrediantur, aut ſchedulam vacuam mittant in urnam? Reſp. I. Si congruo tempore, & loco, inſtitutâ electione adeſſe nolint, qui jus eligendi habent, cenſentur quaſi non eſſent de Capitulo, & tota eligendi poteſtas reſidet in alijs. Ita deſumitur ex *c. Cùm nobis.* 19. *h. t.* ubi Capitulares vocati, & electioni intereſſe nolentes, vel à loco ipſius recedentes, *alienos ſe feciſſe* dicuntur: ac notat Abbas *ibid. n.* 3. & Layman *n.* 3. & alij. Concordat *c. Quod ſicut.* 28. *eod.* ubi abſentia illorum Vocalium, qui ritè vocati, ad electionem celebrandam accedere nequiverunt, vel noluerunt, hanc minimè impedit.

Et hinc *in c. Quia propter.* 42. *h. t.* notanter dicitur electionem eſſe celebrandam *præſentibus omnibus, qui debent, & volunt intereſſe*: poſſunt enim, qui volunt, juri ſuo renunciare. Siquidem ordinariè loquendo nullus Capitularium compelli poteſt, ut per ſe, vel per ſubſtitutum Procuratorem, ad electionis tractatum veniat, juxta allegatum textum, *& volunt intereſſe.* Niſi forſan ob ſpeciales circumſtantias Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas poſtulet, ut omnes interſint: vel niſi alicubi ſpeciale ſtatutum, aut conſuetudo id requirat. Layman *cit. c. Quia propter. §. Illud autem num.* 2. *h. t.*

Nihilominus in Ordine FF. Minorum, ſi Diffinitor non legitimè impeditus, & vocatus, ſub aliquo prætextu noluerit convenire in Diffinitorio, tunc ſuo eſt privatus officio; ut notat Angelus Lantuſca *in Theatro Regularium. V. Diffinitor Provinciæ. n.* 3. Neque in tali caſu debet fieri ſubrogatio alterius Patris: quamvìs cæteroquin, ſi Diffinitor aliquis moriatur, vel officium ejus quocunq; modo vacaverit, debeat fieri ſubrogatio in perſona Patris dignioris; ſicut & in abſentia Diffinitoris legitimè impediti Pater dignior ſubſtitui debet. Lantuſca, *ubi ſuprà, V. Subrogatio. n.* 4.

Reſp. II. Similiter, ſi cæpto electionis tractatu aliqui Vocales egrediantur, & redire nolint, poſſunt alij ſine ipſis procedere; dummodò non major pars Capitularium fuerit egreſſa. Ita clarè deſumitur *ex cit. c. Cùm nobis. h. t.* ubi etiam tales ſeſe *alienos feciſſe* dicuntur, videlicet à Capitulo, ju-

jureque eligendi. Idque vel maximè procedit, quando aliqui ſine causâ receſſerunt, *arg. c. Bonæ memoriæ. 23.* ubi Gloſſa, *℣. Metuebant.* Hoſtienſis, & Butrius. *de Election.* Compoſtella *in c. Statuimus. eod.* Accedit ratio: quia, *ſi defenſio eſt inter Canonicos, ibi dicitur eſſe Capitulum, ubi eſt major pars;* ut inquit Gloſſa communiter recepta *in c. Cùm inter Canonicos. 21. ℣. Capituli. h. t.* atque deſumitur ex *cap. 1. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.*

Nec obſtat, quòd recedentes proteſtentur, & appellent. Siquidem recedendo faciunt ſe à Capitulo, & jure votandi alienos, *cit. c. A nobis. h. t.* Et paria ſunt, non venire & non expectare finem, *can. Certum eſt* 11. *q.* 3. *& cap.* 1. *de Judicijs.* Unde Vocales egredientes fruſtrà proteſtabuntur, & appellabunt: & quia tanquam alieni, non ampliùs ſpectant ad electionem, poſſunt alij validè ad electionem procedere. Paſſerinus *cap. ii. de Electione, quæſt.* 11. *n.* 101. Card. de Luca *Diſcurſ.* 27. *de Canonicis, n.* 9. Petrus à Baiſio *Tractatuum tom.* 15. *in Directorio Electionum, p.* 3. *cap.* 6. Rota *Deciſ.* 313. *Recent. num.* 13. *part.* 19. Pirhing *h. t. n.* 135. *& ſeqq.* & alij.

Idémque dicendum, ſi qui Vocalium remaneant quidem in Capitulo, ſed votare nolint. Gloſſa *in Clem. Quod circa. ℣. Quæ in facto. h. t.* Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 19. *n.* 224. poſt Rotam *in Cæſarauguſtana Electionis.* 29. *Martij.* 1623. *coram D. Coccino* & alia Rota *coram Merlino, Deciſ.* 591. *num.* 3. *& in una Leodienſi, Deciſ.* 2081. *num.* 4. Fermoſinus *de Poteſtate Capituli, tract.* 3. *q.* 5. *n.* 15. Card. de Luca *Diſcurſ.* 53. *de Regularibus num.* 8.

Atque hæc procedunt, etiamſi dies ad electionem præſtituta non eſſet peremptoria: quia eo ipſo, quòd Capitulum fuerit legitimè congregatum pro habenda electione, & illam inchoaverit, fuit jus quæſitum remanentibus pro ea complenda. Hoſtienſis *c. Cùm nobis. à num.* 17. & Abbas *ibid. n.* 10. *h. t.* Romanus *Conſil.* 352. *n.* 15. *&* 16. Fermoſinus *de Electione. quæſt.* 3. *num.* 9. Rota *in Recent. Deciſ.* 388. *n.* 13. *part.* 19.

Intellige cum datâ *num.* 200. Concluſione, *dummodò non major pars Capitularium fuerit egreſſa.* 202
Quia, ſi major pars eorum diſceſſerit, cenſentur velle diſſolvere Capitularem Conventum; unde alij numero pauciores obtemperare debent, *arg. cap.* 1. *De his, quæ fiunt à maj. part. Capit.* junctâ Gloſſâ proximè allegatâ, & tenet Abbas *in d. c. Cùm nobis. n.* 10. *h. t.* Quod tamen limita, dummodò non inſtet terminus ad electionem faciendam à Jure præfixus: quia tunc poſſet procedere minor pars præſens, etiamſi remaneret unicus, *arg. can. ult. diſt.* 65. Neque enim is tenetur dimittere jus ſuum propter abſentiam aliorum; ſimúlque in termino monentur omnes à Jure, ac dies pro homine cenſetur interpellare, *c. Potuit. de Locato*, cum concordantijs. Abbas *cit. n.* 10. Petrus de Baiſio, *ubi ſuprà, cap.* 6. *n.* 7. Idem erit, ſi conſuetudo, vel Statutum Eccleſiæ habeat, ut unus, v. g. Decanus, vel Senior, jus habeat decernendi diem electionis: nam tunc qui venire negligunt, vel temere recedunt, ob ſuam contumaciam perdunt jus eligendi, ac remanet hoc in ſolis remanentibus, etſi numero paucioribus. Innocentius *in d. c. Cùm nobis in* 6. & Layman *ibid. num.* 5. Pirhing *h. t. n.* 137.

Reſp. III. Si quis Vocalium ſchedulam vacuam, ſeu in qua nullius Electi nomen habetur annotatum, miſerit in communem votorum urnam, ejus nulla erit ratio habenda. Ita deſumitur ex *d. c. Cùm nobis.* 19. *h. t.* ac notat Gloſſa magna *in Clem. Quod circa.* 6. *h. t.* Navarrus *Conſil.* 7. *de Election. n.* 1. Rodericus *Tom.* 2. *qq. Regular. quæſt.* 52. *art.* 13. Layman *loc. cit. num.* 3. & alij. Ratio eſt: quia talis, qui dedit ſchedulam vacuam, cenſetur juri ſuo renunciaſſe. 203

§. IX.

De Qualitatibus Eligendorum.

SUMMARIUM.

204. *Qualitates in eligendis requiſitæ, generatim quæ?*
205. *Scientia triplex, eminens, mediocris, & ſufficiens; quæ?*
206. *In eligendis requiritur tanta ſcientia, quanta requiritur ad ritè obeundum Officium ſuum.*
207. *In Epiſcopis exoptanda eſt ſcientia eminens.*
208. *Sed ſufficiens toleranda.*
209. *Qualis ſcientia requiratur in eligendis ad alias Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica?*
210. *In eligendis requiritur ætatis maturitas.*
211. *Ac pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico ætas quatuordecim annorum, ſaltem inchoatorum.*
212. *Et viginti quinque anni pro Eccleſia Parochiali.*
213. *Adeò, ut diſpenſatus ad Ordines, non ſit diſpenſatus ad Beneficium Parochiale.*
214. & 215. *Ad Dignitates, & Perſonatus, quibus animarum cura non ſubeſt, qualis ætas requiratur?*
216. *Et quæ, ſi talibus animarum cura ſubeſt?*
217. *In Epiſcopis requiritur ætas triginta annorum completorum.*
218. *In eligendis requiritur inſuper Thorus legitimus.*
219. *Et Status Clericalis.*
220. *An etiam Ordo ſacer?*
221. *Item abſentia Cenſuræ, atque Irregularitatis.*
222. *Electio excommunicati excommunicatione minori, aut collatio Beneficij eidem facta, an valeat?*

223. *In eligendis ad Beneficia Eccleſiaſtica requiritur vera Fides.*
224. *Adeò, ut Hæretici, & Schismatici ſint ineligibiles.*
225. *Neophytus, quis? Et an poſſit eligi in Epiſcopum?*
226. *Infamis nequit eligi.*
227. *Infamiam juris non inducunt crimina, niſi ſint publica.*
228. *Privatus voce paſſivâ eligi prohibetur.*
229. 230. & 231. *Rejectus ab electione, an ſit ineligibilis?*
232. *Quid dicendum in dubio, num electio fuerit caſſata vitio formæ, vel perſonæ?*
233. *Eligendus debet eſſe de gremio Capituli, ſaltem de honeſtate.*
234. *Aliæ qualitates Eligendi. Remiſſivè.*

204 QUæritur I. Quæ qualitates generatim requirantur in eligendis, ac promovendis ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica? Reſp. I. Hujusmodi qualitates generatim ſunt tres, videlicet, *ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum ſcientia.* Textus eſt *in c. Cùm in cunctis. 7. §. 1. h. t.* junctis concordantijs ibidem relatis à Gloſſa: quæ licèt addat alias duas qualitates, videlicet quòd quis ſit legitimè natus, & conſtitutus in ſacris Ordinibus: nihilominus hæ duæ qualitates, ſicut & cætera ex parte promovendorum requiſita, commodè reducuntur ad unam prædictarum trium generalium qualitatum, ac præſertim ad gravitatem morum, utpote quam valde deturpat defectus natalium, atque memoria paterni ſceleris; & plurimùm commendat dignitas ſacrorum Ordinum, juxta exigentiam cujuslibet Officij, ac Beneficij Eccleſiaſtici ritè ſuſceptorum. Verùm de illis loquendo in ſpecie,

205 Quæritur II. Qualis litterarum ſcientia requiratur in eligendis ad Prælaturas, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica? Ubi præſupponendum eſt cum Innocentio *in c. Cùm in cunctis. n. 1. h. t.* & Abbate *ibid. n. 4.* ac Hoſtienſi *n. 15.* Fagnano *num. 138.* citante inſuper Jo. Andr. Butr. & reliquos omnes, quòd ſcientia poſſit triplex diſtingui, videlicet eminens, mediocris, ac ſufficiens. *Scientia eminens* dicitur, per quam quis ſcit difficiles, ac ſubtiles quæſtiones explicare, & diffinire in promptu, abſq; revolutione librorũ. *Scientia mediocris* eſt, per quã quæſtiones difficiles reſolvuntur, cum deliberatione tamen, & revolutione librorum. *Scientia ſufficiens* vocatur, per quam quis ſufficienter poteſt explere ea, quæ incumbunt officio ſuo. Et quidem hæc ſufficientia debet conſiderari, atq; examinari arbitrio diſcreti Judicis, attendendo ad qualitatẽ loci, ubi iſte habet vivere, & converſari, ſimúlq; ad qualitatem Officij, & Eccleſiæ, ad quam quis aſſumitur, *arg. c. In cauſis. 30. §. fin. h. t.* Quibus præſuppoſitis.

206 Reſp. I. Certum eſt, quòd generatim loquendo in Eligendis ad Prælaturas, atque Officia Eccleſiaſtica, requiratur ſaltem tanta ſcientia, ſeu rerum agendarum notitia, quanta eſt neceſſaria & ſufficiens ad ritè exequendum officium ſuũ, ad quod quis eligitur. Alioquin enim procedit illud Propheticum, Oſeæ cap. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Ex quo textu *in c. Niſi cùm pridem. §. Pro defectu. de Renunciat.* rectè concluditur, quòd defectus ſcientiæ, ſit juſta cauſa renunciandi Epiſcopatui. Quinimò *in cap. ult. de Ætate & qualit. præficiend.* Epiſcopus jam promotus amovetur ab executione Pontificalis Officij, eò quòd nunquam didicerit Grammaticam, ac de illiteratura, & inſufficientia ſua conſtiterit. Proinde in *cit. c. Cùm in cunctis. §. 1. h. t.* generaliter dicitur, in cunctis ſacris Ordinibus, & Eccleſiaſticis miniſterijs, requiri litterarum ſcientiam.

Reſp. II. Licèt in Epiſcopis exoptanda ſit ſcientia eminens, adhuc tamen mediocris, imò & ſufficiens in ipſis toleratur. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex *can. Viliſſimus. 1. q. 1. & can. Convenientibus. 1. q. 7.* juncta *Auth. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Damus. Collat. 9.* ubi indignum reputatur, ut Epiſcopus, qui debet alios docere, quærat ab alijs edoceri. Accedit Concil. Trident. *Seſſ. 22. cap. 2. de Reformat.* ubi de promovendo ad Epiſcopatum, inter alia ſic habet: *Scientiâ præter hæc ejusmodi polleat, ut muneris ſibi injungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere: ideóque anteà in Univerſitate Studiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel Jure Canonico meritò ſit promotus, aut publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur.* Hæc ibi.

Altera pars deſumitur *ex c. Cùm nobis. 19. h. t.* ubi electus in Epiſcopum, licèt non fuerit litteraturæ eminentis, ſed tamen convenientis, non cenſetur pro defectu ſcientiæ ab electione excludendus. Concordat textus expreſſus in *cit. c. Niſi cùm pridem. §. Pro defectu de Renunciat.* ibi: *Quamquàm, etſi deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore, in eo tamen ſit competens toleranda: quia ſecundùm Apoſtolum, ſcientia inflat, charitas autem ædificat: & ideò imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.* Unde & Concilium Trident. *loc. cit.* talem duntaxat in Epiſcopo requirit ſcientiam, ut muneris ſui neceſſitati poſſit ſatisfacere; qualis dicitur *ſufficiens*: etſi ad hanc eò meliùs comprobandam Concilium requirat, ut quis vel ſit Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, ſeu Jure Canonico, aut ſaltem publico alicujus Academiæ teſtimonio idoneus judicatus. Imò, quantùm eſt de Jure naturali, ac Divino, ſufficit, quòd electus tantâ polleat ſcientiâ, ut poſſit vel per ſe, vel per Vicarium, ac Miniſtros, munus ſuum ritè adimplere, ſimúlq; noverit, prudenter uti Miniſtris, & aliquo modo de ipſorum actionibus judicare. Paſſerinus *cap. 25. de Elect. n. 18.* Unde nunquã fuit auditum, quòd in Germania, ubi Epiſcopi præter Vicarium Generalem, ob amplitudinem Diœceſium ſolent adhibere Concilium

Eccleſiaſticum, contigerit refutatio alicujus Epiſcopi ob defectum ſcientiæ.

29 Reſp. III. In eligendis, ſeu promovendis ad alias Dignitates, & Officia Eccleſiaſtica, requiritur etiam ſufficiens ſcientia, menſuranda juxta qualitatem Officij, & Beneficij. Fagnanus *in c. Cùm in cunctis. n.* 144. *h. t.* Garcias *part. 7. de Beneficijs. cap. 7. n.* 33. *& ſeqq.* Paſſerinus *cit. cap.* 25. *per totum.* Engel *Tit. de Ætate. & qualit. præficiend.* & alij, plura de ſcientia in ſingulis Prælatis, & Officialibus Eccleſiaſticis requiſita differentes.

2) Quæritur III. Qualis ætas requiratur in eligendis, atque promovendis ad Prælaturas, Dignitates, atq; Beneficia Eccleſiaſtica? Ubi ſupponitur ex jam *cit. c. Cùm in cunctis. h. t.* in talibus requiri ætatis maturitatem., ſeu ætatem legitimam, atque à ſacris Canonibus præſcriptam: alioquin electio foret nulla, & ſcienter eligentes incurrerent pœnas in Jure ſtatutas, prout *ibid. §. Clerici*, ſubjungitur. Concordat *c. Indecorum. 3. de Ætate & qualit. præficiend.* ubi hujus ratio aſſignatur: quia videlicet *indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non noverunt gubernare ſeipſos; cùm ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate.* Hæc ibi. Quo prænotato

11 Reſp. I. Pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo ad minimum defactò requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum; prout noviſſime ſtatuit Concilium Trid. *Seſſ. 23. cap. 6. de Reformat.* ibi: *Nullus ante decimum quartum annum Beneficium poſſit obtinere.* Sufficit autem hunc annum eſſe inchoatum; prout à Sacra Congregatione fuiſſe deciſum, refert Garcias *part. 7. de Beneficijs. cap. 4. n. 11.* ac tenet Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 60. n.* 73. citans plurimos alios. Additur verò, *defactò*: nam olim majores ſeptennio jam poterant in Beneficio intitulari; ut probat Gloſſa *in c. Ex eo. ℣. Ætatem. de Reſcriptis. in 6.*

1 Reſp. II. Ut quis poſſit eligi, ſeu promoveri ad regimen Eccleſiæ Parochialis, requiruntur ex parte ipſius viginti quinque anni ad minùs inchoati. Patet hoc ex *cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. h. t.* juncto *c. Licet canon. eod. in 6.* ibi: *Decernentes, collationes de Parochialibus Eccleſijs, his qui non attigerint vigeſimum quintum annum, de cætero faciendas, viribus omninò carere.*

11 Atque hoc adeò verum eſt, ut diſpenſatus ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum annum ætatis recipiendum, non idcircò cenſeatur diſpenſatus ad Beneficium Parochiale acquirendum, niſi hoc exprimatur. Nam hæc duo ſunt diverſa, ſimúlque diſpenſatio, veluti vulnus juris, non eſt extendenda; ac proinde diſpenſatio facta quoad Ordines, non cenſetur facta quoad Beneficia, ut notat Abbas *c. Litteras. n. 6. in fine. de Filijs Presbyt.* & Garcias *part. 1. de Beneficijs. cap. 6. n.* 72. citans alios.

21 Reſp. III. Ad Dignitates, & Perſonatus, quibus animarum Cura nulla ſubeſt, debent promovendi præſertim in Eccleſijs Cathedralibus non eſſe minores viginti duobus annis, juxta noviſſimum Decretum Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 12. de Reformat.* Num autem vigeſimus ſecundus annus debeat neceſſariò eſſe completus, vel an ſufficiat inchoatus, variant Doctores. Et quidem ſufficere dictum annum eſſe inchoatum, tenet Zerola *in Praxi Epiſcop. part. 1. ℣. Beneficia. §. Ad Dignitates.* Sà *℣. Beneficium. n.* 31. Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 5. quæſt. 3.* & nonnulli alij; quorum opinionem in Rota receptam eſſe, inquit Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 60. num. 66* citans ejus Deciſionem *in una Verdun. Canonicatus, 23. Februar.* 1581. *coram Illuſtriſſ. Seraphino, Deciſ.* 500. Econtrà requiri vigeſimum ſecundum annum completum, tenet Garcias *part. 7. de Benefic. cap. 4. n. 67. & ſeqq.* allegans pro hac ſententia Mandoſium *Tract. de ætate minor. cap. 5. n.* 10. & plures alios, ac trinam Declarationem Sac. Congregationis: idémque tenet, atque ita declaratum à Sac. Congregatione atteſtatur Fagnanus *c. Cùm in cunctis. num. 37. h. t.* Accedit ratio: quia Concilium Trident. *loc. cit.* vult, ut taliter promovendi non ſint minores viginti duobus annis: ſed qui hunc annum necdum complevit, eſt adhuc minor ætate, ut argumentatur Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. cap. 34. n.* 108. ergo.

Additur notanter in Concluſione, *præſertim in Eccleſijs Cathedralibus.* Siquidem, an dictum Decretum Concilij Tridentini etiam Dignitates, & Perſonatus Eccleſiarum Collegiatarum comprehendat, rurſus variant Doctores. Et quidem ſententiam negativam tenet Zerola, *ubi ſuprà*, & Barboſa *d. allegat. 60. n.* 67. citant alios; eò, quòd Concilium Trident. *loc. cit.* videatur loqui ſolummodò de Eccleſijs Cathedralibus, dum ibidem ſic præfatur: *Cùm Dignitates in Eccleſijs præſertim Cathedralibus* &c. Allegantur inſuper in favorem hujus ſententiæ quædam Deciſiones Cardinalium, quas referunt Emanuel Rodericus *Tom. 1. qq. Regul. quæſt. 11. art. 2.* Barboſa, & alij. Econtrà, quòd Decretum dicti Concilij etiam comprehendat Dignitates, & Perſonatus in Eccleſijs Collegiatis, tenet, atque à Sac. Congregatione Cardinalium Concilij Trident. Interpretum deciſum refert tum Garcias *cit. cap. 4. n. 58. & ſeqq.* tū Fagnanus *loc. cit. n. 48. & ſeqq.* Accedit ratio: quia in allegatis verbis Concilij Trident. dictio *præſertim* eſt implicativa; & conſequenter ea implicat, atque etiam includit Dignitates in Collegiatis, quamvis indicet fortiorem militare rationem in Cathedralibus. Deinde ibidem paulò inferiùs ſubjunguntur illa verba, *Ad Dignitates quaſcunque*; item, *Ad cæteras autem Dignitates*: quæ ſunt verba generalia, ſícque univerſaliter intelligenda. Plura de hoc citati Authores, nam Declarationes Cardinalium hinc inde allegatas in debita forma videre non licuit.

216 Reſp. IV. Ad Dignitates, & Miniſteria Eccleſiaſtica quæcunque, quibus animarum cura ſubeſt, nullus promoveri poteſt, niſi (præter alia requiſita) vigeſimum quintum ætatis annum attigerit. Ita habetur in d. *c. Cùm in cunctis. §. Inferiora.*

ferioră. h. t. ubi dicitur: *Inferiora etiam miniſteria, ut puta Decanatus, Archidiaconatus, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec Parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam vigeſimum quintum annum ætatis attigerit.* Concordat Concil. Trident. *cit. Seſſ. 24. cap. 12. de Reformat.* ubi allegata Decretalis innovatur. Et hoc procedit, ſive cura animarum Dignitati incumbens ſit Fori pœnitentialis, ſive jurisdictionalis tantùm, *text. clar. c. Dudum. 54. §. Licèt autem. ℣. Sed cùm in jure. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 7. & 8.* Fagnanus *loc. cit. n. 32.* Barboſa, & alij.

217 Reſp. V. Ut quis poſſit eligi in Epiſcopum, requiritur ætas triginta annorum completorum. Patet hoc ex *cit. c. Cùm in cunctis. §. 1. h. t.* ubi Concilium Lateranenſe *ſtatuit, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam trigeſimum annum ætatis exegerit,* hoc eſt, compleverit: adeò, quòd nec dies deficiat, ut loquitur Hoſtienſis *in Summa. n. 9. h. t.* Idque ex eo ſtatutum eſſe videtur: quia hæc eſt perfecta ætas hominis. Unde & Joſeph, cùm eſſet triginta annorum, accepit regimen Ægypti, *Geneſ. cap. 41.* Et David fuit annorum triginta, cùm regnare cœpiſſet. *2. Reg 5.* Et ipſemet Chriſtus Dominus trigeſimo anno baptizatus fuit, ac prædicavit, *Luc. 3. & can. Presbyter. diſt. 78.* Fagnanus, *ubi ſuprà, n. 21. & ſeqq.*

218 Quæritur III. Quænam aliæ qualitates, ac præſertim concernentes gravitatem morum; requirantur ex parte Eligendorum? Reſp. cum communi, tales eſſe plures ac præſertim ſequentes. Et quidem requiritur I. *Thorus legitimus,* hoc eſt, quòd quis ex legitimo matrimonio procreatus fuerit: illegitimus enim cujuslibet Beneficij incapax eſt, niſi cum eo diſpenſetur, ut *cit. c. Cùm in cunctis,* junctâ Gloſſâ, *℣. Matrim. h. t.* atque ampliùs patebit ex dicendis *Tit. de Filijs Presbyterorum. & Tit. Qui filij ſint legitimi.*

219 II. *Status Clericicalis;* videlicet, ut quis ſaltem primâ Tonſurâ initiatus ſit. Nam aliàs quilibet, & ad quodlibet Beneficium, inhabilis exiſtit; adeò quidem, ut non ſufficiat, poſt illud jam acquiſitum tonſurari, *arg. c. Ex litteris. 6. de Transact.* & notat Gloſſa *fin.* & Abbas *ibid. n. 3.* id limitans, niſi Papa diſpenſaverit cum Laico, ut poſſit eligi, ac poſteà primùm tonſurari: prout nonnunquam contingere circa magnorum Principum Filios, maximè in Germania, refert Sannig *h. t. c. 2. n. 2.* Aut niſi ejusmodi electio fiat ex ſpeciali inſtinctu Spiritûs Sancti; prout S. Nicolaus, & S. Ambroſius, ex Laicis fuerunt electi in Epiſcopos, ut refertur *can. Statutum. §. Econtrà. diſt. 61.* Alioquin verò electio Laici ad Prælaturas Eccleſiaſticas, eſt ipſo jure nulla; eò quòd per electionem detur de præſenti jus electo, Laicus verò ſit incapax omnis juris Eccleſiaſtici, *c. Cauſam. 7. de Præſcript.* Unde Laicus poteſt quidem poſtulari (cùm per poſtulationem nullum jus tribuatur) non autem eligi ad Prælaturas. Paſſerinus *cap. 25. de Elect. n. 341.*

220 III. *Ordo Sacer.* Licèt enim ad Beneficium ſimplex per ſe, & quantùm eſt de Jure comũni, ſufficiat prima Tonſura, dummodò illud ex ſua inſtitutione non requirat certum Ordinem: nihilominùs ad Canonicatus, & Portiones Cathedrales, ex diſpoſitione Concilij Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reformat.* requiritur Ordo Sacer. Item, ad Archidiaconatum requiritur Ordo Diaconatûs; ad Decanatum verò, atque ad alia Beneficia, quæ curam animarum habent annexam, ſicut ad regimen Eccleſiæ Parochialis requiritur Ordo Presbyteratûs, vel jam receptus, vel ſaltem intra tempus à Jure præfixum (hoc eſt, intra annum) recipiendus; ut *c. Cùm in cunctis. 7. §. Inferiora. h. t. & c. Licèt canon. 14. eod. in 6.* ubi promotus ad Eccleſiam Parochialem jubetur intra annum, à tempore commiſſi ſibi regiminis numerandum, ad Sacerdotium promoveri; ſin minùs, elapſo anno Eccleſiâ ſibi commiſſâ eſt ipſo jure privatus. Quamquàm rigor *cit. c. Licèt canon,* locum non habeat in Collegiatis Parochialibus Eccleſiis, & aſſumptis ad earum regimen; eò quòd ſit pœnalis, ac proinde potiùs reſtringi, quàm extendi debeat, prout declaratur *cit. c. Statutum. 22. h. t. in 6.* Ubi & ſubjungitur, in his ſervanda eſſe antiqua Jura, juxta quæ tales, ſi Ordinem præſcriptum recipere neglexerint, non ipſo jure, ſed poſt præviam monitionem, ac per ſententiam primùm, ſuis Beneficijs privari jubentur; *ut cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora.* ac notat Gloſſa *in d. c. Licèt. canon. ℣. Canon.* Adde dicenda inferiùs *Tit. De Ætate & qualitatibus, & Ordine præficiendorum, n. 32 & ſeqq.*

IV. *Abſentia Cenſuræ, atque Irregularitatis;* hoc eſt, ut quis non ſit detentus ullo Juris impedimento, ut puta, irregularitate (ſive hæc ex delicto, ſive ex defectu oriatur) vel excommunicatione, aut aliâ Cenſurâ Eccleſiaſticâ. Collatio ſiquidem Beneficij, ſicuti & electio ad illud, nulla eſt, ipsóque jure irrita, ſi fiat excommunicato excommunicatione majori, vel ſuſpenſo, aut interdicto; prout patet ex *c. Poſtulâſtis. de Cleric. excommunicat; & c. Cùm dilectus. de Conſuetud. & cap. 1. de Poſtulat. Prælat.* cum concordantijs. De irregularibus idem patet *ex can. Non confidat. diſt. 50. & can. Præcipimus. diſt. 34.* & alibi, ubi irregulares etiam à ſuſceptione Ordinum repelluntur.

Additur temen, *Excommunicato excommunicatione majori.* Quia, ſi Beneficium conferatur excommunicato excomunicatione minori, vel hic ad illud eligatur, collationem aut electionem non eſſe ipſo jure irritam, ſed irritandam per ſententiam Judicis, deſumitur *ex c. Si celebrat. 10. de Cleric. excommunic. miniſt.* ubi de excommunicato excommunicatione minori, dicitur: *Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda:* & conſequenter non ipſo jure irrita; cùm hoc nuſpiam alibi ſit expreſſum, ſimúlque hæc materia, veluti odioſa, & pœnalis, ſit reſtringenda. Leſſius *lib. 2. de Juſt. & jure. cap. 34. n. 206.* Suarez *diſp. 24. de Cenſuris. ſect. 2. n. 2.* Pirhing *de Cleric. excommunic. miniſt. n. 47.* Paſſerinus *cap. 5. de Elect. n. 475.* Barboſa *cit. c. Si celebrat. n. 3.* contra

tra Gloſſam *ibid. ℣. Privatus.* & Abbatem *n.* 3. Hoſtienſem,& quoſdam alios; qui poſtmodùm allegatum ly, *eſt irritanda*, explicant per ly, *eſt irrita declaranda.* Sed prior ſententia eſt probabilior, ob rationes jam adductas.

223 V. *Vera Fides.* Nam Infideles, ſeu non baptizati, Jure Divino ſunt ineligibiles ad Beneficia Eccleſiaſtica: cùm Baptiſmus ſit janua ingrediendi Eccleſiam Dei,& fundamentum cæterorũ Sacramentorum, *can. Cùm itaque. de Conſec. diſt.* 4. ſicque ſine eo nemo fit capax characteris Ordinis,neque ullius jurisdictionis, aut adminiſtrationis Eccleſiaſticæ,cùm Eccleſiam necdum ingreſſus ſit.

224 Inſuper ex defectu veræ Fidei,ſunt ineligibiles Hæretici; *ut c. Quicunque. §. Hæretici. de Hæretic. in* 6. ac alibi. Sicut & Schiſmatici, *arg. c. Quia diligentia* 5. *h. t.* ubi electio Schiſmatici ad unionem Eccleſiæ redeuntis, diſpenſativè ſolùm permittitur confirmari; ac notat Abbas *ibid. n.* 1. & Barboſa *n.*2. & alij.

225 Quin etiam Neophytus(hoc eſt,noviter converſus ad Fidem) prohibetur eligi, atque ordinari in Epiſcopum: tum *ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli*, ut inquit Apoſtolus. 1. *Timoth.*3. Tum ne Magiſter eſſe velit,qui necdum fuit Diſcipulus: & qui heri erat in Theatro,hodie non ſedeat in Eccleſia &c. ut pluribus notatur *diſt.* 48. §. 1. *& can.* 1. Dummodò hinc excipiatur ſpecialis revelatio Divina; qualis intervenit in electione S. Ambroſij Epiſcopi, *can. Statuimus. §. Econtrà. diſt. 61.*

226 VI. *Ut non ſit infamis.* Nam, ut habet Reg. 87. Juris in 6. *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*, cum concordantijs. Quia enim vita Paſtoris debet eſſe exemplar ſubditis, *can. Cùm paſtoris.* 2. *q.* 7. Et totus ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non invenitur in capite, *can. Miramur. diſt.* 61. haud immeritò infames repelluntur à Prælaturis,& Dignitatibus Eccleſiaſticis. Accedit, quòd infames infamiâ juris, etiam cenſeantur irregulares; ut *can. Infames.* 6. *q.* 1. ubi, cùm dictum fuiſſet,fures,ſacrilegos,inceſtuoſos,homicidas, perjuros, raptores, maleficos, adulteros,& alios ibidem enumeratos,de jure infames eſſe: ſubjungit textus: *Hi omnes,inquam,nec ad ſacros Gradus debent admitti.*

227 Notant tamen Doctores,atque in Theologia Morali *Tract* 13. *diſt.* 3. *n.* 20. uberiùs jam dixi, quòd crimina illa, quibus infamia ipſo jure annexa eſt,hanc non inducant, niſi quando publica ſunt: ſecùs, quamdiu ſunt occulta. Quia enim infamia conſiſtit in læſione bonæ famæ; ſicuti hæc ſine publica rerum notitia comparari nequit, ita nec infamia incurri ob crimen merè occultũ. Concordat *c. Ex tenore.* 4. *& c. Quæſitum.* 7. *de Temporib. Ordinat.* ubi occultus criminoſus, putà reus adulterij, perjurij,vel hujusmodi(excepto homicidâ) poſt pœnitentiam poteſt in Ordinibus jam ſuſceptis miniſtrare, nec debet in ſuſcipiendis impediri: & conſequenter talis, quamdiu crimen eſt occultum, non cenſetur infamis,neque irregularis.

VII. *Utq; non ſit privatus voce paſſivâ*, ſive à jure, ſive ab homine: nam talis hoc ipſo eligi prohibetur. Sic cenſetur ineligibilis, ac impoſtulabilis,qui non ſervat Interdictum; ut *cap.* 1. *de Poſtulat. Prælat.* Similiter,ſi in cujuſpiam electione, ſeu promotione ad Prælaturam intervenerit Simonia, tunc is in deteſtationem tanti criminis redditur omnino ineligibilis, ac incapax talis Beneficij, licèt ipſo ignorante pecunia ab alio fuerit data; dummodò hoc non ſit factum in fraudem electi; ut *c. Nobis fuit.* 27. *de Simonia. & cap. penult. de Elect.* & alibi. Simile quid accidit in illis caſibus,ubi per Statuta particularia, præſertim apud Regulares, certis delinquentibus ipſo facto imponitur pœna privationis vocis activæ,& paſſivæ: quamquàm apud iſtos plerumque talis pœna non incurratur,niſi poſt declarationem a Prælato factam; prout de Ordine FF. Prædicatorum monet Paſſerinus *cap.* 25. *de Electon.* ac in Ordine FF. Minorum ordinant Statuta Generalia *cap.* 7. §. 6. *num.* 40. 228

VIII. *Nec ſit rejectus ab electione.* Nam licèt is, cujus prior electio fuit caſſata non vitio perſonæ, ſed vitio formæ electionis (puta, ob non ſervatam formam *in c. Quia propter. h. t.* præſcriptam) iterùm eligi poſſit, non ſolùm ad aliam, ſed etiam ad eandem Eccleſiam: ſecùs tamen eſt dicendum, ſi electio cujuſpiam caſſata fuit vitio perſonæ,ſive ob crimen ipſius verè commiſſum,atque probatum. Talis enim indiſtinctè eſt ineligibilis,adeò ut nec in eadem, nec in alia Eccleſia eligi valeat; *ut c. Super eo.* 12. *h. t.* ac notat Gloſſa *ibid. ℣. Non vitio perſonæ.* & Abbas *n.*3. ac Barboſa *num.* 2. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 2. *q.* 23. *art.* 11. *Concl.* 5. Paſſerinus *cit. cap.* 25. *n.* 634. allegans alios. 229

Et hoc procedit, etiamſi poſteà crimen illud, ob quod caſſata fuit prior electio, plenè fuerit emendatum,& ſublatum. Pirhing *h. t. n.* 109. Nã textus in *cit. c. Super eo. h. t.* ac Doctores allegati, loquuntur indiſtinctè: ſimúlque rejectus ab electione ex vitio perſonæ,ſeu propter crimen admiſſum, redditur infamis infamiâ facti; qualis notat ipſam perſonam, eámque ſequitur, ſicut lepra lepróſum, *can. Citò turpem.* 1. *q.* 1. 230

Secùs dicendum, quando prior electio fuit caſſata non ob crimen electi,ſed ob vitiũ corporis, ut putà, ob aliquam infirmitatem: nam ſi ille poſtmodùm plenè ab illa infirmitate convaluerit, non impeditur nova ejus electio; cùm hìc nulla conſurgat infamia facti. Abbas *in cit. c. Super eo. n.* 3. *h. t.* 231

In dubio autem, num electio fuerit caſſata vitio perſonæ, an vitio formæ (quale dubium oriri poſſet, quando electio absq; expreſſione cauſæ ſimpliciter caſſatur) tunc pro ejus reſolutione oportet uti diſtinctione. Quia aut opponebatur ſolùm contra formam; & præſumitur caſſata vitio formæ, ſeu ob non ſervatam formam: nam ſententia ſimpliciter prolata debet intelligi ſecundùm acta, ut *l. Si Præſes. ff. de Pœnis.* Aut opponebatur ſolùm contra perſonam; & præſumitur caſſata vitio perſonæ, ob ra- 232

rationem dictam. Aut opponebatur contra formam,& perſonam ſimul; vel etiam ipſa electio reijcitur ex officio Superioris nemine opponente: & tunc in dubio præſumitur caſſata vitio formæ; ſiquidem ſtante dubio, in odioſis facienda eſt benignior interpretatio, juxta *Reg.49. Juris. in 6.* cum concordantijs. Abbas *loc.cit.n.6.* Baldus *in cit. c. Super eo. n. 1. h.t.* Paſſerinus *loc.cit. n.* 641. & alij.

233 IX. *Et ſit de gremio.* Hoc eſt, quòd eligendus ſit de gremio Eccleſiæ,Capituli,Diœceſis,aut Provinciæ,ubi fit electio (dummodò ibi reperiatur idoneus) non autem extraneus,aut peregrinus. Siquidem electus de gremio Eccleſiæ,ut in pluribus conſuevit eſſe utilior ad bonum commune; quia magìs diligit Eccleſiam,in qua nutritus eſt, prout notat D. Thomas *2. 2. q.63.art.2.ad 4.* Simúlque tales,qui anteà ignorati fuerunt, non ſunt præponendi Clericis jam emeritis in ſuis Eccleſijs, *can. Nec emeritis. & can. Nullus invitis. & can. Obitum diſt.61.* Quamquàm eligere aliquem de gremio Eccleſiæ, non ſit de neceſſitate, ſed ſolùm de honeſtate: atque ideò electio extranei facta à majori parte Capituli ſit valida, & confirmanda,quando aliud canonicum non obſtat. Gloſſa *c. Cùm inter Canonicos. 21. ℣. Aliam.h. t.* reijciens aliorum ſententiam, & ibi Abbas *n. 9.* & Barboſa *n. 2.* Miranda *cit. quæſt. 23. art. 21. concl. 1.* Paſſerinus *d. cap. 25. n. 649.* allegans alios.

Tacentur aliæ qualitates ex parte Eligendi requiſitæ: ut quòd ſit *corpore ſanus*, ita ut officio ſuo ritè fungi valeat: *Conditione liber, non ſervus: nec bigamus*, ac hujuſmodi. Nam, cùm talia requirantur ad Ordines ſacros ritè ſuſcipiendos, *can. Infames. 6. q. 1.* cum concordantijs; multò magìs ea deſiderantur in eligendis, ac promovendis ad Prælaturas Eccleſiaſticas. 23

§. X.

De Electione Dignioris præ minùs Digno.

SUMMARIUM.

235. *Dignus, & Dignior reſpectu Beneficij Eccleſiaſtici, quis?*
236. *Major dignitas Eligendi, unde menſuranda?*
237. *Ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica, non niſi digni ſunt eligendi, ſeu promovendi.*
238. *Peccant mortaliter, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent.*
239. *Idem ampliùs probatur.*
240. *Ac procedit non ſolùm in Epiſcopis, & Cardinalibus, ſed etiam in habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*
241. *Imò & in promovendis ad Eccleſias Parochiales.*
242. *Solvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
243. *Et ampliùs hoc ultimum probatur.*
244. *Etiam ex Decreto Innocentij XI.*
245. *In ſermone Concilij Tridentini idem eſt* Dignus, *ac* Dignior.
246. *Tunc peccatur mortaliter, quando promovetur quis ad Beneficium, omiſſo notabiliter digniori: ſecùs, ſi exceſſus ſit modicus.*
247. *Et quid dicendum de Beneficijs ſimplicibus?*
248. *Electio digni omiſſo digniori, eſt valida.*
249. *Solvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
250. *Quid dicendum de Conſtitutione Pij V.* In conferendis?

235 QUæritur I. An licitè poſſit eligi dignus omiſſo digniori? Ubi ſciendum, quòd *Dignus* reſpectu Beneficij Eccleſiaſtici dicatur ille, qui habet ſufficientiam, omneſque qualitates jure requiſitas,ad ejus miniſterium ritè obeundum. *Indignus* verò,cui deeſt aliqua ex qualitatibus ad miniſterium Beneficiale de jure requiſitis. Cæterùm *Dignior* cenſetur,qui comparatione aliorum, majorem ſufficientiam, aptitudinémque ad miniſtrandum habere dignoſcitur.

236 Et quidem iſthæc major ſufficientia,dignitáſque, non præcisè menſuranda eſt ex majori doctrina, vel majore vitæ probitate, aut generis nobilitate; ſed conjunctìm ex omnibus animæ, & corporis dotibus,ipſáq; aptitudine ad regendum: adeò, ut omnibus in ſimul conſideratis, Eccleſiæ,ſive Prælaturæ, cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Unde D. Thomas *2. 2. quæſt.185.art.3.* inter alia notanter ſic inquit: *Et ideò ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundùm charitatem: ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare.* Idipſum præter communem aliorum doctrinam, ſatis indicat Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reformat.* dum monet, *digniores, & Eccleſiæ magìs utiles eſſe præficiendos.* Hoc prænotato

Reſp. I. Certum eſt, ad Prælaturas, aliáque Beneficia Eccleſiaſtica, non niſi dignos, atque idoneos eſſe eligendos, ſeu promovendos. Ita unanimis Doctorum: nam rectæ rationi adverſatur, aſſumere ad officium ſpirituale perſonam inidoneam: atqui Beneficium Eccleſiaſticum datur propter officium, *cap. ult. de Reſcript. in 6.* Hinc Concilium Generale, relatum *in c. Grave nimis. 29. de Præbend.* deplorans contrariam quorundam praxin, gemebundè pronunciavit: *Grave nimis eſt, & abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus* 23

bus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur: carnalitatis ſequentes affectum, non judicium rationis: unde quanta Eccleſijs damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat, &c. Concordat Concilium Trident. *Seſſ.* 7. *cap.* 3. *de Reform.* ubi etiam circa hoc antiquos Canones refert, atque innovat.

238 Reſp. II. *Alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles ipſi dijudicaverint, ad Eccleſias promovent.* Ita verbatim Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* Quorum verborum ſenſum cùm nonnulli Authores ſiniſtrâ interpretatione perverterint, Innocentius XI. in Decreto, *die* 2. *Martij*, 1679. emanato, ſequentem inter alias, Ordine 47. Propoſitionem damnavit: *Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles, ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent: Concilium vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit Concurſus.* Hactenus Propoſitio damnata.

239 Concordant ſacri Canones, volentes, quòd eligatur digniſſimus, ut can. Metropolitano. diſt. 63. ibi: *Optimus ordinetur.* Et can. Licèt. 8. q. 1. ibi: *Qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.* Unde in *cap. un. §. Omnibus. Ut Eccleſiaſtica Beneficia &c.* Pontifex meritò quempiam reprehendit illis verbis: *Quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum Officium, & Beneficium in perſonâ magìs idonea diſpenſare*, cum concordantijs. Accedit ratio: tum quia *Eccleſiarum regimen eſt onus Angelicis humeris formidandum*, ut loquitur Concilium Trident. *Seſſ.* 6. *cap.* 1. *de Reformat.* illicò hinc inferens, quòd ad illud, *qui maximè digni fuerint*, aſſumantur; ergo peccant, & quidem mortaliter, qui ad tam grave officium, tantúmque onus ſcienter eligunt minùs dignum, minúsque idoneum, prætermiſſo magìs idoneo: ſunt enim cauſa omnium malorum atque peccatorum, ex promotione minùs digni, minúsque idonei ſubſequentium; ſicque, ut loquitur Concilium Trident. communicant alienis peccatis. Tum quia ſcienter eligens minùs dignum prætermiſſo digniori, magìsque idoneo, committit crimen acceptionis perſonarum, conſiſtentis in eo, quòd aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ſuæ: atqui acceptatio perſonarum in ſpiritualibus eò magìs peccatum eſt, quò ſpiritualia temporalibus præſtant, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 63. *art.* 2. Tum tandem, quia habentes jus eligendi non ſunt domini Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſed tantum *diſpenſatores myſteriorum Dei*, ſeu jurium ſpiritualium, juxta D. Apoſtolum. 1. *Corinth.* 4. ſicque tenentur ex Jure naturali, atque vi officij diſpenſatoris, conſulere bono communi, ſive Eccleſiæ, modo meliori: atqui hoc non præſtant, quando ad Eccleſiam, & regimen animarum, ſcienter eligunt minùs dignum prætermiſſo digniori, & magìs idoneo; ergo.

Reſp. III. Præmiſſa, & tam inter Theologos, 240 quàm Canoniſtas nunc receptiſſima ſententia, procedit nòn ſolùm de Epiſcopis, & S. R. E. Cardinalibus, utpote de quibus, eorúmque electione Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* expreſſam mentionem facit; quidquid olim contradixerit Gloſſa magna *can. Licèt ergo.* 8. *q.* 1. cum paucis alijs, quos citat Diana *part.* 2. *Tract. Miſcelan.* 1. *Reſolut.* 40. Sed etiam ipſa locum habet in illis omnibus, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem: uti ſunt Abbates, Vicarij, & Priores nullius Diœceſis, ac Prælati Regulares. Ita Jo. Cardenas *in Criſi Theologica, ſuper Præpoſit.* 47. *Innocentij XI. cap.* 2. *n.* 11. Idque ob rationes jam allegatas, & adhuc *num. ſeq.* allegandas: nam & his regimen animarum, Angelicis humeris formidandum, incumbit.

Quæritur II. Utrùm allata doctrina de eli- 241 gendo digniori ad Prælaturas Eccleſiaſticas, etiam locum habeat in promovendis ad Eccleſias Parochiales? Reſp. Affirmativè: adeò, ut electionem ſeu promotionem minùs digni, ſeu minùs habilis ad regendam Eccleſiam Parochialem, prætermiſſo ſcienter digniori, ſine peccato mortali fieri non poſſe, communem, & omninò veram ſententiam eſſe, dicat Paſſerinus *cap.* 30. *de Election. n.* 1. allegans plurimos Authores, addénſque *n.* 81. id eſſe certum; atque inſuper Jo. Cardenas *in cit. Criſi Theologica, ſuper Propoſit.* 47. *per Innocentium XI. damnata, cap.* 4. *n.* 40. aſſerat, etiam huic damnationi ſubjacere, ſi quis dixerit, ubi Concilium decernit, ad munus Parochiale eſſe eligendum digniorem, nomine *dignioris* intelligi *dignum*, ſumpto comparativo pro poſitivo, aut intelligi non digniorem, aut ſolùm eligi in Concurſu. Quod ultimum etiam noviſſimè docet Jo. Maria Sbogar *in Theologia Radicali. Tract.* 15. *n.* 10. aſſerens, quòd *Si quis affirmaret dignum ſufficere relicto digniore pro Parochia, incurreret damnationem Propoſitionis* 47. *ab Innocentio XI. proſcriptæ.* Hæc ille. Rationes hujus ſententiæ partim deſumuntur ex dictis: nam etiam Parochis incumbere cenſetur regimen Eccleſiarum, atq; animarum, *c. Cùm non ignores.* 15. *de Præbend.* cum ſimilibus; ad quod proinde, veluti onus Angelicis humeris formidandum, non niſi digniores, ac maximè digni ſunt aſſumendi. Unde Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* expreſsè ſtatuit, quòd peracto examine, in Concurſu ad Eccleſiam Parochialem vacantem præmittendo, ex examinatis, & ad vacantem Eccleſiam Parochialem gubernandam idoneis repertis, Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magìs idoneum judicaverit.

Dices. Hinc ſolummodò ſequi, quòd ad Ec- 242 cleſiam Parochialem debeat eligi dignior, quando fit Concurſus, utpote de quo fit mentio *in cit. cap.* 18. non autem extra Concurſum: quia idem

Concilium Trident. *Seſſ.7.cap.3.de Reformat.* inhærendo antiquis Canonibus, ſolùm vult, ut *inferiora Beneficia Eccleſiaſtica præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus - - - conferantur.* Simúlque idem Concilium *in cit. cap.1. Seſſ. 24. de Reformat.* non loquitur de Beneficijs inferioribus, & Parochialibus, ſed ſolùm de Culminibus Beneficiorum; ut ſunt Epiſcopatus, & Cardinalatus. Sed contrà eſt primò. Hæc reſponſio in terminis eſt reprobata, & damnata ab Innocentio XI. allegatam Propoſitionem 47. condemnante; nam dicta damnata Propoſitio, in ſua ultima parte, hoc ipſo modo interpretabatur ſiniſtrè Concilium Trident. illis verbis: *Vel tandem loquitur tertiò, quando ſit Concurſus.*

243 Contrà eſt ſecundò: quia ratio *in cit. cap. 1. Seſſ.* 24. à Concilio Trident. allegata de promovendis dignioribus ad Beneficia, eſt generalis omnibus Beneficijs curam animarum habentibus: nam ea in hoc conſiſtit, quòd *omnes & ſinguli, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque jus habent - - - meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem utiliùs poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernatores idoneos promoveri ſtudeant: eoſq; alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles ipſi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Hæc Concilium. Atqui iſta tota ratio, licèt ibidem in progreſſu ſpecialiter applicetur ad promotionem digniorum ad Epiſcopatus, & Cardinalatus, etiam militat in dignioribus ad Parochias promovendis; cùm etiam hi ſunt Paſtores, & Eccleſiæ ſuæ gubernatores: ergo, cùm ratio legis ſit anima legis, atq; ob identitatem rationis in Lege expreſſæ rectè fiat extenſio, juxta uberiùs dicta *Tit. de Conſtitutionibus. n.* 388. & 429. quæ per dictum Conciliũ ſtatuta, aut potiùs declarata fuerunt circa electionem digniorum Epiſcoporum, & Cardinalium, rectè ob identitatem rationis extenduntur ad promotionem digniorum Parochorum.

244 Atq; hanc doctrinam eſſe conformem menti Concilij Trident. confirmat jam allegatum Decretum Innocentij XI. dum damnat Propoſitionum 47. quâ nonnulli Concilium Trident. *cit. cap* 1. *Seſſ.* 24. inter alia explicare perperàm ſtudebant, illis verbis: *Vel tandem loquitur tertiò, quando ſit Concurſus.* Nam Concurſus, de quo hîc ſermo eſt, non fit niſi quoad Eccleſias Parochiales; & conſequenter ibidem ſupponitur, citatum *cap.* 1. etiã de Eccleſijs Parochialibus procedere.

245 Neque urget Concilium Trident. *Seſſ. 7. cap. 3. de Reformat.* volens, quòd Beneficia inferiora, præſertim curata, conferantur dignis, & habilibus. Reſp. enim, hoc quidem ſemper requiri in collatione Beneficiorum (alioquin hæc foret invalida ipſo jure) ſimúlque ſatis eſſe ad validitatem collationis, ſeu electionis, ut *n.* 248. dicetur: non tamen id ſufficere, ut collatio illa licitè fiat, quando præſens eſt alius, quem eligens, ſeu conferens, ritè penſatis omnibus, agnoſcit, & judicat eſſe digniorem, atque Eccleſiæ utiliorem; prout idem Concilium poſteà *Seſſ. 24. cap. 1. & 18.* ſeſe explicat, monens, atque declarans, in tali caſu eligendum eſſe digniorem. Deinde, ut notat Paſſerinus *cap.* 30. *de Elect. n.* 62. in ſermone Concilij Tridentini idem eſt *Dignus*, ac *Dignior, ſeu maximè dignus;* prout liquet *ex cit. cap. 1. Seſſ.* 24. ubi à principio dicitur, *bonos Paſtores*, & Eccleſiæ gubernandæ *idoneos* eſſe promovendos; & illicò ſubditur, eos peccare mortaliter, qui non quos *digniores, & Eccleſiæ magìs utiles* ipſi judicaverint, præfici curaverint. Sicut & ibidem circa finem habetur, Cardinales *idoneos* eſſe aſſumendos; & ſtatim ſubjungitur, debere aſſumi *lectiſſimos tantùm.*

Notant tamen Doctores, quæ hactenùs de 1.
peccato mortali dicta ſunt, tunc locum habere, quandò dignus promovetur ad Beneficium omiſſo ſcienter digniori, & quidem notabiliter digniori. Tum quia major iſthæc dignitas non ſemper diſtinctè poteſt dignoſci, eò quòd ſit menſuranda ex omnibus qualitatibus in ſimul conſideratis, ac non raro, qui præcellit ſcientiâ, ab alio ſuperetur in probitate vitæ, vel agendorum dexteritate, aut alijs qualitatibus; ut proinde non mirum ſit, quòd tam diverſa ſubinde ab Eligentibus judicia formentur. Tũ quia, quando exceſſus dignitatis in eo, qui prætermittitur, modicus eſt, ac parvus duntaxat ſupra eum, qui promovetur, etiam tunc non committi peccatum mortale, rectè notant Doctores; ut Lugo *diſp. 35. de Juſt. & jure. ſect. 3, n.* 21. Sanchez *lib. 2. Conſil. cap. 2. dub. 1. n.* 17. Garcias *part. 7. de Beneficijs, cap.* 15. *n.* 2. Navarrus, Sotus, Sylveſter, & alij ab ipſis relati. Siquidem tunc à mortali excuſat parvitas materiæ, ſicut & in alijs talibus materijs iſtud contingere ſolet.

Deinde loquendo de Beneficijs ſimplicibus, & 2.
nullam curam animarum habentibus, non eſſe peccatum mortale, eadem conferre dignis, omiſſis dignioribus, cenſent multi Authores; ut Lugo *cit. diſp. 35. ſect. 2. n.* 20. Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jure cap.* 34. *dubit.* 14. Garcias *part. 7. de Benefic. cap.* 16. *n.* 16. Navarrus *lib. 2. de Reſtitut. cap.* 2. *n.* 172. Diana *part. 2. tract. 1. Miſcellan. Reſolut.* 38. ac præter alios, quos allegat, probabile cenſet Jo. Cardenas *ſuper cit. Propoſit. 47. Innocentij XI. cap. 1. n. 6.* quamvis contrarium tenere videatur D. Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. eúmq; non pauci alij ſequantur. Ratio prioris ſententiæ eſt: quia neque Concilium Trident. *cit. Seſſ. 24. cap. 1. & 18.* neque dicta Propoſitio damnata, agit de Beneficijs ſimplicibus, ſed ſolùm de Curatis; ſimúlque periculum tanti mali inde non imminet, neque ex ijs adeò pendet bonum Eccleſiæ, ſicuti fit in Curatis: ac proinde faciliùs poteſt excuſari Elector, qui ſemel aut iterum digniorem omittit, dummodò alter ſit verè dignus, & hoc communiter non fiat; prout limitat Lugo *cit. n. 20.* & Leſſius, *ubi ſuprà*, ne alioquin ſucceſſivè graviter lædatur Eccleſia, ſi ſemper digniores omittantur, & nemo curet promovere digniores in ejus miniſtros.

Quæ-

248 Quæritur III. Utrùm valida ſit electió digni, prætermiſſo digniore facta? Reſp. Licèt electio indigni ipſo jure ſit irrita, atque invalida, ut *c. Dudum. 22. de Election.* cum concordantijs: nihilominùs ſi fiat electio digni, poſthabito etiam digniori, eadem in utroque Foro, tam interno ſcilicet, quàm externo, valida eſt, nec reſcindi poteſt. Ita Gloſſa magna *circa fin. can. Nullus. diſt.* 61. D. Thomas *cit. quæſt* 63. *art.* 2. *ad* 3. Garcias *cit. cap.* 16. *n.* 2. citans plurimos alios, Zoëſius *h. t. n.* 45. Engel *eod. n.* 47. cum communi. Idq; deſumitur ex *c. Cùm nobis.* §. *His igitur.* 19. *& c. Cùm dilectus.* 32. *h. t.* ubi talis electio minùs digni omiſſis dignioribus refertur, & ſtantibus alijs confirmanda cenſetur. Accedit ratio: quia, ſi electio impugnari poſſet in Foro externo, ſeu judiciali, ex eo duntaxat, quòd non fuerit electus melior, facilè omnis electio poſſet habere hanc calumniam, & lata porta aperiretur innumeris litibus, quod eſt abſurdum.

249 Nec obſtat, quòd eligentes peccent, ſimúlque intentum Eccleſiæ ſit, ut eligantur digniores. Reſp. enim neg. ſequel. Nam imprimis *multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*, ut dicitur *in c. Ad Apoſtolicam.* 16. *de Regular.* Accedit, quòd Eccleſia nullibi reijciat, ſeu irritet electionem digni (benè tamen indigni) & hoc ob commune bonum pacis: alioquin enim omnes propemodùm electiones eſſent in diſcrimine, & locus infinitis litibus, ſi eâ duntaxat de causâ everti poſſent, quòd non fuerit electus dignior.

250 Dices. B. Pius V. In Conſtitutione, *In conferendis.* 1566. 13. Cal. Aprilis editâ (quam refert Garcias *part.* 9 *de Beneficijs. cap.* 2. *num.* 3.) inter alia expreſsè cavet, quòd ſi Epiſcopus minùs habilem poſthabitis magis idoneis elegerit ad Eccleſiam Parochialem, poſſint ij, qui rejecti fuerunt, appellare ad Metropolitanum, & conſtito de prioris Eligentis irrationabili judicio, eóque revocato, Eccleſia Parochialis magis idoneo conferatur. Reſp. hoc eſſe ſpeciale in electione ad Parochialem Eccleſiam per Concurſum; idq; ob ſpecialē diſpoſitionem dicti B. Pij V. Quamquàm rectè notat Paſſerinus *cap.* 30. *de Elect. n.* 88. cum alijs, etiam talem appellationem eſſe parùm utilem, ad hoc, ut in Foro externo electio minùs digni caſſetur. Tum quia major habilitas, ſeu dignitas ad Beneficia Eccleſiaſtica pendet non ſolùm à majori ſcientia, ſed etiam ex prudentia, ſolertia, dexteritate ad regendum, nobilitate ac potentia Familiæ, & nonnullis alijs circumſtantijs externis, quæ poſſunt movere ad excluſionem doctiſſimi & ſanctiſſimi Viri; unde nimiùm difficile erit probare, quòd judicium Epiſcopi eligentis minùs dignum fuerit irrationabile. Tum quia adeò vehemens eſt præſumptio pro Ordinario, ut debeat clarè doceri de dolo, & irrationabilitate ipſius, juxta Rotam *Deciſ.* 537. *part.* 1. *Recent.*

§. XI.

De pœnis Eligentium indignum, aut non ſervatâ debitâ formâ, ſeu tempore à Jure ſtatuto.

SUMMARIUM.

251. *Eligentes indignum, ipſo jure privati exiſtunt pro una vice poteſtate eligendi.*

252. *Et non primùm per ſententiam.*

253. *Dummodò ſcienter elegerint indignum: ſecùs, ſi ignoranter.*

254. *Eligens indignum, & allegans ignorantiam, cogitur hanc probare.*

255. Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur: *explicatur.*

256. *Ignorantia, quomodo probari poſſit?*

257. *Dicta pœna privationis poteſtatis eligendi non incurritur, niſi ſequatur communis electio.*

258. *Ac incurritur tantùm pro una vice.*

259. *Idq; exemplificatur.*

260. *Poſt electionem indigni à majori parte Capitularium factam, poteſt minor pars eligere alium dignum; & quomodo?*

261. *Eligentes indignum poſſunt ab alijs repelli per viam exceptionis.*

262. *Eligentes indignum in Epiſcopum, ipſo jure ſunt ſuſpenſi à Beneficijs per triennium.*

263. *Quod intelligendum de Beneficijs, quæ quis obtinet in Eccleſia offenſa.*

264. *Cur cenſeatur Eccleſia offendi per electionem indigni?*

265. *Aliquando quis eſt ſuſpenſus à Beneficijs in una, & non in altera Eccleſia.*

266. *Pœna iſta triennalis ſuſpenſionis, à quibus indignum eligentibus incurratur?*

An etiam ab Epiſcopis, vel Canonicis Capitularibus? Ibid.

267. *Eadem pœna non habet locum in electionibus inferiorum Prælatorum, præter Epiſcopos.*

268. *Benè tamen pœna privationis poteſtatis eligendi pro una vice; & cur?*

269. *Electio Prælati in Eccleſia viduata, ſi fiat non ſervatâ formâ* c. Quia propter. h. t. *eſt ipſo jure nulla.*

270. *Quod tamen limitatur. Et num. ſeqq.*

271. *Quando adſunt pauci Electores, v. g. duo, vel tres tantùm, non obligat* c. Quia propter, h. t.

272. *Quid agendum, ſi mortuo Epiſcopo, & cæteris Canonicis, remanſit unicus Canonicus?*

273. *Vel ſi remanſerunt duo?*

274. *Aut tres Canonici?*

275. *Electus contra formam c.*Quia propter. h.t. *eſt tutus in conſcientia, ſi nemo ſeſe opponat electioni.*

276. *Eligentes non ſervatâ debitâ formâ pro una vice eligendi poteſtate privantur, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam.*

277. *Econtrà eligentes indignum, ſunt ipſo jure privati; & quæ diſparitas?*

278. *Quæ ſit pœna non eligentium intra tempus à Jure præfixum. Et num. ſeqq.*
In Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus, debet electio Prælati fieri intra trimeſtre. Ibid.

279. *Trimeſtre iſtud eſt computandum, non à die vocationis, ſed notitiæ.*

280. *Etiam Prælati Eccleſiarum Collegiatarum ſunt intra trimeſtre eligendi.*

281. *In alijs Prælaturis, ac Beneficijs ſufficit, electionem, ſeu collationem fieri intra ſex menſes.*

282. *Si electio non ſortiatur effectum, eò quod Electus non conſentiat, vel renunciet, aut moriatur, habent Electores integrum tempus ad novam electionem.*

251 QUæritur I. An, & qua ratione Eligentes indignum priventur jure eligendi? Reſp. I. Eligentes ſcienter indignum, v. g. excommunicatum, vel habentem defectum in Ordinibus, ſcientiâ, ætate, natalibus, aut hujusmodi, ipſo jure privati exiſtunt pro una vice poteſtate eligendi. Ita habetur *c. Cùm in cunctis: §. fin. 7: h. t.* ibi: *Eligendi tunc poteſtate privatos ſe noverint.* Concordat *c. Cùm Vintonienſis.* 25. *& c. Scriptum eſt.* 40. *eod.* eſtq; certa, & communis Doctorum. Atque hæc pœna non ſolùm procedit in Eligentibus, ſed etiam in Poſtulantibus ſcienter indignum; ut *cap. 1. de Poſtulat. Prælat.* & ibi Gloſſa, *℣. Privari*, & Abbas *num 31.* & alij, hoc intelligentes, ſi poſtuletur habens defectum indiſpenſabilem, aut in inſtrumento poſtulationis non expreſſum.

252 Dices. In *cit. c. Scriptum eſt*, dicitur, quòd eligentes, vel poſtulantes ſcienter indignum, *meritò debent eligendi, ſeu poſtulandi poteſtate privari*; ergò non ipſo jure, ſed primùm per ſententiam Judicis erunt privandi. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut explicat Gloſſa ibidem, ly *privari*, refertur ad factû; cùm ſint ipſo jure privati, juxta alios textus citatos: & ſignificat, tales poſtmodùm per ſententiam Judicis, ſubortâ aliquâ lite, ſeu exceptione, debere nunciari, ſeu declarari, quòd ſint privati. Quo modo paſſim conſimiles locutiones ſunt intelligendæ, quando per alia Jura conſtat, pœnam ipſo jure infligi, ut dictum *Tit. de Conſtitutionibus.* §. 9. *num.* 220.

253 Additur notanter, *n.* 251. *Eligentes ſcienter indignum.* Nam ſecùs dicendum, ſi id fiat ignoranter, prout deſumitur *ex c. Innotuit.* 20. *& cit. c. Cùm Vintonienſis*, junctâ Gloſſâ *℣. Scienter. h. t.* & notat Abbas *c. Cùm in cunctis.* §. *Clerici. n.* 2. *eod.* Paſſerinus *cap.* 29. *de Election. n.* 78. & alij.

254 Verumtamen eligens indignum, & aſſerens, ſe id ignoranter feciſſe, cogitur probare ignorantiam, *arg. cit. c. Innotuit. h. t.* ubi Pontifex eligentibus indignũ ſolùm ex gratia remiſit, quòd nõ cogerentur probare ignorantiam, quam allegabant; & notat ibidem Gloſſa, *℣. Ignorantiam.* & Abbas *n.* 7. inde inferens, quòd ignorantia in facto alieno non præſumatur, quando quis ex officio inquirere tenetur: prout Vocales ex officio tenentur inquirere de qualitatibus eligendi.

255 Nec obſtat Regula 47. *Juris in 6.* ubi dicitur: *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* Nam hæc regula non habet locum, quando quis ex officio ſcire, ac indagare tenetur, *arg. cit. c. Innotuit.* & concordat *c. Quamvìs.* 10. *de Reg. jur.* ubi in ſimili dicitur: *Non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor ignorat*, ſeu ſe ignoràſſe allegat.

Poteſt autem ignorantia in propoſito probari, vel oſtendendo, quòd Electus communiter habebatur pro legitimo, ſeu habili, ac veluti talis fungebatur publicis honoribus; vel ſaltẽ per proprium juramentum. Gloſſa *in d. c. Innotuit. ℣. Ignorantiam. in fin.* quam ſequitur Abbas *ibid. n.* 22. iſtud limitans, dumodò talis communiter non fuerit habitus pro illegitimo; quia tunc non ſtaretur juramento. 2

Reſp. II, Etſi peccent, qui ſcienter dant ſuffragium indigno, nihilominùs memoratam pœnam privationis poteſtatis eligendi pro una vice non incurrunt, niſi etiam ſequatur communis electio indigni; id eſt, niſi etiam publicæ, ſeu capitularis electionis Decretum fuerit promulgatum. Ita communis; & habetur deciſum *in c. Perpetuo.* 7. *h. t. in* 6. ibi: *Declaramus, quòd ſcienter in electionibus nominantes indignum, propter ſuffragium in ſcrutinio præſtitum (niſi adeò in eo præſtiterint, quòd ex votis eorum communis electio ſubſequatur) nequaquam eligendi poteſtate priventur: licèt pro eo, quòd indignum nominando, ſcienter contra conſcientias ſuas agunt, & Divinam vindictam, & Apoſtolicæ ultionis metum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſint non immeritò formidare.* Accedit ratio: quia verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu, *ut c. Relatum. de Cler. non reſident.* Deinde Jura allegata puniunt tantummodò eligentes ſcienter indignum: atqui nec nominatio in ſcrutinio, nec votorum publicatio, poteſt dici communis electio, *c. In Geneſi.* 55. *h. t.* ergo. 2

Reſp. III. Dicta etiam privatio poteſtatis eligendi, incurritur tantùm pro una vice. Ita communis; & patet ex Juribus *n.* 251. allegatis, & clariùs ex *c. Cùm Vintonienſis.* 25. *h. t.* ubi Pontifex declarat, dicens, quòd Decretum Concilij Generalis, *c. Cùm in cunctis. h. t.* relati, *decrevit, hujusmodi præſumptores* (nempe ſcienter eligentes indignum, ut putà, non legitimè natum) *unâ vice duntaxat eligendi poteſtate privatos.* Ubi Abbas *num.* 6. notanter ait, quòd eligentes ſcienter indignum, non ſunt privati poteſtate eligendi per totam illam vacationem Prælaturæ, ſed in prima duntaxat electione, quæ ibi occurrit facienda, ſive ea habuerit effectum, ſive non: ſatis enim eſt, 2

quòd

quòd illi fuerint privati in una electione, quæ eſt proxima poſt electionem indigni, ſicque ordine ſecunda; hinc quippe eſt purgatum vitium eorum.

259 Infertur proinde, quòd ſi proxima electio ex eo non fuerit conſecuta ſuum effectũ, quia Electus non acceptavit, vel mortuus eſt, aut quia electio ob vitium aliquod reſciſſa fuit &c. privati, & jã ſemel puniti, recuperent jus eligendi, ita ut ad ſequentem electionem procedere nõ prohibeantur. Layman *in cit. c. Cùm Vintonienſis. n. 4. h.t.* Inſuper, ſi Eligentes indignum, poſteà ab alijs Vocalibus innocentibus fuerunt admiſſi ad celebrandam novam, ſive ſecundam electionem (cùm iſti per hoc ceſſerint juri ſuo) jam illi nõ ampliùs poſſunt repelli ab alia nova, ſive tertia electione, ſi forſan iſta ſecunda ſuum effectum non ſortiatur; per textum *cit. c. Cùm Vintonienſis.* §. *fin.* ibi: *Quoniam electio, quam coram nobis celebrare volebant, non jam ſecunda, ſed tertia concurrebat, ad eligendum illos cenſuimus admittendos.*

260 Infertur ulteriùs, quòd poſt promulgatũ Decretum electionis à majori parte Capitularium de perſona indigna factæ, alij licèt pauciores, qui indignum nõ elegerunt, ſi circa aliam perſonam dignam conſenſerint, ſtatim ac veluti eodem electionis contextu, etiam non inchoato novo Scrutinio, Decretum electionis ſuæ efformare, & publicare valeant; aut ſi maluerint, poſſint id etiam ex intervallo facere, repetito tamen inter eos ſcrutinio, & tractatu. Deſumitur hoc ex *c. Congregato.* 53. junctâ Gloſſâ, *℣. Poſtmodùm. h. t.* & tradit ibi Jo. Andreas, & Abbas *n. 6.* Layman *cit. n. 4.* & alij. Ratio eſt: quia major pars Capitularium eligens ſcienter indignum, privata eſt pro una vice poteſtate eligendi, & hæc tota remanet penes alios, licèt pauciores, atque iſti repræſentant tunc totum Capitulum: *ut c. Dudum* 22. junctâ Gloſſâ, *℣. In Ordinibus. & c. Bonæ memoriæ.* 23. *& c. Congregato.* 53. *h. t. & c. Gratum de Poſtulat. Prælat.*

261 His adde, quòd privati poteſtate eligendi ob electionem indigni, poſſint ab alijs innocentibus, licèt paucíſſimis, ab actu novæ electionis repelli per viam exceptionis. Cùm enim illi ſint privati ipſo jure, non eſt opus, ut feratur ſententia, ſive declaratio ſuper eorum privatione, ſed illicò valet electio à cæteris facta; prout deſumitur ex *cit. c. Bonæ memoriæ. & c. Dudum. h. t.* ac notat Abbas *in c. Cùm Vintonienſis. n. 6. h. t.*

262 Quæritur II. An, & qualiter Eligentes indignum, pœnam ſuſpenſionis à Beneficijs incurrant? Reſp. I. Eligentes ſcienter indignum in Epiſcopum, vel eo ſuperiorem, ſunt ipſo jure à Beneficijs Eccleſiaſticis ſuſpenſi per triennium. Ita habetur expreſſum *c. Cùm in cunctis.* 7. *§. Clerici. h. t.* ubi verba illa, *Et ab Eccleſiaſticis Beneficijs triennio noverint ſe ſuſpenſos*, pœnam latæ ſententiæ important. Concordat *c. Cùm Vintonienſis.* 25. *& c. Per inquiſitionem.* 26. *h. t.* ubi proinde infertur, atque in facti contingentia deciditur, quòd tales durante ſuſpenſione ad Dignitatem Eccleſiaſticam eligi, ſeu promoveri non poſſint.

Reſp. II. Hæc pœna triennalis ſuſpenſionis à Beneficijs, quam incurrunt eligentes ſcienter indignum in Epiſcopum, procedit ſolumodò de illis Beneficijs, quæ quis obtinet in illa ipſa Eccleſia, quam ſic eligendo ſpecialiter offendit, nõ autem de cæteris Beneficijs. Ita habetur expreſsũ *in c. Si compromiſſarius.* 37. §. *Reſtringitur. h. t. in 6.* Siquidem in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, juxta *Reg.* 49. *Juris in 6.* cum concordantijs; ac proinde licet *in d. c. Cùm in cunctis. §. Clerici. h. t.* Eligentes indignum indefinitè ſuſpendantur ab Eccleſiaſticis Beneficijs; rectè tamen hæc pœna reſtringitur ſolùm ad Beneficia Eccleſiaſtica, quæ quis obtinet in Eccleſia ſpecialiter offenſa per ſuam electionem indigni. 263

Cenſetur autem Eccleſia ſpecialiter offendi per electionem indigni, licèt hæc ipſo jure fuerit nulla, nec habuerit effectum: quia, quantùm in ipſo eligente fuit, malè eligendo offendit, dũ ad ejus gubernium ſcienter indignum promovere ſtuduit, neq; hæc prava voluntas intra ſuos terminos ſtetit, ſed in conatum externum prodijt; atq; ideò, Jure ſic diſponente, meritò eſt punienda. Gloſſa *in cit. §. Reſtringitur. ℣. Offendiſſe.* 264

Nec cuipiam abſurdum videatur, quòd hac ratione aliquis ſit ſuſpenſus à Beneficio in una Eccleſia, & non alia. Nam ſimile quid habetur *in c. Cupientes. §. Cæterùm. eod. in 6.* Licèt enim per electionem indigni offendatur quoque Eccleſia univerſalis, utpote quæ eſt una toto orbe terrarum diffuſa, *can. Loquitur. 24. q. 1.* ſpecialiter tamen ſolùm offenditur illa Eccleſia, ad cujus regimen ſcienter quis eligit indignum. 265

Reſp. III. Inſuper præfatam pœnam ſuſpenſionis à Beneficijs, incurrunt duntaxat Clerici inferiores ſcienter eligentes indignum. Ratio eſt: quia textus *in cit. c. Cùm in cunctis. §. Clerici. h. t.* loquitur ſolùm de Clericis, ibi: *Clerici ſanè, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, & eligendi tunc poteſtate privatos, & ab Eccleſiaſticis Beneficijs triennio noverint ſe ſuſpenſos.* Unde hæc pœna non comprehendit Laicos, ſi quoquo modo eligant indignum. Neque Epiſcopos, ſi contingat ipſos eligere; nam hi in materia ſuſpenſionis, ac interdicti, non comprehenduntur ſub generali nomine Clericorum, *c. Quia periculoſum. 4. de Sent. excommun. in 6. & c. Si compromiſſarius. §. Hujusmodi. h. t. in 6.* Neque Cardinales eligentes indignum in Papam; cùm & ipſi non veniant nomine Clerici in odioſis, ſimúlque electio Papæ ſpeciali expreſſione indigeat. Paſſerinus *cit. cap. 29. n. 85.* Benè tamen Canonici Cathedrales: quamvis enim Canonici in odioſis cæteroquin non veniant ſub nomine Clerici, ut *c. Statutum. 22. h. t. in 6.* quia tamen illi ipſi ſunt, quibus de jure competit eligere Epiſcopum, dubitari non poteſt, quin pœna ſuſpenſionis *in d. §. Clerici* lata in Clericos indignum eligentes in Epiſcopum, arctet Canonicos Cathedrales. Abbas *in c. Bonæ memoriæ. 3. num. 2. de Poſtulat. Prælat.* ubi in ſuperſcriptione Canonici Cathedrales in materia electionis vocantur *Clerici Ravenn. Eccleſiæ.* 266

Reſp.

267 Reſp. IV. Ulteriùs memorata pœna trienalis ſuſpenſionis à Beneficijs Eccleſiaſticis, nō habet locū in electionibus inferiorum Prælatorū, aut Beneficiariorū, ſed tantummodò in electionibus Epiſcoporum; adeò, ut ipſa tantùm incurratur ab eligentibus ſcienter indignum in Epiſcopum, vel eo majorem. Ita habetur expreſſum *in cit. c. Si compromiſſarius. 37. §. Hujusmodi. h. t. in 6.* & ampliùs notat Gloſſa *c. Quamquàm. 18. ỷ. Secùs. eod. in 6.* eſtq; cōmunis DD. Nam, quia majoris momenti eſt electio Epiſcopi præ inferiorū electionibus, ſimúlq; ex electione indigni in Epiſcopū multò magis læditur Eccleſia, quàm ſi ad inferius Beneficium quis indignus promoveatur: meritò pœna ſuſpenſionis, in allegato *c. Cùm in cunctis. h. t.* lata contra eligentes indignū, reſtringitur ad ſolā electionē Epiſcoporū; eò præſertim, quòd ibidē de horum electione principaliter agatur, ac pœnæ ſint reſtringendæ potiùs, quàm laxandæ.

268 Dices. In allegato *c. Cùm in cunctis. §. Clerici.* æqualiter, & ſub eodem contextu verborū, imponitur pœna privationis poteſtatis eligendi pro una vice, & pœna ſuſpenſionis triennalis à Beneficijs; ergo, ſi eligentes indignum ad inferiores Prælaturas, vel Beneficia, incurrunt priorē pœnam, ut vult Gloſſa *d. c. Quamquàm. ỷ. Secùs. h. t. in 6.* & Abbas *c. Dudum. 22. n. 11. h. t.* pariter ipſi incurrent poſteriorē pœnam, vel certè hi neutrā incurrunt. Reſp. neg. conſequent. Licèt enim nō deſint Doctores, quos citat, & ſequitur Paſſerinus *cit. cap. 29. de Elect. n. 94. & 95.* qui volunt, quòd etiam pœna privationis vocis nō afficiat, niſi eligentes indignum ad Epiſcopatum, & ſuperiores Dignitates: at verò eligentes indignū ad Dignitatē Epiſcopatu inferiorem hac pœna pro una vice non ligentur, ſed ſint puniendi pœnâ extraordinariâ, & arbitrariâ: probabilior tamen, & Juri conformior eſt oppoſita ſententia Gloſſæ, & Abbatis. Tū quia *in cit. c. Cùm in cunctis. h. t.* etiā fit ſermo de electione inferiorum, nempe Decanorū, Archidiaconorū, & aliorum Curatorum; & ſola pœna ſuſpenſionis, non item privationis facultatis eligendi pro una vice, reſtringitur ad electionem Epiſcoporū in ſæpè *cit. c. Si compromiſſarius. h. t. in 6.* Tū quia, quòd ſcienter eligentes indignum ad inferiores Prælaturas, vel Beneficia, priventur poteſtate eligendi pro una vice, præter *cit. c. Cùm in cunctis. §. Clerici.* etiam per alia poſteriora Jura ſatis exprimitur; uti patet ex *c. Dudum. 22. h. t.* loquente de electione ad Præpoſituram, & *c. Perpetuo. 7.* & *c. Quamquàm. 18. eod. in 6.* Juſtum quippe eſt, ut eligentes ſcienter indignum puniantur in eo, in quo deliquerunt; ſicque poteſtate eligendi, quâ ſemel fuerunt abuſi, pro unâ ſaltem vice priventur. Secùs eſt de ſuſpenſione à Beneficijs: nam, quia per electionem indigni in Epiſcopum ſpecialiter læditur Eccleſia, non autem per electionem ad inferiores Prælaturas, vel Beneficia, dicta pœna meritò ad illam ſolam reſtringenda cenſetur in *cit. c. Si compromiſſarius. h. t. in 6.* & præter Gloſſam *loc. cit.* notat ibidem Layman *n. 5.* Pirhing *h. t. n. 43.* & alij.

Quæritur III. Quæ ſit pœna eorum, qui eligunt Prælatum in Eccleſia viduata non ſervatā formâ Scrutinij, *in c. Quia propter. 42. h. t.* præſcriptâ? Reſp. I. Hujusmodi electio imprimis eſt ipſo jure irrita. Ita communis: & patet ex textu illius Capituli, ibi: *Aliter electio facta non valeat.* 2

Intellige tamen iſtud imprimis de electionibus illorum Prælatorum, per quorum mortem cenſetur Eccleſia viduata, juxta dicta ſuperiùs *§. 5. num. 110. & 111.* Deinde idipſum limitatur, dummodò non habeatur ſpeciale privilegium Apoſtolicum de alia electionis forma tenenda; aut de una vel altera conditione Scrutinij omittenda; *arg. c. Abbate. §. Contra. de Verb. ſignif.* Aut niſi per conſuetudinem legitimè præſcriptam aliud alicubi fuerit introductum, *arg. cap. ult. de Conſuet.* 2

Ulteriùs limitatur allata Concluſio, quando adſunt pauci Electores, videlicet duo, vel tres tantùm: tunc enim non tenentur (cùm nec poſſint) ſervare præſcriptam in *cit. c. Quia propter. h. t.* formam Scrutinij, aſſumendo videlicet tres Scrutatores de Collegio, cùm ipſi conſtituant totum Collegium. Et ratio ulterior eſt: quia pro tali caſu, ſive ad duos, vel tres ſolùm Electores, non poteſt adaptari intentio, ſeu mens dictæ Decretalis. *Quia propter;* & per conſequens ea hìc ceſſat, *arg. l. Ita autem. ff. de Adminiſtrat. & pericul. Tutor.* Innocentius *in d. c. Quia propter. n. 5. h. t.* Ancharanus *in c. Nullus. 1. n. 3. eod.* & alij. 5

Quòd ſi quæras, quid igitur in tali caſu agendum, quando videlicet mortuo Epiſcopo, & cæteris Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, ſolummodò tres, duo, vel etiam unicus horum remanſit? Reſp. Quando remanſit unicus Canonicus, tunc jus Capituli, ſeu univerſitatis remanet in illo uno, *l. Sicut municipum. §. fin. ff. Quod cujuſque univerſ.* ac notat Gloſſa magna *in c. Gratum.* & Abbas *ibid. n. 9. de Poſtulat. Prælat.* Licèt igitur talis non poſſit eligere ſeipſum in Epiſcopum (quia cenſeretur ambitioſus & hoc ipſo repellendus; ut *c. Per noſtras. 16. de Jurepatronat.* cum ſimilibus) poterit tamen eligere extraneum: aut, ſi nolit, cenſetur electus à jure, & ſic poteſt à Superiore confirmari, ſi cæteroquin dignus exiſtat. Paſſerinus *cap. 18. de Election. num. 70.* citans alios.

Deinde, quando duo tantùm remanſerunt, poſſunt illi vel eligere extraneū, ſi conſentiant; vel compromittere limitatè in aliquem, ut is unum ex ipſis duobus eligat: alioquin verò, cùm neuter eorum poſſit eligere ſeipſum, inter ipſos nequit dari electio concors, & votis majoribus celebrata, niſi unus eorum velit renunciare juri eligendi: hoc autem facto, ſi eligatur ab altero Concanonico, cenſetur ritè electus. Ancharanus *cit. n. 3.* Paſſerinus *n. 72.* Fatendum tamen, quòd Abbas *c. Cùm in jure. 33. n. 5. in fin. h. t.* poſt Jo. Andream ſentiat, quòd in tali caſu poſſit unus eligere alterum, & electus conſentiendo electioni ſuæ augere numerum, adeò ut electio dicatur facta non ab uno, ſed à toto Capitulo. Et hujus ratio eſſe poteſt: quia duo illi Electores non tenentur ad legem Scrutinij, & 3

& poſſunt publicè inter ſe eligere; cùm unus non poſſit alterum in ſecreto ſcrutari, ſicque forma Scrutinij tunc ſit obſervatu impoſſibilis. Abbas *part. 2. Conſil. 25. n. 2.* Verùm prior ſententia eſt tutior.

27 Tandem, quando tres Canonici ſuperſunt, tunc vel tres extranei aſſumantur in Scrutatores, juxta doctrinam Gloſſæ *in c. Quia propter.* ℣. *Viris. h. t.* Vel ex ipſis duo ſemper, ac ſingillatim, ſcrutentur tertium in ſcriptis votantem, donec omnes tres ſua vota dederint: atque electus à duobus prævalebit, ejúſque electio erit valida, dummodò aliud canonicum non obſtet.

27 Inſuper circa datam *num.* 269. Concluſionem eſt notandum cum Laymano *in d. c. Quia propter. n. 13. h. t.* & alijs, quòd electio contra formâ citatæ Decretalis celebrata, eatenùs ſolùm ipſo jure cenſeatur irrita, quatenùs per ſententiam declaratoriam Judicis reſcindi poteſt, perinde ac ſi ab initio penitus non ſubſtitiſſet. Alioquin verò, ſi non reſcindatur, eò quòd nemo ſit, qui eam impugnet, neque ad eam reſcindendam Superior ex officio moveatur; Electus Prælaturam acceptans, & retinens, tutus manet in conſcientia; cùm naturalis obligatio, atque jus ex Eligentium conſenſu jam ortum ſubſiſtat. Hoc ipſum ampliùs probatur ex dictis *Tit. de Conſtitutionibus. §. 11. num. 255. & 256. & ſeqq.*

7 Reſp. II. Ulteriùs Capitulares, qui non ſervatâ debitâ formâ Scrutinij electionem faciunt, pro ea vice eligendi poteſtate privantur, quamvis hæc pœna non infligatur ipſo jure, ſed primùm per ſententiam Judicis ſit inferenda. Ita Doctores paſſim; idque patet ex ſæpè *cit. c. Quia propter. h. t.* ibi: *Qui verò contra præfatas formas eligere præſumpſerint, eligendi eâ vice poteſtate priventur.* Ubi Gloſſa communiter recepta ait: *Priventur per ſententiam, non ipſo jure.* Concordat *c. Cumana.* 50. *§. fin. h. t.* junctâ Gloſſâ *fin. ibid.*

7 Nec obſtat *c. Cùm in cunctis.* 7. *h. t.* ubi Eligentes indignum, ipſo jure privantur poteſtate eligendi pro una vice. Reſp. enim, hoc procedere, cùm peccatur eligendo ex certa ſcientia perſonam indignam: ſecùs autem, quando peccatur ſolumodò contra formam *in c. Quia propter. h. t.* præſcriptam, electio tamen facta eſt de perſona idonea. Quia enim plùs peccant, magisq; offendunt Eccleſiam, ſcienter eligentes perſonam indignam, quàm non ſervantes dictam formam: meritò major pœna imponitur in uno caſu, quàm in altero; ſicque dicta pœna privationis ibi incurritur ipſo jure, hîc autem ſolummodò per ſententiam. Gloſſa *fin. ubi ſuprà.* Abbas *c. Quia propter. §. Niſi. n. 3.* & alij.

78 Quæritur IV. Quæ ſit pœna non eligentium intra tempus à Jure præfixum? Reſp. I. Loquendo de Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus, ſi illi, ad quos ſpectat electio, negligunt eligere intra tres menſes, tunc ipſi ſunt privati poteſtate eligendi pro ea vice, ac proximus Superior ordinabit Eccleſiam. Ita communis; atque habetur deciſum *in c. Ne pro defectu.* 41. *h. t.* illis verbis: *Ne pro defectu Paſtoris gregem Dominicum lupus rapax invadat; aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata grave diſpendium patiatur &c. Statuimus, ut ultra tres menſes Cathedralis, vel Regularis Eccleſia Prælato non vacet: intra quos (juſto impedimento ceſſante) ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant eâ vice: ac ipſa eligendi poteſtas ad eum, qui proximè præeſſe dignoſcitur, devolvatur &c.*

Cæterùm dicti tres menſes, intra quos electio ejusmodi celebrari debet, ſunt computandi non â die vacationis, ſed à notitia hujus, textu claro *c. Licèt. 3. de Supplend. neglìgent. Prælat. & c. Quia diverſitatem. 5. §. fin. de Conceſſ. Præbend.* Inſuper dictum trimeſtre non currit legitimè impeditis; adeòque tempus exiſtentis legitimi impedimenti non eſt computandum in dictis tribus menſibus: nam Conſtitutio illa, *Ne pro defectu*, eſt lata duntaxat contra negligentes; prout liquet ex illis verbis, *Juſto impedimento ceſſante*, & ampliùs probat Gloſſa *ibid.* ℣. *Impedimento.* 279

Reſp. II. Dicta Conſtitutio *Ne pro defectu. h. t.* probabiliter extenditur etiam ad illos Eccleſiarum Collegiatarum Prælatos, qui ordinariam, & generalem jurisdictionem in Clericos ſuæ Eccleſiæ, jure ſpeciali exercent. Ita Gloſſa *d. c. Quia propter.* ℣. *Eccleſijs viduatis.* & Abbas *in c. Ne pro defectu. n. 5.* & ibi Imola. *num. 5.* & Layman *num. 2. h. t.* Idque deſumitur ex identitate rationis: nam tales Prælati habentes jurisdictionem generalem, etiam quodammodo Sponſi dicuntur, *can. Sicut in unaquaque.* 21. *q.* 2. Simúlque intentio præallegatæ Conſtitutionis fuerat, providere *Eccleſijs viduatis*, ne diſpendium patiantur: adeòque tanquam favorabilis, meritò videtur extendenda etiam ultra proprietatem verborum, ſpectatâ intentione Legislatoris, quæ ex identitate rationis in lege, ſeu memoratâ Conſtitutione expreſſæ, ſatis innoteſcit, juxta dicta *Tit. de Conſtitutionibus. num.* 387. *&* 388. *&* 429. 280

Reſp. III. Quantùm attinet ad alias Prælaturas, Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica, ſufficit, ſi electio ad ipſa, vel eorundem collatio, fiat à die notæ vacantiæ intra ſex menſes: quibus elapſis de Epiſcopo ad Capitulum Cathedrale, & econtrà, ac demum ijsdem conferre negligentibus ad proximum Superiorem devolvitur collatio. Ita expreſsè habetur *in c. Nulla 2. de Conceſſ. Præbend.* juncto *c. Quia diverſitatem. 5. eod.* cum concordantijs. 281

Reſp. IV. Quòd ſi electio intra tempus legitimum celebrata, ex eò non ſortiatur effectum, quia Electus non conſentit, vel poſt præſtitum conſenſum renunciat, aut moritur, ſive ob occultum ejus vitium electio irritatur; Electores ex tunc (id eſt, à die diſſensûs, renunciationis, mortis &c.) habebunt integrum tempus ad electionem novam celebrandam, ac ſi vacatio nova eſſet; dummodò nihil fraudulenter circa hoc egerint. Ita expreſsè deciſum habetur *in c. ſi Electus. 26. h. t. in 6.* Et hujus ratio ibidem redditur: quia Electores illi jam fecerant, quod ſpectabat ad ipſos, infrà juris terminos eligendo; ac proinde pro matura deliberatio- 282

ne alterius Prælati eligendi; meritò ad novam electionem illis conceditur tempus integrum, hoc eſt, trium menſium in Cathedralibus, ac Regularibus Eccleſijs, vel ſex menſium in inferiobus Beneficijs; ut explicat Gloſſa ibidem ℣. *Integrum.*

§. XII.
De Publicatione Scrutinij, atque Electionis; Variatione votorum, & Acceſſu minoris partis ad majorem.

SUMMARIUM.

283. *Electio duplex, alia privata.*
284. *Alia communis; ſeu Capitularis.*
285. *Publicatio Scrutinij, quæ?*
286. *Et quomodo fiat?*
287. *Publicatio electionis communis; ſeu Capitularis; quæ?*
288. *Quibúsque verbis fieri ſoleat?*
289. *Electio clandeſtina, quæ?*
290. *Electores poſt publicatum Scrutinium variare non poſſunt, benè tamen antè.*
291. & 292. *Multiplex ratio hujus diverſitatis affertur, & reijcitur.*
293. *Ac vera aſſignatur.*
294. *Electores publicato Scrutinio non poſſunt variare; nec ut ſinguli, nec ut Collegium.*
295. *Dummodò ex votis ſingularibus in Scrutinio datis poſſit ſequi communis electio.*
296. *Secùs, ſi nullus obtinuit vota majora reſpectu totius Capituli.*
297. *Vel Electus non acceptat electionem, aut huic renunciat.*
298. *Vel ſi publicato Scrutinio apparet, nominatum eſſe ineligibilem: quia tunc oportet novum Scrutinium incohoare, & variare.*
299. *Si electio non ipſo jure eſt irrita, ſed per ſententiam caſſanda, non licet variare publicato Scrutinio.*
300. *In electionibus Monialium, an, & in quem finem liceat variare publicato jam Scrutinio?*
301. *Quid de electione Summi Pontificis?*
302. *In electionibus, an valeat acceſſus minoris partis ad majorem? Et num. ſeqq.*
303. & 304. *Præſertim, ſi in electione non ſit neceſſe, ſervare formam* c. Quia propter.
305. *Probatur; tunc valere talem acceſſum publicato Scrutinio.*
306. 307. 308. & 309. *Afferuntur, & ſolvuntur contraria.*

283 Quæritur I. Quid generatim notandum ſit circa publicationem Scrutinij, atque electionis? Reſp. I. Pro evitanda terminorum æquivocatione notandum eſt, quòd in tractatu Electionis duplex veluti electio diſtingui debeat, una privata, altera communis ſeu Capitularis: *Electio privata* idem eſt, ac ſingulorum Vocalium votatio, ſeu ſuffragatio, per quam videlicet ſinguli Electores ſecretè, ac ſingillatim ſuffragia ſua ferunt; de qua loquuntur verba illa, in ſæpè *cit. c. Quia propter. h. t.* contenta, ibi: *Qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum.* Unde, quia iſthæc electio eſt ſingulorum eligentium, ſingulariter dantium ſua vota, & conſentientium in eum, quem eligunt; jam tot ſunt electiones privatæ, quot ſunt numero eligentes, ut deſumitur ex *c. In Geneſi. 55. h. t.*

284 *Electio communis, ſeu Capitularis, atque publica*, eſt illa, quæ receptis ſingulorum Electorum ſuffragijs, & factâ eorundem collatione, fit ab uno nomine totius Capituli. Et de hac fit ſermo *in d. c. Quia propter. h. t.* illis verbis: *Ut is collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major & ſanior pars Capituli conſentit.* Inſuper de hac fit mentio in *c. Publicato. 58. eod.* ubi poſt publicatum Scrutinium, & conſequenter poſt data à ſingulis Vocalibus vota ſua, dicitur *electio celebranda*, videlicet iſta communis, ſeu Capitularis. Siquidem integra electio, eſt veluti actus moraliter unus totius Capituli; qui non cenſetur completus, donec unus nomine totius Capituli loquatur, & eligat Prælatum illum publicè & communiter, quem anteà ſinguli Capitulares, vel ſaltem plures eorum elegerunt ſecretè ac ſingillatim. Et hinc invalida eſt electio, quæ hac ratione non eſt communiter celebrata, *cit. c. In Geneſi. §. Nec etiam. 55. h. t.*

Reſp. II. Duplex quoque in tractatu Electionis intervenit Publicatio, videlicet Scrutinij & Electionis Capitularis. Et quidem *Publicatio Scrutinij* aliud non eſt, quàm publicatio votorum in communi; de qua fit mentio in ſæpè *cit. c. Quia propter. h. t.* ibi: *Vota cunctorum in ſcriptis redacta mox publicent in communi.* 285

Quomodo autem hæc Publicatio ſit facienda; variant nonnihil Doctores: nam Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 5. n. 15.* Aſcanius Tamburinus *tom. 1. de Jure Abbatum, diſp. 5. quæſt. 6. n. 15.* Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. univerſ. cap. 19. n. 216.* & Wagnereck *in c. Quia propter. ℣. Mox publicent. h. t.* docent, vota publicari in communi, quandò integer numerus votorum totius Capituli publicè enunciatur, v. g. dicendo: *Vota, quæ à Dominis Electoribus exquiſivimus, ſunt univerſim viginti*, nondum exprimendo perſonas, in quarum favorem ſunt data. Econtrà verò alij ad hoc requirunt, quòd Scrutatores palàm coram Capitulo Electum, vel, ſi plures ſint, Electos antequàm ad alium 286

alium actum procedant, nominent, & quot vota quilibet habuerit, pronuncient. Ita tenent Zerola *in Praxi Epiſcopali, part.* 1. *V. Electio. in Forma Inſtrumenti Electionis:* & Guilielm. Mandagotus *tom.* 15. *Tractatuum. tract. de Electione novi Prælati, cap.* 30. dicens, quòd vota in Scrutinio præſtita, debeant publicari in communi, *legendo ſcilicet coram ipſis* (Electoribus) *intelligibiliter, ac diſtinctè, ſcripturâ vota eadem continentem.* Paſſerinus *cap.* 19. *de Electione. n.* 1. *&* 4. ac Ludov. Engel *h. t. n.* 36.

287 Altera Publicatio, quæ eſt Electionis Capitularis, in negotio electionis interveniens, fit, quando Decretum electionis Capitularis promulgatur, & ſolemniter publicatur. Et de hac fit mentio in ſæpè *cit. c. Quia propter.* §. *in fin. h. t.* ibi: *Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, ut quàm citò electio fuerit celebrata, ſolemniter publicetur.*

288 Fit autem comunis, ſeu Capitularis electio, ejúſque publicatio; hiſce vel ſimilibus verbis: *Ego N. nomine meo, & omnium mecum conſentientium, eligo N. in Epiſcopum, & electũ pronuncio, in nomine Patris &c.* Vel, ſi ipſe eligens non conſenſiſſet, dicat: *Nomine omnium veſtrum, qui in ipſum conſenſiſtis &c.* Angelus *V. Electio. n.* 26. & alij. Quòd ſi alicubi habeatur ſpecialis formula publicandi electionem, longævo uſu approbata, illa in praxi obſervetur.

289 Cæterùm *Electio* dicitur *clandeſtina*, quæ fit ſingulariter, & occultè per occulta conventicula; ut inquit Gloſſa *ibid. V. Clandeſtinas.* Sive, ut explicat Fagnanus *in cit. c. Quia propter. num.* 65. Electio clandeſtina eſt, quando Canonici concordant inter ſe ordinando, ut nihil extra Capitulum de electione dicatur. Et talis omninò reprobatur, cùm oporteat electionem jam factam ſolemniter publicari, & quidem quàm citò fieri poteſt, ſeu abſque morali interruptione, ut dictum ſuprà *num.* 130, *&* 131.

290 Quæritur II. An Electores variare, ſeu à dato ſemel ſuffragio recedere, illúdque mutare valeant? Reſp. I. Electores poſt publicatum Scrutinium variare non poſſunt, benè tamen antè ejus publicationem. Ita communis Doctorum. Et quidem prima pars expreſsè habetur *c. Publicato.* 58. *h. t.* ibi: *Publicato Scrutinio variare nequeunt Electores: cùm ſit facienda collatio, & electio celebranda.* Hæc ibi. Altera verò pars, videlicet Electores poſſe ante publicationem Scrutinij variare (id eſt, à prima nominatione recedere, & alium eligendum nominare) pariter eſt communis: atque deſumitur ex allegatis jam verbis *Publicato Scrutinio*; à contrario ſenſu, ut notat Fagnanus *in d. c. Publicato. n.* 52. *h. t.* poſt Innocentium *ibid. n.* 2. Hoſtienſem, Jo. Andream, & alios.

291 Cæterùm in aſſignanda ratione hujus deciſionis Doctores valdè torquentur. Licèt enim Gloſſa in *cit. c. Publicato. V. Variare. h. t.* quatuor hujus afferat rationes: videlicet, quòd per publicationē Scrutinij res deſinat eſſe integra; & quòd nemini liceat mutare conſilium in alterius detrimentum; & quòd talis mutatio poſſit eſſe damnoſa Eccleſijs, ipſam protrahendo electionem; & tandem, quòd per Scrutinij publicationem electio quodam modo videatur jam initiata, ſicut per citationem negotium eſt quaſi cæptũ, ut *c. Gratum.* 20. *de Offic. Delegat.* Nihilominus iſtæ rationes vel æque probant, quòd non liceat variare ante publicationē Scrutinij, contra dicta *num. præced.* vel penitùs non urgent; ut patet præſertim in tertia ratione: nam cùm de Jure communi concedatur trimeſtre, vel ſemeſtre tempus ad eligendum, ſi intra hoc tempus abſolveretur electio, nemo dicere poſſet, variationem illam eſſe damnoſam Eccleſijs. Imò & quarta ratio per Gloſſam adducta nihil urget: ipſa ſiquidem non videtur vera, cùm matrimonium ſpirituale inter Eccleſiam, & Electum, primùm initietur per electionem Capitularem, atque ab Electo acceptatam, & non anteà; ut *c. Licèt.* 4. *de Translat. Epiſc.* cum ſimilibus.

Aliam proinde hujus rationem affert Abbas in *cit. c. Publicato n.* 3. *&* 4. *h. t.* videlicet, quòd ideò Electores publicato Scrutinio non poſſint variare, quia jam ſunt functi officio ſuo: prout à pari *c. Si tibi abſenti.* 17. *de Præbend. in* 6. conferens Beneficium abſenti non poteſt variare. Sed contrà eſt: quia imprimis hæc ratio pariter urget ante publicationem Scrutinij, probátque, etiam tunc Electores non poſſe variare, ſicut & conferens abſenti Beneficium variare nequit, cùm ſit functus officio ſuo: atque illud eſt falſum, ut patet ex *d. c. Publicato. h. t.* à ſenſu contrario. Deinde, ſi conſideremus Electores, non ut ſingulos, ſed ut Collegium, clarum eſt, quòd hi etiam poſt publicatum jam Scrutinium necdum ſint functi officio ſuo, cùm ad ipſos adhuc pertineat electio in communi, ſeu Capitularis; ergo vel dicendum, quòd ipſi ut Collegium poſſint variare publicato jam Scrutinio, contra dicenda *num.* 294. vel concedendum, quòd etiam hæc ratio non convincat. 292

Meliùs proinde dicitur cum Jo. Andrea *in d. c. Publicato. n.* 15. & Fagnano *loc. cit. n.* 7. *&* 10. hoc fuiſſe arbitrarium Pontifici, alioquin enim, ſi is voluiſſet, potuiſſet pariter inhibere variationem ante publicationem Scrutinij. Congruentia nihilominùs hujus præfixionis non modica eſt hæc: quia variatio poſt publicationem Scrutinij cederet in infamiam, ac injuriam Nominati, ex quo facta eſt publicatio nominis ejus; unde ad præcavendam talem Electi confuſionem, quæ facilè cæteroquin ſequi poſſet, meritò Pontifex decrevit, non poſſe Electores variare publicato Scrutinio, benè tamen anteà. 293

Reſp. II. Prædicta Concluſio procedit, ſive Electores publicato Scrutinio velint variare ut ſinguli, ſive ut Collegium, & in comuni. Neutro enim modo ampliùs variare poſſunt; quinimò, ſi neceſſe eſſet, deberent compelli per Superiorem ad collationem, & electionem comunem faciendam. Fagnanus *ibid. n.* 11. poſt Innocentium, Hoſtienſ. Ancharan. & alios communiter. Nam *cit. c. Publicato.* loquitur indiſtinctè: & infamia Nominati non minùs oriretur ex una, quàm ex altera variatione, ſeu mutatione voto- 294

rum, poſtquàm Scrutinium eſt publicatum, noménque Electi propalatum.

295 Reſp. III. Nihilominùs memorata Concluſio tunc ſolùm procedit, quando ex votis ſingularibus in Scrutinio datis poteſt ſequi, ac fieri communis electio. Ita communis; ac patet ex *cit. c. Publicato.* 58 *h. t.* ubi verba illa, *Publicato Scrutinio*, denotant actum perfectum, & conſummatum; atque accipi debent cum affectu, *arg. c. In his.* 15. *de Verb. ſignif* & cum alijs notat Fagnanus *loc. cit. num.* 35. Unde ibidem notanter dicitur, Electores publicato Scrutinio variare non poſſe, eò quòd ſit facienda collatio, & electio celebranda; & conſequenter, ſi ex facta collatione quidpiam forſan appareat, quod electionem reddit vitioſam, ipsóque jure nullam (ſecùs, ſi hæc per ſententiam Judicis primùm foret caſſanda) ſicut tunc non debet celebrari electio comunis, ſeu capitularis, ſed Scrutinium denuò eſt inchoandum, ita locus eſt variationi; poſſúntque, ac debent Vocales alium à priori in novo Scrutinio nominare, donec inde ſequi poſſit communis electio: niſi fortè de unanimi eorum conſenſu, per formam Compromiſſi placeat electionem terminare.

296 Sic imprimis, quando publicato Scrutinio vota eligentium apparent æqualia, vel ſaltem nullus nominatorum obtinuit majorem partem votorum reſpectu totius Capituli præſentis; tunc Præſes tenetur publicare, electionem non eſſe factam, recenſendo etiam numerum ſuffragiorum, quæ quis obtinuit, ut innoteſcat Capitulo, vota non conſenſiſſe ſecundùm majorem partem in unum (prout notat Sanctorus de Melfi *in Statuta Generalia FF. Minorum, cap.* 8 *Statut.* 7. citans alios) & ſic poſſunt Vocales novum Scrutinium inchoare, atque mutato priori ſuo ſuffragio variare. Siquidem nemini adhuc jus fuit quæſitum: & quia ex tali Scrutinio, quantumcunque publicato, non poteſt ſequi electio communis, cùm in neminem major pars Capituli conſenſerit, hinc ceſſat ratio *cit. c. Publicato.* Simúlque ob eandem cauſam nulla ex tali variatione irrogatur infamia Nominato, vel Nominatis in Scrutinio. Abbas *in d. c. Publicato. n.* 7. *h. t.* Fagnanus *ibid. n* 36. citans alios.

297 Deinde, ſi nominatus in Scrutinio juri ſuo renunciet, atque electionem acceptare recuſet, tunc Capitulares poterunt, debebúntq; variare, alium eligendo. Imò hoc ipſum procedit etiam poſt publicatum ſolemne Decretum electionis, quando electus diſſentit, aut renunciat electioni de ſe factæ, *c. Cùm inter Canonicos.* 21. *h. t. & c. ſi Electio.* 26. *eod. in* 6.

298 Inſuper, quando publicato Scrutinio apparet, nominatum eſſe ineligibilem, poſſunt Electores variare novum Scrutinium inchoando, & aliũ eligendo; *ut c. Perpetuo.* 7. *h. t. in* 6. ac notat Abbas *in d. c. Publicato. n.* 8. *h. t.* cum alijs, id extendens, qualitercumque appareat, electionem futuram eſſe nullam. Ratio patet tum ex dictis, tum ex eo: quia electio de inhabili facta non tenet, ſed ipſo jure eſt nulla, *c. Cùm in cunctis.* 7. *h. t.* cum ſimilibus; ergo nõ debent Electores vexare ſe, atque Eccleſiã inutilibus expenſis, neq; inutilem moram interponere. Quinimò, ſi Electores ſcienter perſiſtant in ſuis votis indigno, ſeu ineligibili datis, uſquedũ ex eorũ votis cõmunis electio ſubſequatur, privabuntur ipſi poteſtate eligẽdi pro una vice; licèt hanc pœnam non incurrant, ſi priùs deſiſtunt, ne ſequatur communis electio: prout expreſsè declaratur *cit. c. Perpetuo. h. t. in* 6.

Additur notanter num. 295. *Secùs ſi hæc per ſententiam Judicis primùm foret caſſanda*; ut puta, quia aliquis Vocalium fuit contemptus, nec vocatus ad electionem, aut aliam ob cauſam. Tunc enim publicato Scrutinio non ampliùs licet variare, ſed oportet celebrare electionem communem, donec ipſa caſſetur. Fortè enim contemptus acquieſcet electioni, aut Superior diſpenſativè, vel alijs de cauſis, poſtmodùm electionem illam non caſſabit. Abbas *loc. cit. n.* 9. Fagnanus *n.* 18. Pirhing *h. t. n.* 175. & alij.

Ulteriùs in electionibus Monialium habetur aliud ſpeciale: nã, quando aliqua earum eſt electa à majori parte Capituli, ſed non à duabus partibus ſive tertijs, poſſunt aliæ Moniales ad eã accedere, ſicque variare etiam poſt publicatum Scrutinium, text. clar. *c. Indemnitatibus.* 43. §. *Sanè. de Electiòn. in* 6. Et ratio hujus ſpecialitatis eſt: quia talis acceſſus, atque variatio votorum publicato jam Scrutinio, non conceditur, neque fit in ordine ad effectum, ut electio ſit valida (priùs enim ea jam valebat, utpote facta à majori parte Capituli) ſed ut Abbatiſſa ſic electa ſtatim poſſit confirmari, etiam omni appellatione remotâ, ut liquet ex textu, éſtque jam dictum ſuperiùs *num.* 150.

Tacetur electio Sumi Pontificis: nam in hac plura habentur ſpecialia, poſſúntq; Cardinales poſt publicatum Scrutinium (dummodò in eo nondũ fuerit facta electio cujuſpiam in Sumum Pontificem per duas tertias præſentiũ Cardinalium) per acceſſum nominare alium in Pontificem, quem priùs in Scrutinio non nominaverant, dumodò hic unũ ſaltem votum in prævio Scrutinio reportârit; prout pleniùs habetur *in Conſtitut.* 13. Æterni Patris Filius. *& Conſtitut.* 19. Decet Romanum. *Gregorij XV.* atque referuntur *Tom.* 3. *Bullarij Romani.* Occaſione quorum

Quæritur III. An in electionibus valeat acceſſus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, quando priùs neutra pars habuit vota ſufficientia? *Reſp.* I. Quando electio eſt celebranda juxta formam *in c. Quia propter.* 42. *h. t.* præſcriptam, ut accidit in Eccleſijs viduatis, non habet locum acceſſus minoris partis ad majorem publicato jam Scrutinio. Ita Abbas *in c. Cùm in jure.* 33. *n.* 6. *h. t.* Paſſerinus *cap.* 22. *de Electione. n.* 9. citans alios. Ratio eſt: quia de ſubſtantia hujus formæ electionis eſt, quòd vota dentur ſecretè, ac ſingillatim in ipſo Scrutinio, per textum *cit. c. Quia propter.* Adeóque conſenſus poſteà primùm ſuperveniens nihil operatur; *ut c. Auditis.* 29. *h. t. & c. Eccleſia veſtra.* 57. *h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Valebat*,

bat, quam ſequitur ibi Innocentius, Jo. Andreas, & Abbas *n.* 10. citans communem aliorum. Igitur in tali caſu vel inchoëtur novum Scrutinium, atque reiteretur toties, donec votis majoribus in unum conſpirantibus, poſſit ſequi electio communis: vel votis diutiùs inutiliter diſperſis, totum electionis negotium terminetur per formam Compromiſſi.

303 Reſp. II. Loquendo de tali electione, in qua non eſt neceſſe ſervare formā in *cit. c. Quia propter. h. t.* præſcriptam, ut eſt electio alicujus in Canonicum, quamvis publicato Scrutinio non poſſint variare Electores, ſi quis, cæteroquin habilis, in Scrutinio reportavit vota majora: ſi tamen priùs nemo habuit vota ſufficientia, valet tunc acceſſus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato Scrutinio. Prior pars eſt Abbatis *in c. Publicato. n. 4. h. t.* ac ſequitur ex dictis *n.* 290. *& ſeqq.* Nam talis variatio poſt publicatum jam Scrutinium cederet in præjudicium Nominati, ac in ejus infamiam & confuſionem.

304 Altera pars eſt Gloſſæ *in c. Cùm in jure. 33. ℣. Conſentiat. h. t.* quam ſequitur Abbas *loc. cit. n.* 7. ſic loquens: *Et ex hoc infertur ſecundùm Doctores, quòd publicato ſcrutinio poſſit minor pars accedere ad majorem: quia ex votis minoris partis non poteſt ſequi electio, & nullum jus eſt acquiſitum nominato: pro hoc facit notabilis Gloſſa c. Cùm in jure eod.* Hæc ille. Quod ipſum tradit Jo. de Selva *tom. 15. Tractatuum, tract. De Beneficio, part.* 3. *quæſt.* 1. *n.* 25. Layman *in c. Quia propter. n.* 10. *h. t.* poſt Sylveſtrum, *℣. Electio.* 2. *quæſt.* 7. Pirhing *h. t. n.* 176. citans inſuper Tholoſanum *cap.* 16. *de Elect. n.* 15. Et Engel *eod. n.* 40. Licèt enim nonnulli horum Authorū videantur abſolutè loqui, ſicque acceſſum minoris partis ad majorē admittere etiam in caſu prioris Concluſionis; nihilominus ipſi benignè videntur interpretandi, ſicut & ipſemet Abbas.

305 Ratio autem hujus partis eſt: quia, præterquàm quòd ex votis minoris partis non poſſit ſequi electio, ſimúlque nullum jus ſit acquiſitum Nominato; rigor *c. Quia propter h. t.* reſpectu talium electionum non obligat; ſed ſufficit, quomodocunque Vocales collegialiter congregati quempiam cæteroquin habilem eligant, juxta dicta ſuperiùs *num* 112. Ergo nihil prohibet, quò minùs Eligentes conſenſum ſuum præſtent per acceſſum minoris partis ad majorem: non enim hi neceſſariò eligunt per vota ſecretè & ſingillatim præſtita in Scrutinio, prout accidit in Eccleſijs viduatis. Et per hoc patet manifeſta diſparitas inter caſum hujus, & præcedentis Concluſionis, ſimúlque ratio diverſæ hinc inde reſolutionis.

306 Nec hiſce dictis obſtat *cit. c. Publicato. h. t.* Reſp. enim, textum illius Capituli loqui imprimis de electione, juxta formam Concilij Generalis *in c. Quia propter. h. t.* præſcriptam, celebrandâ, ut notat Jo. Andreas *ibid.* & Abbas *n.* 4. atque colligitur ex littera, dum facit mentionem de collatione, & communi electione ſubſequenti: ſicque non urget de electione, quæ non neceſſariò fit juxta dictam formam. Deinde Decretalis illa loquitur de tali Scrutinio jam publicato, ex quo poteſt ſequi ſolemnis electio; ut patet ex verbis *n.* 290. relatis, ibi: *Cùm ſit electio celebranda*: quia tunc Nominato jus jam eſt acquiſitum. Secùs autem in noſtro caſu, ubi nemini eſt jus quæſitum, nec ex tali Scrutinio poteſt celebrari ſolemnis electio; & ſic ceſſat hic ratio illius Decretalis.

Nec obſtat ulteriùs *c. Auditis.* 29. *h. t.* ubi irrita declaratur electio facta à minori parte Capituli, non obſtante, quòd alij ex poſt facto ad eam acceſſerint: *Cùm ex poſt facto* (inquit Pontifex) *nequiverit convaleſcere, quod ab initio non valebat: quoniam electio, quæ fuerat irrita ipſo jure, per ſubſequentem conſenſum non poterat eſſe rata*; ergo idem dicendum in propoſito. Reſp. enim cum Laymano *in cit. c. Auditis. n.* 2. ideò dictam electionem non valuiſſe, quia acceſſus votorum aliorum primùm factus eſt poſt publicatū electionis Decretum; ut patet ex allegatis verbis. Secùs fit in noſtro caſu, ubi acceſſus ſupponitur fieri ante publicatum electionis Decretum, etſi poſt publicatum Scrutinium. 307

Neque etiam obſtat textus *in c. in Electionibus.* 2. *h. t. in* 6. ubi expreſsè *in electionibus reprobantur, & pro non adjectis habentur vota conditionalia, alternativa, vel incerta*; inter quæ, juxta Gloſſam ibidem, eſt iſtud: *Eligo, quem Archidiaconus eliget.* Atqui (inquies) acceſſus fit per talia vota, quæ omninò ſunt incerta; cùm accedentes majori parti ignorent, cui dent votum, imò ſic votare videantur: *Eligo illum, quem major pars elegerit*: quæ eſt ipſiſſima formula eligendi, quam citata Gloſſa rejicit; ergo. Reſp. enim neg. min. Nam accedentes, ſeu eligentes eum, quem jam plures nominârunt, neque dant votum conditionatum, neque incertum; cùm eligant abſolutè certam perſonam, videlicet eam, quæ in Scrutinio plura vota reportavit, quámque, utpote à pluribus jam nominatam, rationabiliter præſumunt, ac judicant, eſſe dignam & habilem. Aliud dicendum de formulâ per Gloſſam relatâ: nam, cùm ea ſuſpendat electionem pro futuro, donec videlicet quempiam Archidiaconus ſit electurus, reddit ſuffragium incertum, ſicq; invalidū. 308

Nec tandem obſtat *c. Si cui.* 23. *h. t. in* 6. ubi reprobatur electio à Compromiſſario ſecundùm traditam formam facta de eo, in quem non major pars Capituli, ſed plures aliorum comparatione conſenſerunt. Reſp. enim, hinc nihil ſequi contra Concluſionem *n.* 303. poſitam: quia in noſtro caſu Eligendus nominatur à majori parte Capituli, per acceſſum tamen, dum pauciores variant mutando ſuum ſuffragium, & accedunt pluribus. Hoc autem in dicto caſu non accidit, ubi Compromiſſarij jubentur eligere eum, in quem non major pars Capituli, ſed ſolùm plures comparatione aliorum conſentiunt. Quinimò hoc pugnat contra *cap.* 1. *De his, quæ fiunt à majori part. Capit.* & contra *c. Quia propter. h. t.* cum ſimilibus. 309

§. XIII.

De Præſentatione Electionis, & conſenſu Electi in eam, hujúſque Confirmatione, & Appellatione ab ipſa.

SUMMARIUM.

310. *Electores tenentur Electo præſentare electionem, ejúſque conſenſum requirere, quàm citiùs commodè poſſunt.*
311. *Et ſi neglexerint infra octo dies id facere, puniuntur; & quomodo?*
312. *Eorum tamen negligentia non præjudicat Electo.*
313. *Electus tenetur præſtare conſenſum intra menſem, alioquin perdit jus ſuum.*
314. *Quid juris, ſi Electus nequeat conſentire abſque Superioris ſui licentia? Et num.* 318.
315. *Religioſi nequeunt conſentire electioni de ſe factæ extra Monaſterium, abſque obtenta licentia ſui Superioris.*
316. *Nec valet Superioris licentia, ut Religioſi poſſint conſentire electioni primùm faciendæ.*
317. *Quid de Religioſis electis in diſcordia?*
318. *Alia conſenſum Superioris concernentia, breviter expediuntur.*
319. *Electus poſt datum conſenſum, tenetur petere confirmationem ſuæ electionis intra trimeſtre.*
320. *Et intra menſem iter arripere ad Sedem Apoſtolicam, ſi ad hanc ſpectat confirmatio.*
321. *Spectato Jure communi confirmatio electionis ſpectat ad immediatum Superiorem.*
322. *Tamen per Concordata Germaniæ confirmatio Epiſcopi reſervatur Summo Pontifici.*
323. *Quæ ſint obſervanda ante confirmationem concedendam?*
Confirmanti incumbit, qualitatem Electi, atque Proceſſum electionis anteà diligenter explorare. Ibid.
324. *Quid agendum, ſi Electus habeat, vel non habeat ſuæ electionis adverſarium.*
325. *Quæ ſit forma appellandi ab electione?*
326. *Pœnæ appellantium ad Sedem Apoſtolicam, & in probatione deficientium, ſi quid oppoſuerunt contra formam electionis.*
327. *Vel contra perſonam Electi.*

310 QUæritur I. Quo tempore, & ſub quibus pœnis, electio ſit intimanda Electo, ejúſque conſenſus petendus? Reſp. I. Poſt celebratam electionem capitularem tenentur Electores, quàm citiùs comodè poterunt, electionem ipſam præſentare Electo, ejúſque conſenſum requirere. Ita habetur expreſsè deciſũ *in c. Quàm ſit. 6. de Election. in 6.* Ubi Gloſſa, *℣. Quàm citiùs* cenſet, hoc eſſe dijudicandum ad arbitrium boni viri, cùm certum tempus Lege, vel Canone non ſit determinatum. Cæterùm electio, antequàm pro confirmatione deferatur Superiori, eſt præſentanda Electo, ejúſque requirendus conſenſus, ut appareat, an conſentire velit, nec ne?

311 Reſp. II. Quòd ſi Eligentes electiones ipſas, concorditer, vel in diſcordia celebratas, infra octo dies, poſtquàm commodè poterunt, Electis præſentare diſtulerint; tunc ipſi, qui culpabiles in hoc extiterunt, non ſolùm quoad ſe à proceſsûs proſecutione totaliter excluduntur; ſed inſuper ab omnibus Beneficijs ſuis, quæ in ipſa Eccleſia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum, ex tunc inchoandum, eo ipſo ſunt ſuſpenſi: ad quæ, ſi infra illud tempus ſe propriâ temeritate, vel alio quæſito colore ingeſſerint, illis ipſo jure perpetuo ſunt privati. Ita habet textus expreſſus *in c. Cupientes.* 16. §. *Cæterùm. h. t. in 6.* & ampliùs declarat Gloſſa ibidem, explicando præcipuas clauſulas.

Solùm adde, quòd ſi Eligentes fuerint negligentes in præſentando electionem, ipſi quidẽ puniantur modo præfato, nihilominùs per hoc non noceant Electo; prout habetur expreſſum *in d. §. Cæterùm, ad finem.* Et ratio eſt: quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, *l. Non debet. ff. de Reg. Jur.* Sive, ut habet *Reg. 22. Juris. in 6.* non debet aliquis alterius odio prægravari: cùm peccata ſuos authores tenere debeant, *c. Si Compromiſſarius, de Election. in 6.* cum ſimilibus.

Quæritur II. Intrà quod tempus teneatur Electus conſentire electioni de ſe factæ, & quid de Religioſo extra Monaſterium electo? Reſp. I. Electus, ſi electione de ſe factæ conſentire velit, tenetur præſtare conſenſum infra menſem: alioquin, ſi eum ultrà præſtare diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc eo ipſo privatus exiſtit. Ita communis; atque, ad præcavendum diſpendioſis Eccleſiarũ vacationibus, habetur deciſum in *d. c. Quàm ſit. de Election. in 6.* Quamquàm Gloſſa *ibid. ℣. Diſtulerit*, hoc intelligendum cenſeat de eo, qui per negligentiam (qualem ly, *diſtulerit* denotat) ac ceſſante juſtâ causâ, ſive impedimento, intra menſem non conſentit: aliàs ſecùs, ut illicò dicetur de Regularibus.

Reſp. II. Quòd ſi talis perſona fuerit electa, quæ electioni de ſe factæ abſq; Superioris ſui licentia conſentire nequit (ut fit in Regularibus extra ſuum Monaſteriũ electis; aut ſi Papa cuipiam prohibet, ne conſentiat electioni) tunc idẽ

Electus,

Electus, vel, quod melius eſt, atq; ab ambitionis ſuſpicione magis alienum, Electores ipſius conſentiendi licentiam ab ejus Superiore, quàm citiùs fieri poteſt, petere, atque obtinere tenentur: alioquin ſi hujuſmodi licentiam intra tempus pro ejuſdem Superioris præſentia, vel abſentia computandum, nequaquam obtineant, Electus hoc ipſo privatus exiſtit jure ſibi ex electione quæſito, & poſſunt ex tunc Electores ad electionem aliam liberè procedere. Ita conſtat tum ex *cit. c. Quàm ſit h. t. in 6.* tum ampliùs ex *Extravag. Si Religioſus. h. t. inter Communes.* Et hoc adeò verum eſt, ut ſi Electores poſt ſubtractum prædictum tempus, & non ſecutam dictam licentiam Superioris Electi, intra trimeſtre, vel ſemeſtre; ad aliam electionem procedere neglexerint; ipſi ex tunc pro ea vice eligendi poteſtate ſint privati, *c. Ne pro defectu. 41. h. t.* Layman *c. Quàm ſit. n. 3. h. t. in 6.* & alii.

Notandum eſt primò, quòd nullus Religioſus, abſque petitâ & obtentâ licentiâ ſui Superioris, poſſit conſentire electioni de ſe ad Prælationem aliquam extra ſuum Monaſterium, vel Eccleſiam celebratæ; cùm velle, vel nolle non habeat: &, ſi ſecùs conſentire præſumpſerit, conſenſus ſic præſtitus non ſolùm non teneat, ſed etiam in pœnam præſumptionis illius, electio eadem ipſo facto viribus vacuetur omninò. Textus eſt *in c. Si Religioſus. 27. h. t. in 6.*

Additur notanter, *electioni de ſe celebratæ.* Secùs enim dicendum de eligendis primùm: quia non valet licentia à Superiore conceſſa ſuo Religioſo, ut poſſit conſentire electioni, ſi quam de ipſo in poſterùm fieri contigerit; imò conceſſio talis licentiæ, veluti viam parans vitio ambitionis; nullius exiſtit firmitatis, *text. clar. Clem. ult. h. t.*

Notandum ſecundò, quòd ſi fiat electio, poſtulatio, ſeu proviſio de Religioſis Mendicantibus, ad aliquā Prælaturam extra ſuum Ordinem in diſcordia (hoc eſt, ſi duæ, vel plures celebratæ ſunt electiones, aut una tantùm contradicentibus tamen aliquibus, ad quos ſpectat electio, ut explicat Gloſſa *in c. Quorundam. 24. ℣. In diſcordia. h. t. in 6.*) Tunc hiſce Religioſis ex electione ſic in diſcordia celebratâ nullum jus acquiritur, & ipſi de ſui etiam Superioris licentia eidem conſentire non poſſunt. Idémque dicendum de Religioſis non Mendicantibus, quando à minori parte Vocalium eliguntur ad Prælaturas quaſlibet (ſive proprij Ordinis, ſive alterius, ſive ſæcularium Eccleſiarum, juxta Gloſſam *ibid. ℣. Quaſlibet.*) Prout ad præcludendum ambitionis vitium, & alia graviſſima incommoda præcavenda, expreſsè ſtatutum legitur *in cit. c. Quorundam. h. t. in 6.* atque innovatur *in Clem. Quod circa. eod.* ubi iſtud tum in textu, tum in Gloſſa ampliùs declaratur.

Notandum ulteriùs, quòd, ſi licentia conſentiendi electioni de ſe factæ peti, ac obtineri debeat à Superiore, per Superiorem tunc intelligatur immediatus Superior. Layman *d. c. Quàm ſit. n. 4. h. t. in 6.* Item, quòd hujuſmodi licentiam poſſit dare Superior Regularis irrequiſitis ſuis Conventualibus; ut *c. Si Religioſus. 27. h. t.* Item, quòd in tali caſu Electus poſt licentiam conſentiendi à ſuo Superiore impetratam, habeat adhuc integrum menſem, ſeu triginta dies, ad deliberandum, an velit acceptare Prælaturam; *arg. cit. c. Quàm ſit.* ac notat ibidem Gloſſa *℣. Conditio.* & Layman *n. 5.* citans inſuper Jo. Monachum *n. 8. ℣. Sed obtenta.* Pirhing *h. t. n. 258.* & alij. Ratio eſt: quia tempus à Jure ſtatutum non currit legitimè impedito; ut *c. Quia diverſitatem. 5. de Conceſſion. Præbend.* junctis concordantijs ibidem à Gloſſa finali adductis.

319 Quæritur III. Intra quod tempus, & à quo petenda ſit confirmatio electionis? Reſp. I. Quilibet Electus infra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem ipſius electionis petere tenetur: quod ſi juſtò impedimento ceſſante infra hujuſmodi trimeſtre omiſerit, electio eadem eò ipſo viribus vacuetur. Ita habetur ſtatutum *in cit. c. Quàm ſit. §. fin. h. t. in 6.* Ubi Gloſſa *℣. Vacuetur*, inquit, quòd Canon iſte ſit latæ ſententiæ, non ferendæ, cùm dicat littera, *eo ipſo viribus vacuetur*: ac proinde, ſi Electus poſt trimeſtre primùm petat confirmationem, atque obtineat, per hanc non convaleſcat electio, utpote quæ jam erat nulla, & ipſo facto viribus evacuata: niſi forſan confirmatio ſcienter fuiſſet facta per illum, qui aliàs ſuo jure conferre potuiſſet.

320 Verùm circa hanc Concluſionē eſt notanda Decretalis Nicolai III. quæ refertur *in c. Cupientes. 16. h. t. in 6.* ubi imprimis confirmantur dicta *in cit. c. Quàm ſit. eod. in 6.* Deinde loquendo de electionibus Cathedralium, & Regularium Eccleſiarum, quarum confirmatio, vel infirmatio, ad Sedis Apoſtolicæ examen immediatè pertinet, ſpecialiter ſtatuitur, quòd ſic Electi infra unum menſem poſt conſenſum, vel poſt obtentam de ipſorum electione notitiam (ſi hæc debito tempore non fuerit præſentata) ad ipſam Sedem iter arripere, & ad petendam ſuarum electionum confirmationem cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis, quàm citò commodè poterunt, comparere perſonaliter teneantur, vel ſaltem per Procuratorem ſufficienter inſtructum, ſi ipſimet Electi ex juſta cauſa perſonaliter comparere non poſſint: prout tum *in cit. c. Cupientes*, tum *in Clem. Ne Romani. §. fin. h. t.* latiùs habetur.

321 Reſp. II. Spectato Jure communi, confirmatio electionis petenda, & danda eſt à proximo ſeu immediato Superiore, cui Eccleſia, ſeu Dignitas electiva eſt ſubjecta; puta, confirmatio Abbatis non exempti ab Epiſcopo; Epiſcopi ab Archiepiſcopo, & ſic gradatim aſcendendo. Ita Hoſtienſis *in Summa de Electione. n. 27.* Paſſerinus *cap. 33. de Elect. n. 68.* Pirhing *h. t. n. 305.* Engel *num. 50.* & alij. Idque deſumitur *ex c. Cùm Monaſterium. 13. h. t. & can. Nullus omnino. 16. q. 7.* ubi Epiſcopus confirmat Abbates, Præpoſitos, Decanos, ac hujuſmodi. Item ex *c. Cùm dilectus. 32. & c. Cùm inter Canonicos. 21. h. t. & can. Illud. diſt. 64.* ubi Archiepiſcopus confirmat Epiſcopum,

cum

cum ſimilibus. Et quidem, quòd talis Superior teneatur confirmare electionem inferioris, cæteroquin canonicè factam, jam dictum eſt ſupra *§. 2. n. 26.*

322 Hodie tamen quoad noſtras partes per Concordata Germaniæ, quæ inter Nicolaum Papam V. & Fridericum Imperatorem 1447. erecta fuère (ac referuntur *Tom. 1. Bullarij Romani Conſtit. 1.* dicti Pontificis) confirmatio Epiſcoporum indiſtinctè Summo Pontifici reſervatur.

323 Quæritur IV. Quænam ſint obſervanda ante confirmationem electionis concedendam? Reſp. I. Confirmanti incumbit, ut perſonam, qualitates, moréſque Electi, & proceſſum ſeu validitatem electionis priùs diligenter exploret. Ita habetur *in c. Nihil eſt. 44. h. t.* Idque exigit bonum Eccleſiarum, ne alioquin inidoneus, aut non canonicè electus confirmetur. Idemque præcipit obſervandum illud Apoſtoli 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini impoſueris*: atque notatut *in c. Cùm nobis. 19. h. t.* ubi idcircò Pontifex obſervat, quòd ad Confirmatorem ex officio ſpectet, præter proceſſum electionis, ſuper perſona & qualitatibus Electi (de quibus hactenus abunde dictum) inquirere, etiam nemine opponente; prout ibidem loquitur Summarium.

324 Reſp. II. Si Electus Coëlectum, aut alium electionis ſuæ adverſarium habeat, is ante confirmationem nominatim vocabitur: aliàs verò generale Edictum in Eccleſia, in qua electio celebrata eſt, proponendum erit, quo contradictores, ſi qui adſint, moneantur, & evocentur, aſſignato termino peremptorio competenti; & hac obſervatione omiſſa, confirmatio irrita cenſeri debet. Ita ad præcludendas nonnullorum fraudes habetur ſtatutum *in cap. ult. h. t. in 6.*

325 Quæritur V. Quæ ſit forma appellandi ab electione? Reſp. Ut malitijs hominum via præcludatur, & ne diutiùs vacent Eccleſiæ, ſequentia circa formam appellandi ab electionibus, poſtulationibus, & proviſionibus Eccleſiaſticis, ſalubriter ſtatuta fuerunt in Concilio Generali Lugdunenſi, ſub Gregorio X. celebrato, ac referuntur *in c. Ut circa. 4. h. in 6.* ſequentibus verbis: *Edicto perpetuo providemus, ut ſi quando aliqui electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua contra electionis, poſtulationis, ſeu proviſionis formam, aut perſonas eligentium, vel electi, ſive illius, cui erat proviſio facienda, ſive facta: & propter hoc contigerit appellari: Appellantes in Inſtrumento publico, ſeu litteris ſuper appellatione confectis, omnia & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas: Coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quòd credunt ea, quæ ſic exprimunt, eſſe vera; & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes, quàm -- adhærentes eisdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi litteris, vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſteà primùm emerſerit, vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas &c.* Hæc ibi. Inſuper nonulla alia, circa proceſſum appellationis ab electione obſervanda, ſtatuuntur *in cap. 1. h. t. in 6.* ac etiam *in c. Cupientes. 16. eod. in 6.* quæ cùm ſint longiora, ſimúlque in fonte locis prææallegatis legi poſſint, haud immeritò hîc prætermittuntur.

Quæritur VI. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ contra eos, qui appellantes ab electione deficiunt in probatione eorum, quæ objecerant? Reſp. hîc eſſe diſtinguendum juxta *d. cap. 1. §. Adijcientes. h. t. in 6.* quod innovatur *in cit. c. Ut circa. §. fin. eod. in 6.* circa pœnas, quæ ibidem imponuntur illis, qui factam Electionem, poſtulationem, vel proviſionem circa Dignitates, Perſonatus, vel Canonicatus factam (de quibus ſolis textus loquitur, non verò de inferioribus Beneficijs) calumnioſè impugnant, ab eáque ad Sedem Apoſtolicam appellando objiciunt quidpiam contra formam, vel perſonam, & poſtmodùm in probatione deficiunt. Et ſi quidem talis Appellans plenè non probaverit, quod contra formam oppoſuit, objiciendo v. g. quòd electio fuerit facta contra formam in Decretali *Quia propter. 42. h. t.* præſcriptam: tunc is condemnatur in expenſis, quas propter hoc altera pars feciſſe docuerit.

Si verò, quod gravius eſt, Appellans quidpiam objecerit in perſonam, ut puta crimen, irregularitatem, vel alium defectum (nam textus generaliter loquitur) atque in ejus probatione defecerit, tunc is adhuc duriùs punitur: nam ipſo facto à Beneficijs Eccleſiaſticis, quæ in illa Eccleſia obtinet, triennio eſt ſuſpenſus; adeò quidem, ut ſi infra illud tempus propriâ temeritate ſeſe ingeſſerit, eis ipſo jure, & abſque ulla ſpe miſericordiæ conſequendæ, perpetuò ſit privatus: niſi manifeſtiſſimis conſtiterit documentis, quòd ipſum à calumniæ vitio cauſa probabilis & ſufficiens excuſaret; prout in *cit. cap. 1. h. t. in 6.* ſtatuiſſe legitur Concilium Generale Lugdunenſe, atque ampliùs declarat Gloſſa ibidem.

***

§. XIV.

§. XIV.
Specialia de Electionibus Regularium.

SUMMARIUM.

328. *Textus Concilij Tridentini circa electiones Superiorum Regularium.*
329. *An quoad has per Tridentinum ſit abrogata Decretalis,* Quia propter. h. t. *Et n. ſeqq.*
Rationes ſententiæ affirmativæ. Ibid.
330. *Præfertur ſententia negativa, aſſerens, ambas illas Formas eſſe compatibiles. Et num. ſeqq.*
331. *Vota eligentium debent eſſe ſecreta; & quomodo? Et num. ſeqq.*
332. *Cenſentur eſſe ſecreta, quamvìs coràm Scrutatoribus proferantur vivâ voce.*
333. *Prout liquet in electionibus Abbatiſſarum.*
334. *In electionibus, quando vota dantur per Schedulas, an, & quomodo poſſit fieri collatio zeli ad zelum?*
335. *An in electione Miniſtrorum Provincialium Ordinis Minorum poſſit fieri aliqua collatio zeli, & meriti?*
336. *Utrùm Regulares in ſuis electionibus teneantur obſervare formam* c. Quia propter. h. t.? *Et num. ſeqq.*
Affirmatur de Abbatibus perpetuis. Ibid.
337. *Ac de Prælatis Eccleſiarum Regularium habentibus jurisdictionem ordinariam, & generalem.*
338. *Secluſo tamen ſpeciali privilegio, vel conſuetudine legitimè præſcriptâ.*
339. *Regulares in electionibus non tenentur obſervare apices Juris.*
340. *Ad alias Regularium electiones ſufficit conſenſus majoris partis collegialiter præſtitus.*
Ac poſſunt eæ fieri etiam per globulos. Ibid. & num. ſeqq.
341. *Quomodo fiant electiones Superiorum in Ordine FF. Minorum?*
342. *Ac præſertim Commiſſariorum Provincialium, Prominiſtrorum, & Cuſtodum extra Capitulum eligendorum?*
343. *Cur Concilium Tridentinum præceperit Regularibus, facere electiones per vota ſecreta?*
344. *Et ſub quibus pœnis?*
345. *Electio talis eſt nulla, ſi vel unus Electorum votum ſuum publicet permittente Capitulo.*
346. *Secùs, ſi id fiat inſcio, vel non conſentiente Capitulo.*
347. *Forma eligendi per Compromiſſum, & quaſi Inſpirationem, an ſit ſublata à Concilio Tridentino? Et num. ſeqq.*
Ponitur ſententia negativa. Ibid.
348. *Contraria ſententia, ejusq; fundamenta afferuntur.*
349. *In electionibus Epiſcoporum, & Abbatum perpetuorum, poteſt indubitanter procedi per viam Compromiſſi.*
350. *Idem videtur dicendum de electionibus cæterorum Prælatorum Regularium, dummodò in Compromiſſo procedatur per vota ſecreta.*
351. *In praxi quid attendendum?*

328 CIrca præſentem materiam eſt præmittendum novum Decretum Concilij Tridentini, *Seſſ. 25. cap. 6. de Regularib.* ſtatuentis de electionibus Superiorum Regularium in hæc verba: *In electione uperiorum quorumcunque Abbatum temporalium, & liorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, tque aliarum Præpoſitarum, quò omnia rectè, & ſine lla fraude fiant, imprimìs ſancta Synodus diſtrictè præpit, omnes ſuprà dictos eligi debere per vota ſecreta, ita t ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. lec impoſterùm liceat Provinciales, aut Abbates, & Prios, aut alios quoſcunque Titulares ad effectum electionis icienda conſtituere, aut voces & ſuffragia abſentium pplere. Si verò contra hujus Decreti Conſtitutionem liquis electus fuerit, electio irrita ſit.* Hæc ibi. Ocaſione cujus

329 Quæritur I. An per hoc Decretum Concilij ridentini ſit abrogata Decretalis, *Quia propter. 2. h. t.* quoad electiones Regularium? Reſp. irca propoſitum dubium variant Doctores. t quidem Fagnanus *in cit. c. Quia propter. h. t. n. 1. & ſeqq.* aſſerit, Scrutinij formam in dicta Decretali præſcriptam eſſe omninò incompatibilem cum forma Concilij Tridentini: nam in illa (inquit) ſunt aſſumendi tres Scrutatores, qui vota eligentium ore proprio exquirant; ſimúlq; vota Eligentiũ ſunt in ſcriptis redigenda, & publicanda in communi. Atqui ſecundùm formam Concilij Tridẽt. hæc non poſſunt obſervari; cum vota debeant eſſe ſecreta, & ſingulorum Eligentium nomina nunquam ſint publicanda, idq; neceſſe ſit obſervare ſub nullitate actûs electionis. Accedit, quòd juxta formã *in d. c. Quia propter.* præſcriptam ſit eligendus ille, in quem major, & ſanior pars Capituli conſenſit; adeóque opus eſt non ſolùm collatione numeri ad numerum, ſed etiam zeli ad zelum: ut *c. In Geneſi. 55. & c. Eccleſia veſtra. 57. h. t.* Secùs eſt in electione Regularium, juxta *Clem. Exivi. §. Demum quia. de Verb. ſignif.* Et huic ſententiæ favet etiam Hyacinth. Donatus *tom. 2. Rerum Regularium. tract. 1. q. 5.*

Alij contrà, ut Suarez *tom. 4. de Religione. lib. 2. cap. 5. n. 9.* & Aſcanius Tamburinus *tom. 1. de Jure Abbatum, diſp. 5. quæſt. 6. n. 10.* volunt ambas has formas eſſe compatibiles. Idipſum tenet 330

Emmanuel Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regul. q. 52. art. 9.* Garcias *part. 5. de Beneficijs. cap. 4. n. 186. & ſeqq.* Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. univ. cap. 19. n. 221. & ſeqq.* & Paſſerinus *cap. 17. de Electione. n. 5.* citans alios, & pro hac ſententia allegans Rotam *in Meten. Monaſterij coram Coccino. 5. Junij. 1621. in fin.* Ratio eſt: quia, licèt juxta Concilium Trident. *loc. cit.* ſingulorum Eligentium nomina nunquā ſint publicanda, oppoſitum tamen hujus *in cit. c. Quia propter. h. t.* fieri non præcipitur. Etſi enim juxta illud ſint publicanda vota in communi, non tamen nomina Eligentium publicari præcipiuntur: ſicut & ordinariè horum nomina non publicantur, ſed ſolùm vota; uti liquet ex Formula Electionis, quam refert Zerola *in Praxi Epiſcopali, part. 1. ✝. Electio. ad finem.* Unde ex hoc capite Formæ illæ eligendi non ſunt incompatibiles.

331 Sed nec urget, quòd juxta Concilium Tridentinum vota debeant eſſe ſecreta. Reſp. enim, ſive Electores in ſcriptis dent vota ſua, ſive eadem coram tribus Scrutatoribus vivâ voce proferant (qui ſunt duo modi eligendi juxta formam Decretalis. *Quia propter.* ut dictum *num. 124.*) adhuc vota cenſentur dari ſecretè, eò quòd dentur in ſecreto, ac ſeorſim ab alijs, qui ſunt de Collegio, prout *cit. n. 124.* notatur. Et quidem, ſi vota dentur in ſcriptis, ſive in ſchedulis, id clarum eſt: cùm ſic nec ipſi Scrutatores ſciant, à quo hoc, vel illud votum, datum fuerit.

332 Cæterùm, quòd electio adhuc cenſeatur fieri per vota ſecreta, licèt ſinguli Eligentes vota ſua proferant vivâ voce coram tribus Scrutatoribus; deſumitur ex *cit. c. Quia propter.* ubi jubentur Scrutatores vota cunctorum ſecretè, & ſigillatim inquirere, & tamen hæc coram ipſis vivâ voce proferri poſſunt; uti fatetur Fagnanus *loc. cit. n. 49.* eſtque communis aliorum. Accedit expreſſa Declaratio Sac. Congregationis Cardinalium Concilij Trident. Interpretum, qui cenſuerunt: *Si electi fuerint à Superioribus aliqui, ut puta quatuor, qui vota omnium recipiant, electio reputabitur ſecreta, & canonica.* Ita refert Garcias *cit. cap. 4. n. 189.* Tamburinus *d. num. 10.*

333 Huc facit inſtantia de Abbatiſſis, & alijs Præpoſitis Monialium. Nam harum electio pariter debet fieri per vota ſecreta, ut liquet ex allegato Decreto Concilij Trident. & tamen poſſunt vota à Monialibus eligentibus oretenùs proferri, atque hæc ab Epiſcopo, vel alio Superiore ante cancellorum feneſtellam audiri; ut habet idem Concilium Trid. *cit. Seſſ. 25. de Regularib. cap. 7.* atque ſæpiùs eadem Sac Congregatio declaravit, prout refert Garcias *loc. cit. n. 190. & 191.* ſolvens aliam Declarationem, quæ videbatur prioribus obſtare. Ex quibus omnibus clarè patet, electionem cenſeri ſecretam, quamvis Electores vivâ voce, & non per ſchedulas ſcriptas ſuffragia ferant; ſicque ex hoc capite non dari incompatibilitatem inter formam eligendi juxta Decretalem *Quia propter*, & juxta allegatum Decretum Concilij Tridentini, dummodò nomina Eligentium nunquam publicentur: quod ſub nullitate actûs hîc præcipitur, ibi autem nec præcipitur, nec prohibetur.

Neque obſtat ultimum, videlicet, quòd ibi debeat fieri collatio zeli ad zelum; non item in electionibus Regularium. Nam contrà eſt: quia hoc ipſum urget in Electionibus juxta *c. Quia propter. h. t.* per ſchedulas factis; cùm etiam tunc Scrutatores ſcire non poſſint, à quo hoc vel illud votum fuerit datum. Deinde, licèt votis ſecretè per ſchedulas datis difficiliùs appareat, collationem aliquam zeli ad zelum fieri poſſe; nihilominùs ea poterit fieri ſaltem generatim. Si enim apparet, Electum ab altera parte eſſe apertè & notoriè indignum, facilè colligitur, eum non eſſe electum à parte ſaniori, quamvis ea ſit maior. Idem eſt, ſi deprehendatur, quòd ambitio Electi, aut ſubornatio aliqua, vel corruptela munerum intervenerit; ut ait Wagnereck *ad cit. c. Quia propter. ℣. Et quidem. h. t.*

Porrò Clem. *Exivi.* §. *Demum quia*, ſpecialiter loquitur de Ordine FF. Minorum, & electione ſuorum Miniſtrorum Provincialium, ſimúlque, quòd etiam ibi poſſit fieri aliqua collatio zeli & meriti, ſaltem generatim (non quidem à Scrutatoribus, ſed à Superiore, ad quem ſpectat confirmatio) patet ex eo: quia ibidem in progreſſu expreſſis verbis tribuitur Miniſtro Generali FF. Minorum poteſtas, ut de conſilio Diſcretorum ex Ordine, ac præmiſſâ diligenti examinatione, electionem Miniſtrorum Provincialium confirmet, vel etiam infirmet, prout ei ſecundùm Deum viſum fuerit expedire. Ad alia, quæ adduntur de collatione zeli ad zelum, patet reſponſio ex dictis *num. 133. 134. & ſeqq.* ubi plures dictæ regulæ limitationes dantur, oſtendendo, quòd in certis caſibus ibidem enumeratis ſufficiat ſola collatio numeri, zeli & meriti.

Quæritur II. An Regulares in ſuis electionibus teneantur obſervare formam in Decretali, *Quia propter h. t.* præſcriptam? Reſp. I. Abbates perpetui ſunt eligendi ſecundùm formam in Decretali, *Quia propter.* præſcriptam. Ita Fagnanus *in eod. cap. n. 6. & 19.* cum communi. Ratio eſt: quia per horum obitum Eccleſiæ remanent viduatæ, & ſine Paſtore, ac Sponſo, *arg. c. Ne pro Defectu. 14. h. t.* ubi Papa quoad hoc æquiparat Eccleſias Cathedrales, & Regulares, iſtorúmque Prælatos appellat Paſtores, ac per horum mortem dicit Eccleſias viduatas. Concordat *can. Sicut vir. 7. quæſt. 1.* Imò ad hanc doctrinam innuendam notanter Concilium Tridentinum *cit. Seſſ. 25. cap. 6. de Regularib.* utitur clauſulâ illâ, *Abbatum temporalium*: ut à ſua nova Conſtitutione excluderet Abbates perpetuos, quos proinde diſpoſitioni Juris Communis reliquit; eſtque jam ſuprà *§. 5. num. 111.* inſinuatum.

Reſp. II. In Eccleſijs Religionum approbatarum electiones Prælatorum habentium juriſdictionem ordinariam, & generalem, debent fieri ſecundùm formā in Decretali, *Quia propter*, præſcriptam; quamvis Regulares in electionibus hujus-

hujusmodi non teneantur obſervare apices Juris. Ita Miranda *tom. 2. Manual. Prælat. quæſt. 23. art. 3.* Sylveſter *℣. Electio. 2. n. 4.* Antonius à Spiritu Sancto *in Directorio Regularium. part 3. tract. 5. diſp. 1. & 2.* & alij. Ratio eſt: quia tales Prælati ſunt verè Paſtores: ſimúlque Decretum Concilij Tridentini non derogavit Decretali *Quia propter*; neque eam annullavit, quamvìs adjecerit obligationem, nunquam publicandi nomina Eligentium, prout notat Miranda *cit. art. 3. circa finem.* Huc faciunt ea, quæ in ſimili ſuprà *cit. n. 111.* dicta ſunt de electionibus Prælatorum principalium in Eccleſijs Collegiatis.

3 Limita tamen hanc, & præcedentem Concluſionem, niſi privilegium Apoſtolicum habeatur de alia forma electionis tenenda, aut unâ vel pluribus Scrutinij conditionibus omittendis; ut notat Layman *in d. c. Quia propter n. 12. h. t.* & alij. Atq; loquendo ſpeciatim de Ordine FF. Minorum, huc faciunt dicta ſuperiùs §. 3. *n.* 78. Ulteriùs id limita, niſi per conſuetudinem legitimè præſcriptam aliud alicubi fuerit introductum; ut *cap. ult. de Conſuetud.* cum ſimilibus.

39 Additur notanter in Concluſione, *Quamvìs Regulares in electionibus non teneantur obſervare apices Juris.* Id ſiquidem competit eisdem ex conceſſione SS. Pontificum, de qua teſtatur Antonius à Spiritu Sancto *loc. cit. n. 33.* addens poſt Portel, ſufficere, ut ſervent ea, quæ ſunt de eſſentia electionis. Et meritò: tum quia forma Scrutinij, in Decretali *Quia propter* præſcripta, eſt difficilis obſervatu ob quamplura ſubſtantialia, quæ inſunt eidem: adeò, ut & boni Juriſtæ practicam ignorantes in ea deficiant; prout loquitur Gloſſa *in c. Cùm expediat. 29. ℣. Inquiſitis. h. t. in 6.* Tum quia in Regularium negotijs *eſt procedendum de plano, & absque judiciorum ſtrepitu, cùm talibus non deceat Dei ſervos involvi*; prout in ſimili dicitur *c. Olim. 26. de Accuſationib.*

40 Reſp. III. In alijs Regularium electionibus, quæ tales Prælaturæ non ſunt, ſufficit, ſi fiant collegialiter, quomodocunque dein exprimatur conſenſus majoris partis Electorum, nec ſunt neceſſaria verba, aut ſcriptura. Ita Miranda *cit. art. 3. Concl. 2.* Layman *d. c. Quia propter. num. 11.* Sylveſter *℣. Electio. 2. n. 4.* & alij comuniter, poſt Gloſſam *in c. Sicut. ℣. Formam. h. t. in 6.* Sic electiones quorundam Superiorum Regularium ſunt per ballottationes, ſive globulos, cujus exemplum habetur *ſeq. Concluſ.* unde

41 Reſp. IV. In Ordine FF. Minorum electio Generalium, vel Provincialium Miniſtrorum, unà cum Cuſtode ac Diffinitoribus, fit à toto Capitulo per ſchedulas ſecretas: electio verò Guardianorum per ballottationes, ſeu globulos, Præſide Capituli pro ſingulis Conventibus quemlibet iam proponente, qui & in paritate votorum habet votum deciſivum. Ita Statuta Generalia, & ampliùs probat Bernard. Sannig *h. t. cap. 8. n.* 1. & Angelus Lantuſca *in Theatro Regularium. ℣. Electio. n. 5. & 6.*

42 Et licèt hic ibidem addat, extra Capitulum electiones Prominiſtrorum, & Cuſtodum ad Capitula Generalia mittendorum, pariter fieri debere per ſuffragia ſecreta, & ballottationes: nihilominùs ſciendum, quòd idem Lantuſca. *℣. Commiſſarius ad Comitia Generalia mittendus: n. 1.* referat quandam reſolutionem Sac. Congregationis S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibs Epiſcoporum, & Regularium propoſitæ, quæ à Miniſtro Provinciali Ordinis Minorũ Obſervantium Reformatorum Provinciæ Romanæ humillimè conſulta, cenſuit, ad electionẽ Commiſſariorum pro gubernio Provinciæ remanentium, vel pergentium ad Capitulum Generale (ſive Prominiſtrorum) non licere procedere, niſi per ſchedulas, & vota ſecreta, ac per pluralitatem votorum, nemine proponente: & ita ſemper ſervari mandavit in omnibus Provincijs præfati Ordinis Reformatorum, die 27. Januarij, 1645. Unde prior illa ejusdẽ Lantuſcæ doctrina, vel duntaxat apud Patres de Obſervantia, vel in ſolis Cuſtodibus locum habet.

Quæritur III. Cur, & ſub qua obligatione Concilium Tridentinum præceperit Regularibus, ut facerent electiones per vota ſecreta, ita ut Eligentium nomina nunquam publicentur? 343
Reſp. I. Id factum, ut hoc modo præſcindantur occaſiones inimicitiarum inter Religioſos Confratres, qui perpetuò ſimul vivere tenentur.

Reſp. II. Id præcipitur ſub pœna nullitatis electionis, & etiam inhabilitatis ab omnia officia Ordinis ex parte ejus, qui hoc modo ſe in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit. Patet hoc ex textu Concilij Trident. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regularibus*, ibi: *Si verò contra hujus Decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit; & is, qui ad hunc effectum ſe in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiſerit, deinde ad omnia Officia in Religione obtinenda inhabilis ſit.* 344

Reſp. III. Hæc Conſtitutio Tridentini tam ſtrictè obligat, ut electio ſit nulla, ſi vel unus Electorum votum ſuum publicaret permittente Capitulo. Ita Garcias *part. 5. de Beneficijs. cap. 4. n. 183. & 184.* Barboſa *lib. 1. Juris Eccleſ. univ. cap. 19. n. 205.* Lantuſca *loc. cit. n. 8.* aſſerens, ita fuiſſe deciſum à Rota *in una Treverenſi 20. Novemb. 1624. coram Illuſtriſs. DD. Coccino*, & alij. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum continet Decretum irritans, cui contravenitur per publicationem unius voti conſentiente Capitulo factam. Unde ſi quis de facto attentaret, votum ſuum dare palàm ſeu publice, is à Capitulo non debet permitti, ſeb moneri, ut ſecretè det votum; aliàs enim electio foret nulla. Garcias *loc. cit. n. 195.* Nam mens Concilij fuit ſtatuere, quod Capitula Regularium facerent electiones ſecretas, in hoc ſenſu, ut non permitterent aliquid fieri, ex quo publicari poſſent nomina Eligentium. Emmanuel Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regul. quæſt. 52. art. 9.* & Barboſa *cit. n. 205.* 345

Secùs foret, ſi quis Electorum, ſive per malitiam, ſive per errorem, ſuũ votum alteri oſtenderet, inſcio tamen, & non conſentiente Capitulo: quia per hoc non redderetur irrita electio. Navarrus *Conſil. 9. de Electión.* Rodericus *cit. quæſt.* 346

52. art. 9. Pirhing *h. t. n.* 397. Barboſa, *ubi ſuprà*, *n.* 209. citans alios. Tum quia defectus clandeſtinus unius de Capitulo, non debet nocere toti Capitulo ipſum ignoranti, *arg. cap. ult. de Procuratorib.* Tum quia alioquin in poteſtate cujuslibet Electoris eſſet, irritare electionem, atque Electum ſuo jure privare, dicendo poſteà, ſe priùs ſuum votum propalâſſe alteri, & hoc probando. Tum tandem, quia reverâ in tali caſu Capitulũ non permittit aliquid fieri, quo votum alicujus publicetur, cùm factum illud ignoraverit.

Quæritur IV. An forma eligendi per com-
347 promiſſum, & quaſi inſpirationem, ſit ſublata quoad Regulares virtute citati Decreti Tridentini? Negativam ſententiam tenet Rodericus *tom. 2. Quæſt. Regular. quæſt. 92. art. 9.* Miranda *cit. tom. 2. Manual. Prælat. quæſt. 23 art. 3. in fine.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap.* 14. Tamburinus *tom.* 1. *de Jure Abbatum, diſp.* 5. *quæſt.* 5. *n.* 9. Pirhing *h. t. n.* 397. pluréſque alij, qui volunt, Decretum Tridentinum habere locum in electionibus Regularium per Scrutinium, quæ inter ipſos eſt forma uſitatior: non autem in ijs, quæ fiunt per Compromiſſum, utpote in quo ſuffragia palàm dari poſſunt. Idipſum confirmant ex eo: quia nulla adeſt clauſula revocatoria iſtarum formarum eligendi in textu Concilij Tridentini: & quia etiam ab ipſis Compromiſſarijs poſſunt dari vota ſecreta.

348 Oppoſitum tamen, videlicet dictas duas formas eſſe ſublatas per Concilium Tridentinum quoad Abbates temporales, alióſque Regulares in eodem expreſſos, tenet, atque à Sac. Congregatione deciſum refert Nicol. Garcias *part. 5. de Beneficijs, cap. 4. n.* 204. Fagnanus *c. Quia propter. n.* 30. *h. t.* pariter referens quandam Sac. Congregationis declarationem; & Paſſerinus *cap. 1. de Elect. num.* 56. *&* 59. plures alias dictæ Sac. Congregationis declarationes, & quam plures Doctores allegans. Et dictis declarationibus eſſe ſtandum, ſi in debita forma afferantur, patet ex dictis *in Prooemio.* §. 8. *num.* 130. *& ſeqq.* Accedit ratio: quia Concilium Trident. *loc. cit.* non ſolùm præcipit, electiones dictorum Superiorum Regularium eſſe faciendas per vota ſecreta, ſed etiam omnem electionem aliter factam decernit nullam; atqui electiones, quæ fiunt per compromiſſum, vel quaſi inſpirationem, poſſunt, ac ſolent fieri per voces publicas, non verò per vota ſecreta; ergo ſunt nullæ. Et hac de cauſa electionem per quaſi inſpirationem non habere locum in electionibus Prælatorum Regularium, noviſſimè tenet Sannig *h. t. cap. 4. n.* 31.

Cæterùm, quia in dicto Decreto Concilij nul- 3
la fit mentio Epiſcoporũ, vel Abbatũ perpetuorum: dubitari nequit, quin in horum electione locum habeat electio per viam Compromiſſi, & quaſi Inſpirationis, juxta *c. Quia propter. 42. h. t.*

Quòd ſi etiam in Compromiſſo procedatur per vota ſecreta, ſatisfieri intentioni Concilij Tridentini, utpote ſtatuentis duntaxat, quòd electio cæterorum Prælatorum Regularium fiat per vota ſecreta, ac proinde ejusmodi electionem fore validam; haud immeritò teneri poteſt cum Authoribus, pro priori ſententia allegatis: ac favet Declaratio Cardinalium à Fagnano *loc. cit.* allegata, quæ propoſito à Carthuſianis dubio, *An in electione Superiorum poſſit procedi, nedum per viam Scrutinij, ſed etiam Inſpirationis, vel Compromiſſi? Cenſuit, electionem horum Prælatorum Regularium debere fieri tantùm per vota ſecreta, ut ſe habent verba propria Concilij d. c. 6.*

In praxi nihilominus, ob ſuprà dictam Doctorum diſcrepantiam, optimum erit, ut attendatur ſpecialis cujuslibet Sacræ Religionis conſtitutio, aut antiqua laudabiliſque conſuetudo ejuſdem.

TITU

TITULUS VII.

De Translatione Epiſcopi.

1. *Ratio ordinis, ſeu continuationis Rubricarum.*

VIſis duobus modis perveniendi ad Prælaturam Eccleſiaſticam, Poſtulatione videlicet, & Electione, ſequitur tertius, qui fit mediante Translatione, utpote per quam pariter Eccleſiæ, ſuo Paſtore viduatæ, providetur, dum Epiſcopus, vel alius Prælatus exemptus, ab una Eccleſia, quam obtinet, authoritate Sūmi Pontificis transfertur, ſeu mutatur ad aliam. Et de hac loquitur præſens Titulus, præcipuè autem de Translatione Epiſcopi, ut patet ex Rubrica. Hinc fit

§. I.

Diſcutiuntur generalia circa Translationem Epiſcopi.

SUMMARIUM.

2. *Translatio, quid?*
3. *Translatio Epiſcoporum ſolâ authoritate Papæ fit,*
   Ea connumeratur inter majores Eccleſiæ cauſas. Ibid.
4. *Epiſcopus propriâ authoritate de ſua Eccleſia tranſiens ad aliam, carebit utrâque.*
5. *Non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam.*
6. *Sive Epiſcopus ſit conſecratus, ſive electus & confirmatus duntaxat.*
7. *Translatio Epiſcopi regulariter fit à minori ad majorem Eccleſiam.*
   In Dignitatibus Eccleſiaſticis non eſt licitum deſcendere. Ibid.
8. *Hoc procedit regulariter: fallit ob cauſas peculiares.*
9. *Cauſæ transferendi Epiſcopos, generatim ſunt duæ,*
10. *Videlicet cauſa utilitatis,*
11. *Et cauſa neceſſitatis.*
    Ob hanc etiam fit translatio Sedium Epiſcopalium. Ibid.
12. *Effectus translationis Epiſcopi, quales?*
13. *Textus* in cap. 2. h. t. *quomodo verificetur? Et num. ſeqq.*
14. 15. & 16. *Spirituale vinculum, quâ ratione ſit fortius carnali? Et num. ſeqq.*
17. *Illud fortiùs operatur præ carnali.*
18. *Conjugium ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia, quando cenſeatur initiatum, ratum, & conſummatum.*
    Epiſcopus eſt verus Sponſus Eccleſiæ. ibid.

QUæritur I. Quid ſit, & à quo fieri poſſit Translatio Epiſcopi? Reſp. I. *Translatio*, quantùm ad propoſitum, eſt alicujus perſonæ, ſeu Epiſcopi, de una in aliam Eccleſiā canonica mutatio. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 1. atque deſumitur *ex can. Mutationes. & ſeqq.* 7. *q.* 1. ubi Translationes Epiſcoporum appellantur *Mutationes*; nec propriæ voluntatis præſumptione, ſed ſolùm ex cauſa neceſſitatis, & utilitatis fieri poſſe perhibentur.

Reſp. II. Translatio Epiſcoporum ſolâ authoritate Romani Pontificis fieri poteſt. Ita habetur expreſſum in *can. Sicut alterius.* 7. *q.* 1. *& cap.* 1. *&* 2. *h. t.* Nam *majores Eccleſiæ cauſæ ad Sedem Apoſtolicam perferendæ ſunt*; prout notatur *cit. cap.* 1. atqui inter majores Eccleſiæ cauſas meritò connumeratur translatio Epiſcoporum. Unde Gloſſa *ibid.* & rurſus *c. Quod translationem. de Offic. Legat.* omnes majores Eccleſiæ cauſas, & Papæ ſpecialiter reſervatas, paucis enumerat, ponendo ſequentes verſiculos:

Reſtituit Papa ſolus, deponit & ipſe.
Dividit, ac unit, eximit, atque probat.
Articulos ſolvit, Synodúmque facit generalem.
Transfert, & mutat: appellat nullus ab ipſo.

Reſp. III. Epiſcopus propriâ authoritate de ſua Eccleſia ſe transferens ad aliam, carebit utrâque. Ita habetur *in c. Quantò.* 3. *h. t. & can. Si quis Epiſcopus.* 7. *q.* 1. Et meritò: *Ut ſic nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit*, prout loquitur Pontifex in citatis locis. Accedit alia ratio: quia vinculum ſpiritualis matrimonij, quod Epiſcopus cum priori Eccleſia contraxit, privatâ authoritate diſſolvi nequit, *c. Inter corporalia.* 2. *h. t.* 4

Verumtamen Abbas *cit. c. Quantò. n.* 13. poſt Jo. Andream, rectè notat, quòd Epiſcopus ad ſecundā Eccleſiam propriâ authoritate ſe conferens, non fit privatus primâ Eccleſiâ ipſo jure, ſed 5

ſed privandus duntaxat per ſententiam; adeóq; Clerici prioris Eccleſiæ teneantur ipſi præſtare obedientiam , donec eâ privetur per ſententiam , *arg. can. Nonnè.* 8. *q.* 4.

6 Et hactenus dicta procedunt non ſolùm de Epiſcopo conſecrato , ſed etiam de electo & confirmato, licèt nondum ſit conſecratus. Sicut enim Epiſcopus conſecratus ſine licentia Romani Pontificis ſuam non debet Eccleſiam derelinquere, ſic & Electus confirmatus: eò quòd poſt electionem & confirmationem canonicā, ſpirituale conjugium inter perſonam Electi, atque Eccleſiam, jam ſit contractum , & ratum; prout habetur *d. c. Inter corporalia. §. Sicut enim. 2. h. t. & cap. ult. eod.*

7 Quæritur II. Quomodo, quibúsque de cauſis fiat translatio Epiſcopi? Reſp. I. Translatio Epiſcopi regulariter fit à minore ad majorem, ſeu digniorem Eccleſiam. Ita deſumitur *ex cap.* 1. *h. t.* ubi Papa tanquam valdè abſurdum infert , quòd quis parvifacere majorem, & epiſcopare Archiepiſcopum præſumpſerit, illis verbis: *Miramur, quòd - - - novo quodam mutationis genere parvificâſti majorem, & magnum quodammodò minorâſti, epiſcopare Archiepiſcopum , imò potiùs dearchiepiſcopare præſumens.* Hactenus Pontifex. Unde in Dignitatibus Eccleſiaſticis non eſt licitum deſcendere; id eſt, de maiori ad minorem tranſire, *arg. can. Legimus. diſt.* 93. ibi: *Qui provehitur, de minore ad majus provehitur;* & notat Fagnanus *c. Cùm ex illo. n.* 9 *h. t.*

8 Additur notanter, *regulariter fit à minore ad majorem.* Nam, quando fit translatio Epiſcopi ex peculiari cauſa eam juſtificante, v.g. ob aeris inſalubritatem, vel ob metum hoſtium talem locum occupantium; nihil impedit, Epiſcopum transferri ab una ad aliam Epiſcopalem Eccleſiam, quamvis hæc non ſit major alterâ, ut *can. Paſtoralis. 7. q. 1. & c. Ad ſupplicationem. 9. de Renunciat.* ubi Archiepiſcopus, qui abſque mortis periculo in ſua Eccleſia morari non poterat , ex conceſſione Papæ ita deſcendiſſe legitur.

9 Reſp II. Cauſæ transferendi Epiſcopos generatim ſunt duæ, videlicet neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ. Ita habetur in *can. Mutationes. & can. Scias frater. 7. q. 1.* ubi inter alia ſic legitur: *Mutationes Epiſcoporum ſcitote commum utilitate, atque neceſſitate fieri licere, ſed non propriâ cujusquam voluntate &c. Alia enim eſt cauſa utilitatis, & neceſſitatis; alia avaritiæ, ac præſumptionis, aut propriæ voluntatis.* Itaque imprimis,

10 Utilitatis causâ fit translatio , ſi ex ea major fructus univerſali, vel particulari Eccleſiæ eventurus ſperetur. Qua de cauſa S. Petrus, Princeps Apoſtolorum, de Antiochia utilitatis causâ translatus eſt Romam, ut ibidem potiùs proficere poſſet, *cit can. Mutationes. 7. q. 1.* Hoc ipſum accidit, ſi ejusmodi translationem ſuadeat bonum pacis, & concordiæ: ſive dein ipſa fiat ad præviam ſolemnem poſtulationem , qua Epiſcopus unius Eccleſiæ per eos, quibus jus eligendi competit, poſtulatur ad aliam; ſive ad præſentationem, vel nominationem alterius, puta Regis jus nominandi habentis; ſive interveniente liberâ collatione, qua Summus Pontifex, ob meritorum prærogativam, aut ex cauſa ſpecialis neceſſitatis, Epiſcopum à ſua ad aliam Eccleſiam transferre dignatur. Siquidem

Neceſſitatis causâ poteſt fieri translatio, ſi ob 1
perſecutionem hoſtilem, odium civium, aeris incommoditatem, vel aliâ ſimili de causâ, Epiſcopus in propria Eccleſia tutò commorari non poſſit. *d. can. Paſtoralis. 7. q. 1.* cum ſimilibus. Quinimò hâc de causâ etiam fieri ſolent ipſarum Sedium Epiſcopalium translationes; uti factum legitur *in can. Temporis. 7. q. 1. & can. Ita nos Scyllacænorum. 25. q. 2.* quo poſteriori in loco, ob geminatam cædem Pontificum, Epiſcopalis Dignitas penitùs fuit ſubtracta Civitati.

Quæritur III. Quinam ſint effectus transla- 1
tionis Epiſcopi? Reſp. Eos potiſſimùm eſſe ſequentes. I. Translatio Epiſcopi canonicè facta diſſolvit fœdus conjugij ſpiritualis, quod eſt inter Epiſcopum translatum , & priorem ſuam Eccleſiam; ut *c. Bonæ memoriæ. 4. §. fin. de Poſtulat. Prælat.* II. Translatio id operatur, quòd translatus Epiſcopus nihil juris retineat in priore ſua Eccleſia, *can. Si quis jam translatus. 21. q. 1.* Definit enim eſſe Epiſcopus illius Civitatis, ſeu Eccleſiæ, à qua transfertur, *can. In apibus. §. Ecce. 7. q. 1.* Dummodò translatus fuerit ex cauſa utilitatis, & non ex ſolo metu hoſtilitatis, eò videlicet, quòd Civitas illa ab hoſtibus ſit captivata, atque Epiſcopus inde depulſus: nam talis ceſſante hoſtilitate, & captivitatis calamitate, ad priorem Eccleſiam redire debet; prout tum *in cit. §. Ecce,* tum in proximè *d. can. Paſtoralis 7. q. 1.* limitatur. III. Translatione Epiſcopi peractâ, illicò vacat prior Eccleſia , juxta dicenda *num. 35. & ſeqq.* IV. Epiſcopus ab una ad aliam Eccleſiam translatus, contrahit novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur, *arg. can. Sicut alterius. 7. q. 1.* atque ampliùs *num. 32. & 33.* dicetur.

Quæritur IV. Quomodo verificetur tex- 1
tus ille Innocentij III. relatus in principio *cap. 2. h. t.* illis verbis: *Inter corporalia & ſpiritualia eam cognovimus eſſe differentiam, quòd corporalia faciliùs deſtruuntur, quàm conſtruantur: ſpiritualia verò faciliùs conſtruuntur, quàm deſtruantur?* Item illud paulò inferiùs ibidem ſubjunctum: *Cùm ergo fortius ſit ſpirituale vinculum* (conjugij videlicet, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam) *quàm carnale.* Ratio dubitandi eſt: quia ſpirituale fœdus conjugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, in conſecratione intelligitur conſummatum, *cap. ult. h. t.* & tamen pluribus adhuc modis citra mortem naturalem Epiſcopi quoad vinculum ſolvitur, ut puta hujus translatione, depoſitione, aut renunciatione: econtrà matrimonium carnale, ſemel conſummatum inter Fideles , nullo ampliùs modo, ne quidem authoritate Summi Pontificis, quoad vinculum diſſolvi poteſt; ergo non videtur ſubſiſtere, quòd ſpirituale vinculum ſit fortius carnali.

Ad hanc inſtantiam reſpondet Gloſſa *in cit.* 1

cap.

cap. 2. ℣. *Fortius. h. t.* explicando dictam voculam illis verbis: *Fortius, id eſt, dignius: quoniam carnale in veritate fortius eſt, quia diſſolvi non poteſt* &c. Verùm, ut rectè ibidem notat Abbas *num. 31.* poſt Hoſtienſem, hæc ſolutio Gloſſæ videtur litteram violare. Proinde aliâ ratione, & quidem meliùs ſolvendo allatam inſtantiam,

1 Reſp. I. Spirituale vinculum *in cit. cap. 2. h. t.* dicitur eſſe fortius carnali, nō quoad omnimodam veritatem, ſed quoad certos reſpectus ad intentionem illius dicti Pontificij deſervientes. Ita Abbas *cit. n. 31.* Vallenſis *h. t n. 3.*. & alij; idq; probatur oſtendendo certos illos reſpectus fortioris vinculi ex parte conjugij ſpiritualis præ carnali. Imprimis enim matrimonium carnale ratum, nondum conſummatum, diſſolvitur etiam quoad vinculum, altero ſolo volente, per contractum matrimonij ſpiritualis, ſeu per Profeſſionem religioſam, *c. Ex publico. 7. de Converſ. conjugat.* Non ſic fœdus conjugij ſpiritualis inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod per confirmationem intelligitur eſſe ratum, *cap. ult. h. t.* & de quo in *cit. cap. 2. eod.* Pontifex ex profeſſo loquitur.

1 Deinde loquendo de matrimonio conſummato, poſſunt poſt illud adhuc conjuges mutuo conſenſu ingredi Religionem, *c. Cùm ſis peritus. 4. ad c. Dudum. 20. de Converſion. conjugat.* ſed non econtrà profeſſus Religionem, poteſt inire matrimonium carnale, *Clem. un. de Conſang. & affinit.* & conſequenter vinculum ſpirituale fortius eſt, quàm carnale. Inſuper in caſu, quando alter Infidelium convertitur ad Fidem Catholicam, & altero nolente converti, nec cohabitare illi abſque blaſphemia Creatoris, aliud matrimonium contrahit; diſſolvitur prius carnale matrimonium jam conſummatum, etiam quoad vinculum, *c. Gaudemus. 8. de Divortijs.* Secùs accidit in matrimonio ſpirituali: nam iſtud nunquam diſſolvitur ex voluntate unius tantùm, imò nec ex voluntate utriúsque partis, niſi acceſſerit authoritas Summi Pontificis, ipſos poteſtate Divinâ, ſeu cælitùs ſibi collatâ disjungentis.

Tandem ſpirituale vinculum conjugij inter Epiſcopum & Eccleſiam, fortiùs operatur præ carnali; quia non ſolùm conjungit corpora, ſed etiam animos, & non ſolùm duos, ſed plures, *arg. can. Præcipimus. 12. q. 1. & c. Cùm inter. 21. de Election.* Item conjugium ſpirituale, ſeu conſecratio alicujus in Epiſcopum, per quam illud conſumatur, imprimit characterem indelebilem in anima ipſius: non ſic matrimonium carnale. Et tandem, ut alia taceantur, matrimonium carnale in morte penitùs diſſolvitur: non ſic ſpirituale, quia remanet adhuc character memoratus; ſicq; etiam in ordine ad diſſolutionem fortiùs operatur ſpirituale vinculum; quàm carnale. 17

Cæterùm, quia hactenus iterata mentio facta eſt de conjugio Epiſcoporum cum Eccleſia, hinc ſciendum, quòd *cap. ult.* §. 1. *h. t.* de hoc inter alia ſic legatur: *Sicut legitimi matrimonij vinculum, quod eſt inter virum & uxorem, homo diſſolvere nequit, Domino dicente in Evangelio: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: ſic & ſpirituale fœdus conjugij, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, quod in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur conſummatum, ſine illius authoritate ſolvi non poteſt, qui Succeſſor eſt Petri, & Vicarius JESU Chriſti:* Concordat c. Inter corporalia. 2. §. Sicut enim. h. t. ubi dicitur: *Non debet in dubium revocari, quin poſt electionem, & confirmationem canonicam, inter perſonas Eligentium* (quaſi Eccleſiam repræſentantium, ut Abbas *ibid. n. 9.* exponit) *& Electi, conjugium ſit ſpirituale contractum.* Ex quibus verbis apertè liquet, quòd inter Epiſcopum & Eccleſiam ſit verum fœdus conjugij ſpiritualis; ac proinde, quòd Epiſcopus ſit verus Sponſus Eccleſiæ ſuæ. 18

§. II.

Reſolvuntur tres notabiles Quæſtiones concernentes Translationem Epiſcopi.

SUMMARIUM.

19. *Papa an poſſit transferre Epiſcopum invitum? Et num. ſeqq.*
Epiſcopus confirmatus, & nondum conſecratus, nequit transferri invitus. Ibid.
20. & 21. *Loquendo de Epiſcopo conſecrato, ponitur opinio negativa ejusq; rationes.*
22. *Refertur opinio affirmativa, unà cum ſuis fundamentis. Et num. ſeqq.*
23. *Papa in Beneficialibus habet plenariam diſponendi poteſtatem.*
24. *Limitatur dicta opinio affirmativa.*
25. *Papa quando intelligatur transferre Epiſcopum ex cauſa publica, vel ob favorem perſonæ?*
26. *Refertur tertia ſententia, docens, quòd Papa poſſit transferre Epiſcopum invitum ex cauſa publica, non tamen pro libitu duntaxat.*
27. & 28. *Solutio vera. Et num. ſeqq.*
29. *Conſentiens ad comminationem Papæ, non dicitur facere actum voluntarium, ſed neceſſarium.*
30. *Epiſcopus nolens conſentire tranſlationi per Papam factæ, poteſt abſolvi à vinculo prioris Eccleſiæ, non tamen invitus alteri alligari. Et num. ſeqq.*
31. *Solvuntur rationes opinionis primæ, ſeu negativæ.*
32. *Epiſcopus translatus contrahit novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur. Et num. ſeqq.*

33. *Papa*

33. *Papa poſt Chriſtum eſt Sponſus Eccleſiæ univerſalis: alij Epiſcopi ſunt Sponſi Eccleſiarum particularium.*

34. *An, quando Epiſcopus in Conſiſtorio Papæ eſt tranſlatus, illicò vacet prior Sedes Epiſcopalis? Et num. ſeqq.*

Proponitur opinio Gloſſæ, volentis, non vacare priorem Eccleſiam ante obtentam poſſeſſionem poſterioris. Ibid.

35. *Quando Epiſcopus transfertur ſciens & volens, illicò vacat prior Epiſcopatus à die factæ in Curia tranſlationis.*

36. *Refertur Decretum Sacræ Congregationis deſuper emanatum.*

37. & 38. *Idem probatur rationibus.*

39. & 40. *Ac ſolvuntur rationes Gloſſæ.*

Diſparitas quoad Epiſcopum tranſlatum, & Epiſcopum noviter ordinatum, quoad vacationem præhabitorum Beneficiorum. Ibid.

41. *Si transfertur Epiſcopus abſens, & ignorans, non vacat prior Eccleſia ante præſtitum à tranſlato conſenſum.*

42. *Niſi ſecùs exprimatur.*

43. *Aut niſi tranſlatio fiat ob publicam cauſam, & non favore perſonæ.*

44. *Epiſcopus tranſlatus, an ſecum poſſit aſportare fructus prioris Epiſcopatûs, ac res ex ipſis emptas? Et num. ſeqq.*

Referuntur Authores pro ſententia negativa. Ibid.

45. & 46. *Et hujus rationes.*

47. *Poteſt Epiſcopus tranſlatus ſecum deferre fructus jam perceptos.*

48. *Ac bona mobilia ex eis comparata.*

49. *Dummodò hæc necdum deſtinâſſet Eccleſiæ.*

50. *Tenetur tamen relinquere fundos prioris Eccleſiæ benè inſtructos.*

Ac in locum demortuorum animalium, vel arborum, alia ſubſtituere. Ibid.

51. *Epiſcopus, vel alius Beneficiarius, non eſt dominus poſſeſſionum ſuæ Eccleſiæ, ſed adminiſtrator, & quaſi uſufructuarius.*

52. *Solvuntur rationes ſententiæ negativæ.*

53. *Solvitur inſtantia ex Bulla Julij III.* Cùm ſicut,

54. *Quinimò per hanc confirmatur noſtra ſententia.*

55. *Fructus pendentes, & inexacti, an pertineant ad Epiſcopum tranſlatum pro rata temporis? Refertur ſententia affirmativa.*

56. & 57. *Sententia negativa ampliùs probatur.*

58. *Conſtitutio Julij III.* Cùm ſicut, *non eſt ubique uſu recepta.*

59. & 60. *An hæc ſolùm procedat in Beneficiatis naturaliter mortuis?*

19 Quæritur I. An Papa poſſit Epiſcopum invitum ab una ad aliam Eccleſiam transferre? Reſp. I. Loquendo de Epiſcopo duntaxat confirmato, & nondum conſecrato, ſatis conveniunt Doctores, quòd ipſe non poſſit transferri invitus. Ratio eſt: quia nemo poteſt invitus conſecrari in Epiſcopum. Unde ſatis eſt, quòd Epiſcopus confirmatus, nondum conſecratus, dum transferri recuſat, omninò cedat Dignitati, allegando, ſe nolle unquam conſecrari in Epiſcopum. Abbas Panormit. *cap. ult. n.* 11. *de Poſtulat. Prælat.* & ibi Hoſtienſis *num* 1. Fagnanus *c. Quanto. n.* 12. *h. t.* citans alios. Et hoc videtur certum; præſertim cùm de facto poſt Conciliũ Tridentinũ. *Seſſ.* 23. *cap.* 2. *de Reformat.* Epiſcopi confirmati ipſo jure ſint privati ſuis Eccleſijs, ſi intra ſex menſes munus conſecrationis non receperint.

Major difficultas eſt de Epiſcopo jam conſecrato, utrùm invitus poſſit transferri ab Eccleſia ſua ad aliam: & circa ejus reſolutionem dantur diverſæ Doctorum ſententiæ, quas breviter referre juvabit.

20 Prima igitur opinio, eſt negativa. Ratio præcipua ejus eſt: quia Matrimonium ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam initiatur, formatur, & conſummatur, ſicut carnale, *arg. cap. ult. h. t.* ergo, ſicut Papa matrimonium carnale ratum nequit diſſolvere invitis ſponſis, ita nec ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam eo invito. Confirmatur. Quia *omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur,* ut dicitur *c. Omnis res de Reg. Jur.* Sed ſpirituale matrimonium inter Prælatum & Eccleſiam, non niſi conſenſu Prælati poteſt naſci, ſeu produci; ergo nec diſſolvi abſque ejus conſenſu. Accedit textus expreſſus in *can. Quamvìs.* 7. *q.* 1. ubi S. Gregorius Papa inquit, quòd alium loco viventis Epiſcopi (*niſi recuſante eo) nulla ſinit ratio ordinari.* Et huic ſententiæ videtur adhærere Jo. Monachus *in c. Generali. num.* 10. *de Elect. lib.* 6.

Ad rationes, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, & quarum potiſſimæ *num. ſeqq.* afferentur, reſpondent Authores hujus ſententiæ: quamvis per tranſlationem à Papa factam Epiſcopus abſolvatur à vinculo prioris Eccleſiæ; tamen hujuſmodi abſolutionem non eſſe puram, ſed conditionalem, ſi videlicet Epiſcopus conſenſerit.

Secunda opinio, directè priori oppoſita, cenſet, Papam poſſe Epiſcopum abſolute transferre pro libitu voluntatis. Ratio eſſe poteſt: quia, licèt ab initio nemo cogatur epiſcopari (neque enim quis invitus ordinari, ſeu Epiſcopus conſecrari poteſt) tamen, ex quo ſemel conſenſit, poterit per Papam ab una Eccleſia ad aliam etiam invitus transferri. Probatur ſequela. Quia una eſt Eccleſia univerſalis, per totum orbem terrarum diffuſa, *can. Loquitur.* 24. *q.* 1. ergo, qui ſemel conſenſit, in hac Eccleſia univerſali epiſcopari, non poteſt ampliùs reſiſtere Papæ, ipſum transferenti pro bono publico ab una Eccleſia particulari ad aliam: ſiquidem hîc ſolummodò alteratur locus, non autem dignitas reſpectu Eccleſiæ univerſalis. Accedit textus notabilis quoad hoc *in can. Scias frater.* 7. *q.* 1.

Con-

2 Confirmatur idipſum: quia Summus Pontifex in Beneficialibus habet plenariam poteſtatem diſponendi; ut *c. Licet. 2. de Præbend. in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente &c.* Ubi dicitur, quòd ad Romanum Pontificem omnium Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, *plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* Ergo etiam de plenitudine poteſtatis poterit Epiſcopum, quantumvis invitum, pro bono ſtatu Eccleſiæ univerſalis, à ſua Eccleſia transferre ad aliam; alioquin ipſi quoad has non competeret plena, & libera diſpoſitio. Accedit, quòd juxta Hoſtienſem, & Abbatem, *ubi ſuprà*, Epiſcopus, ſi eſt conſecratus, ſicque proprio accedente conſenſu Eccleſiæ indiſſolubiliter alligatus, hac in parte comparetur Monacho, qui non habet poteſtatem contradicendi Superiori ſuo; cùm velle, aut nolle non habeat, *can. Nolo. & can. Non dicatis. 12 q. 1.* Et hujus ſententiæ eſt Gloſſa in *can. Omnis qui gemebat. 7. q. 1. ℣. Coactè.* ubi ait, quòd Papa abſolutè poteſt cogere, *arg. can. Per principalem. 9. q. 3.* Baldus in *l. Reſcripta. n. 8. C. de Precib. Imperat. offerend.* ubi dixit, quòd omnia Beneficia Mundi quoad Papam cenſentur eſſe obedientialia, & manualia: quod ipſum dicit Alexander *Conſil. 74. n. 29. lib. 4.* Conſentit Abbas in *cit. cap. ult. n. 13. de Poſtulat. Prælat.* & ibi Hoſtienſis *n. 1.* Jo. Andreas *n. 2.* & communior aliorũ.

1 Verùm plerique hujus ſententiæ Authores dictam ſuam ſententiam limitant, eámque procedere ajunt in caſu, quando Papa transfert Epiſcopum invitum ad alium Epiſcopatum ex cauſa publica, v. g. ob bonum commune pacis, aut ob neceſſitatem, vel evidentem utilitatem Eccleſiarum: ſecùs autem, quando ipſum transfert ob favorem perſonæ, ſeu quia propter meritum vult eum honorare. In hoc quippe caſu ultrò fatentur, requiri conſenſum ejus, qui transfertur: quia talis translatio non aliter cenſetur fieri per Papam, niſi ſub conditione, ſi alter erit conſenſurus: ne alioquin, quod ob gratiam ipſius concceditur, in ejus diſpendium retorqueatur, contra *Reg. 61. Juris in 6.*

2 Cæterùm in dubio, an Papa transferat Epiſcopum ex cauſa publica, nec ne? obſervandum ajunt, nũ Papa procedat providendo, vel jubendo: nam ſi procedat providendo, ſeu promovendo, non cogitur Proviſus tranſire, quia translatio cenſetur facta favore ejus. Si autem procedit jubendo, cenſetur facta ex cauſa publica, ſeu favore Eccleſiæ; ſicque cogitur tranſire, *can. Omnis. 7. q. 1.* Ita Baldus *cit. l. Reſcripta. n. 8.* Abbas *Quæſt. 1. n. 4.* & Card. Tuſchus *Litt. T. Concl. 364. n. 9. & ſeqq.* & alij. Quòd ſi verò non appareat, utrùm Papa proceſſerit providendo, vel jubendo; ut ſi in litteris abſolutè dicatur: Epiſcopum Perusinum abſolvimus ab Eccleſia, cui præeſt, eúmque ad Eccleſiam Ferrarienſem duximus transferendum: tunc talis translatio præſumitur facta, non tantùm favore Eccleſiæ, ſive ob ejus utilitatem, ſed etiam in gratiam perſonæ; & ſic de Epiſcopo non invito. Fagnanus *c. Quanto. n. 123. h. t.* citans alios.

2 Tertia, & media ſententia docet, Papã ex cauſa juſta, puta ob utilitatem, aut evidentem neceſſitatem Eccleſiæ, poſſe quidem Epiſcopum invitum transferre; non tamen ſine cauſa, & pro libitu duntaxat. Et hæc opinio probatur imprimis rationibus pro utraque extrema ſententia hactenus allatis. Deinde ratio ulterior prioris partis ea eſt: tum quia *cit. can. Scias frater. 7. q. 1.* expreſsè loquitur de caſu utilitatis, & neceſſitatis; & idem fit in alijs ſimilibus Juribus. Tum quia in his, quæ ſunt de Jure Divino, Papa non poteſt diſpenſare in caſibus ſibi permiſſis abſq; juſta, & rationabili cauſa; quia non in deſtructionem, ſed in ædificationem, accepit poteſtatem ſuam à Chriſto; ut *2. Corinth. 13.* Atqui conjugium ſpirituale inter Eccleſiam & Epiſcopum, eſt de Jure Divino; ut *c. Inter corporalia. 2. & c. Quantò. 3. & cap. ult. h. t.* ubi authoritas illa, *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, huic ſpirituali conjugio applicatur; ergo. Atque ex his patet magna ſententiarum varietas, quâ præmiſsâ pro ulteriori reſolutione propoſitæ Quæſtionis, atq; loquendo de Epiſcopo conſecrato.

Reſp. II. Quando Papa à ſua Eccleſia ad aliam altiorem transfert abſentem, & ignorantem Epiſcopum, non cenſetur intendere (niſi ſecùs exprimat) ipſũ ſimpliciter & abſolutè transferre; ſed ſolùm ſub conditione, quatenus is expreſsè, vel tacitè conſenſerit. Ita Jo. Monachus in *c. Generali. n. 10. de Elect. in 6.* aſſerens, ſe hoc vidiſſe pluries in Curia declarari; & ſequitur Fagnanus in *cit. c. Quanto. n. 16. & ſeqq & n. 97. h. t.* Idque, præter dicta *n. 24. & 25.* probatur ex eo: quia nemo invitus tenetur creſcere, *can. Geſta. diſt. 74.* Simùlque in invitum non confertur beneficium, *arg. l. Invitum. C. de Contrahend. emption.* Atq; in ipſa Beneficiorũ Eccleſiaſticorũ collatione ſubintelligitur conditio illa, *Si proviſus conſenſerit*; ut legitur *in c. Si tibi abſenti. 17. de Præbend. in 6.* 27

Reſp. III. Quòd ſi Papa omninò velit transferre ex cauſa utilitatis, vel neceſſitatis, Epiſcopum ad altiorem Eccleſiam, ut puta ad Archiepiſcopatum, vel Cardinalatum, & alter nolit tranſire; poterit eundem Papa cauſativè compellere ad præſtandum conſenſum, etiam per ſubtractionem Epiſcopatûs præhabiti, ut ſic de nolente fiat volens. Ita Gloſſa *can. Omnis 7. q. 1. ℣. Coactè.* Abbas *cit. cap. ult. n. 12. de Poſtulat. Prælat.* & alij. Atque hanc Concluſionem ad minimum probant, & convincunt authoritates, & rationes, pro ſecunda ſententia *n. 22. & ſeqq.* allatæ. Accedit textus notabilis in *can. Diſplicet. 23. q. 4.* ubi dicitur: *Multi, ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur, quæ nolunt; donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni.* Concordat *can. Placuit. diſt. 74.* ubi Clerici pro neceſſitatibus Eccleſiarum promoveri contemnentes, à proprio gradu dejiciuntur. 28

Porrò in tali caſu, ſi Translatus tandem conſentiat, non dicitur is facere actum voluntariũ, ſed potiùs neceſſarium: quia, licèt interveniat ejus conſenſus, hic tamen non habet originem à cauſa merè voluntaria, ut accidit in reſignatione ſponte factâ: ſed eſt quidam conſenſus ſecun- 29

cundarius, qui præſtatur, ut libenter obediatur Papæ, cui etiam ab invito obediendum foret. Prout ſimile quid accidit in morte naturali: nam piè morientes pariter conſenſum accommodant, ita ut ſe conformes reddant voluntati Dei, ſed non per hoc dicitur mors voluntaria. Card. de Luca *Diſcurſ. 84. de Beneficijs. n. 9.*

30 Reſp. IV. Si verò nihilominùs alter perſtiterit in ſua ſententia, & nolit conſentire translationi per Papam motu proprio factæ: poterit quidem talis Epiſcopus authoritate Papali à vinculo prioris Eccleſiæ abſolvi; idque tum in pœnam ſuæ obſtinationis & inobedientiæ, *arg. cit. can. Placuit. diſt. 74.* tum ob cauſam communis utilitatis, vel neceſſitatis: non tamen poteſt omninò invitus, & coactus, alteri alligari, ſeu ad aliam Eccleſiam transferri. Ita expreſsè Gloſſa *un. can. Epiſcopus de loco. 7. q. 1.* Jo. Andreas *c. Quod ob gratiam. n. 1. in fine. de Reg. Juris in 6.* dicens, quòd Papa poſſit transferre Epiſcopum invitum, ſaltem ut careat primâ Eccleſiâ. Sannig *h. t. cap. 3. n. 2.* aſſerens, quòd, ſi translatus nollet conſentire, nullum ſequeretur conjugiū ſpirituale inter ipſum, & novam Eccleſiam; & fusè Fagnanus *cit. c. Quantò. n. 101. & ſeqq. h. t.* Et quidem prior pars convincitur per rationes *n. 28.* allatas.

31 Nec obſtant rationes *n. 20.* in oppoſitum adductæ, præſertim accedente cauſa publicæ utilitatis, vel evidentis neceſſitatis. Non prima: ſiquidem paritas inter matrimonium ſpirituale, & carnale, non eſt omnimoda: nam, ut taceantur aliæ differentiæ, ad Papam pertinet plenaria diſpoſitio de Beneficijs Eccleſiaſticis, idque de plenitudine ſuæ poteſtatis; non item de Sponſis, eorúmque corporibus: unde negatur conſequent. Ad *Reg. 1. Juris* dicitur, eam potiſſimùm procedere in obligationibus, & contractibus temporalibus, qui, cùm ſolo mutuo conſenſu contrahantur, ita etiam eodem diſſolvuntur: ſecùs eſt in ſpiritualibus, ut explicat Gloſſa magna *ibid.* Porrò dictum S. Gregorij nihil urget contra translationem Epiſcopi ex juſta cauſa factam; ſed loquitur ſolùm de Epiſcopo ægrotante, in cujus locum nulla ſinit ratio alium conſecrare, niſi ipſemet conſentiat (nam afflicto non eſt addenda afflictio, *c. Ex parte. de Cleric. ægrot.*) ſed eſt ipſi dandus Coadjutor, ut ibidem dicitur.

Altera pars probatur ex eo: quia Epiſcopus

32 translatus contrahit novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur: atqui ad validitatem ſpiritualis conjugij, ſicut & carnalis, neceſſarius eſt conſenſus contrahentium; ergo talis conſenſus etiam requiritur ex parte Epiſcopi translati, ſicque omninò invitus nequit transferri ad aliam Eccleſiam, ut inter ipſum, & Eccleſiam, cenſeatur ortum vinculum conjugij ſpiritualis. Minor patet ex *c. Cùm inter. 21. de Elect.* ibi: *Ut per mutuum conſenſum eligentium, & electi, quaſi conjugale vinculum ſpiritualiter ſit contractum*: ubi tale vinculum dicitur contrahi inter Electum, & Eligentes, quaſi Eccleſiam repræſentantes, ſed non niſi mutuo conſenſu. Major verò probatur tum ex *can. Sicut vir. 7. q. 1.* tum ex *c. Inter corporalia. 2. & c. Licèt in tantum. 4. h. t.* ubi ad validam translationem Epiſcopi omninò requiritur, ut authoritate Summi Pontificis, ceu Chriſti in terris Vicarij, Epiſcopus priùs abſolvatur à vinculo prioris Eccleſiæ; & conſequenter is contrahit novum vinculum, quo conjugaliter maneat alligatus poſteriori Eccleſiæ, ad quam transfertur, ne alioquin ſit Epiſcopus, & nullius Eccleſiæ Sponſus.

Nec obſtat, quòd ſit una Eccleſia univerſalis, cui Epiſcopus eſt alligatus; ſicque in translatione ejus ſolummodò videatur alterari locus, & non dignitas; prout nonnulli argumentantur, ut dictum *n. 22.* Non obſtat, inquam: quia propriè loquendo ſolus Chriſtus eſt Sponſus Eccleſiæ, *can. Eccleſia mea. §. Ipſa enim. diſt. 97.* juncto Concilio Trident. *Seſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ, cap. 1.* ibi: *Dominus noſter . . in Cœna noviſſima dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ.* Et, licèt poſt Chriſtum etiam Romanus Pontifex (cui ſoli competit nomen Epiſcopi univerſalis Eccleſiæ) poſſit dici Sponſus Eccleſiæ univerſalis, *arg. c. Quoniam. 4. de Immunit. Eccleſ. in 6.* ac tradit Fagnanus *cit. c. Quantò. n. 111. h. t.* cum alijs. Nihilominus Epiſcopi inferiores duntaxat ſunt Sponſi Eccleſiarum particularium, *can. Sicut alterius. 7. q. 1.* etſi ſint miniſtri Eccleſiæ univerſalis, ac in partem ſollicitudinis vocati, *can. Qui ſe ſcit. 2. q. 6.* Atque id ipſum deſumitur ampliùs ex *c. Inter corporalia. 2. §. Sicut enim. h. t.* ubi poſt electionem, & confirmationem canonicam, *inter perſonas eligentium, & electi, conjugium ſpirituale contrahi* dicitur: nam perſonæ eligentium Epiſcopos inferiores, non repræſentant Eccleſiam univerſalem, ſed particularem, quæ ſuo erat viduata Paſtore; ſicque opus habet electione alterius in Sponſum, & Paſtorem ſuum.

Quæritur II. An in continenti, quòd Epiſcopus in Curia, ſeu Conſiſtorio Papæ, eſt translatus, cenſeatur prior Sedes Epiſcopalis vacare? Gloſſa magna in *can. Si quis jam translatus. 21. q. 2.* cenſet, non vacare priorem Eccleſiam, niſi translatus pacificè obtinuerit corporalem poſſeſſionē Eccleſiæ poſterioris; ut *c. Cùm in cunctis. 7. §. Cùm verò de Elect.* ubi Beneficia electi in Epiſcopum primùm vacant poſt confirmationē, adeptionē poſſeſſionis, & conſecrationem, vel ſaltem poſt lapſum temporis, ad eam petendā à Jure præfixi. Concordat *can. Si quis Epiſcopus. & can. Si qui Epiſcopi. diſt. 92.* ubi habetur, quòd ſi quis fuerit ordinatus Epiſcopus, & à ſua Eccleſia nō recipiatur, nō debet ejici à priori dignitate: imò (inquit Gloſſa ibidem. *V. Ubi priùs*) prior Eccleſia debet eum recipere, licèt interim alij fuiſſet collata, dummodò corporalē poſterioris Eccleſiæ poſſeſſionē necdū habuerit, nec per eum ſteterit, quò minùs hanc habeat, *c. Licèt Epiſcopus. 28. de Præbend. in 6.* Accedit textus in *c. Si Beneficia. 20. eod. in 6.* ubi habetur, quòd ſi quis dimiſit Beneficiū ſuum propter aliud ſibi collatum, quod poſteà reperitur alteri debitum, poteſt prius ſuum Benefi-

cium (etiam non obſtante collatione hujus interim alteri facta) repetere, dummodò ſecundum alteri debitum abſque difficultate dimittat: & conſequenter etiam translatio Epiſcoporum non cenſetur eſſe perfecta, neque prior Eccleſia vacare, antequàm translatus habeat pacificam poſſeſſionem ſecundæ Eccleſiæ, vel ſaltem per eum ſteterit, quò minùs hanc habeat. His tamen non obſtantibus,

Reſp. I. Quando translatio cujuſpiam Epiſcopi fit ad hujus inſtantiam, vel de ejuſdem præſcitu ac voluntate, illicò vacat prior Epiſcopatus à die, qua ipſe in Curia, ſeu Conſiſtorio Papæ, abſolvitur à vinculo prioris Eccleſiæ, atque authoritate Pontificiâ transfertur ad aliam. Ita ex profeſſo Abbas Panormit. *Conſil.* 101. *n.* 3. *&* 4. *lib.* 2. Rota *Deciſ.* 474. *n.* 6. *& ſeqq. part.* 1. *Recentior.* ubi (ub *n.* 16. oſtendit, erroneam eſſe opinionem illorum, qui poſt Gloſſam proximè allegatam dixerunt, non induci vacationem Epiſcopatûs, niſi poſt obtentam poſſeſſionem ſecundi. Fagnanus *in d. c. Quantò. n.* 99. *h. t.* & Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 19. *n.* 37. *& in Collectaneis ad cap.* 1. *n* 5. *h. t.* ubi refert notabilem Declarationem deſuper emanatam in hæc verba:

3 *Die* 14. *Decembris* 1624. *Sacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium negotijs Epiſcoporum præpoſita, S. D. N. approbante, cenſuit Eccleſiam, à qua volens transfertur, ſeu quam dimittit Epiſcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Epiſcopus ab illius vinculo abſolvitur in Conſiſtorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apoſtolicarum, vel adeptam poſſeſſionem ſecundæ Eccleſiæ. Et poſteaquàm hujusmodi abſolutionis notitiam Epiſcopus habuerit, etiam ex teſtimonio, ſeu documento Secretarij Sacri Collegij, illicò teneri eum abſtinere exercitio ordinariæ juriſdictionis, eámque tranſire in Capitulum tanquam Sede vacante: & ita poſſe, & debere Capitulum ſtatim eâ juriſdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilij præſcriptum eligere, Sedémque vacantem publicare.* Hactenus Declaratio memorata.

3 Ratio Concluſionis eſt: quia ex eo jam tempore vacat Eccleſia, quo Epiſcopus volens, atque conſentiens, ab ejus vinculo abſolvitur, & ad aliam Eccleſiam transfertur: atqui hoc accidit pro tunc, quando in Curia, ſeu Conſiſtorio Papæ, fit translatio; ergo. Minor eſt certa: quia Epiſcopus non poteſt de jure, etiam verbo, transferri ad aliam Eccleſiam, niſi priùs abſolvatur à ſua Eccleſia; ut *c. Inter corporalia. §. fin. h. t.* atque ab antiquo jam eſt obſervatum de more Romanæ Curiæ, ut *c. Bonæ memoriæ.* 4. §. *fin. de Poſtulat. Prælat.* Simúlque Epiſcopus ille, ad cujus inſtantiam (ut ſupponitur) fit translatio, eo ipſo in hanc conſentit: nam, quicunque vult conſequens, v. g. transferri ad aliam Eccleſiam, videtur velle antecedens, v. g. abſolvi à propria Eccleſia; ut *c. Præterea de Offic. Delegat. & l. Ad rem mobilem. & l. Ad legatum. ff. de Procuratorib.*

3 Major verò probatur. Tum quia ſic translatus Epiſcopus, deſinit eſſe Epiſcopus illius Eccleſiæ, a qua transfertur, *can. Si quis jam translatus.* 21. *q.* 2. Ac quoad primam Eccleſiam habetur pro mortuo ex illâ horâ, quâ transfertur, *can In apibus. §. Ecce in quibus caſibus.* 7. *q.* 1. junctâ Gloſsâ *ibid. V. Defuncto.* ergo etiam jam tunc vacat prior Eccleſia. Tum quia abſolutio à vinculo prioris Eccleſiæ, quæ fieri ſolet per Papam, tollit fœdus ſpiritualis conjugij inter Epiſcopum translatum, & ſuam Eccleſiam priorem; ergo ex tunc Eccleſia remanet viduata, utpote carens ſponſo: prout ſimile quid accidit in carnali matrimonio nondum conſummato, quando alter conjugum voluntariè ingreditur, & profitetur Religionem; ut *cap.* 2. *& c. Ex parte.* 14. *de Converſ. conjugat.* Tum tandem, quia non poteſt eſſe acquiſitio ſecundæ Sponſæ ſpiritualis, niſi præceſſerit liberatio à prima; alioquin adulterium committitur, *can. Sicut alterius uxor.* 7. *q.* 1. Sed Epiſcopus translatus, & in translationem conſentiens, acquirit ſponſam alteram Eccleſiam, ut *cap. ult. h. t.* ergo liberatus eſt à prima, ſicque hæc incontinenti vacat.

Nec obſtant rationes Gloſſæ *num.* 34. allatæ. 39 Nam imprimis *cit. c. Cùm in cunctis de Elect.* non loquitur de Epiſcopo translato, ſed de Epiſcopo noviter ordinato, cui priora Beneficia relinquuntur usque ad ſuam confirmationem, & conſecrationem. Et ratio diſparitatis eſt: quia Epiſcopus noviter ordinatus, non habet ſtrictè conjugium ſpirituale cum Beneficijs minoribus priùs à ſe poſſeſſis; ſicque non eſt inconveniens, ut hæc ipſi ad Epiſcopatum promoto usque ad tempus conſecrationis de jure remaneant, cùm etiam poſt adeptum Epiſcopatum poſſit talia ex cauſa de novo acquirere, *ut c. Cùm in Eccleſia.* 25. *de Præbend. in* 6. Secùs eſt de Epiſcopo translato: nam Epiſcopus habet propriè conjugium ſpirituale cum ſua Eccleſia, juxta dicta ſuperiùs *num.* 16. Et conſequenter nequit ipſe, ſpectato Jure communi, aliam Eccleſiam acquirere, ſeu ad ipſam transferri, niſi priùs abſolvatur à vinculo prioris Eccleſiæ; alioquin ſequeretur quòd eſſet ſponſus duarum Eccleſiarum, ſicque contingeret adulterium ſpirituale, *cit. can. Sicut alterius uxor.* 7. *q.* 1. Abbas *cit. Conſil.* 101. *n.* 6. *&* 7. poſt Jo. Monachum, & Jo. Andream.

Ad *can. Si quis Epiſcopus. diſt.* 92. & alios conſi- 40 miles textus, ſicut & ad c. *Si beneficia. de Præbend. in* 6. reſpondetur per idem: quia loquuntur non de aliquo Epiſcopatu præhabito, ſed de præhabitis alijs Beneficijs minoribus. In his quippe, cùm non interveniat ſtrictè matrimonium ſpirituale, haud eſt neceſſe, quòd priùs interveniat abſolutio ab eorum vinculo: ſecùs accidit in Epiſcopatu; ac proinde translatio Epiſcopi à ſua priori ad aliam Eccleſiam meritò de jure, ac de more ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, non fit, niſi præmiſsâ abſolutione à vinculo prioris Eccleſiæ, *cit. c. Bonæ memoriæ.* 4. *de Poſtulat. Prælat.* Quâ factâ ad inſtantiam, ſeu conſenſum Epiſcopi transferendi, illicò vacat prior Eccleſia, utpote viduata Sponſo ſuo.

Reſp. II. Quòd ſi translatio Epiſcopi à ſuâ ad 41 aliam Eccleſiam, authoritate Summi Pontifi-

cis fiat ipſo abſente, ac penitus ignorante, cenſetur vacare prior Eccleſia primùm poſt ſcientiam, & conſenſum à translato præſtitum; niſi ſecùs exprimatur. Ita Abbas *cit. Conſil.* 101. *n.* 4. *lib.* 2. Fagnanus *c. Quantò n.* 96. *& ſeqq. h. t.* citans alios, ac ſequitur ex dictis *n.* 27. Siquidem Papa Epiſcopum abſentem, & ignorantem, non aliter ſolet transferre (niſi ſecùs exprimatur) quàm ſub conditione, quòd is conſentiat, vel expreſsè, vel ſaltem tacitè, acquieſcendo videlicet translationi de ſe factæ: unde taliter translatus, priusquàm translationi conſenſerit, non eſt Epiſcopus ſecundæ Eccleſiæ, nec Sponſus ejuſdem; idque ex defectu conſensûs, per quem matrimonium ſpirituale cum Eccleſia initiatur, *cap. ult. h. t. & c. Cùm inter.* 21. *de Electiov.*

42 Additur notanter, *niſi ſecùs exprimatur.* Nam vacatio, ac retentio priorum Beneficiorum, aut etiam præhabiti Epiſcopatûs, regulatur à voluntate, vel Decreto Papæ, per Jura *n.* 23. allegata: ipſe verò Papa quandoque decernit vacare alia Beneficia vel antè, ſeu tempore translationis in Curia factæ; vel etiam pòſt, puta, cùm primùm translatus acceperit pacificam poſſeſſionem Epiſcopatûs, vel majoris partis bonorum. Card. Tuſchus *Litt. B. Concl.* 71. *n.* 15. poſt Angelum *Conſil.* 274. *in princip.* Et hæc limitatio etiam locum habet reſpectu prioris Concluſionis *n.* 35. datæ.

43 Deinde notat idem Card. Tuſchus *loc. cit. n.* 14. poſt Abbatem *cap. ult. n.* 13. *de Poſtulat. Prælat.* & alios, quòd ſi translatio fiat ob meritum, ſeu favorem perſonæ, vacet prior Epiſcopatus à die acceptationis, ut dictum in Concluſione: ſi autem fiat translatio ob publicam cauſam, puta, ob evidentem utilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiarum, ſtatim ille vacet à die promotionis, ſeu translationis, dummodò Papa non decernat aliud tempus vacantiæ. Et huc faciunt dicta ſuperiùs *n.* 24. *&* 25. ubi notatur, quòd Papa cenſeatur transferre Epiſcopum ob favorem perſonæ, ſi procedit providendo, ſeu promovendo: ſecùs autem, ſi procedit jubendo.

44 Quæritur III. Utrùm Epiſcopus translatus de uno Epiſcopatu ad alium, poſſit ſecum aſportare bona ex redditibus prioris Eccleſiæ, ſeu Epiſcopatûs acquiſita? Non pauci abſolutè negant, poſſe Epiſcopum translatum ſecum aſportare fructus primi Epiſcopatûs, aut res ex ipſis emptas; prout tenet Petrus Barboſa *part.* 2. *l. Divortio. n.* 52. *& ſeqq. ff. Soluto matrimonio.* citans pro ſe Cardinal. *Conſil.* 110. *n.* 2. Bellameram *c. Si quis translatus.* 21. *q.* 2. *n.* 10. Ancharanum *Conſil.* 189. *n.* 1. Paul. Caſtrenſem *Conſil.* 337. *n.* 8. *lib.* 1. Alciatum *Reſp.* 1. *n.* 49. *lib.* 7. & alios: atque horum ſententiam, præter Barbatiam *vol.* 3. *Conſil.* 20. *n.* 13. & alios à ſe citatos, ſequitur Auguſtinus Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 114. *n.* 16. docens, quòd Epiſcopus translatus teneatur priori Epiſcopatui relinquere fructus jam perceptos, & res ex illis emptas; quamvis *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 19.

n. 35. *& cap.* 1. *n.* 4. *h. t.* oppoſitæ ſententiæ noı
nihil faveat.
Ratio dictæ ſententiæ negativæ eſſe poteſ 5
Quia Epiſcopus non eſt dominus, ſeu propri
tarius rerum Eccleſiæ, ſed ſolùm œconomus,
diſpenſator, *can. Si privatum.* 12. *q.* 1. *& can. Qu*
autem. 16. *q.* 7. cum ſimilibus; ergo nullum h
bet jus, ipſas ſecum aſportandi. Inſuper transl
tus ab una Eccleſia ad aliam, hoc ipſo deſinit eſ
Epiſcopus prioris Eccleſiæ; & conſequenter n
quit ampliùs diſponere de bonis, ac fructib
ipſius, ſed tenetur ipſos relinquere Succeſſor
ejùsque diſpenſationi. Tandem ſpectato Ju
communi certum eſt, quòd omnia bona Ep
ſcopi, intuitu Eccleſiæ acquiſita, poſt morte
ipſius ſint conſervanda in dominio Eccleſia
cap. 1. *de Teſtament.* Ac futuris Succeſſoribus
deliter reſervanda, *c. Quia ſæpè.* 40. *de Elect. in*
ergo idem dicendum de Epiſcopo translat
nam translatus dicitur mortuus quoad prima
Eccleſiam ab illa hora, qua transfertur, *can.*
apibus. §. Ecce. 7. *q.* 1. & ibi Gloſſa *V. Defuncto.*
Accedit Conſtitutio 7. Julij III. *Cùm ſicut*, co 4
firmata per Urbanum VIII. in ſua Conſtit
tione 80. *Æternus rerum Conditor* (& habetur i
Tomo IV. illa verò *Tomo I. Bullarij Romani*) in q
Pontifex expreſsè, ac motu proprio decerni
quòd fructus Beneficiorum tempore obitûs B
neficiatorum, etiam Epiſcoporum, vel Card
nalium inexacti, ſpectent ad Succeſſores in B
neficijs, ubi non debent Rev. Cameræ Apoſt
licæ perſolvi: & conſequenter Epiſcopus tran
latus, utpote quoad priorem Eccleſiam civilit
mortuus, nequit eos ſibi applicare, & aſportar
cùm debeantur Succeſſori. Verùm his no
obſtantibus,
Reſp. I. Epiſcopus translatus de uno Epiſc 4
patu ad alium, poteſt ſecum deferre fruct
jam perceptos. Ita Rota *Deciſ. un. de Translat.*
piſcop. in antiquis. Card. Tuſchus *Litt. T. Con*
364. *n.* 10. Calderinus *Conſil.* 264. *aliàs.* 2. *De r*
bus Eccleſ. non alien. & alij. Ratio eſt: quia redd
tus, ſeu fructus Beneficiorum, dantur Clericis
ipſisque Epiſcopis ob miniſterium, quod Eccl
ſijs exhibent in earum regimine, & curâ, aliiſq
Divinis obſequijs, *c. Cùm ſecundùm.* 16. *de Pr*
bend. ergo æquum eſt, ut ipſis de una Eccleſia a
aliam translatis relinquantur, ſicque aſporta
valeant. Accedit, quòd juxta probabiliore
ſententiam (de qua *Tit. De Peculio Clericorun*
Clerici, ipſique Epiſcopi, non ſint meri œc
nomi & diſpenſatores redditùum Beneficiali
ſed etiam verum horum dominium acquiran
licèt cum onere, ſuperflua in pias cauſas er
gandi; ergo hoc ipſo poſſunt fructus jam pe
ceptos ſecum aſportare, utpote domini eoru
dem.
Reſp. II. Inſuper Epiſcopus translatus pote 45
ſibi retinere, ſecúmque aſportare bona ſua m
bilia, acquiſita in priori Eccleſia, ſeu ex ejus fr
ctibus comparata; dummodò hæc nondum d
ſtinaſſet illi Eccleſiæ. Ita Card. Tuſchus *cit. C*
cl.

cluſ. 364. n. 10. poſt Calderinum, *ubi ſuprà.* Ratio prioris partis eadem eſt, quæ *n.* 46. *&* 47. de fructibus allata fuit: ſi enim Epiſcopo translato licitum eſt, ſecum aſportare fructus prioris Eccleſiæ jam perceptos, cur non etiam res mobiles ex talibus fructibus comparatas? Nam res, quæ ſuccedit in locum alterius, eodem jure cenſetur cum illa, *c. Eccleſia. 3. Ut lite pendente.* junctis concordantijs ibidem à Gloſſa, *℣. Succeſſerunt.* allegatis. Et quia circa hujusmodi bona Jus non diſtinguit, idem videtur dicendum, ſive bona illa mobilia ex proprijs redditibus ſuæ Eccleſiæ comparata, ſint pretioſa, ſive non pretioſa, dummodò nondum fuerint deſtinata Eccleſiæ.

49 Et hoc notanter additur: quia, ſi Epiſcopus ille talia bona jam ſemel deſtinâſſet, ſeu donâſſet Eccleſiæ, remanebunt in dominio Eccleſiæ, nec poterunt ab Epiſcopo translato ampliùs auferri, *can. Nulli liceat. & can. Indignè. 12. q. 2.* cum ſimilibus.

50 Similiter, quando Eccleſia ante adventum Epiſcopi pro ſuis neceſſitatibus, aut inſtructione prædiorum, vel culturâ fundorum ſuorum, habuit certa animalia, ut puta, equos, boves aratorios, greges ovium, ac hujusmodi, & Epiſcopus in locum deficientium ſubrogavit alios equos, boves vel oves: nequit is poſt factam ſuam translationem ejusmodi animalia, utpote jam deſtinata Eccleſiæ, ſecum deferre, ſed tenetur relinquere fundos inſtructos in eo ſtatu, in quo invenit. Card. de Luca *Diſcurſ. 84 de Beneficijs. n.* 13. Ubi addit, hoc idem eſſe dicendum reſpectu illorum animalium, quæ neceſſaria fuiſſent ex fundi qualitate pro illo inſtruendo, quamvis ex culpa Prædeceſſoris, vel ex alio caſu, Succeſſor ab ingreſſu ſui Epiſcopatûs non inveniſſet tot animalia: cùm ſuppletio fieri debeat ex fructibus tanquam per ſpeciem oneris intrinſeci, ac realis; ſicut & in vinearum, vel arborum demortuarum locum, alias Uſufructuarius ſubſtituere tenetur, ut *l. Agri. & l Vetus fuit. & ſeqq. ff. de Uſufructu. &* §. *In pecudum. Inſtit. de Rerum diviſ.* ubi hujus ratio ſubjungitur: *Quia rectè colere, & quaſi bonus paterfamilias uti debet.*

51 Epiſcopus quippe, ſicut & quivis Clericus Beneficiarius, non eſt dominus poſſeſſionum, ſeu fundorum, aliorúmque bonorum immobilium Eccleſiæ ſuæ, ſed duntaxat adminiſtrator & œconomus, *can. Expedit. & can. Videntes. 12. q. 1.* cum ſimilibus: atque in vivis comparatur uſufructuario, juxta Gloſſam receptam *c. Præſenti.* .. *℣. Reſervari. de Offic. Ordinar. in 6.* & ampliùs notat Fagnanus *c. Si quis ſanè. n. 3. de Peculio Cleric.*

52 Nec obſtant rationes *num.* 45. in oppoſitum illatæ. Ad primam quippe dicitur. Licèt Epiſcopus non habeat dominium, ſeu proprietatem poſſeſſionum, atque fundorum ſuæ Eccleſiæ, ſed ſit horum duntaxat œconomus, & quaſi uſufructuarius, ut proximè dictum; ſecùs tamen eſſe dicendum de fructibus, ſeu redditibus, iisque bonis mobilibus inde comparatis: nam eorum verum dominium acquirit Epiſcopus, juxta dicta in Concluſione, & ampliùs ſuo loco dicenda. Ad ſecundam negatur conſequentia, ob rationes in prima Concluſione poſitas. Ad tertiam reſpondetur per idem. Licèt enim Epiſcopus translatus cenſeatur civiliter mortuus quoad priorem Eccleſiam: nihilominùs remanet in ipſo jus, ſeu dominium jam ſemel acquiſitum reſpectu fructuum perceptorum, aliarúmque rerum ex ipſis coemptarum.

Nec tandem obſtat citata Bulla Julij III. *Cùm ſicut.* Illa enim loquitur ſolùm de fructibus Beneficiorum, tempore mortis Beneficiatorum adhuc inexactis, ſeu nondum perceptis, neque alijs bonis ipſorum Clericorum incorporatis: nam tales adhuc ſunt fructus ipſarum Eccleſiarum, unde proveniunt, & cujus fundis cohærent, ſicque veluti res Eccleſiarum omni jure alienari prohibentur; & conſequenter nec ab hæredibus talium Beneficiatorum poſt horum mortem exigi poſſunt, ſed ſunt relinquendi ipſimet Eccleſiæ, ſeu Succeſſori in Beneficio, prout ampliùs in eadem Bulla notatur. Econtrà verò utraque Concluſio noſtra expreſsè loquitur de fructibus prioris Epiſcopatûs jam perceptis, ſeu exactis, aliiſque rebus ſive bonis inde comparatis: unde neutiquam dictis obſtat memorata Conſtitutio Julij III. poſtmodum confirmata ab Urbano VIII. 53

Quinimò per eandem Bullam confirmatur, magisque probatur utraque noſtra Concluſio. 54 Nam Pontifex in eadem Bulla, §. *Nos attendentes*, expreſſis verbis fatetur, fructus, pecunias, aliasque res occaſione Eccleſiarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum provenientes, *poſtquàm ad manus Beneficiatorum pervenerunt, & cum alijs ipſorum fructibus &c. pecunijs, & rebus commixti, ſeu ipſis Beneficiatis incorporati ſunt, non ulteriùs in Eccleſiaſticis, ſed potiùs ipſorum Beneficiatorum proprijs, & ab eis acquiſitis bonis judicari, & propterea quodammodò pro ſæcularibus, & profanis haberi.* Et conſequenter, ſicut Epiſcopus translatus poteſt fructus, ac res ſuas proprias ſecum aſportare, ita etiam ſecum deferre poterit fructus prioris Epiſcopatûs jam perceptos (ſub datis tamen *n.* 49. *&* 50. limitationibus) cùm cenſeantur ipſius proprij, & quodammodò ſæculares.

Major difficultas eſt de fructibus pendentibus, 55 & tempore factæ translationis Epiſcopi adhuc inexactis. Et quidem, quòd fructus etiam pendentes, propter ſpiritualia miniſteria Eccleſiæ exhibita, pertineant pro rata temporis ad Epiſcopum, qui transfertur ad aliam Eccleſiam: tradit in ſimili Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut cap. 15. n. 12.* Flamin. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Beneficior. cap. 6. n.* 79. *& 80.* Nicol. Garcias *part. 2. de Beneficijs, cap. 1. n.* 96. *& ſeqq.* allegans alios, & noviſſimè Card. de Luca *Diſcurſ.* 84. *de Beneficijs, n. 4*,

Oppoſitam ſententiam videlicet, quòd Epiſco- 56 po translato non debeantur, fructus pendentes prioris Epiſcopatûs, & tempore factæ translationis etiamnum inexacti, indicat Rota *in cit. Deciſ. un. de Translat. Epiſcop. in antiquis.* Nam hoc ipſo,

ipſo, quòd afferat, Epiſcopum poſſe ſecum ferre fructus perceptos, videtur ſentire, quòd pendentes, atque inexactos non habebit; prout argumentatur, atque tenet Petrus Barboſa *in cit. l. Divortio. num.* 52. *ff. Soluto matrimonio* poſt Sarmiento *de Redditib. Eccleſiaſt. 2. part. quæſt.* 4. *ad finem.* idémque tenet Gloſſa *in c. Præſenti. ℣. Reſervari. de Offic. Ordinar. in 6.* Hoſtienſis, Cardinalis, Imola *in cap. ult. de Peculio Cleric.* Navarrus *Conſil.* 7. *de Succeſſionib. ab inteſtat. n.* 7. Rota *in cauſa Pharens. Penſionis*, 19. *Junij.* 1573. relata per Garciam, *ubi ſuprà*, *n.* 95. 108. *&* 109. hanc appellans communem opinionem. Accedit ratio: quia, licèt Clerici acquirant dominium redditLuum Eccleſiaſticorum jam perceptorum, ut tenet probabilior, & communior Modernorum opinio: adhuc tamen ipſi non ſunt domini bonorum immobilium Eccleſiaſticorum, puta, poſſeſſionum, agrorum, vinearum, & hujusmodi, ad honeſtam ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ deputatorum; ſed horum ſolùm ſunt adminiſtratores, & uſufructuarij in vita. Gloſſa *c. Præſenti. ℣. Reſervari. de Offic. Ordinar. in* 6. Fagnanus *c. Si quis ſanè. n.* 3. *de Peculio Cleric.* allegans alios, & concordant dicta ſuperiùs *n.* 51. Atqui uſufructuarius ſolùm acquirit fructus ante mortem collectos, non verò pendentes; hi enim pertinent ad Eccleſiam, vel Succeſſorem in Beneficio, *l. Si uſufructuarius. ff. Quibus modis uſusfruct. amitt. & §. Is verò. Inſtit. de Rerum diviſ.* ubi ſic legitur: *Is verò, ad quem uſusfructus fundi pertinet, non aliter dominus fructuum efficitur, quàm ſi ipſe eos perceperit. Et ideò ſi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, deceſſerit, ad hæredes ejus non pertinent, ſed domino proprietatis acquiruntur.* Hæc ibi. Concordant in ſimili dicenda inferiùs *Tit. 9. de Renunciatione* §. 6. *n.* 156. *& ſeqq.* de diviſione fructuum pendentium inter Reſignantem & Reſignatarium.

57 Eadem ſententia negativa ampliùs probatur per citatam Bullam Julij III. *Cùm ſicut.* ab Urbano VIII poſteà confirmatam, in qua Pontifex motu proprio conſtituit, ſeu declaravit, quòd fructus Beneficiorum tempore obitûs Beneficiariorum, etiam Epiſcoporum inexacti, ſeu nondum percepti, nec alijs ipſorum bonis commixti, ſive incorporati, ad Succeſſores in Beneficijs, & non ad hæredes pertineant, in ijs locis, in quibus non deputantur à Rev. Camera Apoſtolica ſpoliorum Collectores. Rationem hujus reddit Pontifex ibidem: quia fructus Beneficiorum inexacti, ſeu adhuc pendentes, & nondum percepti, ſunt ipſarum Eccleſiarum, ac verè exiſtunt, cenſérique debent Eccleſiaſtici: atqui Juri non congruit, ut quis de bonis, ſeu rebus ipſarum Eccleſiarum, quæ omni jure alienari prohibentur, diſponere, aut illa alienare valeat, &c. Cùm igitur hæc ipſamet ratio, quæ veluti in lege expreſſa, eſt anima ipſius, urgeat quoque in tranſlatione Epiſcopi, per quam Epiſcopus ſaltem civiliter moritur priori Eccleſiæ; dicendum videtur, quòd fructus adhuc pendentes, ſeu nondum exactos, nequeat pro rata temporis exigere (ne alioquin bona Eccleſiæ exigere, eáque ſecum aſportando alienare dignoſcatur) ſed tales ſint relinquendi Eccleſiæ, aut futuro Succeſſori, *arg. c. Præſenti. 9. de Offic. Ordinarij in 6.* cum concordantijs.

Atq; hæc ratio poſterior ex ſæpè citatâ Conſtitutione Julij III. *Cùm ſicut*, notanter huc adducitur, ut pateat, iſtā quantùm ad hoc, eſſe Juri comuni conformē. Alioquin enim memoratā Bullam (utpote quæ perdura viſa fuit multis jam inde à principio promulgationis, ut loquitur Navarrus *Conſil. 4. num. 1. de Succeſſionib. ab inteſtat.*) non eſſe ubique receptam, negari vix poteſt. Eam quippe non fuiſſe receptam in Gallijs, nec etiam in Hiſpanijs arbitratur Navárrus *loc. cit.* Concordat Nicol. Garcias *de Beneficijs part. 2. cap. 1. n.* 103. *&* 104. citans inſuper Zechum *de Beneficijs & Penſionib. cap. 13. n. 8.* atque ulteriùs oſtendens, ipſam in Provincia Mediolanenſi nunquam uſu fuiſſe receptam.

Quin etiam Jo. Vincent. Hondedeus *Conſil.* 85. *num.* 35. *& ſeqq. vol.* 2. & Jo. Carolus Antonellus *tractat. de Regimine Eccleſiæ Epiſcopalis*, *lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. cenſent, quòd Conſtitutio illa Julij III. non procedat, niſi in Beneficiato defuncto, hoc eſt, naturaliter mortuo; cùm loquatur de fructibus Beneficiorum tempore obitûs Beneficiatorum: atque ideò non habeat, v.g. locum inter Reſignantem & Reſignatarium; eò quòd Conſtitutiones Juris communis correctoriæ, non ſint extra caſum, de quo loquuntur, extendendæ.

Verùm hæc poſterior ſententia non caret difficultate: nam, licèt quoad impetrationem ſit differentia, an Beneficium vacet per mortem, vel per renunciationem, *c. Suſceptum. de Reſcript. in 6.* Nihilominùs nulla convincitur adeſſe diverſitatis ratio in Epiſcopo cedente, reſignante vel tranſlato, & in Epiſcopo mortuo quoad vinculum, titulum & adminiſtrationem prioris Eccleſiæ: quia utrobique habetur pro mortuo, *can. In apibus. §. Ecce in quibus. 7. q.* 1. ubi Gloſſa *℣. Defuncto.* Jo. Andreas *in Reg. Non eſt in mora. num. 5, de Reg. Jur. in 6.* Abbas *c. Niſi eſſent. n.* 11. *de Præbend.* Cardinalis *Conſil.* 110. *n.* 2. *vol.* 1. Gabriel *Conſil.* 192. *vol.* 1. Nicolaus de Ubaldis *Tom. 8. Tractatuum, tract. de Succeſſionib. ab inteſtato Clericorum. §. ſequitur. n.* 11. Flam. Pariſius *lib.* 1. *de Reſignat. Benefic. quæſt.* 5. *n.* 4. *&* 8. citans plures alios. Accedunt rationes ſuperiùs *num.* 38. *&* 57. allatæ. Et quòd tunc, ubi intervenit identitas rationis in Lege expreſſæ, rectè fiat extenſio etiam in correctorijs, ex profeſſo dictum eſt *Tit. 2. de Conſtitutionibus.* §. 19. *num.* 507. *&* 510.

* * *

TUIT

TITULUS VIII.
De Authoritate, & Uſu Pallij.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis.*
2. *Pallium, quid?*
3. *Et cujus formæ?*
   Ejúsque myſtica ſignificatio. Ibid.
4. *Quibus conferatur?*
5. *Sumitur de corpore Beati Petri; & cur?*
6. *Datur à ſolo Papa; & quibus concurrentibus?*
7. *Olim etiam quatuor Patriarchæ principales Pallium contulerunt ſuis Suffraganeis.*
8. *Per Pallium confertur plenitudo Pontificalis officij, & nomen Archiepiſcopale.*
9. *Archiepiſcopus ante receptum Pallium, quæ poſſit exercere, nec ne? Et num. præc.*
10. *Papa in Miſſarum Solemnijs utitur Pallio ſemper, & ubique.*
11. *Non ſic inferiores Prælati; & cur?*
12. *Archiepiſcopus utitur Pallio ſolùm in Eccleſijs ſuæ Provinciæ, non extrà.*
13. *Solvitur inſtantia* ex c. Cùm ſis. h. t.
14. *Pallio utendum intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum Solemnia, non extra eam in Proceſſionibus.*
   An & in Synodo? ibid.
15. *Archiepiſcopus utitur Pallio in omnibus Eccleſijs ſuæ Provinciæ, etiam exemptis.*
16. *Sed illis duntaxat diebus, qui ſunt in ejus privilegio expreſſi.*
   Et quales hi communiter eſſe ſoleant? Ibid.
17. *Poteſt Archiepiſcopus etiam ſine Pallio, & Sandalijs celebrare.*
18. *Præſertim, ſi celebret pro Defunctis, aut privatim.*
19. *Nequit alteri ſuum Pallium commodare.*
   Pallium non tranſit perſonam, ſed cum perſona ſepelitur. Ibid.
20. *Archiepiſcopus tranſlatus, debet obtinere novum Pallium.*
21. *Sepelitur tunc cum utroque Pallio; & quomodo?*

QUia ex illis, qui ad Dignitates promoventur per Poſtulationem, Electionē, vel Tranſlationem, nonnulli gaudent jure Pallij, ejúsque uſu, meritò præcedentibus Rubricis præſens ſubjungitur. Unde

Quæritur I. Quid ſit Pallium, à quo, & quibus conferatur, quidque deſignet? Reſp. *Pallium* eſt principale ornamentum Eccleſiaſticum, de corpore Beati Petri ſumptum, & à Papa Archiepiſcopis datum, conferens plenitudinem Paſtoralis officij. Ita Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 1.* Zoëſius *n. 1.* Engel, & alij; atque deſumitur *ex c. Significâſti. 4. §. fin. de Election. & c. Niſi ſpecialis. 3. h. t.* Declarantur ſingulæ particulæ, ex quarum declaratione patebit ſimul reſponſio ad tres poſteriores propoſitæ Quæſtionis partes.

3 Dicitur imprimis, *principale Ornamentum Eccleſiaſticum.* Nam, ut inquit Gloſſa marginalis *ad Rubricam h. t.* Pallium toto hoc Titulo ſumitur pro quodam Archiepiſcoporum ornamento, quatuor Crucibus nigris aut purpureis intexto, velut Stola Sacerdotalis, quod ſuper alia ornamenta defertur, humeros velut corona, pectúsque circumdans, & antè dependens. Quod quidem Pallium regulariter ex lana alba contextum; ejúsque myſtica ſignificatio eſt, ut, cùm ſit de vellere ovium, intelligat illud geſtans, ſe eſſe Paſtorem ſpiritualem Ovium: & quia eo circumcingitur circa humeros, teneri ſollicitè circumſpicere, ne aliqua ex commiſſis ſibi Ovibus aberret; imò & obligari, ut errantem humeris ſuis imponat, atque ad Caulam Dominicam reportet, utpote Cruce Domini redemptam, & inſignitam. Zoëſius *h. t. n. 1.*

Dicitur ſecundò, *Archiepiſcopis datum.* Quia pallium eſt præcipuum Inſigne Dignitatis Archiepiſcoporum ac ſuperiorum Epiſcoporum; ut ſunt Primates, Patriarchæ, ac ipſemet Papa; quāvis ex ſpeciali privilegio, & longâ conſuetudine Eccleſiarum ſuarum, etiam quibusdam Epiſcopis conferri ſoleat; prout de Papienſi, Amaricenſi, Maſſano, & Hoſtienſi Epiſcopo, qui Papam conſecrat, refert Hoſtienſis *loc. cit. n. 1.* Quibus alij, ut Vallenſis *h. t. §. 1. n. 6.* Sannig *eod. cap. 2. n. 1.* addunt Lucenſem in Tuſcia, Bambergenſem in Germania, & Quinque Eccleſienſem in Hungaria; de quorum ultimo fit mentio, *c. Cùm in juventute. 15. de Præſumpt.* 4

Dicitur ulteriùs, *de corpore Beati Petri ſumptum.* Quia Pallium hujusmodi benedicitur, & conſecratur à Papa ſuper Altare Sancti Petri Romæ, ibique ponitur, indéque accipitur ab Archiepiſcopis præſentibus, vel Procuratoribus eorum, ſi abſunt; prout innuit textus *in cit. c. Significâſti. 5. de Election.* ubi Pontifex, Archiepiſcopo Panormitano reſcribens, inquit: *Cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ inſignia Dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore aſſumuntur:* & notat Gloſſa *ibid. ℣. Aſſumuntur;* & Barboſa *n. 6.* Atque hoc fieri videtur ob myſticam rationem; videlicet, ad denotandum, quòd per *Pallium* conferatur veluti particula Pontificiæ poteſtatis, quæ ex Chriſti conceſſione principaliter reſidet in D. Petro, ejúsque 5

ejúsque legitimis Succeſſoribus, atque exinde derivatur in alios.

6 Rurſus dicitur, *à Papa Datum.* Quia Pallium à ſolo Summo Pontifice, authoritate propriâ, atque univerſaliter per totum Orbem Chriſtianum, confertur alijs eminentioribus Epiſcopis, *d. c. Significâſti. de elect.* Quamquàm is non conſueverit honorem Pallij concedere, niſi ob exigentiam meritorum, ac fortiter pulſantibus, hoc eſt, inſtanter petentibus, *can. Priſca. diſt.* 100. Nec niſi præmiſsâ conſuetâ profeſſione Fidei, *can. Optatum. ead. diſt.* Ac præſtito fidelitatis, & obedientiæ juramento, *cit. c. Siginificâſti. & c. Antiqua. 23. de Privileg.*

7 Fatendum quidem, quòd olim ex ſpeciali privilegio Pontificio, in Concilio Generali ſub Innocentio III. renovato, etiam quatuor principales Patriarchæ, videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, licitè potuerint ſuis Suffraganeis, Pallium elargiri, poſtquàm illud præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, à Romano Pontifice receperunt; prout expreſſum habetur *in cit. c. Antiqua. 23. de Privileg.* Verùm hoc ipſis licuit duntaxat ex conceſſione, & privilegio Sedis Apoſtolicæ, ac limitatè duntaxat reſpectu propriorum Suffraganeorum; non autem univerſaliter pro toto Orbe Chriſtiano. Et quia defactô dicti Patriarchæ ſeſe ſubtraxerunt ab unitate Eccleſiæ, ac debitâ obedientiâ Romani Pontificis; hodie dictum privilegium eſt extinctum, ſicq; Pallium hodie à ſolo Papa confertur.

8 Tandem additur, *conferens plenitudinem Paſtoralis officij*: qualis in Rubrica h. t. intelligitur ſub *auctoritatis* nomine. Tum quia per Pallium *Pontificalis officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur*; ut dicitur *in c. Niſi ſpecialis. 3. h. t.* Adeò, ut non ſit appellandus Archiepiſcopus ante Pallij receptionem, juxta Gloſſam *ibid. ℣. Nominis.* & Abbatem *n. 1. & 7.* ubi inquit, quòd promotus in Archiepiſcopum, licèt ſit conſecratus in Epiſcopum, ante receptionem Pallij non appelletur *Archiepiſcopus*, ſed cum addito, *electus.* Tum quia Archiepiſcopo, quantumvis conſecrato in Epiſcopum, non licet exercere ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, nec illa jurisdictionalia, quæ ſunt majoris ponderis; ac proinde nequit is convocare Concilium, conficere Chryſma, dedicare Baſilicas, ordinare Clericos, vel Epiſcopos conſecrare: nam talia videretur agere, non tanquam ſimplex Epiſcopus, ſed tanquam Archiepiſcopus, *text. clar. c. Quod ſicut 28. §. Super eo. de Electiòn.* & ampliùs tradit Abbas *ibid. n.* 4.

9 Poterit tamen Archiepiſcopus confirmatus ante receptum Pallium, ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, demandare ſuo Suffraganeo, qui & licitè talia exercet; cùm in ipſo ceſſet ratio proximè allata, éſtque deciſum *in c. Suffraganei. 11. de Elect.* Inſuper is per actum confirmationis recipit poteſtatem quoad ea, quæ ſunt jurisdictionis, exceptis duntaxat cauſis majoribus, ut eſt convocare Concilium, *c. Tranſmiſſam. 15. eod.* ac notat Abbas *in c. Niſi ſpecialis. n. 3. h. t.*

Quæritur II. Ubi, & quando ſit utendum Pallio? Reſp. I. Romanus Pontifex ſemper, & ubique, in Miſſarum Solemnijs utitur Pallio: *Quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur.* Textus eſt *in c. Ad honorem. 4. h. t.*

Reſp. II. Inferiores Prælati, videlicet Patriarchæ, Primates, & Archiepiſcopi, ac nonnulli Epiſcopi ex ſpeciali privilegio uſum Pallij habentes, nec ſemper nec ubique, ſed in Eccleſijs duntaxat ſuæ jurisdictioni Eccleſiaſticæ ſubjectis, ac certis anni diebus Solemnioribus, intra Miſſarum Solemnia Pallio uti poſſunt: *Quoniam vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Patet hoc *ex cit. c. Ad honorem. 4. h. t.* juncto *c. Cùm ſis. 6. & cap. ult. eod.*

Unde imprimis Archiepiſcopus (idem ſervatâ proportione dicendum de Epiſcopo, per privilegium habente uſum Pallij) nequit uti pallio in Eccleſijs alienæ Provinciæ, utpote quæ non ſubjacent ejus jurisdictioni Eccleſiaſticæ: nam Pallium datur quidem perſonæ, ſed contemplatione loci, ſeu Eccleſiæ ſibi ſubjectæ, ut probat Gloſſa *fin. in c. Bonæ memoriæ. 4. de Poſtulat. Prælat.* Sic quippe *in cap. 1. h. t.* uſus Pallij reſtringitur, & conceditur Archiepiſcopo, duntaxat *intra Eccleſiam ſuam*: hoc eſt (ut ibidem exponitur) *intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ ſibi commiſſæ.* Adeò, ut Archiepiſcopus, ceſſante ſpeciali privilegio Pontificio, extra ſuam Provinciam Pallio uti non poſſit, etiamſi id habeat generalis cujuspiam Regni conſuetudo; ut *c. Ex tuarum. 5. h. t.* ubi talis conſuetudo cenſetur dicenda eſſe potiùs corruptela.

Et hac ratione explicari, atque intelligi debet *cit. c. Cùm ſis. 6. h. t.* ubi dicitur, quòd Archiepiſcopus, *ubicunque fuerit*, poſſit in Miſſa diebus Solemnibus uti pallio. Nam, ut jura juribus concordentur, ly *ubicunque* eſt reſtringendum ad quamlibet Eccleſiam Provinciæ ſuæ, juxta Gloſſam *un. cit. c. Cùm ſis.* Dummodò non habeatur ſpeciale privilegium; quale cuipiam olim fuiſſe conceſſum, legitur *in c. Ex tuarum. 5. h. t.*

Deindè nequit Archiepiſcopus uti pallio extra Eccleſiam, ut puta in publicis Proceſſionibus, aut ſi alio modo inde exire contigerit, *text. clar. cap. 1. h. t.* Nam Pallio eſt utendum intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum Solemnia, *can. Pallium. diſt.* 100. Quamvis ibidem Gloſſa *un.* rectè dicat, quòd Archiepiſcopus etiam in Synodo poſſit uti Pallio: quod ipſum aſtruitur ex *c. Quod ſicut. 29. §. Super eo. de Election.* ubi habetur, quòd Archiepiſcopo non liceat ſine Pallio convocare Concilium, conficere Chryſma, dedicare Baſilicas, & Clericos ordinare.

Illud præmiſſis eſt addendum, quòd Archiepiſcopus poſſit uti pallio, non ſolùm in Eccleſijs ſuæ Diœceſis, ſed etiam extra propriam Diœceſin in qualibet Eccleſia ſuæ Provinciæ, per text. *in cit. c. 1. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 9.* poſt Hoſtienſem, contra nonnullos alios. Atque iſtud procedit, etiamſi Eccleſia illa cæteroquin ſit exempta, *Clem. 2.* & ibi Gloſſa, *℣. Pontificalibus. de Privileg.*

Reſp.

Reſp. III. Tempus quod attinet, quo licitum eſt uti Pallio, generatim eſt dicendum, quòd illis duntaxat diebus Archiepiſcopus poſſit in ſuis Eccleſijs uti Pallio, qui in ejusdem privilegijs ſunt expreſſi, *cap. ult. h. t.* Et, licèt de hoc certa regula univerſim dari nequeat; magis tamen communiter concedi ſolet uſus Palij pro illis diebus, qui enumerant ur partim à Gloſſa magna *in c. Ad honorem. 4. h. t.* partim ab Hoſtienſi *in Summa. h. t. n. 5.* Et ſunt ſequentes; nimirum Nativitas Domini, Feſtivitas S. Joannis, & S. Stephani, Circumciſio Domini, Epiphania, Dominica Palmarum, Cœna Domini, Sabbatum ſanctum, tres dies Reſurrectionis, Aſcenſio Domini, Pentecoſtes, S. Joannis Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorum, tres (vel juxta Hoſtienſem, quatuor) Feſtivitates B. MARIÆ, S. Michaelis, & Omnium Sanctorum, Dies Dedicationis Eccleſiarum, Conſecrationis Epiſcoporum, Ordinationis Clericorum, & Dies anniverſarius conſecrationis ipſius Palliati, nec non Feſtivitates principales ſuæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ.

7 Reſp. IV. Poteſt nihilominus Archiepiſcopus tam in ſua, quàm in aliena Diœceſi, celebrare ſine Pallio, & Sandalijs. Textus eſt *in cap. ult. h. t.* Idque meritò: ne alioquin Archiepiſcopus impediatur à celebratione Miſſarum, utpote qui nec extra ſuam Provinciam, nec ſemper intra hanc, cum Pallio celebrare poteſt.

8 Sic poteſt, imò ſecluſo ſpeciali privilegio debet, Archiepiſcopus celebrare abſque Pallio Miſſam pro Defunctis, quoties pro his incruentum Deo Sacrificium offerre ſatagit, *cap. ult. h. t.* ac notat Gloſſa *fin.* & Abbas *ibid. num. 6.* Inſuper in ipſis quoque diebus Solemnibus proximè enumeratis, quando is privatim ſolùm celebrat, & non ſolemniter, haud eſt neceſſe uti Pallio, *in. Pallium. diſt.* 100. & notat Pirhing *h. t. n. 12.*

9 Quæritur III. Utrùm unus Archiepiſcopus poſſit alteri Pallium ſuum commodare? Reſp. Negative. Siquidem Pallium, utpote conferens plenitudinem Paſtoralis officij, eſt quid perſonale, & ſequitur perſonam uſq; ad mortem; atq; ideò alteri commodari nequit; haud obſtante, quòd unus Archiepiſcopus poſſit alterum invitare ad celebrandum in ſua Diœceſi, *cap. 1. h. t.* Ubi ratio hujus redditur illis verbis: *Cùm Pallium perſonam non tranſeat, ſed quisque cū eo debeat ſepeliri.*

Quinimò non ſolùm unus Archiepiſcopus non poteſt alteri ſuum Pallium commodare (intellige, pro utendo: ſecùs, pro videndo) ſed etiam, ſi ipſemet Archiepiſcopus à ſua Metropolitana Eccleſia per Sumum Pontificem transferatur ad aliam, non poterit in hac poſteriori Eccleſia uti Pallio priori; ſed debet obtinere novum Pallium, *arg. c. Bonæ memoriæ. 4. § fin.* junctâ Gloſſâ *ult. de Poſtulat. Prælat.* ubi Papa Archiepiſcopo translato promittit novum Palliū, ad nomen, & uſum poſterioris Eccleſiæ; ac poſt Jo. Andream tradit Abbas *cap. 2. n. 7. h. t.* Idque fit ob rationem jam allegatam, quia videlicet Pallium datur perſonæ, ſed contemplatione loci, ſeu Eccleſiæ ſibi ſubjectæ, reſpectu cujus confert plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis. Unde in ſimili, quando Archiepiſcopus ex juſta cauſa renunciat Archiepiſcopatui, perdit uſum Pallij, quamvìs alibi ex conceſſione Papali exerceat Officium Pontificale; ut *c. Ad ſupplicationem. 9. de Renunciat.* 20

Porrò in dicto caſu translationis Archiepiſcopi, Succeſſor Translati non utetur Pallio Prædeceſſoris ſui, neque hoc debet remanere penes priorem Eccleſiam: Pallium enim non tranſit perſonam, ſed debet cum illa ſepeliri. *d. cap. 1. h. t.* Unde translatus Archiepiſcopus illud ſecum aſportabit, licèt ipſo ampliùs non ſit uſurus, ſed novo dato ſibi pro Eccleſia, ad quam fuit translatus. Poſt mortem autem ſepelietur is cum utroque Pallio; ita tamen, ut ultimo Pallio veſtiatur corpus ejus, & primum ſupponatur capiti ipſius, vel ſuper corpus ejus ponatur, juxta Innocentium, Hoſtienſem, & Abbatem *cit. cap. 2. n. 7. h. t.* & alios. 21

TITULUS IX.

De Renunciatione.

1 VIſis Poſtulatione, Electione, & Translatione, utpote tribus modis, quibus Beneficia Eccleſiaſtica acquiruntur; agitur nunc de Renunciatione, per quam eadem amittuntur. Expedit tamen majoris claritatis gratiâ hunc Titulum in paragraphos dividere.

§. I.

De Renunciatione ut ſic, & an propria authoritate fieri poſſit?

SUMMARIUM.

2. *Renunciatio, quid?*
   Quibus alijs nominibus appelletur? Ibid.
3. *Debet eſſe ſpontanea; aliàs poteſt reſcindi.*
4. *Coram quo fieri poſſit? Et num. ſeqq.*
5. *Facta in manibus Laici, eſt invalida.*
6. *Nec poteſt fieri in manibus Vicarij Generalis abſque ſpeciali commiſſione Epiſcopi.*
7. *Quid de Capitulo Sede vacante?*
8. *Renunciatio Beneficiorum alia tacita.*
9. *Cujus varia exempla referuntur.*
10. *Et quid renunciatio tacita magìs propriè?*
11. *Alia expreſſa: quæ vel eſt*
12. *Renunciatio pura, vel conditionalis.*
13. *Beneficia nequeunt renunciari ſine conſenſu Superioris.*
14. *Neque valet conſuetudo in contrarium.*
15. Quilibet poteſt ſuo juri renunciare: *quomodo intelligendum?*
16. *Papa poteſt renunciare Papatui abſque conſenſu Cardinalium.*
17. *Qui plenum jus in Beneficio nondum habet, liberè huic renunciat abſque Superioris conſenſu.*
18. & 19. *An idem dicendum in Beneficio litigioſo?*
20. *Aut ſi Clericus velit ingredi Religionem? Et num. ſeqq.*
21. *Epiſcopus nequit renunciare Epiſcopatui, ex cauſâ ingrediendi Religionem.*
22. *Benè tamen inferior Clericus ſuo Beneficio.*
23. *Neque tunc eſt neceſſe, petere licentiam ab Epiſcopo.*
24. & 25. *Benè tamen conſultum; & cur?*
26. *Beneficium ingredientis Religionem, an poſſit alteri conferri? Et num. 25.*
27. *Renunciatio Beneficij, num comprehendatur ſub Decreto Concilij Trident.* Seſſ. 25. cap. 16. de Regularib. *Et num. ſeqq.*
28. *Ante ingreſſum Religionis poteſt quis renunciare Beneficio ſuo.*
29. *Idq; probatur.*
30. *Non autem poſt ſuſceptum habitum Religionis, niſi ſervatâ formâ citati Decreti Tridentini.*
31. *Et hujus ratio.*
32. & 33. *Solvuntur inſtantiæ.*

2 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Renunciatio? Reſp. I. *Renunciatio*, prout de ipſa impræſentiarum agitur, eſt ſpontanea Beneficij Eccleſiaſtici dimiſſio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante. Ita Layman *in Rubrica. h. t.* & in re communis. Nam, ſicut generatim loquendo, Renunciatio eſt rei, vel juris ſpontanea refutatio, ſive remiſſio, *l. Si quis in conſcribendo. C. de Pactis*: ita in propoſito per renunciationem intelligitur refutatio, ſive dimiſſio illius juris, quod quis anteà in Beneficio Eccleſiaſtico habuit.

Cæterùm Renunciatio Beneficij ſolet in Jure etiam appellari Reſignatio; ut *c. Super hoc. 5. & c. Quod in dubijs. 8. h. t.* Item Ceſſio; ut *c. Niſi cùm pridem. 10. §. 1. h. t.* Aliquando etiam Ejuratio, ſi nimirum interveniente juramento quis ſe abdicet Beneficio; ut *cit. c. Super hoc. 5. eod.*

3 Ubi ſimul rectè notatur, quòd Renunciatio, ſeu ejusmodi ejuratio, debeat eſſe *ſpontanea*, hoc eſt libera, & non vi, vel metu, nec oppreſſione quâdam extorta. Siquidem renunciatio coacta, licèt ipſo jure valeat (nam coacta voluntas, eſt voluntas, *can. Meritò. 15. q. 1.*) parit tamen exceptionem *Quod metûs causâ*, ſicque ad petitionem partis per Judicem eſt reſcindenda. *arg. d. c. Super hoc.* junctâ Gloſſâ *℣. Reſignationis. h. t.* Abbas *c. Ad aures. n. 8. & c. Ad audientiam. n. 1. De ijs, quæ vi metúsque cauſa &c.* Flamin. Pariſius *de Reſignat. Benefic. lib. 13. quæſt. 2. n. 8.* Garcias *part. 11. de Beneficijs, cap. 3. n. 143.* Aloyſ Riccius *part. 2. Praxis, Reſolut. 483. n. 3.* poſt Rotam *Deciſ. 5. de Renunciat. in novis.*

novis. & *Deciſ.* 7. *n.* 1. *eod.* alioſque plures, quos citat: & concordant dicenda inferiùs *Tit.* 40. *De ijs, quæ vi metuſve, &c.* §. 2. *n.* 26 & 27. & 28. Atque idcircò in Concluſione notanter additur, *Spontanea Beneficij dimiſſio.*

4 Dicitur ulteriùs, *facta coram legitimo Superiore.* Qui vel eſt Papa, ſi eſt Dignitas Epiſcopalis, *cap.* 1. & 2. *de Tranſlat. Epiſcop.* Vel Legatus à latere, *c. Si Abbatem.* 36. *de Elect. in* 6. Vel Epiſcopus, in ordine ad Eccleſias ſuæ Diœceſis, *c. Admonet.* 4. *h. t.* & *can. Abbas pro humiliatione.* 18. *q.* 2. Vel Prælatus ille, ad quem pertinet collatio talis Beneficij. Quòd ultimum licèt non ſemper verificetur, juxta Gloſſam *in Clem. un.* ℣. *Manibus. h. t.* cùm alia ſit poteſtas conferendi, ſeu inſtituendi in Beneficio; alia deponendi, ſeu reſignationem acceptandi, quod majus eſt: tamen plerumque ita fieri ſolet ex recepta conſuetudine, ſaltem loquendo de Beneficijs ſimplicibus, v. g. Canonicatibus. Layman *c. Admonet. n.* 7. *h. t.* Pirhing *n.* 69. *eod.* ita explicantes ſententiam Canoniſtarum, generatim docentium, quòd, qui poteſt conferre Beneficium, etiam ejus reſignationem acceptare valeat: nam hoc procedit plerumque, non autem ſemper. Si verò ad unum pertineat præſentatio, ſive electio, & ad alium, puta ad Epiſcopum, ſpectet inſtitutio, vel confirmatio: tunc ad renunciatione Beneficij requiritur conſenſus utriusq; partis, eò quòd utriusq; interſit. Gloſſa *in cit. Clem. un. h. t. in Addit.*

5 Porrò renunciatio Beneficij nullatenùs poteſt fieri in manibus Laici: &, præterquàm, quòd ſic facta non teneat, Clericus reſignans tali Beneficio eſt ſpoliandus, licet pœniteat, *c. Quod in dubijs.* 8. *h. t.* idque procedit, etiamſi Laicus ille ſit Notarius, etiam Cameræ, vel Cancellariæ Apoſtolicæ; quia ſæcularis nunquam poteſt dici Superior reſpectu Clericorum. Barboſa in *cit. c. Quod in dubijs. n.* 3. *h. t.* Flaminius Pariſius *lib.* 7. *de Reſign. Benefic. quæſt.* 9. *num.* 2. & 7. *ac ſeqq.* cum alijs, id intelligentes etiam de Laicis conſtitutis in Dignitate Ducali, Regali aut Imperiali: niſi fuerint Reges habentes jus conferendi, & recipiendi reſignationes ex privilegio Apoſtolico.

6 Quin etiam reſignatio Beneficij facta in manibus Vicarij Generalis ſine ſpeciali mandato, ſeu commiſſione Epiſcopi, ſaltem in Litteris Vicariatûs expreſsâ, invalida eſt. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Forma Vicariatûs Archiep. num.* 104. Nicol. Garcias *part.* 11. *de Beneficijs, cap* 3. *n.* 255. Flam. Pariſius *lib.* 7. *de Reſignat Benefic. quæſt.* 24. *num.* 1. & *ſeqq.* Aloyſ. Riccius *part* 2. *Praxis Eccleſiaſt. Fori, Reſolut.* 471. *n.* 1. citans inſuper Calderinum *Conſil.* 3. *de Renunciat.* Francum *in cap. un. n.* 9. *de Rer. permutat. in* 6. Rotam *Deciſ.* 13. *de Renunciat. in antiq.* & communem Doctorum. Idque deſumitur ex *c. Quæſitum.* 5. *de Rerum permutat.* ubi Præbendarum permutatio dicitur de jure fieri non poſſe, niſi de conſenſu Epiſcopi. Et *c. Dudum.* §. 1. *de Præbend. in* 6. ubi poteſtas recipiendi reſignationes Beneficiorum, & iſta conferendi, æquiparantur: atqui Vicarius Generalis Epiſcopi nequit conferre Beneficia, niſi horum collatio ſibi ſpecialiter ab Epiſcopo commiſſa fuerit, *cap. ult. de Offic. Vicar. in* 6.

7 Hinc etiam Capitulum Sede vacante; licèt poſſit admittere reſignationes eorum Beneficiorum, quorum collatio ſimul ad Epiſcopum & Capitulum pertinet (talia enim Sede vacante poteſt etiam Capitulum conferre, *cap. un.* §. 1. *Ne ſede vacante, &c. in* 6.) non tamen poteſt recipere permutationem, aut reſignationem Beneficiorum ſpectantium ad collationem ſolius Epiſcopi; cùm nec talia Sede vacante conferre poſſit, *cap. un. de Inſtitut. in* 6. Ita Gloſſa *in Clem. un.* ℣. *Conferantur. de Rerum permutat.* Flamin Pariſius *lib.* 7. *de Reſignat. Benefic. quæſt.* 29. *n.* 37. & *ſeqq.* poſt Rotam *Deciſ.* 6. *n.* 2. *de Rerum permut. in novis.* & aliam Rotam *in una Ilerden. die* 6. *Novemb.* 1545. & alios, quos citat.

8 Reſp. II. Renunciatio Beneficiorum generatim dividitur in tacitam & expreſſam. *Tacita* dicitur ea, quæ fit facto aliquo reſignationem ſignificante, vel ex diſpoſitione Juris eam importante, abſque alia verborum expreſſione. Nam qui id facit, quo poſito ex ipſius Juris conſtitutione Beneficium amittitur, ſeu retineri nequit, eidem tacitè, ſeu ipſo facto renunciare cenſetur, licet id verbis non exprimat. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. De tacita Renunciatione*, & alij.

9 Exempla tacitæ Beneficiorum renunciationis, per eundem Rebuffum, & alios adducta, ſunt plura. I. Si Clericus Beneficiarius in Minoribus conſtitutus, contrahat Matrimonium: nam Beneficium Eccleſiaſticum ipſo jure vacat, *cap.* 1. & 3. *de Cleric. conjugat.* II. Si quis Religionem ſolemniter profiteatur, *c. Beneficium.* 4. *de Regularib. in* 6. III. Si Clericus Beneficiarius, factus eſt miles, vel joculator: quia cenſetur Beneficium ſuum habere pro derelicto, juxta Gloſſam *in cap. ult.* ℣. *Redierint. de Cleric. non reſident* IV. Tacitè renunciat priori Beneficio, qui aliud recipit cũ illo incompatibile, *c. De multa.* 28. *de Præbend.* & *Extravag. Execrabilis. eod. inter communes.* V. Si nactus poſſeſſionem Parochialis Eccleſiæ, intra annum non fuerit promotus ad Sacerdotium: quia vacat Parochialis Eccleſia ipſo jure, ſicque negligens promoveri ad Sacerdotium, cenſetur ei tacite reſignare. *c. Licèt.* 14. §. *fin. de Election. in* 6. Idem dicendum de eo, qui patitur ab alio Beneficium poſſideri per triennium: videtur enim illud habere pro derelicto, juxta Regulam Cancellariæ *De triennali poſſeſſore.* Et generaliter, quicunque aliquid facit, vel facere intermittit, propter quod ipſo jure vacat Beneficium (de quo in proprijs locis) cenſetur huic tacite renunciare. Intellige, ſaltem ſumendo renunciationem in latiori ſenſu, quatenus videlicet etiam cadit in invitum, & legitimam privationem Beneficij complectitur.

10 Et notanter hoc ultimum additur: quia in alio ſenſu, & magis propriè loquendo, *Renunciatio tacita* tunc dicitur intervenire, quando Jura non inducunt vacationem Beneficij, ſed ſolùm ex facto Beneficiarij præſumunt hujus voluntatem illud dimittendi. Et differt hujusmodi *Renunciatio*

nunciato tacita à priori: quia talis præſumptio per contrariam proteſtationem elidi poteſt; nõ item privatio Beneficij à Jure inducta contra aliquid facientes, vel facere intermittentes. Exemplum talis Renunciationis tacitæ habetur *in c. Ex ore. De his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ubi litigans ſuper quadam Præpoſitura, ex eo, quòd colligatori ſuo reverentiam aliàs Præpoſito debitam exhibuerit, juri ſuo renunciâſſe dignoſcitur. Aliud ejus exemplum extat in *c. Ex transmiſſa. 3. h. t.* ubi Clericus repetens bona, quæ Eccleſiæ ſuæ contulerat, illis receptis cenſetur dictam Eccleſiam voluiſſe dimittere, quamproinde ampliùs repetere non poteſt.

11 *Renunciatio expreſſa* Beneficij ea dicitur, quæ fit expreſſis verbis, aut ſcriptis, voluntatem renunciandi apertè declarantibus, coram legitimo Superiore eam acceptante. Et hæc adhuc duplex eſt: una pura, ſeu ſimplex & abſoluta; alia conditionalis.

12 *Renunciatio pura eſt*, quæ fit ſine ullâ conditione, modo, aut pacto adjectis. *Conditionalis* verò, quæ fit ſub certa conditione, pacto, vel modo: ut ſi fiat renunciatio Beneficij ex cauſa permutationis, *Clem. un. de Rerum permutat.* Vel ſi quis reſignet Beneficium in favorem tertij, v.g. ut Beneficium conferatur Cajo conſanguineo ſuo, & non aliàs intendat reſignare: quod appellant *Reſignare in favorem tertij*, ſeu cum clauſula, *Non aliter.* Inſuper Renunciatio conditionalis cenſetur ea, in qua reſignans reſervat ſibi fructus, vel penſionem ex Beneficio; de quibus ex profeſſo dicetur inferiùs §. 4. & 5. *per totum.*

13 Quæritur II. An Clericus Beneficiarius poſſit propriâ authoritate, ſine conſenſu Superioris, Beneficium reſignare? Reſp. I. Id regulariter fieri non poteſt, juxta DD. communiter. Siquidem Beneficia Eccleſiaſtica non niſi in manibus Ordinarij (hoc eſt, ipſius authoritate & conſenſu interveniente) reſignari debent, *can. Si qui verò. & can. Si quis Presbyter. 7. q. 1.* Et aliter facta reſignatio non eſt valida, *can. Non oportet. 7. q. 1.* ac alibi. Et dimittens prius Beneficium ſine licentia ſui Prælati, poteſt compelli ad illud reaſſumendum, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas; ut habetur tum locis citatis, tum *in c. Admonet. 4. h. t.* cum concordantijs. Accedit ratio: quia poſt acceptationem Beneficij, & confirmationem, manet quis Eccleſiæ alligatus, quæ multiplex pateretur detrimentum, ſi quilibet pro libitu ei renunciare, & veniente lupo, ſeu inſtante tribulatione, inſtar Mercenarij aufugere, ovèsque ſibi concreditas derelinquere valeret.

14 Et hæc ratio tam fortiter urget, ut neque per longævam conſuetudinem induci poſſit, quòd quis Beneficium, vel Dignitatem Eccleſiaſticam, dimittere valeat ſine Superioris licentia: *Cùm hac non tam conſuetudo, quàm corruptela meritò ſit cenſenda*, prout dicitur *in c. Cùm venerabilis. 7. de Conſuetud.*

15 Nec urget, quòd quilibet poſſit ſuo juri renunciare, *c. Si diligenti. de Foro compet.* Nam Regula iſta eſt intelligenda, dumodò id fiat ſine præjudicio alterius: ſicque non habet locum in renunciatione Beneficij Eccleſiaſtici; quia hæc tenderet in præjudicium Eccleſiæ, ſi fieret abſque authoritate, ſeu acceptatione Superioris, ex cauſa rationabili impertitâ.

Reſp. II. Nihilominùs data Concluſio quaſdam patitur limitationes. Nam fallit primò in Sum̃o Pontifice, utpote qui in terris Superiorem non habet, & tamen liberè renunciare poteſt Papatui, *cap. 1. h. t. in 6.* Neque enim neceſſe eſt, ut is id præſtet coram Cardinalibus, talem renunciationem acceptantibus; cùm liberè (ut ibidẽ dicitur) poſſit reſignare, adeóque ſine conſenſu cujusquam alterius: quinimò ſufficit ſimplex declaratio ſuæ voluntatis, qua profitetur, ſpontè ſe renunciare Papatui. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 2. n. 213.* citans alios.

Fallit deinde eadem Concluſio in eo, qui plenum jus in Beneficio necdum habet; ut puta, qui eſt tantùm electus, & necdum confirmatus: nam liberè renunciat abſque Superioris conſenſu, ut dictum eſt ſuprà *Tit. 6. de Electione. §. 1. n. 34.* Et ratio eſt: quia Eccleſiæ reſpectu ipſius necdum fuit jus quæſitum: iſtud enim acquiritur primùm per confirmationem, quæ ratum facit vinculum matrimonij ſpiritualis inter Prælatum & Eccleſiam, *cap. ult. de Translat. Episc.* Atque hoc ipſum procedit in renunciatione Litterarum Apoſtolicarum ad Beneficia, quibus tribuitur jus ad rem reſpectu horum: nam hiſce Litteris, ob rationem jam allegatam, poteſt impetrans liberè renunciare abſque alia Superioris authoritate, *arg. c. Ad audientiam. 31. de Reſcriptis. & c. Sanè 7. h. t.* Garcias *part. 11. de Beneficijs. cap. 3. n. 247.* allegans communem.

Fallit inſuper in reſignatione Beneficij litigioſi: poteſt enim huic renunciari abſque Superioris authoritate, etiam poſt factam ejus collationem, quando lis anceps eſt, & jus verè dubium. Abbas *c. Quod in dubijs. n. 4. h. t.* Garcias *loc. cit. n. 249.* citans alios. Ratio eſt: Tum, quia tunc ceſſat præjudicium Eccleſiæ, atque Superioris, cùm nondum conſtet, litigantem habere jus in re, & incertus ſit eventus litis. Tum, quia renunciatio, per quam receditur à lite, favorabilis eſt; ac proinde faciliùs admittenda.

Fatendum tamen, non deeſſe Doctores oppoſitum tenentes, eò quòd hæc limitatio ex nullo textu Juris oſtendi poſſit; ſicq; ſtandum videatur generali regulæ, quòd reſignatio Beneficij jam acquiſiti, abſque Superioris authoritate fieri non valeat. Et huic ſententiæ favet ipſemet Abbas *in c. Super eo. n. 4. de Transactionib.* eamque tenet Layman *in c. Admonet. n. 2. h. t.* poſt Jo. Ananiam *c. Quod in dubijs. n. 18. eod.* Pirhing *n. 58. eod.* hanc poſteriorem ſententiam magis probabilem exiſtimans: quæ proin, veluti ſecurior, in praxi meritò obſervatur, quantùm ad hoc, ut Superioris etiam conſenſus requiratur.

Fallit tandem data Concluſio in Clericis Beneficiarijs, ex Divina inſpiratione volentibus ingredi Religionem ab Eccleſia approbatam. Quod ut meliùs intelligatur,

Quæ-

21 Quæritur III. Utrùm Clericus Beneficiarius poſſit liberè renunciare Beneficio Eccleſiaſtico ex cauſa ingrediendi Religionem? Reſp.I. Nequit Epiſcopus, etiam cauſâ humilitatis, vel ſub ſpe melioris vitæ, Sponſam ſuam Eccleſiam deſerere, atque ad Religionem tranſire, ſine conſenſu Summi Pontificis. Ita habetur *c. Niſi cùm pridem.* 10. *h. t.* ubi Papa Archiepiſcopo Calaritano, humiliter ceſſionem poſtulanti, ut Monachus fieret, non eſſe favendum cenſuit. Ratio eſt: tum quia ob privatum commodum non debet, nec poteſt Epiſcopus Sponſam ſuam Eccleſiam deſerere, utpote cui ſpiritualis vinculo conjugij dignoſcitur eſſe alligatus; prout notavit Pontifex *ibid.* §. *Verùm ſi.* juncto *c. Inter corporalia. & cap. ult. de Tranſlat. Epiſc.* ubi quoque vinculum iſtud ſpirituale, ſolâ authoritate Romani Pontificis diſſolvi poſſe, perhibetur. Tum quia Epiſcopi ſunt in ſtatu perfectionis, quatenùs ex divina dilectione ſe obligant ad ſubeundam curam Paſtoralem, & inſiſtendum ſaluti proximorum exemplo Chriſti, & ſanctorum Apoſtolorum: unde, quamdiu poſſunt, tenentur commiſſis ſibi ovibus providere; ac neq; propter Divinæ contemplationis quietem, neque propter quæcunque adverſa vitanda, ſeu lucra captanda, poſſunt earum Paſtoralem curam deſerere: nam, ut dicitur Joan. cap. 10. *Bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis.* Unde *facilius indulgetur, ut aſcendat Monachus ad Præſulatum, quàm Præſul ad Monachatum deſcendat*, per textum *in cit c. Niſi cùm pridem.* §. *Nec putes. h. t.* ac fuſiùs tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 4. & communis.

22 Reſp.II. Nihilominùs inferiores Beneficiarij, utpote qui non tam arcto vinculo ſpiritualis conjugij ſuis Eccleſijs, ſive Beneficijs alligantur, poſſunt liberè ad Religionem ab Eccleſia approbatam tranſire, petitâ tantùm, licèt non obtentâ licentiâ ſui Ordinarij: quia Jus ipſum dat tranſeundi poteſtatem, ſi Epiſcopus neget, *text. clar. can. Duæ ſunt.* 19. *q* 2. *& c. Licèt.* 18. *de Regularib.*

23 Quinimò non eſſe neceſſe, ut Clericus Beneficiarius Religionem ingreſſurus petat licentiam ab Epiſcopo, docet Innocentius *in cit c. Licèt. de Regularib.* his verbis: *Clericus autem poteſt tranſire ad Religionem non petitâ licentiâ, etiamſi contradicatur. can. Duæ.* 19. *q.* 2. *Crederemus tamen, quòd poſſet eum repetere, ſi ex tranſitu ſuo prima Eccleſia gravem ſuſtineret jacturam.* Conſentit Abbas Panormitan. *in cit. c. Licèt. n.* 14. *de Regularib.* Et hujus ratio eſſe poteſt: quia *in cit. can. Duæ ſunt.* 19. *q.* 2. Clericis libera datur facultas intrandi Religionem, nullâ factâ mentione petendæ neceſſariò licentiæ ab Epiſcopo; neque hujusmodi neceſſitas ullo alio Jure habetur impoſita. Accedit, quòd *in cit. c. Licèt. de Regularib.* hujusmodi licentiam eſſe petendam aſſerente, ex profeſſo ſit ſermo de Religioſis, aliàm arctiorem Religionem ingredi cupientibus. Nam hi, ob emiſſum votum obedientiæ, tenentur petere dictam licentiam ſui Prælati: *Ne bonum obedientiæ contemnere videantur:* prout ſubjungit textus ibidem. Atqui hæc ratio ceſſat in Clerico ſæculari, utpote obedientiam non vovente, ad inſtar Religioſorum; ergo.

In praxi tamen omninò conſultum eſt, petere licentiam ſui Ordinarij, ſimulq; ſupplicare pro concedendo idoneo Vicario, qui tempore ſui Novitiatûs Beneficium adminiſtret. Idque partim ex eo, ne talis Clericus ſuperbire, ac bonum obedientiæ contemnere videatur, quam ſuo Ordinario, non quidem vovit, adhuc tamen promiſit: partim, ne ex ſuo clandeſtino diſceſſu præhabita Eccleſia damnum patiatur, ſed huic authoritate Ordinarij opportunè provideri valeat. Accedit, quòd juxta Innocentium, & Abbatem *loc. cit. n.* 14 (ubi priorem ſuam doctrinam hoc modo limitat) & alios, ſi Eccleſia ex tali ingreſſu Clerici in Religionem graviter læderetur, iſte foret revocandus, *arg. c. Admonet.* 4. *h. t. & can. Si qui verò.* 7. *q.* 1. 24

Atque hoc ipſum perquàm cautè practicatur, ne alioquin Clericus Beneficiarius, Religionem ingreſſurus, ante ſuſceptum habitum Religioſum quoquo modo videri poſſit, priori ſuo Beneficio tacitè, vel expreſsè renunciâſſe: ſicque ad illud, ſi forſan tempore Novitiatûs mutato animo Religionem desereret, aut ex cauſa dimitteretur, ampliùs redire non valeat; & per conſequens impoſterùm præhabito Beneficio, ſuâque congruâ ſuſtentatione inde habitâ deſtituatur, *arg. c. Ex tranſmiſſa.* 3 *h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 5. & Layman *n.* 1. *&* 3. ac alij. 25

Nec obſtat *c. Beneficium.* 4. *de Regularib. in* 6. ubi dicitur, Beneficium ingredientis Religionem idcirco non vacare, nec poſſe alteri conferri tempore ſui Novitiatûs, illis verbis: *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt infra probationis annum alicui conferendum: niſi ad id ipſius accedat aſſenſus &c. Sed interim eidem Beneficio per alium deſerviri debebit, aſſignatâ ſibi congruâ de ipſius proventibus portione.* Reſp. enim, iſtud Capitulum procedere, quando nullus alius actus interceſſit, ex quo conſurgit voluntas reſignandi tacitè, vel expreſsè priori Beneficio: ſecùs ubi quis eidem tacitè vel expreſsè renunciavit; quia tunc non poteſt repetere ſuum Beneficium, *arg. cit c. Ex tranſmiſſa. h. t.* & docet Abbas *ibid. n.* 5. hâc ratione dicta Jura concordans. Quòd ut meliùs intelligatur, 26

Quæritur IV. Utrùm renunciatio Beneficij Eccleſiaſtici comprehendatur ſub Decreto Concilij Tridentini *Seſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus?* Ubi ſciendum, quòd dictum Concilium ibidem quoad Novitios Regulares ſtatuerit, in hæc verba: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecutâ profeſſione: aliter verò facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſâ renunciatione, etiam juratâ, ſit irrita, & nullius effectûs.* Quæritur, inquam, utrùm ſub hoc Decreto comprehendatur renunciatio Beneficij Eccleſiaſtici; adeò, ut ſit invalida, niſi fiat ſervatâ formâ dicti Decreti, puta, intra duos menſes ante profeſſionem, & hujusmodi? 27

28 Reſp. I. Ante ingreſſum Religionis, ſeu ante ſuſceptionem habitûs Religioſi, validè Clericus renunciare poteſt Beneficio præhabito, etiamſi illud reſignet intuitu ingreſſus Religionis: dummodò aliunde nihil obſtet, juxta dicenda §. *3. num. 45. & ſeqq.* Ita Nicol. Garcias *part. 11. de Beneficijs, cap. 9. n. 15.* allegans plures Declarationes Sac. Congregationis Concilij Trident. Barboſa *part. 3. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 99. n. 19.* Flamin. Pariſius *de Reſignat. Benefic. lib. 3. quæſt. 13. n. 1. & 9.* atque abſolutè eſſe tenendum de quâcunque renunciatione, vel donatione, ante ingreſſum Religionis factâ, tradit Fagnanus *in c. Statuimus. n. 42. de Regularib.* & Aloyſ. Riccius *part. 3. in Praxi Renunciation. Reſolut. 353.* quidquid contradicat Navarrus *Conſil. 81. & 82. de Regularib.* cum nonnullis alijs, qui cenſent, talè Beneficij renunciationem fieri in fraudem Concilij, ſicque non eſſe admittendam; præſertim, ubi Clericus non habet aliunde, unde vivere poſſit, ſi forſan poſteà ex Religione exiret, aut dimitteretur. Verùm de hoc ultimo caſu data Concluſio non loquitur: nam expreſsè in ea additur: *dummodò aliunde nihil obſtet*: generaliter autem nequit Clericus reſignare Beneficium, niſi aliunde habeat, unde ſuſtentetur, juxta dicenda *n. 46.* Et præmiſſâ hâc declaratione,

29 Probatur Concluſio ex eo: quia citatum Decretum Concilij Tridentini loquitur tantùm *de Regularibus & Monialibus* Novitijs, prout liquet ex præfixa Rubricâ, atque integro contextu: atqui Novitius nequit dici, qui nondùm reipsâ ſuſcepit habitum Regularem, prout indicat idem Concilium *loc. cit. cap. 15.* ergò, ſicut olim quis poterat renunciare Beneficio ſuo, *cit. c. Beneficium. de Regularib. in 6.* ita poteſt etiam hodiè ante ſuſceptum habitum religioſum probationis. Et quòd dictum Decretum Concilij Tridentini (quod veluti exorbitans à Jure communi, atq; inducens nullitatem actûs, ſicque pœnale, debet potiùs reſtringi, quàm extendi) ſibi locum non vendicet in donationibus, & renunciationibus factis ante ſuſceptum habitum probationis; ſæpiùs à Sac. Congregatione fuiſſe declaratum, teſtatur Garcias *cit. n. 15.* & Fagnanus *ubi ſuprà, n. 47.* imò etiam additio ad dictum *Conſil. 81. Navarri.*

30 Reſp. II. Nihilominùs renunciatio Beneficij poſt ſuſceptum habitum Religionis comprehenditur ſub præfato Decreto Concilij Tridentini; ac proinde Clericus Novitius defactò nequit validè renunciare Beneficium Eccleſiaſticum non ſervatâ formâ citati Decreti. Ita Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. n. 12.* Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 5. n. 38.* Emman. Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regul. q. 32. art. 2.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 23. art. 5.* Sperellus *Deciſ. 16. Fori Eccleſiaſt. n. 49.* citans alios, & ſubjungens, ita pluries Sacram Congregationem declaraſſe; quamvis oppoſitum teneat Garcias *cit. part. 11. cap. 9. n. 12. & ſeqq.* aſſerens, ſe non vidiſſe, nec inveniſſe talem Declarationem; cujus etiam opinioni libenter ſe aſſentiri, ait Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 99. n. 19.*

Ratio Concluſionis eſt: Quia imprimis Concilium Trident. *loc. cit.* loquitur generaliter de quacunque renunciatione, ibi: *Nulla quoque renunciatio*; ergo etiam comprehendit renunciationem Beneficij Eccleſiaſtici, utpote quæ eſt vera renunciatiò. Deinde ratio ita ſtatuendi Concilio præfato, hæc fuit: Ne videlicet Novitius, temerè ſuis bonis renuncians, poſteà vel invitus profiteri cogatur, dum non habet, unde exiens e Religione in ſæculo ſuſtentari valeat; vel ejectus è Religione, poſtmodùm neceſſarijs vitæ ſuſtentandæ careat. Atqui hæc ratio æquè militat in renunciatione Beneficij: nam, cùm ex hujus redditibus Clericus Beneficiarius ſuſtentetur, eodem temerè renunciato (ſi tempore Novitiatûs valida foret talis renunciatio) vel Clericus ille cogeretur profiteri invitus; vel exiens, aut ejectus è Religione, privatus exiſteret congruâ ſuâ Clericali ſuſtentatione; ergo.

Unde non obſtat, ſi dicatur cum Garcia 32 quòd Concilium Tridentinum loquatur duntaxat de renunciatione bonorum temporalium, quæ habet Novitius; quale non eſt Beneficium Eccleſiaſticum. Non obſtat, inquam quia imprimis Concilium loquitur indiſtinctè *Nulla quoque renunciatio.* Deinde, licèt Beneficium ſecundùm ſe ſit quid ſpirituale, tribuit tamen Beneficiario jus ad percipiendos reditus temporales illius; atque ad hos ſuo modo ordinatur, ratione præſtiti ſpiritualis ſervitij; ut *c. Cùm ſecundùm. 16. de Præbend.* cum ſimilibus. Unde ſubintrat ratio ejuſdem Concilij jam allegata.

Dices. Renunciatio Beneficij, & ipſius collatio; non debet eſſe in pendenti, *c. Actus legitimi. 50. de Reg. Juris in 6.* Atqui ea foret talis, ſi deberet fieri juxta formam in Concilio Tridentino præſcriptam; quia non ſecutâ profeſſione, Renunciatio illa Beneficij non intelligeretur effectum ſuum ſortiri; ergo. Reſp. neg. min. Nam quia conditio, quæ de jure ineſt, non facit actum conditionatum, *arg. L. 3. ff. de Legatis. I. & l. Conditiones. ff. de Condit. & demonſtrat.* hinc talis renunciatio Beneficij neutiquam poteſt dici conditionata, ſed abſoluta: haud obſtante, quòd ejus effectus, Jure ſic diſponente, ſuſpendatur, ſeu differatur in eventum profeſſionis ſecuturæ: prout à ſimili Teſtamentum non cenſetur eſſe pendens, ſeu conditionatum ex eo, quòd non habeat effectum ante mortem Teſtatoris. Multò minùs hinc ſequitur, quòd collatio Beneficij ſit pendens: nam Beneficium Clerici Religionem ingreſſi, non eſt intra annum probationis alicui conferendum, *d. c. Beneficium. 4. de Regularib. in 6.* eo autem finito non niſi abſolutè confertur.

§. II.

§. II.

De cauſis Renunciationis Beneficiorum, & an pœnitere liceat?

SUMMARIUM.

34. *Ad renunciationem Beneficij requiritur juſta cauſa.*
35. *Sex cauſæ reſignandi Epiſcopatum.*
36. *Quæ pariter ſufficiunt ad renunciationem inferiorum Beneficiorum.*
37. *Refertur circa has Conſtitutio B. Pij V.* Quanta Eccleſiæ.
38. & 39. *Factâ renunciatione purâ, & à Superiore admiſſâ, non eſt locus pœnitentiæ.*
40. *Benè tamen ante ejus admiſſionem.*
41. *Poteſt quis ex novo titulo redire ad beneficium anteà reſignatum.*
42. *Sed tunc ultimum locum tenebit præ alijs.*

34 QUæritur I. Ex quibus cauſis renunciationes Beneficiorum fieri poſſint? Ubi ſupponendum cum communi, ad renunciationem Beneficij requiri juſtam, & legitimam cauſam; alioquin enim Superior eam admittere non tenetur, neque debet. Nam ſi quisque pro ſuo arbitratu poſſet quodlibet Beneficium relinquere, talis libertas in maximum detrimentum Eccleſiarum cederet, aufugientibus per renunciationem Paſtoribus, ſi viderent lupum venientem, ſeu tribulationem inſtantem. Quo ſuppoſito

35 Reſp. I. Sex ſunt cauſæ, ob quas Epiſcopus poſt ſui confirmationem poteſt petere, & Papa conſuevit concedere licentiam cedendi, ſeu reſignandi Epiſcopatum; atque hæ enumerantur in *c. Niſi cùm pridem.* 10. *h. t.* I. *Conſcientia criminis:* non quidem cujuslibet, ſed illius duntaxat, quod poſt actam pœnitentiam impedit executionem Officij. II. *imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exequendum Officium Paſtorale. III. *Defectus ſcientiæ*, etiam competentis. IV. *Malitia plebis*, ob quam interdum cogitur Prælatus ab ipſius regimine declinare. V. *Grave ſcandalū*, quod aliter ſedari non poteſt. Et tandem VI. *Irregularitas perſonæ.* Nam, quia quælibet harum ſex cauſarum præſtat impedimentum procurandæ ſalutis in ſubditis, quòd oritur vel ex parte Epiſcopi, ob hujus crimen, imbecillitatem, inſcitiam, aut irregularitatem; vel ex parte Subditorum, ob horum odium, vel ſcandalum: meritò illas ſolet Papa admittere pro reſignatione Epiſcopi, cùm impediant finem principalem ipſius; prout ampliùs deducitur *in cit. c. Niſi cùm pridem*, atque extant vulgati verſiculi ibidem in Summario allegati:

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis.
Quem mala plebs odit, dans ſcandala: cedere poſſit.

Reſp. II. Cauſæ illæ, quæ ſufficiunt ad renunciandum Epiſcopatum, ſufficiunt pariter ad reſignandum inferiores Dignitates, & Beneficia curata. Ita communis. Ratio eſt: quia longè difficiliùs admittitur renunciatio Epiſcopi, quàm inferioris Beneficiarij; nam Epiſcopus, veluti verus Sponſus, arctiori vinculo ſpirituali aſtringitur ſuæ Eccleſiæ, quàm alius inferior Prælatus, aut Beneficiarius; ergo cauſa, quæ ſufficit ad renunciandum Epiſcopatum, multò magis erit ſufficiens ad reſignandum inferius Beneficium.

In ſpecie autem, & prout declaravit B. Pius V. *in ſua Conſtitut.* 58. quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ* (& refertur *Tomo* 2. *Bullarij Romani*) §. 3. eorum reſignationes admitti poſſunt, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut crimini obnoxij, cenſuriſque Eccleſiaſticis irretiti, nequeunt, vel non debent Eccleſiæ, ſeu Beneficio inſervire. Item, qui ad aliud Beneficium promoventur; aut Religionem ingreſſuri, vel matrimonium contracturi ſunt, ſi ſtatim illud re ipsâ exequantur; quique ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco Beneficij reſidere ſecuri. Dummodò tamen tales, ſi ſint conſtituti in Ordinibus ſacris, aliunde habeant, unde in vita poſſint commodè ſuſtentari; prout idem Pontifex notanter ſubjunxit. De quo videri poterit Barboſa *lib.* 3. *Juris Eccleſ. univ. cap.* 15. *n.* 99. *& ſeqq.* ubi relatâ citatâ Conſtitutione B. Pij V. ſingulas allatas reſignationis cauſas per ordinem proſequitur: quod idem præſtitit Flamin. Pariſius *lib.* 3. *de Reſignat. Benefic. à quæſt.* 10. *uſque ad q.* 18. Tacentur alij. 37

Quæritur II. An reſignans poſſit pœnitere, ſeu redire ad Beneficium reſignatū? Reſp. I. Factâ renunciatione purâ, & à Superiore admiſſâ, non ampliùs eſt locus pœnitentiæ, ſed reſignans poteſt compelli, etiam invitus, ad dimittendam poſſeſſionem Beneficicij. Ita habetur deciſum *in c. Quidam.* 12. *h. t.* Idque meritò: Ne Papa, vel alius Prælatus illudatur, ſi reſignans poſt admiſſam renunciationem poſſet liberè redire ad Beneficium reſignatum. Accedit, quòd renunciatio Beneficij non ſoleat fieri, neque admitti, niſi ob commodum Eccleſiarum, vel ſalutem propriam reſignantium: atqui neutrum horum debet ex quadam Reſignantis levitate impediri; ut innuit textus *in cit. c. Quidam.* Concordat *c. In præſentia.* 6. *& c. Ex tranſmiſſa.* 3. *h. t.* ubi is, qui renunciavit Beneficio, illud repetere non poteſt. Satis enim abſurdum eſt, redire ad hoc, cui quis renunciandum putavit; prout dicitur *l. Si quis jusjurandum. C. de Rebus creditis.* 38

Unde

39 Unde impræſentiarum habet locum, quod notatur *in can. Quàm periculoſum. 7. q. 1. & c. Cùm inter R. 16. de Elect.* junctâ Gloſſâ ibidem: *Qui juri ſuo ſemel renunciat, non poteſt poſteà ad illud redire.* Item illud vulgatum: quod priùs erat voluntatis, poſteà fit neceſſitatis, *arg. l. Sicut C. de Actionib. & Obligat.*

40 Additur notanter in Concluſione, *& à Superiore admiſſa.* Nam ante ejus admiſſionem, & ratificationem, poteſt reſignans mutare voluntatem, & revocare reſignationem: quia tunc res adhuc exiſtit integrà, ſicque locus eſt pœnitentiæ, *arg. c. Lectæ. 14. h. t. & c. in cauſis. 30. §. Quia verò. de Elect.* & notat Garcias *part. 11. de Beneficijs cap 3. n. 227.* citans Rotam *Deciſ. 1. in fin. & Deciſ. 3. de Renunciat. in antiquis.* & alios: idemque tenet Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Reſignatione conditionali, n. 21.* id ulteriùs probans ex *l. Si pecuniam. §. 1. ff. de Condiction. cauſ. dat.* Adeò, ut ſi reſignans conſtituiſſet procuratorem ad faciendam renunciationem Beneficij coram Superiore, re adhuc integrâ pœnitere, & mandatum procuratorium revocare valeat, *Clem. un. de Renunciat.* ubi hoc ipſum ampliùs declaratur. Sannig *h. t. cap. 6. n. 3.* & alij.

Reſp. II. Poteſt nihilominus is, qui Beneficium reſignavit, non obſtante ſuâ renunciatione redire ad idem Beneficium ex novo titulo poſteà ſuperveniente; utputa, ſi iterùm ad illud eligatur, vel præſentetur. Patet hoc *ex c. Cùm inter. 2. h. t.* & ampliùs explicat Gloſſa *fin. ibid.* & Gloſſa *in c. Suſceptum. ℣. Non morte. de Reſcript. in 6.* Flamin. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Benefic. quæſt. 5. n. 5.* poſt Puteum *Deciſ. 464.* Pirhing *h. t. num. 114. & ſeqq.*

Cæterùm talis, qui denuo ad illud Beneficiũ admittitur, ultimum locum tenere debebit præ alijs: ſiquidem per præviam renunciationem amiſit omne jus in Beneficio, ac proin etiam prærogativam antiquitatis. Layman *in c. Ex transmiſſa. 3. num. 1. h. t.* Flamin. Pariſius *cit. lib. 1. quæſt. 14. num. 25.* poſt Rotam *in una Paduana Optionis, coram Accorambono, 29. Novemb. 1557.*

§. III.

Per quos, & quæ Beneficia poſsint, vel non poſſint renunciari?

SUMMARIUM.

43. *Regulariter quilibet Clericus Beneficiarius poteſt renunciare ſuo Beneficio.*
44. *Ac etiam Papa Papatui.*
45. *Fallet illud in certis caſibus, Etenim*
46. *Nequit Clericus reſignare Beneficium, niſi aliunde habet, unde ſuſtentetur.*
47. *Nec poteſt quis reſignare Beneficium, ad cujus Titulum fuit ordinatus, niſi &c.*
48. *Intelligendo hoc de renunciatione voluntaria.*
49. *Neque reſignare poteſt Beneficium Clericus intruſus, aut non habens Titulum Canonicum in eo.*
50. *Nec promotus ad ſecundum Beneficium incompatibile cum priori, vel Religionem profeſſus.*
51. *Neque criminoſus, ſi ipſo jure privatus eſt Beneficio.*
52. *Quod declaratur.*
53. *Secùs, ſi eo primùm per ſententiam ſit privandus.*
54. *Solvitur inſtantia contra hoc.*
55. *Beneficium litigioſum, lite pendente, non poteſt alteri reſignari.*
56. *Litigioſa res, & Beneficium litigioſum, quid?*
57. *Poteſt tamen quis ſimpliciter cedere Beneficio litigioſo, aut liti renunciare.*
58. *Valet etiam renunciatio Beneficij litigioſi, ſi fiat expreſſâ mentione litis.*
59. *Beneficium reſervatum poteſt quidem ſimpliciter dimitti, non tamen alteri reſignari.*
60. *Idemq; dicendum de Beneficio unito.*
61. *Et de patronato, atque electivo, ſine conſenſu Patroni, vel Eligentium.*
62. *Renunciatio tamen talis Beneficij non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda.*
63. *In Curia Romana non admittuntur reſignationes Parochialium, niſi exprimatur, per quantum tempus poſſederit Reſignans Beneficium.*
Putà, per quinque annos, vel circa. Ibid.
64. *Dictio illa,* Vel circa, *quantum temporis importet?*
65. *Rigor iſte non procedit in reſignationibus, quæ fiunt extra Curiam in manibus Ordinarij.*
66. *Conſecutus Eccleſiam Parochialem nondum Sacerdos, an eam poſſit reſignare durante anno?*
67. *Renunciatio Beneficij facta ex cauſa infirmitatis, ſeu ante mortem, an ſit valida? Et num. ſeqq.*
68. *Refertur Regula Cancellariæ* De viginti.
69. *Et cur Romani Pontifices eam ſtatuerint?*
70. *Regula illa non procedit in Officijs Laicalibus.*
71. *An procedat in illis, qui dum ſani erant, reſignaverunt, & caſu inſperato intra viginti dies deceſſerunt?*
72. *Tempus viginti dierum, quomodo ſit computandum? Et num. ſeqq.*
73. *Dies iſti computantur de momento in momentum.*
74. *Dictio A. quando ſtet excluſivè, vel incluſivè?*

Quæ-

4 QUæritur I. An quilibet Clericus poſſit renunciare ſuo Beneficio Eccleſiaſtico? Reſp. I. Regulariter loquendo, quilibet Clericus Beneficiarius poteſt in manus legitimi Superioris, ex juſta cauſa, renunciare Beneficio ſibi quæſito. Ita communis. Nam hæc generalis facultas reſignandi Beneficia ex juſta cauſa ipſo Jure conceditur; *ut c. Niſi cùm pridem.* 10. *h. t.* cum ſimilibus. Idque generatim ex duplici capite: videlicet tùm ob commodum Eccleſiarum, quarum bono regimini utile, aut etiam quandoque neceſſe eſt, fieri reſignationem: tum ob propriam ſalutem reſignantis, qui vel Religionem ingredi cupit, vel reſignando periculum animæ, aut corporis, in loco Beneficij ſibi imminens, evitare deſiderat; unde æquum eſt, ut ipſi ſuppetat facultas reſignandi Beneficium præhabitum.

4 Et hoc procedit non ſolùm in Clericis inferioribus, ſed etiam in Epiſcopis, & Cardinalibus, imò & in Sūmo Pontifice: nam etiam hic liberè poteſt Papatui renunciare, *cap. 1. h. t. in 6.* junctâ Gloſſâ, *v. Maximè.* Idque confirmatur exemplo S. Cœleſtini Papæ, qui, cùm in Pontificatûs ſublimitate collocatus, varijs diſtentus curis, ſeſe aſſuetis incumbere meditationibus vix poſſe cognoſceret, oneri pariter & honori voluntariè ceſſit; prout legitur *in Breviario Romano, die 19. Maij.* & patet ulteriùs ex formula renunciationis, quā fecit memoratus Sanctus Pontifex, quàmq; verbatim refert Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. 2. n. 213.* Verumtamen in hoc caſu potiùs cenſetur fieri abdicatio, ſive ceſſio, quàm renunciatio: hæc enim (ut ex ejus definitione liquet) fit corā Superiore, Papa autē Superiorem non habet in terris.

4 Reſp. II. Dantur nihilominus certi caſus, in quibus nequit Beneficiarius ſuū renunciare Beneficium. Ita cōmunis, ratione cujus *in num.* 43. notanter additum fuit, *Regulariter loquendô*; & probatur inductione. Sic quippe Clericus infirmus nequit renunciare ſuo Beneficio intra viginti dies ante ſuam mortem, juxta Reg. 19. Cancellariæ, quæ inſcribitur *Regula de viginti*, & ampliùs dicetur infrà *num.* 67. *& ſeqq.*

4 Deinde, *quòd nullus Sacro Ordini mancipatus, niſi Religionem ingreſſurus, valeat ullo modo Beneficium, vel officium Eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commodè ſuſtentari*: his ipſis verbis ſtatuit B. Pius V. *in cit. ſua Conſtitutione.* 58. quæ incipit: *Quanta Eccleſiæ.* §. 3.

4 Tertiò, Clericus nequit reſignare Beneficium illud, ad cuius titulum ſacris Ordinibus initiatus fuit, niſi factâ mentione, quòd ad illius Beneficij titulum ſit promotus: neque talis reſignatio admitti debet, niſi conſtito, quòd aliunde vivere comodè poſſit: & aliter facta reſignatio nulla eſt; prout noviſſimè decrevit Concilium Trident. *Seſſ. 21. cap. 2. de Reformat.* Idque meritò: Ne alioquin (ut idem Concilium notavit) Clericus cum ſacri Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogatur.

4 Cæterùm hoc procedit duntaxat in reſignatione voluntaria, non autem in privationibus, aut renunciationibus à Jure inductis; prout à Sacra Congregatione fuiſſe deciſum, refert Garcias *part. 1. de Beneficijs, cap. 5. n. 219.* & ſequitur Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. n. 45.* Qui tamen poſt Aloyſiū Riccium *in Deciſ. Curiæ Archiepiſc. Neapol. deciſ. 18. part. 1.* rectè ſubjungit, quòd, ſi Clericus veniat privandus per ſententiam Beneficio, ad cujus titulum fuit ordinatus; ipſi aliquid ſit relinquendum, unde ſe alat.

Quartò, Clerici intruſi (hoc eſt, illi, qui non per electionem canonicam, ſed per violentiam occupant Officia, vel Beneficia Eccleſiaſtica) ſicut & alij non habentes titulum canonicum, nequeunt reſignare Beneficia; quæ obtinent. Pirhing *h. t. n. 36.* Idipſum procedit in eo, qui privatus eſt Beneficio per ſententiam, quæ tranſijt in rem judicatam. Garcias *part. 11. de Beneficijs, cap. 3. n. 125.* cum alijs. Ratio horum eſt: quia renunciatio, eſt dimiſſio Beneficij proprij: atqui intruſorum, & aliorum ſimilium legitimo titulo carentium, vel Beneficio ſententialiter privatorum, Beneficium non eſt proprium; ergo neque iſtud renunciare valent. 49

Atq; hoc idem dicendum de illis, qui ad ſecundum Beneficium incompatibile cum priore promoti ſunt, vel qui matrimonium validè contraxerunt, aut Religionem profeſſi ſunt. Nam, quia per adeptam poſſeſſionem ſecundi Beneficij, contractum matrimonium, aut profeſſionem Religioſam, ipſo jure vacat præhabitum Beneficium; id ampliùs reſignari nequit; veluti non proprium. Sed poteſt, ac debet duntaxat relinqui quoad poſſeſſionem; ſive corporalem detentionem. 50

His addunt Doctores cōmuniter Clericum criminoſum, qui ob crimen commiſſum ipſo jure privatus exiſtit Beneficijs præhabitis: ut eſt Simoniacus, *Extravag. Cùm deteſtabile. de Simon. inter Communes*: Falſificator Litterarum Apoſtolicarum, *c. Ad falſariorum. 7. de Crimin. falſi*, & hujuſmodi. Talis enim renunciare non poteſt: &; ſi ſecùs fiat, reſignatio ejus eſt invalida. Felinus *c. In noſtra. n. 38. de Reſcript.* Flamin. Pariſius *lib. 3. de Reſignat. Benefic. quæſt. 1. num. 20.* poſt Rotam *Deciſ. 5. tit. de Re judicat. in antiquis.* & Rotam *in unâ Compoſtellana, Parochialis. 24. Februarij. 1584. coram D. Blanchetto*, & alios. Idque procedit vel maximè; ſi fiat talis reſignatio in favorem tertij. Nicol. Garcias *part. 11. de Beneficijs; cap. 3. n. 124.* Flamin. Pariſius *d. quæſt. 1. n. 21.* citans alios, atque aſſerens; hanc eſſe communem omnium Doctorum ſententiam. Nec immeritò: nam Beneficium; quo quis ipſo jure propter crimen commiſſum privatus exiſtit, non ampliùs cenſetur eſſe ſuum: ſicque hoc ipſo illud reſignare nequit, ſaltem in favorem tertij, ſeu ut huic acquiratur; quamvis illud dimittere valeat, veluti privatus jure ad ipſum. 51

Verùm rectè notat Sanchez *lib. 2. in Decalogum cap. 16. n. 9.* eſtque conforme dictis ſuprà *tit. de Conſtitutionibus §. 10. n. 127. & ſeqq.* hoc non ita accipiendū eſſe, quaſi talis reſignatio, vel permutatio Beneficij, nullius omnino ſit momenti: valet 52

valet enim ipſa, & acquiritur jus illi, in quem fit reſignatio, vel permutatio, niſi ſequatur ſententia declaratoria Judicis ſuper crimine admiſſo. Nihilominùs, quia ſententia declaratoria, ſi ſequatur, retrotrahitur uſq; ad diem comiſſi criminis; hinc permutatio, ſive reſignatio illa, non habet plenum effectum, ſed reſcinditur, atque revocatur, acſi facta non fuiſſet. Et in hoc ſenſu verũ eſt, quòd Clericus criminoſus nequeat ſuũ reſignare, vel permutare Beneficium, quo ob crimen commiſſum ipſo jure privatus exiſtit: & ſi ſecùs fiat, tunc Beneficium cum ejusmodi criminoſo permutatum reſtituitur permutanti, amoto hinc quolibet alio ejus detentore, *arg. c. Cùm univerſorum. 8. de Rerum permutat.* & notat Sanchez *d. n. 9.* citans alios.

53 Cæterùm loquendo de Clerico criminoſo, qui non ipſo jure privatus eſt ſuo Beneficio, ſed per ſententiam eo privandus, dicendum eſt, quòd is validè reſignare valeat Beneficium ſuũ ante ſententiã privationis. Gloſſa *in cap. 2. ℣. Finita. Ut lite pendente.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. De modis amittendi Beneficia. n. 51.* Covarruvias *in Clem. Si furioſus. de Homicid. 2. part. 3. n. 7.* Sannig *h. t. cap. 4. n. 4.* Garcias *cit. part. 11. cap. 3. n. 63.* allegans quamplures Deciſiones Rotæ, & communem aliorum. Ratio eſt: quia talis ante ſententiam nondum eſt privatus ſuo Beneficio, nec alicubi reperitur ipſi interdicta reſignatio; ergo, cùm regulariter reſignatio Beneficij ſit cuilibet permiſſa, etiam iſte poterit reſignare.

54 Si dicas: Beneficium litigioſum nequit reſignari, ut *num. ſeqq.* dicetur: ſed tale Beneficium eſt litigioſum, ſaltem poſt accuſationem Clerici criminoſi; ergo. Reſp. neg. min. Nam in tali caſu lis non movetur ſuper ipſo Beneficio, ſive ſuper ejus titulo, vel poſſeſſione, ita quòd hujus adjudicationem Actor petat (uti ſupponitur) ſed ſuper crimine Clerici: ac proinde ipſum Beneficium non redditur litigioſum, haud obſtante, quòd crimine illo probato ſit imponenda hujus privatio. Garcias *cit. part. 11. cap. 3. n. 83.* poſt Rotam *in una Callagurritana Beneficij coram. D. Lancelloto 29. Octob. 1601.* & Puteus *Deciſ. 496. lib. 2.*

55 Quæritur II. An dentur aliqua Beneficia Eccleſiaſtica, quæ reſignari non poſſunt? Reſp. affirmativè. Et præter caſus jam enumeratos, in quibus ex parte Clerici potiſſimùm oritur prohibitio ea reſignandi, nequit imprimìs cuipiam alteri reſignari Beneficium litigioſum, lite pendente. Ratio eſt: quia talis renunciatio præſumitur fieri in fraudem collitigantis, *arg. cap. 1. de Alienat. judicij mutandi causâ, & cap. 2. Ut lite pendente &c. in 6.* Simúlque, quia lite pendente nondum conſtat, cujus ſit Beneficium, ut iſtud reſignare valeat. Qua de cauſa, generaliter loquendo, alienatio rei litigioſæ, dum lis pendet, fieri prohibetur, & facta non tenet, *l. Lite pendente. C. de Litigioſis.*

56 Porrò *Litigioſa res* eſt, de cujus dominio cauſa movetur inter poſſeſſorem & petitorem, judiciaria conventione coram Judice ordinario, vel delegato factâ, & per hunc futuro Reo denunciatâ *Clem. 2. Ut lite pendente &c. & Auth. Litigioſa res. C. de Litigioſis.* Simplex autem denunciatio, ſive prohibitio alienandi extra judicium facta, non efficit rem litigioſam, *L. 1. C. eod.* Unde pariter *Beneficium ligitioſum* cenſetur illud, de cujus proprietate: ſive titulo, aut poſſeſſione, lis judiciaria movetur, petente Actore hujus adjudicationem ſibi fieri, ejúsque petitione per Judicem Reo ſufficienter denunciatâ; prout ampliùs *Lib. 2. Tit. 16. Ut lite pendente &c.* doceri ſolet.

Verùm, licèt Beneficium litigioſum lite pendente reſignari non valeat alicui alteri, ſive ex cauſa permutationis, ſive in favorem ejus illud dimittendo: nihilominùs alter litigantium benè poteſt ſimpliciter cedere illi Beneficio, ac juri, ſi quod in eo habet. Siquidem per talem ceſſionem non fit deterior conditio collitigantis, ſimúlque per ipſam totaliter finitur lis: ac proinde ipſa meritò cenſetur valida. Idem eſt, ſi ſimpliciter renuncietur liti: quia tunc purgatur vitium ligitioſi. Pirhing *h. t. n. 14.*

Valida etiam eſt renunciatio Beneficij litigioſi, ſi hanc fieri contingat factâ expreſſâ mentione litis; ſive dein ipſa fiat coram Summo Pontifice, ſive coram Ordinario: quamquàm Ordinarius in tali caſu nequeat conferre Beneficium, niſi lite jam finitâ, aut per obitum litigantis, jus in Beneficio prætendentis extinctâ, vel per longam ab ea ceſſationem derelictâ. Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 25. q. 3.*

Deinde Beneficium reſervatum, cujus videlicet collatio ad ſolum Romanum Pontificem pertinet, licèt poſſit ſimpliciter dimitti, non ſolùm coram Papa, ſed etiam coram Ordinario loci, dummodò hic illud alteri non conferat: nihilominùs ejusmodi Beneficium Papæ reſervatum, abſque hujus authoritate, nequit reſignari cuipiam alteri, ſive ex cauſa permutationis, ſive in gratiam, & favorem tertij illud dimittendo. Et hoc etiam procedit non obſtantibus quibuscunque facultatibus, & licentijs, reſignandi talia Beneficia: nam has omnes revocavit Innocentius IV. in Conſtitutione, *Sicut bonus Paſtor.* 1491. emanata. Azorius *loc. cit. q. 9.* Et ratio eſt: quia talis reſignatio, ſi ex cauſa, v. g. permutationis, fieret coram Ordinario loci, & non coram Papa, directe præjudicaret reſervationi, qua talium Beneficiorum collatio ad ſolũ Romanũ Pontificem ſpectare dignoſcitur.

Ulteriùs Beneficium unitum nequit reſignari, etiã antequàm unio ſortiatur effectũ, ſi per talẽ reſignationẽ dicta unio quoquo modo ſuſpendatur vel impediatur. Patet hoc ex Concil. Trident. *Seſſ. 21. cap. 5. de Reformat.* ubi propter paupertatem Eccleſiarũ, & juxta formam Juris, conceditur, quòd poſſint ipſis alia Beneficia (ſine tamen præjudicio obtinentium) perpetuò uniri: & ſubditur, quòd taliter factæ *uniones etiam non poſſint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cujuscunque proviſionis, etiam ex cauſa reſignationis &c.* Idem habetur in dicto Concilio *Seſſ. 25. cap. 18. de Reformat.* ubi de unionibus Beneficiorum, Seminario Epiſco-

Epiſcopali factis, ſubjungitur: *Nec per reſignationem ipſorum Beneficiorum, uniones & applicationes ſuſpendi, vel ullo modo impediri poſſint.* Hinc, ſi Beneficium Caij jam ſeniculi ex cauſa præallegata uniatur Eccleſiæ, Monaſterio, vel Seminario, non poteſt illud Cajus reſignando, permutare cum Beneficio Titij adhuc juvenis: quia ſic veriſimiliter effectus illius unionis ſuſpenderetur. Et multò minùs poteſt tale Beneficium reſignari in favorem tertij: nam ſi id liceret, poſſet unus reſignare alteri, & alter tertio; ſicq; facilè impediretur omnino effectus unionis. Non tamen hinc prohibetur poſſeſſor, tale ſuum Beneficium abſolute reſignare, ſimpliciter illud dimittendo in manibus Ordinarij: quia hac ratione effectus factæ unionis non impeditur, nec ſuſpenditur, ſed promovetur.

61 Rurſus Beneficium patronatum, quamvis ſimpliciter poſſit dimitti in manibus Superioris, tamen non poteſt ex cauſa permutationis, aut in favorem tertij, reſignari abſque conſenſu Patroni, *arg. can. Monaſterium.* 16 *q.* 7. Ac ſimiliter Beneficium electivum nequit in favorem, ſeu gratiam alterius, renunciari inconſultis, & non conſentientibus illis, qui jus habent eligendi; juxta Gloſſam magnam *cap. un. de Rerum permutat. in* 6. Ratio horum eſt: tum quia hoc pertinet ad intereſſe Patroni, ſeu jus eligendi habentium, ne forſan in Beneficio quiſpiam inſtituatur ipſis infenſus: tum quia cæteroquin ipſi pro ea vice deſtituerentur jure præſentandi, ſeu eligendi. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ cap.* 5. *num.* 182. Garcias *part.* 11. *de Beneficijs. cap.* 4. *n.* 72. Azorius *cit. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 25. *q.* 4. & 5. Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. & jur. cap.* 34. *n.* 193. & 198. cum alijs.

62 Ubi tamen notandum eſt, quòd renunciatio ex cauſa permutationis, vel in favorem tertij, inconſultis Patrono, ſeu jus eligendi habentibus facta, non ſit ipſo jure irrita, ſed irritanda ſolùm ad horum contradictionem; &, ſi eorum conſenſus poſt reſignationem ſuperveniat, ea ſit valida. Solet enim ſuperveniens conſenſus acta firmare, *c. Quòd ſicut.* 28. *de Electìon.* ubi in ſimili dicitur de electione quibuſdam contemptis celebratâ, quòd non ſit ipſo jure irrita, ſed irritanda; niſi hi poſteà pro bono pacis conſenſerint. Concordat *c. Cùm nos.* 3. *De his, quæ fiunt à Prælatis.* cum ſimilibus. Azorius, & Leſſius, *ubi ſuprà*, & alij.

63 Tandem ſciendum, quòd de facto in Curia Romana non admittantur indiſtinctè reſignationes Eccleſiarum Parochialium, & aliorum Beneficiorum perſonalem reſidentiam requirentium, præſertim cum reſervatione penſionis ipſi Reſignanti, vel alteri per ſucceſſorem præſtandæ. Nam juxta Stylum Datariæ, qui incæpit à tempore Gregorij XIV. (vel Motu proprio ipſius, ut quidam voluerunt; vel ſaltem vivæ vocis Oraculo, ad Datarium facto, ut vult Pyrrhus Corradus *in Praxi Beneficiaria*; *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 14.) ſic ordinantis, requiritur, ut in Supplicatione Pontifici porrectâ exprimatur, per quantum tempus poſſederit Reſignans ejusmodi Beneficium: & ſi tempus illud fuerit breve, reijcitur reſignatio. Ita Pyrrhus Corradus *cit. num.* 14. ſubinferens, regulariter requiri, quòd Reſignans poſſederit tale Beneficium per quinque annos, vel circa, aut ſaltem tres; quamvis olim requirerentur ſeptem, vel ſex anni.

Idem docet Nicol. Garcias *part.* 11. *de Beneficijs. cap.* 3. *n.* 45. & *ſeqq.* ubi *num.* 48. & 49. ſicut & Pyrrhus Corradus *loc. cit. num.* 15. reſolvit, quòd Dictio illa, *Vel circa*, quantùm ad propoſitum importet ſex menſes; ita ut narrato, quòd poſſederit quis Beneficium per quinque annos, vel circa, ſufficiat verificari, quòd poſſederit per quatuor annos cum dimidio. Flamin. Pariſius *lib.* 3. *de Reſignat. Benefic. quæſt.* 2. *n.* 21. qui tamen meritò addit, quòd, ſi expreſſo minori tempore nihilominus Papa reſignationem admiſerit, nulli dubium ſit hanc valere. 64

Cæterùm prædictus rigor procedit ſolùm in reſignationibus, quæ fiunt in Curia Romana: non item in illis, quæ purè, ſeu absque reſervatione penſionis, fiunt in manibus Ordinarij; cùm de his Gregorius XIV. nihil immutaverit, ſeu de novo ſtatuerit. Pyrrhus Corradus *loc. cit. n.* 20. 65

Atq; ex dictis poteſt colligi ſolutio illius quæſtionis, an videlicet conſecutus Eccleſiam Parochialem nondum Sacerdos, ſicque obligatus ad ſuſcipiendum Ordinem Presbyteratûs intra annum, juxta *c. Licèt canon.* 14. *de Electiou. in* 6. poſſit durante anno, ac etiam ultimo die illius, reſignare ſuum Beneficium? Reſp. enim, juxta Stylum Curiæ Romanæ talem reſignationem fieri non poſſe, nec factam admitti, propter memoratam ordinationem Gregorij XIV. & in Dataria Romana uſu receptam: quamquàm nihil obſtet, quò minùs talis reſignatio fieri valeat in manibus Ordinarij, purè tamen, & abſque ullo onere. Flamin. Pariſius *cit. lib.* 3. *quæſt.* 2. *per totum*, ex profeſſo hanc quæſtionem examinans, atque poſt Oldradum *Conſil.* 203. §. *Circa primam*, & alios, ſolutis etiam contrarijs, ita reſolvens. 66

Quæritur III. Quid juris de reſignantibus cauſâ infirmitatis, ſeu ante mortem? Reſp. I. Quando reſignatio Beneficij facta eſt viginti diebus ante mortem Clerici reſignantis, valida erit reſignatio, dummodò cætera ad hanc requiſita concurrerint. Unde quoad hanc procedunt alia hactenùs de renunciatione Beneficiorum dicta, vel impoſterùm dicenda. 67

Reſp. II. Quòd ſi Clericus reſignans infra viginti dies poſt factam ſui Beneficij renunciationem moriatur, tunc reſignatio hujusmodi, ac collatio Beneficij poſtmodùm titulo reſignationis facta, penitus eſt nulla, ipſúmque Beneficium cenſetur vacare per obitum. Ita communis; & habetur expreſſum in Regulis Cancellariæ, Reg. 19. quæ inſcribitur *Regula de viginti*, atque ſub S.D.N. Innocentio Papa XII. ſic ſonat: *Item voluit, quòd ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit, ſive in Romana Curia, ſive extra illam, aliquod Beneficium, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis*, 68

tationis, vel aliàs dimiſerit, aut illius Commendæ ceſſerit, ſeu ipſius Beneficij unionis diſſolutioni conſenſerit etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus ſignatæ, & poſteà infra viginti dies, à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſûs computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipſum Beneficium quavis authoritate conferatur per reſignationem ſic factam, collatio hujuſmodi ſit nulla, ipſúmque Beneficium nihilominùs per obitum cenſeatur vacare. Hæc ibi.

69 Quam quidem Regulam Cancellariæ Romani Pontifices, pro ſua Paſtorali ſollicitudine, ſtatuere conſueverunt ad præcavendum varijs fraudibus, quæ cæteroquin circa reſignationes Beneficiorum Eccleſiaſticorũ contingere poſſent, dum Clerici tunc demum vel ex cauſa permutationis, vel impetrato deſuper Reſcripto Apoſtolico in favorem tertij, ſua Beneficia reſignare vellent, quando his diutiùs præ infirmitate, ſeu mortis inſtantiâ, frui nō valerent. Et quia hac ratione ſimul fraudarentur habentes Gratiã exſpectativam Apoſtolicam ſuper Beneficio proximè vacaturo; atque etiam ordinarius Collator deſtitueretur jure ſuo illud, cæteroquin in proximo vacaturum, conferendi; quin & ipſemet Reſignans videretur quodammodò teſtari de Beneficio ſuo, aut illud causâ mortis donare: hinc, ut obvietur malitijs hominum, non immeritò Princeps (qui poteſt facere fictionem haberi pro veritate, ut docet Bartolus *in l. Si is, qui pro emptore. ff. de Uſucap.*) ſive Romanus Pontifex fingit, ſeu cenſendum ſtatuit, ejuſmodi Beneficium vacare per obitum. Sicque non tantùm reſignatio erit nulla, ſed etiam dictum Beneficium poterit conferri tanquam vacans per mortem ab eo, cui competit jus conferendi, etiamſi is jam contuliſſet illud cuipiam ratione reſignationis per infirmum factæ. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Additiones ad Regulas Cancellariæ. Reg. 19. §. Ipſumq; Beneficium*, & alij.

70 Cæterùm, quia dicta Regula Cancellariæ expreſsè loquitur de Clericis infirmis reſignantibus aliquod Beneficium Eccleſiaſticũ, quodcunque illud ſit, ac etiamſi foret Prioratus, Abbatia, vel Epiſcopatus: nam Regula generatim loquitur. Hinc imprimìs ipſa non procedit in officijs Laicalibus, ſive illis, quæ etiã viris uxoratis concedi ſolent. Card. de Luca *Diſc. 6. de Regalib. n. 2.*

71 Deinde conſiderando verba, rationem, & primævam ejus intentionem, dicta Regula non procedit in illis, qui dum ſani fuerant, reſignaverunt Beneficium, licèt poſteà caſu quodam, aut ſuperveniente morbo inopinato, intra viginti dies eos mori contigerit: nam Regula inquit: *Si quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit.* Rebuffus *loc. cit. §. In infirmitate.* Jo. de Selua *Tractatuum tom. 15. tract. de Beneficijs. part. 3. quæſt. 46. n. 10.* & favet textus *in c. De his qui. 4. de Sepultur.* Verùm defactò Regula locum habet, quotieſcunque quis poſt præſtitum renunciationi conſenſum moritur infra viginti dies, ſive ab initio benè valeret, ſive infirmus eſſet; prout docet Chochier, *ad Regulam Cancellariæ de viginti. num. 15. verſ. Itaque fruſtrà*, id probans ex verbis dictæ Regulæ, ibi: *Etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignatæ.* Flaminius Pariſius *lib. 12. de Reſignat. Benefic. quæſt. 6. n. 7. & ſeqq.* aſſerens, ita hodie cōmuniter hanc Regulam practicari, & teneri per omnes; atque iſtud *n. 22.* extendens ad eum, qui moritur ex vulnere intra viginti dies. Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 28. quæſt. 3.* Vivianus de Jurepatronatûs, *lib. 13. cap. 10. n. 86.* Rota Romana *apud Bichium, Deciſ. 164. n. 14.* & alia Rota *in una Leodienſ. Beneficij. 25. Maij. 1640. coram Cerro. Deciſ. 11. n. 10.* aſſerens, ita declaraſſe Clementem VII.

Rurſus Regula non habet locum, niſi quis infra viginti dies à die præſtiti per reſignantem (vel per ejus procuratorem) conſenſûs moriatur; prout apertè loquuntur ejus verba. Verùm, quomodo hoc tempus viginti dierum ſit computandum, non nihil variant Doctores. Et quidem Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Regula De infirmis beneficia reſignantibus. Gloſſa 10. n. 9.* & Gomez *quæſt. 37. n. 2.* aſſerunt, quòd dies conſenſûs non computetur in termino viginti dierum, ſed eo excluſo viginti dies à die ſequenti ſint computandi: quia (inquiunt) dictio *A* denotat excluſionem, *arg. c. Statutum. 3. de Præbend. in 6. & Clem. Sicut appellationem.* junctâ Gloſſâ, *℣. A die. de Appellat.*

Econtrà Gloſſa hujus Regulæ affirmat, etiam diem conſenſûs includi in numero viginti dierum: cui Mandoſius aſſentitur *quæſt. 18. n. 3.* Atq; hanc ſententiam eſſe utiliorem reſignanti, ut citiùs finiatur tempus viginti dierum pro valore ſuæ reſignationis requiſitum, tenet Azorius *cit. cap. 28. q. 7.* Idem tradit Jo. de Selva *cit. tract. de Beneficio, part. 3. cap. 46. n. 11.* ubi inquit, quòd dicta Regula ſit intelligenda de viginti diebus naturalibus, ſcilicet viginti quatuor horarum, *arg. l. More Romano. ff. de Ferijs*: & quòd in præſenti caſu dies iſti computentur de momento in momentum. Atque juxta hanc ſententiam valida erit reſignatio, qua quis reſignavit Beneficium die primo Januarij horâ ſeptimâ matutinâ, ſi primùm moriatur die vigeſimo primo Januarij horâ octavâ matutinâ: quia reverà interceſſiſſent viginti dies naturales, & de momento in momentum completi. Secùs foret dicendum juxta priorem ſententiam, quia ſi excludatur dies præſtiti conſenſûs, mors incideret in ipſum diem vigeſimum, ſicq; reſignans mori intelligeretur infra viginti dies: nam dictio *Infra* includit ſua extrema, & excludit ea, quæ ſunt extrà, *arg. L. 1. §. 1. ff. de Offic. Præfecti Urbis.* Barboſa *de Dictionibus uſu freq. Dict. 161. n. 3.*

Nec obſtat ratio oppoſitæ ſententiæ: quia, licèt dictio *A* ſtet excluſivè, quando alioquin diſpoſitio Legis, ſive ſtatuti, redderetur odioſa, & vergeret in cujuſpiam præjudicium, ſeu pœnã nihilominùs dictio *A* ſtat incluſivè, putà reſpectu diei, quando exinde diſpoſitio redditur favorabilis, & tendere incipit in alicujus commodum, etſi adhuc ſtet excluſivè reſpectu momenti. Card. Tuſchus *Litt. A Concl. 1. n. 26.* Barboſa *ubi ſuprà Diction. 1. n. 3.* cum alijs. Sic autem accidit in propoſito: nam, ſi computetur dies conſenſûs à momento, quo hic per reſignantem præ-

præ

præſtitus fuit, in numero viginti dierum, ſalvatur valor reſignationis in caſu jam poſito; ſimúlque reſtringitur ſacta per Regulas Cancellariæ correctio Juris communis, quo quisque liberè reſignare poteſt: ac proinde in ſæpè dicta Regula Cancellariæ, ly *à die* debet ſtare incluſivè reſpectu diei, & ſolùm excluſivè reſpectu momenti, quo per reſignantem præſtitus eſt conſenſus.

§. IV.
De Renunciatione Pura, & Conditionali.

SUMMARIUM.

75. *Renunciatio Beneficiorum cumprimis debet eſſe pura ab omni pecunia, &c. Et ſeqq.*
76. *Si fiat cum pacto, ut Reſignatarius ſolvat expenſas olim in Beneficij aſſecutione factas, eſt ſimoniaca.*
77. *Solvitur inſtantia.*
78. *Pactum, ut Reſignatarius ſolvat omnes expenſas in admiſſione reſignationis, ac expeditione Litterarum, eſt ſimoniaca.*
79. *Sicut & pactum, involvens Simoniam confidentialem.*
80. *Renunciatio Beneficiorum etiam debet eſſe pura ab omni pacto, conditione ac modo,*
81. *Privatâ partium authoritate facto: aliàs ſecùs.*
82. *Renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis, an ſit licita? Et num. ſeqq.*
Proponitur ratio dubitandi. Ibid.
83. & 84. *Ea eſt illicita, & ſimoniaca, ſi fiat privatâ permutantium authoritate,*
85. *Et ſic permutantes perdunt ſua Beneficia.*
86. *Quatenus eisdem ſunt privandi per ſententiam.*
87. *Si dicta permutatio fiat authoritate Superioris, tunc ipſa eſt licita.*
88. & 89. *Solvuntur rationes in oppoſitum.*
90. *Renunciatio Beneficiorum ex causâ permutationis, qualiter ſit inſtituenda? Et num. ſeqq.*
91. *Clerici permutare volentes debent ſua Beneficia reſignare in manus Ordinarij loci.*
92. *Et quid, ſi Beneficia ſint diverſarum Diœceſium?*
93. *Quorum conſenſus ad permutationem illam accedere debeat?*
94. *Requiritur juſta cauſa, per Ordinarium dijudicanda. Et num. 96.*
95. *Licèt ſufficiat ſola expedientia, ſeu utilitas permutantium.*
96. *Quid, ſi factâ permutatione cauſa ceſſet?*
97. *Requiritur inſuper nova Beneficiorum permutatorum collatio,*
98. *Per eundem Ordinarium, vel ejus Superiorem facienda,*
99. *Etiamſi cæteroquin collatio ſpectet ad inferiorem.*
100. *Permutatio Beneficij debet fieri cum Beneficio, non cum Penſione.*
101. *Alia ejus requiſita breviter referuntur.*
102. *Poſſunt Clerici ante permutationem priùs de ea inter ſe tractare.*
103. *Solvitur inſtantia ex* c. Cùm univerſorum. de Rerum permutat.
104. *An ſit licitum, reſignare Beneficium reſervatâ annuâ penſione? Remiſſivè.*

75 Quæritur I. Qualiter renunciatio Beneficij Eccleſiaſtici debeat eſſe pura? Reſp. I. Renunciatio beneficiorum cumprimis debet eſſe pura ab omni pecunia, omníque pactione de dando aliquo temporali intuitu ejus: aliter eſt ſimoniaca. Ita communis omnium; & patet ex *c. Super hoc. 6. h.t. & c. Matthæus. 23. de Simonia. & Extravag. Cùm deteſtabile. eod. inter Communes*, cum ſimilibus.

76 Hinc renunciatio facta cum pacto, ut Reſignatarius ſolvat expenſas factas olim à Reſignante in aſſecutione illius Beneficij, eſt ſimoniaca. Flamin. Pariſius *lib. 4. de Reſignat. Beneficiorum, quæſt. 5. n. 1.* aſſerens eſſe communem, quam firmavit Rota *die 19. Octob. 1553. in una Canonicatûs S. Andreæ coram Puteo.* Suarez *de Simonia, cap. 35. num. 24.* Zoëſius *tit. de Simonia, num. 67.* Diana *part. 10. tract. 13. reſolut. 1.* Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. cap. 35. dubit. 22. n. 94.* & alij.

77 Nec obſtat, quòd Reſignans non petat, niſi ſe ſervare indemnem; Beneficium autem gratìs reſignet alteri. Non obſtat, inquam: tum quia in Beneficijs Eccleſiaſticis omnis pactio, omniſque conventio debet omnino ceſſare, *c. Super eo. 7. de Tranſact. cap. ult. de Pactis,* cum ſimilibus. Tum quia hæc ipſa reſponſio reprobatur *can. Si quis objecerit. 1. q. 3.* additâ illâ ratione: *Quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Accedit, quòd talis reſignans interveniente pacto petat aliquid, & quidem temporale, quod de jure non ineſt reſignationi.

Inſuper pactum illud, quòd Reſignatarius ſolvat omnes expenſas in admiſſione renunciationis, atque expeditione Litterarum deſuper conficiendarum, ab utroque cæteroquin faciendas, ſimoniaca eſt. Ratio eſt, quæ ſuprà, ac tenet Flamin. Pariſius *cit. quæſt. 5. n. 9.* Garcias *part. 11. de Beneficijs, cap. 3. n. 148.* Suarez *de Religione, tract. 3. lib. 4. cap. 34. n. 19.* Qui tamen rectè hoc limitant, niſi talis conventio Pontifici declaretur, & ipſe conſentiat: ſiquidem ejuſmodi Simonia foret duntaxat Eccleſiaſtica, quam Papa ſuâ authoritate poteſt diſpellere, ac purgare. 78

Similiter illicitum eſt, ac ſimoniacum, cuipiam Beneficium procurare, eligendo, præſentando, reſignando, aut aliâ ratione, cum certa confidentia, ſeu pacto inito, ut is, qui Beneficium accepturus eſt, illud ipſum ſibi procuranti, vel alte- 79

alteri, puta Nepoti ſuo, cum fructibus, vel aliqua eorum portione, ſuo tempore cedat. Hæc enim eſt ipſiſſima *Simonia confidentialis*, contra quam Pius IV. edit ſeveriſſimam Bullam, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (ac refertur *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtitut.* 85. dicti Pontificis) in qua ſub graviſſimis pœnis ipſam prohibuit; eámque prohibitionem innovavit B. Pius V. in ſua Conſtitutione 85. quæ incipit, *Intolerabilis*.

80 Reſp. II. Renunciatio Beneficiorum debet etiam eſſe pura ab omni pacto, conditione ac modo, privatâ partium authoritate adjecto: aliàs cenſetur ſimoniaca, & nulla. Ita deſumitur ex *cap. ult. de Pactis*, *& c. Quæſitum. 5. de Rerum permut.* cum concordantijs; ac tenet Gloſſa *in c. Cùm inter R.* 16. *℣. Ex conſenſu de Election.* ubi inquit, quòd qui renunciat ſpirituali juri, ſive Beneficio, purè & ſine aliquo pacto debet renunciare; aliàs ſimoniacum eſſet: quia non habet ibi locum renunciatio ſub modo, vel ſub conditione. Hæc Gloſſa. Idem docet Abbas *in c. Super eo. n.* 1. *de Tranſaction.* ubi Pontifex, juncto *cap. ult. de Pactis*, expreſsè dicit, quòd *in ſpiritualibus omnis pactio, omniſq; conventio debeat omnino ceſſare*. Garcias *part. 3. de Beneficijs, cap. 3. num.* 145. Layman *lib. 4. tract.* 10. *cap. ult.* §. 5. *n.* 57. allegans communem.

81 Additur notanter, *privatâ partium authoritate*. Nam accedente authoritate legitimi Superioris, ac præſertim Summi Pontificis, poſſe juſtis de cauſis quandoque in renunciatione Beneficiorum, præcipuè ex cauſa permutationis factâ, ſecùs accidere: illicò magis declarabitur in ſequentibus Quæſtionibus. Unde

82 Quæritur II. Utrùm renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis licitè fiat? Ratio dubitandi deſumitur tum ex Gloſſa *num.* 80. relata: tum ex Juribus ibidem citatis, quibus probatur, quòd renunciatio Beneficiorum debeat fieri omninò purè, & ſine ulla pactione, modo & conditione: atqui in permutatione Beneficiorum intervenit aliqua pactio, ſeu conditio, videlicet de dando ſuo, pro Beneficio alterius; ergo ea non videtur licita. Verùm pro exacta hujus Quæſtionis reſolutione oportet uti competenti diſtinctione. Unde

83 Reſp. Quamvìs illicita ſit, quin & accedente pactione ſimoniaca, permutatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſi privatâ authoritate fiat; atque inſuper Beneficia ſua perdant, qui eadem permutant propriâ authoritate: nihilominùs licita eſt reſignatio Beneficiorum causâ permutationis inter perſonas Eccleſiaſticas idoneas, authoritate tamen legitimi Superioris interveniente facta. Ita certa, & communis; patentq; ſingula ex diverſis textibus Juris.

84 Et quidem prima pars, aſſerens, eſſe illicitam, atque ſimoniacam permutationem Beneficiorum. ſi fiat authoritate privatâ, patet ex c. Majoribus. 8. de Præbend. ibi: *Diviſionem Præbendarum, aut Dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Intellige cum Gloſſa ibidem, *ſine authoritate Superioris*: nam Superior, ſi expedire viderit, hoc poterit facere, ut dicetur *num.* 87. *& 89.* Partim ex c. Quæſitum. 5. de Rerum permutat. ibi: *Generaliter teneas, quòd commutationes Præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſâ, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet Simoniæ.* Quamvìs hæc ſimonia, quæ intervenit in dicta permutatione Beneficiorum, non ſit Juris Divini (quia non datur temporale pro ſpirituali, ſed unum ſpirituale, puta Beneficium, pro alio) ſed ſimonia Juris duntaxat Eccleſiaſtici, juxta Gloſſam *c. Ex parte.* 12. *℣. Dimittere. de Offic. Delegat.*

85 Altera verò pars, nempe quòd perdant ſua Beneficia, qui ea propriâ authoritate permutant, habetur clarè *in c. Cùm olim. de Rerum permutat.* ubi idcircò unus eorum, qui ad invicem propriâ authoritate ſua Beneficia commutârunt, Præpoſiturâ; alter verò Archidiaconatu, fuit privatus. Unde in ſimili Epiſcopus, qui propriâ authoritate de ſua Eccleſia ſe transfert ad aliam, carebit utrâque, *can. Si quis Epiſcopus.* 7. *q.* 1. *& c. Quanto.* 3. *de Translat. Epiſc.* Ratio horum eſt: tum quia Beneficium Eccleſiaſticum abſque inſtitutione canonicâ obtineri non poteſt, juxta *cap.* 1. *de Reg. Jur. in 6.* cum ſimilibus: atqui talis inſtitutio canonica non intervenit in translatione, vel permutatione Beneficiorum, propriâ authoritate factâ. Tum quia tales propriâ authoritate permutantes, notantur de vitio ambitionis, & ingeſtionis, dum unus ſeſe ingerit Beneficio alieno. *c. Per noſtras.* 26. *de Jure patronat.* ſicque veluti ambitioſi, meritò debent repelli, *can. Si is qui.* 1. *q.* 6. *& can. In ſcripturis.* 8. *q.* 1.

86 Cæterùm illi, qui ſua Beneficia ad invicem propriâ authoritate permutant, in tantùm ea perdunt, quatenus ſunt privandi eiſdem per ſententiam; ut *in cit. c. Cùm olim. de Rerum permut.* Et quamvìs Garcias *part.* 11. *de Beneficijs, cap.* 4. *num.* 59. Barboſa *lib.* 3 *Jur. Eccleſ. univerſ. cap.* 15. *num.* 175. & plures alij velint, quòd hodie tales ipſo jure ſint privati ſuis Beneficijs, ſimúlque excomunicati, juxta *Extravag. Cùm deteſtabile. de Simonia, inter Communes.* Nihilominus oppoſitam ſententiam eſſe probabilem, cenſet Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. & jur. cap.* 35. *num.* 141. citans alios: nam dicta Extravagans, in qua dictæ pœnæ ipſo jure ſtatuuntur contra omnes eos, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint* (ut loquitur textus), eſt intelligenda de ſimonia propriè dicta, per quam videlicet datur temporale pro ſpirituali, qualis hîc non intervenit. Idque ulteriùs ex eo ſuadetur: quia noti juris eſt, quòd pœnæ reſtringendæ ſint, non extendendæ, juxta *Reg.* 49. *Juris in 6. & l. Interpretatione. ff. de Pœnis*, ibi: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm exaſperandæ.*

87 Ultima tandē pars Cōcluſionis videlicet, quòd licita ſit renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis, ſi fiat ex juſta cauſa, & authoritate legi-

legitimi Superioris; conſtat *ex cit. c. Quæſitum.* & *cap. un. de Rerum permutat. in 6.* & ampliùs ex *Clem. un. eod.* ubi inſuper decernitur, quòd in tali caſu non poſſint Beneficia alijs, quàm permutare volentibus, conferri.

88 Nec obſtat Gloſſa *n.* 80. *&* 81. relata. Nam ea loquitur de tali pactione, quâ datur temporale pro ſpirituali: ſecùs eſt, ſi, accedente præſertim authoritate Superioris, detur ſpirituale pro ſpirituali, v.g. unum Beneficium Eccleſiaſticum pro altero; prout ipſamet Gloſſa *in c. Super eo. ℣. Super re ſacra. de Tranſactionib.* ſeſe declarat.

89 Ad textus Juris *cit. n.* 80. allegatos dicitur, inde ſolùm haberi, quòd imprimis in ſpiritualibus illicita, atq; ſimoniaca ſit omnis pactio, per quā promittitur, ſive datur temporale pro ſpirituali, ut proximè dictum. Deinde, quòd etiam ſit illicitum, imò & ſimoniacum, & ſimonia ſaltem Juris Eccleſiaſtici, permutare Beneficia propriâ authoritate; non verò, quando ea reſignantur in manus Superioris causâ permutationis, ſi, & quatenus ea approbabitur à Superiore. Tunc enim hoc totum ſalvat, vitiúmque ſimoniæ abolet authoritas Superioris, ſive Ordinarij loci, utpote cui quoad permutationem Præbendarū (quæ per Alexandrum III. in Concilio Turonenſi, *cit. c. Majoribus. 8. de Præbend.* relato, prohibebatur) poteſtas diſpenſandi, talémque Præbendarum permutationem juſtis de cauſis faciendi, conceſſa fuit in ſæpè *cit. c. Quæſitum. de Rerum permutat. & cap. un. eod. in 6. & Clem. un. eod.* ibi: *Ne conceſſione Juris* &c. ac notat Hoſtienſis *in Summa. tit. de Rerum permutat. num.* 3.

90 Quæritur II. Quâ ratione renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis ſit inſtituenda? Reſp. I. Forma, & modus hâc ratione permutandi Beneficia eſt, ut ea Clerici reſignent in manus Ordinarii loci, expreſsè tamē declarando, quòd id faciant causâ permutationis; dumodò tamen priùs acceſſerit conſenſus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præſentandi habent. Quo facto arbitrari debet Ordinarius, num admittenda ſit reſignatio talis, nec ne: & ſi admittendam cenſuerit, nulli alteri, ſed præciſè hiſce Clericis, causâ permutationis reſignantibus, Beneficia illa conferre poterit, ac debebit; adeò, ut collatio alijs facta, non teneat. Patet hoc ex *cit. Clem. un. de Rerum permutat.* per quam, juxta Gloſſam *ibid. ℣. Ne conceſſione,* ponitur jus novum, & æquiſſimum; atque determinatur *c. Inter cætera. 17. de Præbend.* ubi collatio alteri facta, quàm permutanti, cenſebatur valida, quamvìs Papa poſtmodùm ex officio reſtituerit permutantem, prout notat Gloſſa *ibid. ℣. Reſignari.* & Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Permutatione. n. 1.*

91 Dicitur primò, *ea Clerici reſignent in manibus Ordinarij loci:* hoc eſt, illius, qui in tali loco habet juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem, ita ut valeat admittere reſignationem Beneficiorum. Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 15. n.* 175. *&* 176. Et coram tali ſuo Ordinario debent ambo Clerici, permutare volentes, ſua Beneficia reſignare, cum expreſſione, quòd hoc faciant ex cauſa permutationis: altero enim recuſante non fiet permutatio, *cap. un. de Rerum permutat. in 6.* & notat Barboſa *loc. cit. num.* 171. Quinimò ſi permutatio Beneficiorum completa eſt ex una parte, & alter nolit viciſſim ſuam Præbendam reſignare, reſtituitur prior pars ad ſuum Beneficium, *c. Cùm univerſorum. eod.*

Quòd ſi Beneficia, quæ Clerici permutare volunt, ſint diverſarum Diœceſium, requiritur, ut 92
quilibet ſuum Beneficium reſignet in manus proprij Epiſcopi, ac poſtmodùm fiat eorum permutatio authoritate utriusque Ordinarij, vel alter horum alteri committat. Gloſſa *cap. un. ℣. Colationem. h. t. in 6.* Barboſa *cit. lib. 3. Jur. Eccleſ. univ. cap. 15. n.* 174. Garcias *part. 11. cap. 4. num.* 65. *&* 66. ac alij.

Dicitur ſecundò, *dummodò tamen priùs acceſſerit* 93
conſenſus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præſentandi habent. Nam horum intereſt fieri permutationem talium Beneficiorum; ac proinde ad reſignationem ex cauſa permutationis faciendam, eorum quoque conſenſus accedere debet haud obſtante, quòd Epiſcopus totum expedire debeat. Gloſſa *in cap. un. ℣. Collationem. h. t. in 6.* eſtque dictum ſuprà *num.* 61.

Dicitur ulteriùs, *quo facto arbitrari debet Ordina-* 94
rius &c. Siquidem ad reſignationem ex cauſa permutationis requiritur juſta cauſa, quam Epiſcopus, ſive Ordinarius loci anteà diſquirere, & cognoſcere debet, *c. Quæſitum. 5. de Rerum permutat.* Rebuffus *cit. tit. de Permutat. n.* 19. Nicol. Garcias *part. 11. de Beneficijs. cap. 4. n.* 44. poſt Rotam *Deciſ. 4. de Procurat. in antiq. n.* 4. Barboſa *d. lib. 3. Jur. Eccleſ. univ. cap. 15. n.* 172. allegans alios. Siquidem permutationes ſunt odioſæ, ac reſtringendæ, eò quòd militent contra Concilium Turonenſe, relatum *in c. Majoribus. 8. de Præbend.* ac proinde in ipſis concedendis debet intervenire juſta cauſa; prout etiam jam ſuprà *§. 2. num.* 34. *& ſeqq.* inſinuatum fuit, referendo plures cauſas ſufficientes ad reſignationem Beneficij.

Quamvis autem non defuerint, aſſerentes, e- 95
jusmodi cauſam debere eſſe neceſſitatis, vel utilitatis Eccleſiarum, non verò perſonarum; uti voluit Zerola *part. 1. Praxis Epiſcop. ℣. Renunciatio. §. Quintum dubium.* id probans ex *c. Quæſitum eſt. 5. de Rerum permutat.* ac pro ſe citans Boërium *Deciſ.* 205. *n.* 7. & Flamin. Pariſius *lib. 11. de Reſignat. Benefic. quæſt. 5. n.* 23. *&* 24. & Card. Tuſchus *Litt. P. Concl.* 305. *n.* 5. Nihilominus veriſimilius eſt, etiam ſufficere poſſe ſolam expedientiam, ſeu utilitatem perſonarum permutantium, atque hanc cenſeri juſtam cauſam faciendæ permutationis; uti docet Gloſſa *in c. Cùm univerſorum. ℣. Utilitatem.* & Abbas *ibid. n. 7. de Rerum permutat.* Barboſa *cit. cap. 15. num.* 172. & Garcias *d. cap. 4. n.* 46. allegans alios. Idque ſatis probatur ex *cit. c. Cùm univerſorum.* ubi legitur permutatio Beneficiorum facta, eò quòd *utilitati utriusque permutantium imminere crederetur.*

Quòd

96 Quòd ſi verò nulla ſubſit juſtâ cauſâ permutationis Beneficiorum, Epiſcopus nequit eam admittere, nec approbare: idcircò quippe Epiſcopus tenetur diſquirere, & cognoſcere juſtitiâ cauſæ, ut dictum. Factâ autem permutatione Beneficiorum cum cauſa, ſi poſtmodùm hæc deficiat, non ob id poterit annullari permutatio: prout in facti contingentia ſe reſpondiſſe aſſerit Novarius *tit. de Benefic. Reſignat. n. 16.* quem refert, ac ſequitur Barboſa, *ubi ſuprà, n.* 172.

97 Dicitur tandem, *reſignantibus Beneficia illa conferre poterit* &c. Quia poſt admiſſam reſignationem ex cauſa permutationis, debet uterque eorum de novo acquirere collationem alterius Beneficij, cum quo ſuum permutare voluit, *arg. Clem. un. de Rerum permutat.* ibi: *Ipſis permutare volentibus conferantur*: ac notant Barboſa *cit. cap. 15 n.* 183. Garcias *d. part. 11. cap. 4. n. 55. & ſeqq.* & alij, poſt Rotam *in Caſalenſi Beneficiorum.* 10. *Decemb.* 1627. *coram D. Merlino.* Licèt enim nonnulli velint, quòd admiſſio renunciationis Beneficiorum ex cauſa permutationis, contineat in ſe tacitam eorum collationem reciprocam: tamen tutiùs eſt, & conſultiùs, quòd fiat expreſſa renunciatio, & collatio; prout poſt Hoſtienſem *c. Ex ore. De his, quæ fiunt à majori part. Capit.* notat Federicus de Senis *Tractatuum tom.* 15. *tract. de Permutat. Beneficiorum. quæſt.* 27. *n.* 44. aſſerens, ſic ſervare conſuetudinem.

98 Deinde id dicitur ex eo: quia nova collatio Beneficiorum ex cauſa permutationis, fieri debet per eundem Ordinarium, aut Superiorem ipſius, qui reſignationem admittere potuit, & admiſit: non verò per inferiorem, utpote qui permutationem approbare non poteſt, ſicque nec in vim ipſius conferre, *arg. c. Quæſitum. de Rerum. permutat.* ac notat Abbas *ibid. n.* 9. poſt Jo. Andream. & Federicus de Senis *loc. cit. quæſt.* 32. *n.* 56. Rebuffus *. ubi ſuprà, n.* 20. Garcias *cit. part.* 11. *cap. 4. num.* 68. cum alijs.

99 Nec obſtat, quòd cæteroquin collatio talium Beneficiorum ſpectet ad aliquem inferiorem. Non obſtat, inquam: quia adhuc totũ expediet Ordinarius loci, conſentientibus tamen eo, cui alioquin jus conferendi competebat, & alijs intereſſe habentibus. Gloſſa *in Clem. un.* ℣. *Conferantur. de Rerũ permutat.* ac notat Imola *ibid. §. Juxta hoc.* Neq; hinc ullum ſequitur inconveniens: cùm Ordinarius, qui admiſit permutationem, ſolus ac ſimpliciter non conferat, ſed conſentientibus ſimul illis, quorum intereſt. Federicus de Senis *cit. quæſt.* 32.

100 Reſp. II. Ut permutatio Beneficiorum ab Epiſcopo admitti, & approbari poſſit, generatim ſequentia ſeptem requiruntur. I. Ut fiat permutatio Beneficij cum Beneficio, non autem Beneficij cum Penſione. Ita Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 15. *n.* 178. Ratio eſt: quia Epiſcopis in Jure ſolùm eſt permiſſum, ut concedere atque approbare poſſint permutationes Beneficiorum; ergo ſecùs dicendùm de permutatione Beneficij cum Penſione. Hæc enim materia eſt odioſa, ſimúlque generaliter in Beneficijs quælibet pactio eſt prohibita; ac proindè facultas permutandi Beneficia Epiſcopis conceſſa à Jure non eſt extendenda ultrà proprietatem verborum ad permutationem Beneficij cum Penſione, *arg. c. Cui de non.* 27. *de Præbend. in* 6.

II. Ad permutationem Beneficiorum requiritur juſta cauſa per Epiſcopum dijudicanda. III. Conſenſus Patroni, & aliorum, quorum intereſt. IV. Nova collatio Beneficiorum ſic vacantium; prout paulò ſuperiùs jam dictum *num.* 93. *& ſeqq.* V. Ut ejuſmodi permutatio, & collatio fiat purè; hoc eſt, ſine impoſita penſione, vel alio onere: alioquin per Epiſcopum approbari nequit, juxta proximè dicenda *num.* 104. *& ſeqq.* VI. Ut litteræ permutationis ſimul expediantur. Rota *Deciſ. 7. de Conſuetud. in Antiq.* Barboſa *loc. cit. n.* 185. VII. Ut antequàm poſſeſſio accipiatur, publicatio talium permutationum fiat in Eccleſijs permutatis, juxta dicenda inferiùs *§. 6. n.* 134. *& ſeqq.* quamquàm conſuetudine contrariâ quarundam Diœceſium hoc ultimum non ubique obſervetur.

Reſp. III. Licèt Clerici propriâ authoritate nequeant inter ſe Beneficia ſua permutare, neq; permutationem concludere, ut dictum; nihilominùs poſſunt ijdem licitè inter ſe tractare, & convenire de permutatione facienda, ſi erit acceſſura authoritas Superioris, in cujus manibus ea reſignare intendunt. Ita Abbas *in cit. c. Quæſitum. num. ult.* Rebuffus *cit. tit. de Permutatione, n.* 52. Pirhing *tit. de Rerum permutat. n.* 21. & alij. Ratio eſt: quia talis prævius tractatus eſt medium moraliter neceſſarium ad permutationem faciendam, ne alioquin hanc intendens, cæco modo ſuum Beneficium permutare cogatur cum Beneficio alterius, ignorans, an ille ad hoc habeat animum: atqui conceſſo fine, ut putà, permutatione Beneficiorum, cenſentur etiam conceſſa media, ſine quibus finis commodè obtineri nequit, *arg. c. Præterea. 5. de Offic. Deleg.* cũ ſimilibus.

Nec obſtat *c. Cùm univerſorum. 8. de Rerum permutat.* junctâ Gloſſâ, ℣. *Tractare*, aſſerente, quòd non licet poſſeſſoribus Præbendarum de earũ permutationibus tractare. Reſp. enim, ibi non improbari præcisè tractatum de permutando, ſed tractatum completum, ſive permutationem propriâ authoritate ab utraque parte jam concluſam: talem autem non licere, ultrò fatetur Concluſio. Utrùm verò in tali caſu licitum ſit, pro Beneficio minùs pingues redditus habente refuſionem pecuniarum petere, & paciſci; commodiùs dicetur alibi, videlicet *Tit. de Rerum Permutatione*: quamquam de hoc etiam jam egerim in *Theologia Morali*, *Tract.* 11. *Diſtinct.* 2. *quæſt.* 5. *n.* 48. *& ſeqq.*

Poſſet hoc loco ulteriùs quæri, an ſit licitum, reſignare Beneficium Eccleſiaſticum reſervatâ annuâ penſione? Verùm hæc materia commodiùs tractatur, atque præſens quæſtio examinatur, *Lib. 3. Tit. 12. Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur*: ibi quippe de Penſionibus ex profeſſo tractari ſolet.

§. V.

§. V.

De Renunciatione Beneficij in favorem tertij.

SUMMARIUM.

105. *Renunciatio Beneficij in favorem tertij, ſeu cum clauſula* Non aliter, *non continet ſimoniam Juris Divini, ſed poteſt fieri in manus Summi Pontificis.*
106. *Utrùm ipſa facta in manus Epiſcopi contineat ſimoniam Juris Eccleſiaſtici, variant Doctores. Et num. ſeqq.*
Sententia negativa probatur. Ibid.
107. *Simul tamen limitatur.*
108. *Affirmativa ſententia eſt communior, ac pro foro externo retinenda.*
109. *Ejúsque fundamentum.*
110. *Reſignatio Beneficij in favorem tertij, nequit fieri coram Epiſcopo. Et n. ſeqq.*
111. *Beneficia Eccleſiaſtica non ſunt hæreditario jure, vel ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis referente, transferenda.*
112. *Simpliciter reſignando Beneficium licet certam perſonam Epiſcopo recommendare, ut iſtud huic conferat.*
113. *Sed tunc Epiſcopus non eſt aſtrictus huic conferre.*
114. *Quid juris circa hoc poſt Bullam B. Pij V.* Quantæ Eccleſiæ?
115. *An, ubi hæc eſt recepta, Reſignans eâ intentione, ac precibus interpoſitis, ut certæ perſonæ Beneficium conferatur, & Ordinarius huic conferens, committant ſimoniam confidentialem?*
116. *Peccabit mortaliter tum Reſignans, tum Ordinarius dicto modo conferens.*
117. *Conſtitutio Piana non procedit in Beneficijs juris patronatûs.*
118. *Ubi ipſa eſt recepta, nequit Epiſcopus ad Concurſum Parochialis Eccleſiæ admittere ſuos, vel reſignantium Conſanguineos &c.*
119. *Poteſt tamen conferre Beneficium reſignatum uni Familiarium ſui Vicarij Generalis.*
120. *An factâ renunciatione cum clauſula* Non aliter, *poſſit Epiſcopus rejectâ conditione, veluti turpi, Beneficium conferre, cui voluerit? Et n. ſeqq.*
Sententia affirmativa probatur. ibid.
121. *Sententia negativa eſt probabilior.*
122. *Solvuntur rationes prioris ſententiæ.*
123. *Renunciatio reciproca, triangularis, & quadrangularis Beneficiorum, quid?*
124. *Tales renunciationes Beneficiorum nequeunt fieri, niſi in manus Summi Pontificis.*
125. & 126. *Quid conſilij ita renunciare volentibus?*

105 QUæritur I. An illicita, quin & ſimoniaca ſit reſignatio Beneficij in favorem tertij, ſeu cum clauſula *Non aliter*? Reſp. I. Certum eſt, quòd reſignatio hujusmodi non contineat ſimoniam Juris Divini, eò quòd in ea non detur aliquid ſpirituale pro temporali: ac proinde, quòd ipſa poſſit fieri in manus Summi Pontificis, & ſi ab ipſo admittatur, ſit valida, careátque omni labe ſimoniæ. Ita Gloſſa *c. Cùm pridem. ℣. Illicitè. de Pactis.* communiter recepta; idque confirmat Stylus Curiæ, tales reſignationes accedentibus alijs juſtis cauſis non rarò admittentis. Accedit ratio: quia, licèt reſignatio Beneficij in favorem tertij quandam præſeferat ſpeciem ſimoniæ, ſitque de jure prohibita, prout in progreſſu ampliùs dicetur; hæc tamen prohibitio, ſicut & ſimonia, eſt Juris duntaxat Eccleſiaſtici: atqui in Jure Eccleſiaſtico poteſt Papa de plenitudine poteſtatis diſpenſare, *c. Propoſuit. 4. de Conceſſ. Præbend.* ſicque ſuâ authoritate ejusmodi ſimoniam purgare, ac veluti Sol tenebras diſpellere; prout loquitur Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 35. n. 84.*

106 Reſp. II. Utrùm reſignatio Beneficij in favorem tertij, ſeu cum clauſula *Non aliter*, facta in manus Epiſcopi, vel alterius Papâ inferioris, contineat ſimoniam Juris Eccleſiaſtici, variant Doctores. Et quidem ſententiam negativam tenet Covarruvias *lib. 1. Var. Reſol. cap. 5. n. 5.* Leſſius *cit. cap. 35. n. 86.* Pirhing *h. t. n. 89.* citans inſuper Suarez *lib. 4. de Simonia, cap. 35. n. 2.* atque ex profeſſo docet Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſ. univ. cap. 15. n. 54.* ubi reſolvit, prædictam reſignationis formam, attento Juris rigore, non eſſe ſimoniacam, nec transgreſſores tanquam ſimoniacos puniendos, Sacris tamen Canonibus inimicam eſſe. Fundatur iſthæc ſententia in eo: quia in tali reſignatione nulla propriè intervenit pactio, ſed ſolùm fit reſignatio Beneficij ſub conditione, quam ſi Prælatus non acceptat, nihil actum eſt: prout in ſimili renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis ſolet fieri in manus Epiſcopi, atque per eum admiſſa nullam involvit pactionem, neque ſimoniam. Accedit, quòd ſimonia Juris Eccleſiaſtici non inducatur, niſi in caſibus à Jure expreſſis, juxta Gloſſam notabilem in *c. Ex parte. 12. ℣. Dimitti. de Offic. Delegat.* Atqui nulla Conſtitutio Canonica poteſt oſtendi, per quam talis reſignatio in favorem tertij damnatur veluti ſimoniaca, dummodò nulla alia pactio interveniat; ergo.

Additur tamen, *dummodò nulla alia pactio interveniat.* 107
Nam, ubi intervenit alia pactio, quâ vel Epiſcopus antecedenter promittit reſignaturo, ſeſe admiſſurum reſignationem, atque Beneficium illi tertiæ perſonæ collaturum; vel ipſemet Reſignatarius expreſsè, aut tacite ſeſe obligat ad idem Beneficium poſt aliquod tempus denuò reſignandum ipſimet reſignanti, vel conferenti,

ferenti, aut alteri tertiæ perſonæ; prout accidit in ſimonia confidentiali, damnata per Pium IV. in Conſtitutione 85. quæ incipit, *Romanum Pontificem*; eſtque innovata per Conſtitutionem 85. B. Pij V. *Intolerabilis.* Quando, inquam, ejusmodi pactio intervenit, tunc ultrò fatentur hujus ſententiæ Authores, memoratam renunciationem fore ſimoniacam ſimoniâ Juris Eccleſiaſtici; uti videre eſt apud Pirhing *cit. num.* 89. Generaliter enim hujusmodi pactiones illicitæ, atque conventiones oneroſæ circa Beneficia, à Jure Eccleſiaſtico damnantur veluti continentes ſpeciem ſimoniæ: ut *c. Quæſitum.* 5. *de Rerum permutat. & c. Conſtitutus.* 4. *de Transact.* & alibi. Atque hæc opinio taliter declarata, ſeu limitata valde eſt probabilis; poteſtque deſervire pro Foro interno, & ante ſententiam Judicis.

108 Oppoſitam nihilominùs ſententiam, videlicet, quòd memorata renunciatio in favorem tertij contineat ſimoniam Jure Eccleſiaſtico prohibitam, comuniter tenent cæteri Doctores; ut Gloſſa *in c. Dilecto. ℣. Reſignavit. de Præbend.* Felin. *c. Ad audientiam. il.* 2. *n.* 3. *de Reſcript.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Renunciat. conditional. n.* 1. Navarrus *cap.* 23. *Manual. n.* 107. §. *Ad decimum.* Flamin. Pariſius *lib.* 13. *de Reſignat. quæſt.* 3. *n.* 12. aſſerens ita ſcribere omnes ferè Doctores. Nicol. Garcias *part.* 11. *de Beneficijs, cap.* 3. §. 2. *n.* 152. allegans pro hac ſententia Rotam *Deciſ.* 146. *lib.* 2. *& Deciſ.* 921. *lib.* 3. *part.* 3. *Diverſ. & Deciſ.* 265. *n.* 2. *part.* 2. *& Deciſ.* 666. *noviſſ. Farinac.* ipſúmque Stylum Curiæ, unà cum plurimis Authoribus, quos longum eſſet recenſere. Atque ex his liquet, hanc ſententiam pro Foro externo prævalere, & à Judicibus in praxi fore retinendam.

109 Accedit ratio: quia in reſignatione, & collatione Beneficiorum, oportet, ut *omnis abſit pactio, omnis ceſſet conventio*; prout loquitur Bonifacius Papa, relatus *in can. Quàm pio.* 1. *q.* 2. juncto *cap. ult. de Pactis.* Atqui hujusmodi pactio, ſive conventio intervenit, vel ſaltem in Foro externo præſumitur intervenire, dum quis ſuum Beneficium reſignat, ſed non aliter, niſi ut huic tertio à ſe nominato conferatur; ergo. Accedit, quòd collatio Beneficiorum debeat eſſe libera, non ſolùm ab omni pactione, ſed etiam ab omni conditione, vel modo, *arg. c. Ex parte.* 12. junctâ Gloſsâ, ℣. *Omnino. de Offic. Delegat.* Felinus *c. Ad audientiam il.* 2. *n.* 3. *de Reſcript.* Flamin. Pariſius *cit. quæſt.* 3. *n.* 1. Garcias, *ubi ſuprà, n.* 145. & alij copioſè ab his allegati. Inſuper collatio Beneficij regulariter (demptis videlicet caſibus à Jure expreſſis) ita debet eſſe libera, ut dependeat à mera voluntate Collatoris digniorem præficientis, *arg. can. Licèt.* 8. *q.* 1. *& can. Dilectiſſimi.* 8. *q.* 2. cum ſimilibus: atqui non eſt taliter libera collatio Beneficij, ſi fiat in favorem certæ perſonæ cum clauſula *Non aliter*; ergo. Unde ulteriùs

110 Reſp. III. Reſignationes Beneficiorum in favorem tertij, ſeu cum clauſula *Non aliter*, non poſſunt fieri coram Epiſcopo, vel alio Collatore Papâ inferiore, neque ab hoc approbari, ſeu admitti. Ita Rebuffus *loc. cit. n.* 2. iſtud extendens ad Legatum à Latere, niſi ſuper hoc expreſſam à Papa obtinuerit poteſtatem. Leſſius *cit. cap.* 35. *n.* 86. *&* 87. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 15. *n.* 58. Pirhing *h. t. n.* 89. ac, præter Authores pro ſecunda ſententia *n.* 108. allegatos, Engel *h. t. n.* 8. citans communem omniũ doctrinam, & in praxi obſervatam; quamvìs contrarium ſenſerint Covarruvias *lib.* 1. *Var. Reſolut. cap.* 5. *n.* 5. Soto *lib.* 9. *de Juſt. & jur. q.* 7. *art.* 2. & alij pauci per Garciam *cit. par.* 11. *cap.* 3. *n.* 153. in oppoſitam ſententiam allegati. Ratio eſt: quia hujusmodi reſignationes in favorem tertij, ſeu cum clauſula *Non aliter*, vel continent ſimoniam Juris Eccleſiaſtici, ut tenet ſententia *cit. n.* 115. relata, & à Stylo Curiæ recepta, communiorique Doctorum calculo firmata: vel ſaltem aliunde in Jure eſt prohibita; ut *can. Plerique.* 8. *q.* 1. ubi Hilarius Papa in Concilio Romano apertè reprobat renunciationem Beneficij in favorem tertij, ſeu deſignationem Succeſſoris in ipſo, cum ſimilibus. Idipſum ampliùs confirmat Conſtitutio 58. B. Pij V. quæ incipit, *Quanta Eccleſiæ* (ac refertur *Tom.* 2. *Bullarij Romani*) in qua quævis deſignatio futuri Succeſſoris in Beneficio per Reſignantem facta, aut promiſſio de ipſo admittendo inter Reſignantem & Epiſcopum intercedens, graviſſimè prohibetur.

Accedit, quòd Beneficia Eccleſiaſtica jure hæ- 111
reditario, vel ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis referente, non ſint vendicanda, vel transferenda, *can. Apoſtolica.* 8. *q.* 1. *& c. Ad extirpandas ſucceſſiones. de Filijs Presbyt.* juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 7. *de Reformat.* Neque ea ſint conferenda ex affectu humano, vel ad preces aliquorum, ſed ſolùm dignioribus, ſive ijs, qui plùs Eccleſiæ prodeſſe cognoſcuntur, *can. Moyſes.* 8. *q.* 1. *& c. Grave nimis.* 29. *de Præbend.* cum ſimilibus. Atqui hæc omnia corruerent, ſi reſignatione Beneficiorum in favorem certæ perſonæ, ſeu cum clauſula *Non aliter*, coram Epiſcopo, vel alio Papâ inferiore fieri, ſive admitti poſſent; ergo. Minor patet ex eo: tum quia tales reſignationes quandam præſeferunt ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis, adeò Sacris Canonibus odioſæ, dum unus poſt alterum ſucceſſivè poſſe reſignare Beneficium in favorem certæ perſonæ. Tùm quia hâc ratione lata porta aperiretur innumeris abuſibus conferendi Beneficia non ſecundùm dignitatem ac merita perſonarum, ſed ex gratia vel amore, aut ex reſpectu ſanguinis, obſequiorum temporalium, aliorúmve mundanorum motivorum. Meritò proinde renunciationes Beneficiorum in favorẽ tertij corã Prælatis Papâ inferioribus cenſentur prohibitæ, & in praxi neutiquã admittendæ.

Reſp. IV. Si quis tamen ſimpliciter reſignet, & 112
per modum recomẽndationis potiùs, quàm rigoroſæ obligationis, Epiſcopo certam aliquam perſonam nominet, ſpectato Jure Canonico non eſt prohibitum, quin Epiſcopus poſſit perſonæ commendatæ, ſi cæteroquin idonea fuerit, ejúsque qualitas mereatur, Beneficiũ illud conferre. Ita Zoëſius *tit. de Simonia, n.* 72. Covarruvias *li* 1. *Var.*

. *Var. Reſolut. cap. 5. n. 5.* & Engel *n. 8. h.t.* Id-
ue deſumitur ex *c. Cùm univerſorum de Rerum per-
mutat. & c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat.* ubi ſimi-
es reſignationes leguntur, nec tamen ex hoc
apite reprobantur, quamvis ex alijs rationibus
on tenuerint.

13 Notandum verò eſt cum citatis Authoribus,
uòd facta ejuſmodi reſignatione purè, ac ſim-
liciter, in manus Ordinarij, non obſtante, quòd
reces pro aliquo offerantur, nihilominus Epi-
copus non ſit adſtrictus, ut huic conferat Bene-
cium; neque injuriam faciat nominato, ſi alte-
conferat. Cùm enim reſignatio in favorem
ertij ſit Jure prohibita, non poteſt illi nomina-
o jus aliquod ex ea nominatione, ſeu precum
terpoſitione acquiſitum fuiſſe; & conſequen-
er neque injuria per denegatam collationem
rogari. Attamen non peccabit Epiſcopus, ſi
onferat Beneficium nominato, pro quo preces
int oblatæ, dummodò perſonæ qualitas me-
atur; & hoc ſpectato Jure Canonico, ſive an-
quo, quod notanter additur.

14 Fatendum quippe eſt, quòd B. Pius V. in cit.
onſtitutione 58. *Quanta Eccleſiæ*, imprimis §. 4.
vendum Epiſcopis voluerit, ne in reſignatio-
e Beneficiorum *verbo, aut nutu, vel ſigno futuri in
ejusmodi Beneficijs & Officijs Succeſſores, ab ipſis re-
gnantibus, aut alijs eorum ſignificatione, vel hortatu
ſignentur, aut de his aſſumendis, promiſſio inter eos,
el etiam intentio qualiscunque intercedat.* In qua
ulla §. 5. idem Pontifex ulteriùs prohibuit, at-
ue interdixit, *ne Epiſcopi, aut alij Collatores, de Be
ficijs & Officijs reſignandis prædictis, aut ſuis, aut
mittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus
aleant providere*: idque ſub pœna excommuni-
ationis latæ ſententiæ, Summóque Pontifici re-
ervatæ, alijsque graviſſimis pœnis, ibidem jam
romulgatis. Unde manifeſtum eſt, quòd in-
rendo rigori memoratæ Bullæ B. Pij V. data
onclusio ampliùs locum non habeat. Verum-
men hæc prohibitio non habetur inſerta Juri
anonico, de quo loquitur Concluſio: ſimúl-
ue in caſibus particularibus conſiderandum
t, an rigor ejusdem Extravagantis in tali, vel
li loco, fuerit uſu receptus, nam dictam Bul-
m non ubique receptam eſſe, tanquam Ordi-
ariorum facultates multùm reſtringentem,
olt Zypæum *in Annal. Jur. Pontif. tit. de Renunciat.*
1. & Layman *lib. 4. Theolog. Moral. tract. 2. cap.
7. de Beneficijs. n. 6* notat Ludov. Engel *tit. de
lijs Presbyt. n. 3.* & Garcias *de Beneficijs, part. 11.
p. 3. n. 270.* ubi hoc ipſum refert pro Hiſpa-
ia. Verùm occaſione memoratæ Conſtitu-
onis Pianæ,

15 Petes. Utrùm poſt Bullam B. Pij V. proximè
latam, & ubi ipſa eſt recepta, Reſignans eâ in-
entione ac ſpe, precibúsque interpoſitis, ut Be-
eficium certæ perſonæ conferatur, & Ordina-
ius poſtmodùm perſonæ illi conferens, com-
ittat ſimoniam confidentialem, ſicque uterq;
ubjaceat pœnis ſimoniacorum? Reſp. Negati-
è. Siquidem ſimonia confidentialis non in-
urritur ſine pacto expreſſo, vel tacito, modo
aut conditione: atqui, ubi quis ſimpliciter reſi-
gnat, & ſolùm recommendat certam perſo-
nam, nullum horum intervenit; ergò. Garcias
cit. part. 11. de Beneficijs, cap. 3. n. 165. & 166. alle-
gans complures Deciſiones Rotæ. Flam. Pari-
ſius *de Confidentia, quæſt. 26. & 27.* cum alijs.

Peccabit tamen mortaliter tum Reſignans, 116
tum Ordinarius, in loco receptæ Bullæ Pianæ
dicto modo conferens Beneficium perſonæ re-
commendatæ: ageret enim quilibet eorum
contra expreſſam prohibitionem B. Pij V. in ci-
tatâ, & in ſuis partibus receptâ Bullâ, ſub graviſ-
ſimis cenſuris ac pœnis promulgatam, & qui-
dem in materia gravi, qualis eſt Beneficiorum. 117

Solùm adde, quòd dicta Conſtitutio Piana
non procedat in Beneficijs jurispatronatus: in
his quippe de Jure communi debet inſtitui præ-
ſentatus à Patrono, dummodò cæteroquin ſit
idoneus. Atque ita declaravit Gregorius XIII.
cujus declarationem refert Pyrrhus Corradus
*lib. 5. Praxis Beneficiariæ, cap. 1. num. 50. verſ. Eſt ta-
men*, & Garcias *cit. part. 11. cap. 3. n. 268.*

Petes ulteriùs occaſione § 5. citatæ Bullæ B. 118
Pij V. An, ubi ipſa eſt recepta, poſſit Epiſcopus
admittere ad Concurſum Parochialis Eccleſiæ,
in ſuis manibus reſignatæ, ſuos vel reſignan-
tium Conſanguineos, Affines, vel Familiares?
Reſp. Negativè: prout cenſuit Sac. Congregatio
Concilij *Anno 3. B. Pij V. Kalendis Aprilis*; atque ex
ejus ſententia declaravit Gregorius XIII. ac re-
fert Nicol. Garcias *part. 9. de Beneficijs, cap. 2. n.
211.* Qui tamen illicò *num. 112.* ſubjungit,
iſtud non procedere in vacatione per obitum,
vel aliàs: prout fuit reſolutum *in una Civitatis
Caſtelli, Parochialis. 16. Junij 1589. coram D. Ora-
no; & in una Favent. Parochialis. 28. Jun. 1596. co-
ram D. Corduba.*

Nihil tamen impedit, quò minùs Beneficiū in 119
manibus ejus reſignatum, poſſit Epiſcopus con-
ferre alicui ex Familiaribus ſui Vicarij Generalis,
etiamſi comedat cū Familiaribus prædicti Epi-
ſcopi. Pyrrhus Corradus *cit. n. 50. verſ. Ex eodem*,
additâ hâc ratione: quia (inquit) familiaritas
non contrahitur ex ſola commenſalitate; ſed
requiritur, ut adſit animus tam ſuperioris,
quam famuli: prout ex Creſcentio *Deciſ. 15.
aliàs 106. de Præbend.* concludit Maſſobrius *in Pra-
xi habend. Concurſ. Requiſ. 7. dub. 3.*

Quæritur II. An factâ renunciatione Bene- 120
cij in favorem tertij cum clauſula *Non aliter*, poſ-
ſit eandem Epiſcopus acceptare, & rejectâ
conditione tanquam turpi conferre Beneficiū,
cui voluerit? Affirmant multi Doctores, ac
præſertim Covarruvias *loc. cit.* aſſerens, hanc
eſſe communem ſententiam. Rationem dant:
quia clauſula illa de jure habetur pro non adje-
ctâ, cùm reſignatio in ſpiritualibus pure fieri
debeat. Unde ſimiliter conditiones turpes, aut
impoſſibiles in Matrimonio appoſitæ, habentur
pro non adjectis, *cap. ult. de Conditionib. appoſitis.*
Idem ſit in Teſtamentis, ut dicitur *l. Obtinuit. ff.
de Condit. & demonſtrat.* ibi: *Obtinuit impoſſibiles co n-
ditiones teſtamento adſcriptas pro nullis habendas*,
cum

cum concordantijs. His tamen non obſtantibus,

121 Reſp. I. Probabilius eſt, in dicto caſu Epiſcopum non poſſe ejusmodi conditionem reijcere, ipſámque reſignationem ſimpliciter acceptare. Ita Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Reſignatione conditionali*, *n.* 7. *& ſeqq.* citans alios. Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. & jur. cap.* 35. *dubit.* 14. *n.* 86. Zoëſius *tit. de Simonia. n.* 73. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 15. *n.* 46. Garcias *cit. part.* 11. *cap.* 3. *n.* 155. Pirhing *h. t. n.* 78. & alij plures. Ratio eſt: quia actus ſub conditione celebratus, conditione non impletâ, nullum operatur effectum, *arg. §. Ex conditionali ſtipulatione. Inſtit. de Verbor. obligat. & L. un. §. Sin autem. C. de Caducis tollend.* Suſpenditur enim ejus valor uſque ad eventum conditionis, *l. Is cui. ff. de Actionib. & obligat. & l. Legata. ſub conditione. ff. de Condit. & demonſtrat.* Ergo in propoſito, ſi conditio reijciatur, nulla cenſetur facta renunciatio; eò præſertim, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. Non omnis. ff. de Rebus creditis.* Barboſa *Axiomat.* 12. *n.* 7. Accedit, quòd nullo Jure probetur, in tali caſu conditionem haberi pro non adjectâ: quinimò conditiones de jure, vel facto impoſſibiles, in alijs contractibus (excepto Matrimonio, & Teſtamentis) non vitiantur, nec habentur pro non adjectis, ſed potiùs vitiant contractum; uti liquet ex *l. Non ſolùm. ff. de Actionib. & obligat.*

122 Nec obſtant rationes oppoſitæ ſententiæ, & *n.* 120. allatæ. Ad primam enim negatur Aſſumptum: quia licèt de Jure reſignatio Beneficij debeat eſſe pura; hinc tamen non ſequitur, quòd ſi aliqua conditio apponatur, ea habeatur pro non adjecta; ſed ſolùm, quòd talis reſignatio per Papâ inferiorem non poſſit admitti, neque acceptari. Ad allegata Jura reſpondetur, ibi ſermonem eſſe vel de Matrimonio, vel de Teſtamentis, ubi propter ſingularem favorem ultimarum voluntatum, & matrimonij, conditiones turpes, aut impoſſibiles, habentur pro non adjectis: ſecùs eſt in alijs contractibus, vel actibus, ut eſt reſignatio Beneficij conditionalis; prout ampliùs *Tit. de Conditionibus appoſitis*, dici ſolet.

123 Quæritur III. An licita ſit Renunciatio Beneficiorum Eccleſiaſticorum reciproca, triangularis, & quadrangularis? Ubi ſciendum, quòd per *Renunciationem reciprocam* impræſentiarum non intelligatur ea, per quam duo Beneficiarij causâ permutationis viciſſim, ac reciprocè, reſignant ſua Beneficia in manus Superioris (hanc enim eſſe licitã, patet ex hactenus dictis) ſed per *Reſignationem reciprocam* hîc intelligitur ea, quando plures conveniunt, ut ipſi reciprocent reſignationem Beneficiorum in ſuos: puta, ſi ego reſigno Beneficium meum in favorem tui nepotis, ut tu viciſſim reſignes tuum Beneficium in favorem mei nepotis; prout explicat Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. & jur. cap.* 35. *n.* 87. atque ampliùs liquet ex Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *de Reformat. cap.* 15. ubi reprobat reciprocas reſignationes, quæ à parentibus Clericis in favorem filiorum fiunt, ut alter alterius Beneficium conſequatur. Cæterùm *Reſignatio triangularis*, *vel quadrangularis* dicitur illa, qua tres, vel quatuor ſimul reſignant ſua Beneficia, ea conditione, ſive pacto, ut primus reſignet ſuum Beneficium ſecundo, & ſecundus ſuum tertio, & tertius ſuum quarto, & quartus ſuum primo. His prænotatis,

Reſp. I. Quandoquidem tales renunciationes fiant in favorem tertij, ſeu cũ clauſula *Non aliter;* 4
ſimúlq; involvant pactionem quandam præviam, quæ circa ſpiritualia, vel cõnexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ, *cit. c. Quæſitum.* 5. *de Rerum permutat.* Hinc ejusmodi renunciationes Beneficiorum reciprocæ, triangulares, & quadrangulares, non poſſunt fieri, niſi in manibus Summi Pontificis. Ita Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 15. *de Reformat.* reprobans dictas reſignationes reciprocas. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 15. *n.* 120. *& num.* 165. Leſſius *cit. c.* 35. *n.* 87. *&* 88. Angelus *℣. Permutatio. n.* 4. Navarrus *cap.* 23. *Manual. n.* 10. *& Conſil.* 43. *de Simonia.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. Gloſſ.* 14. *n.* 58. Carolus Antonellus *de Regimine Eccleſiæ Epiſcopalis. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 8. Sannig *h. t. cap.* 5. *n.* 5. & alij. Huc faciunt dicta ſuperiùs *n.* 108. *& ſeqq.*

Reſp. II. Licèt talis permutatio reciproca in 5
favorem tertij, ſeu triangularis, præviâ pactione non poſſit fieri coram Ordinario Papâ inferiore; poterunt tamen ita reſignare volentes inter ſe priùs tractare, & poſtmodùm ſimpliciter reſignando recommendare ſuum tractatum Superiori, ejúsque diſpoſitioni ipſum ſubijcere. Ita deſumitur ex *c. Super eo.* 7. *de Transactionib.* ac tenet Angelus *loc. cit. n.* 4. & favent dicta paulò ſuperiùs *num.* 102. *&* 112.

Inſuper poterunt illi, qui triangularem reſig- 6
nationem inſtituere cogitant, per geminatam permutationem coram Ordinario factam, ſuum intentum obtinere: puta, ſi ego ex cauſa permutationis reſignem meum Beneficium cum Beneficio Pauli, atque hoc facto dictum Beneficium rurſus permutem cum Beneficio Andreæ: ſic enim ſecundus acquirit Beneficium primi, ſive meum, & tertius Beneficium ſecundi, & ego veluti primus Beneficium tertij. Leſſius *loc. cit. num.* 88.

§. VI.

§. VI.

De Publicatione Reſignationis, hujúsque effectibus; ubi & de diviſione fructuum inter Reſignantem & Reſignatarium.

SUMMARIUM.

127. & 128. *Publicatio reſignationum, juxta Conſtitutiones Apoſtolicas eſt facienda; & cur?*
129. *Alioquin invalida eſt proviſio de Beneficijs reſignatis.*
130. *Quorumvis Beneficiorum renunciationes ſunt publicandæ.*
131. *Et quibus in locis?*
132. *Quâ formâ?*
133. *Et quo tempore, loquendo de renunciatione facta in manibus Summi Pontificis.*
134. *Quid dicendum de publicatione renunciationis, quæ fit in manibus inferiorum Collatorum?*
135. *Bulla Gregorij XIII.* Humano vix judicio, *non videtur ubique recepta.*
136. *Effectus renunciationis Beneficij, qui? Et num. ſeqq. Per eam vacat Beneficium. Ibid.*
137. *Et reſignans in eo amittit omne jus. Habeturq; pro mortuo. Ibid.*
138. *Renunciatio admiſſa excludit à Beneficio Reſignantem, etiam pœnitentem.*
139. *Alij ejus effectus enumerantur.*
140. *Hoſce effectus ſolùm inducit renunciatio valida. Et num. ſeqq.*
141. *Invalida non abdicat jus reſpectu Beneficij.*
142. *Puta, ſi fiat in manibus non valentis eam recipere, aut Laici. Et num. ſeq.*
143. *An talis reſignatio teneat in præjudicium reſignantis, & qualiter?*
144. *Nec per renunciationem ſimoniacam jus abdicatur.*
145. *Tamen ſimoniacè reſignans, poteſt privari Beneficio.*
146. *Renunciatio Beneficij ex cauſa permutationis, quando abdicet jus?*
147. *Et quid dicendum de alijs renunciationibus conditionatis? Conditio eſt ſervanda in forma ſpecificata. Ibid.*
148. *Ut renunciatio Beneficij operetur ſuos effectus, debet ejus admiſſio eſſe intimata reſignanti.*
149. *Atque acceptata à Reſignatario, ſi eſt facta in favorem tertij.*
150. *Clericus reſignans lucratur omnes fructus Beneficij ante reſignationem perfectam maturatos &c.*
151. *Limitatur iſtud in fructibus Menſæ Capitularis adhuc indiviſis annorum præcedentium: hi enim debentur Canonicis, qui nunc ſunt tempore diviſionis; non autem ijs, qui fuerant illis annis.*
152. *Poſt reſignationem jam perfectam, nequit reſignans percipere fructus Beneficij.*
153. *Et, ſi ſecùs, attentaverit, tenetur ad reſtitutionem. Et num. præc.*
154. *Cui talis reſtitutio ſit facienda?*
155. *Fructus pendentes Beneficij, an pro rata temporis ſint dividendi inter Reſignantem & Reſignatarium? Et num. ſeqq. Affirmativa quorundam ſententia refertur. Ibid.*
156. *Spectato Jure communi, fructus illi non ſunt dividendi, ſed debentur Eccleſiæ, aut ſucceſſori.*
157. *In praxi oportet attendere ad ſpecialem locorum conſuetudinem.*
158. *Solvuntur contraria.*
159. *Ad evitandas lites poteſt inter Reſignantem, & Reſignatarium, anteà fieri liquidatio certæ portionis fructuum.*
160. *Neque tale pactum cenſetur ſimoniacum; & cur?*
161. *Fructuum nomine, qui intelligantur?*
162. *Corrollarium de pretio ſeminis, atque impenſarum, per ſucceſſorem ſolvendo.*
163. *Hactenus dicta etiam poſſunt intelligi de diviſione fructuum inter hæredes Defuncti, & inter Succeſſorem in Beneficio.*

127. QUæritur I. An, & qualiter publicandæ ſint Renunciationes Beneficiorum? Reſp. I. Attentis Conſtitutionibus Apoſtolicis certum eſt, faciendam eſſe publicationem Reſignationum circa Eccleſiaſtica Beneficia peractarum, & quidem ſub formâ in eiſdem expreſsâ: adeò, quòd alioquin proviſio de ipſis facta exiſtat invalida, nulliúsque roboris ac momenti. Patet hoc ex Conſtitutione B. Pij V. quæ incipit, *Sanctiſſimus*, & refertur per Flamin. Pariſium *lib. 11. de Reſignatione Beneficior. in Præfatione, n. 3.* Quæ quidem Conſtitutio emanavit ad evitandas nonnullorum fraudes, & gravia inconvenientia, quæ ex occultis Beneficiorum Eccleſiaſticorum reſignationibus, & ceſſionibus, in dies oriebantur: dum quidam occultè reſignantes, poſt reſignationem, non ſolùm fructus ex Beneficijs jam reſignatis provenientes indebitè percipiebant; ſed etiam (quod pejus eſt) tanquam veri Prælati, vel Beneficiati, Sacramenta miniſtrabant, in maximum animarum periculum, & ſcandalum plurimorum. Ut taceantur alia gravia incomoda, quæ Sanctiſſimus Pontifex in citata Conſtitutione ſua uberiùs deplorat.

Con-

128 Concordat Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Humano vix judicio*, ac refertur tum à Pariſio *loc. cit. num. 5.* tum *in Tomo 2. Bullarij Romani, Conſtitut. 85.* dicti Pontificis. Et quia iſthæc Bulla Gregoriana, utpote poſterior, ſimul & rigidior, §. 9. expreſsè abrogat Conſtitutiones tum dicti B. Pij V. tum aliorum Romanorum Pontificum, de publicandis reſignationibus emanatas: hinc impoſterùm de ſola Bulla Gregorij XIII. erit ſermo.

129 Altera igitur pars Concluſionis, ſeu quòd non factâ publicatione reſignationis juxta formam præſcriptam, invalida exiſtat proviſio de Beneficijs reſignatis; patet ex citata Bulla Gregoriana, ∬ 5. Ibi quippe Pontifex annullat omnes diſpoſitiones, & gratias Beneficiorum reſignatorum, non ſervatâ formâ ibidem præſcriptâ factas: adeò, ut nulla diſpoſitio, *nulláque alia gratia ſuper hujuſmodi Beneficio, ſive jure ceſſo, ijs, quibus conceſſa fuerit, ſuffragetur; ſed ipſi tales inhabiles, & incapaces ſint ad hujuſmodi Beneficia ſic reſignata, & ceſſa, quandocunque obtinenda, illáque ſive jura ab ipſa ſtatim prima reſignatione, ſeu ceſſione, etiamſi illæ aliàs nullæ, & invalidæ eſſent, vacaviſſe & vacare cenſeantur eo ipſo: nec reſignantibus, ſeu cedentibus, ſi poſteà in ſua poſſeſſione remaneant, Conſtitutiones de annali, & triennali poſſeſſore --- nec omnino aliud jus, vel beneficium ullo tempore ſuffragetur, ſed ipſa Beneficia, ſive jura, ſic à principio vacantia, à Sede Apoſtolicâ prædictâ duntaxat impetrari valeant, ac concedi.* Hactenus Pontifex.

130 Reſp II. Quorumvis Beneficiorum renunciationes, juxta citatam Bullam Gregorianam, ſunt publicandæ, ſive deinilla ſint ſimplicia, ſive curata, ſive electiva, aut juriſpatronatûs, Ita Bulla Gregorij XIII. proximè citata, ∬. 1. ibi: *Statuimus, ut poſthàc omnes, & quæcunque reſignationes, etiam causâ permutationis, ac Commendarum, & etiam litteris Apoſtolicis non confectis, & poſſeſſione non habitâ, nec non litis, & jurium quorumcunque ceſſiones, ac retroceſſiones, quæ deinceps de quibuscunque Beneficijs Eccleſiaſticis in noſtris, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis manibus, ac etiam coram Notario publico & teſtibus fient --- publicari debeant cum Litteris Apoſtolicis deſuper confectis intra ſex menſes, ſi Beneficium intra montes fuerit, ultra verò intra novem à data conceſſionis gratiæ, non autem à die præſtiti ſuper ea conſenſûs numerandos.* Hæc ibi. Quod ipſum poſteà §. 7. extenditur ad Beneficia, quæ in manibus Ordinariorum Collatorum reſignari, etiam ex cauſa permutationis, contigerit; prout amplius *num.* 141. dicetur. Nec immeritò: nam eadem ratio fraudis urget in quocunque Beneficio; unde idem jus ſtatuendum eſt, *l. Illud quæſitum. ff. Ad Legem Aquiliam.* Flam. Pariſius *cit. lib. 11. de Reſignat. Beneficior. quæſt. 3. n. 1.* Garcias *part.* 11. *de Beneficijs. cap. 3. num.* 273. *& ſeqq.* Pirhing *h. t. num.* 104.

131 Reſp. III. Forma publicandi renunciationes Beneficiorum, quæ in memorata Bulla Gregoriana præſcribitur, conſiſtit in ſequentibus. Primò, quòd ipſa publicatio in Cathedrali, & in Beneficij Eccleſia, vel Eccleſijs, ſi in pluribus illud ſit, fiat ubique, dum frequens populus ad Miſſarum ſolemnia convenerit. Quòd ſi Eccleſia eſt ruralis, præter publicationem in Cathedrali fiat eadem in Parochiali, intra cujus limites conſiſtit; & ſi locus bello, peſte, aliiſve manifeſtis periculis ſubjacet, in proxima Parochiali pariter coram frequenti populo inter Miſſarum ſolemnia.

13 Secundò, dicta publicatio debet fieri palàm omnibus Litteras Apoſtolicas, earúmve Transſumptum authenticum exhibendo, claráque & intelligibili voce pronunciando reſignationē, ſeu ceſſionem hujuſmodi, ac Beneficij qualitatem, & invocationem; nomináque & cognomina reſignantis, ſeu cedentis, ac illius, in cujus favorem gratia hujuſmodi facta eſt. Ita ſæpè dicta Bulla Gregoriana §. 2. Garcias, *ubi ſuprà, n.* 174. & alij.

13 Tertiò, hujuſmodi reſignatio Beneficij in manibus Summi Pontificis facta, & admiſſa, publicari debet, ut ſuprà, intra ſex menſes, ſi Beneficium citra montes fuerit: ſi verò ultra montes extiterit, intra novem menſes à Data conceſſionis gratiæ, non autem à die præſtiti ſuper ea conſensûs numerandos. Textus eſt in citata Bullâ Gregòriana §. 1. ſuprà *num.* 130. jam allegatus. Et hoc procedit in reſignationibus, quæ fiunt in manibus Summi Pontificis.

1 Cæterùm loquendo de reſignationibus Beneficiorum, quæ fiunt in manibus inferiorum Collatorum, providè ſtatuit Gregorius XIII. in cit. Bulla, *Humano vix judicio, §. 7. & 8.* quòd ſi Beneficia in manibus Ordinariorum Collatorum, etiam Cardinalium, ac etiam ex cauſa permutationis, reſignari contigerit: *ipſi intra menſem negotium univerſum admiſſionis, vel rejectionis reſignationis hujuſmodi, & (ſi per eos facienda erit) proviſionis reſignati Beneficij juxta Apoſtolicas, & alias Canonicas Sanctiones, omnino abſolvant. Et qui ſic proviſus fuerit, intra tres menſes à die ſibi factæ proviſionis illam publicet, & poſſeſſionem Beneficij capiat, modo, & formâ ſuprà dictis; alioquin illis elapſis nulla ſit ejus proviſio, & Beneficium vacare cenſeatur eo ipſo: Ordinarijque, & alij prædicti, qui hæc, uti eis præſcribuntur, non perfecerint, eo caſu poteſtate diſponendi de ipſis Beneficijs ſint eâ vice privati, eorumque diſpoſitio eò ipſo ad Sedem Apoſtolicam devoluta exiſtat, aut alijs idoneis ab ipſa Sede duntaxat, modo & formâ prædictis concedantur.* Ita loquitur ſæpè dicta Bulla Gregoriana, quam per ſingulas partes fuſiùs explicat Flamin. Pariſius *cit. lib. 11. per totum.*

1 Verùm, quòd memorata Conſtitutio Gregoriana, quoad reſignationes, & permutationes Beneficiorum coram Ordinarijs factas, non videatur uſu recepta in pluribus locis, in quibus ea nunquam fuit publicata; notat Garcias *cit. part. 11. de Beneficijs. cap.* 3. *n.* 289. præſertim iſtud atteſtans de ſuo Epiſcopatu Abulenſi. Idipſum pro noſtris partibus affirmat Pirhing *h. t. n.* 109. quamvis Flamin. Pariſius *loc. cit. q. 9. n. 7.* aſſerat, eandem ubique eſſe uſu receptam.

Quæritur II. Qui ſint effectus Renunciatio-
3 nis Beneficiorum, & quando ab ea inducantur? Reſp. I. Præcipuus, ac primarius Renunciationis effectus eſt, quòd ea legitimè factâ, & per Superiorem admiſsâ, Beneficium reſignatum vacare cenſeatur. Ita Flamin. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Beneficiorum, quæſt. 5. num. 9.* poſt Bellameram *de Permutat. Benefic. part. 11. q. 3. n. 12.* & communem aliorum. Idque patet ex *c. Suſceptum. 6. de Reſcript. in 6.* ubi, quòd per renunciationem inducatur vacatio Beneficij, non minùs, ac per mortem, ſæpiùs repetitur; ut ibi: *Cùm non per renunciationem, ſed per mortem vacaverit.* Et infrà: *Cùm Beneficium ceſſione, non morte vacaverit.*

Alter, & ex priori conſequens Renunciatio-
3 nis effectus eſt, quòd Reſignans poſt eam ritè perfectam amittat titulum, omnéque jus in Beneficio, unà cum poſſeſſione civili, ac naturali ipſius. Nam liberè reſignando Beneficium, hisce omnibus renunciâſſe convincitur, & cenſetur illud habere pro derelicto. Flamin. Pariſius *cit. lib. 1. quæſt. 5. n. 1. & 15. & 36.* cum communi. Quinimò Clericus quoad Beneficium reſignatum habetur pro mortuo, *can. In apibus. §. Ecce in quibus. 7. q. 1.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Defuncto.* Pariſius *cit. quæſt. 5. n. 4.* allegans plures alios.

Tertius renunciationis jam admiſſæ effectus
3 eſt, quòd à Beneficio excludat reſignantem, etiam pœnitentem, *c. Ex transmiſſa. 3. h. t.* & ibi Barboſa *n. 1. & 3.* citans alios. Zoëſius *h. t. n. 8.* & Sannig *eod. cap. 6. n. 3.* junctis dictis ſuprà *§. 2. n. 38. & ſeqq.* Adeò, ut renuncians, etiam invitus, compelli poſſit ad dimittendam Beneficij poſſeſſionem. *c. Quidam, 12. h. t.* Zoëſius, & Sannig, *ubi ſuprà.* Flam. Pariſius *lib. 3. quæſt. 18 n. 48.* cum communi. Quod tamen intellige, re non integrâ, ſeu poſtquàm renunciatio à Superiore fuit admiſſa, conformiter dictis ſupra *§. 2. n. 38. & ſeqq.*

Ulterior, atque ex prioribus promanans Re-
13 nunciationis effectus eſt, quòd eâ perfectâ non ampliùs poſſit Clericus percipere fructus Beneficiales; &, ſi ſecùs fecerit, teneatur ad reſtitutionem perceptorum, prout *n. 159. & ſeqq.* dicetur. Item, quòd Reſignans non poſſit ulteriùs præeſſe Beneficio, peragendo officia ejus, & exercendo curam animarum, ac hujusmodi. Item, quòd non ampliùs abſque novo titulo, neque propriâ authoritate poſſit regredi ad Beneficium reſignatum. Hæc enim, & alia hujusmodi, clarè ſequuntur ex Renunciatione, utpote tollente omne jus præhabitum in Beneficio reſignato.

Reſp. II. Hosce tamen effectus ſolummodò
14 inducit Renunciatio Beneficij valida: ſecùs, quando eſt invalida juxta Reg. 52. Juris in 6. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Nam paria ſunt, non eſſe; & nullum eſſe, *arg. l. Duo ſunt Titij. ff. de Teſtamentar. tutel. & c. Illud. 8. de Jurepatronat.*

Hinc reſignatio, quomodocunque ſit nulla
1 ſeu invalida, jus reſpectu Beneficij non abdicat à Reſignante. Flamin. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Benefic. quæſt. 3. n. 95. & ſeqq.* aſſerens, hanc eſſe communem opinionem, atque ita pluries fuiſſe deciſum in Rota. Dummodò (limitat hoc ipſum Pariſius *ibid. n. 118.*) Reſignans ſcienter non reſignet nulliter: nam tunc abdicat jus, prout fuit ſententiatum in Rota *in Romana Canonicatûs. 17. Novemb. 1567. coram D. Seraphino.*

Hoc ipſum ampliùs declaratur exemplis. Sic 142
loquendo de reſignatione ſimpliciter, ac purè factâ, non abdicatur jus, quando ea fit in manibus non habentis facultatem recipiendi renunciationem Beneficij. Guido Papæ *Conſil. 172. n. 1.* Flamin. Pariſius *loc. cit. n. 97.*

Atque hoc intellige cum Gloſſâ *in c. Quod in* 143
dubijs. ℣. in manum laicam. h. t. & Abbate. *ibid. n. 3. & 8.* & alijs, quòd ejusmodi renunciatio facta non in manu Superioris, non teneat, neque jus abdicet in præjudicium Eccleſiæ, vel Superioris: quia adhuc, ſi velit, poteſt liberè revocare Reſignantem, *cap. 1. & c. Admonet. 4. h. t.* cum concordantijs. Tenet tamen ejusmodi reſignatio in præjudicium Reſignantis: ſaltem in eo ſenſu, quòd ipſe in pœnam delicti poſſit Beneficio privari; puta, ſi iſtud reſignavit in manus Laici, *cit. c. Quòd in dubijs. h. t.* vel quòd Superior poſſit reſignationem hujusmodi ratam habere. Abbas *loc. cit. & c. Quod Dei timorem. n. 4. de Statu Monach.* Garcias *part. 11. de Benefic. cap. 3. n. 226.* poſt Rotam *Deciſ. 1. de Renunciat. in antiq.* & alios. Niſi forſan Reſignans re integrâ pœniteat, & ante admiſſionem Superioris mutatâ voluntate, factam temerè reſignationem revocet: hoc enim re integrâ fieri poteſt. Rota *cit. Deciſ. 1. & Deciſ. 3. n. 2. in antiq.* Garcias *d. cap. 3. n. 227.* allegans alios.

Similiter non abdicatur jus Beneficij per re- 144
ſignationem ſimoniacam. Talis enim ipſo jure non valet, *Extravag. Cùm deteſtabile. de Simon. inter Communes*: adeò, ut nec teneat in præjudicium reſignantis, ac proin per eam non abdicetur jus ab illo; prout ex profeſſo tradit Nicol. Garcias *part. 10. de Beneficijs, cap. 3. n. 214.* citans Rotam *Deciſ. 7. de Renunciat. in antiq. aliàs 236.* cum alijs pluribus. Idipſum docet Rebuffus *in Praxi Benefic tit. De modis amittendi Beneficia.* Gloſſa *in c. Super hoc. ℣. Pecunia,* & Barboſa *ibid. n. 12. de Renunciat.* Flamin. Pariſius *lib. 9. de Reſignat. Benefic. quæſt. 9. n. 4.* Navarrus *cap. 23. Manual. n. 105. & Conſil. 36. n. 2. de Simonia,* & plures alij; nonnullis tamen diſſentientibus, quos citat Garcias, *ubi ſuprà, n. 213.*

Ultrò tamen omnes Doctores, præſertim 145
proximè allegati, fatentur, quòd, licet ita ſimoniacè reſignans Beneficium, iſtud ipſo jure non perdat, nihilominùs in pœnam tanti criminis poſſit eodem per Judicem privari. Atque etiã, quòd is non poſſit repetere Beneficium à Reſignatario, vel alio poſſeſſore ipſius, allegando, renunciationem fuiſſe ſimoniacam, & ſic per eam non fuiſſe jus à ſe abdicatum: ſiquidem, etiam ſeclusâ privatione per Judicem factâ, allegans propriam turpitudinem non auditur. Garcias *loc. cit. n. 218.* Rebuffus *in Praxi Beneficiar. tit. De ſimonia in reſignat. n. 2.* allegans alios.

Lo-

146 Loquendo inſuper de Reſignatione conditionali, declaratur data Concluſio exemplis. Sic quippe per renunciationem ex cauſa permutationis factam, non abdicatur jus in Beneficio, donec ſequatur permutatio ex parte alterius, & fiat utrinque collatio: anteà enim nondum eſt valida, nec completa permutatio, *c. Cùm univerſorum. 8. de Rerum permutat. & Clem. un. eod.* Pirhing *h. t. n. 120.*

147 Inſuper, quando facta eſt reſignatio Beneficij in favorem tertij, ea non valet, neque abdicat jus à Reſignante, ſi hoc alicui alteri, quàm in cujus favorem reſignatum fuit, conferatur. Flamin. Pariſius *lib. 3. de Renunciat. Benefic. quæſt. 3.* poſt Rotam *in una Bononienſ. Transactionis bonorum, coram Card. Aldobrandino 1579.* & communem opinionem Doctorum. Idémque accidit in alijs renunciationibus conditionatis, ut puta, factis cum reſervatione fructuum, vel penſionis: nam, ſi non fuerit reſervatio adimpleta, reſignatio eſt nulla, ſicque reſignans retinet ſuum Beneficium. Siquidem perinde eſt, ac ſi reſignatio facta non fuiſſet, ſi conditio non adimpleatur: conditio enim ſuſpendit actum; eſtque ejus naturæ, ut ſit ſervanda etiam in forma ſpecificata, *l. Mævius. & l. Qui hæredi. §. 1. ff. de Conditionib. & demonſtrat.* Flam. Pariſius *cit. quæſt 3. n. 8. & ſeqq.* poſt Rotam *Deciſ. 4. de Rerum permutat. in antiq.* & communem Doctorum.

148 Reſp. III. Ulteriùs, ut renunciatio Beneficij inducat memoratos effectus, requiritur non ſolùm, quòd fuerit admiſſa à legitimo Superiore (anteà enim non valet, *c. Admonet. 4. h. t.* cum ſimilibus) ſed etiam, quòd ejus admiſſio fuerit intimata reſignanti, ſi abſens eſt, puta, quia per litteras reſignavit. Ita Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Simonia in Beneficio. n. 40. & 41.* Et meritò: nam anteà reſignans ignorat, utrùm ſua reſignatio fuerit admiſſa à Superiore: neque tenetur credere cuilibet narranti, donec Bulla admiſſionis eidem præſentetur; quia admiſſio Superioris debet ipſi eſſe nota ut reſignanti, ſeu legitimè, *arg. l. Hæc autem. §. Non defendi. ff. Quibus ex cauſis in poſſeſſ. eatur.*

149 Quinimò, ſi reſignatio eſt conditionalis, ſeu facta in favorem tertij, inſuper requiritur, quòd Reſignans ſciat, Reſignatarium acceptâſſe factã in ſui favore reſignationẽ, ipſásque Litteras deſuper eſſe executioni mandatas, & Beneficium Reſignatario acquiſitum: & ideò, donec omnia hæc ipſi Reſignanti fuerint intimata, poterit is recipere fructus, & alia facere in Beneficio tanquam verus Prælatus, Paſtor ſeu Beneficiarius. Ratio eſt: quia adhuc penes ipſum reſignantem remanet jus & poſſeſſio Beneficij in pendenti, donec conditiones purificentur, eáſque purificatas cognoverit. Rebuffus *loc. cit. n. 41.* poſt Philippum Francum *in c. Ut noſtrum. ℣. Hoc tamen. de Appellat.* Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 15. n. 75.* allegans Rotam coram Gregorio XV. *Deciſ. 259. n. 6.* Nicol. Garcias *part. 2. de Beneficijs, cap. 1. n. 141. & part. 6. cap. 2. num. 126.*

Quæritur III. Utrùm Clericus Beneficium reſignans, poſſit percipere fructus ejus? Reſp. I. Reſignans Beneficium lucratur omnes fructus ejus, tum naturales, ac induſtriales à ſolo ſeparatos, tum etiam civiles ante reſignationem undequaque perfectam maturatos; hiq; omnes ad ipſum ſpectant. Ita Jo. Carolus Antonellus *in tract. De Regimine Eccleſiæ Epiſcopalis, cap. 10. n. 1. & 2.* allegans Ludov. Peruſinum *Deciſ. 33.* & Rotam apud Pacificum *de Salv. interd. Deciſ. 225.* Ratio eſt: quia Beneficiarius reſignans retinet adhuc jus in Beneficio, tenetúrque ad omnia ejus officia, oneráque præſtanda, donec reſignatio ſua per Superiorem admiſſa fuerit; &, ſi ſit conditionalis, aut in favorem tertij, ea etiam à Reſignatario acceptata, ſeu conditio purificata exiſtat, ſibíque de his omnibus debita fiat informatio, ut proximè dictum; ergo etiam tamdiu Clericus reſignans lucratur fructus. Tum, quia propter officium datur Beneficium, *cap. ult. de Reſcript. in 6.* Tum, quia *ſecundùm Apoſtolum, qui Altari ſervit, vivere debet de Altari: & qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede, c. Cùm ſecundùm. 16. de Præbend. & 1. Corinth. 9.* 1

Limitatur tamen præſens Concluſio in fructibus Menſæ Capitularis adhuc indiviſis. Etenim fructus annorum præcedentium, qui primùm hoc anno dividuntur inter Canonicos, debentur ſolùm Canonicis, qui nunc ſunt tempore diviſionis eorum; non autem ijs, qui fuerant illis annis: ac proinde, ſi quis horum renunciâſſet Canonicatui, non huic, ſed ejus Succeſſori deberetur portio illorum fructuum. Felinus *c. Eam te. n. 13. §. Aliud ſinguli. de Reſcript.* poſt Calderinum *Conſil. 21. de Præbend.* Nicol. Garcias *part. 3. de Beneficijs, cap. 2. n. 429.* citans inſuper Mandoſam *in Regul. 34. Cancellar. quæſt. 5. n. 3.* & alios. Ratio eſt: quia fructus annorum præcedentium, cùm non fuerint tunc diviſi, nec diſtributi Canonicis, debebantur ſolùm Capitulo ut Capitulo, quod ſemper eſt idem, *l. Proponebatur. ff. de judicijs*: non autem Canonicis ut ſingulis; nam aliud ſunt ſinguli, aliud Capitulum: ac proin, quando poſteà fructus illi dividuntur, debentur Canonicis novis, tanquam actualibus membris Capituli. 1

Reſp. II. Poſt reſignationem à Superiore admiſſam, atque ut ſuprà perfectam, Clericus reſignans nequit ulteriùs percipere fructus Beneficij reſignati: &, ſi ſecùs attentaverit, tenetur ad reſtitutionem perceptorum. Ita Rota *Deciſ. 1. tit. de Renunciat. in novis.* Nicol. Garcias *part. 2. de Beneficijs, cap. 1. n. 126.* Flamin. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Benefic. quæſt. 6. n. 1. & ſeqq.* allegans communem omnium. Ratio eſt clara: quia per renunciationem undequaque perfectam amittit reſignans titulum, omnéque jus in Beneficio, utpote cui toti ſponte renunciavit: quin & quoad Beneficium reſignatum habetur pro mortuo, *can. In apibus. ℣. Ecce in quibus. 7. q. 1.* eſtque paulò ſuperiùs jam dictum. 52

Atq: ex his illicò ſequitur altera pars Concluſionis. Quia, cùm Clericus ille nullum ampliùs habeat 53

habeat jus in Beneficio, reciperet fructus ejus abſque ullo jure, ſicque eos non faceret ſuos; ac proinde remanet obligatio eos reſtituendi, tum ratione rei alienæ acceptæ (nam *omnes ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere*, ut loquitur Imperator *l. Cùm quærebatur. C. Unde vi.*) tum etiam ratione injuſtæ acceptionis.
154 Et quidem ejusmodi reſtitutio eſt facienda, vel in utilitatem Eccleſiæ vacantis fructus illos impendendo, vel aſſervando atque reddendo illos Succeſſori in Beneficio: niſi de ſpeciali privilegio, vel conſuetudine jam præſcriptâ legitimè, fructus Beneficij vacantis ad aliũ pertinere dignoſcantur, *c. Præſenti. 9. de Offic. Ordinar. in 6. & c. Cùm vos. 4. de Offic. Ordinar.* Verùm pro majori præſentis materiæ claritate ulteriùs, ac ſpecialim,
155 Quæritur IV. Utrùm fructus pendentes Beneficij pro rata temporis ſint dividendi inter Reſignantem & Reſignatarium? Affirmat indiſtincte Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 15. n. 12.* eúmq; ſequitur Nicol. Garcias *part. 2. de Beneficijs, cap. 1. n. 69. & ſeqq.* citans plures alios. Flam. Pariſius *lib. 1. de Reſignat. Benefic. cap. 6. n. 79. &* 80. ac noviſſimè Card. de Luca *Diſcurſ. 100. de Beneficijs. num. 12. &* 13. qui duo poſteriores tamen ſolummodò hoc concedunt in Beneficijs curatis, vel perſonalem reſidentiam requirentibus; non item in Beneficijs ſimplicibus. Rationem dant: quia talis diviſio fructuum pro rata temporis videtur ex naturali æquitate deberi Clericis illis, præſertim Curatis, propter ſpirituale miniſterium, quod exhibuerunt ſuis Eccleſijs in earum regimine, animarum curâ, & alijs officijs Divinis, *arg. c. Cùm ſecundùm. 16. de Præbend.* junctâ *l. Divortio. ff. Soluto matrimonio*: ubi pariter facto divortio fructus dotis, ob onera matrimonialia, pro rata temporis dividuntur inter virum & uxorem. Verùm his non obſtantibus,
156 Reſp. I. Fructus factâ jam reſignatione adhuc pendentes, ſpectato Jure communi, non pertinent ad Reſignantem, neque cum eo pro rata temporis ſunt dividendi; ſed debent in utilitatem Eccleſiæ expendi, aut futuro Succeſſori aſſervari. Ita deſumitur *ex c. Cùm vos. 4. de Offic. Ordinar. & c. Præſenti. eod. in 6.* & tenet Gloſſa *ibid. ℣. Reſervari.* Petrus Barboſa *in l. Divortio. num. 56. ff. Soluto matrimonio*, citans Rotam *Deciſ. un. de Tranſlat. Epiſcop. in antiq.* Bartolum, Paulum Caſtrenſ. & Calderinum *Conſil. 2. de Peculio Cleric.* qui aſſerit, ſecundùm Juris communis traditiones iſtud eſſe indubitatum. Navarrus *Conſil. 7. num. 7. de Succeſſionib. ab inteſtat.* hanc appellans communem opinionem; eámque pariter appellat communem Rota *in cauſa Pharenſ. Penſionis. 19. Junij.* 1573. quam citat, totámque refert Garcias *d. part. 2. cap. 1. n. 95. & 109.* allegans alios; Accedit ratio: quia *fructus pendentes, pars fundi eſſe videntur*, ut loquitur textus *in l. Fructus pendentes. ff. de Rei vendicat.* Unde, donec fuerint collecti, ſeu à ſolo ſeparati, unà cum fundo ſpectant ad Eccleſiam, vel ad Succeſſorem in Beneficio ipſos colligentem, *l. Si uſufructuarius. ff. Quibus modis uſusfruct. amittat. & §. Is verò. Inſtit. de Rerum diviſ.* eſtque ampliùs dictum ſuprà *Tit. 7. De Tranſlatione Epiſcopi. §. 2. n. 56. & ſeqq.*

Additur notanter, *ſpectato Jure communi.* Nam in praxi attendendam eſſe ſpecialem conſuetudinem locorum, rectè notat Garcias *loc. cit. n. 98. & ſeqq.* Unde & Card. de Luca *cit. Diſcurſ. 100. de Beneficijs. n. 13. & 14.* notanter inquit, priorem ſuam ſententiam de facto non eſſe ubique receptam, ut praxis docet, præſertim in Eccleſijs Cathedralibus, ac Metropolitanis. 157

Nec obſtant rationes oppoſitæ ſententiæ, *ac num.* 155. allatæ. Nam miniſterio Eccleſiaſtico ſufficienter correſpondent fructus pro honeſta Clerici ſuſtentatione, jam percepti juxta *cit. c. Cùm ſecundùm. de Præbend.* ubi in ordine ad miniſterium Eccleſiaſticum, attenditur ſola honeſta ſuſtentatio Beneficiarij, illis verbis: *Cùm ſecundùm Apoſtolum, qui Altari ſervit, de Altari vivere debeat.* Et quamvis Beneficiarius in vita comparetur Uſufructuario, juxta Gloſſam *c. Præſenti. ℣. Reſervari. de Offic. Ordinar. in 6.* æquiparatio tamen Beneficiarij & Mariti, ex nullo jure convincitur; imò per allegatam Deciſionem Rotæ *in cauſa Pharenſ. Penſionis.* 1573. ex profeſſo reijcitur, prout apud Garciam *cit. num.* 109. ampliùs videre licet. 158

Reſp. II. Nihilominùs ad evitandas diſcordias, quæ vel ob ipſam opinionum allatarum diverſitatem frequenter oriri ſolent in diviſione fructuum inter Reſignantem & Reſignatarium, poterit antecedenter inter ipſos fieri liquidatio in aliqua certa ſumma eorum: ut puta, quòd Reſignans ſolummodò percipiat fructus uſque ad diem præſtiti conſenſûs à Superiore, ſibique intimati, vel quamdiu de conſenſu Superioris Eccleſiæ deſervierit, aut hujusmodi. Ita Flamin. Pariſius *de Confidentijs Beneficialib. quæſt. 27. n. 128. & 129.* Jo. Carolus Antonellus *lib. 3. de Regimine Eccleſiæ Epiſcopalis, cap. 10. num. 20. & 21.* 159

Neque enim tale pactum cenſetur ſimoniacum: quia ſimonia non inducitur ex pacto Juri conformi, & continente id, quod de jure ineſt, *c. Significaſti. 4. de Electiõn. junctâ Gloſſâ ℣. Conditione. & DD. ibid.* Flamin. Pariſius *cit. quæſt. 27. n. 131.* citans alios. Atqui de jure ineſt, quòd fructus reſignationem antecedentes, vel quamdiu quis ſervit Eccleſiæ, ſpectent ad Reſignantem, & non ad Reſignatarium; ergo de his, atque certa eorum ſumma paciſci, ſimoniacum non cenſetur. Idémque dicendum de fructibus pendentibus, aut certa portione eorum, utpote etiamnũ inter Doctores controverſis: haud obſtante, quòd de certis, ac indubitatis, paciſci non poſſit abſque labe ſimoniæ confidentialis, juxta Conſtitutionem Pij IV. *Romanum Pontificem*, de qua ſuperiùs §. 4. *n. 107.* jam dictum. 160

Pro complemento tandem præſentis materiæ notandum eſt cum Gloſſa *in c. Gravis. 11. ℣. Fructus. de Reſtitut. ſpoliat.* & communi Doctorum, quòd *Fructus* ſolùm computentur deductis neceſſarijs impenſis: nam fructuum appellatione 161

in jure intelliguntur illi, *qui ſuperſunt deductis impenſis, quæ quærendorum, colligendorum, conſervandorúmque eorum grattâ fiunt*, ut loquitur textus *in l. Si à domino. 39. §. fin. ff. de Petition. hæredit.*

362 Unde quando Beneficiarius reſignat, vel etiam moritur, poſtquàm agros ſui Beneficij jam aravit, ocavit, conſevit, licèt fructus naſcituri ſolo cedant, ſicque Succeſſori debeantur: tamen pretium ſeminis, atque impenſarum factarum, à Succeſſore repeti poſſunt, ac ſolvi debent. *§. Qua ratione. Inſtit. de Rerum diviſ. & l. Sumptus. ff. de Rei vendicat. & l. Fructus eos. ff. Soluto matrim.* Navarrus *Conſil. 3. num. 3. de Donation.* & alij.

Et notanter additur, *vel etiam moritur.* Nam, quæ hactenus dicta ſunt de diviſione fructuum Beneficialium inter Reſignantem & Reſignatarium; eadem (ſervatâ tamen proportione) intelligi poſſunt de diviſione fructuum Beneficialium inter hæredes Beneficiarij defuncti (ubi hi Beneficiario defuncto ex conſuetudine, aut privilegio Pontificio, ſuccedere ſolent vi teſtamenti, aut ab inteſtato) & inter Eccleſiam, vel Succeſſorem in Beneficio. Quantùm enim ad amiſſionem tituli, & juris in Beneficio, mors naturalis, & civilis Beneficiarij, meritò æquiparantur; quidquid ſit de nonnullis alijs, ut dictum ſuprà *num. 137. & Tit. 7. de Translatione Epiſcopi, §. 2. num. 59. & 60.*

***

TITULUS X.

De ſupplenda Negligentia Prælatorum.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*

1. Viſo de Renunciatione, per quam Eccleſiæ, ſeu Prælaturæ, aliaque Beneficia penitus dimittuntur, cùm etiam ipſis retentis nonnunquam contingat, res earum negligenter agi, *can. Ante omnia. diſt. 40.* meritò ſubjungitur præſens Rubrica, ut hinc conſtare valeat, per quos, & qualiter Prælatorũ negligentia ſuppleri, & quod interdum omittitur, inſtaurari oporteat. Et quia eadem quæſtio de negligentia Inferiorum ſupplenda moveri poteſt, placuit totã materiã in certos Paragraphos ſubdividere.

§. I.

De Negligentia Prælatorum in genere, ac Epiſcopi in ſpecie.

SUMMARIUM.

2. *Negligentia ut ſic, & Negligentia Prælatorum, quid?*
3. *Prælatorum quorumcunq; negligentia eſt ſupplenda.*
4. *Ac ordinariè per immediatum Superiorem. Et n. 42.*
5. *Fallit hoc in certis caſibus. Et num. 43.*
6. *Negligentia Prælatorum generatim contingit quoad ſpectantia ad eorum juriſdictionem contentioſam, aut voluntariam.*
7. *Juriſdictio contentioſa, & voluntaria, quæ?*
8. *Negligentia Prælatorum, quibus modis deprehendatur?*
9. *An univerſaliter poteſtas Epiſcopi propter ejus negligentiam devolvatur ad Archiepiſcopum? Et num. ſeqq.*
Referuntur authoritates, & rationes pro ſententia affirmativa. Ibid.
10. *Sententia negativa eſt probabilior. Et num. ſeqq.*
11. *Archiepiſcopus exercet juriſdictionem in Epiſcopum Suffraganeum, non autem in ſubditos ejus.*
12. *Poteſtas Epiſcopi non devolvitur ad Archiepiſcopum, niſi in caſibus à Jure expreſſis.*
13. *Solvuntur rationes in oppoſitum. Et num. ſeqq.*
14. & 15. *Quid agendum in caſu negligentiæ Epiſcopi?*
16. *Lex de ſupplenda negligentia Prælatorum, ſpectat ad materiam prohibitoriam.*

2. Quæritur I. Quid ſit negligentia Prælatorum, quibusq; modis generatim contingat, & deprehendatur? Reſp. I. *Negligentia Prælatorum* eſt omiſſio illius, quod de jure, vel conſuetudine, Prælatus facere tenetur ratione officij, quod gerit. Ita in re communis; ac deſumitur ex *can Negligere. 2. q. 3.* Accedit, quòd negligentia generatim loquendo aliud non ſit, quàm omiſſio ejus, quod fieri poteſt, ac debet; ut inquit Hoſtienſis

tienſis *in Summa n. 1. h. t.* Nam ea, quæ fieri non ›oſſunt, ſive ob impotentiam phyſicam, ſive juia ſunt contra bonos mores, non dicuntur ıeglecta, ſi omittantur: quia impoſſibiliũ nulla :ſt obligatio, *l. Impoſſibilium. ff. de Reg. Jur. & c. Nemo. eod. in 6.* Simúlque non dicitur negligentia, ıiſi ubi eſt mora faciendi id, quod quis facere teıetur, *c. Quia diverſitatem. 5. de Conceſſ. Præbend.* um ſimilibus.

Porrò *Prælatorum* nomine in præſenti Titulo ntelliguntur quælibet perſonæ Eccleſiaſticæ, 'el Collegia, quæ ſuperioratu, aut jurisdictione ccleſiaſtica prædita ſunt. Nam quorumcunq; ʼrælatorum negligentia ſupplenda eſt, ne Eccleſiæ, vel ſubditi earum damnificentur temporaliter, vel ſpiritualiter, *cap. 2. & cap. ult. h. t.* sicq; oteſtas exequendi, quod negligenter omittiır, transfertur ad alium.

Et quidem translatio iſta poteſtatis ſupplendi egligentiam Prælatorum, ordinarie fit ad proimum Superiorem, *c. Quamquàm. 18. de Election. ı 6.* ac proinde ea, quæ per negligentiam Prætorum omittuntur, regulariter per immediaım Superiorem ſupplenda ſunt; prout rurſus *um. 41. & ſeqq.* dicetur.

Fallit tamen hoc in certis caſibus, ſpecialiter ı Jure expreſſis. Sic quippe interdum neglientia Prælatorum ſuppletur tantùm per Superiorem mediatum, puta per Papam; ut in caſu *t. c. Quamquàm.* Et quandoque etiam per infeiores, ubi videlicet Jus ipſum hoc exprimit; ut *Nulla. §. fin. de Conceſſion. Præbend.* ubi Capitulum ıre devolutionis ſupplet negligentiam ab Epiopo commiſſam in conferendis debito temore Beneficijs vacantibus. Imò nonnunquàm ı confuſionem negligentium, ipſo jure ſuppleır Prælatorum negligentia; ut eſt caſus *in cap. 1. . t.* ubi, ſi Epiſcopus, tertiò humiliter requiſiıs, renuerit benedicere Abbatem Ciſtercienım (idem eſt de alijs Abbatibus, qui ab Epiſcois benedici conſueverunt; Gloſſa *in c. Cùm contngat. ℣. Abbati. de Ætate & qualitat. præficiend.* Barboſa *in cit. cap. 1. n. 4. h. t.* Pirhing *eod. n. 26.*) ip› jure conceditur dictis Abbatibus poteſtas roprios Monachos benedicendi, & alia ad ipſorum officiũ ſpectantia exercendi, donec Epiopi ſuam duritiam recognoſcentes, ipſos beedicere non recuſent. Tacentur nunc alia xempla hujus fallentiæ, *num. 43.* adducenda.

6 Reſp. II. Negligentia Prælatorum, de qua aitur in præſenti Titulo, generatim contingit uobus modis: nempe vel in ijs, quæ pertinent d eorum jurisdictionem contentioſam, vel uæ ſpectant ad jurisdictionem voluntariã ipſorum. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſtat. Epiſc. llegat. 126. n. 4.* Et meritò: nam jurisdictio Prætorum ut ſic, in hæc duo membra aptè dividitur; ut patet ex *L. 2. ff. de Offic. Proconſul.* ibi: *Habent jurisdictionem, non contentioſam, ſed voluntariam.* Cæterùm

7 *Jurisdictio contentioſa* paſſim à Doctoribus poſt Gloſſam *in cit. L. 2. ℣. Contentioſam*, dicitur ea, uæ redditur in invitos: ut puta, eos in jus vocando, puniendo, ac hujusmodi. *Jurisdictio voluntaria* appellatur, quæ exercetur in volentes tantùm: ut in Civilibus eſt manumiſſio, & adoptio, juxta *cit. L. 2. ff. de Offic. Proconſul.* In Eccleſiaſticis verò ad jurisdictionem voluntariam ſpectant ordinatio, conſecratio, benedictio, Beneficiorũ proviſio, abſolutio, diſpenſatio, Authoritatis ſeu Decreti interpoſitio, & his ſimilia. Barboſa *cit. allegat. 126. n. 4.* & alij; atque ampliùs infrà *Tit. 29. De Officio & poteſtate Judicis Delegat. §. 1. n. 8. & 9.* dicetur.

Reſp. III. Negligentia Prælatorum varijs modis deprehenditur. Aliquando ex lapſu tempo- 8
ris: *ut c. Licèt magiſter. 3. h. t. & c. Nulla. 2. de Conceſſ. Præbend.* Quandoque poſt trinam monitionem præcedentem: *ut in cap. 1. h. t.* Interdum etiam ipſo facto: prout fit in caſu denegatæ juſtitiæ, *Auth. Ut differentes judices. §. Si tamen contigerit. & Auth. Statuimus. C. de Epiſc. & Cleric.*

Quæritur II. An univerſaliter poteſtas, & ju- 9
risdictio Epiſcopi, propter ejus negligentiam devolvatur ad Archiepiſcopum? Celebris eſt hæc quæſtio, & admodùm inter Doctores controverſa. Et quidem Gloſſa *in c. Paſtoralis. ℣. Exceptis. de Offic. Ordinar. & cap. 1. ℣. Culpis. h. t. in 6.* indiſtincte loquitur, quòd quando Epiſcopus negligens eſt in eo, quod facere debet, ſuppleat Archiepiſcopus vicem ejus, *arg. can. Cùm ſimus. 9. q. 3. & c. Per tuas. de Sentent. excomm. & c. Qua fronte. de Appellat.* Eandem ſententiam tenet Hoſtienſis *in Summa. tit. de Offic. Ordinar. n. 7. §. Deſes Præſul.* Aucharanus *cap. 1. num. 1. h. t. in 6.* & Quaranta *in Summa Bullarij. ℣. Archiepiſcopus. n. 21.* citans alios, & inde concludens, quòd ſi negligens in officio ſuo, ut puta, quia legitimè admonitus non ordinat, non abſolvit, nõ condemnat, quos debet, aut eorum cauſas non cognoſcit; tunc Archiepiſcopus eo invito vices ſupplere poſſit ac jurisdictionem in ejus Diœceſi exercere, v. g. ordinando, abſolvendo, condemnando &c. Cui ſententiæ inter alios noviſſimè acceſſit Ludov. Engel *h. t. n. 6.* eò quòd Rubrica hujus Tituli ſit generalis; ſimulque mens ejus ſit, univerſim utilitati Eccleſiarum & ſubditorum proſpicere, ne ex negligentia Epiſcopi damnum accipiant. His tamen non obſtantibus;

Reſp. I. Probabilius eſt, quòd propter negli- 10
gentiam Epiſcopi poteſtas, & jurisdictio ipſius, non devolvatur ad Archiepiſcopum, niſi duntaxat in caſibus à Jure expreſſis. Ita Abbas Panormit. *c. Si quis contra. n. 40. & 41. de Foro compet. & c. Paſtoralis. n. 10. de Offic. Ordinar.* poſt Jo. Andream *in c. Nullus. de Jure patronat.* & Archidiacon. *cap. 1. h. t. in 6.* ac noviſſimè ſequuntur Barboſa *in cap. 1. n. 9. h. t. in 6.* & Layman *ibid. n. 2.* Pirhing *h. t. n. 11.* Sannig, *eod. cap. 2. n. 10.* & alij plures. Ratio eſt: quia in materia prohibitoria, ſeu communiter prohibita, quod non reperitur expreſsè conceſſum, intelligitur eſſe denegatum. *Clem. Exivi. §. Porrò cùm. de Verb. ſignif.* ac notat Gloſſa *c. Inter corporalia. ℣. Non invenitur. de Translat. Epiſc.* Sed hìc verſamur in materiâ prohibitoriâ, ſeu communiter prohibitâ; ergò.

11 Minor probatur: quia, licèt Archiepiſcopus poſſit exercere jurisdictionem in Epiſcopum Suffraganeum ſuum, ſibique ſubjectum, hanc tamen ſecundùm Canones prohibetur exercere in ſubditos ſui Suffraganei; prout liquet ex *can. Nullus Primas. & can. Conqueſtus. 9. q. 3. & c. Paſtoralis. 11. §. 1. de Offic. Ordinar.* cum ſimilibus. Et meritò: quia alioquin Eccleſiaſticus Ordo confunderetur, ſi ſua unicuique Epiſcopo jurisdictio non ſervaretur, *can. Pervenit ad nos. 11. q. 1.* & conſequenter nequit Archiepiſcopus exercere jurisdictionem in Subditos Epiſcopi, hujúsq; negligentiam ſupplere, niſi in caſibus à Jure expreſſis.

12 Confirmatur. Quia ipſummet Jus commune talem devolutionem jurisdictionis Epiſcopalis ad Metropolitanum, concedit ſolummodò in caſibus à Jure expreſſis; ergo ipſa in cæteris caſibus non eſt aſſerenda. Antecedens probatur *ex cap. 1. h. t. in 6.* ubi Pontifex ideò negat, jurisdictionem Epiſcopi excommunicati ad Metropolitanum devolvi, *Cùm id non inveniatur à Jure conceſſum*: & conſequenter dicta poteſtas Epiſcopi nunquam devolvitur ad Archiepiſcopum, niſi in caſibus à Jure conceſſis; alioquin ratio per Papam allata nihil probaret, quod abſit dicere. Concordat *c. Quamquam. 18. de Electtion. in 6.* ubi talis extenſio ad alium caſum in Jure non expreſſum apertè reprobatur, illis verbis: *Quamquàm in caſu negligentiæ - - eligendi poteſtas ad Superiorem proximum devolvatur: hoc tamen non eſt ad alium caſum extendendum.* Accedit *c. Duo ſimul. de Offic. Ordinar.* ibi: *Cùm ſit in Canonibus diffinitum, Primates, vel Patriarchas nibil juris præ cæteris habere, niſi quantùm ſacri Canones concedunt, vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo.* Ex quibus textibus abundè liquet, quòd dicta pœna devolutionis jurisdictionis Epiſcopalis ad Metropolitanum, non ſit aſſerenda, niſi in caſibus à Jure expreſſis.

13 Nec urgent Jura per Gloſſam *num. 8.* in contrarium allegata. Nam illa procedunt in caſibus particularibus, ac ſpecialiter à Jure conceſſis, de quibus infrà *num. 17. & ſeq.* jam dicetur: nullibi autem reperitur expreſſum, quòd Archiepiſcopus generaliter in quibusvis caſibus ſuppleat negligentiam Epiſcopi.

14 Inſuper non urget, quòd Rubrica hujus Tituli ſit generalis; ac proinde ob negligentiam Epiſcopi videatur generaliter data Archiepiſcopo facultas ſupplendi negligentiam ejus. Reſp. enim neg. conſequent. Sufficit enim, ſi tunc Capitulum Cathedrale ſuppleat negligentiam Epiſcopi in caſibus ſibi à Jure conceſſis; ut puta, in collatione Beneficiorum, & hujusmodi. Vel, ſi Epiſcopus in ſuo officio ſit admodùm negligens, & culpabilis, neque in Jure reperiatur, jurisdictionem Epiſcopi tunc devolvi ad Capitulum: neceſſe eſt, ut Capitulum recurrat ad Superiorem, nempe Metropolitanum, vel Papam, ejusque jurisdictionem imploret, per quam Epiſcopus ad officium ſuum præſtandum compellatur. Pirhing *h. t. n. 12.* poſt Layman *de Electtion. Prælat. q. 104.*

15 Quinimò licèt in prima inſtantia nequeat adiri Archiepiſcopus per viam ſimplicis querelæ, ut (extra caſus ſibi ſpecialiter à Jure conceſſos) ſuppleat negligentiam Epiſcopi: poteſt tamen is adiri per viam appellationis, quando ſubditus Epiſcopi graviter ex tali ejus negligentia ſeſe læſum conſpexerit: nam remedium appellationis generaliter omnibus conceſſum eſt, ad reparandum gravamen à Judice injuſtè illatum, *L. 1. ff. de Appellat.* cum ſimilibus. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 126. n. 14.* Inſuper poterit tunc adiri Metropolitanus, non quidem, ut ſuppleat negligentiam Epiſcopi extra caſus ſibi à Jure conceſſos; ſed ut compellat Epiſcopum, injuſtè negligentem, ad ritè præſtandum officium ſuum: quia enim Epiſcopus eidem eſt Metropolitanâ lege ſubjectus, *c. Paſtoralis. 11. §. 1. de Offic. Ordinar.* nihil mirum, quòd Metropolitanus ipſum injuſtè negligentem compellere poſſit. Abbas *in cit. c. Paſtoralis. n. 2.* Barboſa *loc. cit. n. 35.* cum communi.

16 Neq; ulteriùs urget, ſi dicatur, quòd *Lex de ſupplenda negligentia Prælatorum* per Superiores, utpote publicam utilitatem Eccleſiarum reſpiciens, ſit favorabilis; ac proinde, ob paritatem rationis, extendenda ad alios conſimiles caſus, quamvis non habeantur expreſſi in Jure. Reſp. enim, neg. ſequel. Quia non obſtante favore Eccleſiarum, dicta Lex ſpectare dignoſcitur ad materiam prohibitoriam, per textus *n. 10. & 11.* allegatos: in materia verò prohibitoria, ſeu *ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quòd expreſſè non conceditur, intelligitur denegatum*, prout loquitur textus *Clem. Exivi. ℣. Porrò. de Verb. ſignific.*

§. II.

De Caſibus illis, in quibus per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi, & quid de hujus impotentia?

SUMMARIUM.

17. *Plures ſunt caſus, in quibus, Jure ſic diſponente, per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi.*

18. *I. Quando Epiſcopus negligit conſtituere Oeconomos Eccleſiarum.*

19. *II. Aut non vult abſolvere excommunicatum, cùm deberet,*

20. *Vel indebitè denegat diſpenſationem.*

11. *III. Si Epiſcopus notoria crimina ſuorum Diœceſanorum emendare negligit.*
12. *IV. Aut fuit negligens circa collationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum.*
Quando Epiſcopus, aut Capitulum Cathedrale, negligit intra debitum tempus conferre Beneficia, ad quem devolvatur poteſtas ea conferendi. Ibid.
13. *Non valet collatio Beneficij facta poſt debitum tempus.*
14. *Etiamſi primo die poſt illud fiat.*
15. *Niſi de patientia toleretur: & cur non valeat?*
16. *V. Archiepiſcopus inſtituit promotos in Eccleſijs Parochialibus, ſi eos Epiſcopus debito tempore non inſtituerit.*
17. *VI. Epiſcopo negligente in executione ultimæ voluntatis ad pias cauſas, ſuccedit Archiepiſcopus.*
18. *VII. Idem procedit in juriſdictione contentioſa.*
29. *Archiepiſcopus ſupplet negligentiam Epiſcopi in cauſa denegatæ juſtitiæ.*
30. *Quæ ad hoc requirantur?*
31. *Et an ſufficiat, quòd ſemel denegata ſit juſtitia?*
32. *Quid juris in cauſa Protractæ juſtitiæ?*
33. *Limitantur præmiſſa.*
34. *Negligentia Epiſcopi exempti ſuppletur ſolùm per Papam.*
35. *Archiepiſcopus non ſupplet impotentiam Epiſcopi.*
36. *Exemplificatur hoc in Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo,*
37. *Capto ab Infidelibus,*
38. *Et lapſo in amentiam, vel alio diuturno impedimento detento.*
39. *An interim ad Capitulum pertineat adminiſtratio Epiſcopatûs? Et n. 36. & 37.*

QUæritur I. Quinam ſint caſus illi, in quibus Jure ſic diſponente per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi, hujusque poteſtas ob ſuam negligentiam devolvitur ad Archiepiſcopum? Reſp. Plures ſunt ejuſmodi caſus; prout videre eſt apud Barboſam *part. 1. de Offic. & poteſt. Epiſcop. tit. n. 19. cum ſeqq.* & alios: ut Quaranta *in Summa Bullarij. V. Archiepſcopi authoritas,* referat quadraginta caſus Jure expreſſos, in quibus Archiepiſcopi ſunt Judices competentes in cauſis Subditorum ſuorum Suffraganeorum. Horum præcipui, præſertim ob negligentiam Epiſcopi procedentes (nam de cæteris commodiùs alibi, nempe in *Tit* 30. *De Officio Judicis Ordinarij, §. 2. n. 43. & ſeqq.* dicetur) breviter huc apponuntur.

18 I. Caſus habetur *in can. Cùm ſimus. 9. q.* 3. ubi Metropolitanus conſtituit Oeconomos, ſi ipſos Epiſcopus in ſingulis Eccleſijs conſtituere neglexerit. Idque ob neceſſitatem Eccleſiarum ſpecialiter ſic fuit ſtatutum.

19 II. Quando Epiſcopus non vult abſolvere excommunicatum, cùm deberet, poteſt ipſum debitâ cautione receptâ abſolvere Metropolitanus; prout habetur. *c. Per tuas.* 40. *de Sent. excomm.* Concordat *c. Qua fronte. 25. de Appellat. & c. Ad reprimendam. 8. de Offic. Ordinar.* Idque meritò fuit conſtitutum, ne quis ob negligentiam Epiſcopi, in excommunicatione decedat.

20 Hoc ipſum Barboſa *cit. tit.* 4. *n.* 24. cum alijs, extendit ad diſpenſationem, aſſerens, quòd Epiſcopo denegante diſpenſationem, quando eſt debita ratione perſonæ, ætatis, loci, temporis, pietatis, neceſſitatis, aut utilitatis Eccleſiæ, poſſit Archiepiſcopus diſpenſare.

21 III. Si notoria crimina ſuorum Diœceſanorum Epiſcopus emendare neglexerit, eadem Archiepiſcopus liberè corrigit, ac punit; prout habetur *cap.* 1. §. *Sanè. de Cenſibus. in 6.*

22 IV. Archiepiſcopus ſupplet negligentiam Suffraganei Epiſcopi circa collationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum. Nam ſi collatio Beneficij jure proprio pertinet ad Epiſcopum, tunc quidem eo negligente conferre intra tempus debitum, devolvitur poteſtas conferendi ad Capitulum Cathedrale: ac viciſſim, ſi collatio jure proprio ſpectabat ad Capitulum, & iſtud conferre neglexit, dicta poteſtas devolvitur ad Epiſcopum, per textum expreſſum *in c. Nulla. 2. de Conceſſ. Præbend.* Ubi ita ſtatutum reperitur, ob magnam communionem, quæ inter Epiſcopum & Capitulum, tanquam caput & membra ejuſdem Corporis myſtici, intercedit, ut meritò unius defectus per alterum ſuppleatur: niſi forſan ambo neglexerint, ſicque dicta poteſtas ad immediatum Superiorem, nempe Archiepiſcopum, devolvatur, ut ibidem ſubjungitur; aut, ſi Epiſcopus ſit exemptus, ad Summum Pontificem. Quòd ſi autem collatio Beneficij non pertineat ad Epiſcopum jure proprio, ſed ex jure ſpeciali, v. g. ex delegatione, privilegio, aut devolutione ob negligentiam inferioris Collatoris: tunc Epiſcopo negligente, jus conferendi non ad Capitulum, ſed immediatè ad Archiepiſcopum devolvitur: quia quoad hujusmodi Beneficia ceſſat dicta communio inter Epiſcopum & Capitulum. Abbas Panormit. *in d. c. Nulla. n. 6. de Conceſſ. Præbend.* Garcias *part.* 10. *de Beneficijs. cap. 3. n.* 34. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 126. *n.* 78. & alij, quos citant.

Quòd ſi petas, an in tali caſu valeat collatio 23
Beneficij, quæ fit ſtatim poſt elapſum tempus, puta poſt trimeſtre, vel ſemeſtre à Jure præſcriptum? Reſp. negativè, niſi de patientia toleretur. Textus eſt *in c. Licèt. 4. & c. Litteras. 5. & cap. ult. h. t.* ac tradit Gloſſa magna *in c. Nulla. 2. de Conceſſ. Præbend.* Ratio eſt: quia poſt lapſum temporis à Jure præfixi, Collatores jam ſunt privati poteſtate conferendi, & hæc ipſo jure devoluta eſt ad Superiorem; ergo, ſi poſteà conferant, collatio eſt invalida: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de jure donare, *c. Quòd autem. 5. de Jurepatronat. in fine.*

Et hoc adeò verum eſt, ut non valeat colla- 24
tio, etiamſi primo die poſt ſex v. g. menſes facta ſit. Rebuffus *in Praxi Benefic. Tit. de Devolutionibus. n. 27.* Quamvis enim in nonnullis caſibus mora purgari valeat, ut *cap. ult. de Locato,* ibi; *Niſi celeri ſatisfactione,* cum ſimilibus: fallit tamen hoc, neque admittitur moræ purgatio, ubi

ubi eſt facta executio à jure, ut hîc. Abbas *in c. Licèt. n. 5. h. t.* id probans ex *l. Si inſulam. ff. de Verbor. obligat.* Sive, ut alij loquuntur, mora purgari non poteſt, quando dies & pœna à lege, vel homine apponitur, *l. Ad diem. 77. ff. de Verb. obligat.* ubi ex curſu diei appoſitæ ſtatim pœna committitur. Ergo, cùm in propoſito tempus trimeſtre, vel ſemeſtre, à die notitiæ vacationis Eccleſiæ computandum, à Jure contra negligentes Collatores præfigatur, eo elapſo non admittitur purgatio moræ, ſed ſubintrat Reg. 25. Juris in 6. *Mora ſua cuilibet eſt nociva.*

25 Additur notanter num. 23. *Niſi de patientia toleretur.* Nam, ſi collatio Beneficij poſt lapſum dicti temporis per Inferiorem facta, toleretur per Superiorem, ad quem jus conferendi devolutum eſt, tunc electus, vel inſtitutus, tutus eſt in conſcientia illud retinendo, *arg. d. c. Litteras. h. t.* ac notant ibidem Layman *notab. 1.* & DD. paſſim. Ratio eſt: tum quia multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ non debent tolerari, ſed caſſari, *c. Cùm jam dudum. 18. de Præbend.* Tum quia, licèt Superior non poſſit ratificare, ſeu convalidare dictam collationem Beneficij, utpote ipſo jure nullam, & invalidam, ut *c. Auditis. 29. de Elect.* benè tamen poteſt illud conferre de novo, eò quòd ad ipſum propter negligentiam alterius jus conferendi ſit devolutum. Abbas *in cit. c. Litteras. n. 2.* & ibi Ancharanus *n. 2. h. t.* Et quia nova hæc collatio videtur tacitè fieri, dum Superior inſtitutum de patientia tolerat (prout in ſimili de diſpenſatione dictum eſt ſuprà *Tit. 2. de Conſtitutionibus. §. 18. num.* 481.) hinc Gloſſa *fin. in d. c. Litteras*, rectè inquit, quòd taliter inſtitutis in Beneficio acquiratur jus, non ex illa inſtitutione ex tunc, ſed ex nunc ex tali patientia; utpote quæ vim novæ collationis obtinet.

26 V. Inſuper in Parochialibus Eccleſijs tenetur Epiſcopus illos infra duos menſes inſtituere, qui juxta formam Concilij Tridentini ad eas promoti fuerunt; alioquin Patroni poſſunt adire Archiepiſcopum, qui eos inſtituat: prout ſtatuit B. Pius V. in Bulla, quæ incipit, *In conferendis*, Anno 1567. die 18. Martij edita, & refertur *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtitut.* 33. dicti Pontificis.

27 VI. Idem procedit in executione ultimæ voluntatis ad pias cauſas: nam Epiſcopo negligente, ſuccedit Archiepiſcopus, juxta *Auth. de Eccleſiaſticis Titulis. §. Si quis autem pro redemptione. Collat. 9.* ac notat Abbas *c. Paſtoralis. n.* 11. & ibi Barboſa *n. 8. de Offic. Ordinar.*

28 VII. Ac ſpecialiter loquendo de jurisdictione contentioſa, Archiepiſcopus non ſolùm cognoſcit de omnibus cauſis ſubditorum Suffraganei ſui, quæ per appellationem ad ipſum deferuntur, *c. Romana. 3. §. Debet autem. de Appellat. in 6.* ſed inſuper is ſupplet negligentiam Epiſcopi in cauſa *Denegatæ*, vel *Protractæ juſtitiæ.* Quod ut meliùs intelligatur,

Quæritur II. Qua ratione Archiepiſcopus ſuppleat negligentiam Epiſcopi in cauſa *Denegatæ*, vel *Protractæ juſtitiæ*? Reſp. I. In priori caſu, videlicet in cauſa *Denegatæ juſtitiæ* (quæ tunc accidit, quando Judex inferior, puta Epiſcopus, debite ſaltem ſemel requiſitus, juſtitiam denegavit, ſeu litem cum æquitate audire recuſavit) generaliter devolvitur jurisdictio primæ inſtantiæ ad Superiorem, ut etiam per viam ſimplicis querelæ adiri poſſit. Ita habetur in *Auth. De Mandatis Principum. §. Sit tibi quoque. Collat. 3. & Auth. ut differentes Judices. Collat. 9.* ac veluti certũ tradit Gailus *lib. 1. Pract. Obſervat. 28. n. 1.* cum DD. communiter. Nã, ubi prima inſtantia ab inferiore Judice denegatur, neceſſe eſt, eã quærere apud Superiorẽ; & quidem ſub ratione primæ inſtantiæ, quia non eſt ſecunda ſine prima. Engel *h. t. n.* 4.

Limitatur tamen data Concluſio imprimis, dumodò judicium coram Judice inferiori, puta Epiſcopo, nondum ſit cæptum. Nam ſi res ampliùs non ſit integra, ſed judicium ſemel cæptũ coram inferiore, ſi poſteà in progreſſu juſtitia denegetur, non per viam denegatæ juſtitiæ, vel ſimplicis querelæ, ſed per modum appellationis, ob negligentiam inferioris Judicis cauſa ad Superiorem devolvetur, ac proinde opus erit appellatione. Gailus *cit. Obſervat. 28. n. 2.* id probans ex praxi Cameræ, & doctrinâ Abbatis Panormit. *in c. Ex parte. 47. n. 2. de Appellat.* Inſuper ad hoc requiritur, quòd de factâ debitâ requiſitione, & ſubſecutâ denegatione juſtitiæ, doceatur per publicum inſtrumentum, vel alias legitimas probationes: alioquin enim tanta negligentia in Judice non præſumitur, niſi probetur.

Sufficere autem, quòd vel ſemel denegata ſit juſtitia, atq; hoc ritè probari valeat, præter Jura allegata, deſumitur ex Reg. 8. Juris in 6. *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus*, cum concordantijs: ac tradit Gloſſa *in Clem. 1. ℣. Requiſierint*, & ibi Imola, *de Hæretic.* & Gailus *loc. cit. num. 5.* Quamquàm hoc rectè intelligatur in caſu, quo Judex expreſsè verbo, vel facto, ut puta verberibus, aut incarceratione, denegavit juſtitiã adminiſtrare, *arg. Clem. Quamvis. de Appellat.* Alioquin enim, ut inferior poſſit convincere Superiorem de negligentia, opus eſſe trinâ requiſitione, colligitur tum *ex cap. 1. h. t.* tum ex *Auth. Statuimus. C. de Epiſcop. & Cleric.* ibi: *Si quis juſtitiam denegare præſumpſerit, tertiò requiſitus jurisdictionem ſuam amittat.* Atque tradit Felinus *in c. Ex litteris. n. 8. §. Fallit enim primò. de Conſtitut.* citans alios; licèt nonnulli oppoſitum teneant, prout apud ipſum latiùs eſt videre.

Reſp. II. In cauſa *Protractæ juſtitiæ*, quando videlicet inferior Judex, puta Epiſcopus, acceptavit quidẽ cauſam, ſed protraxit, ſeu neglexit eã finire, priùs decernuntur à ſuperiore Judice, putà, Archiepiſcopo, *Promotoriales*, ut vocant, in quibus inferiori Judici, puta Epiſcopo, aſſignatur terminus, ſive certũ tempus pro adminiſtranda juſtitia: & elapſo termino illo cenſetur primùm jurisdictio devoluta ad ſuperiorẽ Judicẽ. Gailus *cit.*

cit. lib. 1. *Obſervat.* 28. *n.* 6. id probans ex praxi Cameræ. Engel *h. t. n.* 4. *& 5.* atque in ſimili tenet Gloſſa *ad Rubricam. de Poſtulat. Prælati in 6.* Inſuper defactò, ex novo Decreto Concilij Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* quando cauſæ quæcunque Eccleſiaſticæ in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum infra biennium, à die motæ litis computandum, non terminantur; poſteà liberum eſt partibus, vel alteri illarum, Judices ſuperiores, aliàs tamen competentes, adire, qui cauſam in eo ſtatu, quo fuerit, aſſumant, & quamprimùm terminari curent.

33 Sciendum tamen, quòd prædicti caſus, & alij hujusmodi, ſolùm procedant in Epiſcopo non exempto, ſeu in Suffraganeo Archiepiſcopi, qui videlicet hujus jurisdictioni eſt ſubjectus: adeò, ut Archiepiſcopus poſſit ipſi præcipere, quæ ad officium Epiſcopale ſpectant, atque ad horum executionem compellere, etiam per cenſuras, *arg. can. De eis, diſt.* 12. & ampliùs probat Gloſſa *in. ibid.* Dummodò hinc excipiantur cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos: nam harũ cognitio, & deciſio, ad ſolum Papam pertinet, juxta Conciliũ Trident. *Seſſ.* 24. *de Reformat. cap* 5.

34 Porrò negligentia Epiſcopi exempti nunquam poteſt ſuppleri per Archiepiſcopum, ſed duntaxat per Papam, cui ejus negligentia eſt denuntianda, *arg. c. Nullus.* 17. *de Jure patronat.* ubi negligentia Epiſcopi Adonenſis nunciatur Papæ, eò quòd non recognoverit alium Superiorem, niſi Papam; ſicque ejus negligentiam Metropolitanus ſupplere nequiverit. Barboſa *part.* 1. *de offic. & poteſt. Epiſcop. tit.* 4. *n.* 26. Quaranta *in Summa. ℣. Archiepiſcopi authoritas. n.* 21. & alij.

35 Quæritur III. Utrùm Achiepiſcopus ſuppleat etiam impotentiam Epiſcopi, qui vel ſit excommunicatus, vel ab hoſtibus Fidei captus, vel in amentiam lapſus, aut alio impedimento diu durabili omninò inutilis effectus ad adminiſtrationem Epiſcopatûs? Reſp. Negativè: quia nullibi iſtud invenitur in Jure conceſſum; atque tenet communis Doctorum.

36 Et hinc *cap.* 1. *h. t. in* 6. expreſsè habetur deciſum, quòd Epiſcopo excommunicato (vel ſuſpenſo) propter delictum ſuum, non idcircò ipſius Jurisdictio devolvatur ad Archiepiſcopum (*cùm id non inveniatur à Jure conceſſum*) licèt alia pœna arbitraria ſecundùm qualitatem delicti, vel cauſæ, poſſit pro culpis ſui Suffraganei per Metropolitanum injungi. Et meritò in tali caſu jurisdictio Epiſcopalis non conceditur Archiepiſcopo: quia alioquin ipſi daretur occaſio excommunicandi Suffraganeum ſuum, ut hujus jurisdictio ad ipſum devolveretur; quod eſſet ad injuriam ſæpè Epiſcopis, & ad incommodum ſubditis. Vivianus *in Rationali Juris Canonici. cap.* 1. *h. t. in* 6. poſt Geminian. *ibid. n.* 5. inde concludens cum Archidiacono *ibid.* ℣. *Revocamus*, quòd in tali caſu ſit recurrendum ad Papam, veluti omnium Ordinarium, *can. Cuncta. & ſeqq.* 9. *q.* 3. petendò ab ipſo, ut vel ab excommunicatione Epiſcopum abſolvat, vel aliâ ratione provideat. Pirhing *h. t. n.* 14. citans alios.

Deinde, quòd capto ab Infidelibus Epiſcopo, hujus poteſtas non devolvatur ad Archiepiſcopum; ſed quòd interim Capitulum, acſi Sedes ipſa vacaret, adminiſtrare debeat tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus, donec Epiſcopus libertati reſtituatur, vel per Papam, qui ſuper hoc per Capitulum, quàm citò fieri poterit, eſt conſulendus, aliud contigerit ordinari; habetur pariter clarè deciſum *c. Si Epiſcopus.* 3. *h. t. in* 6. Et ratio eſt, quæ ſuprà: ſimúlque, quia Epiſcopus captus cenſetur civiliter mortuus, ſicque Capitulum ſupplet vices ejus, acſi Sedes Epiſcopalis vacaret. Quamvìs per hoc non negetur, quin Epiſcopus, ab hoſtibus Fidei captus, poſſit per litteras ſuis ſubditis præcipere, ſuámque Eccleſiam, quatenùs valet, adminiſtrare, exemplo S. Marcelli Papæ & Martyris, qui captus à Paganis Parochias, quas præſens non poterat, viſitavit per epiſtolas, atque SS. Polycarpi, Ignatij, & aliorum plurium Pontificum. Layman *in d. c. Si Epiſcopus. n.* 1. 37

Tandem, quòd Epiſcopo in amentiam lapſo, vel alio diuturno impedimento detento, non devolvatur ejus jurisdictio ad Archiepiſcopum, patet ex *can. Scripſit mihi. & can. Pontifices. & can. Quamvìs triſte.* 7. *q.* 1. ubi dicitur, Coadjutorem eſſe dandum Epiſcopo propter infirmitatem, ſenectutem, vel amentiam. Accedit ratio: quia, quando Epiſcopus ob delirium, vel aliud durabile impedimentum, omninò eſt inidoneus ad adminiſtrandum, perinde tunc cenſeri debet, acſi Sedes vacaret: nam paria ſunt, non habere Epiſcopum, & habere inutilem, *c. Inter corporalia.* §. *Sed neque. de Translat. Epiſcop.* junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Inutilem.* Barboſa *Axiomat.* 174. *n.* 13. *& 14.* cum alijs. 38

Unde in tali caſu interim ad Capitulum pertinere adminiſtrationem Epiſcopatûs, donec à Sede Apoſtolicâ aliud ordinetur, rectè tradit Layman *loc. cit. n.* 1. Atque ſimili de cauſa inquit Quaranta *in Summa Bullarij.* ℣. *Archiepiſcopus. num.* 22. quòd ſi Epiſcopus abijt in partes longinquas, nullo conſtitutò Vicario, Capitulum interim adminiſtret. 39

***

§. III.

§. III.

De ſupplenda Negligentia inferiorum Prælatorum, Judicum, & Regum.

SUMMARIUM.

40. *Epiſcopi, alijque Eccleſiarum Prælati, tenentur ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere.*
41. *Quid juris, ſi inferiores Prælati negligant juſtitiam adminiſtrare.*
42. *Omiſſa per negligentiam Prælatorum, ordinariè ſupplentur per Superiores gradatim.*
43. *Quandoque etiam per inferiores.*
44. *Judex Eccleſiaſticus poteſt ſupplere negligentiam Judicis ſæcularis.*
45. *Non tamen econtrà.*
Et ratio diſparitatis. Ibid.
46. 47. 48. & 49. *Solvuntur contraria.*
50. *Si Rex, vel alius Princeps Chriſtianus, eſt negligens in adminiſtratione Regni ſui, dandus eſt illi Coadjutor per Superiorem.*
51. *Vel per Summum Pontificem.*
52. *Solvitur notabilis inſtantia ex* can. Alius item. 15. q. 6.
53. *Et cur tunc ad Papam pertineat providere?*

40 Quæritur I. Qua ratione ſuppleatur negligentia inferiorũ Prælatorum? Reſp. I. Epiſcopi, alijq; Eccleſiarum Prælati, tenentur ad corrigendos ſubditorum exceſſus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter & diligenter intendere, ne ſanguis eorum de ſuis manibus requiratur. Textus eſt *in c. Irrefragibili.* 13. §. 1. *de Offic. Ordinar.* Unde etiam ad coërcendam inferiorum Rectorum negligentiam, & corrigendos ſubditorum exceſſus, opportunum Canonicarum Viſitationum remedium arripere tenentur: *quia non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & Paſtor ignorat*; prout loquitur S. Gregorius Papa *in Regeſto*, ac refertur, *c. Quamvis.* 10. *de Reg. Jur.* cum ſimilibus.

41 Reſp. II. Quando inferiores Prælati, utpute Archidiaconus, vel Capitulum Cathedrale, ex privilegio habent poteſtatem corrigendi delicta ſubditorum; vel eam ex conſuetudine contra Epiſcopum præſcripſerunt, ſi ipſi negligant juſtitiam adminiſtrare, poteſt Epiſcopus eis præfigere terminum; quo elapſo ipſemet Epiſcopus procedit, eorúmque negligentiam ſupplet. Ita habetur *in cit. c. Irrefragibili.* §. *Exceſſus. de Offic. Ord.* ac tradit Abbas *ibid. n.* 2. & Card. Tuſchus *Litt. N. Concluſ. 34. & 35.* poſt Calderinum *Conſil. 192.* & alij. Ratio eſt: quia non aliter tunc Epiſcopus cenſetur amiſiſſe juriſdictionem, niſi in quantùm inferior præſcribens, aut privilegiatus, velit eâ uti; ergo, quando ipſe intra terminum ſibi præfixum negligit ſuam juriſdictionem exercere, illicò poterit eam Epiſcopus exercere (cùm hoc jam poſſet ſpectato Jure communi) nec eſt neceſſe recurrere ad alium Superiorem. Abbas *loc. cit.*

42 Reſp. III. Generatim loquendo, ea, quæ per Prælatorum negligentiam omiſſa fuerunt, ordinariè per Superiores ſupplenda ſunt, gradatim aſcendendo uſque ad Summum Pontificem. Ita communis; idque deſumitur tum ex Hyerarchia Eccleſiaſtica, qua Superiores debent invigilare Inferioribus: tum probatur multiplici inductione. Sic quippe negligentia Prælatorum, in collatione Beneficiorum commiſſa, ordinariè ſuppletur per immediatum Superiorem, *c. Ne pro Defectu.* 41. *de Election.* cum ſimilibus. Inſuper Judex delegatus ſupplet negligentiam Ordinarij, vel alterius Delegati, *c. Prudentiam.* 21. §. *penult. & ult. de Offic. Delegat.* Item Ordinarius ſupplet negligentiam Abbatis, non revocantis Monachum vagabundũ, *c. Quanto.* 7. *de Offic. Ordinar.* & ſic loquendo de pluribus alijs.

43 Additur notanter, *ordinariè per Superiores.* Nam interdum negligentia Prælatorum ſuppletur per inferiores, idque ex ſpeciali diſpoſitione Juris, ob ſpecialitatem rationis. Sic quippe negligentia Epiſcopi in conferendis Beneficijs, quorum collatio ad ipſum jure proprio pertinet ſuppletur per Capitulum, ratione communionis, quam ad invicem habent, *c. Nulla.* 2. *de Conceſſ. Præbend.* éſtque ampliùs dictum *num.* 21. & *ſeqq.* Similiter, ſi ex malitia, vel deſidiâ Delegati Papæ, quis perſeverat in peccato, ſupplet Ordinarius loci, haud obſtante, quòd cauſa fuerit Delegato cõmiſſa; & hoc ad præcavendũ peccatis, *c. Significavit.* 6. *de Offic. Ordinar.* Item *in can. Volumus. diſt.* 89. omnis Clerus conſtituit Epiſcopi Vicedominum, & Majorem domûs, ſi hunc ipſe conſtituere neglexerit: nam hoc concernit etiam bonum commune totius Cleri. Tacentur aliæ fallentiæ, ſuprà *num.* 5. jam adductæ.

Quæritur II. Utrùm Judex Eccleſiaſticus poſſit ſupplere negligentiam Judicis ſæcularis & econtrà? Reſp. I. Judex Eccleſiaſticus poteſt ſupplere negligentiam Judicis ſæcularis. Ita Gloſſa *fin. in c. Qualiter & quando.* 17. & Abbas *ibi n.* 7. *de Judicijs.* Card. Tuſchus *Litt. E. Concl.* 24. *num.* 1. Sperellus *Deciſ.* 126. *Fori Eccleſiaſt. num.* 47. Maranta *part.* 4. *Speculi Aurei*, *diſtinct.* 1. *num.* 11. poſt Baldum *in l. Contractibus.* §. *In omni. C. De non numerat. pecun.* Barboſa *c. Licèt ex ſuſcepto. num.* 2. *de Foro compet.* citans complures alios, éſtque communis. Idque apertè habetur deciſum *in c. Ex transmiſſa.* 44

c. Licet. 10. *& c. Ex tenore.* 11. *de Foro competent.* vi Judice ſæculari negligente, ſeu malitiosè differente terminationem cauſæ, etiam feudali, poteſt adiri Judex Eccleſiaſticus, ut debitum finem imponat. Accedit ratio: quia, licèt diſtincta ſit Poteſtas Eccleſiaſtica à Poteſtate ſæculari, ſeu politica, tamen illa eſt ſublimior, & tanto præſtat ſæculari, quanto, quæ ſunt ſpiritualia, præſtant corporalibus, *c. Solitæ. de Majorit. & obed.* unuſque Eccleſia ſaltem indirectè, ſeu caſualiter, exercet jurisdictionem in bona temporalia Chriſtianorum, *c. Per venerabilem. Qui filij ſint legit.* atque uberiùs dictum *Tit. 2. de Conſtitutionibus. §. n. 57. & 58.* ergo mirum non eſt, quòd Poteſtate ſæculari negligente, poſſit Poteſtas Eccleſiaſtica deſuper requiſita ſe impendere, atque alterius negligentiam ſupplere.

45 Reſp. II. Non tamen econtrà Judex laicus poteſt ſupplere negligentiã Judicis Eccleſiaſtici; & proinde Clerici ad ſæculare Forum trahi nequeunt, etiam datâ ipſorum Prælatorum negligentiâ. Ita habetur *in cit. c. Qualiter & quando. de Judicijs*, prout illud communiter ſummatur; ac tenet Gloſſa *fin.* & Hoſtienſis, & Abbas *num. 7.* Barboſa *in Collectan. ibid. num. 2.* citans alios. Sperellus *Deciſ. 126. Fori Eccleſiaſt. num. 48.* Farinacius *part. 4. lib. 1. Conſil. 68. num. 2. & 10.* allegans Rotam *in una Oſcen. Pœnitentiariæ. 10. Aprilis. 1595. coram. D. Blanchetto*, & alij communiter, contra Gloſſam *in can. Filijs ac nepotibus. 16. q. 7. ℣. Regis.* & Menochium *de Retinenda poſſeſſione, Remed. 3. num. 355. & ſeqq.* volentem, quòd in realibus poſſit Judex ſæcularis ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici, licèt non in perſonalibus. Ratio Concluſionis eſt: quia Judex ſæcularis nullam habet jurisdictionem in Clericos, *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. 10. de Conſtitut.* Imò eſt cujus jurisdictionis incapax, *c. Cauſam, quæ 7. de præſcript. & can. Sacerdotibus. 11. q. 1.* Eſtque longè inferior Eccleſiaſtico, *cit. c Solitæ. de Majorit. & obed.* veluti ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compareturi, *can. Duo ſunt. diſt. 96.* Ergo non mirum, quòd Judex ſæcularis nullo modo poſſit ſupplere negligentiam Judicis Eccleſiaſtici: nunquam enim minor ſupplet negligentiam majoris, niſi in caſibus Jure expreſſis, ut notat Innocentius *in c. Quia diverſitatem. de Conceſſ. Præbend.* Atq; rationes iſtæ urgent non ſolùm in actionibus perſonalibus, ſed etiã in realibus Clericorum: præſertim ex eo, quia ſi perſona eſt exempta, ergo & res, quæ perſonæ acceſſoria eſt, exempta eſſe debet, *c. Acceſſorium. 42. de Reg. Juris in 6.* cum concordantijs. Inſuper per hoc patet maxima diverſitas inter hunc, & priorẽ caſum.

46 Nec obſtat *can. Si quis cum Clerico. 11. q. 1.* ubi de Actore, Clericum in cauſa pecuniaria coram Epiſcopo ejus conveniente, dicitur: *Sin autem noluerit Epiſcopus litem dirimere, tunc ad Civilem Judicem diſceptatio cauſæ perveniat.* Cui ſimile quid habetur *in Auth. Ut Clerici apud proprios Epiſcopos. §. Si verò. Collat. 6.* Reſp. enim cũ Abbate *in cit. c. Qualiter & quando. n. 7. de Judic.* poſt Jo. Andreã, ejusmodi Jura, in quantùm dicunt, quòd Epiſcopo

Tomus I.

negligente, diſceptatio cauſæ ad Civilem Judicẽ perveniat, eſſe revocata. Vel dicendum, quòd *cit. can. Si quis cum Clerico*, ſit deſumptus ex allegata Authentica, ſeu ex *Novella 83.* prout ibidem à margine notatur: unde ſicut Leges Civiles de Clericis expreſsè diſponentes, ex defectu jurisdictionis non valent, niſi quatenùs approbantur ab Eccleſia, ut dictum *Tit. de Conſtitutionibus, §. 13. n. 290. & ſeqq.* ita nec citata Authentica, neque Canõ ex ea deſumptus, quidquam habet firmitatis; cùm non ſolùm nunquam ab Eccleſia fuerit approbatus, ſed etiam expreſsè reprobatus; ut *cit. c. Qualiter & quando. de Judicijs*, cum concordantijs.

Nec rurſus obſtat *can. Filijs, vel nepotibus. 16. q. 7.* atque deſumitur ex Concilio Toletano IX. cap. 1. ubi Gloſſa, *℣. Regis.* infert, quòd Metropolitano negligente, vel rebus Eccleſiaſticis abutente, poſſit adiri Rex, ut eum corrigat, cùm per Eccleſiaſticum Judicem cogi non poſſit. Reſp. enim, hanc Gloſſæ opinionem, unã cũ ſua ratione, eſſe falſam: nam etiam Metropolitanus cõgi poteſt vel per ſuum Primatem, vel ſaltem per Sumum Pontificem. Neq; textus Gloſſæ opinionem ibidem habet: ſolùm enim aſſerit, Metropolitani negligentiam, ſive abuſum, Regis auribus eſſe intimandum. Hujus enim intimationis effectus eſſe poteſt, non ut Rex Metropolitanum corrigat, ſed ut ipſum admoneat, vel inſtet coram Superiore, ut hic eum reprehendat, vel compellat, juſtitiam, reſq; Eccleſiaſticas rite adminiſtrare. Abbas *cit. n. 7.* Barboſa *in c. Qualiter & quando. n. 3 de Judicijs*, allegans alios. 47

Dices. In *can Nos ſi incompetenter. 2. q. 7.* ipſemet Leo Papa IV. ſubmiſiſſe ſæculari Imperatoris judicio, illis verbis ipſum allocutus: *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſta legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio.* Ergo hoc ipſum dici poteſt de inferioribus Prælatis Eccleſiaſticis, ſaltem in caſu negligentiæ. Reſp. Leonem Pontificem ob querelas ſuorum ſubditorum ſeſe Imperiali judicio ſubmiſiſſe, non coactivo, ſed arbitrario, ſive (ut explicat Archidiaconus *ibid. n. 1.*) ejusdem diſcretioni: idque ab eo factum fuit ex humilitatis diſpenſatione, ut inquit Gratianus ibidem, atq; ad vitandum fortaſſe ſcandalum tunc timendum. Et hoc licere Summo Pontifici, utpote qui eſt ſupra omne Forum, poteſtq; de Jure in Jure diſpenſare, *c. Propoſuit. 4. de Conceſſ. Præbend.* rectè notat Archidiaconus *loc. cit.* licèt ſecùs ſit dicendum de inferioribus Prælatis Eccleſiaſticis, *c. Si diligenti. 12. de Foro compet.* 48

Urgebis. In *cap. 2. de Regularib.* apertè ſupponitur, quòd in cauſa Eccleſiaſtica, ob negligentiam Judicis Eccleſiaſtici poſſit reclamari, & haberi recurſus ad Principem; ergò iſtud fruſtrà negatur. Reſp. cum Gloſſa *ibid. ℣. Ad Principem*, & alijs, ibi per *Principem* non intelligi Principem ſæcularẽ, ſed Papam, qui abſolutè dicitur Princeps in *can. Corpora. de Conſec. diſt. 1*, junctâ Gloſſa *ibid. ℣. Principis.* Unde nihil inde ſequitur contra Concluſionem. 49

Aaa Quæ-

50 Quæritur III. Quâ ratione ſit ſupplenda negligentia Regum Chriſtianorum circa adminiſtrationem Regni ſui? Reſp. I. Si Rex, vel alius Princeps Chriſtianus, eſt negligens, ac remiſſus in ſua adminiſtratione, diſſipando jura Regni, vel cauſas Eccleſiarum, perſonarúmque Eccleſiaſticarum, pauperum, orphanorum, aliarumq; miſerabilium perſonarum negligendo &c. tunc debet illi à ſuo Superiore, ſi quem habet, Coadjutor, ſive Curator aſſignari, qui ejus vice Regni negotia ritè diſponat. Deſumitur hoc *ex c. Grandi. 2. h. t. in 6.* ac notat Barboſa, & Layman *ibid. n.* 1. cum alijs.

51 Reſp. II. Quòd ſi ejuſmodi Rex Superiorem in temporalibus non recognoſcit, ſimulque Regni Proceres ſeu Magnates ſufficiens remediũ adhibere nequeunt, tunc ad SumumPontificem debitè requiſitum ſpectat providere, eique idoneum Coadjutorem dare. Ita comunisCanoniſtarum; atq; habetur *in cit. c. Grandi. 2. h. t. in 6.* ubi in facti contingentia iſtud practicatum legitur circa Sanctium Portugalliæ Regem, quondam ita negligentem, & remiſſum circa Regni negotia, cui proin Pontifex in CoadjutoremRegni conſtituit Comitem Bolonenſem, ejuſdem Regis fratrem, ſalvo tamen jure Regni, quod ipſi, ac legitimo ejus filio relinquebatur. Accedit ratio: quia hoc modo ex una parte providetur communi bono Regni; ex altera verò nihil juris adimitur illi, cui datur talis Coadjutor, licèt aliqualiter puniatur ejus negligentia, adimendo ipſi adminiſtrationem. Deinde, quia etiam Epiſcopo propter ſenectutem, vel infirmitatem inſufficienti ad adminiſtrandum Epiſcopatum, datur Coadjutor; *ut can. Quamvìs. & can. Petiſti. 7. q.* 1. ergo idem rectè fit in Regibus negligentibus. Neque enim quælibet negligentia illicò digna eſt depoſitione, *arg. can. Quidquid. 1. q. 1.*

Nec obſtat *can. Alius item.* 15. *q.* 6. ubi Rex tantæ poteſtati inutilis, deponitur. Reſp. enim cum Gloſſa *ibid.* ℣. *Inutilis.* id non eſſe intelligendum de Rege inutili, hoc eſt, inſufficiente (nam tali debet dari Coadjutor, per Jura citata) ſed de diſſoluto, & ſcelerato. Et ſi quis urgeat, dictum SanctiumRegemPortugalliæ fuiſſe ſceleratum, utpote Regni deſtructorem; prout liquet ex *cit. c. Grandi.* §. *fin. h. t. in 6.* ibi: *Eidem Regno deſtructioni expoſito:* Cur igitur Papa ipſum non depoſuit? Reſpondet Barboſa *in d. c. cap. Grandi. n.* 5. id contigiſſe ex eo, quia in illis circumſtantijs magìs opportunum remedium ad vitanda Regni incommoda videbatur eſſe datio Coadjutoris, quàm depoſitio Regis; ſecùs fuiſſe in caſu, de quo loquitur *d. can. Alius item.* 15. *q.* 6.

Porrò, quòd in tali caſu negligentiæ Regis, & niſi Proceres Regni aliud ſufficiens remedium adhibere valeant, ad Summum Pontificem pertineat providere, atque idoneum Coadjutorem dare, ex eo liquet. Tum quia Papa, veluti Chriſti in terris Vicarius, indirectè, ſeu caſualiter (videlicet, ob bonum regimen Eccleſiæ univerſalis, ſibi divinitùs commiſſæ) etiam de bonis temporalibus omnium Chriſtianorum diſponere poteſt; ut *d. c. Per venerabilem. Qui filij ſint legitimi. & Clem. Paſtoralis. 2 de Sentent. & re judic.* cum ſimilibus. Tum quia cauſæ Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum, & miſerabilium perſonarum, & cura earundem, ſpecialiter ad Eccleſiam ſpectare dignoſcuntur; ut *can. 1. & 2. diſt. 87. & c. Ex parte. 15. de Foro compet.* & alibi; ergo, ſi ob negligentiam Regis, vel Principis ſæcularis, hujuſmodi cauſæ periclitantur, meritò authoritas Eccleſiaſtica implorari, ac ſe interponere poteſt. Accedunt dicta ſuperiùs *num.* 44.

TITU-

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

1. *Ratio continuationis.*

QUia inter alia Prælatorum, maximè Epiſcoporum, officia rectè connumeratur poteſtas conferendi Ordines, quin & ad legitimam eorundem promotionem certi Ordines plerumque requiruntur: idcircò tum de Ordinibus, ſeu ſacris Ordinationibus, tùm de Ordinandorum qualitatibus, aliiſque huc ſpectantibus, in hoc & pluribus ſubſequentibus Titulis ex profeſſo tractatur. Placet autem hîc materias Canonicas potiſſimùm examinare, & reſolvere, alijs ad Theologiam dimiſſis.

***

§. I.

De Quidditate, ac numero Ordinum.

SUMMARIUM.

2. *Ordo ſumitur dupliciter.*
3. & 4. *Ordo, ſeu ſacra Ordinatio, quid?*
5. *Septem ſunt Ordines, juxta Theologos.*
6. *Juxta Canoniſtas novem.*
   Et quo myſterio? Ibid.
7. *Ordines alij ſacri, ſeu majores.*
8. *Alij minores, ſeu non ſacri, qui, & cur ſic dicantur?*
9. *Materia, & forma ſingulorum Ordinum. Remiſſivè.*
10. *Prima Tonſura an ſit Ordo propriè dictus? Et num. ſeqq.*
11. *Ponitur ſententia negativa Theologorum.*
12. & 13. *Eadem probatur multipliciter. Et num. ſeqq.*
14. *Effectus primæ Tonſuræ, quales?*
15. *Prima Tonſura dicitur Ordo Clericalis, latè accipiendo nomen Ordinis, juxta Theologos.*
16. *Refertur ſententia Canoniſtarum, tenentium, quòd prima Tonſura ſit Ordo propriè dictus.*
17. & 18. *Quæ probatur variè. Et num. ſeqq.*
19. *Prima Tonſura imprimit characterem.*
20. *Requirit certam materiam, & formam; & qualem?*
21. *Ac de neceſſitate præcepti prærequirit characterem Confirmationis.*
22. *Sententiæ Canoniſtarum non obſtat Concilium Tridentinum; & cur?*
23. *Prima Tonſura juxta Canones obtinet nomen Ordinis.*
24. *Inferuntur Corollaria. Et num. præc.*
25. *Idipſum ſupponit Rota Romana.*
   Quid tenendum pro Foro externo? Ibid.
26. *Epiſcopatus eſt Ordo propriè dictus.*
27. *Reducitur juxtà Theologos ad Ordinem Sacerdotij. Et num. præc.*
28. *Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt; & quomodo?*
29. *Archiepiſcopus, an differat à Metropolitano?*

2 QUæritur I. Quid, & quot ſint Ordines? Pro reſolutione hujus eſt præmittendum, quòd, quantùm attinet ad propoſitū, Ordo dupliciter ſumatur: primò, pro gradu præeminenti in Eccleſia Dei; id eſt, pro dignitate Eccleſiaſticâ quibuſdam perſonis collatâ, vî Sacramenti Ordinis recepti. Secundò ſumitur Ordo pro ipſa actuali Ordinatione, ſeu inſtitutione alicujus in gradu præeminenti Eccleſiæ: & hoc poſteriori modo acceptus Ordo, eſt unum ex ſeptem novæ Legis Sacramentis, non item in priore acceptione. Sic v. g. Presbyteratus poteſt ſumi vel pro ipſa actuali ordinatione alicujus in Presbyterum; & ſic eſt Sacramentum: vel pro dignitate, ſeu poteſtate Sacerdotali, quam quis acquiſivit vî ordinationis ſuæ in Presbyterum, & ratione cujus poteſt validè conſecrare, & abſolvere: & hoc modo Presbyteratus non eſt Sacramentum, ſed potiùs aliquid conſequens ad Sacramentum Ordinis Presbyteratûs jam peractum, ſibique collatum. Et quod dicitur hîc de Presbyteratu, idem ſervatâ proportione dicendum eſt de Diaconatu, Subdiaconatu & quatuor Ordinibus minoribus. Hoc prænotato,

3 Reſp. I. Ordo, ſive ſacra Ordinatio, eſt Sacramentum novæ Legis, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato ad aliquod miniſterium circa Euchariſtiam dignè exhibendum. Ita in re communis; & concordat hæc definitio cum illa, quam ponit Magiſter Sententiarum *in 4. diſt. 24.* dicens: *Ordo eſt ſignaculum, id eſt, Sacramentum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & officium.* Sic quippe *Oſtiariatus* eſt Ordo, ſeu Sacramen-

tum novæ Legis, quo traditur ordinato poteſtas aperiendi, & claudendi januas Eccleſiæ &c. Similiter *Subdiaconatus* eſt Ordo, quo traditur ordinato poteſtas ſolemniter cantandi Epiſtolam, & portandi Calicem cum Patena ad Altare. *Diaconatus* eſt Ordo, quo datur ordinato poteſtas ſolemniter cantandi Evangelium, ac proximè miniſtrandi Sacerdoti circa confectionem Euchariſtiæ. *Presbyteratus* eſt Ordo, ſeu Sacramentum novæ Legis, quo datur ordinato poteſtas conſecrandi Corpus & Sanguinem Chriſti, atq; Fideles confitentes à peccatis abſolvendi.

4 Atque cum allata Sacramenti Ordinis definitione concordat illa, quam ponit Scotus *in 4. diſt. 24. quæſt. un. §. De tertio*, dicens: *Ordinatio eſt inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiæ præeminenti, cui convenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum, facta à Miniſtro idoneo certa verba proferente, & ſimul cum intentione debitâ, miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentans, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur.* Hæc ille. Quæ definitio, licèt ſit longior, meritò huc apponitur, eò quòd naturam Sacramenti Ordinis exactiùs declaret.

5 Reſp. II. Septem ſunt Ordines in Eccleſia Dei, videlicet, *Oſtiariatus, Lectoratus Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus,* ac *Presbyteratus* ſeu *Sacerdotium*. Ita Magiſter Sententiarum *cit. diſt.* 24. & Theologi communiter, qui ſeptem dicunt eſſe Ordines juxta ſeptiformem gratiam Spiritûs Sancti, cujus qui non ſunt participes, ad gradus Eccleſiaſticos indignè accedunt; ut inquit Magiſter *loc. cit.* Concordat Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 2. ubi enumerans Ordines ab ipſo Eccleſiæ initio uſitatos, ſeptem, & non plures allegat, docens, quòd præter Sacerdotes, & Diaconos, de quibus ſacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusq; eorum propria miniſteria, *Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij, in uſu fuiſſe cognoſcuntur.* Idem deſumitur *ex can.* 1. *diſt.* 77. ubi Cajus Papa omnes, & ſolos hos ſeptem Ordines, quibus ad Epiſcopatum aſcenditur, enumerat.

6 Fatendum tamen, quòd Gloſſa *in can. Cleros. diſt.* 21. ℣. *Pſalmiſta*, & alia Gloſſa *in Prooemio Sexti Decretalium*, ℣. *Epiſcopus*, & Canoniſtæ, communiter paucis exceptis teneant, novem eſſe Ordines in Eccleſia Dei; atque hoc non ſine myſterio, ſed ad formam Cæleſtis Hierarchiæ, & juxta novem Ordines ſeu Choros Angelorum. Unde præmiſſis ſeptem Ordinibus addunt primam Tonſuram, & Epiſcopatum, juxta *can. Cleros. diſt.* 21. ubi omnium illorum fit mentio, ſequentibus verbis: *Quorum* Clericorum *gradus, & nomina ſunt hæc, Oſtiarius, Pſalmiſta* (per hunc intelligendo cum Gloſſa ibidem, initiatum primâ Tonſurâ) *Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus.* Verùm de prima Tõſura, & Epiſcopatu, ex profeſſo inferiùs: nunc juxta ſententiam Theologorum loquendo,

7 Reſp. III. Ex præfatis ſeptem Ordinibus alij dicuntur Ordines majores, ſeu ſacri; alij minores. Porrò *Ordines ſacri, ſeu majores*, ſunt tres, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus. Et hi quidem ex eo dicuntur *Ordines ſacri*, quia habent annexum votum perpetuæ Caſtitatis, nec non obligationem recitandi Breviarium, quibus homines ſpecialiter quaſi Deo conſecrantur. Dicuntur etiam *Ordines majores*, eò quòd per eos ordinati ad majus officium circa Euchariſtiam exercendum deputentur: Sacerdos ſcilicet ad conſecrandum; Diaconus verò, & Subdiaconus, ad proximè aſſiſtendum, & miniſtrandum ſolemniter Sacerdoti ad altare. Fatendum quidem eſt, quòd Subdiaconatus in primitiva Eccleſia non fuerit connumeratus inter Ordines ſacros; ut *can. Nullus in Epiſcopum. diſt.* 60. Defactò tamen, Subdiaconatum inter ſacros Ordines computari, certum eſt, atque deciſum *in c. A multis.* 9. *de Ætate & qualit. præficiend.*

At verò *Ordines minores* ſunt alij quatuor, videlicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus. Et dicuntur *Minores*, ob minus officiũ, ad quod ordinantur. Dicuntur etiam quandoq; *Ordines non ſacri*; non quidem in eo ſenſu, quaſi nihil ſacrum ſint, aut contineant (ſunt enim & ipſi verum Sacramentum; prout colligitur ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, & Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *& can.* 2. ubi abſolutè & ſine ullâ limitatione definitur, Ordinem, ſeu ſacram Ordinationem eſſe Sacramentum) ſed dicuntur *non ſacri*, ad differentiam Ordinum majorũ, qui per excellentiam, ob rationes jam allatas, appellantur *ſacri*; cùm econtrà *Ordines minores* non habeant annexam obligationem recitandi Breviarium, neque votum perpetuæ caſtitatis: ut proinde hiſce duntaxat Ordinibus initiati, licitè poſſint contrahere matrimonium, ſi velint.

Cæterùm, quænam ſit materia, & forma ſingulorum Ordinum, & quænam officia eorundem, patere poterit ex Pontificali Romano: & uberiùs jam declaravi in *Theolog. Morali, Tract.* 14. *Diſtinct.* 12. *quæſt.* 2. *& ſeqq.* ubi plura alia huc applicabilia reperiuntur, ac proinde impræſentiarum omittuntur.

Quæritur II. Utrùm reverà prima Tonſura ſit Ordo? In reſolutione hujus Quæſtionis multùm variant Theologi, & Canoniſtæ: & quia in duas extremas abeunt ſententias, nec ſine ratione, operæ pretium eſſe videtur, utriusque ſententiæ principaliora fundamenta breviter adducere. Unde

Reſp. I. Juxta Theologos, prima Tonſura non eſt Ordo propriè dictus, neque Sacramentum, ſed mera diſpoſitio & præparatio ad Ordines. Ita Magiſter Sententiarum, D. Thomas, D. Bonaventura, & Scotus *in 4. diſt.* 24. *q. un. in fine*, atque Theologi communiter; quorum ſententiam egometipſe ſecutus ſum *in Theologia Morali, Tract.* 14. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *n.* 10. atq; ex Canoniſtis tenent Vincentius *in c. Cùm contingat. de Ætate & qualit. præfic.* Archidiaconus *in can. Cleros. n.* 16. & poſt ipſum Bellamera *ibid. n.* 4. *diſt.* 21. Pirhing *h. t. n.* 1. & Sannig *eod. tit. cap.* 1. *n.* 9. Aloyſ. Riccius

:ius *in Praxi Fori Eccleſiaſt. part. 3. reſolut.* 234. *n.* 7. *&* 235. *n.* 2. Card. de Luca *Tom. 2. Diſcurſ. 60. de Regularibus, num.* 12. Jacobus Pignatellus *Tom. 2. Conſultat. 66. n. 11. & tom. 8. Conſultat.* 146. *n.* 7. allegans alios.

12 Fundamentum hujus Sententiæ deſumitur imprimis *ex can. 1. diſt. 77.* ubi pro primo Ordine ponitur Oſtiariatus, illis verbis: *Si quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primùm Oſtiarius*: & conſequenter Oſtiariatum nullus alius Ordo præcedit: præcederet autem, ſi prima Tonſura propriè foret Ordo. Concordat *can. A Subdiacono. diſt. 93. & can. Seriatim. diſt.* 32. ubi diſtinctè enumerantur ſinguli Ordines, & gradus in Eccleſia Dei exiſtentes; nec tamen ulla fit mentio primæ Tonſuræ. Atq; hoc ipſum noviſſimè obſervavit Conciliũ Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap. 2. de Sacramento Ordinis,* ubi enumerat ſingillatim Ordines, qui ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe cognoſcuntur, nec tamen inter eos ponit primam Tonſuram. Quinimò citatum Oecumenicum Concilium non ſolùm primam Tonſuram inter Ordines non numerat, ſed inſuper hanc apertè ab Ordinibus ſecernit, ſeparatim ipſam referendo tanquam quid prævium ad omnes Ordines: dum inquit, quòd Ordines in Eccleſia ſint diverſi, & ita *diſtributi, ut qui jam Clericali Tonſurâ inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent.* Idem fit in eodem Concilio Tridentino *cit. Seſſ.* 23. *cap. 6. de Reform.* ubi ſimiliter primam Tonſuram expreſſis verbis ſecernit ab Ordinibus minoribus, dum ait: *Nullus primâ Tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus.* His ſimilia habentur *Seſſ.* 14. *cap. 2. de Reform.* ibi: *Ad aliquos ſacros, aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promovere &c.* Unde, quòd hæc fuerit mens Patrum Concilij Tridentini, videlicet primam Tonſuram inter Ordines non connumerare, ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilij Interpres; prout fatetur Fagnanus *in c. Cùm contingat. n.* 37. *&* 38. *de Ætate & qualitat. præficiend.*

13 Accedit ratio: quia per Ordinem propriè dictum confertur Ordinato poteſtas exercendi ſpecialem actum Eccleſiaſticum, ſeu miniſteriũ aliquod circa Euchariſtiã exhibendi; ut patet ex definitione Ordinis *num.* 3. *&* 4. allatâ: atqui per primam Tonſuram nulla confertur talis poteſtas; ergo. Minor probatur ex Concilio Trident. *cit. Seſſ.* 23. *cap.* 17. *de Reform.* ubi præcipit, quòd in uſum revocentur *Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ*: ergo Concilium cenſuit, per primam Tonſuram non conferri poteſtatem exercendi certam functionem Eccleſiaſticam; alioquin etiam hanc reſtitui juſſiſſet. Confirmatur, ac

14 Probatur eadem Minor inductione, enumerando ſingulos effectus primæ Tonſuræ; qui quidem ſunt multiplices, ut oſtendit Fagnanus *loc. cit. n.* 112. nullam tamen poteſtatem exercendæ certæ functionis Eccleſiaſticæ continent. Imprimis enim per eã Chriſtiani à Statu Laicali transferuntur ad Clericalẽ, & de ſorte Domini efficiuntur, *can. Duo ſunt.* 12. *q. 1. & can. Cleros diſt.* 21. Deinde Tonſurati acquirunt *Privilegium Fori*; hoc eſt, eximuntur ab omni Poteſtate, ſeu Jurisdictione ſæculari, *can. Si Imperator. diſt.* 96. ac proinde non poſſunt ampliùs à Judice ſæculari in judicium trahi, incarcerari vel puniri, ſed duntaxat ad Eccleſiaſtico. Rurſus primâ Tonſurâ initiatus acquirit Privilegium Canonis; ac proinde ipſum injurioſè percutiens incidit ipſo facto in excommunicationem, latam *can. Si quis ſuadente.* 17. *quæſt.* 4. Item talis poteſt obtinere Beneficium Eccleſiaſticum; ut innuit Concilium Trident. *cit. cap.* 6. Eſt etiam capax omnis Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, tam ordinariæ, quàm delegatæ, cujus merus Laicus eſt incapax: hinc initiatus primâ Tonſurâ, eſt capax poteſtatis excommunicandi, Beneficia conferendi, Cauſas ſpirituales cognoſcendi &c. Et tandem gaudet omnibus Privilegijs Clericorum. Atqui hæc omnia nullam continent poteſtatem exercendæ certæ functionis Eccleſiaſticæ, ſed merè diſponunt, hominémque reddunt capacem ad tales functiones ſubeundas, ſi ſupervenerit ſacra Ordinatio, vel ſaltem collatio jurisdictionis Eccleſiaſticæ; ergo. Atque in his conſiſtunt principalia fundamenta ſententiæ Theologorum.

Quòd ſi quis contra hanc Sententiam obijciat Sacros Canones expreſsè aſſerentes, quòd per primam Tonſuram conferatur Ordo Clericalis. Reſpondere ſolent Theologi, primam Tonſuram dici Ordinem Clericalem, latè duntaxat accipiendo nomen *Ordinis*, quatenus videlicet per eam quis de Foro ſæculari transfertur ad Statum Clericalem; ſicque in ſuperiori quodam ordine, ſeu gradu Eccleſiæ reſpectu Laicorum (hoc eſt, in Statu Clericali) conſtituitur, fitque capax jurisdictionis Eccleſiaſticæ, & aliorum proximè enumeratorum: non autem ſumendo nomen *Ordinis* ſtrictè ac propriè, videlicet pro ſacra Ordinatione, quâ confertur Ordinatis poteſtas ſpiritualis ad exercendum dignè miniſterium aliquod circa Euchariſtiam, éſtque verum novæ Legis Sacramentum. Et hæc reſponſio vel ex eo ſuaderi poteſt: quia hâc ratione comodè concordantur jura juribus, quæ hinc inde in favorem utriusq; extremæ ſententiæ allegantur; ſimúlq; evitatur jurium correctio, juxta *c. Cùm expediat.* 29. *de Election. in* 6. 15

Reſp. II. Oppoſitam nihilominùs ſententiam, ſive quòd prima Tonſura ſit Ordo propriè dictus, tenet Gloſſa *in cit. can. Cleros. diſt.* 21. *℣. Pſalmiſta. & c. Cùm contingat. ℣. Abbati.* & Panormit. *ibid. n.* 1. Jo. Andreas *n.* 12. cæteriq; Canoniſtæ paſſim, *de Ætat. & qualitat. præficiend.* Felinus *c. Sicut pro certo. n. 2. de Simon.* & latiſſimè Fagnanus *in cit. c. Cùm contingat. n.* 45. *& ſeqq.* allegans communem Canoniſtarum, quam etiam multoties (inquit) ſecuta eſt Rota, & præſertim *Deciſ.* 731. *n. 1. & 6. part. 1. Diverſ. & Deciſ. 50. part. 2. Recent.* 16

Fundamentũ præcipuum hujus Sententiæ deſumitur ex diverſis Sacris Canonibus, in quibus prima Tonſura ſimpliciter appellatur *Ordo Clericalis.* Sic quippe *in d. c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate* 17

& qualit. præfic. expreſsè legitur definitum, quòd *per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis Ordo confertur:* ergo, cùm clara habeatur deciſio Juris pro ſententia Canoniſtarum, ſtandum eſt litteræ, neque hæc erit improprianda cum Theologis, juxta proximè datam eorum reſponſionem: nam verba, cùm poſſunt, debent intelligi ſecundùm propriam ſuam ſignificationem, *l. Non aliter. ff. de Legat. III.* cum concordantijs. Accedit, quòd Papa ibidem ſpecialiter fuerit interrogatus, *an Clericatûs Ordo in Tonſura hujuſmodi* (ſeu per Abbates benedictos ſuis Regularibus collatâ) *conferatur*: atque ad hanc interrogationem is ſine alia limitatione reſpondeat affirmativè, dummodò Tonſura fuerit data *juxta formam Eccleſiæ.* Atqui hæc reſponſio, ſimul & deciſio Apoſtolica, fuiſſet inepta, ſi nomine *Clericalis Ordinis* voluiſſet intelligi duntaxat *Ordinem* largè & impropriè dictum; cùm reſponſio debeat correſpondere interrogationi, *c. Inter dilectos.* junctâ Gloſſâ, *℣. Petitionis. de Fide Inſtrument.*

18 Concordat Pontificale Romanum, utpote quod *Tit. de Clerico faciendo* ſæpiùs repetit, primâ Tonſurâ inſignitos ordinari; ut ibi: *Pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis.* Et iterum: *Quilibet Ordinandorum habere debet ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum.* Et in fine: *Ordinati* (ſeu Tonſurati) *redeunt ad ſua loca.* Atque hinc *in c. Degradatio. de Pœnis, lib. 6.* ubi præſcribitur ſolemnis forma Degradationis, jubetur, ut Epiſcopus Clerico degradando ſingula, quæ in ſua Ordinatione acceperat, veſtimenta ſeu ornamenta, ſinguláriter auferat, ordine tamen retrogrado, uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione Tonſuræ; in cujus ablatione Epiſcopus inter alia dicat: *Spoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio & privilegio Clericali.* Si igitur Tonſuratus etiam exuitur Ordine, ergo priùs habuit Ordinem, non minùs, ac privilegium Clericale: nam privatio præſupponit habitum, *l. Decem.* & Bartolus *ibid. in Summario. ff. de Verb. obligat.* Tacentur plures alij Canones, quos copioſè pro hac Canoniſtarum ſententia adducit Fagnanus *in cit. c. Cùm contingat, num.* 55. *& ſeqq. de Ætate & qualit. præficiend.*

19 Probatur eadem ſententia ratione. Quia prima Tonſura imprimit characterem; prout fatetur Sixtus V. *in Motu proprio contra malè promotos* (ac refertur *Tom. 2. Bullarij Romani Conſtitut.* 91. ejuſdem) dum ibidem §. 1. primam Tonſuram appellat *Clericalem characterem.* Idipſum innuit Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 2. verbis illis: *Qui jam Clericali Tonſurâ inſigniti eſſent.* Ubi ponderandum ly, *Inſigniti*: quo verbo deſignari impreſſionem Characteris in anima recipientis Tonſuram, ſuadent ſimilia verba Apoſtoli, impreſſionem Characteris denotantia, 2. Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos.* Et Epheſ. cap. 1. *In quo ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Unde etiam prima Tonſura, ad inſtar cæterorum Ordinum, reiterari nequit.

20 Accedit, quòd in collatione primæ Tonſuræ adhibeatur certa materia, & ſpecialis forma, juxta ritum Eccleſiæ obſervanda; ergo eſt verus Ordo, imò & Sacramentum novæ Legis: nā in collatione Sacramentorū duntaxat certæ materiæ & formæ ſunt præfinitæ, juxta Concilium Florentinum *in Decreto Unionis*, §. *Quinto.* & Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 2. non autem in nuda collatione alicujus officij, ſeu gradûs, qualem juxta Theologos importat Ordo largè ſeu impropriè dictus. Antecedens probatur: quia materia in collatione primæ Tonſuræ requiſita, eſt Superpelliceum. Forma verò tunc adhibenda, conſiſtit in illis verbis: *Induat te Deus novum hominem &c.* Et hæc quidem duo adeò neceſſariò requiruntur, ut ipſis non adhibitis prima Tonſura, ſeu Clericalis Ordo non conferatur, argumento à ſenſu contrario deſumpto ex jam *cit. c. Cùm contingat. de Ætate & qualit. præficiend.* dum ibidem dicitur: *Per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis Ordo confertur*; ponderando ly, *juxta formam Eccleſiæ.*

Confirmatur hæc ſententia. Nullum Sacramentum prærequirit de neceſſitate præcepti characterem Confirmationis, niſi Sacramentum Ordinis. D. Thomas *in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. q. 8.* & alij. Atqui prima Tonſura prærequirit characterem Confirmationis, juxta Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ergo Tonſura eſt Sacramentum Ordinis.

Tacentur aliæ rationes Canoniſtarum, quarum univerſim viginti duas affert Fagnanus, *ubi ſuprà:* exinde à *num.* 119. *& ſeqq.* reſpondens ad fundamenta Theologorum. Cæteris autem brevitatis causâ dimiſſis, notandum, cum eodē Fagnano, *n.* 132 quòd ponderationes ex Concilio Tridentino pro ſententia Theologorum ſuperiùs *n.* 12. adductæ non convincant. Siquidem *illius Sacroſancti Concilij præcipua cura, ſollicitudo, & intentio fuit, ut propulſatis Hæreſum tenebris - - - Catholicæ veritatis lux, candor, puritasq; refulgeat; & ea, quæ reformatione egent, reformentur*, prout eadem Sancta Synodus *in Seſſ.* 2. expreſsè proteſtatur: ac proinde præſentem controverſiam, adeò inter Theologos & Canoniſtas controverſam, diffinire noluit, ſed ab ejus deciſione, veluti ad ſuam primariam intentionem minùs deſerviente, conſultò abſtinuit: imò ita quoad præſens punctum loquebatur, ut Canoniſtæ pariter fortè argumentum, ac *n.* 19. allegatum, in favorem ſuæ ſententiæ inde deſumere poſſint.

Deinde, quantùm ad praxin attinet, eſt fatendum, quòd prima Tonſura juxta Sacros Canones obtineat nomen *Ordinis*, atque Minoribus connumeretur, *arg. cit. c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate & qualitat. præficiend.* cum concordantijs: & ſic nomine Ordinum veniat, juxta Gloſſam *in c. Eos qui. ℣. Ordinare. de Tempor. Ordinat. in 6.* Unde, quia irregularitas impedit ſuſceptionem Ordinum, hinc ea etiam impedit receptionem primæ Tonſuræ; prout tenuit Rota *in una Romana Penſionis. 3. Julij.* 1583. *coram Seraphino*, quam citat, & ſequitur Bonacina *tom. 1. diſp. 7. de Irregularitate.*

quæſt.

quæſt. 1. *punct.* 1. *num.* 4. poſt Suarez *de Cenſuris, diſp.* 40. *ſect.* 1. *num.* 11. *& ſect.* 2. *n.* 2. Filliucium *tract.* 19. *cap.* 3. *num.* 59. Reginaldum,pluréſque alios: atque omninò certum eſſe,cenſet Jacob. Pignatellus *tom.* 8. *Conſult.* 146. *n.* 7. quidquid nonnulli Theologorum apud citatum Bonacinam contradicant.

Inſuper, quia Epiſcopus in aliena Diœceſi Ordines conferens abſque licentia Ordinarij illius loci, ab exercitio Pontificalium,& ſic Ordinati ab executione Ordinum, ſunt ipſo jure ſuſpenſi; prout ſtatuit Concilium Tridentinũ *Seſſ.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* hanc pœnam ſuſpenſionis etiam incurri ob totaliter collatam, & receptã primam Tonſuram,cenſet Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 49. *quæſt.* 5. Leſſius *lib.* 2. *de Juſt. & jur. cap.* 44. *dubit.* 19. *num.* 91. Bonacina *diſp.* 8. *de Sacramentis. quæſt. un. punct.* 4. *num.* 27. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 6. *num.* 15. citans alios; quamvis non paucos etiam alleget in oppoſitum. Atque ſervatâ proportione idem erit dicendum in ſimilibus.

Accedit Stylus Curiæ Romanæ.Nam,quòd Rota Romana in judicando procedat ex ſuppoſitione,quòd prima Tonſura ſit Ordo, notat Jacobus Pignatellus *tom.* 2. *Conſultat.* 66. *num.* 11. allegans Deciſionem Rotæ *in una Ferrarien. Penſionis.* 21. *Martij, coram Virili, num.* 3. ubi teſtatur de Stylo ejuſdem Curiæ. Navarrus *Conſil.* 11. *num.* 1. & 2. *de Temporib. Ordinat.* & alij. Atque hæc ſententia pro Foro externo videtur retinenda: quamvis ante litẽ motam,& pro Foro conſcientiæ, Theologorum ſententia probabiliter ſuſtineri valeat, donec aliud à Sede Apoſtolica decidatur. Juvat prolixiorem hanc quæſtionem concludere illis verbis D. Apoſtoli, Rom. cap. 14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.*

Quæritur III. Utrùm Epiſcopatus ſit Ordo
2 propriè dictus? Reſp. I. Epiſcopatus eſt Ordo propriè dictus; commodè tamen reducitur ad Ordinem Sacerdotij, juxta ſententiam Theologorum, ſeptem duntaxat Ordines juxta ſeptiformem gratiam Spiritûs Sancti admittentiũ: quamvis ſecundùm mentem Canoniſtarum, atque ad ſimilitudinem Cæleſtis Hierarchiæ, novem Ordines Angelorum habentis, etiam à ſimplici Sacerdotio ſejungi, & pro nono Ordine collocari queat. Ita in re communis. Et quidem prior pars,aſſerens, quòd Epiſcopatus ſit Ordo propriè dictus,defactò eſt certa, ideò ut oppoſitum tenere ſit periculoſum. Siquidem Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. Epiſcopatum expreſsè inter Ordines connumerat, dum ait: *Docet inſuper Sacroſancta Synodus, in Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinũ* &c. Accedit ratio: quia Epiſcopo competit quædam ſpecialis poteſtas Ordinis, in quantùm Epiſcopo; nimirum poteſtas conferendi Sacramentum Confirmationis, & Ordinis: ſimulq; conſecratio Epiſcopi ampliùs tolli, aut dicta poteſtas validè conficiendi illa Sacramenta,ulteriùs auferri nõ poteſt. Et per hoc etiã probatur ultima pars, quæ declarat mentẽ Canoniſtarum;

Altera verò pars ex eo ſuadetur: quia, licèt 27
Epiſcopatus ſit Ordo à ſimplici Sacerdotio diſtinctus,ut definit Concil. Trident. *Seſſ.* 23. *can.* 7. tamen & ipſe ſub generali ratione Sacerdotij comprehenditur, ſumendo nempe Sacerdotiũ amplè, pro poteſtate non ſolùm conſecrandi, ſed etiam validè conferendi omnia alia Sacramenta, quæ requirunt Miniſtrum conſecratũ. Quo modo ſumendo Sacerdotium, iſtud poſteà ſubdividitur in Presbyteratum,cui competit adminiſtratio Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis; & in Epiſcopatum, cui inſuper convenit poteſtas conferendi jure ordinario Confirmationem, & Ordinem. Hinc S. Anacletus Papa, *in Epiſt.* 3. *cap.* 1. ait, Ordinem Sacerdotum bipartitum eſſe, ſcilicet Epiſcoporum & Presbyterorum.

Et ſi petas, quomodo intelligendus ſit *can.*
Cleros. diſt. 21. ubi dicitur: *Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis, & Epiſcopis?* Reſp. Iſtud eſſe intelligendum de gradu Epiſcopali, utpote qui multiplex eſt quoad dignitatem, ampliorémque juriſdictionem,juxta quam datur quidam ordo, ſive gradus inter ipſoſmet Epiſcopos: non autem de Ordine propriè dicto,ſeu ut Sacramentum eſt. Quia Epiſcopalis Ordo unus tantùm eſt; ut pariter conſtat ex S. Anacleto Papa, *cit. Epiſt.* 3. *cap.* 3. *℣. Epiſcoporum verò.* & notat Barboſa *in cit. can. Cleros. diſt* 21. *num.* 5. poſt Turrecrematam *ibid. num.* 14. & alios. 28

Dum autem ibidem B. Iſidorus,qui eſt author
cit can. Cleros,ſupponit, Archiepiſcopum differre à Metropolitano, ac iſto majorem exiſtere, 29
ibi: *Archiepiſcopis, Metropolitanis.* Cui ſententiæ etiam favet Juſtinianus Imperator, *in Auth. de Privileg. Archiepiſc. Collat.* 9. *circa princip.* ibi: *Non ſolùm Metropolitanus,ſed etiam Archiepiſcopus fiat.* Dicendum eſt cũ Gloſſa *in cit. can. Cleros. ℣. Archiepiſcopis*, quòd hoc nomine ibidem intelligantur Primates, ſeu alij Patriarchæ minùs principales; ut Aquileienſis, de quo habetur *can. Nunc verò.* 11. *q.* 3. Bituricenſis, de quo *can. Conqueſtus eſt.* 11. *q.* 3. Grandenſis, de quo in Superſcriptione *can. Erubeſcant. diſt.* 32. Cantuarienſis, de quo eadem Gloſſa; & Piſanus, quem addit Gloſſa marginalis in *can. ult. diſt.* 22. Vel,ſi hæc reſponſio non placet, dicendum erit, quòd doctrina Iſidori, veluti Doctoris privati,in hoc puncto ſit relinquenda, eique præferenda clara deciſio Juris: nam, quòd Metropolitanus & Archiepiſcopus ſumantur pro eodem,habetur *in c. Referente.* 7. *de Præbend.* ibi: *Ad Metropolitanum, videlicet Rhemenſem Archiepiſcopum appellavit.* Siquidem dictio illa, *videlicet*, eſt declaratoria ejuſdem rei,perſonæ, *c. Tranſmiſſæ.* 4. *De eo,qui cognovit conſanguin.* Barboſa *loc. cit. n.* 6. cum pluribus alijs.

§. II.

§. II.

De Temporibus faciendarum Ordinationum.

SUMMARIUM.

30. *Prima Tonſura, quando, & ubi conferri poſſit?*
31. *Et quando quatuor Ordines minores?*
32. *Hi in quibuſdam Eccleſijs conferuntur Feriâ ſextâ Quatuor Temporum.*
33. *Ordines majores, quo tempore ſint conferendi?*
34. *Epiſcopatus confertur die Dominico, vel Natalitio Apoſtolorum.*
35. *Ex privilegio Papali poteſt quis ordinari extra Tempora.*
36. *Poteſt pars Ordinationis differri in ſequentem Dominicam, continuato tamen jejunio.*
37. *An in tali caſu requiratur jejunium naturale?*
38. *Vel ſufficiat Eccleſiaſticum?*
39. *Liceátque tunc ſumere prandium, & collationem veſpertinam?*
40. *Fratres Minores, aliíque Religioſi communicationem privilegiorum habentes, an poſſint ordinari extra tempora à Jure ſtatuta? Et num. ſeqq.*
Refertur ſententia negativa cum rationibus ſuis. Ibid.
41. *Affirmativam ſententiam tenent plurimi Doctores.*
42. *Sed cum diſcrimine.*
43. & 44. *Referuntur privilegia ante Concilium Tridentinum conceſſa Regularibus ſuſcipiendi Ordines extra tempora.*
45. *Fratres Minores communicant in privilegijs aliorum Ordinum, tum conceſſis, tum concedendis.*
46. *Solvuntur rationes negativæ ſententiæ. Et num. ſeqq.*
47. & 48. *Nec memorata privilegia per Concilium Tridentinum videntur revocata.*
49. & 50. *Idque oſtenditur etiam ex mente Summorum Pontificum.*
51. *Affirmativa ſententia confirmatur per privilegia poſt Concilium Trident. Regularibus conceſſa.*
52. *Nomine* Diei Feſtivi, *an comprehendatur Feſtum duplex? Et num. ſeqq.*
Refertur, ac probatur ſententia affirmativa.
53. *Vera ſententia ponitur.*
54. *Solvuntur contraria.*
55. *Notabilis Declaratio Sac. Congregationis Concilij Tridentini quoad hoc.*

30 QUæritur I. Quo tempore ſinguli Ordines ſint conferendi? Reſp. I. Prima Tonſura quovis die, horâ, & loco honeſto, etiam extra Miſſarum Solemnia, conferri poteſt. Ita Pontificale Romanum *Tit. de Clerico faciendo.* Neque alicubi in Jure habetur quid aliud de ea conſtitutum, cùm nec ſit Ordo propriè dictus.

31 Reſp. II. Ordines Minores poſſunt dari non ſolùm in generalibus Ordinationibus, ſed etiam ſingulis Dominicis, atque Feſtivis diebus, imò & extra Miſſarum Solemnia, ſed in manè tantùm. Ita rurſus Pontificale Romanum, *Tit. De Minoribus Ordinibus.* Concordat *c. De eo. 3. h. t.* ibi: *Licitum eſt Epiſcopis, Dominicis, aut alijs Feſtivis diebus, unum aut duos ad minores Ordines promovere.* Ubi Gloſſa, *℣. Aut duos*, rectè notat, etiam plures poſſe ordinari, dummodò non tot ordinentur, ut videatur eſſe generalis Ordinatio. Quid autem nomine Feſtivi Diei, quo Ordines minores conferri poſſunt, intelligatur, commodiùs infrà *num. 52. 53. & ſeqq.* dicetur.

32 Notat tamen Layman *in cit. c. De eo. h. t.* quòd quatuor minores Ordines in quibuſdam Eccleſijs conferantur non in Sabbato, ſed per quandam anticipationem præcedente Feriâ ſextâ, vel quartâ: quæ conſuetudo (inquit) reprehendi non poteſt. Neque neceſſe eſt, ut conferens ſit jejunus; prout idem cum alijs obſervat. Quinimò Gobat *Tract. 8. Theolog. Experiment. num. 452.* teſtatur, à Germanis Epiſcopis conferri Ordines minores Feriâ ſextâ quatuor Temporum, ſed Conſtantiæ (ait) manè illius Feriæ ſextæ: ab Epiſcopis Hiſpanis autem veſpere illius Feriæ ſextæ, atque hoc concedere conſuetudinem ubique receptam, inquit Fagnanus *in cit. c. De eo. n. 41. h. t.* poſt Henriquez *in Summa lib. 10. cap. 12. §. 2.* licet ſubjungat, præſtare, ut dicta conſuetudo tollatur. Certè olim collationem Ordinum non fuiſſe alligatam tempori determinato, liquet ex *can. Quando. diſt. 75.* ibi: *Quando, & ubi libitum fuerit, uſque ad Subdiaconatûs officium Clerici ordinentur.*

Reſp. III. Majores Ordines non niſi in quatuor Temporibus, aut Sabbato ſancto, vel Sabbato ante Dominicam Paſſionis, ab ullo Epiſcopo, præter Romanum Pontificem, licitè conferuntur. Ita habetur *in cit. c. De eo. 3. h. t. & can. ult. diſt. 75.* Et meritò hiſce temporibus, quæ ſpecialiùs orationi, & jejunio conſecrata eſſe noſcuntur, generales Ordinationes fieri præcipiuntur, ut communibus votis Sancta Mater Eccleſia inter alia cæleſtia dona, dignos quoque Miniſtros Altaris à Deo obtinere mereatur.

Dices. In *can. Quod die. diſt. 75.* dicitur, 4 Sacerdotes die Dominico eſſe ordinandos, ibi: *Quòd die Dominico ordinationes Sacerdotum celebrentur, non tantùm ex conſuetudine, ſed etiam ex Apoſtolica novimus venire doctrina*; ergo. Reſp. neg. conſequent. Nam, ut benè explicat, & probat Gloſſa, ibidem, ly, *Ordinationes Sacerdotum* idem eſt, ac *Epiſcoporum conſecrationes.* Quia Epiſcopatus confertur die Dominico, vel Natalitio Apoſtolorum

rum, niſi Summus Pontifex aliud ſpecialiter indulſerit, *can.* 1. *diſt.* 75. & habet Pontificale Romanum, *tit. de Conſecratione Electi in Epiſcopum.* Cæteri verò Ordines majores non niſi in prædictis Sabbatis conferuntur.

3 Excipitur tamen caſus ille, quo quis à Sum̃o Pontifice habet ſpeciale privilegiũ, aut diſpenſationem, vi cujus vel poſſit ordinari, vel alijs Ordines conferre, extra prædicta tempora. Nã, ſicut Papa poteſt Clericos extra dictos dies ordinare, ita & alijs hanc poteſtatem conferre: cùm ſecundùm plenitudinem poteſtatis, de jure poſſit ſupra jus diſpenſare, *c. Præpoſuit.* 4. *de Conceſſ. Præbend.* Atque ideò notanter in Concluſione additum fuit ly, *Præter Romanum Pontificem.*

3 Excipitur inſuper caſus ille, quo Epiſcopus ſive ob multitudinem Ordinandorum, ſive ob infirmitatem, quæ invaſit Ordinatorem, vel Ordinandum, ſive ex alia rationabili cauſa, partem Ordinationis differat in ſequentem diem Dominicum, eamq; *mane, ipſo Dominico die, continuato jejunio Sabbati celebret*, ut loquitur *can. Quod à Patribus. diſt.* 75. Nam tunc *propter continuationem jejunij, fictione canonicâ - - - Veſpera cum mane ad eundem diem pertinere dicetur*; prout notatur in *c. Litteras.* 13. *h. t.* & concordat illud Geneſ. cap. 1. *Et factum eſt veſpere, & mane, dies unus.* Debet autem tunc jejunium continuari tam ab Epiſcopo ordinante, quàm ab Ordinandis, juxta Gloſſam communiter receptam *in cit. c. Quòd à patribus.* ℣. *Continuato.* Occaſione cujus

3 Quæritur II. An in caſu, quo Epiſcopus continuato jejunio perficit ordinationem die Dominico, juxta proximè dicta, oporteat jejunium illud eſſe naturale, vel ſufficiat Eccleſiaſticum? Reſp. Circa hujus dubij reſolutionem variant Doctores. Et quidem Abbas Panormit. *in c. Litteras. n.* 4. *h. t.* & Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 8. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 85. & quidam alij, cenſent eſſe obſervandum jejunium naturale, adeò, ut ne quidem liceat Epiſcopo ablutionem ſumere in Miſſa Sabbati. Et hujus ſententiæ ratio videtur eſſe: quia hoc jejunium à Doctoribus ſolet appellari magnum, atque periculoſum, juxta dicenda *num.* 39. ſicque cenſetur eſſe non merè Eccleſiaſticum, ſed etiam naturale.

Alij econtrà arbitrantur, ſufficere jejunium Eccleſiaſticum, quale per ſumptionem ablutionis non ſolvitur; ut Sanchez *lib.* 7. *Conſil. Moral.* 1. *dubit.* 51. *n.* 5. Sylveſter ℣. *Ordo.* 2. *q.* 6. Jordanus, & alij, quos refert, ac ſequitur Gobat *Tract.* 8. *Theolog. Experim. n.* 355. *& ſeqq.* Et hæc ſententia videtur probabilior: tum quia Eccleſia non ſolet exigere aliud jejunium, quàm Eccleſiaſticum, niſi ubi ſpecialiter id exprimit: prout iſtud exprimitur de ſumpturis SS. Euchariſtiæ Sacramentum, *can. Liquido. de Conſecr. diſt.* 2. junctis Rubricis Miſſalis Romani, *tit. de defectibus diſpoſitionis corporis.* Tum quia ipſemet Abbas *loc. cit. n.* 3. & alij cenſent, Ordinationem continuato jejunio poſſe differri in diem Dominicum, etiã ob infirmitatem Ordinatoris, vel Ordinandi, quæ ipſum invaſit: quis autem dicat, ſubitò infirmatum tanto tempore cogi ad ſervandum jejunium naturale, & abſtinendum ab omni confortatione cibi, potûs ac medicinæ?

Dices. Ergò in tali caſu poterit Epiſcopus ordinans, ipſeque Ordinandus, Sabbato circa meridiem ſumere prandium, & noctu collatiunculam: nam hoc permittit jejunium Eccleſiaſticũ. Reſp. neg. ſequel. Quia enim per prandium, ſive juſtam refectionem, ſolvitur jejunium Eccleſiaſticum, juxta phraſin Summiſtarum: hinc in tali caſu Gobat *loc. cit. n.* 356. haud immeritò tenet, abſtinendum eſſe à prandio, ſeu unâ juſta refectione, quamvìs poſſit accipi purificatio in Miſſa, & aliqua refocillatio per diem, ut puta collatio veſpertina. Idipſum ſuadetur ex eo: quia, licèt Sanchez *loc. cit. n.* 4. cenſeat, ſufficere jejunium Eccleſiaſticum, ipſe nihilominùs hoc jejunium appellat *magnum*; & Lauretus de Franchis *in Controverſijs inter Epiſcopos & Regulares, part.* 1. *num.* 294. poſt Innocentium, Hoſtienſem, & alios *in cit. c. Litteras. h. t.* illud vocat *indiſcretum, & maximè periculoſum.* Atqui tale non foret, ſi liceret ſumere juſtum prandium; nam tale jejunium ſervatur, & continuatur in diem Dominicum, communiter à cæteris Fidelibus, ac præſertim ab illis, qui tunc SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumere intendunt. Accedit, quòd non ſine myſterio videatur in *cit. c. Litteras. h. t.* trinâ vice repetitum ly, *continuato jejunio.* Potiùs quippe credendum videtur, id factum eſſe ad oſtendendam magnitudinem hujus jejunij, ſaltem in hoc conſiſtentem, quòd ſit abſtinendum à prandio, ſeu unâ juſtâ refectione. 39

Quæritur III. Utrùm Fratres Minores, aliique Regulares communicationem privilegiorum habentes, defactò poſſint ordinari extra tempora à Jure ſtatuta? Reſp. In reſolutione hujus quæſtionis variare Doctores. Et quidem ſententiam negativam ex profeſſo tradit Ludovic. Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 4. Rationem dat: quia Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* expreſsè decrevit, quòd *Ordinationes ſacrorum Ordinum, ſtatutis à Jure temporibus - - publicè celebrentur.* Quibus verbis, quamvìs id non dicatur, neque apponatur clauſula revocatoria privilegiorum, ſtatim revocari videntur privilegia olim in contrarium conceſſa. Et hoc maximè ex eo, quia idem Concilium *Seſſ.* 25. *cap.* 22. *de Regularib.* quaſi epilogando omnia, quæ anteà circa Regulares decreta fuerant, concludit, dicens: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus Decretis contenta, obſervari Sancta Synodus præcipit omnibus Cœnobijs, ac Monaſterijs - - cujuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, vel aliorum Regularium Monachorum, aut Canonicorum quorumcunque; non obſtantibus eorum omnium, & ſingulorum privilegijs, ſub quibuscunque formulis verborum conceptis &c.* Addit Miranda Conſtitutionem Sixti V. *Sanctum & ſalutare* (ac refertur *Tom.* 2. *Bullarij Romani, Conſtit.* 91. dicti Pontificis) ubi is ſub pœna ſuſpenſionis, & alijs gravioribus prohibet, etiam Regulares quoſcunque ordinari extra tempora à Jure ſtatuta. 40

41 Econtrà ſententiam affirmativam, ſeu quòd ex clementiſſima, veréque paterna conceſſione plurium Summorum Pontificum, poſſint Regulares, ut puta Fratres Minores, etiam defactò ordinari extra tempora à Jure ſtatuta, Dominicis, aut alijs Feſtivis diebus, continuis vel interpolatis, tenet Emmanuel Rodericus *tom. 3. Quæſt. Regular. q. 23. art. 5.* Portel *in dubijs Regularium. ℣. Ordo. num. 4.* Hyacinthus Donatus in *Praxi Rerum Regularium, tom. 3. tract. 3. quæſt.* 26. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 17. *n. 6. & lib.* 1. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 33. num.* 179. *& ſeqq.* Diana *part. 3. tract. 2. reſol.* 31. *& part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 57. ubi aſſerit, quòd plures è ſua Religione fuerint à multis Epiſcopis ad Ordines extra tempora admiſſi. Herincx *part. 4. Summæ Theologiæ. diſp. 10. de Sacramento Ordinis. n.* 88. allegans inſuper Præpoſitum, & Averſam *quæſt. 3. ſect.* 9. quorum poſterior teſtatur, illud pro ſua Religione ſæpiùs in pluribus Diœceſibus, & in Romana ipſa Urbe ſervatum. Sannig *h. t. cap. 5. n. 2.* Baſſæus Capucinus *tom. 1. Florum Theolog. ℣. Ordo. 4. num. 5.* allegantes inſuper pro hac ſententia Monetum *De commutat. ult. volunt. cap.* 10. Hier. Rodericum *in Compendio Quæſt. Regular. reſol. 106. n. 7.* Villalobum *in Summa, part. 1. tract. 11. diffic. 13. n. 7.* Marchinum *de Sacram. Ordin. part. 1. cap. 7. n. 1.* Homobonum de bonis *de Examine Eccleſ. tract. 2. cap. 1. q. 13.* & plures alios.

42 Verùm & hi Doctores non undequaq; inter ſe conveniunt. Siquidem Barboſa *cit. lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap.* 33. *n.* 182 poſt Aloyſ. Riccium *in Deciſ. Curiæ Archiep. Neapol. Deciſ.* 93. *n. 6. part.* 4. Hier. Rodericum *cit. reſolut. 106.* & Lezanam *in Summa Quæſt. Regular. tom. 1. cap. 14. num. 19.* etſi conceſſerit, Regulares poſſe ordinari ab Epiſcopo ſacris Ordinibus extra tempora; addit tamen, iſtud fieri non poſſe virtute privilegiorum à Sum̃is Pontificibus ante Concilium Tridentinum conceſſorum: idque videtur negâſſe propter rationes proximè ex Miranda relatas. At verò Emmanuel Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regular. quæſt. 8. art. 7. & cit. tom. 3. q. 23. art. 5.* Diana, Donatus, Sannig, Herincx *ubi ſuprà*, pluresque alij ab his citati, docent, privilegia olim Regularibus conceſſa ſuſcipiendi Ordines extra tempora, non fuiſſe revocata per Tridentinum: & conſequenter ipſos defactò poſſe ordinari extra tempora Dominicis, Feſtiviſque diebus, non ſolùm virtute privilegiorum, quæ ipſis poſt Concilium Tridentinum denuò ac immediate conceſſa fuerunt, vel in quibus cum alijs communicant, ſed etiam virtute privilegiorum ante dictum Concilium emanatorum.

43 Hæc ſententia ſuadetur partim enumerando hujusmodi privilegia, per Romanos Pontifices tá ante, quàm poſt Conciliũ Tridentinũ Regularibus conceſſa; partim ſolvendo contraria, quæ adducit Miranda, *ubi ſuprà.* Imprimis enim Romanus Pontifex, ſicut quolibet tempore Ordines conferre poteſt, *cap. 1. & 3. h. t.* ita & diſpenſare, ſeu per ſpeciale privilegium concedere, ut quis extra tempora à Jure ſtatuta poſſit ab aliquo Antiſtite ad Ordines promoveri: atqui ita diſpenſavit, ſeu conceſſit Fratribus Minoribus, aliisq; Regularibus com̃unicationem privilegiorum habentibus; ergo. Minor probatur inductione. Sic enim Eugenius IV. inter alia conceſſit Ordini S. Benedicti, ut poſſint *extra tempora à Jure ſtatuta*, à quibusvis Cathol. Antiſtitibus, gratiam & com̃unionem S. Sedis Catholicæ habentibus, ordinari. Idémq; conceſſit Alexander VI. Ordini S. Hieronymi, dum̃odò fiat ordinatio *tribus Dominicis, ſive Feſtivis diebus ſucceſſivè*; prout refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum. *℣. Ordines ſacri, num. 9. &* 10. *&* 11. & ampliùs declarat Emman. Rodericus *cit. tom. 3. quæſt. 23. art. 4. & 5.*

Idipſum liquet ex Bulla Pauli III. quæ incipit, *Licèt debitum*, durante Concilio Tridentino, ſeu *Anno 1549. 15. Kalend. Novembr.* edita (& refertur *Tom. 1. Bullarij Romani, Conſtitut.* 48. ejusdem Pontificis) in qua dictus Pontifex præter alias complures gratias, *§.* 19. Fratribus Societatis JEſu indulſit, ut de licentia Superiorum ſuorum à quocunque Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, liberè ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratûs Ordines promoveri valeant. Atque in hoc privilegio communicare cæteros Ordines privilegiorum communicationem habentes, vel ex eo conſtat: tum quia iſtud nullam clauſulam reſtrictivam, ſeu dictæ communicationis excluſivam continet. Tum quia poſtmodùm B. Pius V. in Bulla, *Ad immarceſcibilem*, data poſt Concilium Tridentinum, ſeu *anno* 1567. 7. *Idus Februarij* (& refertur *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit.* 31. ejusdem) *in* §. 14. expreſsè omnia privilegia, Societati JESU conceſſa, Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum conceſſit, confirmavit, & innovavit.

Porrò Ordinem Fratrum Minorum com̃unicare in omnibus privilegijs, im̃unitatibus, conceſſionibus, indulgentijs & gratijs, quibuscunq; Congregationibus, & Ordinibus tum Mendicantibus, tum non Mendicantibus, quomodolibet conceſſis, & concedendis, ac ſuæ profeſſioni Regularis Obſervantiæ non adverſantibus, perinde, ac ſi eis ſpecialiter conceſſa fuiſſent: patet ex conceſſionibus Sixti IV. Alexandri VI. Julij II. & Leonis X. prout videre eſt in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, *℣. Communicatio Privilegiorum.* Concordat Bulla Clementis VII. quæ incipit: *Dudum fructus uberes*, 1525. emanata (& refertur per totum circa finem citati Compendij Privilegiorum) & Conſtitutione 51. Clementis VIII. *Ratio paſtoralis* (atq; habetur *Tom. 3. Bullarij Romani*) in qua dictus Pontifex Ordini Fratrum Minorũ Regularis Obſervantiæ, *authoritate Apoſtolicâ, & ex certa ſcientia*, confirmat, & innovat, atq; concedit, omnia privilegia, facultates, gratias & indulta, quæ alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, *ſub quacunque forma & expreſſione verborum*, per Romanos Pontifices conceſſa fuerunt, *illorum omnium*

nium

rium tenores, & formas datas, effectus & decreta in illis appoſita, acſi de verbo ad verbum infererentur, & in his inſerta eſſent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habendo in his omnibus, quæ Decretis Concilij Tridentini non adverſantur &c. Circa quā poſteriorem ejus clauſulam, & qualiter impræſentiarum non obſtet, præter inferiùs dicenda videatur Emanuel Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regular. q. 8. art. 7. & 8.*

4(Neque videntur urgere, quæ in oppoſitum adducit Miranda *num. 40.* relatus. Nam incipiendo ab ultimo, citata Conſtitutio Sixti V. *Sanctum & ſalutare*, poſtmodùm graviſſimis de cauſis per Clementem VIII. in ſua Conſtitutione 40. quæ incipit, *Romanum* (ac refertur *Tom. 3. Bullarij*) fuit moderata, & reducta ad terminos Juris communis, & Concilij Tridentini: unde, ſi virtute hujus priora privilegia non fuerunt revocata, dicta Conſtitutio Sixtina, quantùm ad propoſitum, dehinc non oberit.

4 Deinde nec videtur obſtare Concilium Tridentinum *cit. Seſſ. 25. cap. 22. de Regularib.* Nam, abſtinendo à Gloſſatione dicti Concilij, & inhærendo præcisè verbis ejuſdem, ac menti Doctorum, quòd Epilogus ille revocatorius privilegiorum reſpiciat ſolummodò ea, quæ de Regularibus ſtatuta ſunt in eadem Seſſione vigeſima quinta; non verò illa, quæ jam dudum antea in prioribus Seſſionibus ſalubriter decreta fuerunt: notat Emanuel Rodericus *cit. tom. 1. q. 8. art. 7. & tom. 3. q. 23. art. 5.* & Herincx *loc. cit. n. 90.* Idq; deſumitur tum ex verbis allegati Epilogi revocatorij, dum inquit: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus Decretis contenta &c.* non autem: *In ſuperioribus Seſſionibus.* Tum quia *credendum non eſt, Concilium Generale, quod aliàs excogitatum eſt multis vigilijs, & inventum, uno verbo ſubvertere voluiſſe*; prout in ſimili caſu loquitur Pontifex *in c. Eccleſia veſtra. 57. de Elect.*

4(Tandem neque videtur obſtare idem Concilium Tridentinum *in Seſſ. 23. cap. 8. de Reform.* Ibi enim præcipit quidem, ut *Ordinationes ſacrorum Ordinum, ſtatutis à Jure temporibus publicè celebrentur*: nullam tamen, quantùm ad hanc partem, appoſuit clauſulā revocatoriam privilegiorum; prout ipſemet Miranda *cit. quæſt. 38. art. 4.* ultrò fatetur: haud obſtante, quod talem clauſulam illicò ſubjungat idem Conciliū quoad alteram illius Capituli partem, decernendo videlicet, ne quis ab alieno Epiſcopo promoveri queat, etiam cujuſvis Reſcripti, vel privilegij prætextu, niſi ejus probitas ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur: quod ipſum ſæpiùs alibi facere ſolet, quando privilegia revocare intendit. Ergo ſignum eſt, privilegia illa, virtute quorum olim Regulares Mendicantes poterant extra tempora ordinari, ibi non eſſe revocata; *arg. cap. 1. de Conſtitut. in 6.* & quia *Generi per ſpeciem derogatur*, juxta Reg. 34. Juris in 6. cum ſimilibus.

4(Hoc ipſum agnoviſſe videtur Gregorius XIII. in Bulla 77. quæ incipit, *Pium & utile* (ac refertur *Tom. 2. Bullarij Romani*) dum §. 1. & 2. taxat quoſdam Antiſtites, qui noluerunt Societatis Alumnos ordinare juxta conceſſionem Pauli III. (de qua ſuperiùs *num. 44.*) ſicque agnovit, dictam conceſſionem per Conciliū Tridentinum non fuiſſe revocatam. Concordat declaratio B. Pij V. quæ habetur in ſua 41. Conſtitutione, *Etſi mendicantium* (& refertur *cit. Tom. 2. Bullarij*) ubi reſpondendo ad ſeptimum gravamen, olim Ordinibus Mendicantibus illatum, declarat in hæc verba. 7. *Seſſione verò 23. cap. 8. neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in Regularibus locum non habere omnino declaramus, ita quòd Fratres hujusmodi præfatos, etiam ſacros Ordines à quolibet Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, Ordinarij loci minimè requiſitâ licentiâ, in locis, ſeu Domibus Fratrum hujusmodi, aut alibi recipere poſſint.* Hactenus B. Pontifex.

Nec his obſtare videtur, quòd iſthæc Bulla B. Pij V. poſtmodùm per Gregorium XIII. fuerit revocata, & reducta ad terminos Juris communis, & Concilij Tridentini; uti liquet ex hujus Conſtitutione 9. quæ incipit, *In tanta*, & refertur eodem *Tom. 2. Bullarij.* Non, inquam, iſtud obſtare videtur: quia B. Pius V. hanc gratiam non de novo conceſſit; ſed ſolùm declaravit, ſæpè dictū *cap. 8. Seſſ. 23.* in Regularibus locū non habere (& conſequenter nec horum anteriora privilegia revocare) ponderando verbum illud, *omnino declaramus.* Atqui declaratio legis jam inerat legi, puta Concilio Tridentino, à principio juxta Gloſſam *in c. Sicut nobis, ℣. Reſpondemus. de Verb. ſignif.* atque deſumitur *ex Auth. De raptis mulierib. §. fin. Collat. 9.* ibi: *Tanquam ſi noſtra Lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuiſſet à nobis:* eſtq; de ipſis etiam Declarationibus Cardinalium jam dictum ſuprà *in Proœmio. §. 8. n. 132.* 50

Eadem ſententia affirmativa confirmatur per Privilegia Apoſtolica, poſt ipſum Conciliū Tridentinum Regularibus conceſſa, commmunicata, confirmata ſeu innovata. Nam tacendo nunc Declarationem B. Pij V. proximè allegatam, & communicationem privilegiorum Societatis JESU, poſt abſolutum dictum Oecumenicum Concilium, Congregationi Clericorum Regularium Theatinorum expreſsè conceſſam, juxta dicta *num. 44.* Tale privilegium Concilio Tridentino poſterius, conceſſit Gregorius XIII. Societati JESU in jam citata Bulla, *Pium & utile. §. 3.* Et quamvis idem Pontifex *§. 4.* expreſsè prohibuerit, memoratum privilegium communicari alijs, etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate JESU expreſsè communicant: nihilominus, cùm non habeat imperium par in parem, *c. Innotuit. 20. de Electione.* per dictam clauſulam ipſe non ligavit manus Succeſſorum ſuorum, quin eandem gratiam alijs quibusdam Ordinibus concederent, ſeu communicarent: prout & factum. Sic quippe Clemens VIII. *die 23. Novembris.* 1596. conceſſit Congregationi S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia, ut poſſint ordinari extra tempora, & per quemcunque Epiſcopum, communionem Eccleſiæ Catholicæ habentem, tribus Dominicis, vel Feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non ſervatis interſtitijs. Quod privilegium oculis ſuis ſeſe vidiſſe, teſtatur Por- 51

tel *in Dubijs Regularium.* ℣. *Ordo. n* 4. Atque eandem gratiam, ut à quocunque Catholico Antiſtite Sacros Ordines, etiam extra tempora à Jure ſtatuta, tribus diebus Feſtivis ſuſcipere valeant, à Pio IV. factam eſſe Ordini S. Joannis Jeroſolymitani, habetur ex ejuſdem Bulla 9. quæ incipit, *Circumſpecta.* §. 62. (ac refertur *Tom.* 2. *Bullarij Romani*) quæ poſtmodùm confirmata fuit per B. Pium V. Gregorium XIII. Sixtum V. Gregorium XV. & Clementem VIII. prout citatis ſingulorum Pontificum Bullis oſtendit Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.*65. Porrò in hiſce, & alijs hujuſmodi privilegijs, communicare Ordinem Fratrum Minorum, patet ex paulò ſuperiùs dictis *num.* 45.

52 Quæritur IV. Quid intelligatur nomine *Diei Feſtivi*, quo tum Ordines minores, tum etiam virtute privilegiorum Ordines majores conferri poſſunt? Non pauci Doctores aſſerunt, nomini *Diei Feſtivi* non ſolùm comprehendi Feſtum Fori, in quo ſub præcepto eſt abſtinendū ab operibus ſervilibus; ſed etiam Feſtum Chori, quod ſub ritu duplici celebratur: ut Emanuel Rodericus *tom.*3. *Quæſt. Regul. q.* 23. *art.*5. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 17. *n.*7. citans Suarez, & alios. Engel *h. t. n.* 18. ac fuſiùs Gobat *Tract.* 8. *Theolog. Experiment. n.* 472. & *ſeqq.* allegans plures alios, hancque ſententiam appellans tam ſpeculativè, quàm practicè probabilem. Fundamentum præcipuum eſt: quia *in cap. un. de Reliquijs & venerat. Sanctor. in* 6. ſub nomine *Feſtivitatum* etiam intelliguntur Feſta Duplicia quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Eccleſiæ Doctorum, licèt hæc (demptis Feſtis Apoſtolorum) non ſint Feſta Fori, ſed Feſta Chori duntaxat, duplicia tamen: idem ergo dicendum videtur in propoſito; nam verba, ſi poſſunt, debent intelligi ſecundùm propriam ſignificationem, ac prout in Jure accipiuntur. Verùm his non obſtantibus,

53 Reſp. I. Per dies Feſtivos, quibus vel ex Jure communi permittitur Ordinum minorum collatio, vel ex ſpeciali conceſſione Pontificia poſſunt conferri Ordines majores, comprehenduntur ſoli illi dies Feſti, qui ſunt Fori, atque à Populo de præcepto ſervantur. Ita Gloſſa *in c. Sanè.* ℣. *Ad Sacros. h. t.* per hujuſmodi Dies Feſtivos intelligens *Dies ſolenniores*, ſive illos (ut nonnulli explicant) qui ſpecificantur *in cap. ult. de Ferijs.* Lugo *lib.* 1. *Reſponſ. Moral. Dub.* 34. Sylveſter ℣. *Ordo.* 2. *q.*6. & communior aliorum: qui tamen addunt ſufficere, ſi in Diœceſi ſit ſolemnitas Diei Feſti, licet ubique non celebretur; ut inquit Barboſa *in c. De eo. n.* 5. *h. t.* Ratio eſt: quia tum in Jure, tum in vulgari locutione, nomine *Diei Feſtivi* intelligitur Dies Feſtus, qui ſub præcepto à Populo ſervandus eſt; ut liquet ex *can.* 1. *de Conſec. diſt.*3. & *cap.* 2. & *cap. ult. de Ferijs.* Hinc in ſimili, dum Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* præcepit, ut Denunciationes publicè fiant in Eccleſia tribus continuis diebus Feſtivis, antequàm matrimonium celebretur, ſemper intelligitur de tribus diebus Feſtivis de præcepto à Populo obſervandis.

Nec urget ratio *num.*52. in contrarium allata. Nam *in cit. cap. un. de reliq. & venerat. Sanctor. in* 6. patet ex toto contextu, ibi nomen Feſtivitatis accipi in largiori ſignificatione, ac prout ſumitur in Rubricis Miſſalis, & Breviarij Romani, videlicet pro Feſto Duplici, ſive de in illud celebretur in Foro, ſive ſolùm in Choro. Secùs eſt in noſtro caſu: alioquin enim, cùm in Breviario, & Miſſali, nomine Feſti non ſolùm Officium Duplex, ſed etiam Simplex de Sanctis comprehendatur, ſequeretur, etiam in Feſto ſimplici poſſe Ordines memoratos conferri: quod nemo dicet, haud obſtante, quòd nonnulli apud Gobat *loc. cit. n.*474. id de Feſto ſemiduplici admiſerint.

Et hactenus dicta ampliùs probantur, ac pro tollendo omni dubio firmantur ex Declaratione Sac. Congregationis Concilij Trident. quam Proſper Fagnanus, olim dictæ Congregationis Secretarius, & hâc ratione memoratæ Sac. Congregationis ſecreta penitiùs inveſtigans, fideliúsque allegans, *in c. De eo. n.*42. *h. t.* refert in hæc verba:

„[Præſuppoſito, quòd minores Ordines poſſunt conferri diebus Dominicis, aut aliàs Feſtivis; dubitatur, an appellatione Diei Feſti comprehendatur Feſtum, in quo ab Eccleſia fit officium, an verò deberet eſſe Feſtum, quod à populo colatur.

„Secundò: Idem eſt dubium quoad promovendos vigore de diſpenſationum de promovendo extra tempora diebus feſtis.

„Tertiò: An ex conſuetudine poſſit Epiſcopus uno, & eodem die, ad minores Ordines aliquos promovere.

„Quartò: An, ubi conſueverit ordinatus ad quatuor minores Ordines die Veneris, in die Sabbati ſequentis ad Ordinem Subdiaconatûs promoveri, id ſit licitum propter conſuetudinem.

„Ad primum Sac. Congregatio Concilij cenſuit, comprehendi dies Feſtos, qui à populo ſervantur: *toto Tit. de Fer. de Conſec. diſt.* 3. *cap.* 1. *c.* 11. *Seſſ.* 25. *de Regular.*

„Ad ſecundum idem reſpondit.

„Ad tertiū, præſuppoſitâ conſuetudine poſſe.

„Ad quartum, licere Epiſcopo, ſi dies Veneris ſit dies Feſtus, & ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi id expoſcat, juxta Decretum Concilij *Cap.* 11. *Seſſ.* 23. non tamen in publicis Ordinationibus, ſed privatim, & aliquibus prædictos minores Ordines conferre.] Hæc ibi.

ſ. III.

§. III.
De Qualitatibus Ordinandorum.

SUMMARIUM.

56. *Ordinem recipi validè, & licitè, quid?*
57. *Ut validè recipiatur, quæ ſufficiant?*
Soli maſculi ſunt capaces Sacramenti Ordinis. Ibid.
58. *Diaconiſſæ, & Presbyteræ, quæ?*
59. *Sine Baptiſmo Sacramentum Ordinis non recipitur.*
60. *Ut Ordo licitè recipiatur, requiritur ſtatus gratiæ.*
61. *Et quòd quis ſit legitimè natus.*
Ac nullâ Cenſurâ, vel Canonico impedimento detentus. Ibid.
Et habeat animum permanendi in ſtatu Clericali. Ibid.
62. *Quòd ſit confirmatus?*
63. *Ætas legitima; & qualis?*
64. *Annus, quot dies habeat?*
An pro initio ſequentis anni debeat addi unus dies? Ibid.
65. *Ad Ordines minores non requiritur determinata ætas.*
66. *Requiritur in Ordinandis debita ſcientia; & qualis?*
67. *In Regularibus autem non requiritur tanta ſcientia, ac in alijs; & cur?*
68. *Quæ alia in Ordinandis requirantur? Remiſſivè.*
69. *Per* Titulum, *ut quis ordinari valeat, quid intelligatur?*
70. *Titulus ad Ordines minores non requiritur.*
71. *Titulus eſt triplex. I. Beneficij Eccleſiaſtici.*
72. *II. Patrimonij; & an tale poſſit alienari?*
73. *III. Paupertatis, ſeu Profeſſionis Religioſæ.*
74. *Nequeunt ordinari ad hunc Titulum Religioſi non profeſſi, aut qui ad certum duntaxat tempus ſunt profeſſi.*
75. *Et quid de Religioſis Societatis JESU?*
76. *Quid cenſendum de Titulo menſæ?*

56 QUæritur I. Quænam generatim requirantur ex parte Ordinandorum? Ubi ſupponendum eſt, quòd dupliciter intelligi poſſit, quidpiam requiri ex parte Ordinandorum; primò, ut Sacramentum Ordinis validè recipiant: ſecundò, ut etiam licitè. Et quidem *validè* tunc intelligitur Ordo recipi, quando ita recipitur, ut valeat, & ſubſiſtat Ordo receptus, ac proinde non ampliùs ſit reiterandus. Et hoc fieri poteſt, etiamſi quis hoc Sacramentum recipiat in peccato mortali, aut per ejus receptionem actu peccet, dummodò nihil deſit de eſſentialiter requiſitis ad ipſius validitatem. *Licitè* tunc intelligitur recipi Ordo, quando non ſolùm valet Ordo receptus, ſed inſuper receptio ipſius fit licito modo, ſeu abſque peccato. His prænotatis

57 Reſp. I. Ad validam Ordinis receptionem, præter debitam materiam, & formam, ac intentionem Miniſtri, & ſuſcipientis, ſi is ſit adultus, requiritur, ac ſufficit ex parte Ordinandi ſexus maſculinus, ſimulque quòd ſit baptizatus. Ita communis. Nam, quòd ſoli maſculi ſint capaces Sacramenti Ordinis, non autem fœmina, deſumitur *ex can. Mulieres. diſt.* 32. ac tradit Scotus *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 2. ubi hoc refundit in Legem Divinam, atque ordinationem Chriſti. Idipſum patet tum ex perpetua traditione Eccleſiæ: tum ex eo, quia neque B. V. MARIA hanc poteſtatem Ordinis à Chriſto Filio ſuo accepit, non obſtante, quòd fuerit dignior ac excellentior univerſis Apoſtolis.

58 Nec obſtat *can. Diaconiſſam.* 27. *q.* 1. ubi dicitur: *Diaconiſſam non debere ante annos quadraginta ordinari, ſtatuimus*: ſicque videtur ſequi, quòd poſt tale tempus poſſit ordinari. Reſp. enim cum Gloſſa *ibid.* ℣. *Ordinari;* & Doctore Subtili *cit. diſt.* 25. *q.* 2. §. *Ad ſecundum principale.* id eſſe intelligendum non de vera ordinatione, ſed quia ſuper talem fœminam fiebat aliqua benedictio, ex qua conſequebatur aliquod officium ſpeciale: ut puta, quia ex ordinatione Abbatiſſæ, vel Collegij, tunc competebat ei legere Homilias, aut Evangelia in Matutino, quod non licebat alijs: ſed ille non erat actus alicujus Ordinis. Eodem modo reſpondet Barboſa *in cit. can. Diaconiſſam.* 27. *q.* 1. *n.* 5. *& ſeqq.* Quamvis addat, quòd ſecundùm opinionem Waldenſis *de Sacramentis, tit.* 7. *cap.* 58. *n.* 7. Diaconiſſæ in præallegato textu, dicuntur uxores viduæ Diaconorum, quemadmodùm conſtat, Presbyteras dici uxores Presbyterorum, per textum *in can. Presbyter. & can. Mulieres. diſt.* 32.

Porrò, quòd ad validitatem Ordinis, ex parte Ordinandi requiratur Baptiſmus jam ſuſceptus, liquet ex eo: quia Baptiſmus eſt fundamentum, & janua omnium Sacramentorum novæ Legis, *can. Cùm itaque.* §. *fin. de Conſecr. diſt.* 4. Ac proinde ſine ipſo Sacramentum Ordinis validè nō poteſt recipi, *can. Si quis per ignorantiam.* 1. *q.* 1. Unde *in cap. de Presbyt. non ordinat.* dicitur: *Si quis Presbyt. ordinatus deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur.* 59

Reſp. II. Ut Ordo licitè, & abſque peccato, ac ritè ſecundùm Conſtitutiones Eccleſiæ recipiatur, plura requiruntur ex parte recipientis, ſive Ordinandi. I. Status gratiæ: hic enim requiritur ad dignam receptionem cujusvis Sacramenti novæ Legis. Huc reduci poteſt exterior vitæ, morúmque probitas, de qua diligens examen circa Ordinandos præmitti jubetur *in can. Quando. diſt.* 24. & Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 5. *de Reformat.* & concordat illud D. Apoſtoli 1. Timoth. 5. *Manus citò nemini impoſueris.* 60

61 II. Ex parte Ordinandi requiritur, ut ſit legitimè natus. III. Ut nullâ cenſurâ Eccleſiaſticâ, ſeu irregularitate, vel alio Canonico impedimento ſit detentus; prout tum in ſequentibus Titulis, tum in proprijs locis ampliùs dicetur. IV. Ut habeat animum clericandi, ſeu permanendi in Statu Clericali, juxta Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ubi ſtatuitur, ut primâ Tonſurâ non initientur, niſi illi, *de quibus probabilis conjectura ſit, eos non ſæcularis judicij fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.* Quòd ſi ſecùs fiat, aut ſine juſta cauſa Status Clericalis poſteà deſeratur, erit peccatum ſaltem veniale: nam à mortali excuſat levitas materiæ.

62 V. Ut quis licitè ordinetur, imò & primâ Tonſurâ initietur, requiritur, quòd ſit confirmatus. Patet ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ubi dicitur: *Primâ Tonſurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint* &c. Quòd ſi tamen ſecùs fiat, valebit quidem ordinatio, ſed ſcienter ſic Ordinans, imò & Ordinatus peccabit. An autem tale peccatum ſit mortale, vel duntaxat veniale, dixi in Theologia Morali *Tract.* 4. *diſt.* 3. *n.* 49.

63 VI. Requiritur ulteriùs in promovendis ad Sacros Ordines ætas legitima, & à Jure præſcripta. Eſt certum: intellige, niſi cum aliquo ſit legitimè diſpenſatum. Etſi autem antiquitùs minor ætas ſuffecerit, prout liquet *ex Clem. Generalem.* 3. *de Ætat. & qualitat. præficiend.* ubi poteſt quis liberè in decimo octavo ad Subdiaconatûs, & in vigeſimo ætatis anno ad Diaconatûs Ordinem promoveri: Jure tamen novo Concilij Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* nullus impoſterùm ad Subdiaconatûs Ordinem licitè promovetur ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, & ad Presbyteratum ante vigeſimũ quintũ ætatis ſuæ annum. Sufficit autem añus hujusmodi ſaltem inchoatus, etſi tantùm per medium diem, aut unicam horam ſit inchoatus: prout ex communi docet Herincx *diſp.* 10. *de Sacramento Ordinis, quæſt.* 7. *n.* 72. Idque patet ex praxi Eccleſiæ, quæ ſic citatum Decretum Tridentinum ſemper intellexit.

64 Ubi tamen notandum, quòd annus habeat trecentos ſexaginta quinque dies, & fermè ſex horas (undecim videlicet minutis deficientibus) tanto enim temporis intervallo Sol Zodiacum perluſtrat. Unde in computando initio vigeſimi quinti anni ætatis, ad Sacerdotium requiſiti, etiam habenda eſt ratio illarum ſex horarum: non enim poteſt dici inchoatus ejusmodi annus, niſi vigeſimus quartus annus de momento in momentum, adeoque etiam quoad illas ſex horas; ſit perfectè completus, ſimúlque aliquod temporis ſpatium, ut puta medius dies, vel ſaltem una hora, pro inchoatione ſequentis anni ſuperadditum. Quamvìs autem hæc difficultas hactenùs ceſſaverit, eò quòd ſex illæ horæ per additionem diei Biſſextilis, ſingulis quaternis annis factam, jam fuerint ſuppletæ. Quia tamen anno milleſimo ſeptingenteſimo, juxta regulas Correctionis Calendarij Romani more ſolito non intercalabatur Dies Biſſextilis, ſicque non ſupplebantur ſex illæ horæ proximè elapſis quatuor annis ultra 365. dies reſtantes, ac in ſimul totam diem conſtituentes: hinc ab Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo, usque ad annum vigeſimum quintum ejusdem ſæculi, ſemper addi debet unus dies ultra anniverſarium vigeſimi quarti anni ſuæ Nativitatis diem, ut quis poſſit dici inchoâſſe vigeſimum quintum ætatis annum. Atque in ſimili caſu ita fuiſſe declaratum à Sacra Congregatione Concilij Tridentini refert Fagnanus *in c. Ad noſtram. n.* 24. *de Regularib.* ubi inquit, quòd eadem Sacra Congregatio die 6. Novembris 1592. cenſuit, habendam eſſe rationem tam in promovendis ad Ordines, quàm in admittendis ad Profeſſionem, illorum decem dierum ſubtractorum in Calendario Gregorij XIII. ita ut addendi ſint illi decem dies ſubtracti. Hæc ille. 65

Dicitur notanter num. 63. *in promovendis ad Sacros Ordines.* Siquidem ad primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores licitè ſuſcipiendos, non requiritur determinata ætas, dummodò adſit ſufficiens ſcientia unà cum alijs requiſitis: quamvìs ante annum decimũ quartum (ſaltem inceptum) tales non poſſint obtinere Beneficium Eccleſiaſticum; prout decrevit Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* & notat Barboſa ibidem, *num.* 2. cum alijs. 66

VII. Inſuper requiritur debita ſcientia in Ordinandis: illiterati enim, ad Ordines non ſunt promovendi, *can.* 1. *& ſeqq. diſt.* 36. Concordat illud Propheticum, Oſeæ cap. 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Requirit autem Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Reform.* ad primam Tonſuram, ut initiandus ſit Fidei rudimenta edoctus, & ſciat legere, & ſcribere. Ad quatuor Ordines minores requiritur, juxta cit. Conciliũ Trident. *cap.* 11. ut Ordinandi ſaltem Linguam Latinã intelligant. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, poſtulat idẽ Concilium *cap.* 13. quòd Ordinandi ſint inſtructi in litteris, & ijs, quæ ad Ordinem ſuũ exercendũ pertinent. Et tandem ad Sacerdotium exigit in Ordinandis tantam ſcientiam, ut poſſint populum docere ea, quæ ſcire omnibus ad ſalutẽ neceſſarium eſt; ſimúlque miniſtrare Sacramenta.

Verùm, quòd in Religioſis non requiratur tanta ſcientia, quanta in Clericis ſæcularibus ordinandis, notant Sylveſter *v. Clericus.* 2. *n.* 1. Rodericus *tom.* 1. *Quæſt. Regular. quæſt.* 24. *art.* 7. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *de Dubijs Regul. Reſolut.* 86. Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæſt.* 8. *art.* 7. *§. Dico primò*, aſſerens hoc eſſe certiſſimum, atque conſtitutiſſimum. Lauretus de Franchis *in Controverſijs inter Epiſcop. & Regular. num.* 302. citans alios plures. Ratio eſt: quia Clerici ſæculares ordinantur ad peragendas functiones Eccleſiaſticas, 67

ſticas,

icas,quæ concernunt curam animarum, ſaltē
ıdirectè; atque ideò debent habere ſufficien-
:m ſcientiam in ordine ad ipſas.Econtrà Reli-
ioſi cōmuniter non ordinantur ad curam ani-
ıarum,ſed ad aſſiſtendum Choro,minſtrandū
ltari,atq; ad celebrandum Miſſas; unde ſuffi-
t, quòd ſciant neceſſaria ad hæc ſacra Mini-
eria ritè peragenda: nam ſi applicentur alijs
ccleſiaſticis functionibus curam animarum
oncernentibus,ut eſt concionari, Confeſſio-
es excipere, indigent novâ approbatione, &
pplicantur duntaxat idonei. Deinde quoad
eligioſos ſemper remanet ſpes, atque occaſio
omparandi majorem,& exactiorem ſcientiam
e rebus ad ſuum officium pertinentibus; eò
uòd continuæ inſtructiones circa hoc fieri ſo-
ant in Monaſterijs benè regulatis, tum per
lios Fratres litteratos & gnaros,tum per ipſos-
et Superiores, quod non tam facilè contingit
rca Clericos ſæculares. Si tamen non nemo
ecularium ordinari deſideret in eum duntaxat
nem, ut pro ſua devotione Miſſam celebret,
on autem, ut quoquo modo curæ animarum
applicet, nec tunc quoad ipſum requiri tan-
m ſcientiam, quanta eſt neceſſaria in alijs,no-
t Franchis *loc. cit. num.* 303.

3 VIII. Requiritur ex parte Ordinandi legi-
mus Titulus ſuſtentationis. IX. Ut ordinetur
proprio Epiſcopo,vel ſaltem obtinuerit licen-
am, ſeu Litteras Dimiſſorias, ut ab alio ordi-
ari valeat. X. Ut ſervet interſtitia tempo-
um. Et de hiſce tribus agetur ſingillatim in
ogreſſu. Tandem, ut taceantur alia his ſimi-
a, requiritur debitus ordo inter receptionem
nius vel alterius Ordinis; ita videlicet,ut nul-
s ordinetur per ſaltum, recipiendo Ordinem
ıajorem prætermiſſo minore, puta Diacona-
ım ante Subdiaconatum, vel Presbyteratum
ıte utrumque, aut ante alterum eorum; uti
atet ex *cap. un. De Clerico per ſaltum promoto*, ubi
: hoc.

9 Quæritur II. An, & qualis Titulus ſuſtenta-
onis requiratur,ut quis poſſit ordinari? Reſp.
Per *Titulum* in propoſito intelligitur Benefi-
um Eccleſiaſticum,vel aliud medium ſeſe ho-
eſtè ſuſtentandi. Et vocatur à nonnullis *Titu-
s ſuſtentationis*,a Pontificali Romano autem ab-
olutè *Titulus*. Cùm enim non deceat,ut Cleri-
, Divinis Officijs ſpecialiter adſcripti, cum
)rdinis dedecore mendicent,aut ſordidum ali-
uem quæſtum exerceant; idcircò nemo ad ſa-
os Ordines admittendus eſt, niſi ejusmodi
itulum,ſeu medium ſeſe honeſte alendi, poſ-
t oſtendere: prout tum *can. Neminem, & can.
nctorum. diſt.* 70. tum in Concilio Tridentino
ſſ. 21. *cap.* 2. *de Reform.* expreſsè habetur.

0 Dicitur, *ad ſacros Ordines*: nam ad Ordines mi-
ores non requiri Titulum, tenet communis
)octorum, ac praxis Eccleſiæ. Ratio eſt:
uia Clerici in Minoribus conſtituti, ſi ſe Cle-
caliter ſuſtentare nequeant, liberè poſſunt nu-
ere, aliaque negotia ſæcularia exercere. Et
nc Concilium Trident. *loc. cit.* notanter pro-
hibet ſolùm; ne quis ſine Titulo *ad ſacros Ordines
promoveatur*.

Reſp. II. Ejusmodi Titulus ad Ordines ſa- 71
cros requiſitus,triplex eſt, nimirum Beneficij,
Patrimonij, & paupertatis. Ita Pontificale Ro-
manum, *Tit. de Ordinatione Subdiaconi*, cum com-
muni. Primus itaque Titulus, eſt Beneficij Ec-
cleſiaſtici, dum tale quis pacificè poſſidet. Et
tale Beneficium non poteſt aliquis poſtmodùm
reſignare, niſi factâ mentione, quòd ad illius
Beneficij Titulum ſit promotus; neque ea re-
ſignatio admittatur, niſi conſtito, quòd aliun-
de vivere commodè poſſit: aliter autem facta
reſignatio,nulla eſt; prout decrevit Concilium
Trident. *cit. cap.* 2.

Secundus Titulus eſt Patrimonij, vel Pen- 72
ſionis. Ut tamen ad hunc Patrimonij, vel
Penſionis, quis ordinari poſſit, requiritur inſu-
per,quòd Epiſcopus judicet, talem pro utilita-
te vel commoditate Eccleſiarum ſuarum eſſe
aſſumendum, illudque Patrimonium, vel Pen-
ſionem,& ad vitam ſuſtentandam ſufficiens eſ-
ſe, & verè ab ipſo obtineri; ut ſtatuit Conciliū
Trident. *loc. cit.* illicò ſubjungens, quòd etiam
tale Patrimonium, vel Penſio, poſthàc ſine li-
centia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel re-
mitti nullatenùs poſſit,donec Ordinati Benefi-
cium Eccleſiaſticū ſufficiens ſtatui ſuo ſint ad-
epti,vel aliunde habeant, unde vivere poſſint,
antiquorū Canonū pœnas ſuper his innovando.

Tertius Titulus,eſt paupertatis,ſeu Profeſſio- 73
nis Religioſæ. Siquidem Religioſi Profeſſi,ut-
pote propter Chriſtum omnia ſua relinquen-
tes, nihilq; proprium in hoc Mundo poſſiden-
tes,ordinantur ad Titulum paupertatis, juxta
Pontificale Romanum *loc.cit.* Etenim paupertas
voluntaria, quam vovent Religioſi,approbatā
ab Eccleſia Religionem profitentes, tenet vicē
Tituli Beneficialis, cùm ipſis Monaſterium de
alimentis providere teneatur: imò & pro opi-
bus computatur; nam benè cuſtodita, præſer-
tim altiſſima Paupertas Fratrum Minorum,
Hæredes & Reges Regni cælorum inſtituit, ut
horum Regula *cap.* 6. loquitur. Unde non mi-
rum,quòd Concilium Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2 *de Re-
form.* de hoc Titulo Paupertatis mentionem
nō fecerit, ſed tractaverit ſolùm de Titulo Cle-
ricorum ſæcularium;ut patet ex illis verbis: *Sta-
tuit ſancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis*
&c.

Verumtamen B. Pius V. in Bulla *Contra malè
promotos*, edita 4. Octobris. 1568. quæ incipit, 74
Romanus Pontifex (ac refertur *Tom.* 2. *Bullarij Roma-
ni Conſtit.* 75. dicti Pontificis) gravibus de cauſis
dictum Decretum Concilij Trident. extendit ad
omnes,& ſingulos cujuscunq; Ordinis Clericos
Religioſos non profeſſos (ut ſunt Novitij) ſeu
ſæculares more Religioſorum in communi vi-
ventes, qui nunquam; aut non niſi ad certum
tempus, profeſſionem emiſerunt, & ex Clau-
ſtro exire poſſunt: unde hi omnes non poſſunt
ordinari, niſi obſervatâ formâ Concilij Triden-
tini,ſub pœnis in eadem Bulla B. Pij V. conten-
tis.

tis. Atque hoc ipſum habere locum tam in non profeſſis, quàm in nulliter profeſſis, cenſuit Rota *in una Urgellen. Canonicatus.* 3. *Martij*, 1595. *coram Illuſt. Blanchetto*, quam refert Nicol. Garcias *part.* 2. *de Beneficijs. cap.* 5. *n.* 11. & poſt ipſum Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 19. *n.* 5. citans alios. Siquidem nulliter profeſſus, reverà non eſt profeſſus; cùm talis profeſſio nullam inducat obligationem, nullumque juris effectum.

75 Speciale aliquid circa hoc habent Religioſi Societatis JEſu, ut poſt emiſſa, abſoluto Novitiatûs bienio, vota ſubſtantialia, etſi ſimplicia, poſſint ad ſacros Ordines, ipſumque Presbyteratum promoveri, juxta Bullam Gregorij XIV. *Eccleſiæ Catholicæ.* §. 16. & aliorum Pontificum conceſſiones. Verùm, quia nonnunquam contingit, jam ordinatos è Societate dimitti: hinc, ne tales in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogantur, tenentur Prælati ejusdem Societatis, taliter dimiſſis de honeſto victu providere, donec ſufficiens Beneficium Eccleſiaſticum conſequantur; prout declaràſſe Sixtum V. refert Barboſa *cit. allegat.* 19. *num.* 7.

76 Reſp. III. Prædictis tribus Titulis, juxta praxin, & antiquam conſuetudinem Germaniæ, & quarundam aliarum Religionum, addi poteſt *Titulus Menſæ*, vi cujus vel Princeps Territorialis, vel Civitas quædam, aut Monaſterium per literas ſe obligat, præſtandi in ſubſidium tali Clerico neceſſaria alimenta, quando is præ infirmitate, vel decrepitâ ætate, vel alio caſu ampliùs ſe honeſtè ſuſtentare nequiverit, ne alioquin in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Et hujusmodi Titulus ex eo potiſſimùm hiſce in partibus uſu invaluit; quia in Parochijs, præſertim amplioribus, opus eſt pluribus Clericis Cooperatoribus, nec Beneficia adeò frequentia exiſtunt, ad quæ ijdem poſſent ordinari: unde horum defectum munificentia Principum Territorialium, ſeu aliarum Communitatum, ex zelo propagandæ Religionis Chriſtianæ, per conceſſionem Tituli Menſæ ſupplere geſtiebat. Verùm de hoc Titulo Menſæ, utpote conſuetudine ſolùm introducto, Jura mentionem non faciunt: fuſiùs tamen de ipſo diſſerit Ludovic. Engel *in Collegio Juris Canonici, lib.* 1. *tit.* 14. *De Ætate & qualitat. præficiend. n.* 14. *& ſeqq.* ubi varias Quæſtiones practicas circa Titulum Menſæ eruditè reſolvit.

§. IV.

De Subditis Epiſcopi quoad effectum Ordinationum.

SUMMARIUM.

77. *Unusquisque à proprio Epiſcopo eſt ordinandus.*
78. *Subditus Epiſcopi quoad Ordines recipiendos, quatuor modis quis cenſetur, quibus?*
Natus in una Diœceſi, & in alia habens domicilium, vel Beneficium, poteſt à quolibet earum Epiſcopo ordinari. Ibid.
79. *An etiam uno horum electo poſſit quis variare, ſuſcipiendo cæteros Ordines ab alio?*
80. *Poteſt quis ordinari ab Epiſcopo ratione Beneficij, in ejus Diœceſi obtenti.*
81. *Dummodò iſtius poſſeſſionem habeat.*
82. *Atque olim ad hoc ſufficiebat Beneficium modicum.*
83. *Secùs defactò, ob noviſſimam Conſtitutionem Innocentij XII.* Speculatores Domûs Iſraël.
84. *Quænam vi hujus Conſtitutionis requirantur, ut quis ordinari valeat ab Epiſcopo ratione Beneficij in ejus Diœceſi obtenti?*
85. & 86. *Verba ejusdem Conſtitutionis, quantùm ad propoſitum, referuntur.*
87. *Poteſt quis ordinari ab Epiſcopo loci ratione Originis.*
88. *Dummodò ibi non fuerit natus fortuitò.*
Natus in mari, habet originem in domicilio patris. Ibid.
89. *Origo patris, an etiam inſpiciatur quoad Ordines ſuſcipiendos? Et num. ſeqq.*
90. *Defactò poſt Conſtitutionem Innocentij XII. ſubditus Epiſcopi ratione originis, quis cenſeatur? Et num. ſeqq.*
91. *Verba ejusdem Conſtitutionis quoad propoſitum.*
92. *Origo matris, an attendatur quoad Ordinationem filij præſertim illegitimi?*
93. *Quid dicendum de Expoſitis?*
94. *Ratione Domicilij efficitur quis ſubditus Epiſcopi loci quoad receptionem Ordinum.*
95. *Ad hoc tamen non ſufficit quaſi Domicilium.*
96. *Verum Domicilium conſtituitur animo, & facto ſimul, & quomodo?*
97. *Refertur nova Conſtitutio Innocentij XII. circa ratione Domicilij quoad effectum ſuſcipiendi Ordines.*
98. *Quæ requirantur, ut Epiſcopus Familiarem ſuum ordinare valeat? Et num. ſeqq.*
99. *Familiarium nomine, qui intelligantur?*
100. *Hujusmodi Familiaris debuit cum Epiſcopo fuiſſe commoratus per triennium.*
101. *Et Epiſcopus ordinans ſuum Familiarem, ſtatim debet huic conferre Beneficium.*
102. *Dictio* Statim, *quid hîc importet?*
103. *Epiſcopi Titulares nequeunt ordinare ſuum Familiarem.*
104. *Quæ defactò ulteriùs requirantur, ut Epiſcopus Familiarem ſuum ordinare valeat?*
105. 106. 107. & 108. *Referuntur poſteriora verba Conſtitutionis Innocentij XII.* Speculatores Domûs Iſraël.

Qua

Quæritur I. An quivis à proprio Epiſcopo ſit ordinandus, & quot modis quis cenſeatur ſubditus ejus? *Reſp.* I. Certum eſt, quòd unusquiſq; non niſi à proprio ſit ordinandus, nullúsq; poſſit ordinare extraneū, nec etiam primam Tonſurā huic conferre absq; proprij Superioris licentia. Textus eſt *in can.* 1. *& ſeqq. diſt.* 72. *& can. Nullum Epiſcoporum.* 9. *q.* 2. *& c. Eos qui.* 2. *& c. Epiſcopus.* 4. *h. t. in* 6. juncto Concilio Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *&* 3. *de Reform. & Seſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* ubi ſub gravibus pœnis infrà declarandis, id fieri prohibetur. Et meritò: tū, ut diſſenſiones evitentur, quæ ſuboriri poſſent inter Epiſcopos, ſi unus alterius ſubditos eodem ignorante, ac ſæpiùs invito, ordinare præſumeret, *can.* 1. *diſt* 71. Tum, ut obvietur malitijs hominum, atq; indigni & ignorantes ad ſacros Ordines non promoveantur, qui alioquin Clericales Ordines, quos à proprijs Epiſcopis forſan ſibi jam denegatos dolent, aut ex certis impedimentis canonicis ſibi denegandos fore meritò verentur; ab extraneis Epiſcopis, nullámq; de ipſorū defectibus notitiam habentibus, in animarum ſuarum perniciem, & Eccleſiaſtici Ordinis dedecus, recipere præſumerent.

7 Reſp. II. Quatuor modis cenſetur quis ſubditus Epiſcopi quoad Ordines licitè ab ipſo recipiendos, videlicet ratione originis, ratione domicilij, ratione Beneficij, & ratione trieñalis familiaritatis ſeu comenſalitatis cū Epiſcopo. Ita comunis; & patet *ex c. Cùm nullus.* 3. *h. t. in* 6. ubi priores tres modi comprehenduntur illis verbis: *Superior in hoc caſu* (ſcilicet quantùm ad dandā licentiā recipiendi Ordines ab alieno Epiſcopò, & multò magis ipſos conferendi) *intelligitur Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus: ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum: ſeu habet* (*licèt alibi natus fuerit*) *domicilium in ea.* Et quia hic textus loquitur disjunctivè, hinc ille, qui in una Diœceſi natus eſt, in altera fixit domicilium, & in tertia Beneficiū recepit, poteſt à quolibet earum Epiſcopo ordinari. Nicol. Garcias *part.* 2. *de Beneficijs*, *cap.* 4. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 30. & alij, ac favet textus *in L.* 1. *C. de Municip. lib.* 10. ubi habens alium locum originis, alium incolatûs, cogitur in utroque loco munera ſubire. Porrò quartum modum, trieñalis videlicet Familiaritatis cum Epiſcopo, addidit Conciliū Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 9. *de Reform.*

Verumtamen dictum illud, quòd quis à quolibet illarum Diœceſium Epiſcopo poſſit ordinari, procedit potiſſimùm ante factam unius iſtorum Epiſcoporū electionem, ſeu receptam ab ipſo ordinationem. Nam quando aliquis fuit ordinatus ab uno præfatorum Epiſcoporum, v. g. ab Epiſcopo Beneficij in Subdiaconum ad titulum Beneficij in ejus Diœceſi exiſtentis, & perſonalem reſidentiam requirentis, vel ad titulum patrimonij pro utilitate, vel neceſſitate Eccleſiæ ſuæ, juxta formam Concilij Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 16. *de Reform.* tunc talis, inconſulto illo priori Epiſcopo, nō poteſt ordinari v. g. in Diaconum, vel Presbyterum, ab alio Epiſcopo, puta originis, vel domicilij. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 1. citans Archidiaconum *in c. Ne captandæ. de Conceſſ. Præbend.* Achillem de Graſſis *Deciſ.* 13. *de Penſionib.* & Molfeſiū *in Summa Theol. Moral. tract.* 2. *cap.* 2. *n.* 10. Aloyſ. Riccius *in Praxi Aurea Fori Eccleſiaſtici, part.* 1. *reſolut.* 275. *n.* 4. Piaſecius *in Praxi Epiſcop. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. *ampliat.* 2. Diana *part.* 8. *tract.* 2. *reſolut.* 10. allegans Additionem ad Sumam Bullarij Quarantæ, *℣. Ordo. verſ. Circa tertium.* Rationem dant. Tum quia variatio in Eccleſiaſticis, puta in receptione Ordinum, maximè eſt vitanda, *Clem. un. de Renunciat.* Tum quia alioquin talis variata ordinatio fieret in præjudicium prioris Epiſcopi, per primam ordinationem electi: utpote qui talem jam ſemel ordinavit, & quidem ad titulum beneficij, vel patrimonij, pro utilitate ſuæ Eccleſiæ; ſicque in hunc finem ulteriùs inveſtigare poteſt, & debet, conſtantem morum probitatem, atque idoneitatem ordinandi. Fatendum tamē, quòd extra prædictum caſum Diana *cit. part.* 8. *tract.* 2. *reſolut.* 9. cum nonnullis alijs oppoſitum teneat. Concordat Zypæus *in Conſultat. Canon tit. de Ætate & qualitate &c. conſult.* 3. *verſ. Quòd porrò.* Zoëſius *h. t. n.* 26. & Engel *eod. n.* 31. Quia (inquiunt) talis variatio in Jure non reperitur prohibita: nam impræſentiarū variatio non contingit circa unū idemq; ſubjectum, qualis prohibetur *in cit. Clem. un. de Renunciat.* ſed reſpectu diverſorum Ordinum, quorum quilibet eſt irreiterabilis.

Quæritur II. An, & quibus concurrentibus poſſit quis ordinari ab Epiſcopo, ratione Beneficij Eccleſiaſtici in ejus Diœceſi obtenti? *Reſp.* I. Spectato Jure communi poteſt quivis ordinari ab Epiſcopo loci, in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum. Ita communis; & patet *ex d. c. Cùm nullus h. t. in* 6. 80

Notanter dicitur, *Beneficium obtinet.* Quia ad hunc effectum non ſufficit ſola ſpes Beneficij proximè obtinendi; imò nec ſufficit ſola collatio, ſeu titulus ipſius, ſed requiritur vera poſſeſſio Beneficij. Ad hoc enim, ut quis efficiatur de Foro Epiſcopi ratione Beneficij, ſicque ab ipſo ordinari, vel Litteras Dimiſſorias obtinere valeat, requiritur Beneficium cum effectu; ſicque cum pacifica poſſeſſione ipſius, *arg. c. Licèt Epiſcopus.* 28. *de Præbend. in* 6. & tradit Garcias *part.* 2. *de Beneficijs. cap.* 4. *n.* 17. & Barboſa *part.* 2. *de Offic. & Poteſt. Epiſcop. allegat.* 4. *n.* 55. ac noviſſimè declaravit Innocentius XII. in cit. Conſtitutione, *Speculatóres Domûs Iſraël*, cujus verba *num.* 85. *&* 86. referentur. 81

Et loquendo de hujusmodi Beneficio pacificè poſſeſſo, allatam doctrinam olim extenderunt plerique Authores ad Beneficium etiam tenue; prout ſenſit Garcias *cit. cap.* 4. *num.* 9. & Barboſa *ubi ſuprà, num.* 45. *&* 46. citans plurimos alios. Rationem dant: quia *in d. c. Cùm nullus. h. t. in* 6. indiſtinctè conceditur, quòd quis ordinari valeat ab Epiſcopo, vel de ejus licentiâ, in cujus Diœ- 82

Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticũ; ergo ſufficit quodcunque Beneficium, etiam tenue, cùm Jus certum valorem, & qualitatem ejus nõ exprimat. Sed neque obſtare videtur Conciliũ Trident. *Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.* Quia ibi ſolùm dicitur, quòd nullus poſſit ordinari ad Titulum Beneficij, niſi illud ſibî ad victum honeſtè ſufficiat: non autem negatur, quin ratione tenuis Beneficij poſſit ordinari ab Epiſcopo illius loci, quando tamen adjungitur ſufficiens patrimonium pro honeſta ſuſtentatione Clerici. Verùm his non obſtantibus.

83 Reſp. II. Hæc poſterior doctrina, licèt olim ſatis recepta, ampliùs ſuſtineri nequit ob noviſſimam Conſtitutionem S. D. N. Innocentij XII. quæ incipit, *Speculatores Domûs Iſraël*, die 4. Novembris, 1694. Motu proprio emanatam, atq; (ut in fine ejusdem expreſsè cavetur) poſt publicationem Romæ factam illicò omnes, & ſingulos, quos concernit, arctantem. In hoc ſiquidem Motu proprio, poſt fuſiùs recenſitos abuſus, & fraudes circa Ordinationem alienorum ſubditorũ contingentes, atque inde conſequentia mala, quibùs Paſtorali ſollicitudine Pontifex obviare ſatagit, plura quoad præmiſſos quatuor modos ſortiendi Forum Epiſcopi ad effectum Ordinum ab ipſo recipiendorum declarantur, ac etiam de novo ſtatuuntur.

84 Atque imprimis, quantùm ad propoſitum, poſtquàm ibidem Pontifex declaràſſet, neminem poſſe ordinari ratione Beneficij ſibi (primùm conferendi, aut in quo poſt Clericalem Caracterem ſuſceptum imediatè ſit inſtituendus; ſed duntaxat, quando illud ab Ordinando pacificè poſſidetur (per quod magis probantur dicta ſuperiùs *n.* 81.) Subjungit, ac de novo ſtatuendo inter alia decernit, quòd impoſterùm nemo ratione Beneficij, in aliena Diœceſi obtenti, ſubijciatur jurisdictioni illius Epiſcopi quoad Ordines ſuſcipiendos, niſi Beneficium ejusmodi ad congruam Clerici ſuſtentationem per ſe ſufficiat; adeò, ut non poſſit defectus fructuum ejus ſuppleri per adjectionẽ patrimonij.

85 Verba præfati Motûs proprij, quoad propoſitum, ſic ſonant. „Motu proprio, & ex certa „ſcientia, & maturâ deliberatione noſtris, déque „Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omni„potentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, ve„teris diſciplinæ inſtaurationem, totiúsq; Chri„ſtiani populi ædificationem, hâc generali no„ſtrâ, & perpetuò valiturâ Conſtitutione decer„nimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cu„jusvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatûs „honore fulgeat, licere externum quempiam, „ac ſibi ratione originis, ſeu domicilij juxta mo„dum inferiùs declarandum legitimè contra„cti non ſubditum, ad Clericalem Tonſuram „promovere, cujusvis Beneficij Eccleſiaſtici ei „ſtatim ac Tonſurâ hujusmodi, inſignitus fuerit „conferendi, ſeu ad quos is à Patronis jam præ„ſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, eti„amſi Beneficium prædictum de novo eà ex„preſsè adjectâ lege fundatum fuiſſe conſtite„rit, ut quis immediatè poſt Clericalem Cara„cterem ſuſceptum ad illud inſtituatur; Præter„eà Clericum, qui legitimè jam à proprio Epi„ſcopo ad eandem Clericalem Tonſuram, ſeu „etiam ad minores Ordines promotus fuerit, „non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo „cujuscunque Beneficij in illius Diœceſi obten„ti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante „eorundem ſuſceptionem Teſtimoniales Lit„teras proprij Epiſcopi tam originis, quàm do„micilij, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & „vitâ ſibi concedi obtinuerit, eásque Epiſcopo „Ordinanti in Actis illius Curiæ conſervandas „exhibuerit.

„Licèt verò Clericus ratione cujusvis Benefi- 8
„cij in aliena Diœceſi obtenti, ſubijci dicatur ju„risdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Be„neficium hujusmodi ſitum eſt: eam tamen de „cætero hac in re inconcuſsè ſervari volumus „Regulam, ut nemo ejusmodi ſubjectionem ad „effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cen„ſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit red„ditûs, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſi„ve juxta taxam Synodalem, ſive eâ deficien„te, juxta morem Regionis pro promovendis „ad ſacros Ordines, detractis oneribus, per ſe „ſufficiat, illúdque ab Ordinando pacificè poſ„ſideatur, ſublatâ quâcunque facultate ſupplen„di, quod deficeret fructibus ejusdem Beneficij „cum adjectione Patrimonij etiam pinguis, „quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia qua„vis Diœceſi obtineret: ac Epiſcopus ſic ordi„nans tam de prædictis Teſtimonialibus Litte„ris, quàm de redditu Beneficij hujusmodi, ex„preſſam in conſueta collatorum Ordinum at„teſtatione mentionem facere debebit. *Hactenus Pontifex.*

Quæritur III. An, & quando poſſit quis ordinari ab Epiſcopo loci ratione Originis? Reſp. I. Certum eſt, quòd ratione Originis fiat quis ſubditus Epiſcopi loci, in cujus Diœceſi natus eſt quoad effectum recipiendi Ordines ab ipſo, licèt poſtmodùm alibi Beneficium, aut domicilium acceperit, dummodò cætera requiſita concurrant. Patet hoc ex *c. Cùm nullus. 3. h. t.* cujus verba *num.* 78. referuntur.

Reſp. II. Ut quis ratione Originis ſuæ fiat ſubditus Epiſcopi loci, ubi natus eſt, quoad effectum recipiendi Ordines, requiritur vel maximè, quòd parentes ipſius tempore nativitatis ſuæ ibidem domicilium habuerint: nam natus fortuitò in loco, per quem mater transibat, aut ibi negotiorum causâ, vel in fugâ hoſtium ad tempus degebat, non poteſt dici ex eo oriundus, ſed potiùs ex loco, ubi pater ejus tunc habebat domicilium, *arg. l. Hujusmodi. §. Legatum. ff. de Legatis I.* ubi is, qui in fuga eſt, cenſetur eſſe in loco, à quo receſſit; *& l. Actio. ff. de Captivis*, ubi is, qui ab hoſtibus revertitur, creditur ſemper in civitate fuiſſe. Abbas *in c. Rodulphus. n. 9.* & ibi Felinus *num. 13. de Reſcript.* Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 4. n. 18.* & alij. Ratio eſt: quia non inſpicitur,

citur, quod per accidens eſt, ſed quod per ſe eſt. Ugolinus *de poteſtat. Epiſcop. cap 26. §. 1. num. 5.* inde reſolvens, quòd filius habeat originem in domicilio patris, ſi in mari natus eſt.

8 Addunt Doctores, quòd etiam origo patris inſpiciatur quoad Ordines ſuſcipiendos, adeóq; quis ordinari poſſit ab Epiſcopo loci, in quo pater ejus natus eſt. Barboſa *cit. allegat* 4. *n.* 4. Navarrus *Conſil.* 19. *n.* 1. *de Temporib. Ordinat.* Pirhing *h. t. num.* 31. id admittens ſaltem in caſu, ſi de filij origine conſtare non poſſit, & plures alij. Siquidem (inquiunt) Jura non requirunt, quòd quis in Epiſcopatu Ordinantis ſit natus, ſed quòd inde ſit oriundus; ut *cit. c. Cùm nullus.* 3. *h. t. in* 6. Atqui filius cenſetur oriundus in loco, ubi pater ejus naturalem originem traxit, *l. Aſſumptio. §. Filius. ff. Ad Municipalem, & l. Filios. C. de Municipal. lib.* 10. ac notat Gloſſa *in cap.* 1. *℣. Alienigenas. de Uſuris. in* 6. ergo. Verùm hæc doctrina, ſic abſolutè prolata, defactò ampliùs ſuſtineri nequit: unde

9 Reſp. III. Hactenus dicta defacto ſunt moderanda juxta noviſſimum, & proximè citatum Motum proprium Innocentij XII. *Speculatores Domûs Iſrael*: in quo Pontifex inter alia decrevit, atque declaravit, ut quantùm ad Ordines ſuſcipiendos, ſubditus Epiſcopi ratione originis ille tantùm ſit, qui naturaliter ortus eſt in Diœceſi, in qua ordinari deſiderat. Vel, ſi natus eſt ex accidenti, tunc attendatur naturalis origo patris, ſi is domicilium non mutavit. Quòd ſi verò pater alibi domicilium contraxiſſet, tunc non origo patris, ſed domicilium ipſius pro Ordinatione filij ſui attendi debeat.

9 Verba ejuſdem Conſtitutionis, ſeu Motûs proprij, & immediatè conſequentia ad ea, quæ *num.* 85. *&* 86. allata fuerunt, ſic ſonant. „Cæterùm ſubditus ratione originis is tantùm ſit, „ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in „ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat; dumodò tamen ibi natus non fuerit ex „accidenti, occaſione nimirum itineris, officij, „Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius „temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris „in illo loco: quo caſu non ejuſmodi fortuita „nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis patris origo erit attendenda. Quòd ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut „potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci „Litteras Teſtimoniales, ut ſuprà, obtinere, il„láſque Epiſcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur. At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiu, ac eo „animo permanſerit, ut inibi verè domicilium „de jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed „domicilium per Patrem legitime, ut præfertur, „contractum pro Ordinatione ejuſdem filij at„tendi debeat. *Hactenus Pontifex.*

(Cæterùm origo matris quoad receptionem Ordinum per filium, non attenditur: ſiquidem filius ſequitur duntaxat originem patris, & non matris, *l. Filios. C. de Municipa' b. lib.* 10. Dumodò hinc excipiantur *vulgò quæſiti*, ſive illegitimi: hi enim matrem, ejusque originem ſequuntur, *l. Cùm legitimæ. ff de Statu hominum. & L.* 1. *§. fin. ff. Ad Municipalem. & l. Ejus qui. ff. eod.* Ac proinde, ſi quoad defectum natalium diſpenſentur, in loco originis matris, quando hæc alibi domicilium non contraxit, ordinari poſſunt.

Tandem loquendo de Expoſitis, quorum parentes ignorantur, poſſunt ipſi ordinari in Diœceſi, in qua, ut ſuprà, naturaliter orti ſunt: vel, ſi de hoc conſtare nequeat, in loco, ubi expoſiti reperiuntur. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat*: 4. *n.* 17. citans alios. 93

Quæritur IV. Quomodo ratione Domicilij efficiatur quis ſubditus Epiſcopi quoad Ordines ab ipſo recipiendos? Reſp. I. Ratione Domicilij poteſt quis veluti ſubditus ordinari, aut Dimiſſorias recipere ab Epiſcopo illius Diœceſis, in qua Domicilium, ſive perpetuam habitationē conſtituit, licèt alibi natus fuerit. Ita communis; & patet *ex cit. c. Cùm nullus. h. t. in* 6. 94

Dicitur notanter, *Domicilium.* Quia ad effectum recipiendi Ordines non ſufficit *quaſi Domicilium*, ſive habitatio duntaxat temporalis, utputa, per majorem anni partem, vel etiam per plures annos alicubi continuata ſtudiorum, vel aliorum negotiorum causâ, abſque animo ibi perpetuò commorandi. Licèt enim iſtud quaſi domicilium ſufficiat ad recipienda ibidem alia Sacramenta, non tamen ad Ordines ſuſcipiendos: nam ob majus periculum, quod ex indignis, vel minùs habilibus Miniſtris, qui cæteroquin veluti parùm noti in partibus remotis faciliùs ingreſſum reperirent, ipſi Eccleſiæ imminere dignoſcitur, Jura verum domicilium quoad legitimam Ordinum ſuſceptionem requirunt. 95

Porrò verum Domicilium, non nudâ voluntate, & aſſertione, ſed animo & facto ſimul conſtituitur; ut *l. Domicilium. ff. Ad Municipalem*, ibi: *Domicilium re & facto transfertur, non nudâ conteſtatione.* Ubi Gloſſa inquit: *Facto, ſubintellige, & animo: nam hæc duo ſunt neceſſaria.* Et quidem domicilium conſtituitur *animo*, permanendi videlicet perpetuò in loco: alioquin enim non contrahitur domicilium, ut *l. Poſtliminij. ff. de Captivis. & l. Nihil intereſt. & l. Ejus qui manumiſit. §. Celſus. ff. Ad Municipalem.* Adeò, ut ſi quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahat domicilium, licèt mille annis ibidem habitet. Menochius *lib.* 2. *de Arbitrarijs Judicum, caſu* 86. *n.* 7. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 25. cum alijs. Quamvis exacto alicubi decennio, & ſi de oppoſito non conſtet, præſumptione juris cenſeatur ibidem contractum domicilium, *l. Nec ipſi. C. de Incolis, lib.* 10. & notat Gloſſa *ibid. ℣. Conſtituerint.* Sufficit autem animus perpetuò manendi in tali loco, perpetuitate ſaltem propoſiti, licèt poſtmodùm hujusmodi propoſitum, ſicut & domicilium, mutari poſſit; ut *cap. ult. de Parochijs. & cit. §. Celſus.* cum ſimilibus. Cæterùm *facto* conſtituitur domicilium, capiendo cum tali animo alicubi 96

cubi poſſeſſionem, & res ſuas, vel majorem earum partem illuc transferendo, *arg. l. Cives. C. de Incolis. lib.* 10. ac notat Bartolus *ibid.* Barboſa *loc. cit. n.* 27. quamvis Gloſſa *in cit. l. Cives.* ℣. *Larem*, hoc admittat, etiamſi quis non habeat ibi majorem partem bonorum.

97 Reſp. II. Defactò, ut ratione Domicilij cenſeatur quis ſubditus Epiſcopi quoad effectum ſuſcipiendi Ordines, non ſufficit domicilium qualitercunque conſtitutum; ſed inſuper requiritur tum facto (modo ſtatim aſſignando) tum jurejurando, demonſtrare animum ſuum perpetuò ibidem manendi. Patet hoc ex noviſſimo, ac ex parte jam relato Motu proprio S. D. N. Innocentij Papæ XII. *Speculatores Domûs Iſraël*, in quo idem Pontifex imediatè poſt ea, quæ proximè *num.* 91. relata ſunt, quantùm ad propoſitum ſtatuit in hæc verba: „Subditus autem ratione Domicilij ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is duntaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorũ ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locũ hujusmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis, ſupérque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit; & nihilominùs ulteriùs utroque caſu ſe verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à proprio originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarij ſuæ originis Teſtimoniales Litteras, ut ſuprà, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Litteris facienda erit. *Hactenus Pontifex.*

98 Quæritur V. Quæ requirantur, ut Epiſcopus Familiarem ſuum, ſibi cæteroquin non ſubditum, ordinare valeat? Reſp. I. De hoc puncto Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 9. *de Reform.* ad tollendos illorum Epiſcoporum abuſus, qui Familiares ſuos indifferenter ordinare ſolebant, ſtatuit in hæc verba: *Epiſcopus Familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus: & Beneficium, quâcunque fraude ceſſante, ſtatim re ipſâ illi conferat; conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.* Hæc Concilium.

99 Ex quibus verbis deducitur primò, quòd talis ordinandus debeat eſſe unus ex Familiaribus Epiſcopi. Ubi nomine *Familiarium* intelliguntur illi, qui dominicæ poteſtati Epiſcopi ſubijciuntur, ejúſque expenſis tanquam domeſtici commenſales continuò aluntur; ut *cap. ult. de Verb. ſignif. in 6.* juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reform.* ibi: *Etiam prætextu familiaritatis, continuæ commenſalitatis ſuæ.* Rota Romana *diverſ. part.* 2. *Deciſ.* 303. *n.* 2. Indéque tales alio nomine appellantur *Commenſales Epiſcopi.* Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 5. *n.* 2. citans alios.

100 Deducitur ſecundò, quòd Familiaris quoad effectum, de quo in præſenti, debeat cum Epiſcopo fuiſſe commoratus per triennium, ipſique præſentialiter inſervijſſe; ac proinde non ſufficiat, ſi abſens ejusdem ſumptibus vixerit. Nam Concilium Epiſcopo talem facultatem ordinandi Familiarem non concedit, *niſi per triennium ſecum fuerit commoratus*: ubi ponderandum ly, *Secum.* Et meritò Concilium requirit ejusmodi triennalem comorationem ſui Familiaris cum Epiſcopo, ut hic per tale tempus mores illius & idoneitatem ad Statum Clericalem, meliùs cognoſcere valeat: hoc quippe fieri vix poſſet circa abſentem. Barboſa *loc. cit. in* 6. *& ſeqq.* allegans alios, atque concordat ſæpè dictus Motus proprius Innocentij XII. proximè referendus.

Deducitur tertiò, quòd Epiſcopus ordinans 101
ſuum Familiarem, ſtatim debeat eidem, quâcunque fraude ceſſante, Beneficium conferre. Idque etiam habet locum in Ordinibus Minoribus, ac primâ Tonſurâ. Navarrus *Conſil.* 11. *de Temporib. Ordinat. n.* 1. Zerola *in Praxi Epiſc. part.* 2. ℣. *Ordo.* §. *Quinto dubitatur.* Rota Romana *Deciſ.* 731. *part.* 1. *diverſ.* Garcias *part.* 2. *de Beneficijs, cap.* 5. *n.* 94. & alij.

Quamvis autem circa intellectum dictionis 102
Statim, olim plures fuerint opiniones Doctorum; prout videre eſt apud Barboſam *cit. allegat.* 5. *n.* 11. Defactò tamen poſt ſæpè memoratum Motũ proprium Innocentij XII. conſtat, quòd Epiſcopus ordinans Familiarem, ut ſuprà, teneatur ipſi conferre Beneficium, ad honeſtam Clerici ſuſtentationem ſufficiens, *ſtatim*; hoc eſt, *ſaltem intra terminum unius menſis à die factæ Ordinationis.*

Cæterùm memorata conceſſio ordinandi 103
triennalem Familiarem, Epiſcopis facta à Concilio Tridentino, non extenditur ad Epiſcopos duntaxat Titulares illarum Eccleſiarum, quæ in partibus Infidelium conſiſtunt. Nam, ut taceatur quòd hi Clero careant, & Populo Chriſtiano, ſicque Beneficium ſtatim nequeant conferre Ordinandis: in eodem Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 2 *de Reform.* expreſsè denegatur talibus Epiſcopis Titularibus facultas ordinandi ſubditum alterius, etiam prætextu Familiaritatis, continuæ comenſalitatis ſuæ, absq; ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut Litteris dimiſſorijs.

Inſuper defactò, ut Epiſcopus Familiarem 104
ſuum ordinare valeat, ex nova Conſtitutione altè memorati Innocentij XII. requiritur, quòd is ante receptionem Ordinum Teſtimoniales Litteras proprij, originis ſcilicet, ſive domicilij Prælati, ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus & vitâ, ſibi concedi obtinuerit; eásque Epiſcopo ordinanti, in Actis illius Curiæ conſervandas, exhibuerit.

Verba dictæ Conſtitutionis, ſeu Motûs pro- 105
prij Innocentij XII. *Speculatores Domûs Iſraël*, ac imediatè ſequentia ad ea, quæ *num.* 97. referuntur, uſque ad finem ſic ſonant. „Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis ſubditum Familiarem ſuum ad aliquos ſacros, vel minores Ordines, vel etiam primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat absque ejus proprij, Originis ſcilicet, ſeu Domicilij Prælati

„teſti-

„teſtimonialibus Litteris, ut ſuprà, & niſi ad-
„præſcriptum Concilij Tridentini præfati *Seſſ.*
„*23. cap. 9. de Reform.* familiarem prædictum per
„integrum, & completum triennium in ſuo a-
„ctuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumpti-
„bus aluerit: Beneficium inſuper, quod ei ad vi-
„tam ſuſtentandam, juxta modũ ſuperiùs præfi-
„nitum, ſufficiat, quácunq; fraude ceſſante, ſta-
„tim, hoc eſt, ſaltem intra terminum unius men-
„ſis à die factæ Ordinationis, re ipsâ illi con-
„ferat, ac in Ordinationis hujusmodi Teſti-
„monio expreſſam itidem Familiaritatis, ac Lit-
„terarum prædictarum mentionem facere te-
„neatur.

10 „Porrò, ut quicunque fraudibus aditus omni-
„no præcludatur, volumus, & Apoſtolicâ Au-
„ctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epi-
„ſcopus quilibet ſuos ratione Originis, ſive Do-
„micilij ſubditos Clericos quoſcunque, ab alie-
„nis Epiſcopis quâvis authoritate etiam cum
„ſuis commendatitijs Litteris promotos, nedum
„ad formam Concilij Tridentini ſuprà dicti Seſſ.
„14. cap. 5. de Reform. quoad ſcientiam exami-
„nare valeat, verùm etiam Ordinum eis colla-
„torum Teſtimoniales litteras, gratìs tamen, re-
„cognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoad
„illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpo-
„ſitio adimpleta fuerit, aſſignando ſic promotis
„termino competenti, ei magis benè viſo, ad
„docendum de ejusmodi adimplemento; ita
„ut quos eo termino elapſo id minimè præſti-
„tiſſe compererit, à ſuſceptorum Ordinum ex-
„ercitio, ſi ita, & quamdiu ei expedire videbitur,
„ſuſpendere, illiſque ne in Altari, aut in aliquo
„Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

10 „Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula, perpe-
„tuò ac inviolabiliter obſervari, atque impleri
„volumus, ut ſi quid in ijsdem præmiſſis, ſeu eo-
„rum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à col-
„latione Ordinum per annum, Ordinatus verò
„à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu
„proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo
„ſuſpenſus ſit, aliíſque inſuper gravioribus pœ-
„nis pro modo culpæ, noſtro, & pro tempore
„exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligen-
„dis, uterque ſubjaceat. Decernentes pariter
„easdem præſentes Litteras ſemper firmas, va-
„lidas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuóſque ple-
„narios & integros effectus ſortiri, & obtinere,
„ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore
„quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per
„omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari.
„Sicque & non aliter per quoſcunque Judices
„&c. Non obſtantibus &c.

„Volumus autem, ut præſentes Litteræ in 108
„valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Prin-
„cipis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apo-
„ſtolicæ, ac in acie campi Floræ & Urbe, ut mo-
„ris eſt, publicentur, & aſſignentur, ſicque publi-
„catæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ
„concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac ſi
„unicuique eorum nominatim, & perſonaliter
„intimatæ fuiſſent; quódque earumdem præ-
„ſentium Tranſumptis, ſeu exemplis etiam im-
„preſſis, manu alicujus Notarij publici ſubſcrip-
„tis, & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Ec-
„cleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus
„fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique
„adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur,
„ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo om-
„nò hominum liceat hanc paginam noſtrorum
„Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statu-
„ti, & Derogationis infringere, vel ei auſu teme-
„rario contraire. Si quis autem hoc attentare
„præſumpſerit, indignationem Omnipotentis
„Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum
„ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ
„apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnatio-
„nis Dominicæ milleſimo, ſexcenteſimo, nona-
„geſimo quarto, pridie Nonas Novemb. Pon-
„tificatûs noſtri An. quarto. *Hactenus noviſſima*
„*Conſtitutio S. D. N. Innocentij PP. XII.*

§. V.

De Litteris Dimiſſorijs, & Facultate eas concedendi.

SUMMARIUM.

109. *Litteræ Dimiſſoriæ, quid, & cur, ſic dicantur? Appellantur etiam* Reverendæ. *Ibid.*
110. *Licentia ſuſcipiendi Ordines ab alieno Epiſcopo, non neceſſariò datur in ſcriptis.*
111. *Niſi in caſu* cap. 1. h. t. in 6.
112. *Dimiſſoriæ differunt à Commendatitijs ſeu Teſtimonialibus, & Formatis. Et num. ſeqq.*
113. *Per Formatas, quæ litteræ intelligantur?*
114. *In Litteris Dimiſſorijs quæ exprimenda? Et n. ſeqq.*
115. *An ad eas requiratur prævium examen, & approbatio Ordinandi?*
116. *Et legitima cauſa concedendi, hæcque in ipſis exprimi debeat?*
117. *Quid de Diſpenſatione in Interſtitijs?*
118. *Quilibet Epiſcopus poteſt concedere Dimiſſorias. Qui poteſt ordinare; poteſt & Dimiſſorias ad Ordines dare. Ibid.*
119. *Etiam ille Epiſcopus concedit Dimiſſorias, qui poteſt ordinare Clericum ratione triennalis Familiaritatis, aut ex privilegio, vel conſuetudine.*
120. *Capitulum Sede vacante nequit de facto intra annum concedere Dimiſſorias, niſi Arctatis: benè tamen antiquitùs.*
121. *Arctati ratione Beneficij recepti, &*
122. *Arctati ratione Beneficij recipiendi? qui?*
123. *Quid de vocato ad Beneficium; ſi nondum habeat primam Tonſuram?*
124. *Aut de eo, cui quis vult reſignare Beneficium?*
125. *An Capitulum Sede vacante poſſit Arctatis dare Dimiſſorias per ſeipſum, vel ſolùm per ſuum Vicarium?*

126. *Vi-*

126. *Vicarius Generalis Epiſcopi, an concedere poſſit Dimiſſorias? Et num. ſeqq.*
127. *In remotis eſſe, quando dicatur Epiſcopus?*
128. *Prælati inferiores, atque Capitula, & Abbates, nequeunt dare Dimiſſorias Subditis ſæcularibus.*
129. *Et revocata ſunt quoad hoc omnia privilegia, præſcriptiones, & conſuetudines in contrarium.*
130. & 131. *Quid de Prælatis non exiſtentibus intra fines alicujus Diœceſis?*
132. *Prælati Regulares poſſunt concedere ſuis ſubditis Regularibus Dimiſſorias ad Ordines. & n. ſeqq.*
133. *Refertur Decretum Clementis VIII. quoad hoc.*
134. *Idémque probatur ratione.*
135. *Eas tamen ſolummodò concedunt ad Diœceſanum loci.*
136. *Niſi habeant privilegium, ut à quocunque Epiſcopo ordinari valeant; & an tunc teneantur ad formam Decreti Clementis VIII?*
137. *Aut niſi Diœceſanus loci ſit abſens, vel Ordinationes non habiturus.*
138. *Litteræ Dimiſſoriæ, an expirent morte concedentis? Et rationes dubitandi.*
139. *Eas non expirare morte concedentis, oſtenditur.*
140. *Solvuntur rationes dubitandi.*
141. *Idem dicendum de Dimiſſorijs, à Capitulo Sede vacante conceſſis.*
142. *Niſi has novus Epiſcopus, ut poteſt, revocaverit.*

109 QUæritur I. Quid ſint Litteræ Dimiſſoriæ, & in quo differant à Commendatitijs, ſeu Teſtimonialibus, & Formatis? Reſp. I. Per *Dimiſſorias* intelliguntur illæ litteræ, in quibus continetur ſcripta licentia, & conſenſus proprij Prælati, ut ejus ſubditus poſſit ab alio Epiſcopo ordinari. Et dicuntur *Dimiſſoriæ*: quia per eas unus Prælatus ſuum ſubditum ex cauſa rationabili dimittit ad alterum, ut ab eo ordinetur. Licèt enim Epiſcopus per ſemetipſum ſuis ſubditis Ordines conferre debeat, juxta Concilium Trident *Seſſ. 23. cap. 3. de Reformat.* ſi tamen ipſe ob morbum, aut aliam legitimam cauſam fuerit impeditus, de ejus conſenſu poterit illis Epiſcopus alterius Diœceſis Ordines conferre; ut *can. Epiſcopum.* 9. *q. 1. cap.* 1. *& c. Cùm nullus. h. t. in* 6. ac tradit Concilium Trident. *cit. cap.* 3. Et hujusmodi Litteras Dimiſſorias, aliqui appellant *Reverendas*, ut inquit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 7. *cap.* 10. *de Reform.*

110 Porrò dicta licentia ſuſcipiendi Ordines ab alieno Epiſcopo, ordinariè ſolet dari in ſcriptis, ſive per ejusmodi Litteras Dimiſſorias, ut ſic de conſenſu proprij Ordinarij meliùs conſtare valeat, dum continetur in ſcriptis. Abſolutè tamen non requiritur ſcriptura, ſi aliunde de ejusmodi conſenſu ritè conſtet: prout deſumitur ex Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reformat.* ubi ſub disjunctione loquitur, dum prohibet Epiſcopis, alienum ſubditum ordinare abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut Litteris Dimiſſorijs: ſicque ſufficere poterit expreſſus proprij Prælati conſenſus, quamvìs non detur in ſcriptis.

111 Excipe tamen caſum *in cap.* 1. *h. t. in* 6. relatum: ibi enim expreſsè ac neceſſariò requiritur, ut Epiſcopus Italiæ Ultramontanum non ordinet niſi ſpecialem licentiam à Papa habeat, vel à ſuo Epiſcopo per ejus patentes Litteras cauſam rationabilem continentes, quare ipſum nolit, aut nequeat ordinare. Ubi Gloſſa, ℣. *Litteras*, inquit: *Nota caſum, in quo ſcriptura requiritur.*

Reſp. II. Litteræ Dimiſſoriæ differunt à 11 Litteris Commendatitijs ſeu Teſtimonialibus, & Formatis. Ita Navarrus *Conſil.* 27. *de Temporib. Ordinat.* & Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 33. *n.* 74. & rurſus *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 7. *n.* 16. citans alios; atque inde concludens, quòd, licèt Capitulum Sede vacante intra annum nequeat dare Litteras Dimiſſorias, poſſit tamen concedere Commendatitias, ſeu Teſtimoniales. Ratio diverſitatis eſt: quia *Litteræ Dimiſſoriæ* dantur ad effectum ſuſcipiendi Ordines ab alieno Epiſcopo: & tales propriè vocantur Dimiſſoriæ. *Commendatitiæ* autem ſeu *Teſtimoniales* ſunt, quibus Clericorum probitas, & mores, Ordinarij ſui teſtimonio alijs commendantur; ut inquit Concilium Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reformat.* quales etiam propriè dicuntur illæ, quæ dantur à Capitulo Sede vacante, utpote quod nequit dare Dimiſſorias intra annum. Fatendum tamen, quòd largiùs loquendo Litteræ Dimiſſoriæ, & Commendatitiæ, nonnunquam ſumantur pro eisdem; uti fit *can.* 1. *&* 2. *diſt.* 73.

Porrò per *Formatas* de communi jam con- 11 ſuetudine, ut inquit Layman *Tit. de Clericis peregrinis*, *num.* 3. intelliguntur Litteræ teſtimoniales collatorum Ordinum; hoc eſt, illæ, in quibus fit fides publica de collatis cuipiam Ordinibus. Olim tamen Formatæ generalem acceptionem habuerunt, & omnes Eccleſiaſticæ Epiſtolæ dicebantur *Formatæ*, eò quòd ſecundùm certam *Formam* ſcriberentur: hinc in *can. ult. diſt.* 71. per Formatas intelliguntur Litteræ Commendatitiæ, ſeu tales, ſine quibus *nullum peregrinorum Clericorum ſuſcipi oportet*, ut loquitur textus ibidem.

Quæritur II. Quæ ſint attendenda, at- 11 que exprimenda in conceſſione Litterarum Dimiſſoriarum? Reſp. I. In Litteris Dimiſſorijs debet imprimis exprimi nomen concedentis, & nomen atque cognomen illius, cui conceduntur. Item permiſſio, ut iſte ab hoc determinato Epiſcopo (ſi ſunt Dimiſſoriæ ſpeciales) vel à quocunque Antiſtite, ritè

tè & canonicè promoto, ac gratiam & comũionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obtinente(ſi int generales) ordinari valeat. Item, an ſolùm eo primam Tonſuram accipere, vel ad Acothatum quoq; cæteróſq; minores, imò & Subiaconatûs, Diaconatûs ac Presbyteratûs ſacros Ordines, ſtatutis à Jure temporibus, promovevaleat.

5 Deinde ſpectato rigore Juris, requiritur præium examen Ordinandi, ejúſq; approbatio, ntequàm ipſi Litteræ Dimiſſoriæ à proprio piſcopo ad alienum concedantur; prout conat ex Concilio Trident. *Seſſ.23.cap.3.de Reform.* i: *Epiſcopi - - -ſubditos ſuos non aliter, quàm jam protos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos diittant.* Quamvìs antiquitus hoc non fuerit obervatum, ut liquet ex *can. Sanctiſſimo. diſt.* 73. ubi piſcopus concedens Dimiſſorias litteras, eum, ui concedebat, non examinavit, ſed Epiſcopo rdinanti examinandum reliquit. Et quòd deactò quoque tale examen poſſit demandari Eiſcopo ordinanti, quando proprio Epiſcopo er abſentiam valdè incomodum foret illud eragere, deciſum eſſe, refert Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 7. num. 29.* Ubi etiam *n.* 2. rectè cũ alijs notat, & ex textu Concilij Trid. *eſſ.7.cap.11. de Reform.* probat, quòd Epiſcopus, ui examinatus, & approbatus Ordinandus dinittitur, poſſit hunc iterum examinare; adeóq; alis duplex examen ſuſtinere cogatur.

6 Tertiò requiritur, ut Litteræ Dimiſſoriæ non oncedantur, niſi ex cauſa rationabili, hæcq; in pſis exprimatur; ut *cap. 1. h. t. in 6.* Concordat Conciliũ Trident. *Seſſ.7.cap.11.de Reform.* ibi: *Facultates de promovendo à quocunque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à proprijs Epiſcopis ordinari non poſſunt, in litteris exprimendam.* Licèt in liquibus Provincijs de conſuetudine ſit recepum, ut nulla cauſa aſſignetur: quam conſueudinem validam cenſet Emmanuel Rodericus *tom. 3. Quæſt. Regul. q. 24. art. 3. circa medium*, ac Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formula Dimiſſoriarum Litterarum. n. 28.*

17 Quartò requiritur, ut ſi Epiſcopus concedens Dimiſſorias, velit cũ Ordinando diſpenſare in Interſtitijs, in Litteris Dimiſſorijs clarè exprimat, quòd in dictis Interſtitijs diſpenſet, vel ſaltem poteſtatem diſpenſandi concedat Epiſcopo ordinaturo. Nam diſpenſare ſuper Interſtitijs, pertinet ad proprium Epiſcopum, ſeu Superiorem Ordinandi, ut ampliùs infrà *num.* 138. dicetur. Ac proinde illi, qui petunt Dimiſſorias, curare debent, ut eisdem ſimul inſeratur clauſula illa, qua Epiſcopus concedens Dimiſſorias, diſpenſat in Interſtitijs: alioquin enim foret repellendus ab Ordinibus, ſi debita Interſtitiorum tempora nondum fuiſſent transacta. Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 38. art. 7. Concl. 2. in fine.* Pirhing *h. t. n. 89.* & alij.

1 Quæritur III. Quinam poſſint, vel nõ poſſint, concedere Dimiſſorias? Reſp. I. Præter Romanũ Pontificem, qui cùm ſit Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ, & Ordinarius Ordinariorum, non ſolùm Litteras Dimiſſorias, ſed etiam privilegium concedere poteſt, ut quis à quocunq; Antiſtite ordinari valeat: de Jure comuni quilibet Epiſcopus ſuis ſubditis Litteras Dimiſſorias impartiri valet, ſive is ſit Epiſcopus originis, ſive domicilij. Textus eſt *in c. Cùm nullus. 3. h. t. in 6.* Nã, ut inquit Gloſſa *fin. ibid.* atq; deſumitur *ex can. 1. diſt.* 72. qui poteſt ordinare, poteſt etiam Dimiſſorias ad Ordines dare: quia *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum*, juxta Reg. 68. Juris in 6.

Et hæc ratio tam fortiter urget, ut extendatur 119 etiam ad eum caſum, quo Epiſcopus Clericum ratione triẽnalis Familiaritatis ordinare poteſt, juxta Conciliũ Trident. *Seſſ.23. cap. 9. de Reform.* ubi Cardinales declarârunt, eâdẽ ratione poſſe Epiſcopum ipſi concedere Dimiſſorias. Laymã *in cit. c. Cùm nullus. n. 1. h. t. in 6.* Quinimò Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 7. n. 4.* hoc ipſum docet de Epiſcopo, qui ex privilegio, aut præſcriptâ conſuetudine, poteſt quibusdam Ordines conferre, ut poſſit eis etiam Dimiſſorias dare. Verumtamen hactenùs dicta defactò ſunt moderanda, atq; intelligenda ſervatis omnibus illis, quæ in noviſſima Conſtitutione Innocentij XII. *Speculatores Domûs Iſraël*, præſcribuntur, & ſuprà *n. 105. & ſeqq.* habentur: alioquin enim, ſicut Epiſcopus illis non ſervatis ampliùs nequit cuipiam Ordines conferre, ita nec Dimiſſorias pro ipſis concedere.

Reſp. II. Capitulum Sede vacante defactò 120 non poteſt infrà annum, à die vacationis computandum, Litteras Dimiſſorias concedere; præterquàm illi, qui alicujus Beneficij Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi, occaſione arctatus fuerit. Ita noviſſimè decrevit Concilium Tridentinum *Seſſ.7. cap. 10. de Reform.* Quamvìs enim antiquitus Capitulum Sede vacante liberam habuerit facultatem concedendi Dimiſſorias, *text. clar. c. Cùm nullus. §. Epiſcopo. h. t. in 6.* hæc tamen poteſtas ipſi, ac conſtituto per ipſum Vicario Capitulari, per Concilium Tridentinum reſtricta fuit, ne quoquo modo præjudicium generetur futuro Epiſcopo.

Excipit tamen Concilium Arctatos ratione Be- 121 neficij Eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi, ne vel hoc abſq; ſua culpa carere cogantur, vel requiſitum actum Ordinis, quo ipſi carent, exercere non poſſint. Et quidẽ *Arctati ratione Beneficij Eccleſiaſtici recepti* cenſentur illi, qui obtinent aliquod Beneficium, ratione cujus tenentur ſe ordinari facere: prout aſſumpti ad regimen Eccleſiæ Parochialis, tenentur infra annum promoveri ad Sacerdotium, *c. Licèt canon. 14. de Electon. in 6.* Et qui obtinent Dignitatem, ſeu Canonicatum, ad Ordinem ipſi annexum, juxta Concilium Trid. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Et hoc ipſum procedit in alijs Beneficijs, ſeu Capellanijs, quæ ex ſua inſtitutione, conſuetudine, aut ſtatuto particularium Eccleſiarum, requirunt ſervitium perſonale, ſicque certum Ordinem. Garcias *part. 5. de Benefic. cap. 7. n. 98.* Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 7. n. 11.* & alij.

Arcta-

122 *Arctati ratione Benefici recipiendi* econtrà dicuntur illi, qui habent jus, vel ſaltem ſunt vocati ad aliquod Beneficiũ vacans, ſeu Cappellaniam, quod tamen requirit actu certum Ordinẽ, quem necdũ habent. Sic ille dicitur Arctatus ratione Beneficij recipiendi, qui cùm primã Tonſuram acceperit, eligitur, aut præſentatur ad Beneficium aliquod, majorem Ordinem áctu requirens: quia per electionem, ſeu præſentationem acquiritur ipſi jus ad ejusmodi Beneficiũ, quo carere adſque ſua culpâ cogeretur, ſi Ordinem requiſitum accipere nequiret. Barboſa, *ubi ſuprà*, citans alios.

123 Idem dicendum in caſu, quo quis vocatur ad Beneficium, ac necdum habet primam Tonſuram: ut ſi Collator vult conferre, vel Patronus præſentare aliquem, qui nondum recepit primã Tonſuram. Quia enim Laicus, ſive carens primâ Tonſurâ, eſt incapax Beneficij Eccleſiaſtici, ac proinde ad illud eligi, vel præſentari nequit; adeò, ut ſi ſecùs fiat, electio, vel præſentatio ſit nulla, *arg. c. Ex litteris.* junctâ Gloſſâ *fin. de Tranſact.* éſtque ampliùs dictum *Tit. 6. de Electione. §. 9. num.* 219. Hinc talis cenſetur arctatus occaſione Beneficij recipiendi; ac proinde Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis Sede vacante, poteſt ei concedere Dimiſſorias pro recipienda primâ Tonſura. Card. de Luca *de Beneficijs, Diſcurs. 71. n. 7.* & Garcias *cit. part. 5. cap. 7. n. 102.* citans Ugolinũ *de Offic. & poteſt. Epiſc. cap. 26. §. 20. n. 5.* pro hac ſententia referens Declarationem Sac. Congregationis; & rurſus *part. 7. cap. 1. n. 30.* ubi aliam refert ejusdem Sac. Congregationis Declaratione ſuper *cap. 10. Seſſ. 7. Concilij Tridentini*, quæ ait: *Vicarius Capituli Sede vacante infra annum poteſt concedere Dimiſſorias ad primam Tonſuram ei, qui eſt præſentatus à Patronis laicis ad Beneficium Eccleſiaſticum juriſpatronatûs ipſorum, ut illud obtinere valeat.* Ubi tamen ly *præſentatus*, benignè accipi debet pro eo, qui non abſolutè eſt præſentatus (alioquin enim præſentatio foret nulla, ut dictum) ſed de præſentato in tempus habile, quo erit Clericus; ſeu petendo, ut anteà initietur primâ Tonſurâ. Garcias *cit. part. 7. cap. 1. n. 28. & 29.*

124 Secùs dicendum de eo, cui aliquis vult reſignare Beneficium, quod actu requirit Ordinem: hoc enim eſt merè voluntarium, ac proin ille non dicitur arctatus occaſione Beneficij recipiendi. Aloyſius Riccius *in Praxi Aurea, part. 2. Reſolut. 98.* Barboſa *cit. allegat. 7. n. 11.* Nec eſt ſimile de præſentato, vel electo ad Beneficium: nam electio, & præſentatio, fit ex neceſſitate Juris *intra certum tempus*, non item reſignatio, utpote quæ eſt merè voluntaria.

125 Cæterùm id, quod hactenus dictũ eſt, videlicet Capitulum Sede vacante infrà annum poſſe Arctatis concedere Litteras Dimiſſorias, non ſic intelligendum eſt, quaſi poſt conſtitutum jam Vicarium (quem infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere tenetur, juxta præſcriptum Concilij Tridentini *Seſſ. 24. de Reform. cap. 16.*) poſſit Capitulum ejusmodi Dimiſſorias dare per ſeipſum, ſed ſolùm mediante ſuo Vicario Capitulari. Licèt enim jurisdictio principaliter reſideat penes Capitulum Sede vacante, nihilominus exercitium ejus exiſtit penes Vicarium ab eodem deputatum. Ant. Flaminius Marchettus *in Praxi Vicarij Capitularis, part. 1. tit. 9. n. 4.* poſt Quarantam *in Summa Bullarum, ℣. Capitulum Sede vacante, n. 4.* & alios. Unde, quòd Capitulum Sede vacante Arctatis non concedat infra annum Litteras Dimiſſorias, cenſuit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, *in Neapolitana, die 12. Januarij, 1604. & in Almerin. 24. Januarij, 1653.* prout refert Flamin. Marchettus *loc. cit. part. 2. tit. 15. n. 28.* poſt Nicolaum *in Floſculis. ℣. Vicarius Capitularis, n. 70. verſ. Vicarius tamen.* Ac ſimiliter, quòd poſt annum Litteras Dimiſſorias concedere ſpectet ad Vicarium, & non ad Capitulum, fuit declaratum ab eadem Sac. Congregatione *in cit. Neapolitana, die 12. Januar. 1604.* prout teſtatur Barboſa *de Canonicis. cap. 42. num. 120.* & Flam. Marchettus *cit. tit. 15. n. 21.*

Reſp. III. Vicarius Generalis Epiſcopi Litteras Dimiſſorias concedere non poteſt, niſi Epiſcopo in remotis agente, aut niſi ab eodem habeat ſpeciale mandatum: alioquin enim ad hoc ſe non extendit ejus officium. Textus eſt *in c. Cùm nullus. 3. §. Inferiores. h. t. in 6.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Non extendat.* Rebuffus *in Praxi Benefic. part. 1. tit. Forma Vicariatûs, n. 47. & 48.* Aloyſ. Riccius *in Praxi Aurea, part. 3. reſolut. 232. n. 1. & ſeqq.* Sbroz *de Vicar. Epiſcop. lib. 2. q. 41.* Pax Jordanus *lib. 3. tit. 6. de Re ſacra*, & alij. 26

Circa quod eſt notandum, quòd tunc dicatur Epiſcopus in remotis agere, quando eſt extra Provinciam, ſive Diœceſin, *ut c. Coram dilecto. 35. de Electione.* Aut quando abeſt ultra duas dietas, *c. Nonnulli. 28. de Reſcript.* Vel ſaltem ultra unam dietam, *c. Statutum. 11. §. Cùm verò. eod. in 6.* Aut certè hoc erit relinquendum arbitrio boni viri, qui attentâ præſertim conſuetudine loci, cæteriſque circumſtantijs id determinabit; prout notat Gloſſa *in cit. c. Cùm nullus. ℣. Remotis. h. t. in 6.* Hoſtienſis *in c. Relatum. de Sentent. excommun.* Archidiaconus *in cap. 2. Reſponſ. 2. de Teſtament. in 6.* & Pax Jordanus *loc cit. num. 130.* allegans alios. Hodie tamen talibus Vicarijs ſolet dari expreſſa ſuper hoc poteſtas; adeò, ut etiam præſentibus Epiſcopis ex cauſa rationabili Litteras Dimiſſorias concedant. Gloſſa *loc. cit. in Addit.* poſt Joan. Andream *ibid. num. 3.* 27

Reſp. IV. Inferiores Prælati, atque ipſamet Capitula etiam Cathedralia, & Abbates, quantumvis exempti, non poſſunt ſuis ſubditis ſæcularibus dare Litteras Dimiſſorias ad Epiſcopum alterius Diœceſis; ſed horum ordinatio pertinet ad Epiſcopum, intra cujus Diœceſis fines exiſtunt. Ita habetur *in cit. c. Cùm nullus. 3 §. Inferiores. h. t. in 6.* ubi ita legitur ſtatutum, ſecluſo tamen ſpeciali privilegio Apoſtolico, vel (ut addit Gloſſa, *℣. Indultum.*) niſi habeant ex conſuetudine præſcriptâ, quòd hoc facere poſſint. 28

Id

129 Idipſum, & quidem ſub expreſſa revocatione quorumvis talium privilegiorum, præſcriptionum & conſuetudinum, etiam immemorabilium, habetur in Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* ubi dicitur. *Abbatibus, ac alijs quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat impoſterum, intra fines alicujus Diœceſis exiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre: nec ipſi Abbates, & alij exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum Cathedralium, Litteras Dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab alijs ordinentur, concedant, ſed horum omniū ordinatio, ſervatis omnibus, quæ in hujus ſanctæ Synodi Decretis continentur, ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat: non obſtantibus quibusvis privilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus &c.* Hæc ibi.

130 Quia verò relatum Concilium Tridentinum expreſsè loquitur de Prælatis, etiam exemptis, *intra fines alicujus Diœceſis exiſtentibus*; ac infra ſtatuit, ut Clericorum ſæcularium, ipſis ſubditorum, *Ordinatio ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtunt, pertineat.* Hinc allegatum Decretum non urgere in caſu, quo Prælati exempti, ſive ſæculares, ſive Regulares, proprium & diſtinctum territorium habent, in quo jurisdictionem ordinariam, ac quaſi Epiſcopalem exercent in ſubditos tam ſæculares, quàm Regulares; adeò, ut Populus etiam ſit exemptus, ac nullius Diœceſis, nec intra fines Diœceſis Epiſcopi alicujus exiſtat: tenuerunt non pauci Doctores; ut Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 7. *num.* 8. Aſcan. Tamburinus *tom.* 2. *de Jure Abbatum, diſt.* 2. *quæſt.* 16. *n.* 2. Piaſecius *in Praxi Epiſcopali, part.* 1. *cap.* 1. *n.* 12. Pirhing *h. t. n.* 56. & quidam alij, id ex relatis verbis Concilij Tridentini, argumento à ſenſu contrario deſumpto, colligentes.

131 Verumtamen oppoſitum eſſe tenendum, tradit Fagnanus *c. Nullus, n.* 23. *& ſeqq. de Parochijs*, & Jacobus Pignatellus *Conſultationum Canonicarum tom.* 8. *conſult.* 59. *n.* 14. *& ſeqq.* Ubi hic *num.* 32. *& ſeqq.* plures Sac. Congregationis Declarationes allegat, quibus cenſuit, quòd Abbates, aliique Prælati inferiores, nullo modo poſſint Litteras Dimiſſorias ad Ordines ſuis ſæcularibus ſubditis concedere, ſed hoc pertineat ad Epiſcopum, intra cujus Diœceſis fines conſiſtunt; aut, ſi intra nullius Diœceſis fines exiſtant, ad Epiſcopum viciniorem, ad quem pariter ſpectat talibus perſonis Ordines conferre. Ad dignoſcendum verò, quis ſit vicinior Epiſcopus, attendi debeat vicinitas Cathedralis Eccleſiæ, atque Abbatiæ vel Prioratûs, non autem territorij. Ita pluribus decidunt citatæ Declarationes Cardinalium. Ad argumentum verò à ſenſu contrario deſumptum, patet ex dictis *Tit.* 2. *De Conſtitutionibus.* §. 16. *n.* 406. *& ſeqq.* quòd illud in pluribus caſibus, ibidem explicatis, non procedat. Hucusque de Subditis ſæcularibus, nunc loquendo de Regularibus in Ordine ad facultatem concedendi ipſis Dimiſſorias ad Ordines,

Quæritur IV. Utrùm Prælati Regulares poſſint concedere ſubditis ſuis Regularibus Litteras Dimiſſorias ad Ordines? Reſp. I. Poſſunt Prælati Regulares, ſive exempti, ſive non exempti; ſuis ſubditis Regularibus concedere Litteras Dimiſſorias, ſed (ſecluſo ſpeciali privilegio) non niſi ad Epiſcopum Diœceſanum, ſive illum, intra cujus Diœceſis fines eorum Monaſterium exiſtit, dummodò ipſe Ordinationes habuerit: alioquin, ſi hic ordinationes non ſit habiturus, poterunt ſervatis ſervandis Superiores Regulares ſubditis Regularibus concedere Dimiſſorias Litteras ad quemcunque alium Epiſcopum. Ita communis; ac præter Jura inferiùs alleganda, habetur deciſum à Clemente VIII. in Decreto, *Super Ordinatione Regularium*, quod refertur à Laureto de Franchis *in Controverſijs inter Epiſcopos & Regulares. n.* 246. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 7. *n.* 18. Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. quæſt.* 38. *art.* 2. & alijs, ut ſequitur. 132

133 *DECRETUM Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, emanatum authoritate Fel. Record. Clementis VIII. Super Ordinatione Regularium.*

De mandato S. D. N. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis, quorumcunque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini continentur; cujus tenor eſt talis.

Congregatio Concilij cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras Dimiſſoriales concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cujus Familia ab ijs, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes. Verùm, cùm à Superioribus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, Litteræ Dimiſſoriæ dabuntur, ab eis utique hujusmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem Sanctiſſimi D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrent. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. *Menſis Martij.* 1596.

Ratio prioris partis, quòd nempe Prælati, ſeu Superiores Regulares, ſuis ſubditis Regularibus poſſint concedere Litteras Dimiſſorias, deſumitur tum ex Jure Canonico, *c. Abbates.* 3. *de Privileg. in* 6. ubi ipſi generalem, & *quaſi Epiſcopalem jurisdictionem* in ſuos ſubditos Regulares obtinere noſcuntur: tum ex Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* ac *n.* 129. relato: ubi dum Abbatibus, quantumvis exemptis, prohibetur Ordines minores conferre cuipiam, qui Regularis ſubditus non ſit; aut Litteras Dimiſſorias concedere aliquibus Clericis ſæcularibus 134

ribus, tacitè ſeu argumento deſumpto à ſenſu contrario, utrumque conceditur reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium. Accedit, quòd idem Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* inter alia decreverit, quòd nullus ordinetur, *niſi ejus probitas, ac mores Ordinarij ſui teſtimonio commendentur*: atqui Ordinarij Religioſorum quoad hoc ſunt proprij ipſorum Prælati, ſeu Superiores, qui ſuorum ſubditorum probitatem, vitam, moréſque pleniùs cognoſcunt, ac de iſtis teſtari poſſunt, non ſic Epiſcopi; ergo.

135 Altera pars, quòd nimirum Superiores Regulares non niſi ad Diœceſanum loci, dummodò hic Ordinationem habiturus ſit (ſecluſo ſpeciali privilegio) ſuis ſubditis Regularibus Litteras Dimiſſorias concedere valeant; rurſus patet tũ ex allegato Decreto Clementis VIII. tum ex Concilio Trident. *cit. Seſſ.* 23. *cap.* 8. ſic ſtatuente: *Unusquisque autem à proprio Epiſcopo ordinetur.* Atqui proprius Regularium Epiſcopus cenſetur ille, in cujus Diœceſi ipſi commorantur, *arg. c. Cùm nullus.* §. *fin. h. t. in 6.* juncto Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* & tenet Miranda *cit. quæſt.* 38. *art.* 2. Barboſa *cit. part.* 2. *allegat.* 4. *n.* 61. & 62. cum alijs inde concludens, quòd Regulares debeant ordinari ab Epiſcopo loci, ubi degunt, vel ab alio, accedente ejus conſenſu, ac prævijs Litteris Dimiſſorialibus ſuorum Superiorum: & ſi degant in Monaſterijs exiſtentibus in loco nullius Diœceſis, ab Epiſcopo viciniori. Atque hoc ipſum ex ſententia Sac. Congrgationis Concilij, docet Fagnanus *in c. Cùm olim. n.* 16. *de Præſcript.*

136 Intellige, *ſecluſo ſpeciali privilegio*: quale nonnullis Religioſis eſſe conceſſum, ut à quocunque Antiſtite, communionem Eccleſiæ habente, cum Prælatorum ſuorum licentia ſeu Dimiſſorijs ordinari valeant, patet inter alia ex conceſſione Clementis VIII. die 23. Novembris, 1596. facta Congregationi S. Joannis Evangeliſtæ in Portugallia, de qua jam ſuprà §. 2. *num.* 51. dictum eſt. Nam, quòd ejusmodi Religioſi non ſint aſtricti ad eam formam concedendi Dimiſſorias ſubditis ſuis, quæ in relato Decreto Clementis VIII. præſcribitur; rectè notat Piaſecius *part.* 1. *Praxis Epiſcopalis, cap.* 1. *art.* 2. *n.* 5. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 4. *n.* 60. & Pirhing *h. t. n.* 61. *verſ. Porrò etſi*, cum alijs. Nec immeritò; tum quia allegata conceſſio Clementis VIII. eſt poſterior citato ſuo Decreto, uti liquet ex Data. Tum quia privilegium à Papa conceſſum, debet aliquid ſpeciale operari, *c. Abbate.* 25. *de Verb. ſignif.* Sed, ſi ejusmodi Religioſi in ſuis Dimiſſorijs neceſſe haberent exprimere, quòd Epiſcopus ille, in cujus Diœceſi ſitum eſt ipſorum Monaſterium, ſit abſuturus, vel nullas Ordinationes habiturus, jam hoc ipſo eorum privilegium nihil ſpeciale operaretur; cùm non niſi ex hiſce duabus cauſis cum veritate Dimiſſorias ad alium Epiſcopum ſuis ſubditis concedere valerent, quod nunc eſt commune omnibus Religioſis Ordinibus.

137 Ultima pars, quòd Epiſcopo abſente, ſeu Ordinationes non habente, poſſint ſervatis ſervandis Prælati, ſeu Superiores Regulares, ſuis ſubditis Religioſis ad quemcunque alium Epiſcopum Litteras Dimiſſorias concedere, præter rationes *num.* 134. allatas, conſtat ex relato Decreto Clementis VIII. ubi etiam illa, quæ in tali caſu ſunt obſervanda, clarè exprimuntur. Quod quidem, utpote indiſtinctè loquens, intelligendum eſt de Regularibus tam exemptis, quàm nõ exemptis. Neque in tali caſu opus eſt licentiâ proprij Epiſcopi Diœceſani: hanc enim Jus ipſum, ſive Decretum Clementinum, tribuit; prout ſimile quid habetur *in c. Eos qui.* §. *fin. h. t. in* 6.

138 Quæritur V. Utrùm Litteræ Dimiſſoriæ expirent morte concedentis? Ratio dubitandi eſt: quia mandatum, ſeu beneplacitum alicujus, morte mandantis extinguitur, *l. Mandatum. C. Mandati. & c. Si gratioſè.* 5. *de Reſcript. in* 6. Atqui Litteræ Dimiſſoriæ ſunt mandatum, ſive beneplacitum Epiſcopi eas concedentis; ergo hujus morte extinguuntur: nam mors omnia ſolvit, *Auth. De Nuptijs.* §. *Deinceps. Collat.* 4. Verùm his non obſtantibus,

139 Reſp. I. Litteræ Dimiſſoriæ ad Ordines non expirant morte concedentis, ſed ſemper valent tum vivente, tum mortuo dante. Ita Navarrus *in can. Placuit. n.* 34. & *n.* 162. *de Pœnit. diſt.* 6. citans Cardinalem receptum *in Clement. fin. de Elect. quæſt.* 5. Zerola *in Praxi Epiſc. part.* 1. *℣. Dimiſſoria ad Ordines.* §. *Ad nonum.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formula Dimiſſoriarum Litterarum. n.* 43. etſi priùs non parùm in oppoſitam ſententiam inclinet. Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 7. *num.* 23. & plurimi alij ab hoc citati. Ratio eſt: quia gratia jam facta cuipiam, non expirat morte concedentis, *c. Si ſuper gratia.* 9. *de Offic. Delegat. in* 6. & *c. Si cui.* 36. §. 1. *de Præbend. in* 6. Atqui Litteræ Dimiſſoriæ continent gratiam factam, ſeu actualem conceſſionem recipiendi Ordines ab alieno Epiſcopo; ergo. Et hinc in ſimili, licentia de confitendo, licentia de non reſidendo causâ ſtudiorum, & licentia celebrandi Miſſam in domo ſua, non expirant morte concedentis; prout hoc poſterius decidit Rota *in antiquis, Deciſion.* 580. & 882. ac cætera pluribus firmat Navarrus *loc. cit. n.* 163.

140 Nec obſtant rationes dubitandi *num.* 138. in contrarium allatæ. Non prima: quia aliud eſt in mandato de faciendo aliquid, de quo *in cit. l. Mandatum*, ſermo eſt: aliud, in gratia, licentia, ſeu facultate cuipiam facta, de quâ hîc ſermo. Navarrus *loc. cit. n.* 164. Nec ſecunda: quia Litteræ Dimiſſoriæ non conceduntur ſub clauſula illa, *Usque ad beneplacitum noſtrum*, de qua procedit *cit. c. Si gratioſè* (alioquin ſecùs foret dicendum) ſed ſolent concedi abſolutè, & abſque tali clauſula.

141 Et hactenus dicta procedunt etiam de Litteris Dimiſſorijs, quas Capitulũ Cathedrale Sede vacante concedit. Neque enim hæ expirant finitâ

Capi-

Capituli poteſtate: nam geſta à Capitulo valida ſunt, durántque, ſi recté geſta fuerint, *arg. c. His quæ. de Majorit. & Obed. & cap. un. eod. in 6.* & tenet Federicus de Senis *Conſil. 16. circa initium.* ac Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formula Dimiſſoriarum Litterarum. n.* 43. citans inſuper Ancharanum *in cap. 1. in fine. Ne Sede vacante.*

142 Poterit tamen Epiſcopus Succeſſor per Edictum revocare omnes, & quaſcunque Dimiſſorias, à Prædeceſſoribus, ſeu Capitulo Sede vacante conceſſas, quæ nondum ſortitæ ſunt effectum, *arg. can. Si qua de rebus.* 12. *q.* 2. & tradit Abbas *c. Cùm olim. n.* 2. *§. Septimò dubitatur. de Majorit. & obed.* Idque probatur ex eo: quia non poteſt Capitulum ſtatuere in præjudicium futuri Epiſcopi, nec Prædeceſſor in præjudicium Succeſſoris; cùm non habeat imperium par in parem, *c. Innotuit. 20. de Elect.* Conſentit Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 7. *n.* 25. cum alijs id intelligens, juſtâ ſubſiſtente causâ. Quòd ſi verò Epiſcopus Succeſſor non revocaverit, poteſtas data per Dimiſſorias remanebit: quod valde eſſe notandum, inquit Rebuffus *loc. cit. num.* 44.

§. VI.

De Interſtitijs temporum ad Ordinationem requiſitis.

SUMMARIUM.

143. *Interſtitia temporum nulla certa ſtatuuntur pro Ordinibus minoribus.*

144. *Pro alijs requiritur annus.*

145. *Naturalis, vel ſaltem Eccleſiaſticus.*

146. *Ratio, cur ſervanda Interſtitia.*

147. *Textus notabilis Conſtitutionis Innocentij XII. circa ipſa.*

148. *Ex quibus cauſis poſſit diſpenſari in Interſtitijs? Et num. ſeqq.*

149. *Requiritur major cauſa in diſpenſatione quorundam Interſtitiorum, ac aliorum.*

150. *Et cur?*

151. *Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas, ut in illis diſpenſetur, quando cenſeatur adeſſe?*

152. *Aliæ cauſæ diſpenſandi in Interſtitijs.*

153. *Epiſcopus ordinans alienum cum Dimiſſorijs, non poteſt cum eo diſpenſare quoad Interſtitia.*

154. *Sed diſpenſare in iſtis ſpectat ad Epiſcopum reſpectu ſuorum Subditorum.*

155. *An eadem poteſtas competat Vicario Generali, atq; Capitulo Sede vacante?*

156. *Epiſcopus diſpenſat in Interſtitijs, vel expreſſè, vel tacitè; & quomodo?*

157. *Poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu Regularium, an ſpectet ad Epiſcopum, vel Prælatum Regularem? Et num. ſeqq.*

De quibus Regularibus hæc Quæſtio procedat? ibid.

158. *Oſtenditur, dictam poteſtatem pertinere ad Epiſcopum; & quomodo?*

159. *Niſi quando Prælati Regulares ſuis ſubditis conferunt Ordines minores.*

160. *An plures Ordines eodem die cuipiam conferri, & recipi valeant? Et num. ſeqq.*

161. *Duo ſacri Ordines nulli eodem die ſunt conferendi.*

162. *Etiamſi Metropolitanus id jubeat.*

163. *Nec quando unus in Sabbato, & alter die Dominicâ continuato jejunio confertur.*

164. *Et quid, ſi aliquis ſit diſpenſatus, ut poſſit extra tempora tribus Dominicis, vel Feſtivis diebus ordinari?*

165. *Epiſcopatus an poſſit eodem die recipi cum Sacerdotio?*

166. *De Jure nequeunt Ordines minores eodem die unà cum Subdiaconatu recipi.*

167. *Secùs de conſuetudine alicubi recepta.*

143 QUæritur I. Quæ ſint temporum Interſtitia, quibus conferendi ſunt Ordines, & cur à Jure ſtatuta? Reſp. I. Interſtitia, ſeu intervalla temporum, quæ inter receptionem unius Ordinis poſt alterum intercedere debent, Jure novo Concilij Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 11. 13. & 14. *de Reform.* ſtatuuntur ſequentibus verbis. Et quidem loquendo de Ordinibus minoribus, nullum certum tempus Interſtitiorum præfigit, ſed ſolùm *cit. cap.* 13. ſic ordinat: *Minores Ordines ijs, qui ſaltem Latinam linguam intelligunt, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur.*

144 Loquendo verò de Ordinibus Sacris, idem Concilium pro ſingulis ipſorum præſcribit unum interſtitiorum annum, à receptione unius uſque ad collationem alterius Ordinis intermedium. Et quidem de Subdiaconandis, dictum Concilium *in cit. Seſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reform.* ſic inquit: *Hi verò non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradûs minorum Ordinum ad ſacros Ordines promoveantur: niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi aliud expoſcat.* De Diaconandis autem *loc. cit. cap.* 13. ſic ait: *Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.* Et ſimiliter unus annus pro Presbyteratu aſſignatur per idem Concilium *loc. cit. cap.* 14. illis verbis: *Et hi* (Presbyterandi) *ſint, qui non modò in Diaconatu ad minus annum integrum, niſi ad Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem, aliud Epiſcopo videretur, miniſtraverit, ſed etiam &c.*

Notant tamen Doctores, hujuſmodi annum interponendum ab uno ad alterum Ordinem ſacrum non neceſſariò debere eſſe naturalem, & ſolarem, qui habeat trecentos ſexaginta quin- 145

que dies, ſed ſufficere annum Eccleſiaſticum; ita, ut ſufficiat, adveniſſe eandem annuam Solemnitatem, ſeu Tempora Angariarum ſequentis anni; licèt annus naturalis nondum integrè ſit completus, ob celeriorem recurſum Solemnitatis Paſchalis: prout à Sac. Congregatione fuiſſe declaratum, refert Lauretus de Franchis *in Controverſijs inter Epiſcopos, & Regulares. num. 164. & 165.* ac ſequitur Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſtat. Epiſc. allegat. 18. num. 2.* poſt Zerolam *in Praxi Epiſcop. part. 1. V. Ordo. §. Ad quartum.* Lezanam *in Summa Quæſt. Regul. cap. 14. num. 17.* & alios. Verùm neque annus Eccleſiaſticus adeò neceſſariò requiritur, quin ſufficere poſſit annus naturalis completus: ac proinde Sabbato ſancto ordinatus in Subdiaconum, poterit ſequenti anno in Sabbato *Sitientes*, ſeu præcedente Dominicam Paſſionis, recipere Diaconatum, ſi tunc ob tardiorem recurſum Paſchatis, annus naturalis jam eſt integrè completus. Talis enim reverà per annum verſatus eſt in Ordine Subdiaconatûs, prout requirit Concilium Trident. *loc. cit.*

146 Reſp. II. Ratio, cur ſervatis temporum Interſtitijs conferendi ſint Ordines, eſt ea, quam idem Concilium *cit. cap.* 11. adducit: videlicet, ut interim Ordinandi eò accuratiùs, quantum ſit cujuslibet Ordinis, quem ſuſcipiunt, pondus & dignitas, poſſint edoceri; ſimúlque, ut in unoquoque munere, juxta præſcriptum Epiſcopi, ſeſe exercere, ſicque cum ætate majus vitæ meritum, majorémque doctrinam acquirere valeant.

147 Pulchrè quoad propoſitum S. D. N. Innocentius XII. in ſua noviſſima Conſtitutione *Speculatores Domûs Iſraël.* 1694. emanata: ubi circa initium, poſtquàm permiſiſſet, conveniens eſſe, ut Clerici, qui in ſortem Domini vocantur, ſint irreprehenſibiles, & tales, qui dignè poſſint Dominica tractare Sacramenta, cunctóſque ædificent tam Fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ, ſubjungit in hæc verba: „Sanè hoc inito conſilio, non alios, quantùm „fieri poteſt, quàm qui in ſanctitate, & juſtitia, „per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ Militiæ gra„dus ſtatis intervallis ambulaverint, ac piè & „fideliter in miniſterijs anteactis ſe geſſerint, ad „Sacerdotium aſſumi, ſacróſque Ordines jux„ta priſcum Eccleſiæ morem, præſcriptis à Jure „temporibus, orationi & jejunio conſecratis, „haberi cupientes, ſeveriorem quandam in „concedendis Indultis ſuſcipiendi ſacros Ordi„nes extra tempora hujusmodi, & Interſtitijs „ad id deſignatis minimè ſervatis, ultrò Nobis „propoſuimus adhibendam rationem, quâ vi„delicet ſervatâ, ante meritum laboris, ante „tempus examinis, ante experientiam diſcipli„næ, Sacerdotalis honor non probatis minimè „tribuatur; nec unquam heri ſacrilegi, hodie „Sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum An„tiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, „Diſcipuli ſimul, ac Magiſtri pietatis creentur; „ſed ij tantùm juxta conſtitutas à Majoribus Le„ges, ab humili gradu fidelis Populi, ad ſacrarū „adminiſtrationum ſublimitatem promovean„tur, qui poſt mutatum habitum ſæcularem „diuturnâ converſatione inter Clericos fuerint „comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ „poſtmodùm alios docere tenentur. *Hæc Pontifex.*

Quæritur II. Ex quibus cauſis poſſit diſpen- 148
ſari in Interſtitijs? Reſp. I. Ad diſpenſandum in Interſtitijs Minorum Ordinum quæcunq; cauſa videtur ſufficere, quamvis non ſit multùm neceſſaria. Ita Emanuel Rodericus *tom. 3. Quæſt. Regular. q. 24. art. 4.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. quæſt. 38. art. 8.* & alij. Nam juxta Concilium Trident. *cit. Seſſ. 23. cap. 11.* ſufficit, *ſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur.* Unde conſuetudine pluribus in locis receptum eſt, ut eodem die, atq; ſub eadem Ordinatione, quatuor Ordines minores ſimul conferantur: nam & hoc, præſertim in Diœceſibus amplioribus magis expedire, viſum eſt Epiſcopis. Et talem conſuetudinem valere, patet ex Declaratione ſacræ Congregationis Concilij Tridentini *num. 55.* relatâ.

Reſp. II. Minor requiritur, ac ſufficit cauſa, 149
ad diſpenſandum in interſtitio unius añi à Subdiaconatu ad Diaconatum, quàm à quatuor Ordinibus minoribus ad Subdiaconatū: major autem cauſa requiritur in diſpenſatione interſtitiorum inter Diaconatum & Presbyteratum. Ita Emanuel Rodericus *cit. quæſt. 24. art. 6. & 7.* Miranda *cit. quæſt.* 38. *art.* 8. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 18. *n.* 5. cum alijs. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum (ut liquet ex ejus verbis, *num. 143. & 144.* relatis) facultatem diſpenſandi in interſtitijs unius anni inter Subdiaconatum & Diaconatum, relinquit arbitrio Epiſcopi, ibi: *Niſi aliud Epiſcopo videatur:* ſicque ſufficit quælibet cauſa, ob quam ita expedire Epiſcopus judicaverit. At verò, ut diſpenſetur in interſtitijs ab Ordinibus minoribus ad Subdiaconatū, requirit Concilium Trident. *loc. cit. cap.* 11. determinatè, disjunctivè tamen, cauſam neceſſitatis, aut utilitatis Eccleſiæ. Ut autem diſpenſetur in interſtitijs inter Diaconatum & Presbyteratū, requirit idem Concilium *cit. cap. 14.* determinatè, ſimúlque conjunctivè, utilitatem ac neceſſitatem Eccleſiæ, Epiſcopi arbitrio dijudicandam: unde manifeſtum fit, majorem hîc requiri cauſam diſpenſandi, quàm ibi.

Accedit ratio congruentiæ: quia in aſcenſu à 150
Subdiaconatu ad Diaconatum, non mutatur ampliùs ſtatus, quia jam mutatus fuit; in aſcenſu autem à minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum mutatur ſtatus, nec licet ampliùs regredi ad ſtatum ſæcularem, ſeu conjugalem: ſicque rationi conſentaneum videtur, quòd Subdiaconatus majori cum conſideratione ſuſcipiatur, nec tam facilè in ejus interſtitijs diſpenſetur, niſi Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat. Atque hæc ratio vel maximè urget in ſuſceptione Presbyteratûs, propter majorem hujus Ordinis excellentiam, & adjunctum ſacrum miniſterium ipſis etiam Angelis tremendum, ob quod *in Divinis Eloquijs Sacerdo-*

tes

tes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur, prout notatur *in can. Sacerdotibus. 1. q. 1.* ſicque meritò longioris temporis præparatione indigere dignoſcitur, niſi Eccleſiæ dignitas ſimul & neceſſitas aliud depoſcat.

151 Tunc autem, quantùm ad propoſitum, cenſetur adeſſe Eccleſiæ utilitas, quando adſunt pauci idonei miniſtri; ſicque ad Eccleſiæ miniſterium, majorémque ejus ornatum utile videtur, quòd quis citiùs ordinetur. Urget verò Eccleſiæ neceſſitas, quando non ſolùm adſunt pauci Eccleſiæ miniſtri, ſed etiam deficiunt idonei, per quos Eccleſiæ onera, tam in celebratione Miſſarum, quàm in alijs Eccleſiaſticis miniſterijs, ritè adimpleri poſſunt. Atque iſtud accidere poteſt, non ſolùm ex eo, quia tales omninò non exiſtunt, ſed etiam, quia ob alias legitimas occupationes, aut infirmitatem, cæteri non reſident: nam ejuſmodi neceſſitas, & utilitas non conſiſtit in indiviſibili, ſed moraliter dijudicari debet ſecundùm arbitrium boni viri. Eman. Rodericus *cit. tom.* 3. *quæſt.* 24. *art.* 7. Miranda *cit. art.* 8. *circa finem.* Barboſa *ead. allegat.* 18. *num.* 5. cum alijs.

152 Addit Menochius *Caſu* 427. *de Arbitrar. Judic. n.* 31. aliam cauſam diſpenſandi in interſtitijs, nempe cauſam ſtudiorum, quibus ille promovendus incumbit. Item (ſubjungit Barboſa *loc. cit.*) ſi ætas promovendi ſit provecta, & juncta cum integritate vitæ: item ſi interveniat arctatio habendi certum Ordinem ratione Beneficij recepti, vel recipiendi. Verùm etiam hæ, aliæque conſimiles cauſæ, ad neceſſitatem, vel ſaltem utilitatem Eccleſiarum commodè reduci valent, utpote quæ non conſiſtit in indiviſibili, ſed moraliter penſanda eſt, ut dictum.

153 Quæritur III. Cujus ſit diſpenſare in Interſtitijs, & quando id fieri cenſeatur? Reſp. I. Poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs Ordinum, competit Epiſcopo reſpectu propriorum ſubditorũ; adeò, ut Epiſcopus ordinans alienos cum Litteris Dimiſſorijs advenientes, non poſſit cum iſtis quoad interſtitia diſpenſare. Ita Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. quæſt.* 38. *art.* 7. *Concl.* 2. Barboſa *cit. allegat.* 18. *n.* 5. *&* 9. ubi allegat alios, atque addit, ita à Sac. Congregatione Epiſcoporum fuiſſe reſponſum: videlicet, quòd Ordinator ſuper temporum interſtitijs, non poſſit diſpenſare cum non Diœceſano, niſi hoc in Dimiſſorijs expreſsè ei concedatur.

154 Ratio eſt: quia Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 11. 13. *&* 14. *de Reform.* vult ſervari temporum interſtitia in collatione Ordinum, *niſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, judicio Epiſcopi aliud expoſcat*; vel, *niſi Epiſcopo aliud videatur expedire.* Ergo Concilium clarè tribuit facultatem diſpenſandi in interſtitijs Epiſcopo Diœceſano, utpotè qui præcipuè cognoſcit utilitatem, & neceſſitatem ſuæ Eccleſiæ, & ſuper iſta conveniens judicium ferre poteſt; non autem Epiſcopo Ordinatori, cùm hic, veluti extraneus, nequeat ipſam dignoſcere, nec de ea judicare. Accedit textus ejuſdem Concilij *loc. cit. cap.* 16. ibi: *Cùm nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſijs.* Ubi ponderandum ly, *ſui Epiſcopi.*

Reſp. II. Prædicta facultas diſpenſandi in Interſtitijs, abſente Epiſcopo tranſit in Vicarium Generalem Epiſcopi, habentem generale mandatum, atque etiam ad Capitulum Sede vacante, ſive Vicarium ipſius. Hæc Concluſio quoad utramque partem declarata fuit à Sacra Congregatione Concilij, ut refert Lauretus de Franchis *in Controverſ. inter Epiſcopos & Regular. n.* 256. eámque inſuper tradit Barboſa *loc. cit. n.* 6. citans plures alios. Accedit ratio. Tum quia Vicarius Generalis Epiſcopi, habens generale mandatum in forma (nam datâ ſpeciali commiſſione res caret difficultate) Epiſcopo abſente poteſt concedere Litteras Dimiſſorias, *c. Cùm nullus. §. Inferiores. h. t. in 6.* ergo etiam diſpenſare in interſtitijs: nam quoad facultatem iſtam diſpenſandi, non videtur per Concilium Tridentinum eſſe electa induſtria perſonæ, aut gradus Dignitatis Epiſcopalis, ſimúlq; Vicarius Generalis Epiſcopi abundè poteſt cognoſcere, ac judicium ferre circa utilitatem, ac neceſſitatem Eccleſiæ. Tum quia Capitulum Sede vacante ſuccedit in ijs, quæ pertinent ad jurisdictionem ordinariam Epiſcopi; ergo etiam in dicta facultate diſpenſandi ſuper interſtitijs. 155

Reſp. III. Epiſcopus poteſt diſpenſare in Interſtitijs, vel expreſsè, dum hoc claris verbis exprimit; vel ſaltem tacitè, aſſumendo videlicet aliquem ſcienter intra anni curriculum ad Ordinem altiorem, quia hoc ipſo tacitè cum ipſo diſpenſare cenſetur. Ita Lauretus de Franchis *in Controverſijs inter Epiſcop. & Regul. n.* 260. Barboſa *cit. allegat.* 18. *n.* 9. cum alijs. Ratio eſt: quia Epiſcopus, ſi expedire viderit, poteſt ſic diſpenſare; ergo etiam ipſo facto, ſicque tacitè diſpenſat in interſtitijs, quando aliquem ſcienter ordinat intra anni curriculum, ne alioquin delinquere convincatur; prout jam dictum eſt *Tit.* 2. *de Conſtitutionibus.* §. 18. *n.* 481. *&* 483. Secùs dicendum, ſi Epiſcopus ignorans id fecerit: quia tunc nullo modo diſpenſare cenſetur. Franchis *cit. num.* 260. & concordant dicta ſuperiùs *cit. Tit. num.* 482. 156

Quæritur IV. Utrùm poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu Regularium, ſpectet ad Epiſcopum, vel Prælatum Regularem? Hæc quæſtio non procedit de illis Regularibus, quibus competit ſpeciale privilegium Apoſtolicũ ſuſcipiendi ſacros Ordines extra tempora, tribus continuis, vel interpolatis diebus Dominicis, aut Feſtivis, ſicque non ſervatis interſtitijs, juxta dicta ſuperiùs *n.* 40. *& ſeqq.* Nam quoad hos jam ipſemet Papa, pro communi bono totius Eccleſiæ, diſpenſavit in interſtitijs, ſicque non indigent ulteriori diſpenſatione Epiſcopi, aut proprij Prælati. Verùm loquendo de alijs Religioſis, quibus memoratum privilegium non competit, urget præſens Quæſtio: ad quam 157

Reſp. I. Facultas diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu Religioſorum non pertinet ad horum Superiores, ſeu Prælatos Regulares, ſed ad Epiſco- 158

ſcopum; qui tamen quoad cauſam diſpenſandi ſuum judicium formare debet ex atteſtatione Superiorum Regularium. Ita à Sac. Congregatione Regularium fuiſſe reſponſum 1573. refert Paraſellus *in ſuo Libro privilegiorum*, *fol* 225. quem citat; & ſequitur Rodericus *cit. Tom.* 3. *Quæſt. Regul. q.* 24. *art.* 3. *circa finem*, ac Miranda *cit. tom.* 1. *quæſt.* 38. *art.*7. Idemque à Sac. Congregatione Concilij Tridentini fuiſſe declaratum, refert Lauretus de Franchis *loc. cit. n.* 255. & Barboſa *part.*2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 18. *n.* 10. citans plurimos alios; quamvìs Additio *ad cit. Lauretum de Franchis, num.* 256. cum nonnullis oppoſitum teneat. Ratio eſt: quia Concilium Tridentinum, ſuprà *num.* 143. *&* 144. allegatum, facultatem diſpenſandi in interſtitijs Ordinum expreſsè, atque iteratis vicibus, committit judicio Epiſcopi, atqui nomine *Epiſcopi* non veniunt Prælati Regulares. Nam verba ſunt intelligenda ſecundùm propriam ſignificationem, *l. Non aliter. ff. de Legatis III.* ſimúlque in potiori ſignificatione accipienda, ubi de oppoſito non conſtat, *arg. cap. penult. de Sentent. excommunicat. &* §. *Sed jus quidem Civile. Inſtit. de Jure nat. gent. civil.* ac latè deducit Card. Tuſchus *Litt. V. Concl.* 101. *&* 102. Accedit gemina, & jam allegata Declaratio tum Sac. Congregationis Concilij, tum Regularium; quamvìs hæc ipſa patiatur limitationem, juxta proximè dicenda: unde

159 Reſp. II. Quando tamen Prælati Regulares, ut puta Abbates, juxta *c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate & qualit. præficiend.* & alias facultates ſibi conceſſas, conferunt ſubditis ſuis Regularibus quatuor Ordines minores, poſſunt cum ipſis pariter diſpenſare in interſtitijs pro utilitate ſuæ Eccleſiæ. Ita Em. Rodericus *cit. art.* 3. *circa finem.* Miranda, *ubi ſuprà*, *Concluſ.* 3. aſſerens, hoc eſſe certum & manifeſtum. Barboſa *loc. cit. n.* 12. citans alios. Ratio eſt: quia Abbates ſic ordinantes, auctoritatem exercent Epiſcopalem circa proprios Subditos: ſimúlque conceſſo principali (quod eſt, poſſe conferre Ordines, eſtque regulariter proprium Epiſcopis) etiam poteſtas diſpenſandi in interſtitijs cenſetur eisdem conceſſa, *c. Acceſſorium.* 42. *de Reg. Juris in 6.*

160 Quæritur V. Utrùm poſſint plures Ordines eodem die cuipiam conferri, & recipi? Reſp. I. Spectato rigore Juris communis, id fieri non poteſt: quia alioquin hoc ipſo interſtitia temporum, ad receptionem ſingulorum Ordinum de Jure requiſita, non obſervarentur. Verùm, quòd de conſuetudine pluribus in locis recepta poſſint quatuor Ordines minores ſimul eodem die ſuſcipi, dicetur infrà *num.* 167.

161 Reſp. II. Duo ſacri Ordines eodem die nulli ſunt conferendi, ne quidem Regularibus. Ita communis; ac præter ſacros Canones, mox citandos, eſt expreſſum in Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 13. *de Reform.* revocante quoad hoc quæcunque privilegia in contrarium conceſſa, illis verbis: *Duo ſacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur, privilegijs, ac indultis quibusvis conceſſis, non obſtantibus quibuscunque.* Intellige, niſi impoſterùm Summus Pontifex cuipiam ſpecialem licentiam conceſſerit recipiendi, vel conferendi eodem die plures ſacros Ordines.

Et hæc Concluſio imprimis extenditur, ita quòd non liceat Epiſcopo duos ſacros Ordines cuipiam eodem die cónferre, quamvìs ſuus Metropolitanus id mandaverit; prout deſumitur ex *c. Dilectus.* 15. *h. t.* Ratio eſt: quia Metropolitanus nequit diſpenſare in ſacris Canonibus; ergo ipſi contra horum tenorem præcipienti nō tenetur, nec licitè poteſt obedire Epiſcopus.

Inſuper data Concluſio extenditur etiam ad eum caſum, quo Epiſcopus præcedenti Sabbato quempiam ordinat in Diaconum, & ſequenti die Dominico (continuato jejunio) vult eundē ordinare in Sacerdotem: nam & hoc illicitum eſt, *text. clar. c. Litteras.* 13. *h. t.* Ratio hujus ibidem redditur: quia propter continuationem jejunij, fictione canonicâ, vel manè diei Dominicæ trahitur ad Sabbatum, vel econtrà, sicque ambo ad eundem diem pertinere cenſentur; ergo, ſicut non licet utrumque Ordinem ſacrum eodem die cuipiam conferre, ita pariter non licet unum Ordinem uno, & alium altero die, continuato jejunio conferre.

Idem dicendum in caſu, quo quis à Sede Apoſtolica obtinuit diſpenſationem, ut poſſit extra tempora, etiam interſtitijs non ſervatis, ordinari *tribus Dominicis, ſeu alijs Feſtivis diebus.* Nam iſtud eſt intelligendum de diebus interpolatis: niſi in ſpecie addatur clauſula illa, *etiam continuis*; prout notat Gobat *tract.* 8. *Theolog. Experiment. num.* 464.

Limitant autem datam Concluſionem plerique Doctores in Epiſcopatu: nam, qui Sabbato ordinatus fuit Sacerdos, poteſt ſequenti die Dominico, ſive continuato, ſive non continuato jejunio, conſecrari in Epiſcopum. Gloſſa magna *in can. Quod à patribus. diſt.* 75. Quæ Gloſſa inſuper addit, quòd die Dominicâ manè poſſit quis ordinari in Sacerdotem (vel continuato jejunio, vel ex ſpeciali diſpenſatione) & eâdem die circa horam tertiam ordinari in Epiſcopum: tum quia nullo jure iſtud reperitur prohibitum, nec etiam certum tempus inter hunc & illum Ordinem eſt ſtatutum: tum quia, ut addit Gobat *loc. cit. num.* 465. Epiſcopatus ſolùm inadæquatè diſtinguitur à Sacerdotio, juxta dicta ſuperiùs *num.* 18. *&* 19. Verùm Abbas *in c. Litteras. num.* 3. *circa finem. h. t.* poſt Innocentium inquit, quòd iſtud non fiat de ejus conſilio; cùm tam ordinatio in Sacerdotem, quàm conſecratio in Epiſcopum, debeat fieri cum Miſſa, & nullus debeat duas Miſſas eâdem die celebrare.

Reſp. III. Stando Juri communi, non poſſunt quatuor Ordines minores ſimul eodem die unà cum Subdiaconatu recipi. Deſumitur hoc ex *c. Cùm N.* 2. *De eo, qui furtivè Ord. recep.* ubi Clericus dictos

dictos Ordines ſimul eodem die recipiens, in hoc facto multùm exceſſiſſe dicitur. Concordat *c. Litteras. 13. & c. Dilectus. 15. h. t.* Licèt enim hîc ſermo ſit de duobus Ordinibus ſacris uno die eidèm non conferendis, Ordines minores autem inter ſacros non connumerentur: nihilominùs attento pondere, & dignitate Ordinis ſacri, ratione cujus Jura voluerunt, hos ſingulos ſeorſim recipi, de mente Conditoris Canonis liquere poteſt apertiùs, quòd idem ſenſerit de quatuor Ordinibus minoribus, uno die unà cum Subdiaconatu eidem non conferendis. Concordant dicta, & rationes *num.* 149, & 150. allatæ, juncto Concilio Tridentino *Seſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reform.* ubi non ſolùm æquè pro interſtitijs inter Ordines minores & Subdiaconatum requirit annum, ac inter duos Ordines ſacros; ſed etiam majorem exigit cauſam, ut in ijs diſpenſari valeat, quàm in interſtitijs inter Subdiaconatum, & Diaconatum.

167 Dicitur notanter in Concluſione, *Stando Juri communi.* Siquidem conſuetudinem illam, quâ in quibusdam locis eodem die cuipiam quatuor Ordines minores unà cum Subdiaconatu conferuntur, admittunt Navarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 71. Engel *h. t. n.* 19. & alij. Concordat Sac. Congregatio Concilij ſuprà *num.* 45. adducta, quæ talem conſuetudinem ob neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ, licere aſſerit; quamvis verba ejus loquantur in caſu, ſi juxta conſuetudinem loci Ordines minores conferantur die Veneris, & Subdiaconatus ſequenti die Sabbati, de quo etiam dictum eſt ſuprà *num.* 24.

§. VII.

De Pœnis malè Ordinantium, & Ordinatorum.

SUMMARIUM.

168. *Hujusmodi pœnæ partim continentur in Jure Canonico, partim in Bullis Pontificijs.*
169. *Pœnæ in Conſtitutione Pij II.* Cùm ex ſacrorum, *contentæ referuntur.*
170. *Hæ pœnæ ſolummodò locum habent in indebitè ſuſcipientibus ſacros Ordines; non autem minores, aut primam Tonſuram.*
171. *Procedunt tamen etiam quoad Regulares.*
172. *Bulla Sixti V.* Sanctum & ſalutare, *eſt revocata per Clementem VIII. & cur?*
173. *Conſtitutio Urbani VIII.* Secretis, *quæ contineat?*
174. *Epiſcopus ordinans quempiam ante legitimam ætatem, ſuſpenditur à collatione Ordinum.*
175. *Non autem ab alio actu Ordinum.*
176. *Nec eſt ipſo jure ſuſpenſus, ſed per ſententiam ſuſpendendus.*
177. *Et quidem à collatione omnium Ordinum.*
178. *Epiſcopus conferens infanti primam Tonſuram, eſt ſuſpenſus duntaxat à collatione Clericalis Tonſuræ; & cur?*
179. *Ordinatus Ordinibus majoribus ante legitimam ætatem, de facto eſt ipſo jure ſuſpenſus.*
180. *Quid, ſi ignoranter ita fuit ordinatus?*
181. *Epiſcopus ordinans quempiam extra tempora absque diſpenſatione, cui pœnæ ſubjaceat?*
182. *Suſpenſus à collatione certi Ordinis, poteſt conferre minorem, non autem majorem.*
183. *Ordinatus extra tempora, de facto ipſo jure eſt ſuſpenſus.*
184. *Num à tali ſuſpenſione poſſit Epiſcopus abſolvere?*
185. *Quæ ſint pœnæ Ordinantis alienum ſubditum, & ſic Ordinati?*
186. *Quid, ſi hoc ſiat bonâ fide?*
187. *Pœnæ ejusmodi habent locum in Abbate, alienum ſubditum ordinante.*
188. *Atque in ijs omnibus, qui de facto ordinant alienum, vel ordinantur, ſub minùs legitimis titulis Beneficij, originis, domicilij, vel triennalis commenſalitatis.*
189. *Aliæ pœnæ contra ordinantes alienum ſubditum. Poſſunt talium ſubditi poſteà à vicinis Epiſcopis liberè ordinari. Ibid.*
190. *Dummodò de ſuſpenſione inde contracta, conſtet per declarationem Metropolitani.*
191. *Epiſcopus conferens cuipiam Ordinem ſacrum non habenti titulum ſuſtentationis, tenetur eidem providere de alimentis, donec Beneficium conſequatur.*
192. *Et quid, ſi talis Epiſcopus moriatur, vel plures ordinaverint eundem absque Titulo?*
193. *Fallit iſtud, quando ordinatus habet aliunde, unde vivat; vel quando ipſe decepit Ordinantem fingendo Titulum.*
194. *Declaratur* c. Si Epiſcopus. de Præbend. in 6. *ubi aliæ fallentiæ continentur.*
195. *Pœna Epiſcopi ordinantis aliquem ſine Titulo cum pacto, ne alimenta exigat, & ſic Ordinati.*
196. *Pœna Ordinantium Religioſos non profeſſos, vel ſolùm profeſſos ad certum tempus.*
197. *Ordinationes absque Titulo factæ, cui pœnæ ſubjaceant? Et num. ſeqq. Ordinatus ſcienter ab Epiſcopo ſine Titulo, olim erat ſuſpenſus, ſed non hodie. Ibid.*
198. & 199. *Dummodò ſolus Ordinatus non fuerit in culpa, fingendo Titulum, quem non habet.*
200. *Notabilis objectio ex Concilio Tridentino, innovante antiquorum Canonum pœnas ſuper Ordinatis ſine Titulo.*
201. *Ejusque ſolutio.*
202. *Quas pœnas antiquorum Canonum Concilium Tridentinum innovaverit? Et num. præced.*
203. *Contra Ordinantem & Ordinatum non ſervatis Interſtitijs, nullæ ſunt pœnæ in Jure ſtatutæ,*

204. *Pcſ-*

204. *Peccat tamen uterque, ac ſubjacet pœnæ arbitrariæ.*

205. *Quæ ſit pœna Epiſcopi conferentis cuipiam duos ſacros Ordines eodem die?*

206. *Et hos ita ſuſcipientis?*

168 QUæritur I. Quæ generatim circa pœnas contra malè Ordinantes, & Ordinatos ſtatutas, ſint obſervanda? Reſp. I. Hujuſmodi pœnæ partim continentur in Jure Canonico, & Sacro Concilio Tridentino, locis infrà notandis: partim in diverſis Bullis Pontificijs, ac præſertim in Conſtitutione Pij II. quæ incipit, *Cùm ex ſacrorum.* 1461. edita (& refertur *Tom.* 1. *Bullarij Romani*, *Conſtit.* 7. dicti Pontificis) in qua ad reprimendam nonnullorum, male ad ſacros Ordines ſe promoveri facientium, temeritatem, ſtatuitur in hæc verba.

169 „Cùm itaque (ſicut dignorum relatione, non „niſi moleſtè accepimus) nonnulli Clerici, extra „tempora à Jure ſtatuta, quidam ante ætatem „legitimam, aliqui verò ſine Dimiſſorijs, con„tra Sanctiones Canonicas ſe faciunt ad ſacros „Ordines promoveri: Nos eorundem temeri„tatem, tali caſtigatione reprimentes, ut alijs „impoſterùm committendi ſimilia aditus præ„cludatur; auctoritate Apoſtolicâ, hâc Con„ſtitutione perpetuò valiturâ, ſtatuimus, & „ordinamus, quòd omnes, & ſinguli, qui abs„que diſpenſatione Canonicâ, aut legitimâ li„centiâ, ſive extra tempora à Jure ſtatuta, ſive „ante ætatem legitimam, vel absque Dimiſſo„rijs litteris, etiam Ciſmontanis (præterquàm „ſi in hoc ultimo caſu, per Cameram Apoſtoli„cam, juxta illius ſtylum ordinati fuerint) ad a„liquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerint promo„veri, à ſuorum Ordinum executione, ipſo jure „ſuſpenſi ſint: & ſi hujuſmodi ſuſpenſione du„rante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præ„ſumpſerint, eo ipſo irregularitatem incurrant. „Præterea, ultra alias pœnas in tales generali„ter à Jure inflictas, Beneficijs Eccleſiaſticis poſ„ſint jure privari. *Hæc Pontifex.*

170 Circa quam Conſtitutionem Pij II. cumprimis notandum, quòd ipſa ſolummodò loquatur de indebitè ſuſcipientibus Sacros Ordines (ut patet ex verbis ejusdem) ac proinde non procedat de prima Tonſura, & Ordinibus minoribus malè ſuſceptis: unde in his attendendum eſt Jus antiquum. Navarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 70. *& Conſil.* 11. *num.* 4. *de Temporib. Ordinat.* Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 16. *num.* 14. *& allegat.* 17. *n.* 18.

171 Quamvis verò eadem Conſtitutio in narratione facti mentionem faciat de ſolis Clericis, horúmque exceſſibus, ſicque primâ facie non videatur comprehendere Regulares; cùm Conſtitutio, præſertim pœnalis, loquens de ſolis Clericis, non comprehendat Religioſos, nec econtrà, ut dictum *Tit.* 2. *de Conſtitutionibus*, §. 17. *num* 436. Quia tamen eadem Conſtitutio Pij II. in progreſſu, ipſaque diſpoſitione juris, abſolutè loquitur, *quòd omnes, & ſinguli &c.* ſimúlque præſens materia ſacrarum Ordinationum æqualiter reſpiciat Clericos tum ſæculares, tum Regulares: ipſam de utriſque eſſe intelligendam, non immeritò cenſet Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. quæſt.* 39. *art.* 6.

Aliam Bullam contra Clericos malè, aut ſimoniacè promotos, & Epiſcopos in Ordinum collatione peccantes, edidit Sixtus V. in ſua Conſtitutione 91. *Sanctum & ſalutare*, quæ refertur *Tom.* 2. *Bullarij Romani.* Verùm quia hæc nihil diſpoſuerat ultra id, quod in ſacris Canonibus, & Decretis Concilij Tridentini, aliorúmque Pontificum Conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diverſas ſolùm pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas contra malè Ordinantes, & malè promotos continebat, ſimúlque harum abſolutionem & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſervabat: Hinc Clemens VIII. in ſua 40. Conſtitutione, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (ac refertur *Tom.* 3. *Bullarij Romani*) ob plura incommoda, quæ inde conſequebantur, dictam Bullam Sixti V. omnésque pœnas, & cenſuras in ea contentas (ſalvâ præſervatione pœnarum ibidem contra ſimoniacè ordinantes, & ordinatos inflictarum) moderatus eſt, atque ad diſpoſitionem ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, nec non citatæ Conſtitutionis Pij II. reduxit. Atque idcircò de dicta Bulla Sixti V. non oportet ulteriorem mentionem facere. 172

Aliam Conſtitutionem contra malè Ordinantes, & malè Ordinatos, anno 1624. edidit Urbanus VIII. quæ incipit, *Secretis* (& habetur *Tom.* 4. *Bullari Romani. Conſtit.* 35. dicti Pontificis) in qua idem Pontifex innovavit, atque ampliavit diſpoſitionem Clementis IV. quæ habetur *in cap.* 1. *h. t. in* 6. additis nonnullis alijs pœnis, præſertim contra promotos cum falſo, vel ficto patrimonij titulo ſtatutis; prout uberiùs in memorata Bulla videre licet. Nunc deſcendendo ad particularia. 173

Quæritur II. Quæ ſint pœnæ Ordinantium, vel Ordinatorũ, ante legitimam ætatem? Reſp. I. Epiſcopus ſcienter quempiam ordinans ante legitimam ætatem, ſuſpenditur à collatione omnium Ordinum, non quidem ipſo jure, ſed per ſententiã. Ita deſumitur ex *c. Vel non eſt compos.* 14. *h. t.* ibi: *Prædictum Epiſcopum* (qui puerum tredecim annorum in Diaconum ordinavit) *à collatione Ordinum ſuſpendentes:* & notat Gloſſa ibidẽ *℣. Suſpendentes*, & Abbas *n.* 2. ac Barb. *n.* 1. *&* 2. & alij. 174

Accedit ratio, quia imprimis talis Epiſcopus ſuſpenditur ſolùm à collatione Ordinũ, ut puniatur in eo, in quo deliquit, nempe in collatione Ordinum, *c. Litteras.* 13. *eod.* Unde, ſi talis Epiſcopus durante illâ ſuſpenſione Miſſam celebret, non efficitur irregularis: quia ſolùm eſt ſuſpenſus à collatione Ordinum, non autem ab alio actu, 175

ſeu miniſterio Ordinum, puta à celebratione Miſſarum. Abbas Panormit. *in c. Cùm dilectus. n. 10. de Conſuetud.* Rebuffus *in Praxi Benefic. Tit. de Clericis ad ſacros Ordines malè promotis, Gloſſa 2. num. 7.* Fagnanus in *d. c. Vel non eſt compos. n. 45. h. t.* & alij.

7 Deinde, quòd Epiſcopus ordinans quempiam ante legitimam ætatem, non ſit ipſo jure ſuſpenſus, deſumitur ex allegato verbo illo, *Suſpendentes*, quod importat pœnam ferendæ ſententiæ: ſimúlque quia alias nullibi ſuſpenſio latæ ſententiæ contra ſic delinquentem reperitur in Jure ſtatuta. Neque urget citata Conſtitutio Pij II. ſuſpenſionem ipſo jure imponentis. Nam, ut liquet ex terminis, ea non loquitur de malè Ordinantibus, ſed malè Ordinatis, ſeu de illis, qui indebitè ad aliquem ex ſacris Ordinibus ſe fecerit promoveri.

7 Quòd autem ejusmodi Epiſcopus, ſcienter quempiam ordinans ante legitimam ætatem, ſuſpendendus ſit à collatione omniũ Ordinũ, & non tantùm illius, in cujus collatione peccavit, patet ex eo: quia textus *loc. cit.* loquitur abſolutè, *à collatione Ordinum ſuſpendentes*: unde, quia Jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *l. De pretio. ff. de Publician. in rem action.* cum ſimilibus. Gloſſa, Abbas, *ubi ſuprà*, & alij.

7 Nec obſtat, quòd talis Epiſcopus ſolùm peccaverit in collatione unius Ordinis, ſicque non videatur puniendus ſuſpenſione à collatione omnium Ordinum, *arg. cap. ult. h. t. in 6.* ubi Epiſcopus conferens infanti &c. Clericalem Tonſuram; per annum dicitur *ſuſpenſus à collatione Clericalis Tonſuræ duntaxat*; non verò à collatione omnium Ordinum, juxta Gloſſam ibidem; ut ſic *in eo* (inquit Pontifex) *in quo peccavit, puniatur.* Nõ obſtat, inquam, tũ quia prima Tonſura non eſt Ordo propriè dictus, ut tenet communior Doctorum, præſertim Theologorum; ſicque haud mirum, quòd ob illicitam ejus collationem non inducatur ſuſpenſio à collatione Ordinum propriè dictorum. Tum quia, ſi Pontifex in propoſito voluiſſet, quòd Epiſcopus ante legitimam ætatem ordinans, ſuſpenderetur duntaxat à collatione Ordinis illicitè collati, non autem cæterorum, pariter id expreſſiſſet, ſicut expreſſit de conferente illicitè primam Tonſuram *in cit. cap. ult. h. t. in 6.* Unde hæc inſtantia militat in contrarium, *arg. c. Inter corporalia. §. Sed neque de Tranſlat. Epiſc.*

7 Reſp. II. Ordinatus Ordinibus majoribus ante legitimam ætatem, validè quidem ordinatur, atque recipit Ordinis Characterem; talis tamen ipſo jure eſt ſuſpenſus, & ſi in tali ſuſpenſione miniſtraverit, efficitur irregularis. Ita defactò communis Doctorum; eſtque deciſum per Bullam Pij II. quæ incipit: *Cùm ex ſacrorum* ſuprà *n. 169.* jam allegatã. Nam ſiſtendo intra terminos Juris communis, ordinatus ante legitimam ætatem non eſt ipſo jure ſuſpenſus, ſed ſuſpendendus ab executione ipſius Ordinis, uſq; ad legitimam ætatem, *arg. c. Vel non eſt compos. 14. h. t.* ac notat Abbas *ibidem num. 3. & 6.* & Gloſſa *in Clem. ult. §. Anno. de Ætate & qualit. præfic.* & Navarrus *Conſil. 11. n. 5. de Temporib. Ordinat.* appellans hanc opinionẽ communem. Aut ſaltem eſt ſuſpenſus duntaxat uſq; ad legitimã ætatem, adeò ut hac ſuperveniente ceſſet impedimentum; prout vult Barboſa *cit. c. Vel non eſt compos n. 4. & 6. h. t.* poſt Covarruviam *in Clem. Si furioſus. part. 1. §. 1. n. 4.* & alios. Defactò tamen talis eſt ſuſpenſus perpetuò, ſeu donec beneficium abſolutionis conſequatur. Quaranta *v. Ordo. circa initium.*

Limitatur tamen data Concluſio in Ordinato ignoranter ante legitimam ætatem: nam, qui ante hanc bonã fide ſuſcipit Ordinem ſacrum, probabiliter poſt diligentem inquiſitionem exiſtimans, ſe habere legitimam ætatem, non efficitur ipſo jure ſuſpenſus, neq; irregularis, ſi ſtante tali ignorantia miniſtraverit. Ratio eſt: quia Pius II. ubi ſuprà, loquitur de ijs, qui ſcienter hoc fecerint (ignorantia enim juris, vel facti, generaliter excuſat ab incurrenda cenſura, *c. Si verò. 4. de Sentent. excomm. & cap. 2. de Conſtitut. in 6.*) quiq; in Ordinibus *miniſtrare præſumpſerit*: quæ dictio dolum, malitiam, ac temeritatem importat. Navarrus *cap. 27. Manual. num. 155.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 39. art. 6. in fine.* Barboſa *loc. cit. n. 8.* & alij. Si tamen poſteà defectus ejusmodi deprehendatur, non erit licitum ſic Ordinato miniſtrare in ſuſcepto Ordine, donec ad legitimam ætatem pervenerit: ne quidem cum licentia Epiſcopi; cùm hic non poſſit diſpenſare ſuper ætate contra ſacros Canones. Hac tamen ſuperveniente, ceſſabit impedimentum absque alia diſpenſatione. 180

Quæritur III. Quæ ſit pœna Ordinantis, & Ordinati extra legitima tempora? Reſp. I. Epiſcopus ordinans quempiam, non habentem privilegium vel diſpenſationem, extra tempora Jure ſtatuta, privandus eſt poteſtate conferendi Ordines, quos illicitè contulit. Patet hoc ex *c. Sanè. 2. in fine. & c. Cùm quidam. 8. h. t.* ac notat Gloſſa *ibid. v. Canonica.* & Abbas *num. 1.* cum communi. Concordat textus *in c. Litteras. 13. §. fin. h. t.* ubi Epiſcopus, *ut puniatur in quo deliquit, à collatione Ordinum, Diaconij ſcilicet, & Presbyterij*, quos indebito tempore, ſive eodem die contulerat, ſuſpenditur. Unde hujusmodi pœna ſuſpenſionis, quæ incurritur ob Ordinationem extra tempora Jure ſtatuta factam, non eſt à collatione omnium Ordinum, nec incurritur ipſo jure, ſed primùm poſt ſententiam. Si tamen ea infligatur, eſt perpetua, ſeu donec gratiam abſolutionis quis obtinuerit, & non tantùm durat per annum: nam Jura allegata loquuntur indefinitè: ſimúlque Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 8. de Reform.* ſtatuens ſuſpenſionem à collatione Ordinum per annum, loquitur in alio caſu, ſeu quando quis ordinat alienum absque teſtimonio ſui Ordinarij. Barboſa *in cit. c. Cùm quidam. n. 2. h. t.* 181

Circa dicta tamen eſt notandum cum Abbate *in c. Vel non eſt compos. num. 5. h. t.* Viviano *in Rationali Juris Canonici. cap. 14. h. t.* & alijs, quòd ſuſpenſus à collatione certi Ordinis, puta Diaconatûs, poſſit conferre Ordinem minorem, *arg. can. Qualis hinc. diſt. 25.* ibi: *Quod enim de uno negatur,* 182

tur, conſequens intellectus patet, *quia de quibuſdam conceduntur*: juncto *c. Odia. & c. In pœnis. de Reg. Jur. in 6.* Majorem verò Ordinem, puta Presbyteratum, conferre non poterit; quia licèt in ipſo majori non deliquerit, fecit tamen reſpectu hujus ſe indignum, delinquendo in minori: ut *l. Cui pacto. ff. de Servis exportand.* ibi: *Ne, qui caret minoribus, fruatur majoribus.* Dummodò hinc excipiatur caſus *in cap. ult. h. t. in 6.* relatus, ubi indebitè conferens cuipiam primam Tonſuram, à collatione duntaxat Clericalis Tonſuræ per annum ſuſpenditur; idque ob rationem *num.* 178. allatam.

183 Reſp. II. Quamvis ſpectato Jure antiquo, recipiens Ordines extra Tempora non ſit ſuſpenſus ipſo jure, ſed ſuſpendendus per ſententiam, *arg. d. c. Sanè, 2. & c. Cùm quidam. 8. h. t.* Defactò tamen, & poſt Bullam Pij II. *Cùm ex ſacrorum*, tales Ordinati extra Tempora, ſunt ipſo jure ſuſpenſi, poſſuntque ſuis Beneficijs, ſi quæ habent, jure privari; prout liquet ex verbis citatæ Bullæ *num.* 169. relatis.

184 Num autem in hac ſuſpenſione poſſit Epiſcopus diſpenſare, variant nonnihil Doctores. Et quidem Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 17. *n.* 14. *& ſeqq.* citans alios, negativam tenet ſententiam, niſi ſuſpenſio, & inde conſecuta irregularitas fuerit occulta. Unde addit poſt Rebuffum *in Praxi Benefic. Tit. de Clericis ad ſacros Ordines malè promotis, Gloſſâ* 2. *n.* 13. Quòd hodie ſolus Papa, vel ejus Legatus à Latere, ex ſpeciali ſibi datâ poteſtate diſpenſet cum Ordinatis extra Tempora. Verùm oppoſitam ſententiam, videlicet proprium Epiſcopum poſſe ab hac ſuſpenſione, & irregularitate abſolvere, vel diſpenſare, poſt Suarezium *diſp.* 29. *de Cenſuris, ſect.* 1. *n.* 18. probabile cenſet Pirhing *h. t. n.* 107. Tum quia Pius II. in citata Conſtitutione ſibi non reſervavit abſolutionē à dicta ſuſpenſione, vel irregularitate; ſicq; hoc ipſo conceſſiſſe videtur Epiſcopo facultatem abſolvendi ab ea; ut in ſimili dicitur *c. Nuper.* 29. §. *In ſecundo. de Sent. excommunicat.* Tum quia hæc poteſtas poſt peractam pœnitentiam abſolvendi Ordinatos extra tempora à ſuſpenſione, olim fuit conceſſa Epiſcopis *in c. Conſultationi.* 16. *h. t.* ibi: *Suſtinere poteris*: ac notat Gloſſa *fin. ibid.* ſolvens contraria, & Abbas *n.* 2. & Vivianus *in Rationali*, pluréſque alij per Barboſam, *ubi ſuprà*, citati.

185 Quæritur IV. Quæ ſit pœna Ordinantis alienum ſubditum ſine Dimiſſorijs, & ſic Ordinati? Reſp. I. Qui ſcienter, ſeu affectatâ ignorantiâ, vel quocunque alio figmento quæſito, alienum ſubditum abſq; Superioris ſui licentia ordinare præſumpſerit, per annum continuum à collatione Ordinum ipſo facto eſt ſuſpenſus: & ſic ordinatus pariter exiſtit ſuſpenſus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu tamen proprio Ordinario videbitur expedire. Ita habetur expreſſum *in c. Eos qui. 2. h. t. in 6. & can. Nullus alterius. & can. Nullum Epiſcoporum. 9. q. 2.* ubi, ſi ſecus attentetur, talis Ordinatio non cenſetur eſſe rata, ſed vacua & inanis (intellige, quantùm ad executionem Ordinis, ut explicat Gloſſa), niſi Ordinati poſt peractam pœnitentiam, à proprio Epiſcopo diſpenſativè recipiantur; prout ſubjungitur *in can. Lugdunenſis. ead. 9. q. 2.* Concordat Conciliū Trident. *Seſſ. 23. cap. 8. de Reformat.* ibi: *Unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur - - - Si ſecus fiat, Ordinans à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Dicitur notanter, *Qui ſcienter* &c. Nam ſecus dicendum, ſi id fiat ignoranter, juxta dicta ſuperius *n.* 180. Aut ſi bonâ fide credendo, in talibus circumſtantijs, & concurrentibus cauſis, propriū Epiſcopum hujuſmodi Ordinationem ſui ſubditi gratam, ratamque habiturum: ſic enim jam interveniret ejus licentia, ſaltem rationabiliter præſumpta. Quâ ratione S. Epiphanius quoſdā Clericos ex Diœceſi S. Joannis Chryſoſtomi, ordinâſſe legitur *in cit. can. Lugdunenſis. 9. q. 2.* ac notat Gloſſa *ibid. ℣. Quod ſanctus Vir.*

Alioquin verò data Concluſio nō ſolùm procedit in Epiſcopo, ſed etiam in inferiori Prælato, ut puta Abbate habente poteſtatem conferendi Ordines minores, ſi hos alieno ſubdito ſcienter ac temerè conferat. Nam etiam talis per annum ſuſpenſus eſt à collatione Ordinum; ut notat Gloſſa *in cit. c. Eos qui. h. t. in 6.* Et quidem omniū Ordinum, juxta dicta ſuperiùs *n.* 177.

Reſp. II. Defactò memoratam pœnam ſuſpenſionis à collatione Ordinum per annum, ſeu à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario expedire videbitur, ipſo facto incurrunt, qui ordinant alienum ſubditum, aut ſic ordinantur ſub minùs legitimis Beneficij Eccleſiaſtici, Originis, Domicilij, ſeu continuæ Epiſcoporum ordinantium cōmenſalitatis titulis, ſeu non ſervato modo in noviſſima Conſtitutione Innocentij XII. quæ incipit, *Speculatores Domûs Iſraël*, determinato. Patet hoc ex poſterioribus ejuſdem verbis, *n.* 107. jam relatis, quibus Pontifex ſic loquitur: *Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula, perpetuò atque inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quid in ijſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit; aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque ſubjaceat.* Hæc Pontifex.

Reſp. III. Præter alias pœnas, arbitrio Summi Pontificis infligendas, quarum una in ſæpè dicta Conſtitutione Pij II. expreſſa, eſt privatio Beneficij Eccleſiaſtici: illa quoque in Jure Canonico contra Ordinantes ſcienter alienū ſubditum reperitur ſtatuta, videlicet, quòd, poſtquàm ſuſpenſio eorum fuerit manifeſta, poſſint ſui ſubditi, abſque ipſorum licentia, interim à vicinis Epiſcopis liberè ordinari. Ita quippe habetur

betur expreſſum *in c. Eos qui. 2. h. t. in 6.* Et meritò: ut ſi quis puniatur in eo, in quo deliquit, dum alienus ordinat ſuos, qui priùs ordinaverat alienum absque proprij Superioris licentia.

9 Solummodò hìc notandum, quòd taliter Ordinandus debeat probare ſuſpenſionem proprij Epiſcopi, contractam ex ordinatione alieni ſubditi; idque per declarationem Metropolitani. Alioquin non crederetur Ordinando, *arg. Cùm ſecundùm. de Hæretic. in 6.* ac notat Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formula Dimiſſoriarum Litterarum, num.* 19.

9 Quæritur V. Quæ ſit pœna Ordinantis aliquem, & Ordinati absque competenti Titulo ſuſtentationis? Reſp. I. Præter peccatum, quod tam ſcienter Ordinans, quàm Ordinatus ſine titulo incurrit, agendo contra juſtam prohibitionem Eccleſiæ in materia gravi: inſuper Epiſcopus conferens cuipiam Ordinem ſacrum non habenti titulum ſuſtentationis, tenetur eidem providere de neceſſarijs alimentis, donec Beneficium Eccleſiaſticum conſequatur. Ita communis; & patet tum ex *c. Epiſcopus. 4. de Præbend.* quod eſt Alexandri III. in Concilio Lateranenſi; tum ex *c. Cùm ſecundùm. 16. eod.* ubi Innocentius III. moderando antiquos Canones, *in can. Neminem. & can. Sanctorum. diſt. 70.* relatos, juxta quos Ordinatio absque titulo facta habebatur irrita (quoad executionem Ordinis, non quoad hujus valorem) ſicque taliter Ordinatus ab exercitio Ordinum fuerat ſuſpenſus, decrevit in hæc verba: *Licèt autem Prædeceſſores noſtri Ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas eſſe voluerint, & inanes: Nos tamen benigniùs agere cupientes, tamdiu per Ordinatores, vel Succeſſores eorum provideri volumus Ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica Beneficia conſequantur.* Hæc ibi.

92 Ex quibus verbis ulteriùs liquet, quòd Epiſcopo ordinatore jam mortuo, Capitulum Sede vacante, ac dein novus Epiſcopus taliter Ordinato teneatur neceſſaria vitæ ſubminiſtrare, donec ei de competenti Beneficio provideatur: ne alioquin ille in opprobrium Statûs Clericalis mendicare, aut ſordidum quæſtum exercere cogatur. Quinimò, ſi Clericus absque titulo fuit ordinatus à pluribus Epiſcopis, domicilij videlicet & originis, ab uno eorum recipiendo v. g. Subdiaconatum, & ab altero Diaconatum; tunc quilibet ipſorum tenetur in ſolidum ſic Ordinato alimenta præſtare. Fagnanus *in d. c. Cùm ſecundùm. n. 24. de Præbend.*

19 Intellige, dummodò talis Ordinatus aliunde non habeat ſuſtentationem ſuam, puta, ex ſua vel paterna hæreditate; prout limitatur *in cit. c. Epiſcopus de Præbend.* Simúlque, dummodò Epiſcopus fuerit in culpa, ordinando ſine titulo, dùm vel ſcivit, vel ſaltem prævidere debuit, Clericum non habere titulum: alioquin enim, ſi Clericus per fraudem fingendo titulum, impetravit Ordinationem abſque ullâ culpâ Epiſcopi ordinantis, tunc iſte non tenetur alimenta ſubminiſtrare. Fagnanus *cit. c. Cùm ſecundùm. num. 62. de Præbend.* Pirhing *h. t. num.* 111. poſt Ugolinum *de Offic. & poteſt. Epiſc. cap. 26. §. 15. ℣. Tertiò non tenetur*: quia rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit. *cap. 2. de Conſtitut.*

Concordat, atque alijs caſibus hoc ipſum declarat *c. Si Epiſcopus 37. de Præbend. in 6.* Sic quippe, quando Epiſcopus alienus ex generali commiſſione proprij Epiſcopi Diœceſani quosdam ordinavit, atque ex illis quempiam non habentem titulum: non tenetur proprius Epiſcopus ſic Ordinato vitæ neceſſaria miniſtrare (hic enim culpâ vacabat) ſed Epiſcopus alienus ſic ordinans tenebitur ad id, utpote qui in culpa fuit, cùm debuiſſet de titulo inquirere. Secùs dicendum, quando proprius Epiſcopus committit alieno facultatem ordinandi certas perſonas: quia tunc tenetur proprius Epiſcopus prævidere, ſeu inquirere de titulo, & alijs requiſitis Ordinandi; ſicque etiam alimenta præſtare Ordinato ſine titulo usque ad conſecutionem ſufficientis Beneficij: non autem Epiſcopus ordinans. Atque hoc ipſum eſt dicendum de illis, quibus Epiſcopus Diœceſanus dedit licentiam recipiendi Ordines ſacros à quovis Epiſcopo Catholico, prout ibidem uberiùs habetur expreſſum. Concordat Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 3. de Reformat.* ubi ſtatuit, quòd Epiſcopus ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittat: & conſequenter obligatio inquirendi de titulo, incumbit Epiſcopo dimittenti; non ordinanti. 194

Reſp. II. Quòd ſi Epiſcopus quempiam ſine titulo ordinaverit ſub pacto, ſeu promiſſione, quòd Ordinatus ſuper alimentatione ſuâ non inquietet eundem; tunc Ordinator à collatione Ordinum per triennium, Ordinatus verò ab Ordine ſic ſuſcepto perpetuò eſt ſuſpenſus, donec per Sedem Apoſtolicam mereatur diſpenſari. Ita habetur ſtatutum *in c. Si quis ordinaverit. 45. de Simonia.* Quinimò tales notantur de pacto ſimoniaco, unde & *cit. cap. Si quis ordinaverit*, ponitur ſub Rubrica, *De Simonia*: nam taliter Ordinatus remittit Ordinatori jus, ſibi cæteroquin competens, reſpectu alimentationis temporalis, ut ab eo ordinetur: atqui ſimonia non ſolùm contrahitur dando, ſed etiam remittendo jus temporale pro ſpirituali, *arg. c. Super eo. 7. de Tranſact. & c. Veniens. 7. de Teſtib.* 195

Reſp. III. Inſuper, ſi Epiſcopus Religioſum nondum profeſſum, vel qui non niſi ad certum tempus profeſſus eſt, ac rurſus ad ſæculum redire, vel dimitti poteſt, ſub prætextu Religionis, & absque titulo Beneficij, vel patrimonij, ad ſacros Ordines promoverit; ipſo jure per annum à collatione talium Ordinum, & Religioſus taliter ordinatus ab executione Ordinũ ſuſpenſus exiſtit, & ſi in ipſis miniſtraverit, efficitur irregularis. Ita habetur in Conſtitutione 75. B. Pij V. *Romanus Pontifex Sacrorum* (& refertur *Tom. 2. Bullarij Romani*) in qua Pontifex non ſolùm Decretum Concilij Tridentini *Seſſ. 21.* 196

cap. 2. de Reformat. quod loquitur de Clericis tantùm ſæcularibus, non ordinandis abſque titulo, extendit ad Religioſos non profeſſos, ut ſuprà; ſed etiam de his ita expreſsè ſtatuit, & decrevit, prout ex parte dictum eſt ſuprà *n. 74. & 75.* additâ limitatione circa Religioſos Societatis JESU.

197 Reſp. IV. Ordinationes abſque titulo factæ antiquitùs etiam fuerunt irritæ quoad executionem Ordinis, ut *can. Neminem. & can. Sanctorum diſt. 70.* non tamen hodie: dummodò Clericus ſic ordinatus non fuerit in culpa, decipiendo Epiſcopum, ac per mendacia & fraudem fingendo titulum Beneficij, ſive patrimonij, quem non habet. Ita Nicolaus Garcias *part. 2. de Beneficijs, cap. 5. n. 20. & ſeqq.* Fagnanus *in c. Cùm ſecundùm. n. 68. & 69. de Præbend.* Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 20. n. 27. & 33.* Pirhing *h. t. n. 112.* & alij; quamvìs non deſint oppoſitum tenentes, præſertim quoad ſecundam partem. Concluſio deſumitur ex verbis *cit. c. Cùm ſecundùm.* ibi: *In injuriam ordinantium*: ergo, dum ibi revocatur rigor antiquorum Canonum, ſermo eſt, quando Epiſcopus ſcienter quempiam ordinat abſque titulo, ſicque in ejus injuriam, ſeu confuſionem, ſuſpenſio Ordinati per Jura antiqua fuit inducta: qualis tamen (cùm *non debeat aliquis alterius odio prægravari*, juxta Regul. 22. Juris in 6. cum ſimilibus) meritò ibidem ex parte bonâ fide Ordinati fuit ſublata, & ſolus Ordinans per impoſitionem oneris Ordinatum ſuſtentandi punitus.

198 Secùs dicendum, quando ſolus Ordinatus fuit in culpa decipiendo Epiſcopum, ac fingendo titulum, quem non habet. Ratio eſt: quia, ut ex proximè dictis patet, de hoc caſu *cit. c. Cùm ſecundùm. de Præbend.* non loquitur (unde etiam ſic Ordinato non tenetur Epiſcopus ordinans ſubminiſtrare alimenta, juxta dicta *n. 193. & 194.*) ſicque antiqua Jura, pœnam ſuſpenſionis imponentia Ordinato ſine titulo, impræſentiarum manent incorrecta. Et hinc Sac. Congregatio Concilij Tridentini, *die 27. Novembris. 1610.* ſuper hoc dubio conſulta, omnium ſententijs cenſuit, hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non fuiſſe correctam, & hodie Tridentino Concilio eſſe innovatam; & præterea hujuſmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictóque titulo Ordinatorem decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione; prout his ipſis verbis refert Fagnanus *cit. n. 69. in fine.*

199 Imò, quod plus eſt, idipſum patet ex Conſtitutione 35. Urbani VIII. *Secretis.* ſuperiùs *n. 173.* jam citatâ, ubi §. 3. ſic habetur: *Aliàs promoventes* (contra formam ibidem præſcriptam) *ad annum ab exercitio Pontificalium; promoti verò, perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo. Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis* (N. B.) *vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis, ſcienter ſe ad Ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolùm prædictis, verùm etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis. -ſubjectos eſſe volumus.* Hactenus Pontifex.

Dices: Concilium Tridentinum *Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.* ſtatuit, nullum deinceps ſine titulo ad ſacros Ordines eſſe promovendum, *antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando*; ergo non ſolùm Ordinati cum titulo ficto, ſed omnes alij abſque titulo ordinati, de facto incurrunt pœnâ ſuſpenſionis, *in d. can. Neminem. & can. Sanctorum diſt. 70.* contra promotos ſine titulo ſancitam; quod eſt contra alteram partem datæ *num. 197.* Concluſionis. Probatur conſequentia. Tum quia Concilium loquitur pluraliter & indefinitè, *Antiquorum Canonum pœnas innovando*: atqui pluralis locutio non contentatur uno, ſive unicâ pœnâ, *in c. Cùm ſecundùm. 16. de Præbend.* contentâ; ut *l. Ubi numerus. ff. de Teſtib. & c. Pluralis locutio. de Reg. Jur. in 6.* Tum quia in Annotatione marginali ad cit. cap. 2. Concilij Tridentini etiã fit mentio *cit. can. Neminem. & can. Sanctorum. diſt. 70.* ſicque & horum Canonum pœnæ ibidem videntur innovatæ; præſertim, cùm altera pœna de præſtandis Ordinato alimentis ſolùm concernat Ordinatorem, faveatque Ordinato. 2

Reſp. neg. conſequent. Nam, quidquid nonnulli in contrarium teneant, quos referunt Garcias, & Barboſa, *ubi ſuprà*, Concilium Tridentinum innovando pœnas antiquorum Canonũ, jus novum non inducit, ſed antiquum conſervat; ut *c. ex parte. 13. & c. Quia intentionis. 29. de Privileg.* Atqui pœna ſuſpenſionis in dictis antiquis Canonibus ſtatuta, anteà jam fuerat ſublata (ſaltè quoad bonâ fide ordinatos ſine titulo) per *cit. c. Cùm ſecundùm. de Præbend.* ergo hæc, utpote jam priùs abrogata, per Tridentinum non fuit de novo inducta. Atque ita fuiſſe deciſum à Sac. Congregatione Concilij Tridentini, refert Fagnanus *loc. cit. n. 63.* Navarrus *Conſil. 1. quæſt. 16. de Conſtitut. in Addit.* Garcias *cit. cap. 5. num. 29.* Barboſa *cit. allegat. 20. num. 27.* cum alijs.

Nec obſtant rationes in probationem conſequentiæ allegatæ. Non prima: quia quoad eos, qui malâ fide, ſive ſub conficto à ſe titulo fuerunt ordinati, ultrò conceditur per Concilium Tridentinum eſſe innovatam pœnam ſuſpenſionis, utpote quæ antecedenter nunquam fuerat abrogata. Unde, ut hunc quoque caſum comprehenderet Concilium Tridentinum, rectè illud loquitur in plurali, & indefinitè, habito tamen reſpectu ad pœnas antiquorum Canonũ necdum abrogatas. Atque per hoc etiam patet ad Annotationem marginalem Concilij Tridentini, quamquàm hæc, veluti nullâ publicâ authoritate addita, ex ſe nullum habeat robur firmitatis. Nec urget poſterior inſtantia: nam, quod juxta *c. Cùm ſecundùm. de Præbend.* puniatur ſolus Ordinator, non autem Ordinatus ſine titulo, procedit (& quidem meritò) quando ille ſcienter quempiam ſic ordinavit: alias ſecùs, ut jam dictum *num. 197. & 198.*

Quæritur VI. Quas pœnas incurrat Ordinans, & Ordinatus, non ſervatis temporum interſtitijs? 3

tijs? Reſp. I. Nullæ quidem pœnæ contra tales ſunt ſtatutæ in Jure, dummodò non eodem die duo ſacri Ordines conferantur eidem: nihilominùs, ſi abſque ullâ prorſus causâ, ſeu diſpenſatione negligantur interſtitia, uterque peccabit graviter, poteritque ſic Ordinatus à ſuo Superiore ſuſpendi, vel aliâ pœnâ arbitrariâ puniri. Ita Navarrus *Conſil.* 4. *h. t.* Zerola *in Praxi Epiſcop. part.* 1. ℣. *Ordo.* §. *Ad quintum.* Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 18. *num.* 14. cum alijs. Ratio eſt: quia nec à Jure Canonico, nec à Concilio Tridentino, nec à Pio II. ulla pœna ſuſpenſionis, vel irregularitatis, contra Ordinatos non ſervatis interſtitijs ſtatuta reperitur. Nec urget Bulla Sixti V. pœnam ſuſpenſionis in tales ſtatuentis: quia ipſa fuit revocata per Clementem VIII. ut dictum *n.* 172.

Cæterùm, quia uterque eorum eſt voluntarius, culpabilisque transgreſſor ſacrorum Canonum, & quidem in materia gravi, ſive ſacrorum Ordinum: hinc de culpa, ſeu peccato ab ipſis contrahendo, dubitari nequit; ſicut nec de pœna arbitraria, quam Superior ob talem Canonum transgreſſionem imponere valet.

Additur notanter num. 203. *Dummodò non eodem die duo ſacri Ordines conferantur eidem.* Nam Epiſcopus ordinans quempiam eodem die, vel duobus continuato jejunio, ad duos ſacros Ordines, ſuſpenſus eſt à collatione utriusque Ordinis, donec à Sede Apoſtolica abſolutionem, & diſpenſationem impetraverit, *arg. c. Litteras.* 13. § *fin. h. t.* ac notat Barboſa *ibid. num.* 4. citans alios; quamvis Abbas *ibid. num.* 2. §. *octavo nota.* & Pirhing *h. t. n.* 108. aſſerat, talem potiùs eſſe ſuſpendendum.

Alter verò, qui eodem die duos ſacros Ordines ſuſcipit, ſuſpenſus eſt tantùm ab executione ultimi Ordinis illo die ſibi collati, *arg. cit. c. Litteras. h. t.* & notat Abbas *ibid.* §. *Item ultimo.* & Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 14. *num.* 11. citans alios. Nam in *cit. cap.* ſolùm dicitur, quòd is, qui eodem die, continuato jejunio, in Diaconum & Presbyterum fuerat ordinatus, *ab executione Officij Sacerdotalis* debuerit manere ſuſpenſus; & conſequenter non ſuſpendebatur ab executione Ordinis Diaconatûs, utpote primo loco, ac licitè ſuſcepti: haud obſtante, quòd Epiſcopus eum ordinans, à collatione utriusque Ordinis ſuſpendatur: quia hoc ibidem fuit expreſſum; ſimúlque major fuit culpa Epiſcopi ſic ordinantis (utpote qui fuit dignior, debuitque eſſe prudentior) quàm Clerici ſic ordinati. Gloſſa *fin. cit. c. Litteras.* 206

TITULUS XII.

De Scrutinio in Ordine faciendo.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
2. *Scrutinium, quid, & quotuplex? Et num. ſeqq.*
3. *Scrutinium à Concilio Tridentino præſcriptum, quale ſit, & an ubique uſu receptum?*
4. *Alterum Scrutinum.*
5. *Et tertium, in actu Ordinationis peragendum, explicatur.*
6. *Utrùm is, qui ordinari deſiderat, in dubio præſumatur idoneus, vel hoc probare teneatur? Et num. ſeqq.*
   Quæſtio hujuſmodi procedit generaliter in omnibus, qui promoveri deſiderant. Ibid.
7. *Ratio dubitandi, ac militans pro præſumptione idoneitatis, proponitur.*
8. *Ordinandorum idoneitas in dubio non præſumitur, ſed eſt probanda.*
   Regula eſt, Præſumitur quis bonus & idoneus, donec contrarium probetur. *Ibid. & num. ſeqq.*
9. *Fallit hæc regula, ubi agitur de præjudicio tertij.*
10. *Et procedit potiſſimùm quoad qualitates intrinſecas, non quoad extrinſecas.*
11. *Regula illa ampliùs declaratur.*
12. & 13. *Solvuntur rationes dubitandi.*
14. *Quâ ratione idoneitas Ordinandorum poſſit probari? Et num. ſeqq.*
15. *Natales, ætas, libertas, Titulus &c. quomodo probentur?*
16. *Cur libertas ſit probanda, cùm tamen omnes homines naturaliter naſcantur liberi?*

1 Quia viſum eſt Titulo præcedenti de Ordinandis, eorúmque qualitatibus: ſequitur nunc de Scrutinio, per quod iidem ſunt examinandi, & ſcrutandi, an polleant requiſitis qualitatibus.

2 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Scrutiniũ? Reſp. I. *Scrutinium*, quantùm ad propoſitum, eſt diligens inquiſitio, ſeu examinatio circa qualitates Ordinandorum, facta ab eo, ad quem ſpectat. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 1.* & communis. *Scrutinium* quippe derivatur à *ſcrutando* ſeu inquirendo: nam is, qui examinat Ordinandos, ſcrutatur, ſeu inquirit eorum idoneitatem, ac requiſitas pro ſuſceptione ſacrorum Ordinum qualitates.

3 Reſp. II. Triplex Scrutinium de factò poteſt aptè diſtingui. Primum eſt, quod per menſem ante Ordinationes coram Parocho, vel alio per Epiſcopum deputato faciendum eſt, juxta præſcriptum Concilij Tridentini *Seſſ. 23. cap. 5. de Reform.* ubi decernitur, ut promovendi ad Ordines, per menſem anteà Epiſcopum adeant, qui Parocho, vel alicui alteri committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, & vitâ diligenter inquirant, & Litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, quamprimùm ad Epiſcopum transmittant. Et de hoc Scrutinio, utpotè primùm per Concilium Trid. introducto, Abbas Panormit. *ad Rubricam. h. t.* aliique antiquiores Canoniſtæ, mentionem non faciunt, qui proinde duplex duntaxat Scrutiniũ, illicò declarandum, diſtinguunt. Quin etiam memoratum primum Scrutinium in Germania non eſſe uſu receptum, quamvis expediret adeò ſalubrem conſtitutionem recipi, teſtantur Enge *h. t. n. 1.* & Sannig *eod. n.* 4

Alterum Scrutinium eſt illud, quod Feriâ quartâ ante ipſam Ordinationem, vel quando Epiſcopo videbitur, eſt inſtituendum, convocando ſingulos Ordinandos, eorúmq; genus, patriã, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, fidémq; diligenter examinando. Et de hoc loquitur *can. Quando Epiſcopus. diſt. 24.* & Concilii Trident. *cit. Seſſ. 23. cap. 7. & cap. 12. de Reform.*

Tertium Scrutinium peragitur in ipſo met actu Ordinationis, dum circa ejus initiũ Epiſcopus, per Archidiaconum ſibi aſſiſtentem requiritur, illis verbis: *Reverende Pater, poſtulat ſancta Mater Eccleſia, ut hunc Diaconum* (vel Subdiaconum) *ad onus Presbyteratûs* (vel Diaconatûs) *ordinetis.* Idémque Epiſcopus ſcrutando Ordinandi idoneitatem ſtatim Archidiaconum interrogat, ſi ſciat eum eſſe dignum. Ad quod Archidiaconus, juxta præſcriptum Pontificalis Romani, reſpondet quòd *quantùm humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcit, & teſtificatur, illum ad hujus onus officij eſſe dignum.* Et de hoc Scrutinio loquitur textus *in cap. un. h. t.* ac memoratum Pontificale Romanum, *Tit. De Ordinatione Diaconi, & Presbyteri.* 5

Quæritur II. Utrùm is, qui ordinari deſiderat in dubio præſumatur dignus atque idoneus? vel potiùs teneatur probare ſuam idoneitatẽ? Hæc quæſtio procedit quoad omnes illas qualitates ad legitimam ſacrorum Ordinum receptionem requiſitas, de quibus Scrutinium Ordinandorum 6

rum inſtitui poteſt,ac debet: ut puta, quoad genus,& an quis ſit legitimè natus;quoad patriam, ut ſciatur,an ſit ſubditus Epiſcopi; quoad perſonam,an non ſit corpore vitiatus,bigamus, obligatus ad ratiocinia, ſervus &c. Quoad ætatem, an habeat requiſitam à Jure,ſeu à Concilio Tridentino;quoad mores,doctrinámque,ac hujuſmodi.Et hæc quæſtio eſt notabilis,quia procedit non ſolùm in Ordinandis, ſed generaliter in quibuscunque alijs, qui aſſumi ad aliquam Dignitatem, vel Officium deſiderant.

Ratio dubitandi, ac pro præſumptione idoneitatis militans,deſumitur *ex cit.cap. un. h.t.* ubi Pontifex inter alia inquit,quòd Archidiaconus, præſentaturus Epiſcopo Ordinandos, illū, *quem indignum eſſe non novit,dignum debeat æſtimare.* Ubi idcircò Gloſſa finalis notandum ait, quemlibet præſumi dignum,niſi probetur indignus. Concordat,& adhuc fortiùs urget *cap. Dudum.* quod eſt ultimum,*de Præſumptionib.*ubi is,pro quo Papa reſcribit, ut ad Beneficium recipiatur, ſub clauſula, *Si fuerit idoneus*, non tenetur ſe probare idoneum: *cùm*(inquit Pontifex) *primâ facie præſumatur idoneus,niſi aliud in contrarium oſtendatur.* Verùm his non obſtantibus.

8 Reſp.I.Ordinandorum idoneitas in dubio nō præſumitur,ſed eſt probanda. Ita comunis; & patet ex ipſa praxi Eccleſiæ, tam ſeriò prævium Ordinandorum ſcrutinium, atq; inquiſitionem circa ipſorum genus,morū probitatem, doctrinam,atque alia ad StatumClericalem pertinentia requirentis, ut videlicet hoc modo eorundē idoneitas anteà debitè probetur. Accedit ratio: quia,licèt regulariter quis præſumatur bonus,& idoneus,donec contrarium probetur,per textus *num.præc.*allatos,ac fuſiùs traditMaſcardus *de Probationibus,Concl.*879.*n. 1.* citans alios: hæc ipſa tamen regula plures patitur limitationes, atq; fallentias,quæ in præſentiarum locum habent.

9 Et primò quidem regula illa limitatur, ac fallit,ubi agitur de præjudicio tertij, quod ex tali præſumptione idoneitatis oriri poteſt; atqui in collatione Ordinū, ob præſumptam idoneitatē Ordinandorum factâ, agitur de magno præjudicio tertij,ſeu Eccleſiæ, ne fortè inidonei ordinentur,atque in Eccleſiæ miniſtros aſſumantur; ergo.Major eſt Gloſſæ *fin.in c.Sicut nobis.39.de Sent. excomm.*& Abbatis *in c. Cùm in jure.n.2.de Offic. Delegat.* ubi inquit: quòd, ubi agitur de præjudicio tertij,non ſufficiat præſumptio, ſed debeat fieri plena probatio,*arg.c.Cùm à nobis.*28 *de Teſtib.* Idem docet Felinus *in cap.ult.n.*12. *v. Fallit primò. de Præſumpt.*Maſcardus *cit. Concl.* 879.*n.* 5. & alij. Hinc in ſimili, ac ne creditori præjudicium generetur,fidejuſſor non præſumitur idoneus facultatibus,niſi probetur, *l.Si verò. §. Qui pro rei. ff. Qui ſatisdare cogantur.* & tradit Alexander *Conſil.* 37.*n.*3.*lib.*2. citans alios.

10 Deinde regula illa, quòd quilibet præſumatur idoneus,potiſſimùm procedit quoad intrinſeca,ſeu quoad qualitates intrinſecas, cum quibus homo naſcitur; ſcilicet, quòd aliquis ſit caſtus,pacificus,ſobrius &c. Talem quippe idoneitatem præſumitur quis habere,donec contrariū probetur; ut inquit Gloſſa *c. Si ſortè.*11. *v. Scientiæ. de Electi on. in 6.* ſic intelligens Jura *n.*7. relata; & Menochius *lib.* 6. *de Præſumptionibus. præſumpt.* 91.*n.*2.*& ſeqq.* citans alios,atq; inde concludens, quòd circa hæc non requiratur aliqua extrinſeca probatio,ſed (niſi conſtet de contrario) ſufficiat ipſa Juris præſumptio; dummodò Princeps,ut puta SummusPontifex non exigat præviam talem probationem per verba: *Si idoneus repertus fuerit,*aut hujusmodi. Secùs dicendum eſt de idoneitate extrinſeca, ſive ubi agitur de ſcientia, arte cantandi, divitijs, ac hujusmodi qualitatibus,quæ accidentaliter proveniunt, & non inſunt homini à natura.nam talia non præſumuntur,niſi probentur. Gloſſa *loc. cit.* Abbas *d. c.Cùm in jure.n.*2.*de Offic.Delegat.* Menochius *ubi ſuprà,num.*16. *& ſeqq.* Maſcardus *cit.Concl.*879. *n.*4 & alij,quos citant.Ergo hoc ipſum eſt dicendum in propoſito quoad Ordinandos; præſertim,cùm talem probationem Jura expreſsè requirant,dum exigunt prævium ſcrutinium,ſive examen eorundem circa genus,ætatem, doctrinam,& alia hujusmodi.

Tertiò ad intelligendū, qualis ab alio debeat quis in dubio præſumi, eſt diſtinguendum cum Abbate Panormit.*in cap.un.n.*7. *h.t.* Quia vel talis nihil petit, ad quod requiritur ejus habilitas, ſeu idoneitas: & in dubio debet plùs præſumi dignus,quàm indignus,bonus potiùs,quàm malus. Vel talis aliquid petit: & tunc quidem ejus idoneitas naturalis debet præſumi, dummodò non appareat in præteritum, vel in præſens de aliqua ejus inhabilitate; quia alioquin ſemel malus, ſeu inidoneus, ſemper præſumeretur talis, donec probaretur contrariū,juxta *Reg 8. Juris in 6.* Secùs dicendum de idoneitate accidentali, ſive extrinſeca,ut proximè dictum. Unde,ſive quæratur de promovendis adBeneficia,velOrdines, ſive de perſonis ad Officia, vel Dignitates ſublimandis,ille qui talia petit, dignus non præſumitur,niſi probetur: nam idoneitas ad iſta, requirit plures qualitates,non ſolùm intrinſecas, ſed etiā extrinſecas,quæ non præſumuntur, ſed de ipſis diligenter eſt inquirendum.Abbas *cit. n.*7. Maſcardus, *ubi ſuprà.n.* 12. *& ſeqq.* & alij. 11

Nec obſtant rationes dubitandi *num.*7.allatæ. Nam præter generales reſponſiones, quæ habentur ex dictis,ſpecialiter *ad cap.un. h.t.* reſpondetur, meritò Archidiaconum, qui Epiſcopo præſentat Ordinandos,poſſe eos,quos indignos non novit, dignos exiſtimare: quia præceſſit horum diligens examen (cui etiam ipſemet Archidiaconus de jure intereſſe debet,*c. Ut noſtrum. 9. de Offic.Archidiac.*)atq; approbatio per Examinatores facta: ſicque meritò præſumuntur eſſe idonei,ac perArchidiaconum æſtimantur digni, niſi quem eorum aliunde noverit eſſe indignū. Et hoc ipſum procedit in alijs caſibus,ubi aliunde apparent rationabilia motiva,ſeu conjecturæ ſic exiſtimandi, ſeu præſumendi; ut quia per alios quis eſt præſentatus ut idoneus,aut electus & 12

& confirmatus ut dignus, aut à viris probis, ejúſque notitiam habentibus, recommendatus ut habilis: nam ob talia motiva ritè præſumitur etiam extrinſeca, & accidentalis idoneitas, donec contrarium probetur; aliàs ſecùs. Abbas *ad cit. cap. ult. n. 7.* atque innuit Gloſſa *ibid. ℣. Et*
13 *ſcit.* Menochius *cit. Præſumpt.* 91. *n.* 22. & alij.

Ad *c. Dudum, ſive ult. de Præſumpt.* dicitur cum Abbate *ibid. n.* 7. & Viviano *in Rationali Juris*, ibi ſermonem eſſe de idoneitate naturali, & intrinſecâ, quam quis non tenetur probare, cùm præſumatur; ſed qui contrarium objicit, ille tenetur hoc probare, oſtendendo delictum, irregularitatem, aut hujusmodi, prout innuit Gloſſa finalis ibidem. Quòd ſi verò nullus ſe opponat, tunc ante collationem Ordinum, ſicut & Beneficiorum, Epiſcopus, ſive alius Prælatus ex officio tenetur promovendum ſuper talibus requiſitis examinare; ut habetur *c. Accepimus. 13. de Ætate & qualitat. præficiend.* & Concilio Tridentino, *ubi ſuprà*, & alibi.

14 Quæritur III. Quâ ratione idoneitas Ordinandorum poſſit probari? Reſp. Id variè fieri poſſe, juxta conditionem, atque exigentiam ſingularum qualitatum. Et quidem qualitates intrinſecæ, ut puta quòd quis ſit caſtus, juſtus &c. licèt primâ facie præſumantur, tamen ut appareat, an de contrario non conſtet, juxta præſcriptum Concilij Tridentini, ac receptam praxin Eccleſiæ, ſolent exigi Litteræ teſtimoniales proprij Præceptoris, Magiſtri, Parochi, vel alterius legitimi Superioris, ſuper vita & inſtitutione, moribúſque Ordinandorum, quas etiam hi Epiſcopo, ſeu conſtitutis ab ipſo Examinatoribus exhibere, ſícque morum probitatem, quoad externum ſaltem judicium humanum probare coguntur; nam interiora reliquuntur judicio Divino.

15 Deinde Natales, atque ætas ſolent probari ex atteſtatione Parochi, ac ſchedulâ Baptismali. Libertas autem per publicum teſtimonium Magiſtratûs loci, unde quis oriundus eſt: quamquàm, ſi ob incurſum hoſtium Liber Baptismalis perijſſet, vel ad patriam aditus non pateret, etiam probatio per teſtes, & famam, concurrentibus præſertim alijs indicijs, ſufficere poſſit; prout accidit in alijs, quæ ſunt difficilis probationis. Porrò Titulus competens ſuſtentationis, per inſtrumentum authenticum (niſi de ipſo per facti notoreitatem conſtet) doceri debet. Doctrina verò, non per teſtes, aut famam, ſed per prævium examen probanda eſt. Denique corporis integritas per experimentum ſenſuum cognoſcitur: immunitas autem à cenſuris, & irregulariate, non aliter probatur, niſi ex aſſertione Ordinandi, & quòd nullus adſit, qui impedimentum canonicum objicere, ac probare valeat. Pirhing *h. t. n.* 4.

Dices. Omnes homines naturaliter liberi naſcuntur, *§. Jus autem gentium. Inſtit. de Jure natur. gent. civil.* Ut quid ergò requiritur probatio libertatis ſuæ facienda ab Ordinando, per teſtimonium Magiſtratûs loci? Reſp. Id accidere ex eo: quia, quamvìs libertas homini naturaliter conveniat; nihilominùs tamen Jure gentium ad compeſcendos malos, aliiſq; juſtis de cauſis, ſervitus fuit introducta, *can. Jus gentium. diſt.* 1. ſícque nonnulli naſcuntur Servi, qui cùm abſque conſenſu Dominorum ſuorum ordinari prohibeantur, meritò per Ordinandum inter alias qualitates extrinſecas, ſeu accidentales, libertas eſt probanda, vel ſaltem ſcripta ſuorum dominornm licentia afferenda, ne alioquin quandoque ſervos ordinari contingat, quos in magnam confuſionem Eccleſiæ, & ſcandalum Fidelium, ſuis poſteà Dominis reddi oporteret, prout ampliùs infrà *Tit. De Servis non ordinandis* dicetur.

TITU-

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
2. *Renunciatio Epiſcopatûs poteſt fieri dupliciter.*
3. *Epiſcopus ſimpliciter renuncians; an in dubio cenſeatur renunciâſſe loco tantùm, vel loco & dignitati ſimul?*
4. *Qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, poteſt conferre Ordines, etiam majores.*
5. *Dummodò ſit rogatus ab alio Epiſcopo.* *Alioquin ordinati ab eo ſunt ſuſpenſi; & cur? Ibid.*
6. *Renuncians Epiſcopatui quoad locum & dignitatem ſimul, nequit licitè Ordines ſacros conferre.*
7. *Benè tamen Ordines minores de licentia alterius Epiſcopi.*
8. *Quid juris, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato? Et num. ſeqq.*
9. *Talis recipit characterem Ordinis, ſed non ejus executionem.*
10. *Ignoranter ſic ordinatus, quando id reſcierit, debet abſtinere ab executione Ordinum, donec per Epiſcopum ſuum diſpenſetur.*
11. *Et cur ipſum non excuſet ignorantia?*
12. *Scienter ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, per ſolum Papam poteſt diſpenſari.*
13. *Præmiſſa de facto procedunt de Epiſcopo excommunicato vitando, & ordinatis ab eo.*
14. *Ex privilegio Papæ an poſſit Abbas, vel alius Sacerdos conferre Ordines, præſertim ſacros? Et num. ſeqq.* *Proponuntur rationes dubitandi, & negativam tenendi. Ibid.*
15. *Papa poteſt concedere Abbati, vel alij Sacerdoti, poteſtatem conferendi Ordines minores.*
16. *Hæc poteſtas non eſt annexa Jure Divino Benedictioni Abbatiali.*
17. *Loquendo de Ordinibus ſacris, multi negant, id fieri poſſe ex privilegio Papæ.*
18. *Sententia affirmativa eſt probabilior quoad Subdiaconatum, & Diaconatum.*
19. *Secùs quoad Sacerdotium. Et num. ſeqq.*
20. *Presbyter olim idem erat, ac Epiſcopus.*
21. *Solvuntur rationes dubitandi? Et num. ſeqq.*
22. *Confirmationis Sacramentum ex conceſſione Papæ poteſt conferri per ſimplicem Sacerdotem.*
23. *Præmiſſa ampliùs declarantur.*

1 A Proprio Epiſcopo ſacros Ordines eſſe recipiendos, jam ſuprà *Tit. 10. De Temporibus Ordinationum. §. 4. num. 77. & ſeqq.* dictum fuit: reſtat examinare, quid juris ſit, ſi is renunciaverit Epiſcopatui, aut excommunicatus exiſtat. Et de his ambobus agitur in præſenti Titulo; unde

2 Quæritur I. Quot modis poſſit fieri renunciatio Epiſcopatûs? Reſp. I. Dupliciter ipſa poteſt fieri, renunciando videlicet loco tantùm, & renunciando loco & dignitati ſimul. Ita eſt textus expreſſus *in cap. 1. h. t.* ac notat communis Doctorum. Et quidem tunc Epiſcopus renunciat loco tantùm, quando is ex rationabili cauſa, puta ob conceptum malæ plebis erga ſe odium, ſeu ob hoſtilitatem, vel aëris intemperiem, Epiſcopatum in manus Pontificis renunciando, dimittit Diœceſin duntaxat, titulum tamen Epiſcopalem & authoritatem retinet. Tunc autem loco & dignitati ſimul renunciat, quando ob zelum v. g. ingrediendæ Religionis, vel ut præveniat promeritam depoſitionem, reſignat ipſum Epiſcopale munus, nomen, atque Ordinis executionem, dimittendo in manus Sumi Pontificis omne jus Epiſcopalis adminiſtrationis reſpectu cujuscunq; loci, quamvìs adhuc retineat ea, quæ ſunt Epiſcopalis Ordinis.

Reſp. II. Epiſcopus ſimpliciter renuncians Epiſcopatui, cenſetur in dubio renunciâſſe loco tantùm, non autem loco & dignitati ſimul; niſi propter criminis conſcientiam, ſeu ex metu depoſitionis ita renunciaverit. Ita Hoſtienſis *in Summa h. t. §. Sed quid, ſi ſimpliciter.* & Abbas *eod. n. 8.* Ratio eſt: quia renuncians, ſtante dubio, manet in poſſeſſione Epiſcopalis dignitatis; ſicque ei, qui contrarium dicit, incumbit probatio. Dummodo hinc excipiatur renunciatio facta ab Epiſcopo ob criminis conſcientiam: quia tunc is non præſumitur ſibi Epiſcopalem dignitatem, atque Ordinis executionem retinuiſſe: utpote quam licitè exercere non poſſet, quin potiùs ab hac cum publico dedecore ob crimen illud deponi deberet. 3

Quæritur II. An rectè conferantur Ordines ab eo, qui renunciavit Epiſcopatui? Reſp. I. Qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, poteſt rogatus ab alio Epiſcopo conferre Ordines, etiam majores, ſicut priùs. Ita expreſsè habetur deciſum *cap. 1. h. t.* 4

Ubi tamen notanter additur, *rogatus ab alio Epiſcopo.* Alioquin enim, ſicut Epiſcopus factâ ſe- 5

mel Epiſcopatûs reſignatione, eâque per Papam admiſsâ, nullos habet ſubditos, ita nec Ordines licitè confert; cùm hi duntaxat ſubditis ritè conferantur, niſi licentiam conceſſerit proprius Epiſcopus, ut ſui ſubditi ordinentur ab alio: prout fit, ſi is rogaverit Epiſcopum, qui loco tantùm renunciavit, ut is vices ejus ſupplendo, quoſdam ordinare velit. Quòd ſi ſecùs fiat, tunc ordinati ſunt ſuſpenſi: non quia ſunt ordinati ab Epiſcopo poſt ſuam renunciationem, ſed quia ſunt ordinati ab Epiſcopo alieno ſine proprij Epiſcopi licentia, Suarez *diſp.* 31. *de Cenſuris. ſect.* 1. *num.* 3. Pirhing *b. t. n.* 3.

6 Reſp. II. Quando Epiſcopus renunciavit tam loco, quàm dignitati, tunc ſacros Ordines, etiam de licentia proprij Ordinandorum Epiſcopi, licitè conferre non poteſt: ſi tamen defactò ordinaverit, validè quidem ordinat (nā characterem Ordinis Epiſcopalis indelebilem, ſicque poteſtatem validè conferendi Ordines, à ſe abdicare non potuit) Ordinis tamen executionem non confert; id eſt, Ordinati ab eo ſunt ſuſpenſi uſu Ordinum receptorum, donec cum eiſdem legitimè fuerit diſpenſatum. Ita rurſus habetur deciſum *in cit. cap.* 1. *b. t.* éſtque concors Doctorum ſententia.

7. Dicitur notanter, *ſacros Ordines.* Nam Ordines minores licitè, de conſenſu tamen proprij Epiſcopi, per ipſum conferuntur: *quia & hujusmodi Ordines à non Epiſcopis conferuntur*, ut loquitur textus ibidem. Sic quippe Abbatibus jam ab antiquo fuit conceſſum, conferre primam Tonſuram, ac Ordines minores ſuis Regularibus; ut *can. Quoniam. diſt.* 69. *& cap.* 1. *de Supplend. negligen. Prælat. & c. Cùm contingat. de Ætate & qualitat. præficiend.* ac paulò inferiùs ex profeſſo dicetur.

8. Quæritur III. Quid juris, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato? Reſp. I. De hoc habetur expreſſum *in cap. ult. b. t.* ſequentibus verbis: *Cum Clericis, qui ab excommunicato Epiſcopo ignoranter Ordines receperunt, per ſuos poterit Epiſcopos diſpenſari.* Hæc ibi.

9. Infertur proinde, quòd ordinatus ab Epiſcopo excommunicato recipiat quidem characterem Ordinis, non tamen hujus executionem. Quia cùm Epiſcopus excomunicatus (idémq; eſt in ſuſpenſo, depoſito, degradato, ſimoniaco, hæretico vel ſchismatico, ut inquit Navar. *cap.* 27. *Manual num* 241. §. *Quartò.*) Ordinis executionem non habeat, nec alijs eam dare poteſt: nemo enim dat, quod non habet, *can. Daibertum.* 1. *q.* 7. cum ſimilibus.

10. Igitur, qui ignoranter ordinatus fuit ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo &c. cùm primùm id reſciverit, tenetur ab uſu ſeu executione Ordinum ſic receptorum abſtinere, donec per proprium Epiſcopum diſpenſetur; utpote qui ipſum à tali ſuſpenſione abſolvere, ſeu diſpenſare poteſt, per *cit. cap. ult. b. t.*

11. Nec obſtat, quòd alioquin ignorantia excuſet à contrahenda cenſura. Nam impræſentiarum ſuſpenſio memorata, ſeu potiùs inhabilitas exercendi actum Ordinis taliter ſuſcepti, non eſt impoſita ob culpam Ordinati (ab hac enim ſupponitur excuſari propter ſuam ignorantiam) ſed ob indignitatem malè Ordinantis. Layman ad *cit. cap. ult. n.* 2. *b. t.* Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 48. *n.* 2. & alij.

Reſp. II. Quòd ſi verò Clericus ſcienter, aut per ignorantiam craſſam, vel ſupinam ordinatus fuerit ab Epiſcopo excommunicato, tunc per ſolum Papam poterit cum eo diſpenſari. Ita colligitur ex *cit. cap. ult. b. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto: & concordat *cap.* 1. *eod.*

Defactò tamen poſt Extravag. Concilij Conſtantienſis, *Ad evitanda*, requiritur ad hoc, quòd Epiſcopus ob crimen ſuum, vel cenſuram, fuerit nominatim denunciatus, aut notorius exiſtat percuſſor Clerici: alioquin enim, ſicuti defactò vitandus non eſt, ita ejus ordinatio non inducit inhabilitatem exercendi Ordines ex parte Ordinati. Navarrus *cit. num.* 241. Sylveſter *v. Interdictum. quæſt.* 7. Layman *d. cap. ult. n.* 1. *b. t.* Verùm occaſione dictorum *num.* 7.

Quæritur IV. Utrùm ex privilegio, ſeu commiſſione Papæ poſſit Abbas, vel alius Sacerdos conferre Ordines, præſertim ſacros. Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, eſt: quia ſolus Epiſcopus ex Chriſti inſtitutione eſt ordinarius Miniſter Sacramenti Ordinis, etiam comprehendendo Ordines minores, juxta Conciliū Florentinum *in Decreto Unionis*, & Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 4. *& can.* 7. atqui Papa nihil poteſt concedere contra Chriſti inſtitutionem; ergo. Accedit, quòd præſertim Ordines ſacri proximiùs verſentur circa conficiendum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti, dum Sacerdos illud imediatè conſecrat, Diaconus verò & Subdiaconus proximè miniſtrant Sacerdoti celebranti; ergo hâc ipsâ de causâ Ordines ſacri ex Chriſti inſtitutione videntur exigere pro ſua collatione Miniſtrum digniorem, nempe ſolum Epiſcopum. His tamen non obſtantibus,

Reſp. I. Poteſt ſummus Pontifex ex ſpeciali privilegio, ſeu delegatione, concedere Abbati, aut alteri Sacerdoti non Epiſcopo poteſtatem conferendi primam Tonſuram, ac Ordines minores. Ita communis; & patet ex *can. Quoniam. diſt.* 69. *& c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate & qualitat. præficiend.* ubi talis poteſtas legitur jam ab antiquo conceſſa Abbatibus reſpectu ſuorum Regularium. Concordat *c. Statuimus.* 1. *de Supplend. neglig. Prælat.* ubi expreſsè conceditur, quòd ſi Epiſcopus ter humiliter requiſitus, noluit Abbati dare Benedictionem, iſte nihilominùs poſſit conferre proprijs Monachis Lectoratum: quia tunc hæc facultas competit Abbati illi ex Apoſtolicæ Sedis indulto, haud obſtante, quòd ſit ſimplex Sacerdos, & necdum benedictus.

Nec urget, quòd in *c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate & qualit. præficiend.* ad hoc, ut Abbas poſſit conferre Ordines minores, requiratur, quòd ſit benedictus. Reſp. enim, iſtud procedere regulariter:

ter: ſecùs, ubi intervenit ſpecialis conceſſio Pontificia, ut ibi. Quia, ut rectè notat Fagnanus *in cit. c. Statuimus. n. 6. de Supplend. neglig. Prælat.* etiam Abbatum Benedictioni ſolemni non ex natura rei, ſeu Jure Divino, annexa eſt poteſtas conferendi Ordines minores, ſicuti eſt annexa Ordini Epiſcopali; ſed ex antecedenti duntaxat Eccleſiæ, ſeu Sedis Apoſtolicæ Indulto id provenit, de quo fit mentio in *can. Quoniam. diſt. 69.* cum ſimilibus.

17 Reſp. II. Utrùm poteſtas conferendi Ordines ſacros poſſit ex privilegio, ſeu delegatione Papæ, competere Sacerdoti non Epiſcopo, variant Doctores. Et quidem ſententiam negativam tenet D. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1. ad 3. & in ſupplement. quæſt. 38. art. 1. ad 3.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap.* 10. *n.* 9. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 3. *n.* 4. citans plures alios. Zoëſius *h. t. n.* 7. & Fagnanus *in c. Statuimus. n. 5. de Supplend. neglig. Prælat.* poſt Sylveſtrum *℣ Ordo. 3. n. 7.* aſſerens, quòd hæc ſententia ſervetur in Practica. Idque videtur ſuadere major ſanctitas horum Ordinum, & quòd immediatiùs verſentur circa confectionem Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ.

18 Econtrà ſententia affirmativa, ſeu quòd ex privilegio ſive delegatione Papæ poſſit Abbas, vel alius ſimplex Sacerdos, conferre Ordines majores, ſaltem intelligendo iſtud de Subdiaconatu, & Diaconatu, videtur probabilior. Et hanc ſententiam tenet Emanuel Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regul. q. 18. art. 3.* Engel *tit. de Temporib. Ordinat. § 2. n. 12.* eàmque probabilem cenſet Pirhing *eod. tit. de Temp. Ordinat. n.* 48. Tannerus *tom 4. Theolog. diſput. 7. quæſt. 3. n.* 30. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 11. n. 51. & in Collectan. ad c. Quanto. 4. num. 5. de Conſuetud.* allegans inſuper pro hâc ſententia Turrianum *in Addit. ad Concil. Nicænum, cap.* 4. & Victoriam *in Summa n.* 235 ubi teſtatur, ſe legiſſe in quadam Bulla conceſſionem de hoc factam Abbatibus Ciſtercienſibus. Idem tenet Vaſquez *de Sacram. Ordinis, diſp. 248. cap. 4. n.* 41. aſſerens, ſe aliam inſpexiſſe Bullam, in qua Innocentius VIII. prædictum privilegium Ciſtercienſibus conceſſit. Atque hoc ipſum privilegium refert per totum Emanuel Rodericus *in Collectione* Bullarum Apoſtolicarum pro Regularibus Bullâ 5. Innocentij VIII. quæ incipit: *Expoſcit tuæ*, datâ Romæ 1489. 5. Idus Aprilis: ubi, ne Monachi Ciſtercienſes pro ſuſcipiendis Subdiaconatûs, & Diaconatûs Ordinibus, extra Clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur, idem Pontifex §. 6. Abbatibus Ciſtercienſibus expreſsè conceſſit, ut ſuorum *Monaſteriorum Religioſis Subdiaconatûs & Diaconatûs Ordines ritè conferre valeant.* Atqui de Sūmi Pontificis judicio non licet alicui diſputare, *can. Si quis ſuadente. §. Qui autem. 17. q. 4.* Quinimò quod Papa ſtatuit, ſic debet reputari ac ſi de ore Chriſti, cuius eſt Vicarius, & Divi Petri proceſſiſſet, *can. Sic omnes. diſt.* 19. Unde, quòd ex delegatione Papæ poſſit Saerdos non Epiſcopus conferre Ordinem Subdiaconatûs & Diaconatûs, ſtante dictâ conceſſione Pontificâ negari non poteſt; alioquin Papa graviſſimi argueretur erroris, quod abſit. Accedit ratio, quia poteſt Summus Pontifex habilitare Abbates, alióſque Sacerdotes, ad conſecrationes Eccleſiarum & Altarium, imò & ad Sacramentum Confirmationis impertiendum Baptizatis: cur ergo non idem poterit facere reſpectu collationis dictorum Ordinum? Nam jure ordinario tam illi, quàm iſte, ſunt actus Ordini Epiſcopali ſpecialiter reſervati.

19 Additur notanter in Concluſione, *ſaltem intelligendo iſtud de Subdiaconatu & Diaconatu.* Nam quoad Sacerdotium ſententia negativa eſt receptiſſima, ut inquit Barboſa in *cit. c. Quanto. n. 5. de Conſuetud.* quidquid contradicat Gloſſa *fin. in can. Manus quoque. de conſecr. diſt.* 5. Abbas *in d. c. Quanto. num. 9. de Conſuetud.* Innocentius, ac nonnulli alij, quos in oppoſitum citat Tannerus, *ubi ſuprà, num.* 29. Neque enim ullum hactenus reperitur exemplum, in quo ſummus Pontifex Abbati, aut alteri non Epiſcopo, conceſſit privilegium, ſeu poteſtatem delegatam conferendi Ordinem Preſbyteratûs: unde comprobatur uſus Eccleſiæ antiquiſſimus, Chriſti inſtitutionem per perpetuam traditionem à temporibus Apoſtolorum retentam ſatis declarans. Nec etiam à quopiam Catholicorum negatur, quòd Ordo Preſbyteratûs præ aliis immediatiùs verſetur circa verum Corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ exiſtens, utpote quod Sacerdos immediatè conſecrando conficit; non autem Subdiaconus, & Diaconus, qui materiā duntaxat miniſtrant Sacerdoti celebranti.

20 Objicies cum Abbate *cit. n. 9.* antiquitùs Preſbyteri in communi regebant Eccleſiam, & ordinabant Sacerdotes; ergo etiam de facto, ſaltem ex privilegio, & delegatione Pontificiâ, poterunt idipſum facere. Reſp. neg. conſequent. Nam, ut *in can. Olim. diſt. 95.* dicitur, *Olim idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus:* unde non mirum, quòd tunc Preſbyteri legantur ordinâſſe Sacerdotes. Alioquin verò, quòd reſpectu collationis Ordinum valdè differat Preſbyter ab Epiſcopo, patet *ex can. Legimus. diſt.* 93. ubi dicitur: *Quid enim facit, exceptâ Ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non facit?* ponderando ly, *Exceptâ Ordinatione.*

21 Ad rationes dubitandi *num.* 14. allatas, & ad primam earum dicitur, Epiſcopos ex Chriſti inſtitutione eſſe quidem *ordinarios Miniſtros* Sacramenti Ordinis, etiam comprehendendo Ordines minores: inde tamen non ſequi, quin *extraordinarius Miniſter* ipſius, ſeu ex ſpeciali Papæ Commiſſione datus (dempto Sacerdotio) poſſit eſſe Abbas, vel alius Sacerdos.

22 Declaratur hoc ipſum in ſimili. Quia juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. 7. de Confirmatione, can.* 3. ſanctæ Confirmationis ordinarius Miniſter, eſt ſolus Epiſcopus: & tamen illius collatio poteſt per Papam de plenitudine poteſtatis demandari ſimplici Sacerdoti; uti habetur *can. Pervenit. diſt. 95.* ac notat Gloſſa *in c. Quanto. ℣. Reſervata. de Conſuetud.* D. Thomas *part. 3. quæſt. 72. art.*

11. *ad 1.* Scotus *in* 4. *diſt.* 7. *quæſt.1.* & communis aliorum, juncto Concilio Florentino *in Decreto Unionis* hoc ipſum confitente.

23 Ad alteram rationem dubitandi negatur conſequentia, loquendo de caſu, in quo Papa de plenitudine poteſtatis vult committere Sacerdoti cuipiam facultatem conferendi Ordines minores, vel Subdiaconatum & Diaconatum; uti liquet ex allatis hactenus inſtantijs. Quia enim Summus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius habet in Eccleſia plenitudinem poteſtatis, hinc virtute hujus poteſt quædam, quæ ſunt Superiorum ordinum, juſtis de cauſis committere quibuſdam inferioribus; ut proximè exemplificatur de collatione ſacræ Confirmationis, ac notat D. Thomas *ut ſuprà.*

TITULUS XIV.

De Ætate, & Qualitate, & Ordine Præficiendorum.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*
2. *Generatim loquendo, quales ſint præficiendi, ſeu promovendi ad Beneficia?*
   Melius eſt, paucos habere dignos Altaris Miniſtros quàm multos inutiles. Ibid.
3. *In promovendis ad Beneficia, præſertim curata, requiritur debita ſcientia, morum honeſtas & legitima ætas.*
4. *Si Papa reſcribit pro non habente dictas qualitates, an, & quando talis ſit inſtituendus in Beneficio?*
5. *Quando Eccleſia diſpenſativè conceditur Minorenni, debet ipſa interim non per Laicos, ſed Clericos regi.*
6. *Plura in præficiendis requiſita. Remiſſivè,*
7. *In præficiendis requiritur ulteriùs intentio Statûs Eccleſiaſtici; & quomodo?*
8. *Item carentia alterius Beneficij incompatibilis.*
9. *Ac Cœlibatus.*
10. *Ad Epiſcopatum ut quis eligi poſſit, debet ipſe ſaltem eſſe Subdiaconus.*
11. *Ac ſucceſſivè receptis alijs Ordinibus, intra trimeſtre poſt obtentam confirmationem, conſecrari.*
    Reſpondetur ad Jura, quæ ſex menſes præſcribunt. Ibid.
12. *Præficiendi Abbatijs, Decanatibus, aliiſque Dignitatibus curam animarum annexam habentibus, debent eſſe, vel intra annum fieri Presbyteri.*
13. *Antiquitùs tamen Abbates poterant eſſe non Presbyteri.*
14. *Idem ob neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiæ, etiam hodie poteſt fieri diſpenſativè.*
15. *Et an in tali caſu poſſit diſpenſare Epiſcopus?*
16. *Præficiendus Archidiaconatui, & Eccleſiæ Parochiali &c. debet eſſe, aut fieri Diaconus, vel Presbyter.*
17. *Ut quis in Cathedrali, vel Collegiata ſæculari, vel Regulari Eccleſia, vocem in Capitulo habeat, requiritur, ut ſit Subdiaconus.*
18. *Loquendo de ijs, qui Divinis ſunt mancipati officijs; aliàs ſecùs.*
19. *Canonicatus, & Portiones Eccleſiarum Cathedraliũ, habent annexum Ordinem ſacrum, juxta Concilium Trident.* Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.
20. *Secùs dicendum de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum.*
21. *Præficiendi vel jam habeant Ordinem requiſitum, vel ſint in ea ætate, ut infra tempus à Jure ſtatutum ordinari valeant.*
22. *Neque hodie circa talem ætatem poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut antiquitùs.*
23. *Clerici ſunt arctati ad recipiendos Ordines, quos Beneficia requirunt, ſub pœna privationis horum.*
24. *Quid ſi Canones obſiſtant, quò minùs jam promotus ad Beneficium, ob ſuperveniens impedimentum ordinari valeat?*
25. *Aſſertur alia reſponſio.*
26. *Sed reijcitur.*
27. *Dicta pœna privationis Beneficij ob non receptum Ordinem debitum, olim ſolùm incurrebatur poſt ſententiam, ac prævia monitione.*
28. *Idq; quoad Abbatiam, Archidiaconatum &c. etiamnum procedit.*
29. *Secùs de facto eſt dicendum de promotis ad Eccleſias Parochiales, ſi infra annum non ordinentur Presbyteri: nam vacat Eccleſia ipſo jure.*
30. *Atque hoc ipſum procedit in Vicarijs perpetuis Eccleſiarum Parochialium.*
31. *Non tamen in Eccleſijs curatis non Parochialibus.*
32. *Neque rigor ille procedit in Eccleſijs Parochialibus Collegiatis, & aſſumptis ad earum regimen.*
    Nec etiam in harum Præpoſitis, & Decanis. Ibid.
33. *Sicut nec in juſtè impeditis, quò minùs infra annum ordinentur.*
    Annus hujusmodi, quomodo ſit computandus? Ibid.
34. *Pœna privationis Eccleſiæ Parochialis non incurritur ipſo jure ob neglectum Presbyteratum, donec annus integer ſit completus.*

35. Et

35. *Et tunc dicta Eccleſia non poteſt pro ea vice iteratò conferri illi, qui ſic neglexit ordinari.*

36. *Benè tamen pro alia vice.*

37. *Recipiens Eccleſiam Parochialem abſque animo ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum, tenetur ad reſtitutionem fructuum.*

38. *Secùs, ſi habuit talem animum aſſumendi Presbyteratum, etſi poſteà non ordinetur.*

Viſo de Ordinandis reſtat dicere de Præficiendis, hoc eſt, promovendis ad Eccleſias, Prælaturas, aliáque Beneficia, & Miniſteria Eccleſiaſtica: & quia in iſtis vel maximè conſideranda venit legitima ætas, & qualitas, ac Ordo ad ſingulorum Beneficiorum conſecutionem de Jure requiſitus, ideò de iſtis tribus expreſſam præſens Rubrica mentionem facit. Unde

Quæritur I. Quæ qualitates requirantur in præficiendis, ſeu promovendis ad Beneficia Eccleſiaſtica? Reſp. I. Generatim loquendo tales ſunt præficiendi, ſeu ad miniſterium eligendi Clerici, *qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare. Melius eſt enim Domini Sacerdotum paucos habere miniſtros; qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant.* Ita reſcribit S. Clemens Papa ad S. Jacobum fratrem Domini, *Epiſt. 2.* ac refertur *can. Tales. diſt.* 23.

Reſp. II. Loquendo magìs in ſpecie, ex parte præficiendorum, ſeu promovendorum ad Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curata, requiritur debita ſcientia, morum honeſtas, & legitima ætas. Patet hoc ex *c. Eam te. 4. h. t.* ubi Alexander III. arctiùs inhibet, ne quis Epiſcoporum perſonas, quæ in Eccleſijs ſui Epiſcopatûs ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipſis inſtituat, *nec aliquâ occaſione, vel etiam Litterarum Apoſtolicarum obtentu inſtitui patiatur, quæ ſcientiâ, moribus, ætate, Concilij non congruant inſtitutis.* Ubi ſub nomine *Concilij* intelligitur Concilium Lateranenſe, ſub Alexandro III. celebratum, ac refertur *c. Cùm in cunctis, 7. de Electión.*

4 Dices. Ille, pro quo Papa reſcribit, ſemper eſt admittendus ad Beneficium; quia illicitum eſt judicare primam Sedem, *can. Si Papa. diſt. 40. & can. Nemo judicabit. 9. q. 3.* Imò & ſacrilegij inſtar eſt, illum reputare inhabilem, pro quo Papa reſcribit; ut *l. Diſputare. C. de Crimine ſacrilegij.* Quomodo ergo in *cit. cap. Eam te*, dicitur, nec Litterarum Apoſtolicarum obtentu quempiam, dictis qualitatibus carentem, inſtituendum eſſe in Beneficio? Reſp. cum Gloſſa *ibid. ℣. Litterarum.* & Abbate *num.* 7. Antecedens eſſe verum, quando Papa ex certa ſcientia reſcribit pro inhabili; tunc enim cum hoc diſpenſare cenſetur, ſicque mandato ipſius erit obediendum. Secùs eſt dicendum, quando tacitâ inhabilitate, ſicque ſubreptitiè, ſuper conferendo Beneficio Litteræ Apoſtolicæ impetrantur: atque in hoc caſu procedit textus allegati Capituli.

5 Quòd ſi verò Eccleſia diſpenſativè Minorenni fuerit conceſſa, prout nonnunquam Papa diſpenſare conſuevit circa Filios potentiſſimorum Principum in ordine ad obtinendos Epiſcopatus; tunc ejusmodi Eccleſia non per Laicos, ſed per Clericos regi debet, donec ille ad legitimam ætatem pervenerit. Textus, & DD. *in c. Ex ratione. 2. h. t.* Licet enim Laicis poſſit ſpecialis procuratio aliquarum rerum temporaliũ Eccleſiæ committi, *arg. can. Indicatum. diſt. 89.* & notat Vivianus *in Rationali cap. 2. h. t.* poſt Innocentium *ibid.* generalis tamen adminiſtratio Eccleſiarum eis committi non poteſt, ſed duntaxat Clericis; ut *can. In nona. & ſeqq. 16. q. 7.* ubi plures hujus rationes adducuntur.

Reſp. III. Qualis litterarum ſcientia, qualiſque ætas in promovendis, ſeu eligendis ad Prælaturas, Beneficia, & Officia Eccleſiaſtica requiratur, ſatìs atque ex profeſſo dictum eſt ſuprà *Tit. De Electione. §. 9. à num. 205. uſque ad num. 217.* Ubi pariter *n. 204. & n. 218. & ſeqq.* declarantur qualitates illæ, quæ ad morum honeſtatem pertinent, ſeu hanc commendant: ut eſt I. Thorus legitimus. II. Status Clericalis. III. Sacer Ordo, ad nonnulla Beneficia requiſitus. IV. Abſentia cenſuræ. V. Vera Fides. VI. Ut promovendus non ſit infamis, non bigamus, ac hujusmodi: de quibus partim ibidem jam dictum eſt, partim in proprijs locis ampliùs dicetur. 6

Reſp. IV. Ulteriùs ad hoc, ut quis ritè præficiatur, ſeu abſque labe peccati recipiat Beneficium Eccleſiaſticum, ex parte ipſius requiritur intentio Statûs Eccleſiaſtici. Si enim quis accipiat Beneficium Eccleſiaſticum, eo duntaxat animo, ut ex ejus fructibus ſuſtentari valeat, donec Studia ſua abſolverit, vel divitem uxorem repererit, intentione poſteà Beneficium deſerendi, peccat mortaliter, nec poteſt tutâ conſcientiâ illud retinere. Leſſius *lib. 2. de Juſtit. & jur. cap. 34. dubit. 26. num. 132.* allegans communem. Nihilominùs ſatìs eſt, ut quis ſincero animo, bonáque fide proponat, Statum Eccleſiaſticum retinere, neque ab eo reſilire, niſi juſta cauſa ſupervenerit: quia non eſt mens Eccleſiæ, per Beneficium ita firmiter aſtringere Clericum ad Statum Eccleſiaſticum, ut nullâ de cauſâ, licèt adhuc ſit conſtitutus in Ordinibus minoribus, poſſit eum deſerere ineundo Matrimonium. 7

Reſp. V. Inſuper, ut quis ritè præficiatur, requiritur carentia alterius Beneficij incompatibilis. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi collatio ſecundi Beneficij incompatibilis ſit nulla: quinimò ea eſt valida, ſed adeptâ illius pacificâ poſſeſſione vacat primum; prout declaràſſe Sac. Congregationem Cardinalium Concilij Trident. 8

 Inter-

Interpretum, refert Fagnanus *c. Super inordinata. num. 9. de Præbend.* Quòd ſi verò Beneficiarius utrumque retinere perrexerit, utroque privatus exiſtit ipſo jure, *c. De mult. a. 28. de Præbend.* juncto Concilio Tridentino *Seſſ. 7. cap. 4. de Reform.* atque ampliùs dici ſolet *Tit. de Præbendis.*

9 Reſp. VI. Tandem ex parte præficiendi requiritur Cælibatus; hoc eſt, ut quis non ſit matrimonio ligatus. Siquidem quælibet collatio Beneficij facta ei, qui matrimonio junctus eſt, invalida exiſtit: niſi forſan quis conſentiente conjuge caſtitatem voverit perpetuã, nec bigamus exiſtat, *c. Sanè. il. 1. de Clericis conjugatis.* Quinimò ſi Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus habeat Beneficium & poſteà contrahat matrimonium, illud ipſo jure perdit; *arg. cap. 1. & c. Quod à te. eod.* & cum communi Doctorum tradit Sanchez lib. 7. *de Matrim. diſp 42. n. 4.*

10 Quæritur II. Qualis Ordo requiratur in præficiendis? Reſp. I. Ut quis ritè præficiatur Epiſcopatui, debet ipſe ſaltem eſſe Subdiaconus, quando in Epiſcopum eligitur. Ita communis; & patet ex *c. A multis. 9. h. t.* ubi Innocentius III. ad tollendam longam diſceptationem, olim inter Doctores vigentem, ſtatuit, ut Subdiaconus in Epiſcopum valeat liberè eligi, ſicut Diaconus, vel Sacerdos.

11 Cæterùm, licet Subdiaconus ritè poſſit eligi in Epiſcopum, nec ſit opus poſtulatione; nihilominùs ita electus, quantùm eſt de Jure communi, tenetur ſucceſſivè reliquos ſacros Ordines recipere: debet enim intra tempus trium menſium poſt obtentam ſuam confirmationẽ, ceſſante juſto impedimento, in Epiſcopũ conſecrari, ut ſic Paſtorali ſuo officio undequaq; ſatisfacere valeat, *arg. can. Quoniam. diſt. 75.* ac notant Archidiaconus *ibid.* & Gloſſa *in c. Cùm in cunctis. §. Cùm verò.* & Abbas *n. 5. de Electione.* Sin minùs, non ſolùm elapſo illo trimeſtri Beneficia, quæ electus in Epiſcopum anteà habuerat, ipſo jure vacant, *cit. §. Cùm verò.* Sed etiam, ſi per alios adhuc tres menſes electus, & confirmatus, in Epiſcopum conſecrari negligat, ab Epiſcopatu eſt repellendus, *can. Quoniam quid juris. diſt 100. & c. Inter corporalia. §. Sed neque. de Translat. Epiſc.* Abbas *cit. n. 5.* ita concordans jura juribus, quòd ea, quæ tres mẽſes præſcribunt, loquantur de obligatione petendi conſecrationẽ Epiſcopalẽ poſt obtentã confirmationẽ: alia verò, quæ inquiũt, eam non eſſe differendam ultrà ſex menſes, procedant quoad repulſionem ab Epiſcopatu.

12 Reſp. II. Præficiendi Abbatijs, Decanatibus, Præpoſituris, Archipresbyteratui, alijsque hujusmodi Dignitatibus curam animarum annexam habentibus, debent vel actu eſſe Presbyteri; vel in proximo (hoc eſt ſaltem intra annũ) Presbyteri fieri. Patet hoc ex *cap. 1. h. t. juncto c. Cùm in cunctis. 7. §. Inferiora. de Election. & c. Licèt canon. 14. de Elect. in 6.* cum concordantijs. Nam, quia talibus incumbit cura animarũ, hinc vi officij ſui tenentur ſubditis ſervire celebrando, Sacramenta adminiſtrando, & alia, quæ ad verũ Curatum, atque Paſtorem pertinere noſcuntur, præſtando: atqui talia absque recepto Ordine Presbyteratûs fieri nequeunt; ergo. Accedit, quòd propter officium, ſeu perſonale ſervitiũ, detur Beneficium, *cap. ult. de Reſcript. in 6.* Atque aliàs periculum immineat animarum ſuæ curæ commiſſarum, ex defectu Paſtoris non ſervientis; ut *c. Ne pro defectu. 41 de Elect.*

Dices. In *can. A Subdiacono. diſt. 93. & can. Generaliter. 16. q. 1.* legitur, quòd Abbas nullo Ordine fuit inſignitus, ſicque jubetur etiam Oſtiario repræſentare obſequium; ergo is non neceſſariò debet eſſe Præsbyter. Reſp. Quidquid ſit de textu *cit. can. A Subdiacano.* (nam Caput illud valdè mendoſum eſſe, atque in Editionibus Synodi Romanæ ſub Sylveſtro Papa *cap. 7.* unde deſumitur, nullam de Abbate, & Monacho eſſe mentionem, teſtatur Añotatio ibidem) quamvis antiquitus Abbates potuerint eſſe, qui nondum erant Presbyteri: imò nec alio Ordine inſigniti, cùm eo tempore Abbates, & Monachi, non ſolerent eſſe Clerici: ſecùs tamen dicendum eſt defactò, ſeu poſt Concilium Pictavienſe, relatum, ac generaliter approbatum in *cit. cap. 1. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 5.* Idque eò magis eſt dicendum, quia hodie Abbates benedicuntur, ac ſuis Monachis Ordines minores conferunt, *can. Quoniã videmus. diſt. 69. & c. Cùm contingat. 11. h. t.* Unde impræſentiarũ locũ habet illud vulgatũ: *Concorda tempora, & concordabis jura.* Gloſſa *in can. Si Eccleſia. 23. q. 4. ℣. Temporibus.*

Reſp. III. Nihilominùs ob neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiæ, ſeu quando alia perſona magis idonea, atque ad gubernandum Monaſterium æque qualificata non reperitur, poteſt etiam hodie in Abbatem diſpenſativè eligi, qui in Ordinibus minoribus duntaxat conſtitutus eſt, neque ad Presbyteratum propter irregularitatem, ut puta ob defectum corporis, aſcendere poteſt. Ita habetur expreſſũ *in c. Tuã. 10. h. t.*

Utrùm verò in tali caſu diſpenſare poſſit Epiſcopus, non nihil variant Doctores. Et quidem Vivianus *in Rationali Juris, cit. cap. Tuam. 10 h. t.* & Layman *ibid. n. 2.* aſſerunt, hanc diſpenſandi poteſtatem ſpectare ad Summum Pontificem, nõ item ad Prælatos inferiores; cùm in Jure ſtatuatur, quòd Abbas debeat eſſe Presbyter, Epiſcopus autem contra ſacros Canones diſpenſare nequeat. Econtrà verò, quòd Epiſcopus diſpenſet, ut Monachus exiſtens in minoribus Ordinibus ob dictam neceſſitatem, ſeu utilitatem ſui Monaſterij, fiat Abbas, in terminis tradit Speculator *Tit. De Diſpenſationibus. §. Nunc de Epiſcoporum. n. 8. verſ. 56.* & Abbas Panormit. in *fine cit. c. Tuam. h. t.* citans inſuper Hoſtienſem Idque deſumitur imprimis ex verbis ejusdem Capituli, quod procedit in caſu neceſſitatis, & quando alius æque idoneus ad regendum Monaſterium non habetur: contraria verò Jura loquuntur extra talem caſum neceſſitatis. Accedunt dicta ſuperiùs *Tit De Conſtitutionibus. §. 18. num. 467.* ubi generaliter oſtenſum eſt, Epiſcopo cenſeri conceſſam eſſe poteſtatem diſpen-

ſpenſandi, quando in Canone ſimpliciter dicitur, poſſe diſpenſari; prout accidit in propoſito.

16 Reſp. IV. Præficiendus Archidiaconatui debet eſſe Diaconus, & præficiendus Eccleſiæ Parochiali, ac aliis Beneficijs Curatis, debet eſſe Presbyter, aut ſaltem intra annum ad ejuſmodi Ordinem promoveri. Ita communis, & patet ex *cit. cap. 1. h. t. & c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. de Electìon.* cum concordantijs; atque ampliùs declarabitur *in Quæſt. ſeqq.*

17 Reſp. V. Ut quis cæteroquin Divinis Officijs deputatus, in Cathedrali, vel Collegiata ſæculari, vel Regulari Eccleſia, vocem in Capitulo habeat, requiritur, ut in Ordine Subdiaconatûs ſit conſtitutus. Ita habetur deciſum *in Clem. 2. h. t.* ubi Pontifex expreſſis verbis ita decrevit: *Ut ij, qui Divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis ſæcularibus, vel Regularibus Eccleſijs ſunt mancipati officijs, vel mancipabuntur impoſterum, ad ſuſcipiendos ſacros Ordines propenſiùs inducantur: Statuimus, ut nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſijs vocem in Capitulo habeat (etiamſi hoc ſibi ab alijs liberè concedatur) niſi ſaltem in Subdiaconatûs Ordine fuerit conſtitutus.* Hæc ibi. Concordat Concilium Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 4. de Reform.* ubi dictam Clementinam innovando, idipſum decrevit. Et meritò: quia enim in Epiſcopum eligi non poteſt niſi Subdiaconus, æquum fuit, ut nec eligere poſſit, qui tali Ordine non eſt inſignitus, quatenùs hâc ratione ſervetur proportio inter eligentes & electum.

18 Notanter tamen tum *in d. Clem.* tum in Concilio Tridentino *loc. cit.* mentio fit de ijs, *Qui Divinis ſunt mancipati officijs*: ad excludendum videlicet illos Regulares, qui ad Divina officia non ſunt deputati; ut ſunt Ordines Militares, item Converſi ſeu Laici Profeſſi, ac Moniales. Quia nihil vetat, quin tales poſſint vocem habere in proprijs Capitulis, cùm vi ſui Statûs non ſint ſpecialiter deputati ad officia Divina, imò Moniales penitùs ſint incapaces Ordinum. Gloſſa ad *cit. Clem. 2. ℣. Mancipati. h. t.*

19 Reſp. VI. Inſuper, ut *in omnibus Eccleſijs Cathedralibus omnes Canonicatus, ac Portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs,* noviſſimè his ipſis verbis ſtatutum legitur in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Et quia Concilium expreſsè loquitur de Eccleſijs Cathedralibus, hinc ejus Decretum non comprehendere Collegiatas Eccleſias, tenet Garcias *part. 7. de Beneficijs. cap. 4. num. 26. & ſeqq.* & Barboſa *tract. de Canonicis. cap. 2. n. 28. & in Clem. 2. n. 3. h. t.* citans alios.

20 Cùm igitur Concilium Tridentinum nihil diſpoſuerit de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum, ſed iſtud reliquerit intra terminos illos, qui ante dictum Concilium præſcripti fuerant: hinc ad Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ, etiam inſignis, requiritur, atque ſufficit prima Tonſura, & ætas quatuordecim añorum, quæ generatim requiruntur ad quodcunque Beneficium, etiam ſimplex, juxta uberiùs dicta *Tit. de Electione. §. 9. num. 211. & 219. & ſeqq.* Licèt talis Canonicus interim vocem in Capitulo non ſit habiturus, donec ſacro Ordine Subdiaconatûs fuerit inſignitus, ut proximè dictū. Garcias *cit. part. 7. cap. 4. n. 39.* cum alijs.

Reſp. VII. Tandem nemo deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, vel Portionem recipi poteſt, niſi qui eo Ordine ſacro aut initiatus ſit, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirit; aut in tali ætate, ut infra tempus à Jure, & Concilio Tridentino ſtatutum initiari valeat. Ita loquitur idem Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* poſtquàm paulò anteà *in eod. cap. 12.* decreviſſet, quòd *ad cæteras Dignitates, vel Perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores, adſciſcantur.* 21

Unde infertur, quòd, licèt antiquitùs permiſſum fuerit Epiſcopis diſpenſare, ut, qui vigeſimum annum compleverant, potuerint obtinere Dignitates, & Perſonatus non curatos, *cap. un. h. t. in 6.* id tamen hodie ampliùs non procedat. Barboſa ad *cit. cap. un. n. 3.* & ibi Layman *n. 3.* Pirhing *h. t. n. 16.* & alij. Ratio eſt: quia Concilium Trident. *cit. cap. 12.* induxit Jus novum, requirens ad Dignitates, & Perſonatus non curatos; viginti duos annos vel completos, vel ſaltem inchoatos; ut dictum ſuprà *Tit. de Electione. §. 9. n. 214. & 215.* atqui in hoc nullibi legitur data Epiſcopis poteſtas diſpenſandi, ſicut in antiquo; ergo. 22

Quæritur III. Quæ pœnæ ſint ſtatutæ contra Clericos Beneficiarios, qui non recipiunt Ordines à Jure requiſitos? Reſp. I. Hujuſmodi Clerici ſunt aſtricti, & arctati ad recipiendos Ordines, quos Beneficia ipſa requirunt, & quidem ſub pœna privationis talium Beneficiorū. Ita comunis. Idque patet imprimis ex *cap. 1. h. t.* ubi generaliter ſtatuitur: *Ut Abbates, Decani, & Præpoſiti, qui Presbyteri non ſunt, Presbyteri fiant: qui Archidiaconatus tenent, Diaconi; qui verò Archipresbyteratus, Presbyteri; aut amittant honorem. Quòd ſi aliquâ juſtâ causâ prohibente, Presbyteri, aut Diaconi eſſe non potuerint, Prælationes amittant.* Hæc ibi. Concordat *c. Cùm in cunctis. 7. §. Inferiora. de Elect.* ubi illud ipſum, quòd nempe talis Ordo præſcriptus recipiatur, non ſolùm de promovendis, ſed etiam de jam promotis, ſi Canones non obſiſtant, præcipitur obſervari. Simile quid habetur *in c. Commiſſa. 35. de Electìon. in 6. & Clem. 2. h. t.* 23

Additur notanter, *Si Canones non obſiſtant.* Nam ſi quis jam fuerat promotus ad Beneficium, ac poſteà abſque ſua culpa canonicum ſuperveniat impedimentum, quò minùs Ordinem competentem recipere valeat (puta, quia incidit in gravem morbum, vel amiſit pollicem) non debet propterea removeri à Beneficio jam obtento; cùm afflicto non ſit addenda afflictio, *c. Ex parte. de Cleric. ægrotant.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa relatis. Secùs eſt dicendum, qui culpâ ſuâ incidit in ejuſmodi canonicum impedimentum; ut quia ob crimen commiſſum factus eſt irregularis; ſicque 24

que Ordinem præſcriptum recipere nequit: nam talis eſt removendus, juxta allegata poſtrema verba *cit. c. Ut Abbates.* 1. *h.t.* quod hâc ratione concordatur cum *d. §. Inferiora.* ac notat hîc Gloſſa ℣. *Si Canones non obſtant*, quæ (ut inquit Abbas *ibid. n.* 12.) ponit veritatem.

25 Fatendum quidem, quòd Layman *in cit. cap.* 1. *h.t.* & Pirhing *eod. n.* 39. hanc diſtinctionem improbent, eò quòd nimis reſtringat textum illius Capituli; utpote in quo abſolutè dicitur, quòd illi Prælationes amittant, qui ex aliqua juſta cauſa ordinari prohibentur. Unde (ajunt) meliùs dici, ſi citatum Capitulum intelligatur de impedimento perpetuo; cùm Beneficium Eccleſiaſticum detur propter officium, *cap. ult. de Reſcript. in* 6. & iſtud taliter impediti nunquam præſtare valeant, Jura verò contraria de impedimento temporali accipiantur.

26 Verùm hæc reſponſio incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin. Tum quia econversò ipſa nimium, atque ſine ſolido fundamento, reſtringit textum in *cit. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. de Elect.* & alijs allegatis Juribus, in quibus promoti ad Beneficia jubentur ordinari, ut ſupra, additâ tamen illa generali limitatione, *Si Canones non obſtant*: ſeu, ut alia Jura loquuntur, *rationabili causâ ceſſante.* Tum quia hæc reſponſio directè pugnat contra *cit. c. Ex parte. de Cleric. ægrotant.* dum concedit, laborantem perpetuo impedimento recipiendi præſcriptos Ordines eſſe removendum à Beneficio, ad quod jam promotus fuit, quamvis in illud inciderit absque culpa ſua. Tum tandem, quia *cap. ult. de Reſcript. in* 6. parum facit ad rem: non enim loquitur de impeditis ex cauſa rationabili, vel perpetuo impedimento detentis; ſed de Clericis, qui, cùm poſſent, ac deberent reſidere, prætextu Litterarum Apoſtolicarum percipiebant fructus Beneficiorum in abſentia, ex quo (inquit textus) *Officium plerumque, propter quod Beneficium Eccleſiaſticum datur, omittitur.* Igitur prior reſponſio meritò eſt retinenda.

27 Reſp. II. Dicta pœna privationis Beneficij, contra non recipientes Ordinem præſcriptum in præallegatis Canonibus ſtatuta, olim non incurrebatur ipſo jure; ſed primùm per ſententiam Judicis, ac præmiſſâ monitione fuerat infligenda. Ita deſumitur ex *cit. cap.* 1. *h. t.* ibi: *Aut amittant honorem.* Atque etiam ex *d. c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. de Election.* ubi hoc ipſum procedebat in promotis ad Eccleſias Parochiales, *ſi admoniti non fuerunt præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati*; & notat Hoſtienſis, & Abbas *ibid. n.* 2. éſtque communis.

28 Atque iſtud quoad Abbatiam, Archidiaconatum, & hujusmodi Prælaturas, etiamnum procedit: cùm quoad has per Jura ſubſequentia nihil reperiatur innovatum, ſeu mutatum; prout factum eſſe circa promotos ad Eccleſias Parochiales, illicò dicetur. Nam illæ ſimpliciter non ſunt Parochiales, ſicque quoad eas ſervanda ſunt antiqua Jura, *l. Præcipimus. C. de Appellationib.* cum ſimilibus. Rebuffus *in Praxi Benefic. Tit. De non promotis intra annum. n.* 30. citans alios.

Reſp. III. Loquendo tamen de promotis ad regimen Eccleſiæ Parochialis, defactò incontinenti, atq; ipſo jure, nullâ etiam monitione præcedente, quis exiſtit privatus commiſſâ ſibi Eccleſiâ, ſi infra an̄um ad Sacerdotium ſe promoveri non fecerit. Ita habetur expreſsè ſtatutum in Concilio Generali Lugdunenſi, ſub Gregorio X. celebrato, ac refertur in *c. Licèt canon.* 14. *de Election. in* 6. ubi, quantùm ad hoc, dictum *c. Cùm in cunctis. §. Inferiora. eod.* corrigitur, ſeu potiùs rigor ipſius augetur, eò quòd in obſervatione Canonis memorati ſeſe multi exhibuerint negligentes, utpote vi cujus nemo privabatur Eccleſiâ Parochiali, niſi poſt præviam admonitionem neglexerit recipere Presbyteratum, & ſententia Judicis ſubſecuta fuerit.

Porrò dicta Concluſio procedit etiam in Vicarijs perpetuis Eccleſiarum Parochialium, *text. clar. Clem. un. de Offic. Vicarij.* His quippe pariter incumbit, ut gregi eisdem credito perſonaliter deſerviant, illúmque paſcant & verbo doctrinæ, & exemplo vitæ, Sacramentorúmque adminiſtratione, veluti perpetui Rectores animarum ſuæ curæ commiſſarum; ſicque meritò jubentur ibidem intra annum promoveri ad Sacerdotium, ad inſtar verorum Parochorum.

Secùs dicendum de eo, qui habet Eccleſiam curatam non Parochialem. Quia *cit. c. Licèt canon. de Election. in* 6. loquitur tantùm de promotis ad Eccleſiam Parochialem; adeóque veluti odioſum, ac pœnale, ſimúlq; correctorium Juris antiqui, non eſt extendendum ad promotos in Eccleſijs curatis non Parochialibus. Rebuffus *cit. tit. De non promotis intra annum. n.* 60.

Inſuper rigor *cit. c. Licèt canon*, non procedit in Eccleſijs Parochialibus Collegiatis, & aſſumptis ad earum regimen; ut habetur deciſum in *c. Statutum.* 22. *de Elect. in* 6. éſtque ampliùs dictum *Tit. De Electione. §.* 9. *num.* 220. Idémque à fortiori dicendum de Præpoſitis, & Decanis Eccleſiarum Collegiatarum, etiam curam animarum habentium: quia non ſunt ſimpliciter Eccleſiæ Parochiales; ac proinde in his antiqua Jura ſunt ſervanda, vi quorum non privantur ob non promotionem intra annum ad Sacerdotium, niſi monitione præviâ, & poſt ſententiam Judicis. Rebuffus *loc. cit. num.* 28. & 30. & concordant ea, quæ proximè *num.* 27. de alijs Prælaturis dicta ſunt.

Rurſus à rigore *cit. c. Licèt canon*, excipiuntur juſtè impediti, quò minùs infrà annum ad Sacerdotium promoveantur. Nam annus ejusmodi (qui eſt computandus à tempore illo, quo cuipiam Parochialis Eccleſiæ regimen fuit commiſſum, atque ipſe poſſeſſionem ejus pacificam habuit, vel per eum ſtetit, quò minùs eam haberet) non currit illis, qui juſto impedimento detenti, infra tale tempus ordinari nequiverunt; prout declaratur in *c. Commiſſa.* 35. *de Election. in* 6.

Reſp.

34 Reſp. IV. Præfata etiam pœna privationis Eccleſiæ Parochialis non incurritur ipſo jure ob neglectum, ſeu non receptum Presbyteratum, donec annus integer ſit completus: quo facto dicta Eccleſia Parochialis nullatenùs pro ea vice poterit illi, qui ſic neglexit ordinari, iteratò conferri. Ita habetur expreſſum in *cit. c. Commiſſa. de Elect. in 6*. Et ratio prioris partis eſt: quia odia ſunt reſtringenda; ergo, cùm privatio Beneficij ſit quid odioſum, ad eam incurrendam requiritur annus ex toto elapſus; adeò, ut non ſufficiat, tantum de anno illo tranſijſſe, quòd infra ipſum nequeat quis ampliùs ad Sacerdotium promoveri, niſi añus ille fuerit completus, prout ibidem Pontifex declaravit. Concordat in ſimili *l. In illa ſtipulatione. & l. inſulam. ff. de Verb. obligat.* ubi ſtipulatio pœnalis, quæ habet determinatum diem, non committitur ad intereſſe ante diem, etiamſi certum ſit, ante diem fieri, ſeu promiſſum impleri non poſſe.

35 Ratio poſterioris partis eſt: quia ſi illi, qui ob neglectam receptionem Sacerdotij poſt lapſum anni ipſo jure privatus exiſtit Eccleſiâ Parochiali, poſſet hæc pro eâ vice denuò conferri, facilè eluderetur, ac ludibrio fieret Statutum Generalis Concilij Lugdunenſis, in *d. c. Licèt canon. de Elect. in 6*. relatum, ſuóque fruſtraretur effectu: cùm, ſicut primo anno finito poſſet rurſus ipſi conferri Eccleſia præhabita, eâdem ratione id fieri poſſet finito ſecundo, & tertio anno, & ita de ſingulis; ſícque Canon ille penitùs eluderetur, ſuóque fruſtraretur effectu: atqui hoc eſt abſurdum, *L. ult. §. Ubi autem puerilis. C. De bonis quæ liberis &c.* Et alioquin lex non rebus, ſed verbis videretur impoſita, prout ibidem argumentatur Pontifex, & ampliùs declarat Gloſſa.

Quia tamen textus ille ſolummodò hoc fieri prohibet *pro ea vice*, hinc nihil impedit: quin talis promoveatur ad eandem Parochiam pro alia vice, ſive aliâ ejus vacatione ſuperveniente. Prout in ſimili notatur in *c. Cùm Vintonienſis. 25. de Election.* de ijs, qui ob electionem indigni, pro una vice ſunt privati poteſtate eligendi: nam in alia electione liberè eligunt, cùm per primam privationem jam cenſeatur purgatum ipſorum vitium. 36

Reſp. V. Inſuper, ſi quis non intendens promoveri ad Sacerdotium, recipiat Parochialem Eccleſiam, ut fructus ex ea per annum percipiat, ipſam elapſo anno poſtmodùm dimiſſurus, tenetur ad reſtitutionem talium fructuum; cùm eos receperit fraudulenter: niſi mutato animo poſteà infra annum promotus fuerit ad Sacerdotium. Ita rurſus habetur deciſum in *cit. c. Commiſſa. de Elect. in 6*. Quamvìs hanc pœnam ſolùm procedere pro Foro conſcientiæ, non autem, quòd contra talem detur actio in Foro externo, velit Rebuffus, *ubi ſuprà, num. 15. & 16.* & favet textus *in can. Cogitationis. de Pœnit. diſt. 1*. ibi: *Cogitationis pœnam nemo patitur.* 37

Secùs dicendum de eo, qui Eccleſiam Parochialem recepit, bono animo intra annum aſſumendi Presbyteratum: nam talis non tenetur reſtituere fructus eo tempore perceptos, quo ſanam intentionem habuit, licet poſtmodùm mutatâ voluntate non promoveatur intra annum ad Sacerdotium. Idque probatur ex *cit. c. Commiſſa*, argumento à ſenſu contrario deſumpto: ac tradit Barboſa *ibid. num. 24.* poſt Azorium *part. 2. lib. 6. cap. 8. quæſt. 10.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 45. n. 1. & ſeqq.* & alios. 38

TITULUS XV.

De Sacra Vnctione.

SUMMARIUM.

1. *Duplex ſpecies Unctionis, exterior videlicet, ac interior.*
2. *Omnes ſacræ Unctiones in Eccleſia Catholica uſitatæ reducuntur ad ſex capita; & quæ?*
3. *Eccleſia non judaizat adhibendo ſacras Unctiones; & cur? Et num. ſeqq.*
4. *Unctiones ſacræ fiunt diverſo, & excellentiori modo in Lege Evangelica, ac in Lege veteri.*
5. *Hiſtoria memorabilis de S. Martiale, ac ejus Collega à mortuis reſuſcitato per tactum Baculi S. Petri Apoſtoli.*
Papa cur non utatur Baculo? Ibid.
6. *Myſtica ſignificatio Baculi Paſtoralis.*

1 QUia ex Ordinandis, atq; præficiendis, aliqui juxta morem Eccleſiæ Catholicæ, ſacrâ Unctione deliniri ſolent, meritò de hac præſens Rubrica ſubjungitur. Et quidem imprimis *in cap. un. §. Scire te volumus. h. t.* duplex aſſignatur ſpecies Unctionis: una ſcilicet exterior, quæ materialis eſt, atque viſibilis, ſeu per quam viſibiliter inungitur corpus. Alia interior, quæ ſpiritualis eſt, & inviſibilis, mediante qua inviſibiliter inungitur cor, ſive anima hominis per gratiam Spiritûs ſancti dignè ſumentis infuſam, quæque per unctionem illam exteriorem ſignatur.

2 Licèt autem plures in Eccleſia Catholica uſitatæ ſint ſacræ Unctiones, quæ etiam in præſenti Titulo, unà cum myſticis ſuis ſignificationibus, breviter, ſimúlque energicè referuntur: omnes tamen illæ ad ſex principalia capita reducuntur, videlicet ad Unctionem, ſeu Conſecrationem Epiſcopi; ſub hac comprehendendo etiam Unctionem Presbyterorum, veluti præviam reſpectu illius, ut innuitur *cap. un. §. Ungitur. h. t.* Ad Unctionem Regis, quæ multipliciter differt à priori, prout *ibid. §. 1. & 2.* declaratur. Ad Unctionem omnium Chriſtianorum in Baptiſmo, qualis tunc quaternâ vice, & ſub peculiari myſticâ ſignificatione, *loc. cit. §. Quia verò*, ſingillatim explicatâ, dicitur fieri. Ad Unctionem Chryſmatis poſt Bâptiſmum, quæ fit in collatione Sacramenti Confirmationis. Ad Unctionem infirmorum, quæ peragitur in Sacramento extremæ Unctionis, & de qua in *cap. un. §. De prima. h. t.* fit mentio. Et ad Unctionem Altaris, Templi, & Calicum, dum conſecrantur, dedicantur, ſeu benedicuntur juxta ritũ Eccleſiæ Catholicæ, atq; ad exemplum S. Sylveſtri Papæ; de qua in *cit. cap. un. §. Ungitur. h. t.* habetur ſermo.

3 Neq; hinc perperàm quis inferat, quod judaizet Eccleſia, imitando ritus Judaicos in Unctione Sacerdotum, Regum, & Templorum. Nam, ut reſpondet Pontifex ibidem, *Unctionis Sacramentum aliud quidem efficit, & figurat, tam in novo, quàm in veteri Teſtamento; unde non judaizat Eccleſia, cùm unctionis celebrat Sacramentum.* Etenim unctiones veteris Teſtamenti adhibebantur à Judæis per figuram, & veluti ſignificatio futuræ gratiæ: unctiones autem novi Teſtamenti exercentur in veritate, ac prout ſunt ſignificatio gratiæ præſentis.

4 Accedit, quòd iſtæ fiant modo diverſo, ac longè excellentiori præ illis. Nam in veteri Lege caput Aaronis, & aliorum Pontificum, conſecrabatur fundendo ſuper illud ſimplex Unctionis oleum, *Levit. cap. 8.* In Lege Evangelica verò caput Epiſcopi conſecrandi inungitur Chryſmate, quo ſignificatur Chriſtus JESUS, cujus perſonam Epiſcopus in Pontificali officio repræſentat. Inſuper in veteri Teſtamento Reges ungebântur in capite, *1. Reg. cap. 3. & 4. Reg. cap. 9.* At verò in novo Teſtamento, & poſt adventum Chriſti JESU Nazareni, quem unxit Deus Spiritu ſancto, *Actor. 10.* quíque eſt caput Eccleſiæ, *Epheſ. 1.* Principis unctio à capite ad humeros tranſlata fuit; prout in *cit. cap. un. h. t.* ampliùs declaratur. Inſuper conſecratio Eccleſiarum nunc longè ſolemniori ritu peragitur, dum in eis erigitur Altare in titulum, quod Chryſmate delibutum, Domini noſtri JESU Chriſti, qui Altare, Hoſtia, & Sacerdos noſter eſt, figuram exprimit; prout loquitur Eccleſia *in Breviario Romano, die 9. Novembris.* Tacetur unctio in Confirmatione, atque extremâ Unctione fieri ſolita, cùm hæc ſint vera, & propriè dicta novæ Legis Sacramenta, & gratiam dignè recipientibus ex opere operato conferant; cùm econtrà unctiones antiquæ Legis ſolùm fuerint umbra futurorum, & gratiam, quam ſignificabant, non contulerint. Et hæc quantùm ad ſacras Unctiones.

5 Inter alia unũ notabile refert Gloſſa *in cap. un. v. Propter hiſtoriam. h. t.* quòd videlicet S. Martialis, unus ex Diſcipulis S. Petri, fuerit ille, quem Chriſtus poſuit inter Diſcipulos, dum dixit; *Niſi efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum*, Matth. 18. Eum poſteà S. Petrus unà cum alio, Matthæo nomine, ad prædicandum miſit in Germaniam; qui cùm iret, mortuus eſt;

eſt; collega verò ipſius, ſive Martialis, redijt ad Petrum. Et Petrus ait illi: Accipe baculum, & tangens eum dic, ut in nomine Domini ſurgat, & prædicet. Et ivit, ac quadrageſimo die à tempore mortis tetigit eum, & ſurrexit, & prædicavit. Atque idcircò (inquit textus ibidem) *Romanus Pontifex non utitur Baculo Paſtorali, tum propter hiſtoriam,* quia videlicet S. Petrus removit à ſe Baculum: *tum propter myſticam rationem*, quam aſſignat Gloſſa ibidem: licèt alij Pontifices eodem utantur, cùm hi non habeant ſuam poteſtatem immediatè à Deo, ſicuti Papa.

Deſignantur autem per Baculum Paſtoralem ea, quæ his verſibus, à citata Gloſſa allegatis, comprehenduntur. 6

In Baculi forma, Præſul, datur hæc tibi norma.
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege juſtos, punge vagantes.
Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIUM.

1. *Sacramenta, quæ imprimunt Characterem, non poſſe iterari, de fide eſt.*
2. *Imò etiam in aliorum Sacramentorum collatione nihil eſt iterandum.*
3. *Quid agendum in dubio de valore Sacramenti?*
4. *Tres aureæ Regulæ Scoti, circa hoc obſervandæ.*
5. *Explicatur* cap. 1. h. t. *Et num. ſeqq.*
6. *Refertur ſententia, aſſerens, textum ejus eſſe corruptum.*
7. *Alia ſententia explicat textum illum de manuum impoſitione deprecatoria, non conſecratoria.*
8. *Quæ impugnatur.*
9. *Ponitur ſententia cæteris expeditior, ac probabilior.*
10. *Impoſitio manûs, ſi prætermittatur in ordinatione Diaconi, vel Sacerdotis, eſt cautè ſupplenda.*
11. *Cùm ſit materia partialis dictorum Ordinum.*
12. *Omiſſa in collatione Sacramentorum ſunt ſupplenda, licèt ſolùm ex præcepto Eccleſiæ pertineant ad ſolemnitatem ipſorum.*
    Nihil cenſetur actum, cùm aliquid addendum ſupereſt. Ibid.
13. *Impoſitio manuum, quæ pertineat ad ſubſtantiam Ordinis Presbyteratûs?*
14. *Et cur dicatur Ritus ab Apoſtolis introductus?*
    Alio modo ſit impoſitio manuum Epiſcopi in collatione Diaconatûs, & Presbyteratûs. Ibid.
15. *Manuum impoſitio in ordinatione Presbyteri omiſſa, quâ ratione ſit ſupplenda?*
16. *Poteſtas Sacerdotum in Corpus Chriſti verum, poteſt ſtare ſine poteſtate in Corpus Chriſti myſticum: ſed non econtrà. Et num. præc.*
17. *Omiſſa manûs impoſitio reſpectu Diaconatûs, quomodo ſuppleri valeat?*
18. *Ac differentia inter hanc, & priorem ſupplendam.*
19. *Quid agendum, ſi in conferendo Confirmationis Sacramento, per errorem non Chrisma, ſed oleum adhibeatur. Et num. ſeqq.*
20. *Refertur ſententia eorum, qui aſſerunt, Chrisma non eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis.*
21. *Sententia aliorum declaratur.*
22. *Chriſma ex oleo & balſamo confectum, eſt de ſubſtantia Sacramenti Confirmationis.*
23. *Solvitur ratio in oppoſitum,* ex cap. 1. h. t. *deſumpta.*
24. *Tria olea benedicit Epiſcopus in Cœna Domini.*
25. *Chriſma, quid, & ubi adhibeatur?*
26. *Oleum Catechumenorum, quando adhiberi ſoleat?*
27. *Oleum infirmorum, quod, & an differat à cæteris?*
28. *Probabilius eſt, Sacramentum extremæ Unctionis eſſe validum, nec iterandum, licèt pro oleo infirmorum adhibeatur Chrisma.*
29. *Solvuntur contraria.*
30. *Sepulti à Schismaticis non ſunt exhumandi, nec veſtes Sacerdotales iterum benedicendæ, neque Altaria reconſecranda, in quibus Schismatici &c. celebrarunt.*
31. *Calix conſecratus, ſi poſteà deauretur, non indiget novâ conſecratione, juxta probabilem ſententiam; & hujus rationes.*
32. *Sententia contraria eſt probabilior.*
33. *Hucúsque ratio.*
34. & 35. *Solvuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.*

1 QUæritur I. Quæ Sacramenta non ſint iteranda, & quomodo? Reſp. I. Sacramenta, quæ imprimunt Characterem, ut Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, non poſſe iterari, hoc eſt ſæpiùs accipi, de fide certum eſt; atque definitum in Concilio Florentino, *in Decreto Unionis*, ac Tridentino *Seſſ. 7. can. 9.* Unde, ſi in conferendis hiſce Sacramentis quidpiam fuerit omiſſum, reſpondet Pontifex *in cap. 1. & 3. h. t. Non eſſe aliquid iteran-*

iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum. Idque magìs patebit ex dicendis in progreſſu, declarando dubia ibidem de Sacramento Ordinis, & Confirmationis propoſita.

2 Reſp. II. Rubrica præſentis Tituli non ſolùm procedit in illis Sacramentis, quæ abſolutè iterari, hoc eſt, ſæpiùs eidem ritè conferri non poſſunt; ut ſunt præmiſſa tria Sacramenta, quæ in anima ſuſcipientis imprimunt Characterem: ſed etiam habet locum in reliquis Sacramentis, non quòd hæc iterari nequeant, ſed quatenùs in eorum collatione pariter nihil eſt iterandum. Ita communis. *Nulli enim Sacramento injuria facienda eſt,* ut inquit D. Auguſtin. *lib.* 1. *contra Donatiſtas, cap.* 1. ac refertur. *in can. Oſtenditur. de Conſec. diſt.* 4. Atqui cuilibet Sacramento fit injuria, ſi illud ſacrilegè reiteretur, *can. Sacramenta,* 1. *q.* 1. ut puta bis conſecrando eandem Hoſtiam, bis abſolvendo pœnitentem peractâ unicâ Confeſſione, ac hujusmodi; ergo.

Quòd ſi aliquando rationabile dubium e-
3 merſerit de valore Sacramenti, ſeu an illud hìc & nunc validè collatum fuerit, non illicò Sacramentum abſolutè erit reiterandũ, ſed ſolùm ſub conditione, ſi anteà non valuiſſet; prout loquendo de Baptiſmo, expreſsè deciſum habetur *in c. De quibus.* 2. *de Baptiſmo.* his verbis: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, Baptizentur his verbis præmiſſis: ſi baptizatus es, non te baptizo: ſed ſi nondũ baptizatus es, ego te baptizo* &c. Nam ex appoſitione talis conditionis, utpote à qua validitas actûs dependet, jam præcavetur omni injuriæ Sacramenti, omnéque præjudicium ſacrilegæ reiterationis evitatur.

4 Huc faciunt tres illæ aureæ Regulæ, quas univerſaliter in omnibus dubijs, quantùm ad materiam & formam Sacramentorum, obſervandas eſſe tradit Doctor Subtilis *in* 4. *diſt.* 3. *q.* 2. §. *Tertiò de forma.* ℣. *Circa iſtam.* Prima eſt iſta; *Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda.* Secunda: *Si non adeſt poſſibilitas, viæ tutiſſimæ proxima eſt tenenda.* Tertia eſt iſta: *Ceſſante impoſſibilitate cautè eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.* Hæc Scotus.

5 Quæritur II. Quâ ratione de ordinato in Subdiaconum ſine impoſitione manuum, *cap.* 1. *h. t.* dicatur, hanc eſſe cautè ſupplendam? Ratio dubitandi eſt: quia Subdiaconus, cùm ordinatur, non recipit manûs impoſitionem, *can. Subdiaconus. diſt.* 23. Quomodo ergo neceſſe eſt, hanc in ipſo cautè ſupplere? Ob hanc rationem, quæ adeò videtur urgere ad hominem,

6 Reſpondent I. Nonnulli, quos ſequitur Barboſa *hìc. n.* 1. & Engel *n.* 7. textum incuriâ Librariorum eſſe corruptum: quia, ut inquit Innocentius Papa IV. vera littera hìc habet *Diaconatûs,* pro ly *Subdiaconatûs*; prout etiam in duobus vetuſtioribus exemplaribus legi, notat Gloſſa marginalis ibidem. Accedit, quòd hanc reſponſionem videatur approbare conſuetudo Romanæ Curiæ: nam Papa, quando Subdiaconum ordinat, non imponit manum, ut teſtatur Abbas *in cap.* 1. *h. t.* Sicut & Pontificale Romanum, authoritate Gregorij XIII. editum, nullam in ordinatione Subdiaconi præſcribit impoſitionẽ manuum. Et hinc data reſponſio non caret ſuâ probabilitate. Si tamen placeat retinere textũ, prout jacet, atque ab antiquo per tot ſæcula ab ipſismet Summis Pontificibus toleratus fuit, sìcque non ſtatim privatâ authoritate variandus.

Reſp. II. Textus *cit. cap.* 1. *h. t.* procedit non de impoſitione manuum conſecratoria (nam talis non datur Subdiacono, ſed duntaxat Diacono, *can. Diaconus. diſt.* 23. quando nimirum Epiſcopus ſolus ponit manum dextram ſuper Caput Ordinandi, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum &c.*) ſed de quadam manuũ impoſitione benedictoria, ſeu deprecatoria tantùm. Ita Gloſſa *in cit. cap.* 1. ℣. *impoſitione.* & ibi Abbas. §. *Opponitur.* Lyman *n.* 1. *h. t.* & alij. Nam dari manûs impoſitionem deprecatoriam, patet ex *can. Manûs impoſitio.* 1. *q.* 1. Qualis proinde manuum impoſitio jubetur ibidem cautè ſuppleri: quia non dicitur actum, dum aliquid ſupereſt addendum, *can. Nihil.* 7. *q.* 1. *& leg. penult. C. Ad Syllanianum.* & ampliùs declarat Barboſa *Axiomat.* 11. *n* 1.

Verùm etiam hæc reſponſio patitur jam factã inſtantiam. Siquidem in ordinatione Subdiaconi nulla penitus adhibetur manûs impoſitio, ne quidem deprecatoria; uti liquet ex Pontificali Romano *loc. cit.* Nec juvat recurrere ad particularem conſuetudinem locorum, in quibus forſan ea adhiberi ſolet. Tum quia hoc non niſi divinando aſſeri poteſt, cùm ex textu nullatenùs eruatur. Tum quia in collatione Ordinum ſervandi ſunt ritus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, *cap. un.* §. *Monemus. de Sacra Unction.* Hæc autem nullam adhibet manuum impoſitionem in ordinatione Subdiaconi; sìcque nec eam ſuppleri præciperet, prout tamen *cit. cap.* 1. *h. t.* intermiſſa manuũ impoſitio cautè dicitur eſſe ſupplenda. Unde dimiſsâ hâc ſententiâ, & ſalvando textum, ut jacet,

Reſp. III. Per omiſſam manûs impoſitionem, quæ in *cap.* 1. *h. t.* dicitur cautè ſupplenda, donec aſſumptus ad Ordinem Subdiaconatûs permittatur miniſtrare, videtur intelligi omiſſa collatio primæ Tonſuræ, vel Ordinum minorum. Ratio eſt: quia alibi in jure Canonico per manûs impoſitionem intelligitur collatio primæ Tonſuræ, ac Ordinum minorum; ut fit in *can. Quoniam diſt.* 69. *& c. Cùm contingat.* 11. *de Ætate & qualit. Præficiend.* ergo idem dicendum in propoſito, ut hâc ratione jura concordentur, mutuòque declarentur juribus, sìcque horum atque ipſius textûs correctio evitetur. Et ita accipiendo manûs impoſitionem, clara eſt littera, atque reſponſio Pontificis in *d. cap.* 1. *h. t.* data, cùm certũ ſit, quòd ordinatus in Subdiaconũ omiſsâ primâ Tonſurâ, vel aliquo Ordinũ minorũ, nõ debeat in ſuſcepto Ordine permitti miniſtrare, donec ea cautè fuerit ſuppleta; prout habetur *cap. un. de Clerico per ſaltum promoto.* Atq; ideò hæc ſententia cæteris eſt expeditior, & probabilior.

Quæritur III. An, & quâ ratione impoſitio manûs

manûs ſit ſupplenda, quando ea fuit prætermiſſa in ordinatione Diaconi, vel Sacerdotis? Reſp. I. Certum eſt, hanc tunc cautè eſſe ſupplendã; per textũ expreſſũ *in cap. ult. h. t.* ibi: *Presbyter, & Diaconus cùm ordinantur, manûs impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt. Quòd ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenùs iterandum, ſed ſtatuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos, cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum. Suſpenſio autem manuum debet fieri, cùm oratio ſuper caput effunditur ordinandi.* Hæc ibi.

11 Accedit ratio: quia impoſitio manûs dextræ Epiſcopi, cum illa verborum forma, *Accipe Spiritum ſanctum, & robur &c.* eſt materia partialis Ordinis Diaconatûs: ſicut & impoſitio manuum Epiſcopi, ſub illa verborum forma, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c.* eſt materia partialis Ordinis Presbyteratûs. Ergo ſi hæc fuerit prætermiſſa, procul dubio ſtatutis temporibus erit cautè ſupplenda, ne Sacramentum Ordinis Diaconatûs, & Presbyteratûs, vel ob defectum materiæ debitæ ſit nullum, vel ſaltem maneat partialiter ſolùm ac imperfectè collatũ.

12 Dices. Impoſitio manuum non eſt de ſubſtantia Ordinis Presbyteratûs, vel Diaconatûs, ſed mera cæremonia Eccleſiaſtica; ergo fruſtrà jubetur cautè ſuppleri. Antecedens probatur ex verbis *cit. cap. ult. h. t.* ibi: *Ritu ab Apoſtolis introducto;* adeóque ea non requiritur ex inſtitutione Chriſti, qui auctor eſt Sacramentorum, horúmque eſſentialia inſtituit, atque materiam & formam determinavit. Reſp. Quidquid ſit de antecedenti, negando conſequentiã: nam in collatione Sacramentorum non ſolùm cautè ſupplenda ſunt, quæ ſpectant ad eorum ſubſtantiam; ſed etiam, quæ ex præcepto Eccleſiæ, ac præſertim Ritu ab Apoſtolis introducto, pertinent ad ſolemnitatem ipſorum, ne alioquin ex contemptu omitti videantur, ipſúmque Eccleſiæ præceptũ negligatur. Vivianus in *Rationali, cap. 1. & 3. h. t.* citans alios. Idque patet in Sacramento Baptiſmi, quod, ſi in caſu neceſſitatis, aut aliàs, validè fuit collatum absque ſolemnitatibus ex præcepto Eccleſiæ adhiberi ſolitis, iterari non debet, licèt ſuppleri debeant cæremoniæ illæ ſacræ, quas ex inſtitutione Eccleſiæ mos eſt Sacerdotibus adhibere; ut habetur *can. Spiritus. §. Ecce. I. q. 1.* Unde huc etiam facit illud jam allegatum ex Leg. penult. C. Ad Syllanianum: *Nihil actum eſſe credimus, cùm aliquid addendum ſupereſt.*

13 Additur notanter *quidquid ſit de antecedenti.* Quia licèt in confeſſo ſit, quòd prior illa manuũ impoſitio, quæ in ordinatione Presbyteri jam ante porrectionem Calicis, & Patenæ, fit tum ab Epiſcopo nihil dicente, tum ſucceſſivè ab omnibus Sacerdotibus præſentibus, juxta præſcriptum Pontificalis Romani, ſit mera cæremonia Eccleſiaſtica: tamen loquendo de altera manuum impoſitione, quæ fit ſub illis verbis, *Accipe Spiritum ſanctum* &c. ea pertinet ad ſubſtantiam Ordinis Presbyteratûs (ſicut & Diaconatûs) veluti materia partialis ipſius: quidquid contradicant Richardus *in 4. diſt. 24. art. 4. quæſt. 3.* Vaſquez in *part. 3. diſp. 238. n. 35.* Valentia, Sotus, & nonnulli alij, quos in oppoſitum citat Tannerus. *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 2. num. 61.*

14 Unde in forma reſpondendo, negatur antecedens. Ad probationem dicitur, impoſitionem manuum optimè dici *Ritum ab Apoſtolis introductum;* eò quod Chriſtus Dominus materiam Sacramenti Ordinis non determinaverit in particulari, ſive ſpecie infimâ, ſed tantùm in genere, nimirum ut conferatur per ſigna ſenſibilia, & verba, quæ ſufficienter ſignificant collationem poteſtatis ſingulorum Ordinum, relinquendo interim Eccleſiæ, ipsiſque Apoſtolis ejusdem conſtitutis à ſe Rectoribus, magis ſpecificam eorundem determinationem; prout uberiùs declaravi in Theologia Morali, *Tract. 14. diſt. 1. n. 20. & 21. diſt. 12. n. 36. & ſeqq.* Quia igitur Sancta Mater Eccleſia, juxta Ritum à Sanctis Apoſtolis introductum, determinavit impoſitionem manuum Epiſcopi pro materia partiali dictorũ Ordinum Diaconatûs, & Presbyteratûs; rectè eadem impoſitio cenſetur eſſe Ritus ab Apoſtolis introductus, ſimúlque materia partialis præfatorum Ordinum. Quamquam circa hoc ipſũ ſit notanda quædam differentia: nam, dum Diaconus ordinatur, Epiſcopus manum duntaxat dextram ſuper Caput ejus ponit; quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur, *can. Diaconus. diſt. 23.* juncto Pontificali Romano: in ordinatione Presbyteri autem Epiſcopus utramq; manum ponit ſuper Caput Ordinandi, ſub illa verborum forma: *Accipe Spiritũ ſanctum, quorũ &c.*

15 Reſp. II. Quando in ordinatione Presbyteri omiſſa eſt poſterior manuum impoſitio, quæ fit ſub illa verborum forma, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c.* non eſt iteranda tota ordinatio, ſed duntaxat cautè ſupplenda dicta impoſitio manuum, pronunciando ſimul debitam verborum formam; taliſque ſuppletio eſt facienda ſtatutis à Jure temporibus, quibus cæteroquin Ordines conferri ſolent. Ita habetur in *cit. cap. ult. h. t.* Et ratio eſt: quia Sacerdotium ex duabus partialibus ordinationibus perficitur, per quarum primam (quæ fit traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia, ſub debita verborum forma) traditur poteſtas in Corpus Chriſti verum, ſive *illud conſecrandi*; per alteram verò, quæ fit mediante dictâ manuum impoſitione, datur poteſtas in Corpus Chriſti myſticum, hoc eſt, *abſolvendi, & ligandi Fideles.* Atqui ex his duabus poteſt prior ſtare ſine poſteriori, licèt non econtrà; ergo, ſi hæc ſolummodò omittatur, ſufficit hanc ſupplere (& quidem eo tempore, quo Ordines ſolent conferri; cùm ſit quid acceſſorium ad illos, ſicque ſequatur naturam principalis) illa verò non erit iteranda, ne alioquin Sacramentum imprimens characterem reiteretur, ſaltem ex parte.

16 Minor probatur ex inſtitutione, atq; exemplo Chriſti Domini, qui Apoſtolis iã in ultima Cœna dedit poteſtatẽ conſecrandi Corpus, & San-

guinem ſuum; poteſtatem verò abſolvendi Fideles, primùm contulit eisdem poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem, *Joan.20*. Quod quidem ſuaviſſimè ab eodem fuit inſtitutum, ut hâc ratione nemo poſſet conſcientias Fideliũ in Sacramento Pœnitentiæ judicare, qui non poſſet priùs ſuum Sanctiſſimum Corpus & Sanguinem conficere: ſicque Fideles eò libentiùs conſcientias ſuas illi ſubijcerent, cui ipſemet Chriſtus ſeſe priùs ſubjecit conſecrandum, & manibus tractandum; prout jam notavi in Theologia Morali *cit. Tract. 14. diſtinct. 8. num. 7.*

17 Et quod hactenus dictum eſt de ſupplenda omiſsâ impoſitione manuum in Presbyteratu, idem ſervatâ proportione dicendum de omiſsâ impoſitione manûs dextræ Epiſcopi reſpectu Diaconatûs: nam iſta ſola, ſub debita verborum forma, erit reiteranda; non cæteræ cæremoniæ, ac ſolemnitates.

18 Nec obſtat, quòd juxta præſcriptum Pontificalis Romani, Diaconus ordinandus priùs accipiat impoſitionem manûs Epiſcopi ſub certis verbis, quàm traditionem libri Evangeliorum; ſicque omiſſo priori, videatur etiam reiterandũ poſterius, ut dictum in Presbyteratu. Non obſtat, inquam: quia in Presbyteratû poteſtas in Corpus Chriſti verum, ex Divina inſtitutione neceſſariò præſupponitur ad alteram poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ut proximè dictum eſt: talis autem neceſſaria præſuppoſitio unius poteſtatis ad aliam, orta ex Chriſti inſtitutione, nullibi legitur reſpectu Diaconatûs.

19 Quæritur IV. Quid agendum, ſi in conferendo Confirmationis Sacramento quiſpiam per errorem non Chriſmate, ſed oleo inungatur? Reſp. I. In tali caſu *non eſt aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.* Ita ad hoc dubium, ſibi propoſitum, reſpondet Innocentius III. in *cap. 1. h. t.* relatus.

20 Et quidem ex hoc textu non pauci Canoniſtæ inferunt, balſamum, ex quo ſimúlq; ex oleo conficitur Chriſma, non eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis, ſed ſolùm de neceſſitate præcepti: alioquin enim (inquiunt) non ſolummodò foret ſupplendus defectus Chriſmatis, ſed totum Sacramentum Confirmationis iterandũ, utpote priùs invalidè collatum; prout tenet Navarrus *cap. 22. Manualis, n. 8.* poſt Cajetanum *part. 3. quæſt. 72. art. 1.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 10. n. 4.* Barboſa *lib. 3. Juris Eccleſiaſt. univ. cap. 3 n. 29.* Vivianus *in Rationali Juris Canonici, cap. 1. §. Quia oleum. h. t.* Engel *eod. n. 4.* & nonnulli alij. Unde inferunt, cùm Eccleſia præcipiat, in collatione Sacramenti Confirmationis adhibendum eſſe Chriſma, quòd ſuppletio in dicto caſu non debeat fieri adhibendo ſolum balſamum (hoc enim non eſt Chriſma) ſed balſamum ſimul cum oleo; ita tamen ut verba eſſentialia Confirmationis non adhibeantur, vel ſaltem non cum intentione reiterandi Sacramentum, ſed duntaxat animo ſupplendi defectum. Engel *loc. cit. n. 5.* Verùm, quidquid ſit de probabilitate hujus ſententiæ,

Reſp. II. Quando in conferendo Sacramento Confirmationis per errorem adhibetur duntaxat oleum, oportet cautè ſupplere defectum privatim adhibendo Chriſma, eóq; confirmandum in fronte rurſus inungendo cum debita verborum forma, & intentione; ita tamen, ut aliæ cæremoniæ accidentales, putà, nova adhibitio patrini, alapæ, & hujusmodi ſemel ſolemniter adhibitæ, poſtmodùm omittantur. Ita Layman *lib. 5. Theolog. Moral. cap. 2. n. 1.* & Pirhing *h. t. n. 3.* & alij. Ratio eſt: quia, ut habet cõmunior, & probabilior Theologorum, Chriſma ex oleo & balſamo confectum, adeòque ipſius balſami admixtio eſt materia eſſentialiter requiſita Sacramenti Confirmationis; ergo, ſi ea per errorem omittatur, Sacramentum omnino eſt invalidum; ſicque talis defectus privatim, ſeu cautè erit ſupplendus.

Antecedens probatur imprimis ex verbis formæ dicti Sacramenti, quæ talis eſt: *Signo te ſignô crucis, & confirmo te chryſmate ſalutis, in nomine Patris* &c. Nam hæc verba forent falſa, ſi ſolum oleum per errorem adhiberetur; cùm iſtud non ſit Chriſma. Concordat Concilium Trident. in Decreto Unionis, ubi ait: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Quibus verbis palàm confitetur Concilium, quòd ſicut tam oleum, quàm balſamum propriam habet myſticam ſignificationem, ita etiam utrumque æqualiter ingrediatur conſtitutionẽ Chriſmatis, quod eſt materia eſſentialiter requiſita hujus Sacramenti. Idémque patet ex perpetua praxi, & uſu Eccleſiæ, pro materia hujus Sacramenti Chriſma, ex oleo & balſamo confectum, adhibentis: unde etiam Scotus *in 4. diſt. 7. quæſt. 1.* aliiq; Theologi paſſim, definiunt Sacramentum Confirmationis per ſacri Chriſmatis in fronte inunctionem.

Neque urget textus *in cap. 1. h t.* jam allegatus. Quia imprimis in dicto caſu, juxta noſtram Concluſionem, non iterantur ſolemnitates accidentales, quæ jam ſemel fuerunt adhibitæ. Deinde nec etiam iteratur Sacramentum Confirmationis, utpote anteà invalidè collatum, ob ſubſtantialem defectum materiæ eſſentialiter requiſitæ; ſed primùm ritè confertur, privatim cautéq; ſupplendo memoratũ defectum Chriſmatis. Et ſic undequaque ſatisfit ordinationi Innocentij Papæ III. ibidem expreſſæ; ſimúlque obſervatur praxis Eccleſiæ univerſalis, Sacramentum Confirmationis per Chriſmatis unctionem in fronte factam conferentis.

Quæritur V. An iterandum ſit Sacramentum extremæ Unctionis, ſi per errorem Chriſma pro Oleo infirmorum adhibeatur? Ubi notandum, quòd juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ, Epiſcopus in Cœna Domini tria Olea benedicere, eáque Presbyteris in tribus ampullis ſecum deferenda tradere ſoleat.

Primum dicitur *Chriſma*, ex oleo & balſamo confectum. Quod adhibetur nõ ſolùm per Epiſco-

ſcopum in Sacramento Confirmationis, & conſecratione Epiſcoporum, Eccleſiarum, Altarium, & Calicum; ſed etiam per Presbyterum in ſolemni collatione Baptismi, dum jam baptizatum ungit ſancto Chrismate in vertice, atque etiam in benedictione Fontis, ſeu Aquæ Baptiſmalis.

Alterum eſt *Oleum Catechumenorum* Cujus uſus potiſſimus eſt in ſolemni Baptismo: quamvìs etiam adhibeatur in ordinatione Sacerdotum, in conſecratione Eccleſiarum & Altarium, & in benedictione Fontis, ſeu Aquæ Baptismalis, atque in Unctione Imperatoris, & Regum; ut *cap. un. de Sacra Unction. & c. Venerabilem. de Elect.* & ampliùs liquet ex Pontificali Romano.

7 Tertium vocatur *Oleum infirmorum*, cujus uſus eſt in extrema Unctione. Porrò iſtud Oleum naturaliter, & in ſubſtantia, non differt ab Oleo Catechumenorum, ſed tantùm propter diverſas benedictiones, orationes, & cæremonias, quæ in eorum Benedictione ſolemni, juxta præſcriptum Pontificalis Romani, adhibentur: Chrisma verò, præter ſpeciales ritus illud benedicendi, continet tum oleum, tum balſamum, ex quibus conficitur. His prænotatis

8 Reſp. I. Licèt præſens quæſtio non careat difficultate, eò quòd juxta ritum Eccleſiæ, ejúsq; moralem exiſtimationem, reverà unum oleum diſtinguatur ab altero: adhuc tamen probabilius eſt, ſi in Sacramento extremæ Unctionis pro Oleo infirmorum adhibeatur Chrisma, per hoc non impediri validitatem hujus Sacramenti; ac proinde nihil eſſe iterandum. Ita Suarez *part. 3. tom. 4. diſp. 40. ſect. 1.* aliíque plures. Ratio eſt: quia mixtio balſami, cùm ſit modica (uti ſupponitur, ac fieri ſolet in confectione Chrismatis) non deſtruit naturam olei; ergo in ſubſtantia remanebit verum oleum ab Epiſcopo benedictum. Et quamvìs extra caſum neceſſitatis, ob admixtionem balſami, eo uti non liceat; ſi tamen per errorem, aut aliàs adhibeatur, Sacramentum validè adminiſtrabitur: prout in ſimili, ſi vino conſecrando admiſceatur aqua, vel alius liquor non corrumpens ſubſtantiam ejus, vinum idcircò non deſinit eſſe materia ſufficiens conſecrationis Calicis.

29 Nec obſtat diverſus ritus benedictionis. Tum quia Chrisma reverà eſt oleum benedictum ab Epiſcopo: diverſus autem ritus benedicendi Oleum infirmorum, probat ſolùm neceſſitatem præcepti, non neceſſitatem Sacramenti: hoc eſt, quòd Oleum alio ritu ab Epiſcopo benedictum, ut puta Chrisma, extra caſum neceſſitatis non poſſit pro extrema Unctione licitè adhiberi; ſecùs, validè. Tum quia *in c. Quod in dubijs. de Conſecrat. Eccleſ.* dicitur, quòd oleum non conſecratum poſſit comiſceri oleo conſecrato, nec tamen hujus conſecratio tollatur: idem ergo dicendum, ſi oleo parva quantitas balſami fuerit admixta.

30 Quæritur VI. Utrùm ſepulti à Schismaticis debeat exhumari, aut veſtes Sacerdotales iterùm benedici, vel Altaria conſecrari, cum quibus, vel in quibus degradati Presbyteri celebrârunt? Reſp. negativè; prout ad propoſitam hanc quæſtionem reſpondit Pontifex in *cap. 2. h. t.* illis verbis: *Reſpondemus, quòd non credimus ob hoc duntaxat ſepultos hujusmodi exhumandos, aut debere indumenta talia iterùm benedici, vel reconſecrari Altaria ſuprà dicta.* Accedit ratio: quia per celebrationem Schismatici, aut degradati Presbyteri, veſtimenta Sacerdotalia, atque Altaria non polluuntur, neque execrantur (nullo enim jure id cautum reperitur) ergo non debent denuò benedici, ſeu conſecrari; alioquin quippe fieret injuria priori conſecrationi, utpote adhuc duranti, *can. Oſtenditur. de Conſecr. diſt. 4.* Hinc in *can. Eccleſijs. de Conſec. diſt. 1.* generaliter dicitur, quòd Eccleſiæ (idémque dicendum de Altaribus, veſtibus Sacerdotalibus, ac hujusmodi) non ſint reconſecrandæ, niſi in caſibus à Jure expreſſis. Occaſione cujus incidentaliter

Quæritur VII. Utrùm Calix conſecratus, ſi 31
poſteà deauretur, indigeat novâ conſecratione? Ratio dubitandi, ac negativam ſententiam tenendi, eſt: quia conſecratio non eſt iteranda, niſi in caſibus à Jure expreſſis, ut proximè dictum: atqui Calicem, ſi deauretur, eſſe denuò conſecrandum, nullo Jure habetur expreſſum; ergo. Accedit, quòd per deaurationem non immutetur forma Calicis: unde ſicut Eccleſia non eſt denuò conſecranda, licet muri ejus dealbentur, aut novo cæmento obducantur, *arg. cit. can. Eccleſijs. de Conſec. diſt. 1.* ita neque Calix erit iterùm conſecrandus, licèt poſteà deauretur. Inſuper quando Calix conſecratur, & ſacro Chrismate intrinſecùs perungitur, non ſola ejus interior ſuperficies conſecrata cenſetur, ſed totus Calix; ergo additâ novâ ejus ſuperficie per deaurationem, non videtur neceſſe ipſum de novo conſecrare: quia major pars ſacra trahit ad ſe minorem, nempe totus Calix ſuperficiem, veluti acceſſoriam, eámque reddit ſacram, *c. Quod in dubijs. de Conſecrat. Eccleſ.* Et hinc ipſa quoque Corporalia non indigent novâ benedictione, quamvìs laventur, ac intrinſecùs novo amylo obducantur, & indurentur. Quinimò neque ipſe Calix indiget nova conſecratione, licèt per uſum diuturnum amiſerit deaurationem; uti tenent pleríque Doctores. Atque ideò hanc ſententiam valdè probabilem cenſet Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 7.* citans Guil. Durandum *in Rationali. lib. 1. cap. 6. num. 36.* & Coninch *de Sacramentis. quæſt. 83. art. 3. dub. 3. n. 246.* idémque tradunt Diana *part. 2. reſolut. moral. tract. 1. Miſcell. reſol. 3.* & nonnulli alij. Verùm his non obſtantibus,

Reſp. I. Probabilius eſt, quòd Calix per de- 32
aurationem amittat conſecrationem; atq; ideò ſit reconſecrandus, quando deauratur quoad illam partem, ſeu ſuperficiem, quæ imediatè tangit Sanctiſſimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti: idémque dicendum de Patena. Ita Angelus *v. Calix. num. 2.* dicens, ſic ſervare conſuetudinem. Suarez *tom. 3. diſp. 81. ſect. 3.*

Sà,

Sà. ℣. *Calix. num.* 2. dicens,quòd quidem Calici non pereat conſecratio , ſi deauratio per uſum decidat;ſi tamen de novo deauretur, ſoleat iterum conſecrari. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 27. *n.* 38. citans inſuper Sylveſtrum, Armillam,Azorium,pluréſque alios.

33 Ratio eſt: quia conſecratio Calicis, & Patenæ,principaliter fit propter immediatum contactum Sacramenti Corporis,& Sanguinis Chriſti; unde & illa ſola pars,ſeu ſuperficies,in qua fit contactus ille,ſacro Chriſmate perungitur:atqui poſitâ novâ deauratione , contactus ille nequit ampliùs fieri in parte,ſeu ſuperficie conſecrata; cùm aurum noviter additum, non ſit conſecratum,nec Chriſmate delibutum; ergo. Accedit praxis Eccleſiæ, & recepta conſuetudo Calices deauratos denuò conſecrandi, quæ eſt optima legum interpres, & de qua teſtantur memorati Authores.

34 Nec obſtant rationes in contrarium *num.* 31. allatæ. Ad primam quippe negatur minor: nam Jure cautum eſt, ut propter contactum Sanctiſſimi Sacramenti Calices conſecrentur; ſicque amiſsâ per deaurationem conſecratione (ob rationes allegatas) oportet aliam adhibere. Ad alteram negatur aſſumptum: Licèt enim per deaurationem non immutetur forma exterior Calicis,immutatur tamen pars principalis,ſeu interior ipſius,in qua fit immediatus contactus Auguſtiſſimi Sacramenti; ſicque opus eſt novâ conſecratione,atque inunctione Chriſmatis. Nec urget exemplum de Eccleſia, ejúſq; parietibus: nam hîc non intervenit talis contactus immediatus; quamvìs, ſi parietes Eccleſiæ totaliter decruſtentur,opus fore reconſecratione, teneat Gloſſa *in can. Eccleſijs. de Conſec. diſt.* 1. de quo tamen judicent alij.

Ad tertiam negatur conſequentia , cum ſua probatione. Nam major pars trahens ad ſe minorem, non cenſetur ea,quæ eſt major quantitate molis,ſed quæ eſt principalior,ſeu dignior; qualis impræſentiarum eſt ſola pars interior Calicis,ac ſuperior Patenæ, immediatè tangens Sanctiſſimum Sacramentum: unde argumentum militat in oppoſitum. Porrò inſtantia de Corporalibus parùm urget: ea enim neque Chriſmate inunguntur, ut Calix, & Patena; neque per lotionem accipiunt novam aliquam partem,quæ principaliter ordinetur ad tangendum immediatè Auguſtiſſimum Sacramentũ: prout accidit in Calice interiùs deaurato:amylum quippe ſolummodo inducitur ad Corporalis decorem, illúdque aliqualiter indurandum. Atque eâdem de causâ haud immeritò dicitur, quòd Calix non perdat conſecrationem, quando deauratio ſolùm decidit per non uſum, nulla autem nova portio auri per deaurationem accedit: quia tunc nihil intervenit, quod nondum fuit conſecratum, ſicque conſecratione opus habeat; prout tamen fit in caſu noſtro.

TITULUS XVII.

De Filijs Presbyterorum ordinandis, vel non?

SUMMARIUM.

1. *Quinque Ordinum impedimenta ſequentibus Titulis tractantur.*
2. *Illegitimorum plures ſunt ſpecies.*
   Filius naturalis, quis? Ibid.
   Manzer, Nothus, & Spurius, quis? Ibid.
3. *Natus menſe ſeptimo matrimonij, aut undecimo poſt, an cenſeatur legitimus?*
4. *Omnes illegitimi prohibentur ordinari. Et num. ſeqq.*
   Et hujus ratio. Ibid.
5. *Filij Presbyterorum ante Sacerdotium ex juſtis nuptijs procreati, poſſunt ordinari.*
   Imò nonnulli horum ad Summum Pontificatum fuerunt aſſumpti. Ibid.
6. *Filius Sacerdotis Græci licitè ordinatur: ſecùs de Latinis; & cur?*
7. *Illegitimus, ſi Religionem ingrediatur, poteſt ordinari; non verò ad Prælaturam aſſumi.*
   Eſt inhabilis ad Cardinalatum, etiamſi per ſubſequens Matrimonium legitimetur, aut diſpenſetur. Ibid.
8. *Papa, & cui is commiſerit, poteſt diſpenſare cum illegitimis.*
9. *Cum illegitimis diſpenſat Epiſcopus quoad Ordines minores, ac Beneficium ſimplex:*
   Sed ſolus Papa quoad Ordines majores, Beneficia curata, Dignates, & Perſonatus. Ibid.
10. *Atque Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium. Et num. 8.*
11. *Quoad Canonicatus tamen Eccleſiarum Collegiatarum diſpenſat Epiſcopus.*
12. *Niſi ipſis, vel alijs Beneficijs ſimplicibus, jure ſpeciali ſit annexus Ordo ſacer.*
13. *Vel pater illegitimi in tali Eccleſia Beneficium habuerit.*
14. *Nec poteſt Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare quoad pluralitatem Beneficiorum ſimplicium.*
15. *Capitulum Sede vacante poteſt diſpenſare cum illegitimis, ſicut Epiſcopus.*
16. *Diſpenſatio cum illegitimis, eſt ſtrictæ interpretationis.*
17. *Ita ut in ea non valeat argumentum à majori ad minus &c.*
18. *Unde illegitimus ſimpliciter diſpenſatus ad Beneficium, non poteſt obtinere niſi unicum.*
19. *Simúlque ſimplex tantummodò, non curatum.*
20. *Ac ſimpliciter diſpenſatus ad Ordines, cenſetur duntaxat diſpenſatus ad minores: ſecùs, ſi diſpenſetur ad Ordines ſacros.*
21. *Diſpenſatus ad Ordines, non cenſetur diſpenſatus ad Beneficium, etiam ſimplex.*
22. *Et quid de diſpenſato ad Ordines ſacros?*
23. *Utrùm Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimis virtute Concilij Tridentini, quando eorum illegitimitas eſt occulta? Et num. ſeqq.*
24. & 25. *Afferuntur rationes pro ſententia negativa.*
26. & 27. *Sententia affirmativa, veluti probabilior, pluribus propugnatur.*
   Natus ex matrimonio bonâ fide contracto, ſed invalido, non eſt illegitimus. Num. 26. & 29.
28. *Poteſtas diſpenſandi eſt favorabilis; diſpenſatio odioſa, & reſtringenda.*
29. *Solvuntur rationes ſententiæ negativæ.*
30. *Filius illegitimus nequit in Eccleſia, ubi pater ejus Beneficium habet, vel habuit, quodcunque Beneficium obtinere.*
31. *Nec etiam Sacriſtam, Muſicum, aut alium Miniſtrum agere.*
32. *Etiamſi fuerit illegitimè natus ante Clericatum parentis.*
33. *Filius etiam legitimus Sacerdotis, nequit immediatè ſuccedere in Benficio paterno.*
34. *Benè tamen mediatè.*
35. *Poteſt etiam aliud diſſimile Beneficium habere in Eccleſia, in qua pater miniſtrat.*
36. *Solus Papa diſpenſat, ut filius immediatè ſuccedat patri in Beneficio?*
37. & 38. *An ab immediata ſucceſſione in Beneficijs, etiam excludantur Conſanguinei prioris Beneficiarij.*
39. *Ac pater reſpectu filij ſui legitimi?*
40. *Et Nepotes reſpectu Avi?*
41. *Filiorum appellatione, an contineantur Nepotes?*
   Liberorum, & Poſterorum appellatione comprehenduntur Nepotes, etiam in materia odioſa. Ibid.

1 Viſo hactenus de Ordinationibus, & qualitatibus Ordinandorum, ſimul & Præficiendorum; pergit Compilator Juris Canonici ad enumeranda eorundem impedimenta, quorum præcipua quinque in hoc, & ſequentibus Titulis pertractantur. I. Defectus natalium, qui dicitur *Vitium originis*. II. Conditio ſervilis. III. Obligatio ad ratiocinia. IV. Vitium corporis. V. Bigamia. Igitur in præſenti Titulo fit initium ab ijs, qui ob defectum natalium ordinari prohibentur: nam licèt præſens Rubrica

brica de ſolis Filijs Presbyterorum faciat mentionem, nihilominùs idem Titulus in ſexto Decretalium generaliter inſcribitur: *De Filijs Presbyterorum, & alijs illegitimè natis.* Hinc

2 Quæritur I. Quinam omnes ex defectu natalium ab Ordinibus repellantur? Reſp. I. *Illegitimorum*, hoc eſt, eorum, qui non ex juſtis nuptijs, ſed extra matrimonium naſcuntur, plures ſunt ſpecies: nam ſi quis ſit natus ex parentibus ſolutis, inter quos tempore conceptionis, vel ſaltem nativitatis ſuæ, poterat conſiſtere matrimoniũ, ſpectato Jure Canonico dicitur *Filius naturalis*; quamvìs de Jure Civili ſolus ille dicatur *Filius naturalis*, qui natus fuit ex concubina domi retenta loco uxoris, & non ex furtivo acceſſu. Abbas *c. Innotuit. n. 17. de Election.* Si autem quis ex ſcorto, ſeu publica meretrice ſit natus, ſolet vocari *Manzer*, ſeu (ut alij legunt) *Manſer.* Si ex conjugato & ſoluta, dicitur *Nothus.* Si ex copula in Jure Civili damnata, veluti ex raptu, inceſtu, ſtupro, vel ſacrilegio, dicitur *Spurius*, à ſpurcitia per Leges reprobata. Ita Barboſa de *Offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 45. n. 18.* quamvìs Gloſſa in *c. Niſi cùm pridem. ℣. Manzeres. de Renunciat.* cum nonnullis alijs, dictos terminos paulò aliter explicet.

3 Solùm nota, quamvìs ordinarium tempus pariendi cenſeatur eſſe novem menſium, ſi quis tamen ex juſtis nuptijs ſeptimo menſe natus fuerit, ipſum cenſeri legitimum filium, per textum expreſſum in *l. Septimo. ff. de Statu hominum.* Idque non tantùm de completo ſeptimo menſe intelligendum eſt, ſed etiam de inchoato: prout de eo, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, habetur deciſum *l. Inteſtato. ff. de Suis & legitimis filijs.* Major difficultas eſt de nato poſt decem menſes mortis mariti: nam talis non admittitur ad hæreditatem *cit. l. Inteſtato.* Simúlque mulier, quæ peperit undecimo menſe perfecto poſt mortem viri, cenſetur incaſta, & partus illegitimus, *Auth. De Reſtitut. & ea quæ parit &c. Collat. 4.* additâ eâ ratione: *Neq; enim in tantũ, tempus conceptionis extenſũ eſt.* Verùm Gloſſa hîc, *℣. Perfecto*, fatetur, quòd per decem menſes, & duos dies, poſſit mulier portare filium in utero, licèt non plus. Sed de hoc alibi, nempe *Lib. 4. tit. 17. Qui filij ſint legitimi*: ubi etiam reſtat declarandum, qualiter filij illegitimi per ſubſequens matrimonium legitimentur.

4 Reſp. II. Non ſolùm filij Presbyterorum in Sacerdotio ſacrilegè geniti, ſed & omnes alij illegitimi prohibentur ordinari: niſi vel Religionem approbatam ingrediantur, vel cum aliquo ritè fuerit diſpenſatum. Patet id *ex cap. 1. h. t. & cap. 1. eod. in 6.* cum concordantijs. Idque ſtatutum fuit tribus potiſſimùm de cauſis, quas affert Gloſſa *in cap. ult. ℣. Defectu. h. t. in 6.* ſalubriter Jure Canonico conſtitutum fuit; quòd illegitimi non ordinentur. Primò, ob Ordinis prærogativam, ſeu excellentiam, atque dignitatem: unde indignum cenſetur, ut conferatur perſonis tam vilibus, infamibus, & quæ notam turpitudinis contraxerunt. *c. Inter dilectos. 11. de Exceſſib. Prælat.* Deinde ob deteſtationem, atque execrationem paterni criminis, quod punitur in filio, ut per hoc puniatur ipſemet pater, *arg. l. Iſti quidem. §. fin. ff. De eo, quod metus cauſa. & c. Vergentis. 10. de Hæretic.* Tertiò, propter incontinentiam paternam, quæ timetur in filio, *arg. can. Si gens. diſt. 56.* & concordat illud vulgatum: *Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri.* Ex his conſurgit alia ratio, videlicet ſcandalum illorum, inter quos illegitimus ordinatus converſatur: ſimúlque, quia indecens eſt, ut incaſti parentis memoria continuò per liberos in Eccleſia repræſentetur, *c. Cùm decorem. 16. h. t.* juncto Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 15. de Reform.*

Dicitur notanter num. 4. *Filij Presbyterorum in Sacerdotio ſacrilegè geniti.* Nam, qui ante ſuſceptionem ſacrorum Ordinum ex juſtis nuptijs procreati ſunt, omni jure cenſentur legitimi, ac proinde neque ab Ordinum ſuſceptione arcentur. 5
Quin etiam nonnulli tales leguntur ad Sūmum Pontificatum aſſumpti; ut S. Agapitus I. Gordiani Epiſcopi Cardinalis ex legitimo matrimonio filius, Romanus: ac Cælius Silverius, filius Hormiſdæ Papæ ex legitimo thoro, prout inter alios notat Bullarium Romanum *in Summario Vitæ dictorum Pontificum.*

Quinimò data reſponſio eſt intelligenda de filijs ſacrilegè genitis. Nam filius Sacerdotis Græci, qui juxta ritum Græcorum uxorem duxit in Ordinibus minoribus conſtitutus, licitè ordinatur, & ceſſante ſcandalo promovetur etiam inter Latinos; ut *c. Cùm olim. 6. de Cleric. conjugat.* Secùs dicendum inter Latinos: nam, quia in Eccleſia Latina Ordo ſacer habet annexum votum continentiæ, ſicq; uxore ante ſuſceptos ſacros Ordines legitimè ductâ, poſteà uti non licet, *can. Placuit. diſt. 32.* cum ſimilibus: hinc in Sacerdotio contra tale votum genitus, etiam de uxore legitima, nequit ad Ordines, vel Beneficia promoveri abſque diſpenſatione, *c. Litteras. 14. h. t.* 6

Additur etiam num. 4. *Niſi vel Religionem ingrediantur, vel cum aliquo ritè fuerit diſpenſatum.* 7
Quia illegitimus, ſi fiat Religioſus, licitè poteſt ordinari, etſi ad Prælaturam aſſumi nequeat; prout habetur deciſum *in can. Presbyterorum, diſt. 56. & cit. cap. 1. h. t.* Nam per ſuſceptionem Religionis, ab Eccleſia approbatæ, habilitatur quidem aliquis ad ſuſcipiendos Ordines, non tamen ad obtinendam Prælaturam; idque ob ſpecialem hujus prærogativam, & excellentiam. Quod procedit juxta Gloſſam *ibid. ℣. Prælationem*, niſi quoad obtinendam Prælaturam cum tali legitimè per Sedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatum. Deinde, quòd illegitimi ritè diſpenſati poſſint ad ſacros Ordines, imò & ad Beneficia Eccleſiaſtica promoveri, in confeſſo eſt: quamquàm loquendo de Cardinalatu, extet Bulla Sixti V. quæ incipit, *Poſtquàm verus* (& habetur *Tom. 2. Bullarij Romani, Conſtit. 50. dicti Pontif.*) in qua idem Pontifex decrevit,

crevit, quòd illegitimi etiã per ſubſequens matrimonium legitimati, aut ſuper defectu Nataliũ auctoritate Apoſtolicâ diſpenſati, ad obtinendã Cardinalatûs dignitatẽ perpetuò ſint inhabiles. Verùm occaſione præmiſſorum,

8 Quæritur II. Quis poſſit cum illegitimis diſpenſare ad Ordines, atque Beneficia Eccleſiaſtica? Reſp. I. Ad Ordines maiores, atque Beneficia curata, ſicut & ad Dignitates, Perſonatus, atque Canonicatus Cathedralium Eccleſiarum, diſpẽſat cum illegitimis ſolus Papa, & cui is hanc facultatem ex ſpeciali privilegio conceſſerit: ad Ordines verò minores, atque Beneficia ſimplicia, jure ordinario poteſt cum ipſis, ex quocunque damnato coitu ſint procreati, etiam diſpenſare Epiſcopus, dummodò aliud non obſtet. Ita Barboſa *Part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 45. n. 19. & ſeqq.* & alij paſſim. Ratio eſt: quia irregularitas ex defectu nataliũ proveniens, eſt juris duntaxat poſitivi humani, ſeu Eccleſiaſtici; ergo poſſe in ipſa diſpenſare Papam, & quibus ipſe commiſerit, non eſt aliquatenùs dubitandum: atqui ſpectato jure ordinario, & ſecluſo ſpeciali privilegio, Papa ſolummodò conceſſit Epiſcopis facultatem diſpenſandi ex rationabili cauſa cum illegitimis quoad Ordines minores, ac Beneficia ſimplicia, non autem quoad alia; ergo.

9 Subſumptum iſtud probatur ex *cap. 1. h. t. in 6.* ubi expreſsè conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi cum illegitimis (ſi eis aliud canonicum non obſiſtat) ut ad Ordines minores, & Beneficium non curatum promoveri valeant: ſimul tamen ſubjungitur, quòd ad Ordines majores, vel Beneficia curam animarum habentia, nequeant diſpenſare Epiſcopi, ſed ſit opus diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. Concordat *cap. ult. h. t.* ubi pariter illegitimi abſque diſpenſatione Papæ ad Dignitates, Perſonatus, & Beneficia curam animarum habentia promoveri prohibentur: &, ſi ſecùs attentatum fuerit per Epiſcopum, declaratur collatio invalida, & amotis illegitimis aliæ perſonæ idoneæ promoveri jubentur.

10 Atque hoc ipſum eſſe dicendum de Canonicatibus Eccleſiarum Cathedralium, utpote qui propter ſpecialem prærogativam honoris annumerantur majoribus Beneficijs, deſumitur ex *c. Quamvis. 4. de Præbend. in 6.* ac tenet Rubuffus *in praxi benefic. tit. de Diſpenſatione ſuper defectu natalium, num.* 10. citans alios. Accedit, quòd defactò poſt Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium requirant ſacrum Ordinem; ergo, cùm Epiſcopus cum illegitimis nequeat diſpenſare quoad Ordinem ſacrum, ut proximè dictum, neque ad Canonicatum Cathedralẽ diſpenſare valebit. Unde non urget, quòd olim contrarium tenuerit Gloſſa *cap. un. ℣. Beneficium. h. t. in 6.* quam nonnulli alij ſunt ſecuti: nam horum ſententia probabiliter ante Concilium Tridentinum, ac ſpectato Iure antiquo teneri poterat; non tamen defactò, ac poſt dictum Concilium. Barboſa *de Canonicis & Dignitatib. cap. 13. n. 26.* citans alios.

11 Secùs eſt dicendum de Canonicatu Eccleſiæ Collegiatæ. Nam, cùm is non neceſſariò habeat annexum Ordinem ſacrum, neque annumeretur Dignitatibus, aut Perſonatibus, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illegitimis ad obtinendum Canonicatum in Eccleſia Collegiata, rectè obſervat Zerola *in praxi Epiſcoporum, part. 1. ℣. Canonia. n.* 3. Garcias *de Beneficijs. part. 7. cap. 2. n. 69.* Barboſa *in cit. cap. 13. n. 25. & part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 45. n.* 20. cum pluribus alijs, quos citat.

12 Notanter tamen additur num. 8. *Dummodò aliud non obſtet.* Dantur enim certi caſus, in quibus Epiſcopus nequit diſpenſare cũ illegitimis etiã quoad obtinendum ſimplex Beneficium. Et primò id accidit, quoties eiuſmodi Beneficia ſimplicia ex privilegio, conſuetudine, vel Statuto particulari locorum, requirunt Ordinem ſacrum: quia cũ in tali Ordine nequeat diſpenſare Epiſcopus cum illegitimis, ergo nec in Beneficio, quod talem Ordinẽ requirit. *arg. c. Tranſlato. 3. de Conſtitut.* ac notat Gloſſa *in cap. 1. ℣. Tale. h. t. in 6.*

13 Deinde nequit Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo quoad obtinendum Beneficium ſimplex, in quo pater immediatè anteceſſit: nam aliunde prohibitum eſt, ne filius imediatè ſuccedat patri in Beneficio, ut *c. Quoniam.* 10. *h. t. & c. Ad extirpandas.* 11. *h. t.* ac notat Gloſſa *loc. cit.* Atque iſtud defactò procedit de obtinendo quocunque Beneficio, etiam diſſimili, vel alio miniſterio in Eccleſia, in qua pater illegitimi Beneficium habet, vel habuit, juxta novum Decretum Concilij Trident. *Seſſ. 25. cap. 15. de Reform.* nam contra iſtud Epiſcopus non habet facultatẽ diſpenſandi.

14 Inſuper non poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ſuper pluralitate Beneficiorum ſimplicium, ſed duntaxat ad obtinendum Beneficiũ unicum, *arg. cap. 1. h. t. in 6.* utpote quod loquitur in ſingulari, ibi: *Ex diſpenſatione Epiſcopi licitè poteſt -- obtinere Beneficium.* Et ſic cùm ſimus in materiâ Prohibitoriâ, ſeu generaliter interdictâ, cenſetur dicta facultas diſpenſandi Epiſcopis conceſſa, non extendi ad plura; ut *c. Gaudemus. §. Quia vero de Divortijs,* ac notat Barboſa *cit. allegat. 45. n.* 28. Garcias *cit. lib. 7. cap. 2. n.* 50. Zerola *part. 1. Praxis Epiſc. ℣. Ordo. circa finem,* & alij communiter, paucis exceptis. Concordat *c. Si is. 2. h. t. in 6.* junctâ Gloſsâ *℣. Sedem.*

15 Reſp. II. Capitulum Sede vacante poteſt diſpenſare cum illegitimis, ſicut poterat Epiſcopus. Ita Navarrus *Conſil. 7. de filijs Presbyter.* Zerola *part. 2. Praxis Epiſc. ℣. Capitulum. §. Tertiò.* Barboſa *loc. cit. n.* 25. allegans alios. Ratio eſt: quia Capitulum Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in omnibus illis, quæ ſunt ordinariæ jurisdictionis, præterquàm in caſibus ſpecialiter exceptis: atqui poteſtas diſpenſandi cum illegitimis, ut ſuprà, pertinet ad ordinariam poteſtatem Epiſcopi, neque caſus iſte alicubi reperitur ſpecialiter exceptus; ergo.

16 Quæritur III. Utrùm diſpenſatio cum illegitimis ſit ſtrictæ interpretationis, & qualiter? Reſp.

I. Certum eſt, quòd ejusmodi diſpenſatio ſit ſtrictæ interpretationis; cùm cenſeatur vulnus juris, ac proinde, veluti odioſa, ſit ſtrictè accipienda. Patet hoc ex *cap. I. §. fin. h. t. in 6.* ubi de facta tali diſpenſatione cum illegitimo ad obtinendum Beneficium curatum, Pontifex inquit: *Quam exorbitantem à jure oportet veluti odioſam reſtringi.* Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 2. de Conſtitutionibus* §. 18. *num. 451. & ſeqq.*

17. Reſp. II. Diſpenſatio cum illegitimis adeò eſt ſtrictæ interpretationis, ut in ea non valeat argumentum à majori ad minus, vel ad ſimile; niſi quando iſtud minus comprehenſivè ac neceſſariò includitur ſub illo majori, aut neceſſariò conſequitur ad illud, ſuper quo fuit diſpenſatũ. Ita Gloſſa *can. Si quis in Clero. 7. q. I. ℣. Solemnibus.* Barboſa *ead. allegat.* 45. *n. 2.* citans alios; & concordant dicta ſuperiùs *cit. Tit. 2. §. 18. num. 451. & 454.*

18. Infertur proinde primò, quòd illegitimus ſimpliciter diſpenſatus ad Beneficium, poſſit obtinere duntaxat unicum, non autem duo ſimul, *cit. cap. I. §. Ille verò. h. t. in 6.*

19. Infertur ſecundò, quòd diſpenſatus ſimpliciter ad Beneficium, valeat ſolummodò obtinere ſimplex, non autem Beneficium Curatum, Dignitatem, aut Perſonatum. Barboſa *ibid. n. 7.* Garcias *de Beneficijs, part. I. cap. 6. n. 59.* citans Rotã *deciſ. 2. de filijs Presbyt. in novis.* Rubuffus *cit. tit. de Diſpenſatione ſuper defectu natalium. n. 51. & ſeqq.* & alij, paucis exceptis. Ratio eſt, tum quia diſpenſatio ejusmodi, veluti odioſa, eſt ſtrictè interpretanda, ſicq; ly *Beneficium* ſimpliciter poſitum, pro ſolo ſimplici accipi debet, *arg. cap. ult. h. t. & cap. I. eod. in 6. & c. Quamvis pleniſſima. 4. de præbend. in 6.* Tũ quia major requiritur idoneitas in Beneficio curam animarum annexam habente, quàm in ſimplici, *c. Cùm in illis, 16. de Præbend. in 6.* Simúlque, quia in materia odioſa nomine Beneficij, non comprehenduntur Canonicatus, & Dignitates, idque ob majorem horum prærogativam, niſi ſpecialiter exprimantur, ut *c. Statutum. 22. de Elect. in 6.*

20. Infertur tertiò, quòd illegitimus ſimpliciter diſpenſatus ad Ordines, intelligatur duntaxat diſpenſatus ad Ordines minores, *arg. cap. ult. h. t. in 6.* junctâ Gloſsâ marginali *ibid.* & aliâ Gloſâ in *c. Litteras. 14. ℣. Ordinari. h. t.* Nam quia diſpenſatio eſt ſtricti juris, ſtrictéque interpretanda, ſufficit, quòd diſpenſatio facta ad Ordines effectum ſuũ ſortiatur in minoribus Ordinibus, Rebuffus *loc. cit. n. 47.* Barboſa in *Tract. de Appellativa verborum ſignificat. ℣. Ordo. n. 1.* citans alios. Quòd ſi quis verò diſpenſetur quoad Ordines ſacros, hoc ipſo cenſetur etiam diſpenſatus quoad minores, utpote qui neceſſariò prærequiruntur ad illos licitè recipiendos. Barboſa *cit. allegat. 45. n. 5.*

21. Inſuper diſpenſatio cum illegitimis facta quoad Ordines, non extenditur ad Beneficia: quia hæc duo ſunt ſeparabilia, atq; executio Ordinũ poteſt ſtare ſine Beneficio. Et hoc quidem plerique Doctores extendunt ad quodcunque Beneficium etiam ſimplex, ob rationes hactenus allegatas. Barboſa *loc. cit. n. 6.* Garcias *d. part. I. cap. 6. n. 70. & ſeqq.* citans alios: ac proin cautè in impetratione, & conceſſione talium diſpenſationum ſit expreſſa etiam mentio Beneficij conſequendi.

Fatendum tamen, quòd Oldradus *Conſil. 215. §. Quædam.* citans Inocentium *in cap. ult. h. t.* nonũlli alij velint, quòd diſpenſatus ad ſacros Ordins, hoc ipſo videatur diſpenſatus ad obtinendũ ſimplex Beneficium, ne alioquin in opprobriũ Ordinis Clericalis mendicare cogatur. Cui ſententiæ favet textus *in c. propoſuit. 6. h. t.* ubi dicitur, indignum eſſe, ut illegitimus, poſtquàm eſt in Subdiaconum ordinatus, omnino debeat beneficio Eccleſiaſtico carere. Unde Gloſſa *ibid. ℣. Carere.* & Abbas *num. 1.* concludunt, atque allegatis alijs juribus probant, quòd, qui habet Ordinem, debeat habere Beneficium. Atque hæc ſententia in illegitimis diſpenſativè promotis ad ſacros Ordines, ſatis probabilis eſt; ſed in diſpenſatis ſolumodo ad Ordines minores, procedit prior opinio; cùm tales adhuc ad ſtatum Laicalem redire & nubere poſſint, ne mendicare cogantur. 2

Quæritur IV. Utrùm Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimis ad ſacros Ordines, ſaltem virtute Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* quando eorum illegitimitas eſt occulta? Reſp. I. In reſolutione huius quæſtionis multùm controvertunt Doctores; atque abeunt in duas extremas ſententias, prout videre eſt apud Barboſam, Layman, & alios mox citandos. Et quidem

Negativa ſententia ſuadetur ex eo: quia Concilium Trident. *cit. cap. 6.* tribuit ſolùm Facultatem *Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus omnibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ ea, quæ oritur ex homicidio voluntario,* prout ſonant verba ejusdẽ. Atqui irregularitas illegitimi non provenit ex delicto; cùm proles illegitimè nata ſit innocens, atque extra culpam; ergo.

Nec videtur obſtare præcedens peccatum parentum. Tum quia per irregularitatem ex delicto occulto provenientem, Concilium intelligit ſolummodò eam, quæ orta eſt ex delicto proprio ipſius irregularis, & non ex alieno; prout colligitur ex cõmuni ſenſu & Doctrinâ tam Theologorum, quàm Canoniſtarum, idcircò aſſerentiũ, quòd irregularitas illegitimorum, ſit irregularitas ex defectu, & non ex delicto. Tum quia hæc potiùs provenit ex nota, ſeu macula quadam morali, ac indecentia, quam filius contrahit, eò quòd non ſit procreatus ex legitimo matrimonio, atque idcirco arcendus cenſeatur à ſacris Altaris miniſterijs; non autem ex culpa, ſeu delicto illius, aut parentum ſuorum: prout conſtat ex eo, quia etiam contrahitur ab illo, cujus parentes innupti, ob defectum rationis, ex furore, aut amentia, vel ignorantia invincibili provenientem, in ejus procreatione non peccaverunt. Atque ita tenet Suarez *tom. 5. de cenſuris. diſp. 50. ſect. 5. num. 5.* Navarrus

varrus *cap.27. Manual. n.194. in fine.* Caſtro Palao *diſp.6. de Cenſuris. punct.9. n.10.* Bonacina, Hurtado, Filliucius, & alij non pauci.

26 Affirmativa verò ſententia, & priori directè contraria, fundatur imprimis in hoc: quia irregularitas illegitimi intrinſecè dependet à delicto parentum; ergo, quando delictum parentum eſt occultum, ea reverà eſt irregularitas ex delicto occulto proveniens, ſicq; comprehenditur ſub citato Decreto Concilij Tridentini. Antecedens probatur: quia natus ex matrimonio bonâ fide contracto, reverà tamen invalido, non cenſetur illegitimus, neque irregularis; ut conſtat ex *c. Cùm inter. 2. & c. Perlatum. 8. & c. Pervenit. 11. Qui filij ſint legitimi.* Confirmatur: quia *odia reſtringi. & favores convenit ampliari*, juxta notiſſimã *Reg. 15. Juris in 6.* Ergo, cùm Concilium Tridentinum abſolutè, atque ſine aliqua reſtrictione, dederit Epiſcopis facultatem diſpenſandi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; nõ eſt, cur favorẽ, ſeu facultatem diſpenſandi tam amplam, & adeò generaliter conceſſam, reſtringamus ad irregularitatem duntaxat provenientem immediatè ex proprio delicto, & non etiã ipſam ampliemus ad ortam mediatè, ſeu ex delicto occulto parentum.

Confirmatur hæc ſententia ulteriùs ex eo. Tum quia memorata Conceſſio Concilij Tridentini continet merum Beneficium Principis, ſeu nulli alteri præjudicans; adeòque eſt latiſſimè interpretanda; cùm *pleniſſima ſit in Beneficijs interpretatio facienda*, c. Cui de non. 27. de Præbend. in 6. cum concordantijs, éſtque ampliùs dictum *Tit. de Conſtitutionibus. §. 17. n. 444. & ſeqq.* Tum quia talis irregularitas, ſeu defectus natalium, in Iure dicitur, ac cenſetur eſſe etiam proprius reatus; ut *c. Innotuit. 20. §. Multa. de Electiõ.* ubi de quodam illegitimè nato legitur, quòd is *ſponte, ac humiliter ſuum maluit confiteri reatum.* Ubi ponderandum ly, *ſuum confiteri reatum.* Tum tandem, quia ſi reverà Concilium Tridentinum à ſua tam favorabili, ac generali conceſſione voluiſſet excludere irregularitatem ex occulto delicto alieno provenientem, potuiſſet etiam hanc expreſſiſſe, ſicut expreſſit, atque excepit irregularitatem ex occulto homicidio ſubortam, *arg. c. Inter corporalia. §. Sed neque. de Translat. Epiſc.* ergo cùm hanc non exceperit, cenſetur eam comprehendiſſe, prout in ſimili dicitur *c. Quia circa. 22. de Privileg.* Atque idcircò hanc ſententiam, quã arbitror probabiliorem, tenet Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 11 n. 156.* Diana *part. 4. tract. 2. reſolut. 64.* qui inſuper citant Avilam, Coninch, Hurtado, & alios, eandémque ſententiam cenſet probabilem Layman *lib. 1. Theolog. Moral. tract. 5. part. 5. cap. 5. n. 2.* ac noviſſimè ſequitur Ludov. Engel *n. 9. h. t.*

28. Nec obſtat, quòd diſpenſatio ſit ſtricti juris, ſtrictámque recipiat interpretationem, juxta paulò ſuperiùs dicta. Non obſtat, inquam: nã aliud eſt, diſpenſatio; & aliud, poteſtas diſpenſandi, quæ nulli eſt præjudicialis, niſi concedenti: hæc enim eſt favorabilis, atque extendenda; illa odioſa, & reſtringenda, prout uberiùs dictũ *cit. Tit. De Conſtitutionibus. §. 18. n. 453. & ſeqq.*

29. Neque urgent rationes in favorem ſententiæ negativæ *num. 24. & 25.* adductæ. Non prima: nam hæc irregularitas reverà provenit ex delicto, non quidem proprio prolis, ſed parentum ejus: quâ de causâ eam Doctores inter irregularitates ex defectu ponere ſolent, quamvìs adhuc ex delicto ſaltem mediatè proveniat. Nec ſecunda: quia nullo jure convincitur, dictam facultatem â Concilio Tridentino Epiſcopis conceſſam ita eſſe reſtringendam, imò oppoſitum jam fortiter eſt probatum; præſertim, cùm defectus natalium, etiam in Jure cenſeatur eſſe reatus ipſius illegitimi. Ad eius probationem negatur aſſumptum: cùm enim juxta dicta *num. 26.* natus ex matrimonio bonâ fide contracto, licèt à parte rei invalido, cenſeatur legitimus, ſicque nullam maculam moralem contrahat, quamvìs reverà non ſit natus ex legitimo matrimonio: hinc pariter dici poteſt, quòd ejusmodi maculam non contrahat ille filius, qui ob ignorantiam, vel inſaniam parentum, natus fuit absque omni horum culpa, dummodò hoc probari valeat. Quamquàm de tali caſu, utpote moraliter vix poſſibili, Jura expreſsè nihil declaraverint, utpote quæ debent potiùs aptari ad ea, quæ frequenter & facilè eveniunt, non autem perrarò, *l. Nam ad ea. 5. & ſeqq ff. de Legib.*

30. Quæritur V. An filius Sacerdotis, ſive legitimus, ſive illegitimus, poſſit miniſtrare in Eccleſia, cui pater ipſius præfuit? Reſp. I. *Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas ſanctitásque decet, longiſſimè arceatur*, filij Clericorum illegitimi, quamvìs ad Ordines diſpenſati fuerint, non poſſunt *in Eccleſijs, ubi eorum parentes Beneficium Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam diſſimile Beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere.* Ita habetur noviſſimè ſtatutum in Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 15. de Reform.* atque ex parte concordat *cap. 2. & c. Cùm decorem. 15. & c. Ad abolendam. 16. h. t.* Quamvis non fuerit tantus rigor ſacrorum Canonum, qualis nunc eſt ipſius Concilij Tridentini.

31. Et hæc Concluſio, ſeu potiùs Decretum Tridentinũ, nõ ſolùm procedit in Beneficijs; adeò, ut filius illegitimus non poſſit in his ſuccedere patri, nec imediatè, nec mediatè, niſi ex diſpenſatione Papæ (quamvìs olim mediatè potuerit ſuccedere; ut *c. Ad extirpandas. 11. & c. Ex transmiſſa. 7. h. t.*) ſed etiam procedit in alijs Miniſterijs: ita ut in illa Eccleſia, in qua pater obtinet Beneficiũ, filius illegitimus nec poſſit agere Sacriſtam, nec ſimplicem Muſicum, nec alium Miniſtrum; prout reſolvunt Navarrus *Conſil. 1. quæſt 17. de Conſtitut.* Garcias *part. 7. de Beneficijs, cap. 3. n. 68.* ita fuiſſe à Sac. Congregatione deciſum, referens. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt.*

teſt. Epiſc. allegat. 65. n. 20. & alij. Et meritò: tum quia Concilium Tridentinum *loc. cit.* decrevit, ne liceat filijs illegitimus *in dictis Eccleſijs quoquo modo miniſtrare.* Tum quia indecorum eſt, ut in Altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo Unigenitus Dei Filius æterno Patri pro ſalute humani generis victimatur, prout legitur in *cit. c. Cùm decorem. h. t.* Accedit, quòd per illegitimum filium, etiamſi Muſicus tantùm ſit, vel Sacriſta, aut alius Miniſter in Eccleſia, ubi pater ſuus miniſtrat, vel miniſtravit, adhuc incontinentiæ paternæ memoria reſuſcitetur; ac proinde urgeat allata ratio Concilij Tridentini.

32 Inſuper dicta Concluſio, ſeu prohibitio Concilij Tridentini, procedit non ſolùm de filijs illegitimis presbyterorum in Sacerdotio genitis, ſed etiam de naturalibus procreatis ante Clericatum parentum; prout a Sac. Congregatione fuiſſe deciſum, refert Garcias *cit. cap. 3. n. 15.* & ſequitur Barboſa *d. allegat. 65. n. 6.* cum alijs. Et meritò: quia ratio à Tridentino Concilio allata, videlicet, *ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis arceatur,* urget pariter in illegitimis ante Clericatum procreatis; ac proinde idem jus de iſtis eſſe debet: præſertim, quia verba prooëmialia legis (ut ſunt hæc) inducunt cauſam finalem, *arg. L. ult. ff. de Hæredib. inſtituend.* ac notant ibi DD. & Bartolus *in L. I. ff. de Origin. jur.* Nepotes tamen legitimi ex filio illegitimo procreati, non comprehenduntur ſub dicto Decreto Concilij, ſicque poſſunt obtinere Beneficium avi ſui; prout à Sac. Congregatione Concilij fuiſſe declaratum, refert cit. Garcias *num.* 22. & Barboſa, *ubi ſuprà, num.* 18. apud quos plura de his.

33 Reſp II. Loquendo etiam de legitimis filijs Sacerdotum, non poteſt filius immediatè ſuccedere in Eccleſia, in qua pater ejus fuit proximus Rector. Ita expreſse habetur ſtatutum *in c. Quoniam.* 10. *& c. Michael.* 13. *& c. Ad extirpandas.* 11. *h. t.* Siquidem iſtud ſpeciem continet cujuſdam hæreditariæ ſucceſſionis in Beneficijs Eccleſiaſticis: hæ autem ſucceſſiones ſemper iniquæ, deteſtabiles ac ſacris Canonibus inimicæ reputantur; ut *can. Apoſtolica. 8. q. 1. & cit. c. Ad extirpandas. h. t. & c. Accepimus. de pactis.* cum concordantijs. Hinc etiam *in cap. I. de Præbend.* dicitur, quòd in bonis Eccleſiæ non ſucceditur jure conſanguinitatis. Etenim Beneficia Eccleſiaſtica non niſi dignioribus, & magìs Eccleſiæ utilibus ſunt conferenda, ac ſolummodò per Canonicam inſtitutionem obtinenda; ſicque neutiquam jure quodam hæreditario adipiſci valent.

34 Dicitur notanter in data Concluſione, *immediatè ſuccedere.* Nam filius legitimus benè poteſt patri mediatè ſuccedere, ſi videlicet poſt patrem interceſſerit alia perſona media, cui beneficium illud collatum fuit, *c. Ex transmiſſa. 7. h. t.* Siquidem tunc ceſſat ſpecies ſucceſſionis hæreditariæ; ſimúlque quoad filios Clericorum legitimos, nihil per Concilium Tridentinum reperitur innovatum: unde quoad hos, Jus antiquum remanet incorrectum, *l. Præcipimus. C. de Appellat.* Garcias *cit. part. 7. cap. 3. n.* 18. Barboſa *d. allegat. 65. n.* 16. Pirhing *h. t. n. 50* & alij.

Et additur *ſuccedere.* Nam aliud Beneficium diſſimile benè poteſt legitimo filio conferri etiā in eàdem Eccleſia, in qua pater miniſtrat, *text. clar. c. Ad hæc. 12. h. t.* Inſuper poteſt filius legitimus præeſſe Eccleſiæ, in qua pater ſine titulo quandoque miniſtravit, *c. Conſtitutus.* 8. *eod.* Neq; enim tunc fit ſucceſſio in Eccleſia, vel Beneficio, cùm iſtud pater non præhabuerit: ſimùlq; quoad filios legitimos Concilium Tridentinum nihil innovârit, ut proximè dictum.

Cæteroquin verò alius, quàm Papa, nequit diſpenſare, ut filius etiam legitimus in Eccleſia paterna, ſeu Beneficio à patre præhabito, immediatè ſuccedat, *c. Dilectus.* 17. *h. t.*

Quæritur VI. An ab immediata ſucceſſione in Beneficijs Eccleſiaſticis etiam pater, vel nepotes, aliique conſanguinei prioris Beneficiarij excludantur? Ratio dubitandi eſt: quia etiam his competit ſucceſſio hæreditaria, ſeu ab inteſtato; unde videntur urgere Jura, & rationes hactenùs allatæ. His tamen non obſtantibus,

Reſp. I. Succeſſio im̄ediata Conſanguineorū collateralium in Beneficijs Eccleſiaſticis, de Jure communi non eſt prohibita. Ita Gloſſa *in c. Ad extirpandas. ℣. Filij. h. t.* & ibi Abbas *num.* 9. Fagnanus *in c. Non ſine. n 27. & ſeqq. de Arbitris.* cum alijs. Idque deſumitur ex textu dicti Capituli *Non ſine,* ibi: *Nepos ejus, qui ſibi in Eccleſia jam dicta ſucceſſit.* Nam hoc de nepote transverſali, ſeu de nepote ex fratre vel ſorore, ſecundùm communem uſum loquendi, accipiendum venit; ut notat Abbas *ibid. n. 1.* Concordat *c. Ex parte. 12. de Offic. Delegat. & c. Accedens. 23. de Accuſat.* ubi tales nepotes abſque alia diſpenſatione in Beneficio patrui, vel avunculi, immediatè leguntur ſucceſſiſſe, atque in tali ſucceſſione judicialiter fuerunt manutenti.

3 Reſp. II. Hoc idem de patre reſpectu filij ſui legitimi dicendum eſt, quòd videlicet Beneficium filij ſui immediatè conſequi abſq; alia diſpenſatione valeat. Ita à Sac. Congregatione Concilij 22. *Decembris.* 1594. fuiſſe deciſum, refert Nicolaus Garcias *cit. part. 7. cap. 3. n.* 29. ac tenet Barboſa *d allegat. 65. n.* 17. Engel *h. t. n. 3* & communis aliorum. Ratio eſt: tum quia Jura, quæ in oppoſitum afferi poſſent, de patre non loquuntur: ut taceatur, quòd ea cæteroquin, veluti odioſa, ſint reſtringenda. Tū quia jus ſucceſſionis non ita intelligitur eſſe in aſcendentibus & collateralibus, ſicut in deſcendentibus, quos ipſa ratio naturalis ad hæreditatem vocat, *l. Cùm ratio. ff. de portionibus.* Simùlque quia rarum eſt, ut filij theſaurizent parentibus, eiſque Beneficia relinquant, juxta illud D. Apoſtoli 2. Corinth. 12. *Nec enim debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs.* Iura verò ſolent conſtitui de ijs, quæ frequenter accidunt, non quæ perraró, *l. Jura conſtitui. & ſeqq. ff. de Legibus.*

4 Reſp. III. De nepotibus reſpectu avi, eſt diſtinguendum. Et quidem mortuo patre ſuo non poteſt

poteſt

oteſt nepoti conferri immediatè ſui avi Beneficium; quia tunc Jure comuni videretur ſuccedere: ſecùs dicendum, ſi adhuc vivat pater ſuus; quia tunc nepos, utpote in gradu remotiori, id Jure hæreditario petere non poſſet, nec cenſeretur. Ita Abbas *in c. Ed extirpandas. n. 8. h. t.* citans Innocentium, Jo. Andream, & comunem; ac ſequuntur Zoëſius *h. t. n.* 10. Engel *n. 3.* & alij.

1 Dices. Filiorum appellatione etiam Nepotes continentur; ut *l. Liberorum. ff de Verb. ſignif.* ibi: *Filiorum appellatione omnes, qui ex nobis deſcendunt, continentur: neque enim dulciore nomine poſſumus Nepotes noſtros, quàm Filij, appellare.* Reſp. Iſtud locum habere in favorabilibus; ſecùs in odioſis, *arg. ſſ. fin. Inſtit. Qui teſtamento tutores dari* &c. ac notat Abbas *loc cit. n.* 8. poſt Jo. Andream. Verumtamen nomine *Liberorum*, & *Poſterorum*, etiam Nepotes comprehendi, quamvis materia ſit odioſa, notatur in *cit. §. fin. Inſtit.* Unde inter hæc vocabula, nempe *Filiorum*, *Liberorum*, eſt notabile diſcrimen.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum manumiſsione.

SUMMARIUM.

1. *Liberi homines, & Libertini, qui?*
2. *Servi in Jure, qui dicantur?*
3. *Triplex eſt Servorum genus. Et num. ſeqq.*
4. *Servi propriè dicti, ſeu Mancipia, qui?*
5. *Servi adſcriptitij, & Servi originarij, qui?*
6. *Famuli pro annua mercede ſervientes, in ſenſu Juris non ſunt Servi.*
7. *Generatim tribus potiſſimùm modis efficitur quis ſervus; videlicet*
8. *I. Nativitate, & quid ad hoc requiratur?*
9. *II. Captivitate: & cur capti in bello dicebantur Servi, ſeu Mancipia?*
10. *Defactò capti in bello inter Chriſtianos geſto non ampliùs efficiuntur Servi, & cur?*
11. *Benè tamen capti in bello contra Infideles, v. g. Turcas geſto.*
12. *Chriſtiani in ſervitutem Turcicam abducti, à nobis reputantur liberi.*
Unde valet teſtamentum ab ipſis conditum. Ibid.
13. *III. Venditione quis fit ſervus.*
14. *Quibus alijs modis quis efficiatur ſervus?*
15. *Servi propriè dicti, ac etiam Servi adſcriptitij, & originarij, prohibentur ordinari absq; conſenſu dominorum.*
16. *Et multiplex hujus ratio.*
17. *Ordinariè requiritur expreſſa domini licentia, ut ſervus ordinetur.*
18. *Quamvìs etiam tacitus ejus conſenſus ſufficere poſſit.*
19. *Et tunc eo ipſo ſervus acquirit libertatem.*
20. *Servus ad Ordines minores promotus invito domino, debet huic, ipſum repetenti, reſtitui.*
21. & 22. *Quid juris, ſi ſervus invito domino initiatus fuerit Sacris Ordinibus, Epiſcopo, vel Præſentatore ejus conditionem ſervilem ſciente?*
23. *Aut Epiſcopo hanc ignorante, dum ſervus propriâ calliditate ſacris Ordinibus ſe fecit initiari?*
24. *Vel etiam ad Sacerdotium promotus fuit?*

1 QUæritur I. Servi qui dicantur, & quot ſint eorũ genera? Ubi prænotandum, quòd generatim loquendo homines, alij ſint liberi, alij ſervi. *Liberi homines* vocantur, quibus eſt naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere lubet, niſi quid vi, aut jure prohibeatur, *ſſ. Et libertas. Inſtit. de Jure perſonar.* Atque ex his alij ſunt Ingenui, alij Libertini. *Ingenui* cenſentur illi, qui ſunt in plena libertate, atq; in hac nati fuerunt; ut *ſſ. 1. Inſtitut. de Ingenuis.* Econtrà *Libertini*, ſeu (quod ferme idèm eſt) *Liberti* appellantur, qui antehàc fuerunt ſervi, & poſteà ſunt manumiſſi, *ſſ. 1. Inſtit. de Libertinis.* His prænotatis

2 Reſp. I. *Servi* in Jure dicuntur illi, qui domino alieno contra naturam Juris conſtitutione ſubijciuntur. Ita deſumitur ex *§. Servitus. Inſtitut. de Jure perſonar.* ubi hâc ratione ſervitus ipſa definitur. Concordat *can. Jus gentium diſt. 1.* ubi ſervitutes Jure gentium introductæ leguntur. Quæ poſtmodùm Jure quoq; Canonico approbatæ fuerunt, ut *can. Id conſtituimus.* 17. *q.* 4. cum ſimilibus; atq; olim ſatìs frequentes extiterunt, & ab ipſis quoq; Eccleſijs acceptatæ, ut *can. Eccleſiarum. & can. Epiſcopus qui. & can. Eccleſiaſticis. 12. q. 2.* & alibi.

Reſp. II. Triplex à Theologis, & Canoniſtis, 3
comuniter aſſignatur genus Servorum, nempe ut alij ſint Servi propriè dicti, alij adſcriptitij, & alij originarij. Patet hoc ex diverſis textibus Juris, in progreſſu citandis. Ex his

Servi propriè dicti (qui & *Mancipia* dicuntur) ita 4
ſunt juris domini ſui, ut eos venumdare poſſit, *cit. §. Servi. Inſtit. de Jure perſonar. & can. Fugitivum. 12. q. 2.* Et quidquid acquirunt, domino ſuo

ſuo acquirant: nam cùm ipſi in poteſtate alterius ſint, nihil ſuum habere poſſunt, ſed totum domino ſuo acquirunt, *l. Acquiritur nobis. ff. De acquirend. rerum domin.* Unde ſervitus propriè dicta mortalitati ferè comparatur, *l. Servitutem. ff. de Reg. Jur.* Neque valet matrimonium, ſi contrahat talis ſervus cum perſona liberâ, & ignorante conditionem ejus ſervilem, *can. Si quis ingenuus.* 29. *q.* 2. *& c. Ad noſtram. de Conjug. ſervor.* Atque in conditione talium ſervorum nulla eſt differentia, ſive fiant tales captivitate, vel nativitate, ſive venditione, *§. fin. Inſtit. de Jure perſonar.*

5 *Servi Adſcriptitij* dicuntur illi, qui glebæ, ſeu prædio cuipiam colendo, ſunt perpetuò addicti: unde ſine conſenſu dominorum ſuorum inde diſcedere nequeunt. Tandem *Servi Originarij* appellantur, qui ex adſcriptitijs nati ſunt: & de his fit mentio *in can. Generalis. & can. Admittuntur. & can. Quis aut leges. diſt.* 54. & alibi.

6 Cæterùm famuli illi, qui dominis ſuis pro annua mercede ſerviunt, in ſenſu Juris idcircò Servi non cenſentur, imò verè Liberi ſunt: unde etiam operas ſuas liberè, cui voluerint, locare poſſunt.

7 Quæritur II. Quibus modis quis fiat ſervus? Reſp. I. Generatim loquendo tribus potiſſimùm modis efficitur quis ſervus, videlicet nativitate, captivitate, ac venditione. Patet hoc ex *§. Servi autem. Inſtit. de Jure perſonar.* ubi tres hi modi ſervitutem inducentes, præ cæteris enumerantur.

8 Sic quippe imprimis nativitate fiunt ſervi, qui ex matre ſerva naſcuntur. Nam partus ſequitur ventrem; ut *cap. un. De natis ex libero ventre. & l. Partum. C. de Rei vendicat.* cum ſimilibus. Quod intellige quantùm ad ſtatum libertatis, vel ſervitutis; non quoad originem, familiam, & honores. Cæterùm, ut quis naſcatur ſervus, requiritur, quòd mater toto tempore geſtati uteri fuerit ſerva: unde ſive mater libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, ſive ipſa tempore partûs facta ſit libera, ſive etiam medio tempore fuerit aliquando libera, infans naſcitur liber: quia non debet calamitas matris, quæ ſemel libera iterum in ſervitutem redigitur, ei nocere, qui in utero eſt, *text. clar. l. Et ſervorum. ff. de Statu homin. & §. Sed & ſi quis. Inſtit. de Ingenuis.* Et hinc inter cauſas favorabiles, ſicque amplè accipiendas, etiam connumeratur libertas, *cap. ult. de Sent. & re judicat.*

9 Deinde captivitate olim apud Romanos fiebant ſervi, qui in bello capti ſervabantur, nec occidebantur: unde etiam *ſervi* ſunt appellati, quaſi *Servati*: item & *Mancipia*, eò quòd ab hoſtibus manu capiebantur, ut notatur *§. Servi. Inſtit. de Jure perſonar.*

10 Verùm defactò generali, & antiquiſſimâ conſuetudine receptum eſt, ut capti in bello inter Chriſtianos geſto libertatem non amittant, nec ſervi fiant, ſed præſtito redemptionis lytro liberi abeant. Cui laudabili conſuetudini favet textus *in can. Cùm Redemptor.* 12. *q.* 2. ubi dicitur, quòd ad exemplum Redemptoris noſtri, qui aſſumptâ carne humanâ, & diſrupto, quo tenebamur captivi, vinculo ſervitutis, priſtinæ nos reſtituit libertati, ſalubriter agitur, ſi homines, quos ab initio natura liberos protulit, & Jus gentium jugo ſubſtituit ſervitutis, manumittentis beneficio nativæ reddantur libertati. Quâ proin de causâ defactò inter Chriſtianos rariùs reperiuntur Servi propriè dicti.

Excipiuntur tamen hinc capti in bello juſto contra Infideles, ut puta Turcas, geſtô. Tunc enim, quemadmodùm Turcæ noſtros, ſic & noſtri jure talionis Turcas captos pro ſervis habent, ut dediſcant inſolentiam contra Chriſtianos ab ipſis exerceri ſolitam.

Nihilominus Chriſtiani in ſervitutem Turcicam abducti, à nobis ex recepta laudabili conſuetudine pro ſervis non habentur quoad effectum juris, ſed ob dignitatem Chriſtiani nominis adhuc reputantur liberi, omniúmque jurium capaces: & hoc, tum ne afflictis addatur afflictio, Covarruvias *in cap. Peccatum. de Reg. Jur. in 6. part. 2. §.* 11. *num.* 6. Tum etiam, ne nos tyrannidi Infidelium quoquo modo ſubſcribere videamur. Engel *h. t. n.* 5. Unde non ſolùm valebit teſtamentum ab ipſis ante captivitatem conditum; ſed etiam, ſi fecerint teſtamentum durante ſuâ captivitate Turcicâ, illud easdem vires habebit, acſi conditum fuiſſet ab aliquo in plena libertate conſtituto: quidquid olim de Jure Romanorum receptum fuerit.

Venditione tandem fit aliquis ſervus, cùm homo liber, major viginti annis, ad pretium participandum ſe ſe venumdari paſſus eſt, *§. Servi autem. Inſtit. de Jure perſonar.* Ubi Gloſſa *V. Venumdari*, hoc extendit ad quemlibet alium titulum, quo quis patitur ſe transferri in alium; ut *l. Si uſumfructum. ff. de Liberali cauſa.*

Dicitur notanter num. 7. *Tribus potiſſimùm modis efficitur quis ſervus.* Licèt enim hi tres ſint præcipui modi, quibus id communiter accidit: nihilominùs etiam alijs quibusdam modis poteſt quis in ſervitutem redigi; utpote per revocationem ingrati Liberti in ſervitutem, *L.* 2. *C. de Libertis.* Item authoritate Principis ob inſigne delictum, *l. De latronum. C. Quibus ad libertatem &c.* ac hujusmodi: quæ tamen defactò inter Chriſtianos fermè exoleverunt.

Quæritur III. An, & cur ſervi ordinari prohibeantur? Reſp. I. Certum eſt, quòd non ſolùm Servi propriè dicti, ſeu Mancipia; ſed etiam Servi adſcriptitij, atque originarij, ignorantibus, aut invitis dominis ſuis, ordinari vetentur. Patet hoc imprimis ex Rubrica præſentis Tituli, quæ generaliter inſcribitur, *De Servis non ordinandis*: atque ideo, quia continet ſenſum perfectum, valet argumentum ab ipſo depromptum, ut dictum *in Proœmio. §.* 6. *num.* 96. *& ſeqq.* Idipſum conſtat ex *cap.* 1. *& c. Conſuluit. h. t.* cum plurimis concordantijs, quæ referuntur *can.* 1. *& ſeqq. diſt.* 54. Et ne

quis

quis hujusmodi Jura de ſervis propriè dictis, ſeu mancipijs duntaxat, explicare valeat, idipſum etiam de ſervis adſcriptitijs, atque originarijs, ſtatutum habetur in *cit can. Generalis. & can. Quis aut leges. & can. Admittuntur. diſt. 54.* expreſsè prohibendo, ne tales abſque conſenſu dominorum ſuorum ad Ordines promoveantur.

Reſp. II. Rationes, cur ſervi ab Ordinibus ar-
16 ceantur, potiſſimùm ſunt ſequentes. I. Quia ſtatus ſervilis eſt valdè vilis, & viciſſim magna excellentia, atque dignitas Ordinum Eccleſiaſticorum, & Sacerdotij: unde *cit. can. Admittuntur,* reprehendunturilli, qui ſervos invitis dominis provehunt *ad faſtigium Sacerdotij, tanquam ſervilis vilitas hunc honorem jure capiat.* II. Ratione juſtitiæ reſpectu dominorum obſervandæ, ne videlicet per ſervi ordinationem domino fiat injuria, dum re ſua invitus privatur: quæ quidem videtur eſſe potiſſima ratio dictæ prohibitionis, eò quòd domino conſentiente benè poſſit ſervus ordinari; ſicque ſola ejus conditio ſervilis non obſtet. III. Cauſa Religionis: nam hujus miniſterio non poſſet vacare ſervus, ſi à domino ſuo in ſervitutem retraheretur, *can. Ex antiquis. & can. Frequens. diſt. 54.* ſimùlque, quia indecorum eſt, ut ex Clericis fiant ſervi, *can. Quicunque. ead. diſt. 54.*

Quæritur IV. Qualis conſenſus domini re-
17 quiratur, ut ſervus ejus ordinari valeat? Reſp. I. Ordinariè loquendo, ut ſervus licitè ordinetur, requiritur expreſſa licentia domini ſui, in ſcriptis obtenta. Textus eſt in *cit. can. Generalis. diſt. 54.* ubi prohibetur ſub pœna privationis proprij honoris, & comunionis, ne quis ejusmodi perſonas Clericatui applicet, *niſi voluntate forſitan dominorum ſub ſcripturæ teſtimonio primitus abſolutas.* Et meritò: Ut ſic Eccleſiæ, atque Epiſcopo ordinanti de conſenſu dominorum meliùs conſtare valeat; ſimùlque pateat, utrùm ipſi ſervos ſuos omnino liberos dimittant, nullo retento obſequio (Spirituales tamen operas, juxta *c. Nullus. 4. c. Eò libentiùs. 6. h. t.* non prohibentur retinere) ne alioquin, quando voluerint eorum domini, ex Clericis fieri cogantur ſervi, contra *can. Quicunque. diſt. 54.* Idem confirmat recepta praxis, juxta quam homines illi, qui quâdam ſervitute ſunt aſtricti, priusquàm ordinentur, conſenſum dominorum ſuorum, vel manumiſſionem, in ſcriptis Epiſcopo exhibere debent. Engel *h. t. n. 6.*

Reſp. II. Licèt ordinariè deſideretur expreſ-
18 ſus dominorum conſenſus ad ordinationem ſervorum, ut dictum; poteſt nihilominùs etiam tacitus eorundem conſenſus ſufficere: veluti, ſi dominus ſciat, Sacris Ordinibus ſervum ſuum initiari, & non contradicat; ut *can. Si ſervus ſciente. diſt. 54.*

Et tunc eo ipſo ſervus acquirit libertatem,
19 prout ibidem habetur. Atque iſtud procedit indiſtinctè, ad quemcunque Ordinē quis ſciente, & non contradicente domino, promotus fuerit, ſive ad ſacrum, ſive ad minores, vel ad primam Tonſuram tantùm. Abbas *cap. 2. n. 1. h. t.* Pirhing *eod. n. 3.* ac alij. Neque enim dominus poteſt videri non conſentire in libertatem, poſtquàm conſenſit in Ordinationem; cùm ſine ea non poſſit quis ritè ordinari, neque fungi officio Clericali: qui autem vult conſequens, vult etiã ſuum neceſſarium antecedens, prout latè probat Barboſa *Axiomat. 54. n. 1.* Simile quid habetur *in §. Idèmque juris. Inſtit. Quibus ex cauſis manumittere &c.* ubi ſi dominus ſervum inſtituat hæredem, hoc ipſo ei libertatem concedere cenſetur, quãvis hoc non exprimat.

Quæritur V. Quid juris, ſi ſervus de facto fuerit ordinatus ignorante, atq; invito domino ſuo? 20
Reſp. I. Quando ſervus invito domino fuit promotus ſolùmodò ad Ordines minores, tunc is domino repetenti reſtituitur, ac revocatur in priſtinã ſervitutē; ut *can. Ex antiquis. & can. Frequens. diſt. 54. & c. De ſervorū. 2. h. t.* Nam, quia cæteroquin in Minoribus conſtitutus, nullo jure prohibetur ſæcularibus negotijs ſeſe immiſcere, imò & matrimoniũ inire; meritò tales Clerici jubentur revocari in priſtinã ſervitutē, ſuisq; dominis, qui eos repetunt reſtitui, ne horũ jura quoquo modo turbentur, ac injuſtè violentur.

Reſp. II. Si autem ſervus ignorante, & invito 21
domino, initiatus fuerit ſacris Ordinibus, tunc opus eſt multiplici diſtinctione. Imprimis enim ſi talis ſervus ab Epiſcopo, ſciente ejus conditionem ſervilem, fuit promotus ad Sacerdotium, vel Diaconatũ (idemq; nunc dicendum de Subdiaconatu, *can. Miramur. 7. h. t.*) tunc ipſe Ordinatus permanet quidem in officio Clericali, atque efficitur liber, ſed Epiſcopus ſcienter ordinans tenetur pro eo ſatisfacere, ac domino ſuo dare alios duos æquales ſervos, vel eorundem æſtimationem. Textus eſt in *can. Si ſervus abſente. diſt. 54.* ac notat Abbas *cap. 2. caſu. 3. h. t.*

Et hoc ipſum à pari eſt dicendum, ſi Epiſco- 22
pus talem eſſe ſervum neſcierit, ſed Præſentator, aut Supplicans pro tali ſervo ordinando, iſtud ſciverit: quia tunc eiusmodi Præſentator, ſive Supplicans, ſimili redhibitioni tenetur obnoxius, ac ſervum ita ordinatum domino ſuo duplici ſatisfactione debet compenſare; prout *cit. can. Si ſervus abſente. diſt. 54.* illicò ſubjungitur. Intellige cum Gloſſa *ibid. ℣. Officio.* & Abbate *loc. cit.* dumodò talis Præſentator habeat, unde ſolvat dupliciter: alioquin enim ſervus ordinatus reſtituitur domino, juxta mox dicenda.

Quòd ſi autem ſervus propriâ calliditate, ac 23
fraude, ſe fecerit ſacris Ordinibus initiari, nec Epiſcopo, nec Præſentatore conditionem ejus ſervilem ſciente: tunc is ex peculio ſuo (ſi quod habet ex conniventia domini, vel quia eſt tantùm ſervus originarius) oblato pretio ſemetipſum redimere, aut ſervum vicarium pro ſe ſubſtituere tenetur. Quòd ſi hoc facere non poſſit, tunc ipſe priùs à ſuſcepto ſacro Ordine Diaconatûs, & Subdiaconatûs deponitur, ac poſteà domino petenti, reſtituitur, *can. Ex antiquis. & can. Quis autem. diſt. 54. & c. De ſervorum. 2. h. t.* junctâ Gloſſã *fin. ibid.*

Si verò ſervus taliter jam ſit promotus ad Sacerdotium, is quidem ſtatim fit liber, ac in ſuo Ordine remanet, nec deponitur; nihilominùs peculij ſui amiſſione mulctatur; ita ut res, quas poſt Sacerdotium acquiſivit, vel forſan aliunde jam, putà ex conniventia domini habuit, eidem auferantur, *cit. can. Ex antiquis.* ac notat ibi Gloſſa *v. Peculij.* Quòd ſi non habeat peculium, ſerviet domino ſuo in Divinis Officijs, ac celebratione Myſteriorum, *can. Frequens. diſt. 54.* & tradit Gloſſa *fin. cit. c. De ſervorum. h. t.*

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Ratiocinia, quid ſint?*
2. *Obligati ad Ratiocinia, qui?*
3. *Tales prohibentur ordinari ante redditas rationes.*
4. *Et cur?*
5. *Generaliter omnes implicati ſæcularibus officijs, & negotiationibus, quæ in Clericis non tolerantur, ordinari nequeunt. Et num. ſeqq.*
6. *Exempla regulam non aſtringunt, ſed declarant.*
7. *Gerentes talia munera, quæ Clericis ſuſcipere licet, ordinari non prohibentur.*
8. *Si quis ad ratiocinia obligatus invito creditore ordinetur, bona ejus cedunt creditori in ſolutum.*
9. *Et ſi ejuſmodi bona non ſufficiant, alio modo ſatisfaciat.*
10. *Aut Epiſcopus ſcienter ipſum ordinans, tenebitur pro Ordinato.*
11. *Quid juris; ſi talis Epiſcopo ignorante, in fraudem creditorum ſacros Ordines receperit? Et an iſte ſit ſuſpenſus, vel irregularis. Ibid.*

1 QUæritur I. Quid ſint Ratiocinia, quique dicantur ad ea obligati? Reſp. I. *Ratiocinia* ſunt rationum redditiones, ad quas aliquis obligatur ex adminiſtratione rei publicæ, aut privatæ, quam geſſit. Hoſtienſis *In Summa. h. t. n. 1.* Itaque

2 Reſp. II. *Obligati ad ratiocinia* dicuntur illi, qui generalem aliquam rerum ſæcularium adminiſtrationem habent, vel habuerunt, & inde principalibus ſuis ad reddendas rationes ſunt obſtricti: ut ſunt Procuratores, Actores, Tutores, Syndici, Officiales, ſeu Curiales publici, ac hujusmodi.

3 Quæritur II. Qui omnes hoc Titulo ordinari prohibeantur? Reſp. I. Hi imprimis ſunt proximè enumerati, videlicet Procuratores, qui mandato domini aliena negotia in judicijs adminiſtrant: Actores, ſeu Syndici, Officiales, aliique Curiales publici, qui ad negotia publica actores deputantur ab Univerſitatibus: item Tutores pupillorum, & Curatores. Atque iſti *in cap. un. h. t.* (quod eſt deſumptum ex Concilio Carthaginenſi I. *cap. 8.*) expreſsè prohibentur ordinari, niſi depoſito tali ſuo ſæculari officio, ac redditis anteà rationibus, digni reperiantur.

4 Et meritò iſtud fuit ſtatutum: quia alioquin, ſi tales ſæcularibus adhuc negotijs, ſeu officiis implicati, ordinarentur ante depoſitum officium, & rationes ſuis principalibus nondum redditas; hoc ipſo *Eccleſia infamaretur* (ut loquitur textus) & plura cogeretur ſuſtinere incommoda, atque moleſtias, dum tales poſteà repeti contingeret, *can. Præterea. diſt. 51.* Quinimò ipſamet Eccleſia fieret exoſa; eò quod homines alijs etiamnum obligatos, in ſuum gremium cum præjudicio principalium reciperet. Accedit, quòd tales magìs intentione fugiendi ratiocinia ſua, Forúmque Civile declinandi, per quod ad reddendas rationes compellerentur, quàm amore Religionis ad Clericatum tranſire videantur, *arg. can. Legem. diſt. 53.* ac notat Hoſtienſis *in Summa. h. t. in fine.*

Reſp. II. Præmiſſa Conſtitutio, ſive *cit. cap. un. h. t.* ampliatur ad omnia ea officia, & negotiationes ſæculares, quæ in Clericis non tolerantur: ut eſt obligatio militiæ, *can. Legem, quam. diſt. 53.* Item conductiones vectigalium, aliæque negotiationes ſæculares Clericis prohibitæ, *in cap. 1. & 2. Ne Clerici vel Monachi &c. & can. Credo. 21. q. 3.* Unde, ſicut talia merè ſæcularia officia Clericis ſunt interdicta, juxta illud D. Apoſtoli. 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus,* & Canones proximè citatos cum ſimilibus: ita multò magìs interdictum, atque prohibitum eſſe dignoſcitur, hujuſmodi ſæcularibus officijs, atque negotiationibus, etiamnum implicatos ad Clericatum promovere; niſi exemplo S. Matthæi Apoſtoli priùs ab hiſce obligationibus & functionibus ſæculatibus, ſeſe liberos reddiderint.

Nec

6 Nec obſtat, quòd *ind. cap. un. h. t.* ſolummodò fiat mentio de Procuratoribus, Actoribus, Executoribus, & Curatoribus ſeu Tutoribus pupillorum; de quibus poſteà ſubjungitur, quòd ante libertatem negotiorum, ſeu officiorum ſuorum ordinari non debeant, ne Eccleſia infametur; quamvìs poſt depoſita onera, & redditas rationes, ſi cæteroquin digni fuerint, ordinari valeant. Non obſtat, inquam: quia præfata officia potiùs exempli causâ hìc exprimuntur. Atqui exempla regulam non reſtringunt, *arg. L. 1. §. Quod vulgo. ff. De vi & vi armat.* Quinimò ea declarant, diſpoſitionem de ſimilibus eſſe intelligendam, *arg. can. Jus naturale. diſt. 1. & c. Inter cæteras de Reſcriptis. & cap. 1. Ne Clerici vel Monachi &c.* & notat Fagnanus *c. Non minùs. n. 30. de Immunit. Eccleſ.* ac proinde, quæ in præſenti *cap. un. h. t.* dicuntur de Procuratoribus, Actoribus, & Tutoribus, rectè à ſimili, atque ob paritatem rationis, extenduntur ad cætera officia ſæcularia Clericis interdicta.

7 Notanter additur, *Officia ſæcularia Clericis interdicta.* Quia illa munera, quæ Clericis pietatis intuitu, aut aliâ rationabili de causâ, ſuſcipere conceſſum eſt, pariter à Clericatu ſuſcipiendo neminem repellere debent. Hinc, quia in *can. Pervenit. diſt. 86.* Clericis conceditur, quòd juxta Leges poſſint Agnatorum ſuorum tutelas, & curationes in ſe ſuſcipere, ſicque ipſorum Tutores & Curatores eſſe, licet ad hoc cogi nō poſſint, ut notat Gloſſa *ibid. ℣. Tutelas*: & quia juxta eundem Canonem, qui repetitur *in can. 1. cauſ. 21. q. 3.* iidem Clerici propter timorem Dei poſſunt eſſe Adminiſtratores rerum Eccleſiæ, ſicut & pupillorum, viduarum, aliarúmq; miſerabilium perſonarum, quæ maximè Eccleſiaſtico indigent adminiculo: conſequenter etiam talia munia gerentes, atque in officio ſuo perſeverantes, poterunt ad Ordines promoveri, ſi cæteroquin digni reperiantur. Gloſſa magna *in cap. un. h.t.* ubi plura circa præſentem materiam breviter reſolvit.

8 Quæritur III. Quid agendum, ſi quis adhuc ad ratiocinia obligatus, contra prohibitionem creditoris de facto fuerit ordinatus? Reſp. I. Bona taliter ordinati redduntur, ſeu cedunt creditori in ſolutum uſque ad redditas rationes, condignámque ſatisfactionem. Ita Gloſſa *cit. cap. un ℣. Infamatur.* & Abbas *ibid. n. 7. h. t.*

9 Reſp. II. Quòd ſi ejusmodi bona nō ſufficiant, tunc is ab Epiſcopo adigendus eſt, ut alio modo, prout & quamprimùm fieri poteſt, convenienter ſatisfaciat: ſin minùs, ipſemet Epiſcopus, ſi fuit in culpa talem ſcienter ordinando contra voluntatem creditorum, tenebitur pro Ordinato. Ita Gloſſa, & Abbas *ubi ſuprà,* & alij. Et quidem priorem partem ſuadet ipſamet naturalis æquitas, & obligatio virtutis juſtitiæ, volentis, ut cuique ſuum reddatur, quantùm poſſibile fuerit.

10 Altera verò pars ex eo probatur: quia Epiſcopus talem ſcienter ordinans, iſto ſuo facto ademit creditoribus poteſtatem abſolutè exigendi debitum, ob privilegia Clericalia; ſimùlque Ordinato abſtulit facultatem negotiandi, atque de novo lucrandi, unde creditoribus poſtmodùm ſatisfacere poſſet, cùm poſt ſuſceptos ſacros Ordines negotia ſæcularia ampliùs tractare non valeat, *can. Fornicari. diſt. 88.* cum ſimilibus. Ergo non mirum, quòd Epiſcopus ſcienter talem ordinans, pro ipſo teneatur.

11 Reſp. III. Quòd ſi ratiocinijs obligatus malitiosè, ac in fraudem creditorum, & Epiſcopo ignorante ſacros Ordines receperit, tunc is ab Epiſcopo arbitrariè puniri poterit, ac debebit, ne crimina maneant impunita. Nihilominùs ſic ordinatus propterea non deponitur à ſuſcepto Ordine, ut rectè notat citata Gloſſa, *℣. Infamatur.* Nec etiam talis ab Ordinum exercitio eſt ſuſpenſus, neque aliquâ irregularitate irretitus; cùm nullo Jure quid tale reperiatur cautum. Excipe, niſi forſan talis fuiſſet ſacris Ordinibus initiatus abſque titulo ſufficientis ſuſtentationis, quem falsò finxiſſet: tunc enim foret ipſo jure ſuſpenſus, juxta dicta ſuperiùs *Tit. de Ætate & qualitatibus Ordinandorum. §. 7. num. 182. & ſeqq.*

TITULUS XX.

De corpore vitiatis ordinandis, vel non.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
2. *Præſens Titulus differt ab eo, qui eſt* De Clerico ægrotante, vel debilitato.
3. *Corpore vitiati, qui?*
4. *Debilitas corporis.*
5. *Mutilatio, &*
6. *Deformitas ejus, in quo conſiſtant?*
   Per membrum, quid propriè intelligatur? Num. 5.
7. *Corpore vitiati non ſunt ordinandi, nec ad Clericalem Tonſuram promoveudi.*
8. *Et quid, ſi vitium corporis poſt ſuſceptos Ordines superveniat? Et n.* 12.
9. *Ubi vitium corporis vel impedit exercitium Ordinis, vel notabilem deformitatem cauſat, inducitur inregularitas, & prohibetur quis ordinari.*
10. *Mutilatus manu nequit ordinari, imò ad Abbatiam promotus deponitur.*
11. *Carens medietate palmæ, ordinari non poteſt.*
12. *Benè tamen jam ordinatus poteſt exercere actus Ordinis, in quantùm valet; & cur?*
13. *Carens pollice, vel indice, aut ejus ungula, num poſſit ordinari?*
14. *Et quid de eo, qui caret alio digito?*
   Vel habet ſex digitos. ibid. & n. 28.
15. *Claudus an valeat ordinari?*
16. *Carens oculo, vel in eo habens maculam, an ordinari poſſit?*
17. *Quid ſi quis careat ſolo viſu oculi dextri?*
18. *Aut ſiniſtri, quem vocant* Oculum Canonis?
19. *Irregularis eſt leproſus, paralyticus, arreptitius* &c.
20. *In dubio de gravitate vitij corporalis, pertinet ad Epiſcopum id dijudicare.*
21. *Etiam reſpectu Religioſorum ab ipſo ordinandorum.*
22. *Et quid de Religioſis jam ordinatis?*
23. *Solvitur inſtantia* ex Levit. cap. 21. *deſumpta.*
24. *Illúdque explicatur.*
25. *Mutilans ſeipſum, aut ſui mutilationem ſine juſta cauſa procurans, fit irregularis.*
26. *Licèt ſolam partem digiti ſibi abſciderit.*
27. *Haud obſtante, quòd alioquin defectus digiti non inducat irregularitatem.*
28. *Habens ſex digitos, poteſt unum reſecare.*
29. *Irregularitas incurritur, quamvìs culpa abſcindentis ſibi membrum, vel partem ejus, non ſit notoria.*
30. *Aut ex zelo indiſcreto, v. g. animo ſedandi libidinem, quis ſe ipſum mutilaverit.*
31. *Caſtratus in infantia, vel ex juſta cauſa faciens ſe mutilari, non fit irregularis.*
32. *Dans operam rei illicitæ, ac ex ſe periculoſæ, ſecutâ ſui mutilatione fit irregularis.*
33. Et *hujus ratio.*
34. *Secùs, ſi actio illa prava non eſt ex ſe periculoſa, ſeu inductiva mutilationis.*
35. *An ſit irregularis, qui deprehenſus in adulterio, sicque mutilatus, amiſit virilia?*
36. *Cum corpore vitiatis regulariter diſpenſat ſolus Papa.*
   Et quidem non facilè, quando deformitas eſt gravis. Ibid.
37. *Nec ſolet Papa directè diſpenſare cum corpore vitiatis.*
38. *An aliquando cum ipſis etiam diſpenſet Epiſcopus?*

1 POſt impedimentum defectûs Natalium, item Conditionis, & Obligationis ad ratiocinia, proceditur ad vitium corporis, quod pariter prohibet quosdam ordinari.

2 Et ſciendum, quòd præſens Titulus differat ab illo, qui habetur Libro III. Decretalium, *De Clerico ægrotante, vel debilitato*: nam ibi quæritur, an Clericus ægrotans, vel debilitatus, debeat amittere Beneficium Eccleſiaſticum, quod jam adeptus fuerat: hîc autem, an talis poſſit ordinari, aut in jam ſuſceptis Ordinibus miniſtrare. Hoſtienſis *in Summa. h. t. à princip.* Quibus prænotatis

3 Quæritur I. Corpore vitiati qui ſint, & an ordinari valeant? Reſp. I. Illi cenſentur eſſe *Corpore vitiati*, qui vel ſunt corpore debilitati, vel mutilati, vel deformes. Generatim enim loquendo vitium corporis eſt triplex, videlicet debilitas, mutilatio, ac deformitas ipſius, prout notat idem Hoſtienſis *loc. cit. n. 1. & ſeqq.* ac ſequuntur alij paſſim.

Debilitas corporis conſiſtit in defectu virium, ſeu inefficacia membrorum ad præſtandas ſuas naturales operationes. Unde illi dicuntur *debilitati*, qui omnia quidem membra habent, ſed tamen unum, aut alterum eorum eſt inefficax, ſeu inſufficiens ad exequendum miniſterium ſuum: ut puta, ſi quis habeat manum aridam, oculum cæcum, aut hujusmodi.

Muti-

5 *Mutilatio* conſiſtit in carentia membri, ſive deſin hæc proveniat à natura, ſive ab extrinſeco: unde *Mutilatus* dicitur ille, qui caret membro aliquò. Per membrum autem propriè intelligitur pars aliquà principalis, quæ peculiarem in corpore functionem, ſeu operationem habet: ut oculus viſionem, auris auditum, manus apprehenſionem, pes greſſum, ac hujusmodi, *arg. can. Singula. diſt. 89.* ac notat Abbas *in cap. 1. n.* 10. *Qui Clerici vel voventes &c.* Covarruvias *part.* 3. *Clem. Si Furioſus. n.* 8. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 42. *n.* 11. & alij.

6 *Deformitas* tandem importat maculam quandam, ſeu defectum notabilem in membris exterioribus. Atque idcircò illi cenſentur *deformes*, qui habent ejusmodi maculam, ſeu vitiū notabile in membris ſuis, ratione cujus ſine indecentia, ſcandalo, horrore, aut riſu aliorum conſpici nequeant: ut ſunt habentes monſtroſum gibbum, vel oculum erutum, aut naſum abſciſſum, item graviter claudicantes, leproſi, ac hujusmodi.

7 Reſp. II. De corpore vitiatis extat regula *in can. Non confidat. diſt.* 50. cum concordantijs, quòd Divinis non ſint applicandi miniſterijs, nec ordinandi: adeò, ut ille, qui patitur vitium corporis duntaxat celebrationem impediens, puta quia caret pollice &c. non poſſit absque diſpenſatione promoveri ad Ordines etiam inferiores, vel minores, imò nec ad primam Tonſuram; prout tenuit Rota *in una Romana penſionis. 3. Junij 1583. coram Cardinali Seraphino*, quam refert, ac ſequitur Nicol. Garcias *part. 7. de Beneficijs, cap. 12. n. 28. & ſeqq.* poſt Suarez, Toletum & alios, quidquid nonnulli contradicant. Nam generale eſt, quòd corpore vitiati, utpote irregulares, non poſſint ordinari, nec Divinis applicari miniſterijs, *cit. can. Non confidat.* cum ſimilibus: atqui applicatur Divinis miniſterijs, qui vel ad Clericalem Tonſuram admittitur, & multò magis ad Ordines; ergo.

8 Secùs eſt dicendum, ſi tale vitium, ſeu defectus corporis, absq; culpa ſuperveniat poſt ſuſceptos jam Ordines: quia tunc non redditur quis ex toto irregularis, ſed ſolùm quoad illum actum Ordinis, quem ob ejusmodi vitium corporis vel nullo modo, vel ſaltem non absque notabili deformitate, exercere poteſt; ut *cap. 2. de Cleric. ægrot.* & notat Abbas *ibid.* Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 200. §. *Septimò*, & communis, atque ampliùs in progreſſu dicetur.

9 Quæritur II. Quandonam corpore vitiati cenſeantur irregulares, atque ordinari prohibeantur? Reſp. I. Generatim loquendo, ubi vitiū corporis eſt tale, ut vel impediat congruum exercitium Ordinis, ac præſertim celebrationem Miſſæ, vel ſaltem notabilem deformitatem cauſet; tunc illud inducit irregularitatem, ac prohibet quempiam ordinari, ſive incurratur ex propria culpa, ſive absque culpa. Ita Abbas Panormitan. *in cap. 2. n. 1. de Clerico ægrot.* Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 200. Covarruvias *in Clem. un. de Homicidio. part. 1. circa initium.* Pirhing *h. t. n.* 2. & alij communiter. Idque probatur inductione, allegando ſimul diverſa Jura hoc ipſum decidentia.

Sic imprimìs, quando quis manu fuit mutilatus, pro tam enormi defectu ad ſacros non poteſt Ordines promoveri, *text. clar. c. Expoſuiſti. 6. h. t.* Ubi idcircò deciditur, quod promotus ad Abbatiam tacito tali defectu, etiam ab Abbatia ſit deponendus: quia nimirum Abbates defactò debent fieri Presbyteri, *cap. 1. de Ætate & qualit. præficiend.* 10

Deinde Presbyter, cui medietas palmæ cū duobus digitis per prædonem fuit abſciſſa, Miſſam celebrare non permittitur: quia ob debilitatem membri nec ſecurè id facere poſſet, ut dicitur *cap. 2. de Cleric. ægrot.* Unde a fortiori ita mutilatus ordinari non valet. 11

Nec obſtat, quòd ibidem dictus Presbyter poſt amiſſam medietatem palmæ ſuæ adhuc, demptâ celebratione Miſſæ, cæteris Sacerdotalibus officijs fungi permittatur; ſicque liceat ipſi pœnitentes abſolvere, Aquam luſtralem benedicere, matrimonio aſſiſtere, mortuos ſepelire, ac hujusmodi. Reſp. enim, hoc ſolummodò procedere quoad jam Ordinatos, utpote reſpectu quorum vitium corporis ſuperveniens duntaxat prohibet exercitium Ordinum ſuſceptorum, quatenùs urget impedimentum: non verò quoad Ordinandos juxta *cit. can. Non confidat. diſt.* 50. Et ratio diſparitatis inter iſtos eſt: tum quia multa fieri prohibentur, quæ tàmen facta tenent, *c. Ad Apoſtolicam. de Regularib.* ſicque non mirum, quòd ſuperveniente ſine propria culpa vitio corporali, anteà jam ordinatus in ſuſcepto Ordine, quantùm fieri poteſt, miniſtrare permittatur; non autem tali Ordine primùm initiari. Tum quia, *Turpiùs eijcitur, quàm non admittitur hoſpes*, ut habet vulgatum axioma, & notatur in *c. Quemadmodùm. 25. de Jurejurand.* Tum tandem, quia afflicto non eſt addenda afflictio, *c. Ex part. 5. de Cleric. ægrot.* ac proinde Clericus jam ordinatus, ſi poſteà ſine ſua culpa mutiletur, meritò permittitur illos Ordinis actus exercere, quos absque deformitate poteſt præſtare: non autem Laicus jam mutilatus de novo ordinari. His adde dicta ſuperiùs *n. 7. & 8.* 12

Tertiò, carens pollice, aut indice dextræ, ſeu ſiniſtræ manûs, vel ipſo ita debilitatus, ut ſacram Hoſtiam frangere nequeat, ordinari non poteſt; argumento à ſenſu contrario deſumpto ex *cap. ult. h. t.* ibi: *Si ad frangendam Euchariſtiam ſit in pollice ipſo potens*: ac notat Barboſa *in Collectan. ibid. num. 3. & 4.* citans alios. Nam omne vitium corporis, quod præſtat impedimentum executioni Ordinis (ut fit in propoſito) vel inſignem inducit deformitatem, impedit quempiam ſacris Ordinibus initiari. Covarruvias *in Clem. Si furioſus. de Homicid. part. 1. in princip. n. 5.* Navarrus *cap. 27. Manual. n.* 198. & 199. & alij. Econtrà verò non prohibetur promoveri ad Sacerdotiū, qui caret ſolumodò ungulâ pollicis, dumodò ad frangendum Euchariſtiam adhuc in pollice ſit fortis & ſufficiens; prout expreſſum habetur *cit. cap. ult. h. t.* 13

h.t. Quod procedit, ſi aliunde notabilis deformitas non concurrat; ſimúlque talis defectus propriâ culpâ non acciderit: quod additur ob dicenda inferiùs *num.* 25. *& ſeqq.*

14 Quartò, carens digito ſiniſtræ manûs absque ſua culpa, irregularis non eſt, *text. clar. can. Lator. diſt.* 55. ubi Gloſſa finalis hoc extendit ad digitum manûs dextræ, dumtamen non concurrat deformitas magna. Quinimò idipſum eſſe dicendum de eo, qui caret digito medio, cenſet Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 42. *n.* 21. contra Sayrum *de Cenſuris*, *lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 16. & quosdam alios. Ratio eſt: quia digitus, non eſt propriè membrum noſtri corporis: ſimúlq; digitus medius non deſervit Euchariſtiæ tangendæ, atque frangendæ, ad inſtar pollicis & indicis, de quibus *num. præc.* jam dictum. Cæterùm qui ſenos habet digitos in manibus, non cenſetur irregularis; prout innuit Gloſſa *can. Qui partem diſt.* 55. & favet textus *in l. Idem Offilius. ff. de Ædilit. edict.*

15 Quintò, qui adeò eſt claudus, ut nequeat ſine pede ligneo, vel ſine baculo incedere, nequit ordinari in Presbyterum, *can. Nullus Epiſcopus. de Conſec. diſt.* 1. ac notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Cum baculo.* Secùs, ſi duntaxat claudicans effectus ſit, *can. Si quis in infirmitate, diſt.* 55. dummodò alia notabilis deformitas non concurrat, *arg. cap.* 2. *h. t.*

16 Sextò, cenſetur irregularis, atq; ordinari prohibetur, cui oculus erutus eſt; ut habetur *in can. Si Evangelica. diſt.* 55. ibi: *Nam illi, cui erutus eſt oculus, non poſſunt ſecundùm Canones Sacerdotij jura concedi*: ſiquidem hujusmodi carentia organi oculi, notabilem parit deformitatem. Secùs dicendum de eo, qui habet in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem: nam talis non eſt prohibendus ab aliquo Ordine, etiamſi ſit Epiſcopalis; ut *cap.* 2. *h. t.*

17 Idémque dicendum de eo, qui caret ſolo lumine, aut viſu dextri oculi, modò habeat utrumque oculum integrum: vel qui habet viſum ac intuitum brevem, aut non videt ſine perſpicilijs: quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem.

18 Utrùm autem, qui caret viſu oculi ſiniſtri, quem Stylus Romanus *Oculum Canonis* appellat, eò quod neceſſe ſit videre eo, ut quis Canonem Miſſæ ſine indecora, & nimia faciei converſione legere poſſit, ſit irregularis, variant Doctores. Nam talis à quibusdam abſolutè cenſetur irregularis, *arg. c. Conſtitutionem.* 2. *de Verb. ſignif. in* 6. ibi: *Manifeſtum defectum in viſu.* Ubi Gloſſa idē de carente oculo, & de carente ejus viſu ſenſiſſe videtur: atque iſtud, loquendo de oculo ſiniſtro, tenet Suarez *diſp.* 51. *de Cenſuris, ſect.* 3. *n.* 15. Nicol. Garcias *part.* 7. *de Beneficijs, cap.* 11. *num.* 22. & ſequuntur plures alij, volentes, talem eſſe irregularem, eò quòd careat oculo Canonis. Alij tamen id limitandum æſtimant, ſi absque notabili deformitate ſeu indecentia Canonem legere nequeat, aut defectus ille cum alia gravi fæditate faciei, ſeu oculorum ſit conjunctus; prout notat Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 199. Layman *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 7. *n.* 2. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 73. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 33. *n.* 140. *& part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 42. *n.* 31. cum plurimis alijs, quos citat. In dubio autem ſtandum erit judicio Ordinarij, juxta proximè dicenda.

Inſuper ex hoc capite irregularis eſt leproſus, paralyticus, phreneticus, arreptitius, ſive à dæmone obſeſſus, morbo caduco laborans, ac hujusmodi, *can. Communiter. diſt.* 33. *& can. Præcipimus. diſt.* 34. *& c. Tua nos. ac ſeqq. de Cleric. ægrot.* cum ſimilibus. Verumtamen ſi tales integrè convaluiſſe videantur, ac jam antè ordinati erant, poſſunt admitti ad Celebrationem. Sacerdos quoque, ſi morbo caduco laborans rarò cadat, & etiam ſputa ore non evomat, privatim celebrare poteſt, adjuncto ei ſocio Sacerdote, qui Miſſam proſequi poſſit, ſi alter deficiat. Layman *cit. cap.* 7. *n.* 2. *& ſeqq.* citans alios.

Quæritur III. Ad quem in dubio pertineat judicare de gravitate vitij corporalis circa Ordinandos? Reſp. I. In dubio, utrùm aliqua membri debilitas adeò ſit gravis, vel deformitas tam ſcandaloſa, ut inducat irregularitatem, atque impediat receptionem Ordinum, ſeu ipſorum executionem, id relinquitur determinandum judicio Epiſcopi promoventis. Ita deſumitur *ex cit. can. Communiter. diſt.* 33. *& cap.* 2. *h. t.* ac tradit ibidem Gloſſa *fin.* & Abbas *n.* 1. Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 200. Menochius *lib.* 2. *de arbitrar. Judic. caſu* 226. *n.* 7. *&* 8. & alij. Nam, cùm ob maximam caſuum particularium varietatem omnia lege comprehendi nequeant, rectè in cauſis particularibus multa prudenti Judicis arbitrio (qualis impræſentiarum eſt Epiſcopus, per Jura citata) commiſſa fuerunt, *l. Non poſſunt. ff. de Legib.* cum ſimilibus.

Reſp. II. Etiam reſpectu Regularium pertinet ad Epiſcopum Ordines collaturum judicare, atque in dubio determinare circa vitium corporis eorū. Ita Emanuel Rodericus *tom.* 1. *Quæſt. Regul. q.* 24. *art.* 4. hanc opinionem cenſens veriſſimam. Sylveſter ℣. *Corpore vitiatus. n.* 2. Navarrus *cit. n.* 200. *& Conſil.* 1. *num.* 3. *h. t.* dicens, in tali dubio ita eſſe recurrendum ad determinationem Epiſcopi, ut non ſufficiat arbitrium Confeſſarij, neque alicujus Prælati ejus, qui eſt ordinandus: idémque tradit Barboſa *in c. Cùm de tua. num.* 4. *h. t.* citans alios. Ratio eſt: tum quia in *cit. can. Communiter. diſt.* 33. *& cap.* 2. *h. t.* tale judicium committitur Epiſcopis. Tum quia nullo jure cogitur Epiſcopus illum ordinare, cujus defectum corporalem judicat eſſe tantum, & adeò gravem, ut inducat irregularitatem, ſicque impediat licitam collationem, & receptionem Ordinum.

Dicitur notanter, *ad Epiſcopum Ordines collaturum.* Quia non immeritò poſt Mirandam *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæſt.* 8. *art.* 3. *concl.* 1. hîc diſtinguitur, atq; allata doctrina intelligitur ſolùm quoad Regulares primùm ordinandos, utpote quos Epiſcopus ordinare non tenetur, ſi judicet, ipſos adeò gravi vitio corporis laborare, ut licitè

licitè à ſe ordinari non poſſint. Secùs quippe dicendum eſt de Religioſis, poſt Ordines jam ſuſceptos in tale vitium corporis incidentibus: quia tunc ſtante dubio, an illud ſit grave, ſeu generans ſcandalum, adeò ut impediat Ordinum jam ſuſceptorum executionem, judicium circa hoc ferre pertinet ad proprium Prælatum Regularem; utpote qui in ſuos ſubditos Regulares ordinariam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionē habet, *c. Abbates.* 3. *de Privileg. in* 6. ac proinde nōn tenetur Prælatus ipſum remittere ad Epiſcopum pro audiendo ejus judicio, cùm ipſemet iſtud circa ſuum ſubditum Religioſum ferre valeat. Concordat Summa Angelica *℣. Corpore vitiatus. n.* 5. ubi inquit, quòd in Religioſis exemptis judicabit ſuus Prælatus ordinarius, ſi dubitetur, an vitium corporis generet ſcandalum: quia iſthæc doctrina debet habere locum ſaltem in Religioſis jam ordinatis.

23 Dices. Dominus Deus *Levit. cap.* 21. generaliter præcepit, ut homo, qui habuerit maculam, non accedat ad miniſterium Altaris: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus &c. Ergo fruſtrà adhuc de his judicare relinquitur arbitrio Epiſcopi. Reſp. negando conſequentiam: nam imprimis Præcepta judicialia, & cæremonialia veteris Legis, in Chriſti morte fuerunt evacuata, atque obligare deſierunt; licèt poſtmodùm quædam judicialia, ob ſuam naturalem æquitatem, per Eccleſiam ſint reaſſumpta; prout uberiùs dixi *in Theolog. Moral. Tract.* 1. *Diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. *n.* 5. *&* 9. *& ſeqq.*

24 Deinde, quamvis allegatum Legis Moſaicæ præceptum ampliùs ad litteram non obliget, nihilominùs illud obligat etiamnum in ſenſu morali, ac myſtico; prout pulcherrimè declarat S. Gregorius Papa, *part.* 1. *Paſtoralis, cap.* 11. ac refertur *can.* 1. *diſt.* 49. Ubi per *Cæcum* intelligit eum, qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat, ac præſentis vitæ tenebris preſſus, venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit. Per *Claudum* verò, qui quidem quò pergere debeat aſpicit, ſed per infirmitatem mentis vitæ perfectæ viam tenere non valet: & ſic loquendo de cæteris, ad inſinuandum, quòd hujusmodi maculis quoad animam infecti, locum regiminis aſſumere non audeant; nec proprijs adhuc criminibus depravati, interceſſores ad Altare Domini fieri appetant pro culpis alienis.

25 Quæritur IV. Utrùm mutilantes ſeipſos, aut mutilationē perpeſſi cenſeantur irregulares, & ab Ordinibus repellendi? Reſp. I. Mutilans ſponte ſeipſum, aut mutilationem ſine juſta cauſa procurans in quacunque parte corporis, ſit irregularis, ſicque ab Ordinibus arceri debet. Ita communis; & patet ex *cap.* 3. *&* 5. *h. t.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Idem habetur expreſſum *can. Maritum. diſt.* 33. *& can. Si quis abſcidit. & can. Hi qui ſe. diſt.* 55. ubi is, qui ſibi ipſi abſcidit virilia, etiam ad repugnandum vitio carnali, Clericus fieri prohibetur: *quia* (inquit textus) *ſui eſt homicida, & Dei conditionis inimicus.* Quâ de causâ ibidem, ſi quis cùm Clericus fuerit ſemetipſum abſciderit, jubetur omninò damnari, hoc eſt, deponi, ut explicat Gloſſa *fin. in c. Significavit.* 4. *h. t.* Quia non licet alicui ſævire in corpus ſuum; cùm nemo ſit dominus membrorum ſuorum, *l. Liber homo.* 13. *ff. Ad legem Aquiliam.*

Atque hoc procedit non ſolùm, quando quis ſemetipſum caſtravit, vel integrum membrum amputavit; ſed etiam locum habet in eo, qui partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit. Nam etiam hunc ad Clerum Canones non admittunt, prout expreſsè dicitur in *can. Qui partem. diſt.* 55. eſtque Innocentij Papæ; ſicque indubitate habet vim obligandi. 26

Nec obſtat, quòd alioquin defectus digiti non inducat irregularitatem, ut ſuprà *n.* 14. dictum eſt. Non obſtat, inquam: quia in talibus ſeipſos mutilantibus non tam conſideratur defectus, quàm affectus, ſeu prava voluntas, atque ſævitia, qua quis auſus eſt ſibi vim inferre, ac ferrum injicere; prout *cit. can. Qui partem* notatur. 27

Limitat tamen iſtud Gloſſa *ibid. ℣. Digiti*, in caſu, quo quis haberet ſex digitos: nam poſſet tunc digitos ſuperfluos reſecare, ſicut ungues, aut dentes nimis prolixos præſcindere valeret. Verùm talis reſecatio non fieret absque juſta cauſa; ſicque non mirum, quòd licita exiſtat, dummodò poſſit fieri absque periculo vitæ, vel alterius gravis damni. 28

Inſuper procedit Concluſio, licèt culpa abſcindentis ſibi membrum, aut digitum, vel partem ejus, non ſit notoria. Siquidem Canones *n.* 25. allegati, non fundantur in notoreitate culpæ, ac delicti, ſed in prava voluntate atq; ſævitia, quam quis erga ſeipſum exercuit. Nicol. Garcias *de Beneficijs, part.* 7. *cap.* 12. *n.* 5. citans Gloſſam *in cap. fin. h. t.* Suarez *diſp.* 51. *de Cenſuris, ſect.* 2. *n.* 6. *&* 8. Molinam, Toletum, & alios: quamvìs Abbas *in d. cap. fin. h. t.* Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 198. ac nonnulli alij, ad incurrendam hanc irregularitatem requirant notoreitatem peccati, quod quis ſeipſum abſcindendo commiſit. 29

Procedit ulteriùs Concluſio, tametſi quis ex zelo indiſcreto, ut puta animo ſedandi libidinē, vel exiſtimando, eâ ratione ſe obſequium Deo præſtare, ſemetipſum mutilaverit, aut caſtrari permiſerit. Textus eſt *in cit. can. Hi qui ſe. diſt.* 55. *& c. Significavit.* 4. *h. t.* in quo priori loco ſermo potiſſimùm eſt de Laicis causâ ſedandæ libidinis ſeſe abſcindentibus, qui ſimpliciter & totaliter fiunt irregulares, nec ad Clerum promoveri ſinuntur. In poſteriori autem loco eſt mentio de Presbytero jam ordinato, & ſe caſtrari curante, eò quòd putaverit obſequium ſe præſtare Deo; qui efficitur irregularis partialiter ſolùm, ita ut ab Altaris miniſterio quidem arceatur (ſicque non poſſit celebrare Miſſam, nec ut Diaconus, vel Subdiaconus ſolemniter celebranti miniſtrare; prout infert Joan. Andreas *in d. c. Significavit. num.* 3. & Hoſtienſis *ibid.* §. *Quid ſit impotentia.* & Layman *num.* 2. *h. t.*) poſſit tamen ex diſpenſatione ſui Epiſco- 30

pi

pi cætera officia Sacerdotalia peragere, ſolemniter baptizando, pœnitentes abſolvendo, & hujuſmodi.

31 Reſp. II. Sectus in infantia, vel ex juſta cauſa faciens ſibi virilia amputari, licitè ordinari, atque in ſuſcepto Ordine miniſtrare poteſt: idémque dicendum de mutilatione ex juſta cauſa factâ in alio membro, dummodò exinde non impediatur exercitium Ordinis, nec alia notabilis deformitas conſequatur. Ita communis; & habetur deciſum tum *in can. Si quis à Medicis. diſt. 55.* tum *in cap. 3. & 5. h. t.* Siquidem hîc ceſſat ratio ſuperiùs allata imponendi irregularitatem, videlicet perverſa voluntas, & ſævitia in ſeipſũ, dum quis vel ignorans in infantia vel invitus, v. g. à latronibus ſecatur, aut mutilationem de conſilio Medicorum ſuſtinet ad avertendum gravius malum corporis; ac proinde ſubintrat regula generalis, quòd quis ob vitium corporis non repellatur ab Ordinibus, niſi vel inhabilitas ad congruum exercitium Ordinis, vel notabilis deformitas, ſcandalúmque inde conſurgat.

32 Quæritur V. Utrùm is, qui dans operam rei illicitæ caſu amiſit virilia, ſeu aliud membrum non impediens Ordinis executionem, vel in pœnam commiſſi delicti ab alio ijsdem privatus eſt, cenſeatur irregularis? Reſp. I. Quando quis dedit operam rei illicitæ, quæ ex ſe eſt periculoſa, ſeu inductiva talis mutilationis, cenſetur is ſecutâ mutilatione ſui manere irregularis: ſecùs, ſi illa actio prava ex ſe non eſt ita periculoſa. Ita Covarruvias *in Clem. Si furioſus. part. 2. §. 4. n. 19.* Nicol. Garcias *part. 7. de Beneficijs. cap. 12. num. 10. & ſeqq.* citans plures alios; quamvis quoad alteram partem non pauci teneant oppoſitum, indiſtinctè docentes, quòd dans operam rei illicitæ, ſi caſu perdat membrum, aut in pœnam commiſſi delicti ab inimicis ipſo privetur, fiat irregularis: ut Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 4.* Navarrus *cap. 27. Manual. n. 198.* Jo. Andreas, & alij plures; qui inde concludunt, Clericum illũ cenſeri irregularem, quem maritus cum uxore ſua deprehendit, & de membris inimicis vindictam ſumpturus, pudenda ejus abſcîdit: quia (inquiunt) hoc ipſi eſt imputandum.

33 Prima pars concluſionis eſt certa, & communis. Ratio eſt: quia ille, qui eſt cauſa culpabilis homicidij, vel mutilationis in alio factæ, cenſetur irregularis; ergo multò magis, ſi eſt cauſa culpabilis talis mutilationis in ſemetipſo. Antecedens patet ex *c. Presbyterũ. 7. & c. Continebatur. 8. de Homicid.* ubi is, qui non adhibuit debitam diligentiam, ne ex ſua actione ſequeretur occiſio hominis, hâc ſecutâ dicitur irregularis: ſic enim homicidium illud cenſetur ipſi, ſaltem indirectè, & in cauſa voluntarium.

34 Altera pars ex eo ſuadetur: quia hæc ipſa doctrina pariter reſpectu homicidij, vel mutilationis in perſona alterius contingentis, ſolùm procedit in caſu, quo quis exercuit actionem pravã, & ex ſe periculoſam, ne mors aut mutilatio ſequatur, nec tamen adhibuit cautelam; prout liquet ex caſibus, qui per citata Jura referuntur. Concordat. *c. De cætero. 11. de Homicid.* ubi quidem dicitur, quòd dans cauſam homicidio, ſit irregularis; Gloſſa tamen *v. Cauſam.* & Abbas *ibid. n. ult.* hoc intelligunt de cauſa propinqua, fortè quæ datur conſilio, præcepto, vel opere: ſecùs in remota, *arg. c. Exhibita. n. 22. de Homicid. & L. Qui domum habebat. ff. Locati.* Favet ad propoſitum textus *in cap. ult. de Homicid. in 6.* ubi ille, qui mandavit aliquem verberari, licèt expreſsè inhibeat, ne occidatur, vel mutiletur, efficitur irregularis, ſi mandatarius fines mandati excedendo mutilet, vel occidat: Cùm (inquit Pontifex) *mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe debuerit cogitare.* Et conſequenter, ubi cauſa culpabilis eſt ſolùm remota, neque ex ſe periculoſa, ut mutilatio inde evenire poſſe cogitari debeat, irregularitas non incurritur, argumento à ſenſu contrario deſumpto.

35 Atque conformiter dictis reſpondetur cum Authoribus hujus ſententiæ, quòd ille, qui deprehenſus in adulterio, & per maritum uxoris mutilatus amiſit virilia, non idcircò fiat irregularis: quia hæc cauſa, etſi ſit culpabilis, non eſt propinqua, ſeu ex ſe periculoſa, atque inductiva mutilationis, ſed ſolùm remota. Niſi forſan adulter ille omninò, ac benè prævidens periculum ſecuturæ mutilationis, ad fœminam illam acceſſiſſet: quia tunc ſine ſufficienti cautela culpabiliter ſe commiſit periculo mutilationis, iſtámq; ſaltem indirectè, & in cauſa ſua voluit, ac proin hâc ſecutâ efficitur irregularis; prout ſuam ſententiam limitat Garcias *loc. cit. num. 12. & 14.* poteſtque in hoc ſenſu ſalvari doctrina Navarri & aliorum, ſuprà *n. 32.* in contrarium allegatorum.

36 Quæritur VI. Quis poſſit diſpenſare ſuper irregularitate orta ex vitio corporis? Reſp. I. Regulariter loquendo cum corpore vitiatis ad ſuſcipiendum Ordines, vel in jam ſuſceptis miniſtrandum, diſpenſat ſolus Papa: quamquàm ſi grave ſit vitium corporis, & valdè magna inde conſurgat deformitas, ob reverentiam Sacramenti etiam Summus Pontifex non facilè diſpenſare ſoleat, *arg. cap. 2. h. t.* Ubi Papa, tametſi ex maxima gratia cum electo in Epiſcopum diſpenſare intenderit, adhuc priùs Archiepiſcopo, ejúſque Suffraganeis mandat, ut conſiderent, quanta ſit deformitas, & utrùm tale vitium corporis ſecundùm Canones, & conſuetudinem Eccleſiæ ſit diſpenſabile, ita ut ſcandalum in populo non ſit timendum; atque exinde, quod ſibi viſum fuerit, exequatur.

37 Et hoc ultimum ibi notanter additur, quia non ſolet Papa cum corpore vitiatis directè diſpenſare, ſed reſcribit potiùs Ordinario loci, ut ſi ex inſpectione oculari cognoverit, non adeſſe tantam deformitatem, ut exinde poſſit in populo ſcandalum oriri, nec aliud canonicum obſiſtat, ipſe diſpenſet. Rebuffus *in Praxi Beneficiorum. §. De diſpenſatione cum corpore vitiatis. n. 7.*

38 Reſp. II. Quando irregularitas orta fuit ex culpabili abſciſſione membri, ſimúlque membrũ atque ipſũ delictũ eſt occultũ, poteſt in ea Epiſcopus diſpenſare, vi conceſſionis à Concilio Tri-

Trident. *Seſſ.* 24, *cap.* 6. *de Reform.* ſibi factæ. Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 194. & alij. Alioquin autem in dubio poterit quidem Epiſcopus benignè interpretari, ſeu declarare, hic & nunc non adeſſe tantum defectum atque deformitatem corporis, ut irregularitatem inducat: non tamē in tali irregularitate diſpenſare, niſi vel ex ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ, ejúſque authoritate ſibi delegata; ut *c. Significavit.* 4. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. num.* 2. & Barboſa *n.* 3. citans communem. Vel niſi caſus illi ſint Jure expreſſi; ut *cap.* 1. *h. t.* & concordant dicta ſuperiùs *Tit.* 2. *De Conſtitutionibus.* §. 18. *n.* 463. *&* 456. *& ſeqq.*

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis.

SUMMARIUM.

1. *Bigamia, & Polygamia quid?*
2. *Polygamia nunc prohibita.*
3. *Bigamus, Trigamus, quis, & unde ſic dicatur?*
4. *Bigamia inducit irregularitatem.*
5. *Quæ deſcendit ex traditione Apoſtolica.*
   Nuptiæ terram replent, virginitas cœlum. Ibid.
6. *Irregularitas Bigamiæ oritur ex defectu Sacramenti; & cur?*
7. *Bigamia, quotuplex? Et num. ſeqq.*
8. *Bigamia vera, quæ?*
9. *Atque hæc inducit irregularitatem, etiam contracta ante Baptiſmum.*
10. *Solvuntur Jura in contrarium militantia.*
11. *Homicidium commiſſum ante Baptiſmum, cur non inducat irregularitatem, benè tamen Bigamia.*
12. *Bigamia interpretativa, quæ?*
13. *Incurritur etiam ab eo, qui ignoranter cognovit uxorem adulteram, vel duxit corruptam.*
    Etiamſi mulier per vim fuiſſet cognita ab alio. Ibid.
14. *Diſparitas inter irregularitatem ex occiſione hominis, & ex Bigamia provenientem.*
15. *Bigamia ſimilitudinaria, quæ?*
16. *In matrimonijs contrahendis non juris effectus, ſed affectus attenditur.*
17. *Fornicans cum pluribus, non incurrit Bigamiam. Et num. ſeqq.*
18. *Irregularitas Bigamiæ non inducitur per crimen, ſed propter defectum ſacramenti. Et num. 6.*
19. *Stulti non debent eſſe melioris conditionis, quàm prudentes.*
20. *Major requiritur caſtitas in uxore Clerici, quàm in Clerico; & cur?*
21. *An efficiatur bigamus, qui à ſe ſolo defloratam duxit in uxorem? Et ratio ſententiæ affirmativæ.*
22. *Negativa ſententia eſt tenenda.*
23. *Solvuntur Jura in oppoſitum.*
24. *Bigami omni privilegio Clericali ſunt privati.*
25. *Et quidem ipſo facto.*
26. *Niſi matrimonium cum vidua, vel cum ſecunda contractum, exiſtat invalidum.*
27. *Dicta pœna privationis omnis privilegij Clericalis, habet locū in Clericis Minoriſtis bigamis: ſecùs de Clericis, qui ſunt conſtituti in ſacris Ordinibus.*
28. *Papa poteſt diſpenſare in omni bigamia. Et num. ſeqq.*
29. *Nec obſtat præceptum Apoſtoli; & cur?*
30. *Explicatur* c. Super eo. 2. h. t.
31. *Poteſt Epiſcopus diſpenſare in bigamia occulta, proveniente ex delicto,*
32. *Non autem in vera, vel interpretativa bigamia notoria. Et num. ſeqq.*
33. *Et hujus ratio.*
34. *Referuntur rationes in contrarium.*
35. *Ob quas non pauci tenent oppoſitam ſententiam.*
36. & 37. *Iſtæque ſolvuntur.*
38. *In bigamia ſimilitudinaria diſpenſat Epiſcopus.*
39. *Si purè ſit talis, nec habeat admixtam interpretativam bigamiam.*

1 QUæritur I. Quid ſit Bigamia, & unde inducat irregularitatem? Reſp. I. *Bigamia* propriè aliud nō eſt, quàm ſucceſſiva reiteratio matrimonij. Et additur, *ſucceſſiva*; ad differentiam *Polygamiæ*, quæ eſt ſimultanea pluralitas uxorum: qualis olim ex divina revelatione, atque diſpenſatione, Patriarchis antiquæ Legis permiſſa fuerat, *c. Gaudemus. de Divortijs*, cum ſimilibus. Idque ob paucitatem Fidelium, ut nimirum hoc modo vera Fides, & agnitio unius Dei, cœli terræque Conditoris, quæ ob graſſantem tunc undequaque idololatriam propemodùm extinguebatur, ſaltem in poſteris Abrahæ copioſiùs conſervaretur.

Nunc autem in Lege Evangelica penitus eſt reprobata, & per Chriſtum Dominum ſublátá Polygamia, ſeu ſimultanea pluralitas uxorum: ut *Matth. 19. Marci 10. Lucæ 11. & cit. c. Gaudemus de Divortijs*, ac alibi; éſtque noviſſimè definitum in Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *can.* 2. 2

3 Proinde *Bigamus* propriè vocatur ille, qui diverſis temporibus, & ſucceſſivè duas legitimas habuit uxores, & cum utrâque matrimonium conſummavit. Hoſtienſis *in Summa. h.t. n. 2.* Et dicitur *Bigamus*, quaſi homo bini conjugij, ſeu binæ mulieris maritus: ſicut *Monogamus* dicitur unius uxoris vir, *can. Unius uxoris. diſt. 26.* à *monos*, quod eſt unum, & *gamos*, quod eſt conjugium, vel mulier, ut explicat Gloſſa *ibidem.* Hinc *Trigamus*, qui tres; *Octogamus*, qui octo ſucceſſivè habuit uxores; & ſic loquendo de alijs, *can. Aperiant. 31. q. 1.*

4 Reſp. II. Quamvis priore uxore mortuâ licitum ſit ad ſecunda vota tranſire; ut patet ex toto *Titulo*, *De ſecundis nuptijs*, & alibi: nihilominùs ejusmodi Bigamia, ſeu ſucceſſiva pluralitas uxorum, inducit irregularitatem; ac proinde Bigami ordinari prohibentur. Ita communis; & patet ex Rubrica præſentis Tituli, quæ inſcribitur: *De Bigamis non Ordinandis*: ſicque, quia reddit ſenſum perfectum, deſervit pro regula negativa. Idem liquet ex Nigro præſentis Tituli, ac toto ejus progreſſu, unàcum pluribus concordantijs.

5 Porrò hujusmodi irregularitas ex Bigamia proveniens, ac per diverſos SS. Canones declarata, deſcendit ex antiquiſſima traditione Apoſtolica, juxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum.* Et infrà: *Diaconi ſint unius uxoris viri.* Intellige, non quòd neceſſariò debeant eſſe uxorati, ſed quòd non plures debeant habuiſſe uxores: & ſic verba affirmativa exponuntur negativè. Gloſſa *can. Unius uxoris. diſt. 26. ℣. Unius.* Unde, qui nullam habuit uxorem, non prohibetur ordinari: imò tales liberiùs, & affectuoſiùs ſunt admittendi, *can. Ante triennium. diſt. 31. & can. Catinenſis. diſt. 61.* Ac meritò: quia *nuptiæ terram replent, virginitas cœlum*, prout dicitur *can. Nuptiæ. 31. q. 1.*

6 Communiter autem hæc irregularitas dicitur oriri *Ex defectu Sacramenti*, ut notatur *can. Acutius. diſt. 26. & c. Debitum. 5. h. t.* Siquidem matrimonium conſummatum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem: juxta illud Apoſtoli Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia.* Hæc autem ſignificatio deficit in matrimonio cum ſecunda uxore, vel cum vidua, aut corrupta contracto, & conſummato: quia talis non eſt conjunctio unius cum una, eâque virgine; ſicuti Dei Filius per carnis aſſumptionem copulavit ſibi Ecleſiam unam, virginem, & ab alio non aſſumptam.

7 Quæritur II. Quotuplex ſit Bigamia? Reſp. I. Bigamia eſt triplex, videlicet vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. Ita Navarrus *cap. 27. Manual. n. 195.* Fagnanus *in c. Nuper. n. 2. h. t.* & communis Modernorum; quamvis Gloſſa *in c. Super eo. ℣. In bigamis.* ac Hoſtienſis *in Summa, n. 3. h. t.* & nonnulli alij Antiquiores, duo tantùm membra conſtituant, nempe Bigamiam veram, & interpretativam. Et quòd quælibet ipſarum arceat à receptione Ordinum, atque irregularitatem inducat, patebit ex Juribus illicò allegandis. Itaque

Bigamia vera eſt, quando quis validè contraxit matrimonium cum duabus, illúdque conſummavit. Et additur notanter, *illúdque conſummavit:* nam ex ſolo matrimonio rato cum ſecunda inito non conſurgit bigamia, niſi illud etiam ſit conſummatum; ut liquet ex *can. Valentino. diſt. 34. & c. Debitum. 5. h. t.* Ubi is, qui mulierem ab alio viro deſponſatam per verba de præſenti, ſed ab illo non cognitam, duxit uxorem, bigamus non cenſetur, nec impeditur promoveri ad Sacerdotium. *Quia* (inquit Pontifex) *nec illa, nec ipſe carnem ſuam diviſit in plures*; ſicque non intervenit defectus ſacramenti ſignificantis conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per carnis aſſumptionem. Quinimò matrimonium ratum, quod conſiſtit in conſenſu animorum per verba de præſenti, ſignificat tantummodò conjunctionem Chriſti cum anima fideli per gratiam, ſeu charitatem, *d. c. Debitum.*

9 Porrò, quòd Bigamia vera inducat irregularitatem, præter traditionem Apoſtolicam ſuprà jam allegatam, patet *ex can. Maritum. diſt. 33. & can. Cognoſcamus. & ſeqq. diſt. 34. & cap. 1. & 3. h. t.* Idque procedit, ſive quis ante Baptiſmum, ſive poſt ipſum, duas uxores habuerit, aut viduam duxerit: quia talis ex eodem defectu ſacramenti cenſetur excluſus ad Ordinibus. *In Baptiſmo enim crimina dimittuntur, non acceptæ uxoris conſortium relaxatur;* prout notatur *in can. Si quis viduam. diſt. 34.*

10 Nec dicas, hanc doctrinam contradicere *can. Unius uxoris. diſt. 26.* Reſp. enim, id accidere ex eo: quia olim gravis fuerat controverſia inter S. Hieronymum, & S. Auguſtinum, an ille, qui ante Baptiſmum habuit unam, & poſt Baptiſmum alteram uxorem, ſit ordinandus? Et quidem S. Hieronymus relatus *in cit. can. Unius uxoris. diſt. 26.* cenſuit, talem poſſe ordinari; eò quòd per Baptiſmum factus ſit novus homo, ac proin nec ſtupra, nec alia, quæ antè fuerunt, ei jam obſint. Verùm S. Auguſtinus, relatus *in can. Acutius. ead. diſt. 26.* contrarium tenuit, aſſerens, talem eſſe bigamum ob defectum ſacramenti, ſicque juxta verbum Apoſtoli non eſſe ordinandum: cujus ſententia per Innocentium Papam poſteà fuit approbata *in can. Deinde. ead. diſt. 26.* & rurſus in *cit. can. Si quis viduam. diſt. 34.* idque ob rationes proximè allatas.

11 Quòd ſi urgeas. Homicidium comiſſum ante receptum Baptiſmum, non cauſat irregularitatem, *can. Si quis viduam. diſt. 50. & can. Si quis poſt Baptiſmum. diſt. 51.* ergo idem dicendum de Bigamia. Reſp. negando conſequentiam, & paritatem. Nam quoad homicidiū Jura expreſsè hoc ſtatuunt, eò quòd per Baptismum crimina plenè dimittantur, ſicque etiam purgetur prior prava & immitis voluntas, qua illud fuit commiſſum. Secùs dicendum de Bigamia: neque enim in

in Baptiſmo tollitur acceptæ uxoris conſortium, nec reintegratur diviſio carnis, ut ceſſare valeat defectus ſacramenti, per Apoſtolum, *cit. cap. 5. ad Epheſios,* explicati.

Bigamia interpretativa dicitur, quæ incurritur ab eo, qui quâdam Juris fictione, ſeu interpretatione, cenſetur habuiſſe duas uxores, etſi verè illas non habuerit: ut ſi quis contraxit cum viduâ, vel ab alio corruptâ, *cit. can. Maritum. diſt. 33. & can. Si quis viduam. diſt.* 34. & alibi. Item, ſi quis cognovit propriam uxorem poſt adulterium ab ipſa commiſſum, *can. Si cujus. & can. Si laici. diſt.*34. ubi proin Laicus, cujus uxor adulterium commiſerat, & poſteà adhuc ab eo cognita fuerat(ut addit Gloſſa *ibid. ℣. Admitti.*) ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti, ſeu ordinari prohibetur: ſi verò poſt alicujus Clerici ordinationem, uxor ejus adulterata fuerit, jubetur hæc dimitti; ſin minus, Clericus ille à ſuſcepto Altaris miniſterio alienus eſſe. His accedit alius modus Bigamiæ interpretativæ, quando videlicet quis contrahit, & conſummat duo matrimonia invalida, vel unum validum, & alterum irritum: & hoc, non propter defectum Sacramenti (ſupponitur enim, matrimonium eſſe invalidum) ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto, *arg. c. Nuper à nobis. in fin. h. t.* ac notat Navarrus *cap. 27. Manual. n. 195.* & Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 49. n.* 11. citans alios.

1 Et ſciendum, quòd Bigamia interpretativa nō ſolùm incurratur ab eo, qui uxorem adulterā, vel jam ab alio corruptā, cognovit ſcienter, ſeu reſciens eam eſſe talem; ut vult Sà. *℣. Irregularitas ex bigamia. n. 2. & 3.* Ledeſma *in Summa, de Matrim. cap. 32. concl. 6. ad fin.* ſed etiam ab illo, qui duxit corruptam, quam credebat eſſe virginem, aut qui uxorem adulteram cognovit, ignorans eſſe talem. Ratio eſt: quia impræſentiarum non agitur de irregularitate proveniente ex delicto, ſeu propriâ culpâ, ad quam requiritur ſcientia; ſed de ea, quæ provenit ex defectu Sacramenti, qualem poteſt pati, & in dictis caſibus patitur ignorans. Navarrus *cit. n.* 195. Garcias *part. 7. de Benefic. cap. 6. n.* 16. Barboſa *cit. allegat.* 49. *n.* 9. Fagnanus *c. Nuper à nobis. n. 5. h. t.* & communis aliorum. Quinimò iſtud extendunt Doctores etiam ad eum caſum, quo mulier per vim fuit cognita ab alio: quia vis illa præciſa excuſat quidem fœminam à culpa, ſed non tollit defectum Sacramenti.

1 Nec dicas. Juſtè occidens hominem, ut puta Judex malefactorem, incurrit irregularitatem ex defectu ſolùm, & tamen ab hac incurrenda excuſat ignorantia, *c. Lator. & c. Dilectus. cum ſeqq. de Homicid.* ergo pariter excuſat ignorantia ab irregularitate Bigamiæ. Reſp. enim negando conſequentiam, & paritatem: nam illa irregularitas eſt à Jure inducta ob defectum perfectæ lenitatis ex parte occiſoris; atque ideò neceſſe eſt, ut ſit voluntaria: ſecùs eſt in irregularitate Bigamiæ, utpote quæ eſt inducta à Jure ſolùm ex defectu Sacramenti, qualis poteſt intervenire etiā ſtante dictâ ignorantiâ.

Bigamia ſimilitudinaria eſt, quæ contrahitur ex attentatione & conſummatione matrimonij, licèt invalidi, poſt votum ſolemne Profeſſionis, vel receptionem ſacrorum Ordinum. Nam ſi quis per ejusmodi ſolemne votum priùs cum Deo, vel Eccleſia contraxerit, & poſteà carnale matrimonium de facto (de jure enim non poteſt) attentare præſumpſerit, ſimilis cenſetur iteratò contrahenti, ſicque incurrit bigamiam ſimilitudinariam; ut *can. Quotquot. & can. Monacho. 27. q. 1.* juncto *c. Nuper à nobis. 5. & cap. ult. h. t.* 15

Nec obſtat, quòd tale matrimonium ipſo jure ſit nullum; ſicque non videatur poſſe præſtare impedimentum Ordinum recipiendorū, *arg. c. Non præſtat impedimentum. de Reg. Jur. in 6.* Reſp. enim, hoc neutiquam obſtare, atque dictam Regulam Juris impræſentiarum pati limitationem, per *cit. c. Nuper à nobis. h. t.* Ubi dicitur, quòd quantùm ad incurrendam irregularitatē bigamiæ *in matrimonijs contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attendatur: unde illum comitatur infamia, qui duas ſimul habuit uxores.* haud obſtante, quòd ſecundum matrimonium ſit nullum. Talis igitur, licèt in veritate bigamus non ſit, adhuc tamen inter bigamos reputatur: *non quidem propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.* Hæc ibi. Et concordat *d. cap. ult. h. t.* ubi proin deciſum habetur, Subdiaconum, qui cum vidua contraxit de facto (de jure enim non potuit) eàmque cognovit, incuriſſe pœnam bigamiæ, licèt bigamus non ſit. Unde paucis loquendo, ita contrahens cenſetur bigamus, non effectivè, ſed affectivè, atque ſimilitudinariè. 16

Quæritur III. An bigamiam, ſeu irregularitatem ex defectu Sacramenti incurrat, qui extra matrimonium conſtitutus cū pluribus fornicatur, aut plures habet concubinas? Reſp. negativè: quinimò Presbyterum, qui plures habuit concubinas, ex hoc nō eſſe bigamū, neq; irregularē, expreſsè deciſum habetur *in c. Quia circa. 6. h. t.* Ratio eſt: quia hîc non intervenit defectus Sacramenti (de quo habetur mentio *in c. Debitum. h. t.* eſtque dictū ſuprà *n. 6.*) cùm nullum præceſſerit matrimonium, ne quidem attentatum, ſignificans conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. 17

Nec dicas, hinc ſequi inprimis illud mirabile, quòd plus favoris habeat luxuria, quàm caſtitas; cùm caſtitas conjugalis ſervata cū viduâ, vel ab alio corruptâ, inducat irregularitatem bigamiæ, non autem fornicatio cum pluribus. Reſp. enim negando ſequelam: nullus enim hinc favor fit luxuriæ, utpote peccato graviſſimo; ſed id accidit ex eo, quia bigamiæ irregularitas non inducitur propter crimen, ſed propter defectū Sacramenti, *cit. c. Debitum. h. t.* & notat Gloſſa *can. Acutius, diſt. 26. ℣. De Sacramento,* Fagnanus *in c. Super eo. n.* 10. *h. t.* cum communi. Unde cùm talis defectus Sacramenti reperiatur in matrimonio contracto cum vidua, non autem in for- 18

nicatione cum pluribus; non mirum, quòd ratione illius incurratur bigamia, non autem ratione hujus: ſicuti in ſimili Judex, ex zelo juſtitiæ vindicativæ condemnans Reum ad mortem, fit irregularis, quamvis exerceat opus virtutis; incurrit enim defectum perfectæ lenitatis.

Neque rurſum dicas. Stulti non debent eſſe
19 melioris conditionis, quàm prudentes, *c. Eum qui. de Præbend. in 6.* atq; ampliùs probat Gloſſa *in c. Quia circa. ℣. Bigami. h. t.* Inſuper *non eſt iſta via danda ſervis Dei, ut ſe faciliùs putent eligi ad aliquid melius, ſi facti ſint deteriores*; prout dicitur *in can. Legi epiſtolam. 16. q. 1.* Ergo non videtur dicendum, quòd matrimonium cum duabus uxoribus, aut cum una vidua legitimè contractum, & conſummatum inducat irregularitatem bigamiæ, non autem fornicatio cum pluribus. Reſp. enim conformiter dictis, rurſus negando conſequentiam: quia irregularitas bigamiæ non inducitur propter crimen, ſed propter defectum Sacramenti (unde communiter ea connumeratur inter irregularitates ex defectu, non ex delicto) talis autem defectus Sacramenti ibi quidem intervenit, non autem hîc.

Urgebis. Ergo major requiritur caſtitas in
20 uxore Clerici quàm in viro Clerico, vel ordinando in Clericum; quod videtur inconveniens. Reſp. negando, id eſſe inconveniens; ut notat Gloſſa *in c. Debitum. ℣. Cognitam. h. t.* reddens hujus plures rationes: quæ tamen reverà non convincunt, uti probat Abbas *ibid. n. 1. circa fin.* Dicendum proinde, quòd iſtud proveniat ex ordinatione Eccleſiæ; cùm uxore exiſtente viduâ, vel corruptâ, deficiat Sacramentum, ſeu ſignificatio conjunctionis Chriſti cum Eccleſia: ſecùs in viro. Nam actus contrahendi matrimonium, ſuper quo radicatur bigamia, non tendit in ſeipſum, ſed in alium: unde ſi mulier poſſet Ordines recipere, ducendo virum corruptum efficeretur bigama; ſed quia vir eſt capax Ordinum, hinc ipſe ex corruptione uxoris per aliũ facta, efficitur bigamus, non autem ex ſua. Abbas *loc. cit.* & alij.

Quæritur. IV. An efficiatur bigamus, & irre-
21 gularis, qui à ſe ſolo priùs defloratam duxit in uxorem? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, deſumitur ex *can. Curandum. & can. Præcipimus. diſt. 34. & can. Qualis. 30. q. 5.* ubi prohibetur ad ſacros Ordines accedere, vel promoveri, qui uxorem non virginem duxit. Concordat *can. Maritum. diſt. 33.* ubi is, qui unam quidẽ, ſed concubinam habuit, non permittitur ordinari: unde Gloſſa *ibid. ℣. Concubinam,* infert, quòd ſi quis habuit virginem concubinam, licet poſteà eam ſumat uxorem, non poſſit promoveri. Atque ita tenet Hugo, & Hoſtienſis in *c. Sanè. de Cleric. conjugat.* Verùm his non obſtantibus

Reſp. I. Qui duxit uxorem à ſe tantummodò
22 priùs corruptam, non eſt bigamus, ſicque poteſt ordinari. Ita Gloſſa *fin. in c. Debitum.* & ibi Abbas *n. 2. h. t.* & ampliùs Gloſſa *in can. Qualis. 30 q. 5. ℣. Deſponſata. & in cap. un. ℣. Contraxerunt. de Cleric. conjugat. in 6.* Navarrus *cap. 27. Manual, n. 195.* Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 49. n. 7.* cum pluribus alijs, quos citat. Et meritò: tum quia talis non diviſit carnem ſuam in plures, ſed adhuc eſt unicus unicæ ſponſus, ſicque non patitur defectum Sacramenti. Tũ quia omnia, quæ præceſſerunt, legitimantur per ſubſequens matrimonium, dum iſtud quâdam juris fictione retrotrahitur ad tempus præteritum: ut *c. Tanta. Qui filij ſint legitim. & § fin. Inſtit. de Nuptijs.*

Nec obſtant Jura *num. 21.* in contrariũ allegata. Nam illa procedunt, quando fœmina priùs fuit corrupta ab alio, ſicque non eſt deſponſata virgo; tunc enim intervenit bigamia interpretativa. Secùs, quando à ſe ſolo deflorata extitit: quia tunc in virginitate cenſetur deſponſata, eò quòd ſequens matrimonium retrotrahatur, & fingatur præceſſiſſe. Gloſſa, & Abbas, *ubi ſuprà.*

Quæritur V. Quomodo intelligendum ſit *cap. un. h. t. in 6.* ubi declaratur, bigamos omni privilegio Clericali eſſe privatos, ac juriſdictioni Fori ſæcularis ſubjectos? Verba ejusdem, ex Concilio Generali Lugdunenſi deſumpta, ſic ſonant: *Bigamos omni privilegio Clericali declaramus eſſe nudatos: coërtioni Fori ſæcularis addictos, conſuetudine contrariâ non obſtante. Ipſis quoque ſub anathemate prohibemus, deferre Tonſuram, vel habitum Clericalẽ.* Hæc ibi: Concordat *can. Quiſquis. diſt. 84.*

Reſp. I. Dicta pœna incurritur à bigamis ipſo facto; prout indicant verba illa, *Declaramus eſſe nudatos,* quæ important pœnam latæ ſententiæ: atque extenditur ad bigamos verè, vel interpretativè; ut dum quis duas ſucceſſivè habuit uxores, vel quia cum viduâ, ſeu corruptâ contraxit. Ita Gloſſa *in cit. cap. un. h. t. in 6. ℣. bigamos;* & clariùs hoc ipſum patet ex *cit. can. Quiſquis. diſt. 84. & c. De bigamis. h. t.* ubi propriè bigami, & viduarum mariti, æquiparantur, idq; ob defectum ſacramenti.

Reſp. II. Loquendo tamen in caſu, quo Clericus Minoriſta cum vidua, vel cum ſecunda, ſolùm de facto contraxit, ſeu invalidè ob occultum impedimentum, tunc non videtur dicta pœna, ſeu privatio omnis privilegij Clericalis locũ habere. Ita Fagnanus *in c. Nuper à nobis. n. 22. & ſeqq. h. t.* citans Geminian, Abbat. Tholoſan. & alios; ac ſequitur Pirhing *h. t. n. 23.* poſt Suarez *diſp. 49. de Cenſuris, ſect. 5. n. 5.* Ratio eſt: quia conſtitutio *cit. cap. un. h. t. in 6.* loquitur ſimpliciter de bigamis; ergo cùm ipſa ſit pœnalis, non debet extendi, ſed intelligi in ſua ſtricta & propria ſignificatione, ſeu de tali bigamia, quæ oritur ex defectu ſacramenti, & de qua fit ſermo in *cit. can. Quiſquis. diſt. 84.* cum ſimilibus. Atqui contrahens cum vidua, vel cum ſecundâ, ſolùm de facto, ſeu invalidè, non incurrit talem bigamiam ex defectu ſacramenti (quia ſecundum matrimonium ſupponitur eſſe invalidum) ergo.

Reſp. III. Pœna privationis omnis privilegij Clericalis, unàcum prohibitione deferendi Tonſuram, & habitum Clericalem, *in cit. cap. un. h. t. in 6.* impoſita bigamis habet locum ſolummdò in Clericis Minoriſtis, ſeu conſtitutis in

n Ordinibus minoribus: ſecus dicendum de ijs, qui iam ſunt conſtituti in ſacris Ordinibus. Ita Gloſſa ibid. *v. Bigamos.* cōmuniter recepta. Ratio eſt: quia Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, non niſi per degradationem privantur habitu, & Tonſurâ, omnique privilegio Clericali, ut *c. Degradatio, de Pœnis in 6.* Adeóque, licèt ſimilitudinariam bigamiam incurrant, contrahendo de facto ſolùm, ſeu invalidè matrimonium, illúdque conſummando; adhuc ob reverentiam ſacrorum Ordinum retinent privilegium Fori, & Canonis, *arg. c. Nuper à nobis. & cap. ult h. t.* ac notat Suarez *cit. ſect. 5. n.* 7. & Pirhing. *h. t. n.* 24.

28 Quæritur VI. Quis poſſit diſpenſare in Bigamia? Reſp. I. Papa poteſt diſpenſare in omni Bigamia. Ita Abbas *in c. Super eo. n. 6. h. t.* Hoſtienſis *in Summa, h. t. circa finem,* & alij; quamvis nonnulli Canoniſtæ diſſentiant, eò quòd *in cit. c. Super eo.* Lucius Papa III. aſſerat: *Quia in Bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, ut debeant ad ſacros Ordines promoveri* &c. Ratio Concluſionis eſt: quia talis irregularitas non eſt annexa bigamiæ de Jure naturali, aut Divino, ſed ſolùm humano Eccleſiaſtico. Quinimò, ut inquit Innocentius *in c. Cùm pridem. §. Perſonæ verò. de Renunciat.* & poſt ipſum Abbas *loc. cit.* omnis irregularitas eſt à Jure poſitivo Eccleſiaſtico: atqui in hoc Papa de plenitudine poteſtatis poteſt diſpenſare, *c. Propoſuit. 4. de Conceſſ. Præbend.*

29 Nec obſtat præceptū Apoſtoli, prohibentis bigamos ordinari. Tum quia Apoſtolus prohibuit quidem tales ordinari, non tamen diſpenſari: tum quia idem Apoſtolus pariter prohibuit ordinari percuſſorem, & tamen in hoc Papa diſpenſat; ut *cap. penult. & ult. de Cleric. percuſſor.* Accedit, quòd præcepta illa, quæ Apoſtoli, veluti Paſtores & Rectores Eccleſiæ, pro meliori ejuſdem gubernio conſtituerunt, ſint Juris duntaxat Eccleſiaſtici; ut dictum *in Proœmio. §. 2. num. 26. & 27.* ſicque in ipſis poterit Papa diſpenſare; cùm ipſe in ligando, & ſolvendo, Apoſtolicâ auctoritate ſit præditus.

30 Neque etiam urget textus ex *c. Super eo 2. h. t.* allegatus. Quia non dicitur, quòd nullo modo poſſit diſpenſari cum bigamo; ſed, quòd non liceat diſpenſare contra Apoſtolum, videlicet non ſubſiſtente gravi & juſtâ causâ. Quare etiã Summus Pontifex non ſolet abſque graviſſima cauſa diſpenſare cum bigamis, præſertim veris ac propriè dictis, ne contra Apoſtolicam, & in univerſali Eccleſia receptam conſuetudinem, paſſim agere convincatur; quamvis abſolutè talis poteſtas diſpenſandi non ſit eidem ablata, *arg. can. ult. diſt. 82.* ubi in ſimili caſu, Papam ex rationabili cauſa contra Canones Apoſtolorũ diſpenſare poſſe, perhibetur. Atque hoc ipſum cum bigamis factum eſſe, patet ex *can. Si Subdiaconus. & can. Lector. diſt. 34. & can. Quicunque pœnitens. diſt. 50.*

31 Reſp. II. Poteſt Epiſcopus diſpenſare in bigamia occulta, & contracta inde irregularitate, quoties ea provenit ex delicto; juxta concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ac veluti indubitatum tradit Fagnanus *c. Nuper à nobis. n. 9. & 10. h. t.*

Reſp. III. Loquendo nihilominùs de vera, vel interpretativa bigamia notoria, & contracta inde irregularitate, nequit in ea de Jure communi, ac ſecluſo ſpeciali privilegio, dipſenſare Epiſcopus, ne quidem ad Ordines minores, aut primam Tonſuram, vel Beneficium ſimplex. Ita Gloſſa *fin. in can. Virginem. 27. q. 1.* Fagnanus *c. Super eo. n. 19. & ſeqq. h. t.* Nicolaus Garcias *part. 7. de Beneficijs. cap. 6. n. 3. & ſeqq.* ubi refert Declarationem Sac. Congregationis Concilii circa hoc factã die 30. Januarij, 1589. & à Sixto V. approbatam. Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 49. n. 25.* allegans aliam Declarationem Sac. Congregationis Concilij in Feretrana. 13. Aprilis, 1630. Vallenſis *h. t. num. 5.* Pirhing *eod. n. 28.* & alii; licèt, ob rationes locò objectionum afferendas, non pauci teneant oppoſitum. 32

Fundamentum Concluſionis, & ſententiæ negativæ, deſumitur ex *can. Cognoſcamus. diſt. 34.* ubi legitur, præceptum Apoſtoli de non ordinandis bigamis, à Patribus in Concilio Nicæno ad quosvis Clericos fuiſſe extenſum. Hinc *in can. Non confidat. diſt. 50.* generaliter dicitur, ut *non confidat quisquam Pontificum, Bigamos -- Divinis ſervitutos applicare miniſterijs.* Concordat *c. Si ſuper. 2. & c. Nuper à nobis. 4. h. t.* ubi pariter habetur, quòd in bigamia contra Apoſtolum diſpenſare non liceat, cum ſimilibus. Inſuper *in cap. un. h. t. in 6.* & in Concilio Trident. *Seſſ. 25. cap. 17. de Reform.* Clerici bigami nullo privilegio Clericali gaudere ac nec in Ordinibus minoribus (ex officio nimirum, ac vi Ordinis) miniſtrare permittuntur. Atqui nullibi reperitur Epiſcopis conceſſa poſtmodùm facultas diſpenſandi cum bigamis contra præceptum Apoſtoli, atque allegatos Canones; ergo poteſtate ſuâ ordinariâ id non poſſe, dicendum reſtat. 33

Dices. *In can. Lector. diſt. 34.* abſolutè conceditur facultas diſpenſandi cum Lectore, qui Viduam duxerat, ſicque bigamus erat, ut *in Lectoratu permaneat, aut ſi fortè neceſſe ſit, Subdiaconus fiat* (eò, quòd tùnc Subdiaconatus nondum cenſeretur Ordo Sacer) *nihil autem ultrà.* Atqui, quando in Canone ſimpliciter dicitur poſſe diſpenſari, cenſetur Epiſcopo data facultas diſpenſandi; ut pluribus dictum eſt ſuprà *Tit. De Conſtitutionibus. §. 18. num. 467.* ergo. Accedit, quòd Epiſcopus cum Clericis criminoſis poſt peractam pœnitentiam poſſit diſpenſare, ut *c. At ſi Clerici. §. De adulterijs. de Iudicijs:* ſicut & cũ illegitimis diſpenſat Epiſcopus quoad Ordines minores, & Beneficium ſine cura, *cap. 1. de Filijs Presbyt. in 6.* idem ergo dicendum de bigamis, ob paritatem rationis. Quinimò *in cap. 1. Qui Clerici vel voventes &c.* expreſſum legitur, quòd cum Diacono, qui matrimonium defacto contraxerat, poſt peractam veram pœnitentiam diſpenſet Epiſcopus; ergo. 34

Atque

35 Atque ob has, & alias hujuſmodi rationes, non pauci Doctores tenent oppoſitam ſententiam, aſſerentes Epiſcopum poſſe diſpenſare çum bigamo, ut accipiat Ordines minores, ſuſceptíſque utatur, & quoad Beneficium ſimplex; prout tenet D. Thomas *in 4. diſt. 27. q. 3. art. 3.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. in fin.* & noñulli alij, quos refert Fagnanus *loc. cit. n. 21. & ſeqq.* & Barboſa, *ubi ſuprà, n. 24.* & alij. Verùm loquendo de poteſtate ordinaria Epiſcopi, atque extra caſum urgentiſſimæ neceſſitatis (quod additur ob dicta ſuperiùs *Tit. De Conſtitutionibus.* §. 18. *n. 470. & ſeqq.*) prior ſententia paſſim cenſetur probabilior, ac ſtantibus memoratis Declarationibus Sac. Congregationis Concilij omnimodis tenenda. Unde ad propoſitam objectionem reſpondendo in forma, negatur conſequentia.

36 Ad *can. Lector. diſt.* 34. dicitur, quidquid ſit de authoritate illius Canonis, quem Suarez *de Cenſuris, diſp. 49. ſect. 6. n.* 4. & Layman *c. Super eo. n. 2. h. t.* aſſerunt, non eſſe Martini Papæ (ut Gratianus inſcribit) ſed Martini Bracharenſis Archiepiſcopi, qui diverſos Canones collegit; prout ibidem etiam videtur obſervâſſe Annotatio marginalis: quo ſtante Canon ille parùm urgeret. Verùm, quidquid ſit de hoc, ex Canone illo nihil probatur: tum quia ibidem non declaratur, quòd dicta diſpenſatio poſſit fieri per Epiſcopum, præſertim contra præceptum Apoſtoli, ac prohibitionem Concilij Generalis Nicæni. Tum quia, licèt tunc facultas diſpenſandi fuiſſet Epiſcopis conceſſa per Martinum Papam, eadem tamen poſtmodùm foret revocata per ſubſequentes Canones: ut *c. Nuper à nobis. h. t. & cap. un. eod. in 6.* cum ſimilibus; ac noviſſimè per Concilium Tridentinum *cit. Seſſ. 25. cap. 17. de Reform.* Fagnan. *loc. cit. n. 34.* Pirhing *h. t. n. 29.*

37 Ad *c. At ſi Clerici. de Judicijs, & cap. 1. de Filijs Presbyt. in 6.* dicitur, ibi Epiſcopis expreſsè concedi facultatem diſpenſandi. Quia igitur impræſentiarum talis expreſſa licentia nullibi reperitur, dicti Canones parùm urgent, imò potiùs militant in oppoſitum: cùm in materia generaliter prohibita, quod expreſsè non conceditur, ut ibi, intelligatur denegatum, *Clem. Exivi. §. Porrò cùm. de Verb. ſignif.* Accedit ratio diſparitatis: quia delicta per pœnitentiam delentur, ideòque hâc ſecutâ facilè Jura conceſſerunt Epiſcopis facultatem diſpenſandi: ſecùs eſt in defectu Sacramenti, quem patiuntur bigami, quíque nec per pœnitentiam, nec etiam per Baptiſmum tolli poteſt. Et quamvìs pariter illegitimitas per pœnitentiam non tollatur, nihilominùs ſi illegitimi laudabiliter & continenter anteà vixerint, ceſſat contra ipſos præſumptio paternæ incontinentiæ; ſicque faciliùs poteſt cum ipſis diſpenſari. Ad *cap. 1. Qui Clerici & voventes &c.* dicitur, illud non loqui de Bigamia vera, vel interpretativa, ſed de ſimilitudinariâ: de hac quippe loquendo

Reſp. III. In Bigamia ſimilitudinaria, ſi purè talis ſit, nec interpretativam admixtam habeat, poſt peractam debitam pœnitentiam, & vitam longam laudabiliter peractam, poteſt Epiſcopus diſpenſare tam quoad exercitium ſuſceptorum Ordinum, quàm quoad receptionem majorum. Ita habetur *in c. Sanè 4. de Clericis conjugat. & cit. cap. 1. Qui Clerici & voventes &c.* & ampliùs declaratur per Gloſsâ *ibid.* & DD. paſſim. Accedit ratio: quia, ut argumentatur Fagnanus *in cit. c. Super eo. n. 38. h. t.* in propoſito non agitur de irregularitate proveniente ex defectu, ſed ex delicto, illius videlicet Clerici, qui jam conſtitutus in ſacris Ordinibus, de facto (quia de jure non poterat) præſumpſit contrahere cũ virgine: unde purgato per veram pœnitentiam, & ſeriam vitæ emendationem tali delicto, non mirum, quod ſacri Canones facilè conceſſerint Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi cum talibus.

Additur notanter, *Si purè ſit talis* &c. Nã quando bigamia ſimilitudinaria admixtam habet interpretativam, ut puta, ſi Clericus in ſacris præſumat de facto matrimonium contrahere cum vidua, illúdque conſumare, nequit ampliùs cũ eo Epiſcopus diſpenſare: quia talis propter admixtam bigamiam interpretativam incurrit irregularitatem indiſpenſabilem, ut *cap. ult. h. t.* Idémque dicendũ de eo, qui anteà fuerat conjugatus, & poſtmodùm mortuâ uxore ſacros Ordines recepit, híſque receptis adhuc matrimonium opere ſubſecuto de facto inire præſumpſit: in quo caſu procedit *c. Nuper à nobis. 4. h. t.* ac notat Gloſſa *in cit. cap. 1. Qui Clerici & voventes. ℣. Diſpenſativè,* ſic concordans jura juribus.

TITU-

TITULUS XXII.

De Clericis Peregrinis.

SUMMARIUM.

1. *Præſens Titulus quomodo differat à Titulo*, De Clericis peregrinantibus.
2. *Ordines à proprio Epiſcopo, vel de ejus licentia, ſunt conferendi. Remiſſivè.*
3. *Circa Clericos peregrinos, ut admitti valeant ad celebrandum Divina, hodie eſt obſervandum Decretum Concilij Tridentini.* Seſſ. 23. cap. 16. de Reform.
4. *Explicatur* cap. 1. h. t. *requirens quinque Epiſcoporum Sigilla pro admittendis Clericis peregrinis ad celebrandum Divina.*
5. *Si Clericus caſualiter amiſit Litteras teſtimoniales, non ſufficit ſola oblatio juramenti de ſua Ordinatione.*
Spontè ad jurandum ſe offerens, reddit ſe ſuſpectum. Ibid.
6, & 7. *Quomodo in tali caſu probanda ſit ordinatio Clerici?*

QUæritur I. Quâ ratione præſens Titulus differat à Titulo penultimo Libri ſecundi Decretalium, qui inſcribitur, *De Clericis peregrinantibus*? Reſp. Differt in eo, quia hic agitur de Clericis peregrinis in ordine ad receptionem, & executionem ſacrorum Ordinum; quærendo videlicet, an Clerici peregrini, hoc eſt, extranei, qui nō ſunt de Diœceſi, ac præſertim vagi & ignoti, poſſint ordinari, vel ad miniſtrandum in Ordinibus jam ſuſceptis admitti, & quomodo. Ibi verò, hoc eſt, in ſecundo Libro Decretalium, agitur de ijsdem in ordine ad lites; quærendo nimirum, an contra Clericos peregrinantes, ac præſertim proficiſcentes ad Sedem Apoſtolicam, poſſit lis moveri; & qua ratione?

2 Quia igitur ſuperiùs *Tit.* 11. *de Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.* §. 4. *&* 5. *à n.* 77. *& ſeqq.* ex profeſſo jam dictum fuit, quòd Ordines non niſi à proprio Epiſcopo ſint conferendi, & recipiendi; vel ſaltem non niſi prævià licentià ejus, & obtentis Litteris Dimiſſorialibus, oſtendendo ſimul, quis habeat facultatem haſce conferendi: hinc quoad priorem partem, ſeu Ordinationem Clericorum peregrinorū, nihil reſtat dicendum, benè tamen quoad alterā partem, ſeu quâ ratione ipſi poſſint admitti ad miniſtrandum in Ordinibus jam ſuſceptis. Unde

3 Quæritur II. Quid obſervandum circa Clericos peregrinos, ut admitti valeant ad celebrandum, vel miniſtrandum Sacramenta? Reſp. I. Circa hujusmodi Clericos peregrinos, præſertim ignotos & vagos, hodie eſt obſervandum Decretum ſacri Concilij Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 16. *de Reform.* ſic ſtatuentis: *Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitijs ſui Ordinarij litteris ab ullo Epiſcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta miniſtranda, admittatur.* Et meritò: tum ut hâc ratione malitijs hominum magis obvietur, atque evitentur plurium fraudes. Tum quia tales ſolent eſſe ſuſpecti: Clerici quippe vagi, & ignoti, frequenter ſunt criminoſi, infames, vel alias irregulares, fugitivi, aut in exilium miſſi.

Dices. *In cap.* 1. *h. t.* habetur expreſſum, Clericos peregrinos non eſſe admittendos ad Divina celebranda, niſi afferant quinque Epiſcoporū teſtimonia; ergo non videntur ſufficere Litteræ commendatitiæ ſolius Ordinarij. Reſp. negando conſequentiam. Quia, licèt olim iſtud fuerit requiſitum, ob quorundam fraudes, ac in caſu, quando ſigilla erant ignota; alioquin enim etiā antiquitùs ſufficiebant ſolæ Litteræ cōmendatitiæ proprij Epiſcopi, ſi notum erat ejus Sigillum, *can Extraneo. diſt.* 71. & notat Abbas *cap.* 2. *n.* 3. *h. t.* Nihilominus rigor ille Juris antiqui, ob plures caſuum emergentias, poſteà fuit temperatus, ita ut hodie ſufficiat ſolius proprij Ordinarij teſtimonium; cùm jus poſterius deroget priori. 4

Quæritur III. Quid agendum, ſi Clericus per injuriam belli, vel ſpoliationem latronū, aut alio improviſo caſu Litteras ſuas teſtimoniales amiſit? Reſp. I. In tali caſu non ſufficit ſola oblatio juramenti, quòd ipſe in Clericum fuerit ordinatus, ſeu habuerit legitimas Litteras teſtimoniales. Patet iſtud *ex c. Inter quatuor.* 2. *h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 2. & DD. cōmuniter. Nam generale eſt, quòd non adhibeatur plena fides ſponte ad jurandum ſe offerenti, *c. Ex litteris.* 4. *De in integrū reſtitut.* Quinimò ſpontè ſeſe offerens ad jurandum, reddit ſe ſuſpectum; ut *l. Ait Prætor.* 3. §. 1. *ff. de Jurejur. & l. Si legatarius. ff. de Dolo malo.* 5

Reſp. II. Clericus ille allegans, quòd perdiderit Litteras teſtimoniales, debet per teſtes, qui eas anteà perlegerunt, probare hanc amiſſionē, atque tenorem litterarum, & quòd ſine vitio fuerint; *arg. c. Cùm olim. de Privilegijs.* ac notat Gloſſa *in cit. c. Inter quatuor.* ℣. *Per argumenta. h. t.* & Abbas *ibid. n.* 3. 6

Reſp. III. Quòd ſi nec teſtes adſint, nec ampliùs extent, aut aliunde haberi valeant inſtrumenta 7

menta ordinationis, & dimiſſionis ſuæ; tunc iſtud per alia idonea argumenta erit probandum, ut puta per famam, communem opinionem ac reputationem, per bonam converſationem, aut alia hujusmodi indicia, atque inſuper per juramentum ſibi ab Epiſcopo delatum. Ita deſumitur *ex cit. c. Inter quatuor. h. t.* ubi ad hoc probandum ſufficere cenſentur *idonea argumenta:* qualia in defectu aliarum probationũ ſunt iſta, quæ nunc recenſita fuerunt, ac notat Abbas *loc. cit. n. 4.* Nicol. Garcias *part. 7. de Beneficijs, cap. 1. n. 145.* allegans multiplicem Deciſionem Rotæ. Maſcardus *de Probationib. Concl. 305. n. 5.* Barboſa *in d. c. Inter quatuor. n. 2.* citans plurimos alios; ac ſequitur noviſſimè Engel *h. t. n. 2.* Idq; magis eſt aſſerendum, quia hîc de nullius præjudicio agitur: quâ de causâ in ſimili per unum teſtem ſufficienter probatur, quòd aliquis ſit baptizatus, *can. Parvulos. & can. Cùm itaque. de Conſec. diſt. 4.*

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi.

SUMMARIUM.

1. *Ratio ordinis, ſeu continuationis Titulorum.*
2. *Archidiaconus, quis, & unde ſic dicatur, quodq; olim ejus officium?*
3. *Archidiaconi dignitas, quæ?*
   Appellatur Oculus Epiſcopi. *Ibid.*
4. *Antefertur Archipresbytero.*
5. *Archidiaconi officium de Jure communi, quale? Et num. ſeqq.*
6. *Eſt Vicarius natus, & perpetuus Epiſcopi.*
7. *Et quomodo differat à Vicario Generali Epiſcopi?*
8. *Archidiaconus judicat cauſas minores Eccleſiaſticas.*
9. *Non tamen poteſt cenſuras ferre, nec cauſas arduas expedire ſine Epiſcopo.*
10. *Nec dare Litteras Dimiſſorias, neque diſpenſare, nec viſitare Monaſteria.*
11. *Neque cognoſcere cauſas concubinatûs Clericorum.*
12. *Neque cauſas matrimoniales, & criminales dijudicare: cùm hæc ad ſolum Epiſcopum pertineant.*
13. *Ex ſpeciali tamen conceſſione, ſeu delegatione, poteſt inferior Epiſcopo cauſarum matrimonialium cognitionem habere.*
14. *Et ſic Archidiaconi de cauſis matrimonialibus in prima inſtantia alicubi judicant.*
15. *Idem poteſt contingere ex præſcriptione, conſuetudine, & privilegio.*
16. *Et quid in tali ſpecialiter notandum?*
17. *Archidiaconi eſt, curam gerere ſuper Clero &c. tione?*
18. *Poteſt viſitare Eccleſias, ſeu Parochias; & quâ ra-*
19. *Ad Archidiaconum pertinet, examinare, ac Epiſcopo ſiſtere Ordinandos.*
20. *Item examinare Beneficiandos, eóſque, & Abbates inſtituere &c.*
21. *Item miniſtrare Epiſcopo; & in quibus?*
22. *Quoad præmiſſa ſunt attendendæ conſuetudines, & Statuta particularia ſingularum Eccleſiarum.*

1 EXplicato tractatu de Ordinandis, atque ijs, quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis, præſertim Epiſcopalis: pergit Compilator ad inferiores Dignitates, earúmque officia, tractando per plures ſuccedentes Titulos de ijs, quæ pertinent ad poteſtatem jurisdictionis, & adminiſtrationis. Et quia Archidiaconus de Jure comuni eſt primus poſt Epiſcopum, meritò præ cæteris de ipſo agitur. Unde

2 Quæritur I. Quid ſit Archidiaconus, & quæ ejus dignitas? Reſp. I. *Archidiaconus* ſic dicitur, quaſi *Princeps Diaconorum*: Ἀρχων enim græcè, latinè *Princeps*: & *Diaconi* græcè, latinè *Miniſtri* dicuntur, *can. 1. diſt. 21.* Unde Archidiaconus, ſeu primus inter Diaconos, eorúmque Princeps, olim cæteris præerat Diaconis, ad pauperum miniſterium creari ſolitis; prout deſumitur ex *Actibus Apoſtolorum, cap. 6.* Verùm ſucceſſu temporis crevit authoritas Archidiaconi ex permiſſione Epiſcoporum, vicariâ ejus operâ in pluribus utentium. Proinde

Reſp. II. Archidiaconus, quantùm eſt de Jure communi, eſt primus poſt Epiſcopum, ac natus Vicarius ejus in omnibus, *cap. 1. h. t.* 3
& notant Doctores paſſim. Inſuper Archidiaconus haud immeritò appellatur *Oculus Epiſcopi*: quaſi ab eo in ſpecula & ſtatione poſitus, ut locò ipſius per Epiſcopatum proſpiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet; prout liquet ex *c. Ad hæc. 7. h. t.* & Concilio Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Ubi proin ſtatuitur, ut Archidiaconi in omnibus Eccleſijs, ubi fieri poterit, ſint Magiſtri in Theologia ſeu Doctores, aut Licenciati in Jure Canonico. Ulte-

Ulteriùs ob tantam ſui Officij præeminentiam, Archidiaconus antefertur Archipresbytero, hicque ejus jurisdictioni ſubjacere dicitur, *cit. c. Ad hæc. 7. h. t.* haud obſtante, quòd cæteroquin Presbyteri præcedant Diaconos, *can. Legimus. diſt. 93.* Et per hoc patet magna Dignitas Archidiaconi, de rigore Juris comunis eidem competens: quamvis in praxi notandæ ſint particulares conſuetudines, & propria Statuta ſingularũ Eccleſiarum, juxta dicenda *num. ult. h. t.*

Quæritur II. Quod ſit officium Archidiaconi? Reſp. I. De officio, quod de Jure communi competit Archidiacono, uberiùs agitur tum in *can. Perlectis. §. Archidiaconus. diſt. 25.* tum etiam in *cap. 1. & ſeqq. h. t.* Ex quibus locis ſequentia officia & prærogativæ, de jure communi, ac ſeclusis particularibus conſuetudinibus, ſeu conſtitutionibus ſingularum Eccleſiarum, ipſi competere dignoſcuntur. Imprimis obtinet is primam Dignitatem poſt Epiſcopatum, ut dictum.

Deinde Archidiaconus, eſt Vicarius natus ac perpetuus Epiſcopi, ſicque habet cognitionem, & jurisdictionem ordinariam, etiam contentioſam, ſubordinatam tamen jurisdictioni Epiſcopi; prout deſumitur *ex cit. can. Perlectis. diſt. 25.* junctâ Gloſſâ *℣. Et jurgia. & ex cap. 1. & c. Ad hæc. 7. h. t.*

Differt tamen Archidiaconus à Vicario Generali Epiſcopi, quòd illius officium ſit Dignitati annexum (quâ ratione is à Doctoribus vocatur *Vicarius natus Epiſcopi*) ſimúlque perpetuum, & ab officio Epiſcopi ſeparatum, nec poſſit ad nutum amoveri: ſecùs accidit in Vicario Generali Epiſcopi. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 24. n. 36.* atque hoc poſterius magis patebit ex dicendis *Tit. ſeq.*

Tertiò, minores cauſæ Eccleſiaſticæ, ſeu leviora jurgia Clericorum ad Archidiaconi Tribunal deferenda ſunt; per Jura proximè allegata, & notat Abbas, ſeu potiùs Ant. de Butrio, intra Opera Abbatis Panormitani relatus, *cap. 2. h. t.* Innocentius, Jo. Andreas, & alij.

Non tamen poteſt Archidiaconus ſine auctoritate Epiſcopi quempiam excommunicare, nec alias cenſuras imponere, *c. Archidiaconis, 5. h. t.* Neque poteſt Archidiaconus ſolus, & ſine Epiſcopo, expedire cauſas arduas, *cit. c. Ad hæc. 7. h. t.* & Ant. de Butrio *ibid. n. 1.* cum alijs. Et hujusmodi cauſa ardua cenſetur eſſe depoſitio Clericorũ, *can. ult. 15. q. 7.* Unio, & diviſio Eccleſiarum, *c. Sicut unire. de Exceſſib. Prælat.* Et generaliter omnia ea inter ardua reputantur, quæ non expediuntur per Epiſcopum ſine Capitulo, *arg. c. Novit. & c. Quanto. De his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſ. Capit.* Ant. de Butrio *cit. n. 1.*

10 Inſuper Archidiaconus non poteſt dare Litteras Dimiſſorias pro ſuſcipiendis alibi Ordinibus, *c. Significaſti. 8. h. t.* Neque diſpenſare: nam regula eſt, quòd inferioribus Prælatis ſit prohibita diſpenſatio, niſi ubi apparet conceſſa; cùm inferior legem ſuperioris tollere non poſſit, *can. Inferior. diſt. 21.* Neque etiam poteſt viſitare Monaſteria, vel alios jurisdictionis actus ibidem exercere; niſi in quantùm ex longæva conſuetudine hoc ipſi permiſsũ eſſe probetur, *cap. ult. h. t.*

Item nequit Archidiaconus cognoſcere cauſas concubinatûs Clericorum, juxta Tridentinũ, *Seſſ. 25. cap. 14. de Reform.* Ubi cognitio criminis adeo ſordidi, & Statum Clericalem dehoneſtantis, non ad Archidiaconos, Decanos, aut alios inferiores, ſed ad ipſos Epiſcopos pertinere decernitur. 11

Rurſus judicio Archidiaconi nõ ſubſunt cauſæ matrimoniales, & criminales; ſed Epiſcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquuntur, ex Decreto Concilij Trident. *Seſſ. 24. cap. 20. de Reform.* Nam cauſæ matrimoniales ſunt graves, & arduæ, cùm in ijs agatur quaſi de ſtatu hominis; juxta Gloſſam *1. in c. Mulieri. 34. de Jurejur.* Ac proinde meritò judicio Epiſcopi reſervantur, *can. Multorum. 35. q. 6. & c. Accedentibus. 12. de Exceſſib. Prælat.* Et hæc procedunt ſpectato Jure communi, & niſi quis ſpeciali conceſſione, vel aliâ legitimâ causâ ſe tueri poſſit; prout in *cit. c. Accedentibus. in fine*, rectè notatur. 12

Siquidem imprimis, quòd ex ſpeciali conceſſione, ſeu ex delegatione, poſſit inferior Epiſcopo habere cauſarum matrimonialium cognitionem; patet ex *c. Propoſuiſti. 4. de Probat. & cap. 1. Ut lite non conteſt. & ex c. Ex litteris. 4. De in integrum reſtitut.* ubi talis delegatio cauſarum matrimonialium inferioribus Epiſcopo per Papam facta legitur. 13

Qua etiam ratione in nonnullis Diœceſibus, præſertim amplioribus, ipſis Archidiaconis de cauſis matrimonialibus, & alijs, in prima inſtantia judicare conceſſum eſt ex ſpeciali cõmiſſione Epiſcoporum, quam jam diuturna conſuetudo confirmavit: quamquàm iſtud non conveniat ipſis vi ſui officij, ac de Jure communi, ſed ex ſpeciali duntaxat Epiſcoporum conceſſione ſeu delegatione. Engel *h. t. 4.* 14

Deinde ex alijs quoque legitimis cauſis, ut puta ex præſcriptione, conſuetudine, aut privilegio, poſſe Archidiaconum, aut alium Epiſcopo inferiorem, acquirere facultatem cognoſcendi de cauſis matrimonialibus, & criminalibus; probat textus *in cit. c. Accedentibus*, ac tenet Gloſſa *fin. ibid.* & alia Gloſſa in *cap. 1. ℣. Coram Archipresbytero, de Conſang. & affinit.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt Epiſcop. allegat. 84. n. 5.* citans alios. 15

Ubi tamen dictus Barboſa benè notat, Sacram Congregationem cenſuiſſe, quòd etiam in eo caſu, quo inferior allegat immemorabilem; nihilominus Epiſcopus, utpote tã de Jure communi, quàm vigore Concilij Tridentini habens fundatam intentionẽ in cognitione cauſarũ criminalium, & matrimonialiũ, debeat manuteneri, donec de illa imẽmorabili per tres ſententias cognoſcatur: uti teſtatur Rota *in Theatina jurisdictionis, 17. Decemb. 1612. coram Coccino Decano.* 16

Quartò, ad officiũ Archidiaconi, quantùm eſt de Jure communi, pertinet, curam gerere ſuper Clero, & bonâ converſatione Clericorũ, ſedulá- 17

que miniſteriorum Clericalium, per ipſum inter eos dividendorum, executione, Eccleſiarum reſtauratione, doctrináque Eccleſiaſticorum, ac cæterarum rerum ſtudio; prout ampliùs habetur *cit. can. Perlectis.* §. *Archidiaconus. diſt.* 25, *& cap.* 1. 2. *&* 3. *h. t.*

18 Quintò, Archidiaconus tertio quolibet anno poteſt viſitare Eccleſias, ſeu Parochias totius Diœceſis, ſi Epiſcopus hanc viſitare nequeat, *cap.* 1. *§. fin. h. t.* Propriam verò Parochiam, ſive Eccleſias ſui Archidiaconatûs poteſt viſitare ſingulis annis, ac etiam ſæpiùs, ſi hoc neceſſitas poſtulârit, *c. Mandamus,* 6. *h. t.* Quam quidem viſitationem, ex Decreto Concilij Tridentini *Seſſ.* 24. *cap.* 23. *de Reform.* debent Archidiaconi, aliique inferiores Viſitatores, peragere perſeipſos tantùm, atque aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi: cui etiam viſitationis factæ infra menſem tenentur rationem reddere.

19 Sextò, officium Archidiaconi eſt, examinare promovendos ad Ordines, eòsque nomine Sanctæ Eccleſiæ ſiſtere Epiſcopo ordinandos, *c. Ad hæc.* 7. *& c. Ut noſtrum.* 9. *h. t. & cap. un. de Scrutinio in ordine faciend.* Verùm jure novo *Concilij Trident. Seſſ.* 23. *cap.* 7. *de Reform.* dictum examen promovendorum ad Ordines, Epiſcopo cum aſſiſtentia Virorum peritorum competere dignoſcitur.

20 Septimò, ad Archidiaconum pertinet examinare Beneficiandos, eòsq; inſtituere, ſeu mittere in corporalem ſuorum Beneficiorum poſſeſſionem, *d. c. Ad hæc. h. t.* Sicut & Abbates, & Abbatiſſas, in Sede ſua ponere, *c. Ut noſtrum.* 9. *h. t.* Iſtud tamen nequit facere Archidiaconus ſine conſenſu, atque authoritate ſui Epiſcopi, *can. Nullus omnino.* 16. *q.* 7. *& c. Cùm ſatis.* 4. *h. t.*

21 Tandem, ut nonnulla alia taceantur, ad Archidiaconum pertinet Epiſcopo miniſtrare; ut cenſuit Sac. Rituum Congregatio *in una Piſaurienſi.* 10. *Junij.* 1600. Ac Epiſcopo ſolemniter celebrante Evangelium, ſi voluerit, legere, vel alteri Diacono illud legendum præcipere, atque alios Altaris Miniſtros deſignare, *can. Perlectis.* §. *Archidiaconi. diſt.* 25. *& cap.* 2. *h. t.* Quinimò Archidiaconus, ſi ſit prima Dignitas, debet exercere officium Presbyteri Aſſiſtentis cum Pluviali Epiſcopo ſolemniter celebranti, juxta formam Cæremonialis Epiſcoporum; prout à Sac. Rituum Congregatione iteratò deciſum fuiſſe, refert Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 24. *n.* 50.

22 Plura de officio Archidiaconi dicere ſuperfluũ eſt: quia in varijs Diœceſibus plurima circa Archidiaconos in deſuetudinem abierunt, vel per Vicarium Generalem, aut alios Miniſtros expediri ſolent; adeò, ut Navarrus *cap.* 25. *Manual. n.* 135. quem citat Garcias *part.* 7. *de Beneficijs, cap.* 7. *n.* 38. aſſerere audeat, ſe in Hiſpania neminem ſcire, qui ſit Archidiaconus talis, de quo loquitur præſens Rubrica. Proinde ſecundùm conſuetudinem, & ſtatuta particularia ſingularum Eccleſiarum, officium, atque dignitas Archidiaconi vel maximè erit attendenda, *arg. c. Ad hæc.* 2. *de Exceſſib. Prælat.* Ubi Gloſſa, *V. Conſuetudines.* inquit, & variè probat, quòd jurisdictio Archidiaconi potiùs ex conſuetudine, quàm ex Jure juvetur. Quòd ſi verò deficiat conſuetudo, tunc Jus commune attenditur. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 24. *n.* 37.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

SUMMARIUM.

1. *Archipresbyter, unde ſic dicatur?*
Olim ijdem dicebantur Epiſcopi, & Presbyteri. Ibid.
2. *Archipresbyter, quis?*
3. *Vocatur alio nomine Decanus.*
4. *Et ſubeſt Archidiacono.*
5. *Archipresbyter duplex, videlicet urbanus,*
6. *Et Ruralis, quis?*
7. *Archipresbyteri urbani officium explicatur. Et n. ſeqq.*
8. *Antiqua inter Archipresbyterum, & Archidiaconum diſtinctio, quæ?*
9. *Circa Officium Archipresbyteri urbani, ſeu Decani Cathedralis, oportet attendere particulares Conſtitutiones, & conſuetudines Eccleſiarum.*
10. *Archipresbyteri, ſeu Decani ruralis officium, quale?*
11. *Nequit is majora negotia, & quæ indigent ſtrepitu judicij, expedire.*

1 ARchipresbyter vi nominis idem eſt, ac *Princeps Presbyterorum*, ſive Seniorũ: hoc eſt, primus inter Seniores. Nam *Presbyter* græcè, latinè *Senior* interpretatur, *can. Cleros. §. Presbyter. diſt.* 21. Et quidem non tantùm propter ætatem, vel decrepitã ſenectutem (quamquàm & hæc venerabilis ſit, & gloria ſenum canities, *can. ult. diſt.* 84. cum concordantijs) ſed etiam propter eorũ ſapientiam, honorem, & dignitatẽ Eccleſiaſticam, quam

quam acceperunt, *Presbyteri* nominantur. Unde olim ijdem dicebantur Epiſcopi, & Presbyteri, *cit. can. Cleros. & can. Legimus. diſt.* 93. Vocantur etiam Sacerdotes, quia ſacrum dant: nomen enim *Sacerdos* eſt compoſitum ex græco & latino, quaſi *Sacrum dans*: & ſicut Rex à regendo, ita Sacerdos à ſacrificando vocatus eſt; conſecrat enim, & ſacrificat, ut *d. can. Cleros. §. Sacerdos. diſt.* 21. notatur.

2 Itaque *Archipresbyter* idem eſt, ac primus inter Presbyteros, qui videlicet præeſt, atque imperat alijs Presbyteris in ijs, quæ ſunt Sacerdotalis officij: ſicut à pari primus, ſeu antiquiſſimus inter Epiſcopos, appellatur Archiepiſcopus; & primus inter Diaconos Archidiaconus.

3 Porrò *Archipresbyteri* alio nomine appellantur *Decani*. Non quòd neceſſariò debeant præeſſe decem alijs Presbyteris: ſed quia factâ translatione à perfectione numeri denarij, omnis ille ſolet dici Decanus, qui alijs præeſt Sacerdotibus; ut notatur *c. Ad hæc. 7. de Offic. Archidiac.* ibi *Archipresbyteri, qui à pluribus Diaconi nuncupantur.*

4 Cæterùm, licet Archipresbyteratus, quantùm eſt de Jure communi, ſonet Dignitatem; hæc tamen primùm ſequitur Archidiaconatũ, ſimúlque Archipresbyteri ſubjacent jurisdictioni Archidiaconi. Nam quia iſte eſt Vicarius natus Epiſcopi, ejúsque ad ſubeunda omnia munia, & onera Epiſcopalia non rarò inſufficientis, vices ſupplere debet: meritò Archipresbyter ſcire debet, ſe ſubeſſe Archidiacono: & eius præceptis ſicut ſui Epiſcopi obedire, *cap.* 1. *h. t.*

5 Porrò duplex communiter diſtinguitur Archipresbyter, unus urbanus, alter ruralis, ſeu foraneus, juxta *c. Officium. & c. Ut ſingulæ. h. t.* Et quidem *Archipresbyter urbanus* eſt, qui in urbe Epiſcopali degens præeſt cæteris presbyteris; atq; Epiſcopi vicem in Divino ſupplet officio: de quo plura *cap.* 1. *& c. Officium.* 3. *h. t.* Et talis ordinariè eſt Decanus Cathedralis: quamquàm etiam illi ſoleant dici Archipresbyteri, ſeu Decani urbani, qui in civitatibus degentes præſunt alijs Presbyteris, & Clericis, in Eccleſijs Collegiatis, ut inquit Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccle. univ. cap.* 25. *n.* 6.

6 *Archipresbyter ruralis*, ſeu *foraneus* dicitur, qui ruri præeſt Eccleſiæ Parochiali, cæteríſque Presbyteris per minores Titulos, ſive Eccleſias habitantibus, ac ſuper ipſos inſpectionem gerit. Et de hoc loquitur *cap. ult. h. t.* prout notat Gloſſa *ibid. ℣. Ut ſingulæ*, addens, quòd præcedens *cap. Officium*, loquatur de Archipresbytero urbano, ſeu civitatenſi.

Quantùm attinet ad Officium Archipresbyteri urbani, explicatur illud in præſenti Titulo per totum: ac generatim loquendo, & ſpectato Jure comuni, ejus officium eſt abſentis Epiſcopi vices ſupplere, aut præſentis munus ſublevare in omnibus illis, quæ ſunt Officij Sacerdotalis. Specialiter autem ad Archipresbyterum urbanum pertinet, ſuper alios Presbyteros curam gerere animarum, competentibus horis aſſiduè in Eccleſia ſtare, in Epiſcopi abſentia vice ipſius Miſſarũ ſolemnia celebrare, & Collectas ſeu Orationes dicere, aut dicendas alijs injungere, Sacramenta Eccleſiæ Fidelibus porrigere, Fontem benedicere, aliáque hujusmodi munia Sacerdotalia peragere, vel alijs reverenter peragenda committere, & qualiter hæc adminiſtrentur, fideliter Epiſcopo referre, *cap.* 1. *& ſeqq. h. t.*

Unde antiqua diſtinctio inter Archipresbyterum, & Archidiaconum, reperitur apud SS. Canones, & Canoniſtas, quòd iſte miniſtret Epiſcopo in temporalibus; ille autem, ſive Archipresbyter, miniſtret eidem in ſpiritualibus: adeò, ut ſpectando utriusque Dignitatem, ſecundùm adminiſtrationem ipſis de Jure incumbentem, unus ſit Epiſcopi Vicarius natus in temporalibus, alter verò in ſpiritualibus. Card. de Luca *de Præeminentijs, Diſcurſ.* 20. *n.* 13. 8

Quia tamen plura ex dictis, præſertim quoad Archipresbyteros urbanos, ſeu Decanos Cathedrales, per contrarias conſuetudines, ſeu particularia Statuta Eccleſiarum fuerunt moderata; prout præſertim liquet in adminiſtratione Sacrammentorum, quæ de rigore Juris eisdem, utpote natis Vicarijs Epiſcopi in ſpiritualibus; per totam Diœceſin incumbit, juxta *cit. c. Officium.* 3. *h. t.* Hinc ad dignoſcendum ritè officiũ, hiſce temporibus per Archipresbyteros præſtandum, & qualis Dignitas ipſis competat, particulares potiùs conſtitutiones, & laudabiles antiquæ conſuetudines ſingularum Eccleſiarũ, erunt inſpiciendæ, & obſervandæ, juxta dicta in ſimili *Tit. præced. n.* 22. 9

Illud duntaxat juvabit addere quoad Archipresbyteros, ſeu Decanos rurales, quòd ipſi præter animarum curã, quam habent, poſſint ac debeant ſedulò circumſpicere mores, vitámque aliorum Presbyterorũ, & Clericorum in ſuo Archipresbyteratu; atque attendere, qua induſtriâ per eosdem cura exerceatur animarum reſpectu commiſſæ ſibi plebis, idque Epiſcopo renunciare, juxta *cap. ult. h. t.* Inſuper, quòd ijdẽ valeant minores defectus Clericorum ſuórum absque figura judicij corrigere, eorúmque leviora jurgia amicabiliter componere, atque determinare; ut notat Gloſſa *fin.* & Ant. de Butrio *ibid. n.* 1. Engel *h. t. n.* 2. & alij. 10

Cæterùm majora negotia, & quæ absque ſtrepitu judicij nequeunt expediri, Archipresbyter ruralis ad Epiſcopum tenetur referre; nec contra ejus decretum quidquam præſumere debet, *cit. cap. ult. h. t.* Adeò, ut etiam delinquentes, vel ſibi in officio ſuo inobedientes, non poſſit coërcere, eisque pœnam injungere absque authoritate Epiſcopi, quamvis facultatem habeat, talia ad Epiſcopum referendi ad effectum, ut ipſemet Epiſcopus contra eosdem, prout ipſi viſum fuerit expedire, procedat. Ratio horum eſt: quia in figura judicij procedere, coërcere, pœnásque imponere, requirit jurisdictionem Fori contentioſi; atqui talem non habet Archipresbyter ruralis reſpectu Clericorum ſui Archipresbyteratûs, *arg. cit. cap. ult. h. t.* ubi ſolùm ipſi tribuitur facultas attendendi ad eorum mores, & cuncta referendi ad Epiſcopum. Atque ita à Rota deci- 11

ciſum fuiſſe *in una Materanenſi officij Archipresbyteratûs.* 11. *Decembr.* 1598. *coram Litta*, refert Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap.* 25. *num.* 32. *&* 35.

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

De Officio Primicerij, Sacriſtæ, & Cuſtodis.

SUMMARIUM.

1. *Primicerius generatim, quis?*
2. *Primicerius in propoſito, quis, & quod ejus officium?*
3. *Primiceriatus alicubi eſt Dignitas, alibi Perſonatus, vel officium.* *Quid dicendum de Sacriſta, & Cuſtode? Ibid.*
4. *Sacriſta, quis, & quod officium ipſius?*
5. *Cuſtodia Eccleſiæ, & vaſorum ejus, quomodo pertineat tam ad Sacriſtam, quàm Archidiaconum.*
6. *Cuſtos, quis, & quod ejus officium?*
7. *Doctrina generalis circa præfatas officiorum diſtinctiones, & in praxi attendenda.*

1 PRimicerius generatim loquendo dicitur ille, qui primus aliquo ordine nominatur, ſeu in tabula *cerata primus* deſcribitur. Sic *in Rubr. C. de Primicerio. lib.* 12. primus Notariorum appellatur *Primicerius*, eò quòd in matricula Notariorum primo loco ſit ſcriptus; ut explicat Gloſſa ibidem. Similiter *L. 2. C. de Fabricenſib. lib.* 11. primus Fabricenſium, ſeu arma facientium, vocatur *Primicerius.*

2 In propoſito autem *Primicerius* dicitur *primus Cantor*, ſeu primus in cantu, ſeu Choro; qui alio nomine *Præcentor* appellatur, imò alicubi Magiſter Scholarum, ſeu Scholaſticus nominatur. Hoſtienſis *in Summa. n. 1. h. t.* Pirhing *n. 1. eod.* Ejus officium deſcribitur *in can. Perlectis §. Ad Primicerium. diſt.* 25. *& cap. un. de Offic. Primicer.* conſiſtens in eo, quòd præſit Diaconis, & reliquis Clericis, in docendo ordinem, & modum pſallendi in Choro pro ſolemnitate temporum; ipſiq; incumbit Pſalmos, Lectiones, Reſponſoria, & alia hujusmodi aſſignare, quæ quiſq; Clericorum dicere debeat, ipsúmque Chorum regere.

3 Primiceriatus in quibusdã Eccleſijs eſt Dignitas, *c. Cùm acceſſiſſent.* §. *de Conſtitut. & c. Cùm olim.* 6. *de Conſuetud.* In alijs eſt Perſonatus, alicubi verò Officium duntaxat; prout juxta diverſas Eccleſiarum conſuetudines, ſeu ſtatuta earũ particularia, Primicerius quandam præ alijs Canonicis obtinet, vel non obtinet præeminentiã, ſive præcedentiam in Choro, Capitulo, ac Proceſſionibus. Et hoc ipſum habet locum in Sacriſta, ſeu Theſaurario, & Cuſtode: quamvis hi omnes ob ſpeciales labores, ratione officij ſui ſubeundos, ad minimum pinguiori Præbenda gaudere debeant.

4 *Sacriſta* dicitur ille, ad quem proximè ſacrorũ vaſorum, & theſauri Eccleſiaſtici cura pertinet: unde alio nomine *Theſaurarius* appellatur, uti liquet ex *cit. can. Perlectis.* §. *fin. diſt.* 25. Ubi officium ipſius ſequentibus verbis breviter explicatur: *Ad Theſaurarium* (ſeu Sacriſtam) *pertinet Baſilicarum, & Oſtiarij ordinatio, incenſi præparatio, cura Chriſmatis conficiendi, cura Baptiſterij ordinandi, præparatio luminarium in ſacrario, & in ſacrificijs.* Concordat textus *in cap. un. de Officio Sacriſtæ:* eo tamen addito, quòd ad Sacriſtæ curam pertineat cuſtodia ſacrorum vaſorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, & totius theſauri Eccleſiaſtici.

5 Nec obſtat, quòd cuſtodia Eccleſiæ, & omnium vaſorum ejus, ad Archidiaconum ſpectare dicatur in *cap. Ad hæc.* 3. *de Offic. Archidiac.* Reſp. enim, quòd Sacriſta ſit ſubjectus Archidiacono, *cit. cap. un.* ac proinde, quæ proximè ad Sacriſtæ cuſtodiam pertinent, mediante eo ad ipſius Archidiaconi curam primariò & principaliter ſpectare dignoſcuntur, prout innuit Gloſſa *cit. cap. un.* ℣. *Vaſorum.*

6 *Cuſtos* tandem eſt quaſi Miniſter Sacriſtæ, ut ait *Gloſſa ad Rubric. tit. De Officio Cuſtodis.* Ad ejus officium pertinet, ut ſui Archidiaconi juſſionibus in cunctis obediat, & juxta ejus ordinationem ad Horas Canonicas pulſet tintinabula, Pallia & linteamina Altarium, cæteráque utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat, lampades aliáque luminaria debito tempore accendat, & extinguat, panem & vinum ad Miſſæ celebrationem præparatum habeat, omnéſque oblationes, ſeu eleemoſynas, ſive decimas (de conſenſu tamen Archidiaconi) fideliter inter Fratres diſtribuat; prout habetur *cap. 1. & 2. de Offic. Cuſtod.*

7 Cæterùm, licèt præfatæ officiorum diſtinctiones de Jure cõmuni procedant, hodie tamen in varijs Eccleſijs diverſi ritus, & peculiares conſuetudines reperiuntur: ita, ut quidem titulum, ac Præbendam talium officiorũ Canonici retineant,

ant, ipſius tamen officij executionem per Vicarios, etiam laicos (etſi ſub ſua directione, atque inſpectione) ipſarúmque Eccleſiarum miniſtros expediant. In praxi proinde optimum erit, antiquam & laudabilem cujuslibet Eccleſiæ conſuetudinem, & peculiares ejusdem Conſtitutiones attendere, atque obſervare.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarij.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*

VIſo de ijs, qui ſerviunt Eccleſiæ nomine proprio, poſtulat ordo Titulorũ tractari de illis, qui ſerviunt nomine alieno. Unde præſens Rubrica inſcribitur, *De Officio Vicarij*: de quo majoris claritatis gratiâ juvabit in diſtinctis paragraphis agere.

§. I.

De Vicarijs in genere, eorúmque diviſione.

SUMMARIUM.

2. *Vicarius generatim, quis?*
3. *Ipſi obediendum eſt, ac deferendum, tanquam illi cujus vices gerit.*
4. *Vicarius locum habet non ſolùm in negotijs Civilibus,*
5. *Sed etiam Eccleſiaſticis. Et num. præced.*
6. *In Beneficijs Eccleſiaſticis quilibet Officio ſuo per ſe fungi debet. Et num. ſeqq.*
7. *Quandoq; tamen ſufficit, expedire aliqua per Vicarios.*
8. *Quæ ſit diviſio Vicariorum? Et num. ſeqq.*
9. *Vicarij in Divinis, qui?*
10. *Presbyteri illi, qui loco principalis Rectoris deſerviunt Eccleſiæ, propriè dicuntur Vicarij, non Parochi.*
11. *Vicarij jurisdictionis, qui?*
12. *Vicarij Epiſcoporum dantur triplicis generis.*
13. *Vicarij nati, ſeu legitimi Epiſcoporum, qui?*
14. *Vicarij dati, ſeu conſtituti Generales ipſorum, &.*
15. *Vicarij Foranei, qui?*
16. *Vicarius Generalis Epiſcopi, quis?*
17. *Vicarius, in quo differat à Delegato.*
18. *Inter Vicarium Generalem, & Foraneum Epiſcopi, multiplex datur differentia. Et num. ſeqq.*
A Vicario Generali non appellatur ad Epiſcopum, benè tamen à Foraneo. Ibid.
19. *Ille poteſt eſſe Delegatus Papæ, non hic.*
20. *Vicarius Generalis Epiſcopi, habet Dignitatem, imò (ſpectato Jure communi) præcedit Canonicos Cathedrales: ſecùs eſt in Foraneo.*
21. *Iſte non eſt Ordinarius, benè tamen ille.*
Vicarij Foranei jurisdictio eſt delegata. Ibid.
22. *Vicarij ulteriùs alij ſunt perpetui, alij temporales.*

QUæritur I. Vicarius qui dicatur, & an habeat locum in Eccleſiaſticis? Reſp. I. *Vicarius* generatim dicitur ille, qui vices alterius gerit, ſive in officio contentioſo, ſive in non contentioſo. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 1. id exemplificans partim ex *c. Sua nobis. 5. h. t.* ubi agitur de Vicario Papæ, vices ejus ac jurisdictionem in Urbe gerente: partim ex *cap. 1. & 2. eod.* ubi mentio habetur de Vicario in Divinis peragendis, ſicq; gerente vices alterius in officio non contentioſo.

Porrò, quòd Vicario ita ſit obediendum, & deferendum, tanquã illi, cujus vices gerit; habetur in *can. Præcipimus. diſt.* 93. ibi: *Tunc enim ſicut illius locum tenens honorabitur.* Idem patet ex *can.* 1. *diſt.* 94. *& c. Sanè quia.* 11. *de Offic. Delegat.* cum ſimilibus. Nam Vicarius in causâ ſibi commiſsâ fungitur authoritate ſui Principalis, cujus gerit vices, prout ibidem notatur: unde qui contemnit Vicarium, contemnit illum, qui poſuit eum, *arg. can. In novo. diſt.* 21. Concordant dicenda inferiùs *num.* 20. de Vicario Generali Epiſcopi.

Reſp. II. Non ſolùm in negotijs Civilibus ac politicis, ſed etiam Eccleſiaſticis, locum habet Vicarius, dummodò debitâ authoritate conſtituatur. Ita comunis. Et quidem prima pars liquet ex *toto Titulo, Cod. De Officio Vicarij*, & ex alio *Tit. C. De Officio ejus, qui vicem alicujus Judicis, vel Præſidis obtinet*: ubi permittitur Magiſtratibus, & Judicibus, ut poſſint ſuos habere Vicarios, 4

 quo-

quorum operâ utantur in ſuis obeundis muneribus, cauſiſque civilibus cognoſcendis, & definiendis: de quibus Civiliſtæ.

5 Altera pars etiam eſt certa. Nam varia vitæ humanæ impedimenta, ac ipſa negotiorum moles, & multitudo, non ſemper permittunt, ut Epiſcopus, aut Eccleſiæ Rector, vel Officialis, omnia occurrentia negotia per ſeipſum valeat expedire. Unde tunc locum habet Reg. 68. Juris in 6. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* Et Reg. 72. eod. *Qui facit per alium, eſt perinde, acſi faciat per ſeipſum*, cum ſimilibus.

6 Dices. In Beneficijs Eccleſiaſticis quilibet officio ſuo per ſe fungi debet; ut *c. Quia nonnulli. de Cleric. non reſid.* ubi talibus Eccleſiaſticum miniſterium committi jubetur, qui *reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſos valent exercere*: ſicque in talibus non videtur locum habere Vicarius aliquis, Concordat *cap. ult. §. Is autem. de Offic. Delegat.* ubi ea per alios fieri prohibentur, in quibus induſtria, & fides perſonæ electa cenſetur: atqui hoc videtur fieri, ſeu eligi perſonalis induſtria, & fides in omnibus ſpiritualibus miniſterijs; ergo.

7 Reſp. negando antecedens, ſi univerſaliter intelligatur. Ad allegatos textus Juris, & alios conſimiles dicitur, inde ſolummodò ſequi, quòd in illis, in quibus electa eſt induſtria, fideſq; perſonæ, aut requiritur perſonale miniſterium, ut in reſidentia Beneficiariorum, recitatione Breviarij, & alijs pluribus, non habeant locum ſuprà adductæ Regulæ Juris; neque ſufficiat facere per alium, quod perſonaliter quis facere tenetur per ſeipſum. Sunt tamen multæ cauſæ, etiam Eccleſiaſticæ, quæ poſſunt expediri per alios, nec requirunt perſonale miniſterium, neque habent electam induſtriam, fidémque perſonæ, in quibus proinde locum habere valet Vicarius; uti patet ex toto præſenti Titulo, & alibi paſſim. Certè ipſa negotiorum copia, & aliæ juſtiſſimæ cauſæ, non rarò occurrentes, ipſáque corporis imbecillitas quandoque requirunt, ut Epiſcopi aliqua expediant per ſubſtitutos ſuos Vicarios; cùm impares ſint ad omnia per ſemetipſos expedienda.

8 Quæritur II. Quæ ſit diviſio Vicariorum Reſp. I. Spectato Jure Canonico Vicarij primariò, ac principaliter dividuntur in eos, qui ſerviunt in Divinis, & in Vicarios jurisdictionis. Ita Gloſſa, & Abbas *ad Rubric. h. t.* Pirhing *ibid. num.* 1. & alij; ac patet ex decurſu totius præſentis Tituli, in quo per totum agitur de hiſce duabus Vicariorum ſpeciebus, ut mox ampliùs dicetur. Siquidem

9 *Vicarij in Divinis* dicuntur, qui in Divinis miniſterijs, & curâ animarum, cæteriſque ad internum Forum conſcientiæ pertinentibus, aliorũ vices gerunt, eorúmque locò deſerviunt Eccleſiæ. Et de his agitur toto hoc Titulo (dempto *cap. penult.*) ac *in Clement. eod.*

10 Tales Vicarij cenſentur etiam Presbyteri illi, qui locò principalis Rectoris deſerviunt Eccleſiæ Parochiali in Divinis, ſeu curâ animarũ peragendâ. Uti fit, quando Eccleſia, ſeu Parochia (juxta forman Concilij Trident. *Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.* ac alibi) Monaſterijs, Eccleſiæ Cathedrali, ſive alijs pijs Locis perpetuò unita, ſeu incorporata fuit: tunc enim Presbyter ille, qui unàcum competenti portione fructuum ſibi aſſignata, illuc ponitur ad peragendum Divina officia, curámque animarum exercendam, propriè non dicitur *Parochus*, ſed *Vicarius*, utpote vices alterius ſubiens.

Vicarij jurisdictionis ſunt illi, qui in Foro contentioſo, ſeu externo; jurisdictionem vice alterius exercent. Et de his fit mentio *in cap. penult. h. t.* ubi agitur de Vicario Papæ, ac jurisdictione ipſius, quam exercet: & *in cap. 1. & ſeqq. eod. in 6.* ubi per totum agitur de jurisdictione Officialis, ſeu Vicarij Generalis Epiſcopi.

Reſp. II. Deinde Vicarij Epiſcoporum in Jure Canonico triplicis generis dantur: aliqui enim dicuntur Vicarij nati, ſeu legitimi; alij dati, ſeu conſtituti generales; & alij foranei. Ita Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 54. n. 15. & ſeqq.* citans alios; atque hoc ipſum patebit ex declaratione terminorum, & juribus ſimul allegandis. Imprimis enim

Vicarij nati, ſive legitimi Epiſcoporum dicuntur illi, qui à Lege ipſa conſtituuntur Vicarij ipſius Epiſcopi: ut ſunt Archidiaconus, & Archipresbyter. De illo etenim habetur *in cap. 1. de Offic. Archidiac.* taliter: *Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe Vicarium eſſe ejus in omnibus, & omnem curam in Clero ad ſe pertinere* &c. De Archipresbytero autẽ dicitur cap. 1. de Offic. Archipresbyt. *In Epiſcopi ſui abſentia ad vicem ejus Miſſarum ſolemnia celebret.* Quia igitur hiſce Vicarijs ſua poteſtas ab ipſomet Jure, ſeu Lege conceditur, eorúmque officio eſt annexa absque alio facto, ſeu miniſterio Epiſcopi; meritò ipſi cenſentur eſſe Vicarij nati, atque legitimi ipſius Epiſcopi.

Vicarij dati, ſeu conſtituti *Generales*, appellantur illi, quos Epiſcopus creavit, vel conſtituit, ut ejus vices gerant in eodem Tribunali, & loco, in quo ipſe jus dicere conſuevit. Et tales ſolent eſſe Officiales, ſeu Vicarij Generales.

Vicarij Foranei tandem apellantur illi, qui in certa parte Diœceſis extra civitatem Sedis Epiſcopalis, vel in oppidis, per Epiſcopum conſtituuntur, ut ibi jurisdictionem quandam exerceant. Gloſſa *in Clem. Etſi principalis. ℣. Foraneo. de Reſcript.* Barboſa *cit. allegat. 54. num. 18.* cum alijs. Quia igitur tales foris, ſive extra locum, in quo Sedes Epiſcopalis reperitur, Epiſcopi vices agunt juxta traditam ſibi poteſtatem, rectè *Vicarij Foranei* nominantur. Gloſſa *in Clem. Etſi principalis. de Reſcript. in caſu.*

Ubi ſciendum eſt, quòd Vicarius Generalis Epiſcopi ſolùm dicatur ille, qui conſtitutus eſt cum generali poteſtate in loco, ubi Epiſcopus ſedem habet, ita ut cenſeatur idem eſſe Auditorium utriusq; *cap. 2. de Conſuetud. in 6.* Unde concludit Nicol. Garcias *part. 5. de Benefic. cap. 8. n. 36.* & Barboſa *loc. cit. n. 128.* quòd Vicarius ille, quẽ Archiepiſcopus Toletanus ponit in Civitate Complutenſi, nõ ſit Vicarius Generalis, & habens hujus

hujus privilegia, eò quòd non reſideat, ubi Epiſcopus ſedem habet, ſicque non cenſeatur idem Auditorium utriusque.

Ratio eſt: quia, ut inquit Bartolus *in L. 1. §. 1. n. 4. ff. Quis, & à quo appellat.* Vicarius, & Delegatus in hoc differunt, quòd per *Vicarium* intelligatur ille, qui gerit vices Ordinarij in eodem loco, & eodem Tribunali, quo conſuevit ipſe Ordinarius, puta Epiſcopus, ſedere: tunc enim verè dicitur idem Auditorium, ſicque de uno non appellatur ad alterum. Quando autem Ordinarius committit alicui vices ſuas, ſeu univerſitatem cauſarũ exercendarum in alio loco, ut puta in aliquo Caſtro ſui territorij, non diceretur Vicarius, ſed *Delegatus*; nec appellaretur ab eo ad Superiorem, ſed ad ipſum, qui eum ſubſtituit: quia jam non eſt idem Auditorium utriusque; prout colligitur ex dictis Innocentij *c. Romana. de Offic. Ordin.* Ita diſcurrit Bartolus *loc. cit.* idémque tradit Maranta *in Speculo Aureo, part. 4. diſtinct. 5. n. 8.*

8 Porrò inter Vicarium Generalem, & Foraneũ Epiſcopi, multiplex ac notabilis eſt differentia. Imprimis enim appellatio ad Epiſcopum non datur à Vicario Generali ipſius, *c. Non putamus. 2. de Conſuetud. in 6.* Benè tamen à Vicario Foraneo. Gloſſa *in Caſu cit. c. Non putamus.* Garcias *d. cap. 4. n. 29.* poſt Rotam *deciſ. 297. num. 3. part. 2. Diverſ.* Barboſa *cit. allegat. 54. n. 22.* & alij paſſim; eſtque dictum ſuprà *Tit. de Conſuetudine, §. 3. n. 75. & 76.* ac rurſus dicetur hîc inferiùs *num. 21.*

Deinde Vicarius Generalis Epiſcopi, poteſt à Sede Apoſtolica, vel Legato ejusdem, dari Delegatus, atque eſſe mandatorum, & gratiarum Apoſtolicarum executor: non ſic Vicarius Foraneus; prout habetur deciſum *in Clem. Etſi principalis. 2. de Reſcript.* Siquidem juxta *c. Statutum. 11. de Reſcript. in 6.* ut quis ſit Delegatus Papæ, requiritur, quòd ſit in Dignitate conſtitutus: atqui hoc non convenit Vicario Foraneo, benè tamen Generali Epiſcopi, ut illicò ampliùs dicetur; ergo.

0 Tertiò Vicarius Generalis Epiſcopi cenſetur habere Dignitatem. Gloſſa *in cit. Clem. Etſi principalis. ℣. Epiſcopi. & ℣. Foraneo.* & DD. paſſim: quia habet præeminentiam cum jurisdictione conjunctam. Quinimò, cùm is vices Epiſcopi generaliter gerat, ejúsque perſonam repræſentet, adeò ut ſit idem Auditorium utriusque: hinc Vicarius Generalis, ſicut ipſe Epiſcopus, eſt honorandus, *can. Præcipimus. diſt. 93.* in tantùm, ut ſpectato Jure communi debeat præcedere Canonicos Cathedrales, atque ipſum Archidiaconum. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Vicarijs Epiſcop. n. 7.* poſt Abbatem *Conſil. 21. vol. 1.* Felinum *in Rubric. de Majorit. & Obed.* ac ſequitur Barboſa *cit. allegat. 45. n. 144.* cum alijs: quamvìs iſtud ultimum defactò vi contrariæ conſuetudinis in multis Eccleſijs non obſervetur. Pirhing *h. t. n. 34.* Econtrà Vicarius Foraneus non cenſetur habere Dignitatem: niſi hæc aliunde ipſi competat, ut quia eſt Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. Gloſſa *cit. ℣. Foraneo.*

Tandem, ut alia taceantur, Vicarius Foraneus 21
non eſt Ordinarius, benè tamen Vicarius Generalis. Fagnanus *in c. Relatum. n. 43. de Cleric. non reſident.* poſt Gloſſam, & DD. *in c. Romana. in princip. de Appellat.* Et quidem, quòd Vicarius Generalis habeat jurisdictionem ordinariam, ſicque nomine *Ordinarij* veniat, ex profeſſo dicetur infrà *num. 91. & ſeqq.* Quòd autem Vicarij Foranei jurisdictio ſit ſolùm delegata, ac proinde ab ipſo veluti Delegato, detur appellatio ad Epiſcopum delegantem, tenet Rota *Deciſ. 3. de Offic. Vicarij* Gloſſa *in Clem. 2. ℣. Foraneo. de Reſcript.* Covarruvias *Practic. Quæſt. cap. 4. n. 8.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei, diſt. 5. num. 14. & 15.* Garcias *de Beneficijs. part. 5. cap. 8. n. 29. & 34.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 54. num. 22. & ſeqq.* citans plures alios: quamvìs nonnulli oppoſitum teneant, quos refert, eorúmque rationes ſolvit Barboſa *loc. cit. n. 21. & 25.* & Garcias *n. 34. & 35.* Siquidem Vicarius Foraneus non habet jurisdictionem à Jure, ſed ab Epiſcopo: atqui Epiſcopus nequit concedere jurisdictionem ordinariã; prout notat, & argumentatur Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 29. num. 10.* allegans communem.

Reſp. III. Vicarij ulteriùs alij ſunt perpetui, 22
alij temporales. Ita Abbas *in c. Extirpandæ. §. Qui verò. n. 5. de Præbend.* ubi fit expreſſa mentio de Vicario perpetuo. Barboſa *lib. 3. Jur. Eccl. univ. cap. 6. n. 2.* & communis. Quæ Vicariorum diviſio, cùm ampliori indigeant diſcuſſione, hinc ſit

§. II.

De Vicarijs perpetuis, ac temporalibus.

SUMMARIUM.

23. *Vicarij perpetui, qui?*
24. *Tales habent titulum in Beneficio, ſicque nequeunt removeri.*
25. *Temporales, qui; & cur ſic appellentur?*
26. *Vicarij perpetui inſtitutio, ad quem pertineat?*
27. *Et quando inſtitui poſſit, & ſoleat? Et num. ſeqq.*
28. *Recenſentur caſus, in quibus nequit inſtitui Vicarius perpetuus.*
29. *Quando Parochia nimis ampla eſt, poteſt in Eccleſia Filiali poni perpetuus Vicarius.*
30. *Vicarius perpetuus acquirit jus in re, verúmque Titulum in Beneficio.*
31. *Et habens Vicariam perpetuam, cenſetur Beneficiatus.*
32. *Quæ à Jure ſtatuta ſunt de Eccleſijs curatis, locum habent in Vicarijs perpetuis.*

33. 35.

33. 34. & 35. *Idque declaratur ſingillatim.*
36. *Titulus Vicarij perpetui in Beneficio, qualis?*
37. *Congrua portio de fructibus Beneficij, quâ ratione eidem debeat aſſignari? Et num. ſeqq.*
38. *Quid circa eam ſtatuerit B. Pius V. in Bulla*, Ad exequendum?
39. *Portio illa fructuum nequit Vicario perpetuo poſteà minui, ſimulq; hic cum ea, licèt ſit tenuis, debet eſſe contentus.*
40. *Vicarius perpetuus Eccleſiæ habet curam animarum in actu, Rector principalis in habitu.*
41. *Vicarius perpetuus propriè non dicitur Rector Eccleſiæ.*
42. *Tamen Rector principalis eo invito nequit curam animarum in illa exercere.*
Quæ circa talem Eccleſiam pertineant ad Rectorem principalem? Ibid.
43. *Rectore principali mortuo, non expirat officium Vicarij perpetui.*
Solvitur inſtantia. Ibid.
44. *In Vicarium, præſertim perpetuum, quandoque transfertur tota cura.*
45. *Vicarij temporales propriè non ſunt Beneficiarij. Et num. ſeqq.*
46. *Habéntque ſe ad inſtar Mercenariorum.*
47. *Generatim loquendo, cauſa excuſans Clericum à perſonali ſervitio, ſufficit ad conſtituendum Vicarium temporalem.*
48. *Ut ſi Beneficium ſimplex ſit perpetuò unitum alteri.*
49. *Vel Beneficiarius ex legitima cauſa abſit.*
50. *Aut Eccleſia vacet &c.*
51. *Vicariorum temporalium nominatio, & approbatio, ad quem pertineat?*
52. *Num ad modicum tempus poſſit Parochus conſtituere talem Vicarium abſque licentia Epiſcopi?*
53. *Vicarius nequit ſubſtituere alium Vicarium.*
54. 55. 56. *Limitatur hoc in pluribus caſibus.*
57. *An Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit ſubſtituere aliũ Vicarium.*

23 QUæritur I. Qui ſint Vicarij perpetui, & qui temporales? Reſp. I. *Vicarij perpetui* dicuntur, qui authoritate Epiſcopi canonicè ſunt inſtituti ad deſerviendum cuipiam Eccleſiæ loco principalis Rectoris, cum aſſignatione congruæ portionis fructuum, quos inde percipere debet. Ita Gloſſa *in cap. ult. ℣. Perpetuos Vicarios. h. t.* & alij.

24 Dicitur notanter, *canonicè inſtituti.* Nam Vicarij perpetui habent verum Titulum, atque idcircò ſemel canonicè inſtituti nequeunt removeri, vel portione ſuâ fraudari: niſi forſan aliquid committant dignum depoſitione, aut privatione Beneficij, *c. Ad hæc. 3. h. t.* Unde & *Vicarij perpetui* appellantur, de quibus mox plura.

25 Reſp. II. *Vicarij temporales* dicuntur, qui authoritate legitimi Superioris, pro peragendo Eccleſiaſtico ſervitio in locum alterius ad tempus, ſeu voluntatē conſtituentis, ſufficiuntur. Sive deIn tales deputentur pro peragendis vice alterius Divinis officijs, & in Foro pœnitentiali; ut ſunt Vicarij temporales in Eccleſijs Parochialibus conſtituti, *c. Cùm ex eo. 34. de Elect. in 6.* ſive ipſi deputentur pro Foro contentioſo; ut Vicarij Generales Epiſcoporũ, ac notat Abbas *cit. n. 5.* Et tales meritò appellantur *Vicarij temporales*, cùm ad nutum ejus, qui ipſos conſtituit, amoveri valeant.

26 Quæritur II. A quo, quibúſque de cauſis, inſtituendus ſit Vicarius perpetuus? Reſp. I. Inſtitutio Vicarij perpetui pertinet ad Epiſcopum, ſive Ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præſentationem, ſeu nominationem Rectoris principalis, ſive illorum, quorum Dignitati, vel Capitulo Eccleſia Parochialis, vel alia perpetuò fuit unita. Ita Nicol. Garcias *part. 9. de Beneficijs, cap. 2. n. 289.* Navarrus *Conſil. 11. de Statu Monach. n. 3. & 7.* Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 6. n. 35.* Pirhing *h. t. n. 3.* allegans Declarationem Sac. Congregat. Card. *Concilij Trident. Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.* & alij. Idipſum clarè colligitur ex *c. De Monachis. 12. de Præbend. & cap. un. de Capell. Monach. & Clem. 1. de Jurepatronat.* ubi tales Vicarij dicuntur inſtituti per Epiſcopum ad præſentationem Rectoris principalis, puta Monaſterij, vel hujuſmodi. Unde hoc ipſum regulariter procedit in alijs ſimilibus caſibus, ubi ex fundatione, privilegio, vel conſuetudine contrarium quid non reperitur obſervandum.

Reſp. II. Vicarius perpetuus vel maximè inſtitui poteſt, ac ſolet in Parochialibus, & alijs Beneficijs curatis, quæ Cathedrali; Collegiatæ, vel alteri Eccleſiæ, Monaſterio, ſeu Collegio, aut alijs pijs Locis perpetuò unita, & annexa repeiuntur. Deſumitur hoc ex *c. Extirpandæ. 30. §. Qui verò. de Præbend.* eſtq; noviſſimè deciſum in Concilio Trident. *Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.* Ubi tamen apponitur limitatio illa: *Niſi ipſis Ordinarijs pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur*: tunc ſufficit inſtituere Vicarium temporalem, & ad nutum amovibilem.

Quinimò dantur nonnulli caſus, in quibus, vigore citati Concilij Tridentini, nequit Epiſcopus conſtituere Vicarium perpetuum: ut ſi talis unio à tempore immemoriali facta fuit, ac ex tunc conſtet Vicarios fuiſſe ad nutum amovibiles, ſcientibus, & conſentientibus Ordinarijs. Item, quando unio facta eſt per viam pacti, & concordiæ à Sede Apoſtolica approbatæ, aut ex privilegio remunerationis gratiâ conceſſo cum clauſula, *de ſerviendo Beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem.* Idémq; dicendum, quando pro bono pacis, & ceſſatione litium, expediens videtur nihil innovari, ſed inſtitui Vicarium ad nutum amovibilem. In his quippe caſibus, & nonnullis alijs, quos recenſet Barboſa *cit. cap. 6. n. 6. & ſeqq.* nequit Epiſcopus in Beneficio unito ponere Vicarium perpetuum: quia Concilium Tridentinum non derogat antiquis concordijs, privilegijs, & rationabilibus conſuetudinibus. Accedit, quòd idem Concilium non liberæ Epiſcopi voluntati reliquerit poteſtatem ponendi Vicarium

carium perpetuum; ſed utatur Verbis in præallegata limitatione contentis, & arbitrium boni viri importantibus: ſicque non procedit, ubi conſtitutio Vicarij ad nutum amovibilis magis videtur expedire, quàm perpetui; ut fit in caſibus præallegatis, ac ſimilibus.

29 Reſp. III. Quando Parochia nimis ampla exiſtit, ac populus multus, poteſt præter Eccleſiã Parochiale alia Eccleſia filialis ædificari, quæ ſit unita & ſubiecta Eccleſiæ Parochiali, & in ea ad præſentationem Rectoris Eccleſiæ majoris, atque inſtitutionem Epiſcopi, unàcum congruâ proventuum aſſignatione, poni perpetuus Vicarius. Patet hoc *ex c. Ad audientiam.* 3. *De Eccleſ. ædificand.* Taceantur alij conſimiles caſus, de quibus Hoſtienſis *in Summa h. t. n.* 5. & alij.

30 Quæritur III. Quid juris competat perpetuis Eccleſiarum Vicarijs? Reſp. I. Vicarius perpetuus in Eccleſia Parochiali, ſeu Curata canonicè inſtitutus, acquirit jus in re, verúmque Titulũ canonicum in tali Beneficio. Ita Hoſtienſis *in Summa. cit n.* 5. Fagnanus *c. Ex parte. n.* 19. *&* 20. *h. t.* Pyrrhus Corradus *in Praxi Benefic. lib.* 3. *n.* 1. *&* 2. Franchedinus *Conſil.* 99. & communis aliorum. Atque imprimis deſumitur hoc ex *c. Conſtitutus de Filijs Presbyt.* ubi reſtituitur ſpoliatus Vicariâ perpetuâ; & conſequenter habuit antea jus in illa. Accedit Gloſſa *in cap.* 1. ℣. *In diverſis h. t.* ubi ait, quòd idem ſit, ſi quis habet perpetuam Vicariam, ſicut qui haberet Eccleſiam intitulatam, *arg. cap. ult. h. t.* Concordant proximè dicta *num.* 24.

31 Hinc, qui habet Vicariam perpetuam, intelligitur Beneficiatus; ut *c. Poſtulaſti.* 27. *de Reſcript.* ibi: *Non enim Beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus eſt proviſum.*

32 Deinde Vicaria perpetua æquiparatur Beneficio curato, ſeu Parochiali: & quæ de Eccleſiis curam animarum habentibus, quantùm ad amiſſionem prioris per receptionem alterius, quæq; de earum Rectoribus, quantùm ad ſuſceptionẽ Sacerdotij intra annũ ac debitã ætatẽ, Jura ſtatuerunt, etiam in perpetuis Eccleſiarum Parochialiũ Vicarijs, & aſſumptis ad eas obſervanda eſſe, expreſsè ſtatutum habetur *in Clem. un h. t.* Verba ipſius ſunt benè notanda, & ſic ſonant: *quæ de Eccleſijs curam animarum habentibus per receptionem aliarum ſimilium amittendis; Ac de ipſarum Rectoribus promovendis ad Sacerdotium; Et de eorum ætate, à Jure ſtatuta noſcuntur: in perpetuis Eccleſiarum Parochialium Vicarijs, & aſſumptis ad eas volumus obſervari.* Hæc ibi.

33 Unde infertur, quòd ſicut non poteſt quis ſimul eſſe Rector, ſeu Parochus plurium, & diverſarum Eccleſiarum; ita nec Vicarius perpetuus, *cap.* 2. *h. t.* junctâ Gloſſa *ibid.* ℣. *plures.* Et ſicut Beneficium curatum, ſeu Parochiale, vacat ipſo jure per alterius ſimilis Beneficij adeptionem, *c. De multa.* 28. *de Præbend.* juncto Concilio Tridentino *Seſſ.* 7. *cap.* 2 *&* 4. *de Reform.* ita etiam dicendum eſt de Vicaria perpetua.

34 Inſuper, ſicut nemo poteſt conſequi Beneficiũ curatum ante vigeſimum quintum ætatis annũ ſaltem inchoatum, *c. Cùm in cunctis.* 7. *§. Inferiora. de Electìon.* ita nec Vicariam perpetuam. Gloſſa *in cit. Clem. un.* ℣. *Ætate, h. t.* & Doctores comuniter. Et ſicut defactò, ſi promoti ad Eccleſias Parochiales infra annum non ordinentur Presbyteri, vacat Eccleſia ipſo jure: ita pariter dicendum de Vicarijs perpetuis talium Eccleſiarum Parochialium, juxta *cit. Clem. un. h. t.* éſtque jam dictum ſuprà *Tit de Ætate & qualitate præficiendorum, n.* 29. *&* 30.

Licèt autem præallegata *Clem. un. h. t.* ſolùm in prædictis tribus caſibus Vicarios perpetuos æquipararet ipſis Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, ut notat Gloſſa, Imola, Jo. Andreas *in Summario, ibid.* & communis; ac proinde Abbas Panormit. *in ead. Clem. n.* 5. & Barboſa *lib.* 3. *Jur. Eccleſiaſt. univ. cap.* 6. *n.* 17. velit, quòd extra dictos tres caſus appellatione Rectoris non veniat Vicarius perpetuus in conſtitutione pœnali. Nihilominùs Gloſſa *ibid.* ℣. *Amittendis.* & Imola §. *Secundo quærit.* & Fagnanus *in c. Ex parte. n.* 22. *de Offi. Vicar.* citans communem, notanter obſervant, quòd etiã Extravag. Joañis XXII. *Execrabilis*, locum habeat in his Vicarijs perpetuis: eò quòd expreſsè loquatur de Beneficijs, & Officijs curatis *in §. Qui verò*; ac notum ſit, quòd etiam Vicaria perpetua intelligatur nomine Beneficij, *c. Poſtulâſti.* & ibi Gloſſa ℣. *Beneficium de Reſcriptis.* 35

Reſp. II. Titulus tamen ille, quem habet Vicarius perpetuus in Beneficio curato, non eſt directus (hic enim eſt penes Rectorem principalem, cujus vices alter gerere dicitur) ſed utilis, ſive eſt jus portionis ex annuis redditibus ſibi aſſignatæ ob ſpirituale miniſterium capiendæ. Ita Pirhing, *h. t. n.* 8. citans alios. 36

Et additur, *jus portionis.* Quia Vicarius etiam perpetuus, non debet habere omnes fructus Eccleſiæ, ſed tantùm congruentem portionem. Abbas *in c. Exſtirpandæ. §. Qui verò. n.* 6. *de Præbend.* Quæ quidem congrua portio debet conſtituto Vicario aſſignari accedente authoritate Ordinarij, atque de hujus arbitrio; ut decrevit Concilium Trident. *Seſſ.* 7. *cap.* 5. *& cap.* 7. *de Reform.* & alibi. Eſtque in taxanda tali portione præcipuè attendendum ad conditionem perſonæ, facultates Eccleſiæ, regionis conſuetudinem, ac ſitum Beneficij: ut nimirum Vicario tantum relinquatur, unde poſſit conformiter ſuo ſtatui honeſtè ſuſtentari, atque hoſpitalitatem in pauperes ac peregrinos exercere, juráque Epiſcopalia perſolvere. *c. de Monachis.* 12. *de Præbend.* junctã Gloſſã, & DD. *ibid.* 37

Et quamvis B. Pius V. in Bulla, *Ad exequendum* (quæ habetur *Tom.* 2 *Bullarij Romani*, *Conſtit.* 47. citati Pontificis) definierit, quòd dicta portio Vicarijs Parochialium Eccleſiarum arbitrio Prælatorum aſſignanda, non debeat eſſe *major centum, nec minor quinquaginta Scutorum annuorum ſumma, computatis omnibus etiam incertis emolumentis &c.* Nihilominùs hanc Bullam B. Pij V. poſtmodùm à 38

Gregorio XIII. eſſe reductam ad terminos Juris communis, & Concilij Tridentini, refert Barboſa *lib. 3. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 6. n.* 44. poſt Valenzuel *Conſil.* 54. *n.* 20. Imò alicubi omnes fructus Beneficij relinquuntur Vicarijs cum onere, ut in annos ſingulos certam ſummam perſolvant Rectori principali, ut puta Capitulo, vel Monaſterio, cui ad ſublevandam ejus indigentiam Beneficium illud legitimè fuit unitum.

39 Verùm, quia Vicarius perpetuus intitulatur in Eccleſia, ſeu Beneficio curato, atque de aſſenſu & authoritate Epiſcopi certa ipſi portio red截dituũ aſſignatur: hinc non poterit is per Rectorẽ principalem, aut ipſo defuncto per ejus Succeſſorem, à dicta Eccleſia, ſive Beneficio ampliùs removeri, nec aſſignata ſibi portio minui: niſi propter commiſſum crimen per Judicem in Vicaria vel Beneficio fuerit condemnatus. Textus eſt *in c. Ad hæc.* 3. *h. t* eſtque jam dictum *n.* 24. Ac viciſſim, ubi à principio congrua portio fuit aſſignata Vicario, debet is illâ eſſe contentus; ſibique imputet, quòd adeò tenuem acceptaverit, niſi forſan penitus non ſufficiat ad ejus ſuſtentationem. Barboſa *cit. cap.* 6. *n.* 43.

40 Reſp. III. Vicarius perpetuus in Parochiali Eccleſia conſtitutus, eandem poteſtatem habet, quam verus Parochus: ita tamen, ut tota cura actualis, ſeu quoad exercitium competat Vicario, Rector verò principalis non niſi habitu curam retineat. Ita Gloſſa marginalis *in c. Super eo. ℣. Annexa. de Præbend. in.* 6. ubi inquit, quòd Vicarius habet curam in actu quoad Forum pœnitentiale, ſed Rector in habitu. Abbas *in c. Extirpandæ. §. Qui verò. n. 6. de Præbend. & in ſolemni Repetitione cit. §. Qui verò. n.* 15. Barboſa *lib.* 3. *Jur. Ecclеſ. univ. cap.* 6. *n.* 28. poſt Rotam *Deciſ.* 2. *de offic. Vicarij. in antiq.* Seraphin. *Deciſ.* 109. *n.* 5. & alij. Ratio eſt: quia Vicarius perpetuus, hoc ipſo, quòd ſit talis, fungitur perpetuò vice alterius, nempe Rectoris principalis; ergo ille habet quidem curam animarum in actu, ſeu quoad actuale exercitium, iſte verò retinet eam in habitu.

41 Unde fit, quòd Vicarii perpetui proprie non dicantur Rectores Eccleſiarum; ſint tamen Rectores curæ animarum. Barboſa *loc. cit. n.* 26. Fagnanus *c. Ex parte. n.* 19. *h. t.* & alij, & concordant dicta ſuperiùs *n.* 10.

42 Quia verò penes Vicarium perpetuum reſidet exercitium curæ, non autem penes Rectorem Eccleſiæ: hinc iſte non poteſt ibi exercere curam Fori pœnitentialis. Abbas, *ubi ſuprà, cit. n.* 15. Neque poteſt Rector principalis invito Vicario illi Eccleſiæ deſervire, ſeu Sacramenta adminiſtrare. Rebuffus *in Praxi Beneſic. De Vicarijs perpetuis. n.* 1. Franchedinus *Conſil.* 99. Barboſa *cit. lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 6 *n.* 31. *& part.* 1. *de offic. Parochi, cap.* 1. *n.* 56. 57. *& ſeqq.* poſt Rotam *in Barchinonenſi Vicariæ.* 17. *Maij.* 1624. *coram Merlino*, & alios. Nam tota cura actualis Vicario commiſſa eſt: ad Rectorem principalem verò ſolùm ſpectat cura in habitu, atque exercitium juris Parochialis in pertinentibus ad externam defenſionem, vindicationem, & Forum contentioſum, atque ad fabricæ reparationem, ſaltem ſi is majorem redditũ partem accipiat. Layman *in c. Ad hæc. n.* 2. *h. t.*

Porrò, quia talis Vicarius conſtituitur perpetuus, hinc ulteriùs colligitur, quòd mortuo Rectore principali non expiret officium ejus, *arg. cit. c. Ad hæc. n.* 3. *h. t.* Nec obſtat, quòd alioquin extinctâ, vel ſuſpenſâ poteſtate Principalis, Vicarius ejus ampliùs miniſtrare non poſſit, ſed ejus officium pariter expiret, aut ſuſpendatur, ut *in Clem. ult. de Procurat.* junctâ Gloſſâ *fin. ibid.* Nã hoc procedit in Vicario temporali, ſeu voluntario, quem quis propter occupationes, vel alias cauſas, ad tempus ſibi conſtituit: ſecùs eſt in Vicario perpetuo, qui auctoritatem ſuam recipit à Superiore, ſeu auctoritate Canonis, eſtque intitulatus. Abbas *loc. cit. n.* 14. Fagnanus *c. Ex poſtulaſti. n.* 40. *de Præbend.* & alij. 43

Cæterùm allata Concluſio procedit duntaxat regulariter: nam quòd interdum in Vicarium, præſertim perpetuum, non ſolùm actualis cura, ſeu exercitiũ ejus, ſed etiam habitualis, & ſic tota transferatur, refert Barboſa *cit. cap.* 6. *n.* 34. Concordat Fagnanus *in c. Ex parte. n.* 19. *h. t.* ubi inquit, quòd Vicarij perpetui, in quos tota animarum cura translata eſt, habeant curam non ſolùm in exercitio, ſed etiam in habitu; quãvis adhuc propriè non dicantur Rectores Eccleſiarum, ſed tantummodò Rectores curæ animarum. 44

Quæritur IV. Quid dicendum de Vicarijs temporalibus? Reſp. I. Vicarij temporales, verè & propriè non ſunt Beneficiarij. Ita communis; atque deſumitur ex *c. pervenit.* 28. *de Appellat. & c. Cùm ex eo.* 34. *de Electión. in* 6. *& Clem. un. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Perpetuis*, cum ſimilibus. Ratio eſt: quia Vicarij temporales, & ad nutum amovibiles, nullum habent titulum in Beneficio, neque in eo inveſtiuntur: &, licèt ipſis demandetur cura animarum, totúmque officium Rectoris Eccleſiæ, neutiquam tamen habent jus curæ, ſed ſolùmmodò actum, & functionem, ſeu adminiſtrationem ipſius; jus curæ autem, ſeu jus in re reſpectu ipſius, remanet penes Rectorem. Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 5. & alij. 45

Atque hinc fit, quòd mortuo Vicario temporali non vacet Beneficium ex ejus obitu; quia nimirum finitur duntaxat munus, & adminiſtratio ipſius. Unde nec Vicaria temporalis inter Beneficia Eccleſiaſtica computatur, neque ea, quæ quoad Vicarios perpetuos in Jure habentur ſtatuta, extendere licet ad Vicarios temporales. Quinimò hujuſmodi Vicarij, & ad nutum amovibiles, habent ſe ad inſtar mercenariorũ, qui ab Eccleſiarum Prælatis, ſeu Beneficiarijs, ſub aſſignatione congrui ſtipendij, ad tempus aſſumuntur ad adjuvandum eos in cura animarum, & aliis ſpiritualibus officijs, quibus ex debilitate corporis, nimiâ occupatione, aut aliâ juſtâ de cauſâ per ſeipſos ſatisfacere non poſſunt. Summa Angelica, ℣. *Vicarius. n.* 5. Barboſa *cit. lib.* 3. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 6. *n.* 57. *& ſeqq.* 46

Reſp.

4 Reſp. II. Generatim loquendo juſta cauſa excuſans Clericum à perſonali ſervitio, ſufficit ad conſtituendum Vicarium temporalem, qui ſub congruo ſtipendio in cura animarum, atque alijs ſpiritualibus functionibus, vices ipſius ſuppleat: dummodò non ſit neceſſe, conſtituere Vicarium perpetuum. Ita in re communis; & ratio eſt: quia, ſi tunc non liceret Vicarium conſtituere, negligeretur cura animarum, ac Divinum Officium in Eccleſia penitus intermitteretur; quod neutiquam eſt licitum. Idem probatur inductione,

4 Sic imprimis in Beneficijs ſimplicibus, quæ perpetuò ſunt unita alteri Beneficio, non ſolet conſtitui Vicarius perpetuus; juxta Gloſſam *in Clem. un. ℣. Parochialium.* & DD. *ibid. h. t.* Rebuffum *in Praxi Benefic. tit. de Vicarijs perpetuis. num.* 5. Geminianum *Conſil. 86. in cauſa Trajact.* & alios. Unde, ne cultus Divinus negligatur, oportet, ac ſufficit eidem per Vicarium temporalem deſervire, cùm Rector ipſius in ſervitio principalis Beneficij occupetur; ut in ſimili habetur *can. Et temporis. 16. q. 1.*

4 Deinde, quando Beneficiarius ex legitima cauſa, ut puta ratione itineris ad Sedem Apoſtolicam arrepti, vel ratione ſtudiorum abeſt, tunc interim oportet conſtituere Vicarium temporalē ſupplentem vices ipſius; ut habetur *c. Pervenit.* 38. *de Appellat. & c. Cùm ex eo. de Electīon. in 6.* & Concilio Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

5 Rurſus idoneus Vicarius temporalis eſt conſtituendus, quando Eccleſia vel per obitum; vel per reſignationem vacat, donec eidem de alio Rectore provideatur; ut *c. Cùm vos.* 4. *de Offic. Judic. ordin.* & Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 18. de Reform.* Idémque procedit, quando Rector Eccleſiæ vel ob multitudinem negotiorum, vel ob debilitatem, aut aliam cauſam, per ſeipſum ſufficienter deſervire non poteſt, ideóque Vicarij operâ indiget; prout ampliùs oſtendit Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 6. q. 3.*

5 Reſp. III. Nominatio Vicariorum temporalium pertinet ad Rectorem principalem, putà, ad Prælatum Monaſterij, cui Beneficium unitum eſt: Epiſcopus autem ſolummodò ipſum admittit, ſeu approbat, & licentiā adminiſtrandi Sacramenta, curámq; animarum exercendi impertitur, poſtquàm prævio examine repererit Vicarium idoneum; nec ulla alia requiritur collatio, vel inſtitutio. Ita Nicol. Garcias *part. 1. de Benefic. cap. 2. n.* 93. citans declarationē Sac. Congregationis Concilij. Barboſa *d. cap. 6. n.* 63. cum alijs. Concordat Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap. 1. de Reform.* ubi decrevit, quòd, ſi Curatos inferiores ex legitimâ cauſâ *abeſſe contigerit, Vicarium idoneum, ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant.* Idem ergo dicendum in alijs ſimilibus caſibus.

Atq; hoc vel maximè procedit, quando longiori tempore officium Vicarij temporalis eſt duraturū. Nam, quòd propter neceſſarium impedimentum, & ad modicum tempus, poſſit Parochus, ſeu alius Curatus, pro adjutorio in cura animarum Vicarium, cæteroquin idoneum, ſuâ authoritate, & absque aliâ licentiâ Epiſcopi ſibi conſtituere, dummodò hoc non prohibeatur Statuto Epiſcopali, vel Synodali: colligitur *ex can. Illud. & can. Nihil.* 7. *q.* 1. ac tradit Summa Angelica *℣. Vicarius. num.* 5. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Diſpenſatio de non reſidendo. n.* 14. Pirhing *h. t. n.* 21. & alij.

Quæritur V. Utrum Vicarius poſſit ſubſtituere alium Vicarium? Reſp. negativè; prout habetur expreſſum *in c. Clericos. 4. h. t.* additâ illâ cauſâ: *Cùm id ſatis ſit abſonum, & abſurdum.* Et meritò: tum quia in Vicario cenſetur electa induſtria perſonæ, ut ſerviat locò principalis Rectoris. Tum quia alioquin ſequeretur infinitas, ſi unus Vicarius poſſet ſubſtituere alium, & hic tertium, & ſic deinceps: atqui infinitas reprobatur in Jure, ut *c. Cùm in multis.* junctâ Gloſsâ *℣. Multis. de Reſcriptis. in 6.* 53

Verùm allata Concluſio plures patitur limitationes. Nam imprimis Vicarius perpetuus, licèt non poſſit ſibi ſubſtituere alium Vicarium perpetuum (nequit enim idem titulus Vicariæ ad duos in ſolidum ſpectare) poteſt tamen ex juſta cauſa, & ad modicum tempus, ſubſtituere Vicarium temporalem, committendò ipſi totū officium, & adminiſtrationem ſuam. Abbas *in d. c. Clericos. n. 2. h. t.* poſt Hoſtienſem, & Layman *ibid. n. 1.* Summa Angelica *cit. ℣. Vicarius. num.* 4. allegans communem. 54

Deinde Vicarius temporalis, licèt proprio jure nullatenùs poſſit ſibi ſubſtituere alium Vicarium, cùm titulum non habeat: poteſt tamen de licentiâ Ordinarij, tacitâ vel expreſsâ, ſicque authoritate ipſius, alium ſibi ſubſtituere, committendo ipſi ad breve tempus totum officium, ſeu curam ſuam. 55

Inſuper, quando Vicarius temporalis non ſufficit ſolus ad omnia onera Parochialia peragenda, poteſt is Cooperatorem aſſumere, eique partem ſui officij delegare: ſicut in ſimili Delegatus ad univerſitatem cauſarum, poteſt unam, vel alteram cauſam alteri ſubdelegāre, juxta Gloſſam *c. Cùm cauſam. ℣. Delegatus. de Appellat.* & DD. paſſim. Abbas, Layman, *ubi ſuprà*, & alij. 56

Atque hoc ipſum extenditur ad Vicarium juriſdictionis, ſeu Vicarium Generalem Epiſcopi: nam etiam talis nequit ſubſtituere alium Vicarium, niſi de ſpeciali licentiâ Epiſcopi, atque ex juſta cauſa, ſimúlque ad modicum duntaxat tempus id fiat; quamvis poſſit unam, vel alteram cauſam alteri delegare. Gloſſa *in cap. 1. ℣. Ipſius. h. t. in 6.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcopi. allegat. 54. num. 99. & ſeqq.* citans plurimos alios. 57

***

§. III.

De Vicario Generali Epiſcopi, & Capituli Sede vacante, ac utriuſque conſtitutione.

SUMMARIUM.

58. *Vicarij Generalis nomine, quis intelligatur?*
59. *Inter Vicarium Generalem, & Officialem Epiſcopi; an ſit diſcrimen? Et num. ſeqq.*
Proponitur ratio dubitandi; & affirmativam tenendi. Ibid.
60. *Solvitur hæc quæſtio.*
61. *Officialis Epiſcopi, in Jure vocatur etiam Vicarius Generalis.*
62. *Officialis in Italia, dicitur apud nos Vicarius Generalis.*
63. *Solvitur ratio dubitandi.*
64. *Epiſcopus, etiam abſque conſenſu Capituli, poteſt conſtituere Vicarium Generalem.*
65. *Ac ordinariè tenetur eum conſtituere. Et num. ſeqq.*
66. *Niſi velit, & ſufficiat, ſe ſolo cauſas expedire.*
67. *Poteſt etiam binos Vicarios Generales conſtituere.*
68. *Laicus in Vicarium Generalem eligi nequit.*
69. *Poteſt tamen eſſe Aſſeſſor Judicis Eccleſiaſtici.*
70. *Capitulum Sede Epiſcopali vacante, tenetur hodie Vicarium idoneum conſtituere. Et num. ſeqq.*
71. *Secùs ſpectato Jure communi, & ante Concilium Tridentinum.*
72. *Intra quod tempus Vicarius Capitularis ſit eligendus?*
73. *Debet is eſſe Doctor, aut Licentiatus Sacrorum Canonum, ſicque præfertur Canoniſta Theologo.*
74. *Quid agendum, ſi non adſit Canoniſta in Capitulo? An in Vicarium Capitularem poſſit eligi extraneus? Ibid.*

58 Quòd nomine *Vicarij Generalis* intelligatur ille, qui conſtitutus eſt ab Epiſcopo cum generali poteſtate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipſe Sedem habet, ac jus dicere ſolet; patet ex dictis ſuprà *§. 1. num. 16. & ſeqq.* ubi etiam multiplex differentia Vicarij Generalis à Vicario Foraneo Epiſcopi, illiúsq; dignitas præ cæteris, ſufficienter eſt declarata. Unde ſuppoſitis illis

59 Quæritur I. Utrùm ſit diſcrimen inter Vicarium Generalem; & Officialem Epiſcopi? Ratio dubitandi, & affirmativâ tenendi, deſumitur *ex cap. ult. h.t. in 6.* ubi hæc duo ponuntur tanquam diverſa, illis verbis: *Officialis, aut Vicarius Generalis Epiſcopi*: nam dictio *Aut* propriè eſt disjunctiva, imò & adverſativa, ſicque ponitur inter diverſa. Barboſa *Diction. 46. n. 1. & 6.* cum alijs. Concordat Concilium Trident. *Seſſ. 24 cap. 16. de Reform.* pariter hæc duo verba veluti diverſa ponens, ibi: *Item Officialem, ſeu Vicarium &c.*

60 Reſp. I. Etſi nonnulla poſſit notari differentia inter Vicarium Generalem, & Officialem Epiſcopi, nihilominùs hæc duo vocabula in Jure Canonico ſolent accipi pro eodem. Ita Gloſſa *in Clem. Etſi principalis. ℣. Officialis. de Reſcript.* Federicus de Senis *Conſil. 302. n. 4. & ſeqq.* Card. Tuſchus *Litt. V. Concl. 185. n. 6.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 54. n. 25.* & alij. Ratio prioris partis eſt: quia nomen *Officialis* latiùs patet, quàm *Vicarij Generalis*: illud enim convenit etiam Vicario Foraneo, *arg. cit. Clem. Etſi principalis.* Deinde, quidquid poteſt Officialis, poteſt etiam Vicarius Generalis, ſed non econtrà; ſicque majorem authoritatem habet Vicarius Generalis, ùt probant citati Authores.

61 Altera pars probatur ex *c. Cùm nullus. de Tempori b. Ordinat. in 6.* ubi ille ipſe, qui anteà dicebatur *Officialis Epiſcopi*, paucis interjectis lineis vocatur ipſius in ſpiritualibus *Vicarius Generalis*. Atque hic ipſe *in c. Dilecti. 66. de Appellat.* nuncupatur *Officialis*: quamvìs *in c. Statutum. 3. de Præbend. in 6.* dicatur *Vicarius Generalis*.

Addit Barboſa *cit. allegat. 54. n. 53. & in Tractat. De Appellat. verbor. Juris ſignificat. appellat. 175. n. 9.* & Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 13. q. 8.* ac Layman *in c. Statutum. n. 3. de Reſcript. in 6. & c. Romana. n. 4. de Offic. Vicar. in 6.* quòd ille, qui in Italia appellatur *Officialis*, in hiſce & alijs pluribus Regionibus dicatur *Vicarius Generalis*: ac proinde, cùm ad has Regiones Ultramontanas Litteræ Apoſtolicæ deſtinantur, juxta ſtylum Curiæ Romanæ etiam Officiali inſcribantur, in hæc verba: *Dilecto Filio noſtro Officiali Bracharenſi, Friſingenſi &c.*

Hinc non mirum, quòd *in cap. ult. h. t. in 6.* ponatur ly, *Officialis, aut Vicarius*: ut ſic modus loquendo diverſarum Regionum aptè comprehendatur. Accedit, quòd dictio *Aut* quandoque accipiatur expoſitivè, ſeu pro ly, *id eſt*. Barboſa *Diction. 46. n. 6.* Unde & Concilium Trident. *loc. cit.* notanter inquit: *Officialem, ſeu Vicarium* &c. quaſi exponens, quid nomine *Officialis* intelligi velit. Et per hoc patet ad rationes dubitandi *num. 59.* allatas.

Quæritur II. Quæ ſit poteſtas Epiſcopi conſtituendi Vicarium Generalem? Reſp. I. Epiſcopus poteſt conſtituere Vicarium Generalem, & quidem ſolus, abſq; conſenſu vel conſilio Capituli. Ita Abbas *in c. Tua nobis. n. 4. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. num. 5. ℣. Sed nunquid*, hujus dans rationem: quia Officialis cenſetur eadem perſona cum Epiſcopo, *cap. 2. de Conſuetud. in 6.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. de Vicarijs Epiſcop. n. 1.* Pirhing *h. t. n. 28.* & alij. Idque præter rationem jam allatam, approbat ipſamet conſuetudo, quæ in talibus eſt ſervanda, *c. Ea noſcitur. De his quæ fiunt à Prælatis &c.*

Reſp.

Reſp. II. Non tantùm poteſt, ſed etiam ordinariè tenetur Epiſcopus conſtituere Vicarium Generalem. Ita Abbas. *c. Quoniam. n.* 3. *de Offic. Ordinar.* id inter alia probans *ex can. Quia in quibusdam. diſt. 89.* ubi quilibet Epiſcopus jubetur habere Oeconomum de proprio Clero, qui unà cum Epiſcopo tractet res Eccleſiaſticas; qualis Oeconomus in *can. In nona actione. 16. q. 7.* appellatur *Vicarius Epiſcopi.* Idipſum tradunt alij plures Doctores, quos copioſè allegat Barboſa *d. allegat.* 54. *num.* 125. Siquidem propter multitudinem negotiorum Epiſcopus, etſi diligentiſſimus ſit, plerumque non ſufficit ad omnia negotia ſe ſolo expedienda. Simúlque decet, ut ſua onera partiatur cum alijs, *arg. c. Ut ſingula. de Offic. Archipresbyt. & c. Mandata. 6. de Præſumpt.*

6 Additur notanter in Concluſione, *ordinariè.* Nam, ſi Epiſcopus velit cauſas per ſe tractare, ſimúlque ſufficiat ad eas ſe ſolo expediendas, puta quia Epiſcopatus non eſt amplus, non poſſe ipſum cogi ad conſtituendum Generalem Vicarium, tenuit Rota Romana *in una Calaguritana fructuum.* 18. *Martij* 1583. *coram Bubalo*, & aliàs ſæpiùs; ac tradit Card. Tuſchus *Litt. M. Concl. 69. n. 6.* cum alijs, quos pro hac ſententia citat Barboſa *loc. cit.* Secùs foret, quando Epiſcopus vel omninò non eſt idoneus ad regendum, vel ſaltem ob molem negotiorum, aut alia impedimenta, per ſeipſum commodè regere non poteſt: tunc enim ratio naturalis dictat, adhibendum eſſe Vicarium. Engel *h. t. num.* 9. Ac poterit ad hunc conſtituendum Epiſcopus cogi per Archiepiſcopum. Barboſa *part.* 1. *de Offic. & poteſt. Epiſc. tit.* 4. *num.* 25. cum alijs.

6 Reſp. III. Epiſcopus poteſt etiam binos Vicarios Generales æquè principales, ſeu in ſolidum conſtituere, ut expeditioni cauſarum faciliùs conſulatur. Ita Gloſſa *in Clem. Etſi principalis. ℣. Principalis.* & ibi Cardin. & Imola. *de Reſcript.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Forma Vicariatûs. n.* 103. Zerola *in Praxi Epiſcop. part.* 1. *℣. Vicarius. num.* 1. Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 54. *num.* 126. & alij. Idque deſumitur *ex c. Quoniam.* 14. *de Offic. Ordinar.* ibi: *Provideat viros idoneos.* Sic & alibi ſolent plures in eodem officio decerni, ut faciliùs Reipublicæ conſuli poſſit, *arg. L. un. ff. de Offic. Conſulis*, ubi duo Conſules habent jurisdictionem, & adminiſtrationem in ſolidum.

6 Reſp. IV. In Vicarium Generalem nequit Epiſcopus eligere Laicum: nam Laicis non licet Eccleſiaſtica tractare negotia, *c. Decernimus.* 2. *de Judicijs.* Unde, quòd Vicarius Epiſcopi debeat eſſe Clericus, ſaltem primæ Tonſuræ, tradit Nicol. Garcias *part. 5. de Beneficijs, cap.* 8. *num.* 2. Barboſa *loc. cit. num.* 4. & communis aliorum.

6 In temporalibus tamen nihil obſtat, quin Laicus poſſit eſſe Vicarius Epiſcopi. Barboſa *loc. cit. num.* 9. Quinimò etiam in Eccleſiaſticis poteſt Laicus conſtitui Aſſeſſor Judicis Eccleſiaſtici, ſeu Epiſcopi: quia Aſſeſſor nullam habet jurisdictionem, *L. 2. C. de Aſſeſſorib.* Abbas *c. Decernimus. num.* 13. & ibi Hoſtienſis, ac DD. *de Judicijs.*

Quæritur III. Quâ ratione Capitulum Sede vacante teneatur conſtituere Vicarium? Reſp. I. Capitulum Sede Epiſcopali vacante tenetur hodie Officialem, ſeu Vicarium idoneum, infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare: ſi ſecùs factum fuerit, ejus deputatio devolvitur ad Metropolitanum. Ita noviſſimè Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* cujus verba quoad propoſitum valdè ſunt ponderanda, & ſic ſonant: *Capitulum Sede vacante - - Officialem, ſeu Vicarium, infra octo dies poſt mortem Epiſcopi, conſtituere vel exiſtentem confirmare omninò teneatur, qui ſaltem in Jure Canonico ſit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs, quantùm fieri poterit, idoneus: ſi ſecùs factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur &c.* 70

Dicitur notanter; *tenetur hodie.* Nam ſpectato Jure communi, ſeu ante Concilium Tridentinum, Capitulum Sede vacante non tenebatur conſtituere Vicarium, ſed poterat jurisdictionem ad ſe devolutam per ſe ipſum exercere, *arg. c. Si Epiſcopus.* & *c. Eccleſiæ. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* Pirhing *h. t. n.* 77. citans Abbatem *in c. Irrefragibili. num.* 2. *de Offic. Ordinar.* Verùm defactò ad id tenetur Capitulum. 71

Porrò ex allegatis Concilij Tridentini verbis clarè patet imprimis tempus, intra quod Sede vacante eligendus eſt Vicarius Capitularis Generalis, quod eſt ſpatium octo dierum, à die notæ vacationis computandum: ante electionem Vicarij autem infra illos octo dies faciendam, adminiſtratio jurisdictionis reſidet penes totum Capitulum. Barboſa *de Canonicis, & Dignitatibus, cap.* 42. *num.* 29. *& part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 54. *num.* 163. Zerola *part.* 1. *Praxis Epiſc. ℣. Capitulum §.* 3. addens, quòd iſta electio Vicarij non neceſſariò ſit facienda per vota ſecreta. Nicol. Garcias *part. 5. de Benefic. cap.* 7. *n.* 6. *& n.* 21. & alij. 72

Inſuper patet ex ijsdem verbis, quòd Vicarius Capitularis debeat eſſe Doctor, aut Licentiatus Sacrorum Canonum; ſicque quoad iſtud officium Canoniſta præfertur Theologo: adeò quidem, ut omiſſo Canoniſtâ non poſſit Doctor Theologiæ in Vicarium Capitularem Sede vacante eligi; prout cenſuit Sac. Congregatio Concilij *ſub die* 28. *Auguſti.* 1621. ac refert Barboſa *cit. cap.* 42. *num.* 53. & Garcias *cit. cap.* 7. *n.* 9. *&* 10. Imò nec poteſt præexiſtens Vicarius demortui Epiſcopi confirmari, quando non fuit Doctor, aut Licentiatus Canonum; ſed debet alius eligi, qui ſit talis Doctor, vel Licentiatus, ſi adſit in Capitulo, ex ſententia ejusdem Sac. Congregationis, de qua Garcias *cit. n.* 10. 73

Quòd ſi verò ejusmodi Canoniſta non adſit in Capitulo, ſufficit eligere talem, qui aliàs, quantùm 74

tùm fieri poteſt, ſit idoneus, juxta allegatum Concilium Tridentinum. Poterit tamen Capitulum, in actu deputationis, dare ei Conſultorem Doctorem Canonum: vel eligere perſonam extraneam in Vicarium Capitularem; cùm hic non neceſſariò ſit eligendus de gremio ipſius Capituli, quamvis ubi in hoc reperitur idoneus, cæteris paribus meritò ſit præferendus. Garcias *cit. cap.* 8. *num.* 13. allegans Declarationem Sac. Congregationis, ac ſequitur Barboſa *cit. cap.* 42. *de Canonic. & Dignit. num.* 37.

§. IV.

De poteſtate Vicarij Generalis, ac ceſſatione ſui Officij.

SUMMARIUM.

75. *Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitularis, ſtatim ac electus eſt, accipit juriſdictionem à Canone.*
76. *Vicarius Generalis, vi officij ſibi generaliter commiſſi, regulariter poteſt ea omnia, quæ Epiſcopus.*
77. *Quia conſtituit unum Tribunal cum Epiſcopo.*
78. *Dummodò non ſint in Jure ſpecialiter excepta, neque res arduæ, & magni præjudicij. Et num.* 76.
79. *Unde is cognoſcit omnes cauſas ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinentes, quæ non requirunt ſpecialem commiſſionem: adeò, quòd ſtet præſumptio pro ipſo.*
80. *Excipiuntur tamen cauſæ criminales.*
81. *Utrùm nihilominus Vicarius Generalis ſine ſpeciali commiſſione poſſit inquirere de Subditorum defectibus, hòsque punire; & quâ ratione?*
82. *Is non poteſt Beneficia conferre.*
83. *Benè tamen Electos, & Præſentatos, ſi digni reperiantur, in Beneficijs inſtituere.*
Et quæ ratio diſparitatis? Ibid.
84. *Nequit unire, vel dividere Beneficia.*
85. *Num ſine ſpeciali commiſſione poſſit diſpenſare in votis, juramentis, Denunciationibus Matrimonij &c.*
86. *Vel abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis?*
87. *At diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus &c. in vim Concilij Tridentini?*
88. *In praxi circa talia debet attendi Forma Vicariatûs.*
89. *Facultas expediendi omnia, quæ ſunt Epiſcopalis poteſtatis, licèt ſpeciale mandatum requirant, quouſque ſe extendat?*
90. *Utrùm poteſtas Vicarij Generalis ſit ordinaria vel delegata, non eſt tantùm quæſtio de nomine; & cur?*
91. *Concluditur, quòd is habeat juriſdictionem ordinariam.*
92. & 93. *Idq; probatur.*
94. *Iſtud procedit etiam quoad negotia requirentia ſpeciale mandatum, quando hæc in prima collatione Vicariatûs exprimuntur.*
95. *Secùs de illis, quæ ſeorſim ac ſingulariter eidem committuntur.*
96. *Niſi Epiſcopus talia committat Vicario Generali ut Vicario.*
97. *Prædicta pariter procedunt de juriſdictione Vicarij Capitularis Sede vacante.*
98. *Solvuntur objectiones. Et num ſeqq.*
Juriſdictio, quæ penes Epiſcopum eſt primariò & principaliter, in Vicario Generali ipſius exiſtit ſecundariò ſeu acceſſoriè. Ibid.
99. *Non ſemper, qui vices gerit alterius, delegata juriſdictione uti cenſetur.*
100. *Juriſdictio Vicarij Generalis, cur expiret mortuo Epiſcopo?*
101. *Et cur ad nutum Epiſcopi ſit revocabilis?*
102. *Vicarij Generalis officium, ac juriſdictio ceſſat. I. Per mortem ipſius.*
II. Per propriam renunciationem. Ibid.
103. *III. Per mortem, depoſitionem, renunciationem, ſeu translationem Epiſcopi.*
104. *Et an valeant geſta tunc à Vicario ignorante mortem &c. Epiſcopi longe diſtantis?*
105. *IV. Suſpensâ Epiſcopi juriſdictione per excommunicationem, ſuſpenſionem, aut interdictum.*
106. *V. Epiſcopo ab hoſtibus capto.*
107. *VI. Et per revocationem.*
108. *Vicarius Generalis ad libitum Epiſcopi poteſt revocari. Et num.* 101.
109. *Diſparitas inter ipſum, & Vicarium perpetuum in Divinis.*
110. *An Capitulum Sede vacante poſſit revocare Vicarium à ſe conſtitutum?*
111. *Quâ ratione Sede vacante reſideat juriſdictio penes Capitulum, & Vicarium ab ipſo conſtitutum?*
112. *An tunc Capitulum poſſit eligere Viſitatorem ad viſitandam Diœceſin, aut Vicario abſente alium ſubſtituere?*

75 QUæritur I. Quænam Vicarius Generalis poſſit, vel non poſſit facere, vi officij ſibi generaliter commiſſi? Ubi ſupponitur, quòd Vicarius Generalis ſtatim, ac per Epiſcopum conſtituitur, eo ipſo à Lege ſeu Canone juriſdictionem accipiat, *arg. cap.* 2. *h. t. in* 6. & notat Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 54. *num.* 44. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim.*

Matrim. diſp. 29. *n.* 13. Fagnanus *c. Quod nobis. n.* 45. *de Clandeſt. deſponſat.* & alij. Atque hoc ipſum procedit in Vicario electo per Capitulum Sede vacante: nam hoc ipſo, quòd eligitur, tranſit in eum tota jurisdictio ipſimet Capitulo competens; adeò, ut non ſit neceſſaria ſpecialis comimiſſio; cùm Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 24. *cap.* 16. arctaverit Capitulum ad conſtituendũ Vicarium, qui jurisdictionem ſuam adminiſtret. Nicol. Garcias *part.* 5. *de Beneficijs, cap.* 7. *n.* 15. citans alios. Unde quæſtio remanet, quænã poſſit Vicarius ita conſtitutus facere vi officij ſibi generaliter comiſſi, ac præſcindendo à ſpeciali ampliatione, vel limitatione ſuæ poteſtatis.

76 Reſp. I. Vicarius Generalis Epiſcopi per commiſſionem officij ſui ſibi generaliter factam, regulariter poteſt ea omnia, quæ ipſi Epiſcopo conceſſa intelliguntur: niſi fuerint ſpecialiter in Jure excepta, vel ſint res arduæ, & magni præjudicij, quas veriſimiliter nollet Epiſcopus ſine ſuo præſcitu expediri. Ita Nicol. Garcias *cit. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 65. *& ſeqq.* Barboſa *allegat.* 54. *n.* 59. *& ſeqq.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formâ Vicariatûs. n.* 30. *& ſeqq.* Pirhing *h. t. n.* 41. & alij.

77 Ratio primæ partis eſt: quia Vicarius Generalis conſtituit unum Tribunal cum Epiſcopo; ut habetur *cap.* 2. *de Conſuetud. in* 6. ibi: *Cùm ſit idẽ Auditorium utriusque*, id eſt, Epiſcopi & Officialis ſui. Ejúsque perſonam repræſentat. *c. Romana. de Appellat in* 6. Ergo, quod poteſt Epiſcopus, cenſetur & alter poſſe, niſi aliquid fuerit ſpecialiter exceptum, aut res ſit valdè ardua.

78 Altera pars ex eo patet. Quia, tacendô ea, quæ in Jure ſpecialiter ſunt excepta (de his enim nulla ampliùs ſubeſſe poteſt dubitatio) ſi res ſit valdè ardua, vel magni præjudicij, tunc locum habebit Reg. 81. Juris in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Concordat *c. Cùm in generali h. t. in* 6. ubi ex hoc fundamento reſolvitur, non poſſe Vicarium Generalem conferre Beneficia Eccleſiaſtica, quorum collatio pertinet ad Epiſcopũ; niſi Beneficiorum collatio fuerit ipſi ſpecialiter commiſſa. Simile quid habetur *in c. Qui generaliter. §. 1. de Procurat. in* 6. ubi Procurator generaliter conſtitutus ad negotia, poteſt agere, ac experiri; exceptis tamen caſibus, qui mandatum requirunt ſpeciale.

79 Reſp. II. Vicarius Generalis vi officij generaliter ſibi commiſſi, poteſt omnes cauſas ad Epiſcopalem jurisdictionem pertinentes, ac ſpecialem commiſſionẽ non requirentes cognoſcere, atq; expedire: adeò, quòd ſtet præſumptio pro ipſo, ejúsque poteſtate, donec oſtendatur, ſive Jure ſcripto, ſive receptâ Eccleſiarum conſuetudine, hunc vel illum caſum inter ſpeciales recenſeri. Ita deſumitur ex *c. Licèt.* 2. *h. t. in* 6. ubi circa initium pro regula ſtatuitur, quòd *in Officialem Epiſcopi per commiſſionem officij generalitrr ſibi factam, cauſarum cognitio transferatur*: & poſteà primùm certi caſus inde excipiuntur; ac notat Layman *ibid. n.* 1. Garcias *cit. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 65. & alij. Habet quippe Vicarius jurisdictionem ordinariam, & quidem eandem, quam Epiſcopus, ubi non eſt limitata; cùm ſit idem Auditorium, ſeu Tribunal utriusque, *cap.* 2. *de Conſuetud. in* 6. ſicque meritò cenſetur ſtare præſumptio pro ipſo, donec probetur caſus eſſe exceptus.

Reſp. III. Excipiuntur autem imprimis cauſæ criminales, utpote quæ inter negotia magis ardua connumerantur; cùm in eis tractetur de vita hominis, & de pœna graviter infligenda, *arg. c. Veniens.* 15. *& c. Qualiter.* 24. *de Accuſation.* Ac proinde in generali mandato non veniunt, ſed opus eſt ſpeciali expreſſione, *c. Licèt. h. t. in* 6. Atque hoc adeò verum eſt, ut ſi Vicarius Generalis ſeſe cauſis criminalibus absq; ſpeciali mandato intromittat, proceſſus ipſo jure ſit irritus, ob defectum jurisdictionis. Federicus de Senis *Conſil.* 210. Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Formâ Vicariatûs. n.* 252. Idque clarè deſumitur ex *cit. c. Licèt, h. t. in* 6. ubi, cùm Pontifex præmiſiſſet, quòd per commiſſionem officij generaliter factam officiali Epiſcopi, cauſarum cognitio in eum transferatur, illicò notanter ſubjungit: *poteſtatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum exceſſus, ſeu aliquos à ſuis Beneficijs, officijs, vel adminiſtrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem: Niſi ſibi ſpecialiter hæc committantur.* Hactenus Pontifex. 80

Verumtamen hæc ipſa exceptio quasdam patitur limitationes. Prima eſt, ſi Vicarius de quorundam exceſſibus inquirat ad effectum referendi eos Epiſcopo, ſi opus fuerit; non verò ad effectum puniendi eos per ſeipſum. Secunda eſt, ſi inquirat, non ut puniat delinquentes, aut aliquem eorum ſuo Beneficio, vel officio privet; ſed ut errantes emendet, & ſcandala præcaveat. Tertia eſt, ſi inquirat ad pœnam pecuniariam tantùm, vel aliam conſimilem, non autem ad pœnam depoſitionis: nam in hiſce caſibus poſſe Vicarium Generalem procedere contra delinquentes absque ſpeciali commiſſione Epiſcopi, tenet Ancharanus *in cit. c. Licèt. §. Sed hîc quæritur.* & Layman *ibid. n.* 2. *h. t. in* 6. Sbrozius *de Offic. Vicar. lib.* 2. *quæſt.* 143. Franciſcus de Pavinis *de Poteſt. Capit. part.* 2. *q.* 10. *n.* 31. Zechius *de Republ. Eccleſiaſt. cap.* 23. *verſ. Decimò non poteſt*, & plures alij. Accedit ratio: quia in duobus primis caſibus nulla intervenit punitio, per ipſummet Vicarium exercenda; in tertio autem caſu intervenit duntaxat levis punitio. Atqui quælibet jurisdictio, præſertim ordinaria (qualem habet Vicarius Generalis) debet habere annexam quandam poteſtatem coërcitivam, ſaltem modicam, ne alioquin ſit inefficax; ut dicitur *L. ult. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt jurisdict.* additâ illâ ratione: *Quia jurisdictio ſine modica coërctione, nulla eſt.* 81

Confirmatur hoc ipſum ex mente Dominorum de Rota *Deciſ.* 66. *in novis, ſub tit. de Offic. Vicar. Deciſ.* 1. ubi dicunt, ex generali poteſtate Vicarium inquirere poſſe. Horum enim opinionem conciliando cum *cit. c. Licèt. h. t. in.* 6 reſtat dicendum, quòd Capitulum iſtud loquatur de inquiſitione tendente ad gravem pu-

nitio.

nitionem, ut puta, ad amotionem alicujus à beneficio, vel officio, de qua ibidem fit mentio, & qualem Vicarius Generalis nequit inſtituere abſque ſpeciali commiſſione Epiſcopi: econtrà verò dicta Deciſio Rotæ procedit cum limitationibus ſuprà enumeratis. Rebuffus *in Praxi Benefic. part. 1. tit. Forma Vicariatûs. n. 166. & 169.* Bertachinus *de Epiſc. part. 7. lib. 4. q. 13.* Pax Jordanus *vol. 2. lib. 12. tit. 1. n. 224.*

82 Deinde ex generali commiſſione nequit Vicarius Generalis Beneficia conferre, *text. clar. cap. ult. h. t. in 6.* Tum quia in generali conceſſione non veniunt illa, quæ quis in ſpecie veriſimiliter non eſſet conceſſurus; ut eſt collatio Beneficiorum, quæ inter fructus Epiſcopales computatur. Gloſſa magna *c. Cùm olim, 14. de Majorit. & obed.* nemo enim præſumitur jactare ſuũ, *L. Lucius ff. de Donationib.* Tum quia is regulariter donare non poteſt, cui bonorum adminiſtratio, etiam libera, eſt conceſſa: atqui collatio Beneficiorum voluntaria (ut loquitur Fagnanus *c. Ex frequentibus n. 4. de Inſtitut.*) eſt quædam donatio: quia per eam exercetur liberalitas in cui dando, licèt non in ſimpliciter dando. Textus, Gloſſa, & DD. *in cit. cap. ult. h. t. in 6.*

83 Secùs eſt dicendum de collatione Beneficiorum neceſſaria, qualis locum habet in electis, & præſentatis à Patronis. Poteſt enim Vicarius, ratione officij ſibi generaliter commiſſi, canonicè electos confirmare, atque præſentatos à Patronis, ſi digni reperiantur, inſtituere in Beneficijs: nam hæc duo ſunt juſtitiæ, & neceſſitatis; cùm electis, ac præſentatis, cæteroquin idoneis, acquiratur jus ad Beneficium, & ſic talis inſtitutio nõ ſit meræ liberalitatis. Gloſſa *in cit. cap ult. ꝟ. Non poſſunt h. t. in 6.* & ibi Jo. Andreas *n. 2.* Ancharanus *in fine.* Garcias. *part. 5. de Beneficijs, cap. 8. n. 84.* Barboſa *cit. allegat. 54. n. 70* Fagnanus *d. c. Ex frequentibus. n. 5. de Inſtitut.* & alij paſſim; quamvis diſſentiat Rebuffus, *ubi ſuprà, n. 126. & ſeqq.*

84 Ulteriùs vi ſui officij generaliter commiſſi non poteſt Vicarius Eccleſias, vel alia Beneficia unire, dividere, aut omnino ſupprimere: nam hæ cauſæ inter arduas connumerantur. An autem in ejus manibus poſſit fieri renunciatio Beneficij abſque ſpeciali commiſſione Epiſcopi, patet ex dictis ſuprà *Tit. 9. De Renunciatione. §. 1. num. 6.* ubi negativè reſponſum.

85 Inſuper Vicarius Generalis abſque ſpeciali commiſſione non poteſt diſpenſare in votis, juramentis, aut legibus, etiam in quibus poteſt Epiſcopus diſpenſare: nam diſpenſatio eſt ſpecies quædam gratiæ, ac remiſſionis, quæ in generali conceſſione non venit. Rebuffus *cit. Tit. Forma Vicariatûs. n. 44. & ſeqq.* Layman *in cap. ult. n. 9. h. t.* id limitans, niſi vel ipſum Jus Vicario Generali talem poteſtatem diſpenſandi committat, prout contra Menochium *Conſil. 69. n. 55. vol. 1.* Nicol. Garciam *d. p. 5. cap. 8. n. 61.* & nonnullos alios, probabilius ſuſtinet Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 7. n. 10.* de facultate diſpenſandi circa Denunciationes matrimonij, juxta Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. matrim.* Vel niſi Vicarius ſciente, & tolerante Epiſcopo, diſpenſet in caſibus frequenter occurrentibus, ut puta circa jejunia, Feſta, & hujusmodi.

Rurſus Vicarius Generalis nequit abſque ſpeciali commiſſione abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis, *arg. c. Si Epiſcopus. 2. de Pœnit. & remiſſ. in 6.* ac tradit Rebuffus *loc. cit. n. 179.* Barboſa *d. allegat. 54. n. 116.* Engel *h. t. n. 10.* & alij.

Similiter non poteſt Vicarius Generalis abſque ſpeciali mandato diſpenſare in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, nec abſolvere ab alijs caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſicut poteſt Epiſcopus in vim Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* Quia Concilium hanc facultatem non tribuit Vicario Generali, niſi ſpecialem commiſſionem ad hoc habenti; prout liquet ex illis verbis ejusdem: *Per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum.* Rubuffus *ubi ſuprà, n. 44.* & Barboſa *n. 121.* Garcias *d. cap. 8. n. 47. & 48.* Engel *cit. n. 10.* & alij.

Tacentur plures alij caſus, de quibus latè diſputant Doctores, utrùm ex vi officij ſibi generaliter commiſſi, quidpiam circa eos poſſit, vel non poſſit Vicarius Generalis; prout videre eſt apud Rebuffum *in Praxi Beneficiorum, tit. Forma Vicariatûs.* per totum. Barboſa *part. 3. de Offi. & poteſt. Epiſcop. allegat. 54. num. 60 & ſeqq.* & alios. In praxi optimum erit inſpicere Formam Vicariatûs, ſive Inſtrumentum commiſſionis, quo quis inſtitutus fuit Vicarius Generalis: per hanc enim Epiſcopi quandoque majorem, vel minorem ſuo Vicario concedunt facultatem.

Adde tamen prædictis, quòd, licèt Epiſcopus concedat Vicario Generali facultatem exequendi omnia, quæ ſunt Epiſcopalis poteſtatis, etiamſi mandatum exigant ſpeciale: adhuc vi hujus clauſulæ non poſſit Vicarius expedire ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum. Nam dicta clauſula in Jure cenſetur nimis generalis, ut *c. Qui ad agendum. 4. de Procurat. in 6.* ſicque ſubintrat Reg. 81. Juris in 6. *In generali conceſſione &c.* Secùs dicendum, quando Epiſcopus præfatam facultatem concedens expreſſit aliquem, vel aliquos de caſibus ſpeciale mandatum requirentibus, adjectâ poſtmodùm illâ clauſulâ: *& omnia alia, licèt mandatum exigant ſpeciale*: tunc enim poterit Vicarius etiam alia facere, quæ requirunt ſpeciale mandatum, dummodò non ſint graviora, vel majora expreſſis; prout in ſimili habetur deciſum quoad Procuratores *in cit. c. Qui ad agendum. & Clem. 2. de Procuratorib.* ac notat Gloſſa *fin. c. Licèt. 2. h. t.* Garcias *d. cap. 8. n. 68.* Engel *h. t. n. 10. circa initium.* & alij.

Quæritur II. An poteſtas Vicarij Generalis ſit ordinaria, vel delegata? Celebris eſt hæc quæſtio, & admodùm inter DD. controverſa; ut videre eſt apud Barboſã in *cit. part. 3. allegat. 54. n. 26. & 30.* & Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 29. n. 2. & 3. ac ſeqq.* qui plurimos Doctores pro- & contrà

trà allegant. Neque enim eſt tantùm quæſtio de nomine, utrùm quis ſit Ordinarius, vel Delegatus, & conſequenter, an jurisdictio Vicarij Generalis ſit ordinaria, vel delegata: quinimò in re ipſa plurimùm intereſt, prout patebit ex differentijs inter Judicem Ordinarium, & Delegatum exiſtentibus, de quibus *Tit. ſeq. §. 2. num. 41. & ſeqq.* Accedit, quòd, quando Jura aliquid committunt Ordinarijs, appellatione *Ordinariorum* veniant omnes ordinariam jurisdictionem habentes. Abbas *in c. Cùm olim. n. 2. de Reſcript.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 29. n. 5.* & alij: ſicq; nomine *Ordinarij* comprehenditur etiã Vicarius Epiſcopi, ſi reverà polleat jurisdictione ordinariâ; aliàs ſecùs. Unde ad propoſitam quæſtionẽ

91 Reſp. I. Vicarius Generalis Epiſcopi habet jurisdictionem ordinariam, non delegatam. Ita deſumitur ex *c. Romana. §. 1. de Appellatione. in 6.* ac notat Gloſſa *ibid. ℣. Generaliter.* & alia Gloſſa *in cap. Licèt. 2. ℣. Officialem. h. t. in 6.* Abbas *in c. Quoniam. 14. num. 11. de Offic. Delegat. & c. Decernimus. n. 12. de Iudicijs.* Felinus *in Rubric. de Offic. Delegat. n. 4.* Covarruvias *lib. 3. Variar. Reſol. cap. 20. n. 4. & Practic. Quæſt cap. 4. n. 8* Sperellus *Deciſ. 97. Fori Eccleſiaſt. n. 3.* Maranta *in Speculo Aureo, part. 4. diſt. 5. n. 12. & 13.* Nicol Garcias *de Beneficijs, part. 5. cap. 8. n. 21.* Maſchardus *de Probationibus, Concl. 1413. n. 9. & 22.* allegans Rotam *Deciſ. 1. de Offic. Vicarij, in nov.* Sbrozius *de Offic. Vicar. lib. 2. quæſt. 55.* Bernardus Sannig *h. t. cap. 4. n. 5.* Pirhing *eod. n. 35.* Barboſa & Sanchez *ubi ſuprà,* cum pluribus alijs, quos citant; quamvis Goffredus *in Summa h. t.* & quidam alij, per Barboſam *d. allegat. 54. n. 30.* citati, oppoſitum teneant.

92 Fundamentum præcipuum Concluſionis eſt: quia jurisdictio, quæ à Lege, ſeu Canone, ratione officij ſeu dignitatis cuipiam conceditur, eſt ordinaria, *l. More. & l. Et quia. ff. de Jurisdict. omn. judic.* Atqui Vicarius Generalis Epiſcopi habet jurisdictionem à Canone, & ratione ſui officij ſibi conceſſam, *c. Licèt. 2. h. t. in 6.* cum ſimilibus; ergo. Nec obſtat, quòd Epiſcopus inſtituat, ſeu conſtituat ſibi Vicarium Generalem. Nam eo ipſo, quòd is conſtitutus fuit ab Epiſcopo, Jus tribuit ipſi jurisdictionem, & quidem immediatè, juxta dicta *n. 75.* Etſi enim Epiſcopus mediet quaſi nominans, & inſtituens, non tamen mediat quaſi dans jurisdictionem: prout ſimile quid contingit in alijs Judicibus, qui ordinariã habent jurisdictionem, haud obſtante, quòd à Principe ad officium Judicis nominentur, & deputentur.

93 Confirmatur Concluſio. A Delegato datur appellatio ad Delegantem; ut patet *ex c. Super quæſtionum. §. Porrò. de Offic. Delegat.* cum concordantijs. Sed à Vicario Generali non datur appellatio ad Epiſcopum, *text. clar. cap. 2. de Conſuetud. in 6.* ubi etiam omnis contraria conſuetudo reprobatur, additâ illa ratione: *Ne ab eodem ad ſeipſum (cùm ſit idem Auditorium utriusque) appellatio interpoſita videatur*; ergo. Accedit: quia juxta textum nunc allegatum, idem eſt Tribunal, eadémque jurisdictio Epiſcopi, & Vicarij ſui Generalis: atqui jurisdictio Epiſcopi eſt ordinaria, *c. Cùm Epiſcopus. 7.* de *Offic. Ordinar. in 6* ergo & illa.

Reſp. II. Concluſio proximè data non ſolùm procedit in illis, quæ ipſo Jure, ſeu ex generali commiſſione Vicariatûs competunt, ſed etiam locum habet quoad alia negotia ſpeciale mandatum requirentia, quando hæc in prima collatione Vicariatûs ſpecialiter exprimuntur: quia tota jurisdictio Vicarij Generalis erit ordinaria. Ita Jo. Andreas *in Addit. ad Speculatorem. in Rubric. ad tit. de Offic. Vicar. verſ. Dubitari videtur.* Francus *in cap. 2. n. 4. h. t. in 6.* Nicol. Garcias *cit. part. 5. cap. 8. n. 41.* poſt Rotam apud Creſcent. *Deciſ. 15. de probation.* Gambarum *de Offic. Legati lib. 9. n. 33. & ſeq.* Sbrozium. *lib 1. q. 67. n. 3.* & alios Sanchez *lib. 3. de Matrimon. diſp 29. n. 8* Pirhing *h. t. n. 40* Ratio eſt: Quia connexorum idem eſt judicium, *c. Translato. 3. de Conſtitut.* junctâ Gloſſâ, & DD. ibidem. Simúlque acceſſorium naturã ſequitur principalis, juxta *Reg. 42. Iuris in 6.* Atqui in poſito caſu, jurisdictio quoad cauſas ſpecialiter commiſſas eſt annexa, ſimúlque acceſſoria ad jurisdictionem ordinariam Vicarij Generalis; ergo. 94

95 Secùs dicendum de illis, quæ non ſolùm requirunt ſpeciale mandatum, ſed inſuper ſeorſim ac ſingulariter eidem committuntur: quia in iſtis jurisdictio eſt delegata. Felinus *in Rubric. cit. tit. de Offic. Delegat. n. 4. limitat. 3.* Maranta *cit. part. 4. diſt. 5. n. 16.* Francus, Sbrozius, Sanchez, Pirhing, & alij. Siquidem hîc ceſſat ratio proximè allegata: nam jurisdictio, quæ ad actus ſeparatim & ſingulariter commiſſos datur, nõ poteſt cenſeri annexa, vel acceſſoria ad generale officium Vicariatûs; ideóque rectè delegata dici debet, ut proin à Vicario tanquam Delegato, poſſit appellari ad Epiſcopum veluti Delegantẽ.

96 Verumtamen hoc ipſum limitant Doctores, quando Epiſcopus poſteà ejusmodi ſingularem cauſam, ſpeciali mandato indigentem, committit Generali Vicario tanquam Vicario, ſeu intuitu officij Vicariatûs: quia tunc etiam quoad hanc cauſam cenſebitur jurisdictio Vicarij eſſe ordinaria. Jo. Andreas, Sanchez, Pirhing, *ubi ſuprà,* & Sbrozius *lib. 2. de Vicario Epiſc. quæſt. 55. n. 39.* iſtud intelligentes in caſu, ubi in cõmiſſione fit mentio Vicariatûs; ſive, quando Epiſcopus in ſalutatione, aut in progreſſu, inquit: *Tibi Officiali, vel Vicario noſtro committimus, quòd poſſis &c.* Tunc enim videtur prorogata prior ordinaria jurisdictio Vicarij Generalis, ſícque tota jurisdictio erit ordinaria. Quamquàm Garcias *cit. part. 5. cap. 8. n. 44.* iſtud non approbet, niſi fiat expreſſa extenſio, ſeu prorogatio dictæ jurisdictionis ordinariæ Vicarij ſui per Epiſcopum.

97 Porrò quæ hactenus dicta fuerunt de jurisdictione Vicarij Generalis Epiſcopalis, nempe quòd ſit ordinaria, ea pariter procedunt de jurisdictione Vicarij Capitularis Sede vacante: nã & huic ſemel ritè cõſtituto cõpetit jurisdictio à Jure

eu Canone, & quidem eadem, quam habet Vicarius Epiſcopi; ac proin etiã ipſa erit ordinaria. Aloyſ. Riccius *in Praxi Aurea, part. 2. reſolut. 99. n.* 1. Ant. Flaminius Marchettus *in Praxi Vicarij Capitularis, part. 2. tit. 12. n.* 35. citans Sbrozium *de Vicario Epiſcop. lib. 2. quæſt.* 55. *n.* 31. Gutierez *de Matrim. c.* 66. *n.* 13. Martha *de Juriſdict. part. 2. cap.* 40. Sanchez. *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 29. *n.* 4. allegans alios.

98 Obijcies majoris claritatis gratiâ contra hactenus dicta. Epiſcopus habet juriſdictionem ordinariam; ergo hanc non habet ſuus Vicarius Generalis: nam *duo in ſimul eandem rem, & eodem modo, in ſolidum poſſidere non poſſunt,* c. Licet. 9. de Probationib. Reſp. neg. conſequent. cum ſuæ probationis conſequentia. Siquidem dicta juriſdictio nõ eodem modo eſt in utriſque, ac proinde nihil urget allatus textus: nam penes Epiſcopũ juriſdictio illa eſt primariò ac principaliter, utpote qui ratione Dignitatis conſequitur juriſdictionis dominium: in Vicario autem eſt ſecundariò ſolùm, ſeu acceſſoriè ex comiſſione Juris, & quaſi exercitium dominij juriſdictionis conſiſtentis in perſona Epiſcopi. Sanchez *loc. cit. n.* 13. Barboſa, *ubi ſuprà. n.* 38. Pirhing *n.* 36. & alij.

99 Obijcies II. Vicarius Generalis gerit vices Epiſcopi, *c. Romana. de Appellat.* ſed qui gerit vices alterius, nihil proprium habet, ſed delegatâ juriſdictione uti cenſetur, *arg. L. 1. §. 2. ff. de Officio ejus, cui mandata eſt juriſdict.* ergo. Reſp. negando, minorem eſſe univerſaliter veram. Nam & Legatus Papæ ejus vices gerit, *cap. 1. de Offic. Legati,* & tamẽ habet juſisdictionem ordinariam; ut dicitur *cap. 2. eod. in 6.* Similiter Delegatus ad univerſitatem cauſarum reputatur quaſi Ordinarius, ut dicetur *Tit. ſeq. §. 3. n. 63.* haud obſtante, quòd gerat vices alterius. Requiritur ergò inter alia ad juriſdictionem delegatam, quòd quis vices alterius gerat, non ex ullo proprio officio, cui talis juriſdictio de jure cohæret, ſed ex nuda comiſſione alterius. Hoc autem non fit in propoſito, cùm Vicario Generali competat ſua juriſdictio à Jure vi proprij officij; haud obſtante, quòd per Epiſcopum, qui ipſum conſtituit, ea ampliari, vel reſtringi valeat. Et per iſtud patet ad *cit. L. 1. ff. de Offic. ejus, cui &c.*

Obijcies III. Inter juriſdictionem ordinari-
100 am & delegatam ea eſt differentia, quòd juriſdictio ordinaria ſit perpetua, neq, mortuo concedente expiret; ut *c. Legatos. 2. de Offic. Legat. in 6.* cum ſimilibus: juriſdictio delegata verò, ſi res adhuc ſit integra, mortuo delegante expiret; ut *c. Relatum. 19. & c. Gratum. 20. de Offic. Delegat.* Atqui juriſdictio Vicarij Generalis nec eſt perpetua, ſed ad nutum Epiſcopi revocabilis, ſimúlque expirat mortuo Epiſcopo, ut *n.* 103. dicetur; ergo non eſt ordinaria, ſed delegata. Reſp. Majorem eſſe veram, quando juriſdictio ordinaria non cohæret alteri ordinariæ, tanquam acceſſoria: ſecùs autẽ, quando ipſa cohæret alteri ordinariæ, tanquam acceſſoria; prout juriſdictio ordinaria Vicarij Generalis, cohæret juriſdictoni ordinariæ Epiſcopi. Hinc enim fit, quòd quamprimùm ea per mortem, vel aliàs, extinguitur in Epiſcopo, mox etiam extinguatur in Vicario; juxta notam illam Reg. 42. Juris in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis,* cum concordantijs. Sanchez *cit. lib. 3. de Matrim. diſp. 29. n.* 13. Barboſa *d. allegat.* 54. *n.* 44. & alij.

Neque etiam obſtat, quòd Vicarij Generalis juriſdictio ad nutũ Epiſcopi ſit revocabilis. Reſp. enim, id fieri ex eo, non quòd juriſdictio illa non ſit ordinaria; ſed quia eam Vicarius à Lege conſequitur mediante nominatione Epiſcopi. Cùm igitur hanc poſſit Epiſcopus revocare, ſublato antecedente neceſſariò tollitur & conſequens. Simile quid contingit in alijs Magiſtratibus ordinarijs, quorum juriſdictio mox ceſſat, quamprimùm per Superiorem à ſuis officijs amoventur.

Quæritur III. Quibus modis ceſſet officium, ac juriſdictio Vicarij Generalis? Reſp. Id accidere multipliciter. I. Per mortem ipſius Vicarij: nam mors omnia tollit. II. Per propriam ejus renunciationem expreſſam, vel ſaltem tacitam: ut ſi Vicarius egrediatur locum Vicariatûs animo nõ revertendi; cenſetur enim tunc tacitè renunciâſſe. Fagnanus *in c. Præſentata. n. 10. de Teſtibus,* ubi notabilem circa hoc caſum refert.

III. Expirat Officium Vicarij Generalis per mortem Epiſcopi, vel ejus depoſitionem, aut renuntiationem admiſſam à Superiore, ſeu translationem ad aliam Eccleſiam. Et quidem tunc ipſo facto extinguitur omnis poteſtas, & juriſdictio Vicarij, etiam re non integrâ: ita quidem, ut nec cauſas Epiſcopo vivente cæptas, poſt mortẽ, vel renunciationem ipſius perficere queat, utpote privatus omni juriſdictione; prout deſumitur *ex Clem. ult. de Procurat.* & notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Conteſtatæ.* Accedit ratio: quia Vicarius eandem cum Epiſcopo habet juriſdictionem, idémque Tribunal; ergo, ſi ceſſat Epiſcopi Tribunal, ac juriſdictio, ceſſabit etiam ipſius Vicarij: ſiquidem acceſſorium naturam ſequitur principalis, ut jam dictum *num.* 100.

Verùm, quòd his non obſtantibus valeant geſta tunc à Vicario ignorante mortem Epiſcopi longè diſtantis, dummodò hæc non à ſolo Vicario, ſed etiam communiter ab alijs ignoretur: rectè obſervat Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 22. n. 29.* Sperellus *Deciſ.* 30. *Fori Eccleſiaſt. n.* 3. citans Rotam *Deciſ.* 1. *aliàs.* 47. *de Offic. Vicarij, in nov.* & Barboſa *cit. allegat.* 54. *num.* 152. allegans alios: quia videlicet error communis jus facit, tribuitque Vicario illi juriſdictionem, ut *l. Barbarius. ff. de Offic. Prætor.*

IV. Et ob allatam *n.* 99. rationem, ſi Epiſcopi juriſdictio fuerit ſuſpenſa, ſeu impedita per excommunicationem, ſuſpenſionem, aut interdictum; eo ipſo etiam ſuſpenditur, ac impeditur juriſdictio ſui Vicarij Generalis: quia videlicet eſt eadem juriſdictio, & Tribunal utriuſque, ſimúlq; acceſſorium ſequitur naturam principalis. Gloſſa communiter recepta *in cap. 1.* ℣. *Ipſius. h. t. in 6.* benè ſubjungens, quòd tunc ſit adeundus

Papa,

Papa, ut provideat. Concordant dicta ſuperiùs *Tit. 10. de Supplenda negligentia Prælatorum.* §. 2. *n. 36. & ſeqq.*

10 V. Officium Vicarij Generalis ceſſat Epiſcopo ab hoſtibus capto. Quia tunc Epiſcopus cenſetur civiliter mortuus: ac proinde Capitulum, ac ſi Sedes per mortem vacaret illius, in ſpiritualibus & temporalibus miniſtrare debet; ut *c. Si Epiſcopus. 3. de Suppleud. neglig. Prælat. in 6.* Fagnanus *c. Per tuas. il. 1. num. 21. de Simonia*, citans Geminianum in *d. c. Si Epiſcopus.*

10 VI. Tandem finitur poteſtas, & officium Vicarij Generalis per revocationem. Ita Gloſſa *in Clem. Etſi principalis. 2.* ℣. *Per electionem. de Reſcript.* ibi: *De Officiali, quem Epiſcopus ad nutum amovere poteſt.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Forma Vicariatûs. n. 224.* Barboſa *cit. allegat. 54. n. 145.* Pirhing *h. t. num. 75.* Engel *eod. tit. num. 11.* & alij paſſim. Siquidem

10 Vicarius Generalis non eſt intitulatus in officio ſuo; ideóque ad libitum Epiſcopi revocari poteſt, ut tradunt citati DD. Accedit, quòd Vicarius Generalis, licèt conſequatur ſuam Juriſdictionem à Jure, eam tamen non conſequitúr niſi mediante nominatione Epiſcopi: atqui hanc poteſt revocare Epiſcopus, juxta c. Omnis. de Reg. Jur. ibi: *Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur*; ergo & illam, ut jam dictum *num. 97.* Nam ſublato antecedente, neceſſariò tollitur & conſequens.

10 Nec obſtat, quòd Vicarius perpetuus quoad Divina in aliqua Parochia conſtitutus, non poſſit ad libitum revocari, vel amoveri. Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia talis verè eſt intitulatus, atque inveſtitus in Eccleſia, cujus perpetuam Vicariam habet; non ſic Vicarius Generalis.

11 Nota tamen, quòd Vicarius Epiſcopi ad beneplacitum poſſit revocari; & quidem validè, etiamſi is juràſſet non revocare, licèt ſi hoc faceret absque juſta cauſa excuſante, reatum perjurij incurreret. Fagnanus *c. His quæ. n. 71. de Major. & obed.* Nihilominus Capitulum Sede vacante, factâ ſemel electione Vicarij, non poſſit illum ad libitum revocare, & novum conſtituere. Et ita à Sac Congregat. Epiſcoporum fuiſſe reſponſum, refert Barboſa *cit. allegat. 54. n. 171* ac Fagnanus *cit. num. 71.* Fatendum tamen, quòd idem Fagnanus *loc. cit. n. 69.* ac etiam Nicol. Garcias *part. 5. cap. 7. n. 23. §. Quinta*, aliam ejusdem Sac. Congregationis Declarationem allegent; vi cujus Capitulum poteſt ad libitum revocare Vicarium, aliàs ab ipſo electum, ſeu confirmatum; dummodò intra octo dies alium conſtituat. Quæ Declaratio, ſi reverà emanavit, ut concordetur cum altera priori, videtur intelligenda, quando ſubeſt gravis cauſa: aliàs ſecùs.

Pro coronide nota, quòd vacante Epiſcopatu juriſdictio principaliter quidem reſideat penes Capitulum: nihilominus exercitium ejus, Jure ſic diſponente, exiſtat penes Vicarium ab eodem deputatum. Anton. Flaminius Marchettus *in Praxi Vicarij Capitularis, part. 1. tit. 9. n. 4.* poſt Quarantam *in Summa Bullarum*, ℣. *Capitulum Sede vacante. n. 4.* éſtque jam dictum ſuprà *Tit. 11. De Temporibus Ordinationum. §. 5. num. 125.* Atque dicti Vicarii juriſdictio tanta eſt, quanta ipſius Capituli Sede vacante, niſi quid ſpecialiter fuerit exceptum; prout liquet ex Forma, ſeu Inſtrumento Vicariatûs Capitularis, quam refert Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 54. n. 159.* poſt Quarantam *in cit. Summa Bullarum.* ℣. *Capitulum Sede vacante.* 111

Unde, quòd Capitulum Sede vacante absque Vicario jam conſtituto, non poſſit eligere Viſitatorem ad viſitandam Diœceſin, à Sac. Congregatione deciſum fuit, ut ait Nicol. Garcias *part. 5. de Beneficijs, cap. 7. n. 23. §. Septima.* Qui ibidem *§. Sexta* pariter deciſum refert, quòd ad Vicarium ſpectet, propter ſuam abſentiam alterius ſubſtitutionem facere. Concordat Fagnanus *loc. cit. num. 73. & ſeqq.* ubi has ipſas Deciſiones allegat. 112

TITULUS XXIX.

De officio & poteſtate Judicis Delegati.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*
Delegatus Papæ eſt major quolibet Ordinario quoad cauſam ſibi commiſſam. Ibid.

SEquentes Tituli hujus primi Libri Decretalium verſantur præcipuè circa Forum contentioſum, & continent præparatoria Judiciorum; ut ait Zoëſius *h. t. num. 1.* Quia verò in Judicijs primò quæritur de Judice, qui vel eſt ordinarius, vel delegatus; idcircò de hoc tractatur in præſenti Titulo, de illo verò poſteà. Nec immeritò priùs agitur de Delegato, quàm de Ordinario: ſiquidē Delegatus Papæ eſt major quolibet Ordinario, ſaltē quoad causā ſibi comiſſam; eò quòd circa hanc gerat vices Papæ, ejúſq; perſonam repræſentet, prout habetur *in c. Sanè quia. 11. h. t.* Ut autem præſens materia unà cum alijs coherentibus, & ſubſequentibus, meliùs intelligatur, operæ pretium erit, Juriſdictionem ut ſic & varias ejus diviſiones præmittere. Hinc ſit

§. I.

De Jurisdictione ut ſic, & varijs ejus diviſionibus.

SUMMARIUM.

2. & 3. *Jurisdictio, quid?*
4. *Dicitur Poteſtas publica, & cur?*
5. *Item Poteſtas jurisdictionis.*
6. *Actus Poteſtatis publicæ, qui?*
7. *Jurisdictio Eccleſiaſtica, & Civilis ſeu politica, quæ?*
8. *Jurisdictio contentioſa, & voluntaria, quid?*
9. *Et in quo differant?*
10. *Aliæ jurisdictionis diviſiones referuntur.*
11. *Jurisdictio ordinaria, &*
12. *Delegata, quæ?*
13. *Jurisdictio mandata, an differat à delegata? Et num. ſeqq.*
14. *Et in quo?*
15. *Ratio diſcriminis.*
16. *Jurisdictio mandata propriè accepta, coincidit cum delegata ad univerſitatem cauſarum.*
17. *Sed largiùs loquendo quandoque confunduntur.*
18. *Jurisdictio ſimplex, quæ? Et num. ſeqq.*
19. *Imperium, quid, & quotuplex?*
20. *Imperium mixtum, &*
21. *Imperium merum, quod?*
22. *Tres ſunt gradus Imperij meri.*
23. *Alia Jurisdictionis ſimplicis, & Imperij mixti, ac meri, definitio.*
24. *Officium nobile, & mercenarium Judicis, quod?*
25. *De Jure Canonico, an detur Imperium merum?*
26. *Et quæ ad iſtud ſpectent?*

2 Quæritur I. Quid ſit Jurisdictio? Juriſtæ pleriq; ſolent cum Gloſſa *in L. 1. de Jurisdict. omn. judic. ℣. Poteſt.* jurisdictionem in genere ſic definire, dicendo: *Jurisdictio eſt poteſtas de publico introducta, cum neceſſitate juris dicundi, & æquitatis ſtatuendæ.* Verùm, quia hæc definitio non convenit jurisdictioni Eccleſiaſticæ, utpote quæ non *de publico*, hoc eſt, non auctoritate Reipublicæ, ſed immediatè à Deo, ſeu Chriſto Domino introducta fuit, *c. Solitæ. 6. de Majorit. & obed.* cùm concordantijs; & de qua potiſſimùm nobis eſt ſermo: hinc magìs generaliter, ac meliùs loquendo,

3 Reſp. I. *Jurisdictio* eſt poteſtas publica juris dicundi. Ita deſumitur ex *L. 1. §. Damus. ff. de Suſpectis tutorib.* ubi Jurisdictio appellatur *Officium juris dicundi.* Jurisdictio ſiquidem à *jure dicendo*, ſive ſententiâ ſecundùm æquitatem, Jurisque regulas ferendâ, tanquam præcipuo publicæ Poteſtatis officio, dicta fuit. Vel, ſi placet magìs generalem, atque omnes jurisdictionis actus ſub ſe comprehendentem definitionem ponere, dicas cum Pirhing *tit. de Offic. Judic. Ordin. num. 1.* & alijs: *Jurisdictio eſt poteſtas publica circa aliorum regimen, ſeu gubernationem.*

4 Dicitur notanter, *Poteſtas publica*: ad excludendam videlicet eam poteſtatem, ſeu authoritatem, quam habet maritus in conjugem, pater in filium, dominus in ſervum, magiſter in diſcipulum, & tutor in pupillum. Hæc enim non eſt jurisdictio propriè dicta, cùm magìs ad domeſticam, ſeu Oeconomicam ac privatam, quàm ad publicam gubernationem ſpectet.

5 Et additur, *Poteſtas.* Sumitur enim hîc jurisdictio, non pro actu, ſeu exercitio jurisdictionis; ſed pro facultate, ac potentiâ eam exercendi: unde alio nomine appellatur *Poteſtas jurisdictionis* (ad differentiam *Poteſtatis Ordinis*, quæ Clericis confertur per ſacros Ordines) & qui illam habent, dicuntur *Poteſtates publicæ.*

Hujus autem Poteſtatis publicæ actus ſunt, ſententiam ferre, ac definire, quid jus & æquitas contineat; item præcipere, prohibere, punire, leges ferre, in ijs diſpenſare: quinimò univerſim omnis ille actus jurisdictionis eſſe cenſetur, qui à Superiore ex publico munere, ac poteſtate in ſubditos, ſive quatenùs publica perſona eſt, exercetur. Et hoc denotatur per alia verba, in poſteriori definitione jurisdictionis poſita, ibi: *Circa aliorum regimen, ſeu gubernationem.*

Quæritur II. Quomodo generatim dividatur Jurisdictio? Reſp. I. *Jurisdictio* humana (de qua nobis ſermo) cumprimìs dividitur in Eccleſiaſticam, & Civilem. *Eccleſiaſtica* eſt, quæ circa cauſas ad Dei cultum, ſpiritualémque animarum ſalutem pertinentes verſatur. Et hæc ſubdividitur in eam, quæ in Foro externo; & illam, quæ in Foro interno, ſeu conſcientiæ, & Sacramentali exercetur. *Jurisdictio civilis,* ſeu *politica* dicitur, quæ circa cauſas ſæculares & profanas verſatur, & temporalem Reipublicæ gubernationem proximè reſpicit. Et de hac jurisdictionis diviſione procedunt illa, quæ ſuprà *Tit. De Conſtitutionibus. §. 3. num. 49. & ſeqq.* uberiùs dicta fuerunt, agendo de Poteſtate Legislativa Eccleſiaſtica, Civili, atque origine & differentiis utriusque.

Reſp. II. Jurisdictio ulteriùs dividitur in voluntariam, & contentioſam; ut *L. 2. ff. de Offic. Proconſul.* atque declarat Gloſſa *ibid. ℣. Contentioſam.* Atque ex his *Jurisdictio contentioſa* dicitur ea, quæ exercetur in invitum: ut puta, in jus vocando, puniendo, & alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non poſſunt, niſi Judice pro Tribunali ſedente, ſeu quando inter duos, plurésq; contenditur, *arg. l. Inter ſtipulantem. §. 2. ff. de Verb. obligat.* ibi: *Judicium autem etiam in invitum redditur.* Econtrà *Jurisdictio voluntaria* eſt, quæ inter volentes tantùm exercetur: atque ad hanc in Civilibus ſpectat manumiſſio, & adoptio; in Eccleſiaſticis autem Ordinatio, Conſecratio, collatio Beneficiorum, & hujusmodi, juxta dicta ſuperiùs 8

periùs *Tit. de ſupplenda negligentia Prælatorum, num. 7.* Et dicitur *voluntaria*, non ex parte Magiſtratûs, qui officium ſuum imploranti ſemper impertiri debet; ſed ex parte illius, qui adit Magiſtratum, petitque tale quid, quod ei ſuppoſitis omnibus requiſitis concedendum eſt, quia ſcilicet nullius alterius contradictione impeditur.

9 Differunt hæ duæ Jurisdictionis ſpecies inter alia ex eo, quòd ad exercitium jurisdictionis voluntariæ non requiratur ſtrepitus forenſis, nec proceſſus judicialis, neque opus ſit, Judicem pro Tribunali ſedere: haud obſtante, quòd interdū aliqua extrajudicialis cognitio cauſæ requiratur. Unde etiam hæc valide, & licitè exercetur in alieno Territorio absque injuria Judicis illius loci: quamquàm ad vitandum ſcandalum, tollendámque omnem confuſionem, plerumque non publicè, ſed privatim tantùm id fieri debeat. Econtrà verò jurisdictio contentioſa exerceri non poteſt ſine proceſſu judiciali; ac proinde extra proprium Judicis territorium, & in alieno, ſine expreſſo vel tacito conſenſu Judicis illius loci, atque etiam partium litigantium, exerceri nequit: nam *extra territorium jus dicenti, impunè non paretur;* prout habetur in *c. Ut animarum. de Conſtitut. in 6.* cum ſimilibus.

10 Reſp. III. Jurisdictio rurſus dividitur in ordinariam, & delegatam: item in Jurisdictionem ſimplicem, & in Imperium; ſive, ut alij loquuntur, jurisdictioni ſimplici ſupervenit Imperium, tum mixtum, tum merum. Et quidem

11 *Jurisdictio ordinaria* dicitur ea, quæ cuipiam jure proprio, ſeu ratione officij, aut dignitatis ſuæ, ex Lege, Canone, vel conſuetudine competit: prout deſumitur ex *l. More majorum. & l. Et quia. ff. de Jurisdict. omn. judic.* ubi is cenſetur habere jurisdictionem ordinariam, ac delegare poſſe, *qui eam ſuo jure, non alieno beneficio habet:* ſecùs, ſi nec *principaliter* (hoc eſt, à Principe, ut explicat Gloſſa) *ei jurisdictio data eſt, nec ipſa lex defert.* Unde Fagnanus *in c. Cùm olim. n. 61. de Majorit. & obed.* generaliter docet, ac pluribus alijs probat, quòd jurisdictio, quæ defertur à Lege, vel Statuto, aut quæ datur ad univerſitatem cauſarum, ſit ordinaria: quamquàm hoc ultimum probè ſit intelligendum, conformiter dicendis infrà §. 3. *n. 63.*

12 *Jurisdictio delegata* econtrà eſt, quam quis non habet jure proprio (hoc eſt, non ratione ſui officij, aut dignitatis à Lege, Canone, vel conſuetudine ſibi delatam) ſed ſolùm ex commiſſione alterius, cujus vice fungitur. Atque ad hanc reducitur Jurisdictio mandata, imò hæc cum delegata à nonnullis confunditur. Quod ut meliùs intelligatur,

13 Quæritur III. Utrùm Jurisdictio mandata differat à delegatâ? Gloſſa *in L. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata &c. ✠. Qui mandatam,* aſſerit, quosdam velle, quòd mandata & delegata jurisdictio idem ſint: pro qua ſententia Fachineus, proximè citandus, allegat Decium *in Rubr. ff. de Offic. ejus cui mandata,* & Cagnolum, ac Riminaldum ibidem. Et reverà, ſi nominis ſignificationem attendamus, *mandare* idem eſt, ac *demandare*, ſeu delegare jurisdictionem: unde in Jure Civili non rarò ſumuntur pro eodem, uti patebit ex dicendis *n. 17.* Verùm hoc non obſtante,

Reſp. I. Propriè, ac in rigore Juris loquendo, Jurisdictio mandata differt à delegata, ex eo, quòd hæc detur ad cauſas particulares, illa verò ad univerſitatem cauſarum. Ita Gloſſa *loc. cit.* ubi poſt relatam aliorum opinionem jam memoratam, ex propria mente inquit, *jurisdictionem mandari, quando univerſitas; ſed delegari, quando ſpecies una committitur: unum tamen pro alio quandoque ponitur.* Hæc Gloſſa. Idem tenet Covarruvias *lib. 3. Var. Reſolut. cap.* 20. *n.* 11. poſt Socinum *in L. 1. §. ult. ff. Quis, & à quo appelletur;* atque ex propoſito reſolvit Fachineus *Controverſ. Juris, lib. 12. cap. 69.* per totum, citans alios, & noviſſimè Engel *Tit. de Offic. Judic. Ordin. n. 2.* 14

Probatur hoc diſcrimen per diverſa Juris loca, quæ alioquin absque contradictione conciliari vix poſſunt. Sic quippe *in l. Cùm Prætor. §. 1. ff. de Judicijs,* dicitur: *Is quoque, cui mandata eſt jurisdictio, judicem dare poteſt.* Econtrà Judex datus, ſeu Delegatus inferioris, judicem dare non poteſt, *text. clar. l. A judice. C. eod.* Deinde in eum, cui mandata eſt jurisdictio, tranſit omne officium jus dicentis; ut *L. 1. §. Damus. ff. de Suſpectis tutorib.* At in Judicem delegatum non tranſit, niſi munus judicandi, *cit. l. A judice.* cum ſimilibus. Ulteriùs ille, cui mandata eſt jurisdictio, dicitur habere jurisdictionem, *l. More majorum. & l. Et quia. ff. de Jurisdict. omn. judic.* Econtra Judex datus, ſive Delegatus, non habet jurisdictionem, ſed cognitionem tantùm, *l. Ait prætor. ff. de Re judicat.* Tacentur alia plura apud Fachineum *loc. cit.* videnda. 15

Porrò in hac rigoroſa acceptione, Jurisdictio mandata coincidit cum delegata ad univerſitatem cauſarum. Ad majorem tamen claritatem ea quandoque appellatur *Mandata generalis jurisdictio:* ut *l. Cognitio. ff. de Offic. ejus cui mandata &c. & l. Solet. & l. Prætor. ff. de Jurisdict. omn. judic.* In quo poſteriori loco ſic legitur: *Prætor ſicut univerſam jurisdictionem mandare alij poteſt, ita & in perſonas certas, vel ad unam ſpeciem poteſt.* 16

Nec tamen idcircò negatur, quin vocabula illa, *Jurisdictio Mandata,* & *delegata*, quandoque confundantur, ac largiùs loquendo unum pro alio ponatur; uti notat Gloſſa, & Covarruvias, *ubi ſuprà.* Sic accidit *in L. 1. §. Qui mandatam. ff. de Offic. ejus cui mandata &c. & l. Cùm ſimus. C. Ubi & apud quem &c.* & alibi, prout ex ſubjectâ materiâ dignoſci poteſt. 17

Quæritur IV. Quid ſit Jurisdictio ſimplex, ac Imperium mixtum, & merum? Reſp. I. *Jurisdictio ſimplex* conſiſtit in ſola cauſarum cognitione, ac deciſione absque jure exequendi. Et talem ſolet habere Judex Delegatus, cui datur quidem poteſtas ſententiam ferendi, ſed hujus executio Deleganti reſervatur, *l. A Divo Pio. §. 1. ff. de Re judicata*, & ampliùs *infrà num.* 45. *&* 49. dicetur. 18

Quòd

19 Quòd ſi verò Judici competat etiam executio, ſeu poteſtas exequendi ſuam ſententiam, ac in Reos debitâ coërcitione utendi; tunc is cenſetur habere *Imperium*. Nam poteſtas Judicis ſecundùm actum cognoſcendi, pronunciandique, dicitur *Juriſdictio*: ſecundùm actum verò coërcendi, vocatur *Imperium*. Engel *tit. de Officio Judicis, num.* 20. poſt Mathiam Stephani *de Officio Judicis, lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. Et imperium taliter acceptum, ſubdividitur in mixtum, & merum. *Imperium mixtum* conſiſtit in cauſarum civilium executione, ac modicâ coërcitione: *Imperium merum* autem in coërcitione publicorum criminum.

20 Porrò Imperium mixtum alio nomine dicitur *Juriſdictio baſſa*, & *inferior*, quæ competit cuilibet Magiſtratui, licèt non ſemper quoad omnes actus. Huc ſpectant interponere authoritatem manumiſſioni, vel emancipationi, dare bonorum poſſeſſionem, pupillis tutores conſtituere; imò & modicam coërcitionem ſeu punitionem imponere, dummodò non ſit ex pœnis gravioribus illis, quæ ſpectant ad Imperium merum, juxta mox dicenda.

21 Imperium merum appellatur alio nomine *Juriſdictio alta*, ſeu *criminalis*; & deſcribitur in l. Imperium. 3. ff. de Juriſdict. omn. Judic. dicendo: *Merum imperium eſt, habere gladij poteſtatem ad animadvertendum in facinoroſos homines.* Ubi per actum magis principalem, deſcribitur Imperium merum: ſiquidem

22 Tres communiter, juxta Jus Civile, notantur gradus Imperij meri. Primus, ſeu ſupremus continet pœnas mortis naturalis, ut combuſtionis, rotæ, decapitationis &c. Secundus complectitur pœnam mortis civilis; ut deportationis, hodie Banni Imperialis. Tertius reſpicit pœnas non capitales, tum corporis afflictivas, tum famoſas; ut amputationis manuum, fuſtigationis, ſiſtentiæ ad numellas. Engel *tit. de Offic. Judicis. n.* 17. Chriſtophorus Chlingenſperger *lib.* 1. *Collegij Inſtitut. Juſtinian. tit.* 20. *quæſt.* 6. & alij.

23 Fateor, quòd Gloſſa in explicatione Arboris Juriſdictionum, ad *Tit. ff. de Juriſdict. omn. Judic.* præfixæ, datas juriſdictionis ſpecies ſub alijs terminis definiat, dicendo: *Juriſdictio ſimplex* eſt, quæ officio Judicis mercenario expeditur, privatam utilitatem reſpiciens. *Imperium mixtum* verò eſt juriſdictio, quæ officio Judicis nobili exercetur, privatam utilitatem reſpiciens. Tandem *Imperium merum* eſt juriſdictio, quæ officio nobili Judicis, vel per accuſationem exercetur, publicam utilitatem reſpiciens. Ita Gloſſa *loc. cit.* poſt Bartolum *in l. Imperium. ff. de Juriſdict. omn. judic.*

Ubi per *Officium nobile judicis* intelligitur illud, quod non deſervit alicui actioni; ſed Judex ex ſe, ac veluti motu proprio, ſic ſuadente æquitate procedit. *Mercenarium* verò dicitur, quòd deſervit actioni intentatæ per partem.

Quæritur V. An etiam de Jure Canonico detur Imperium merum? Negat Zoëſius *h. t. n.* 18. eò quòd Imperium merum ſit, habere jus gladij ad animadvertendum in facinoroſos, per dicta, *n.* 21. Atqui *Sancta Dei Eccleſia gladium non habet, niſi ſpiritualem*; *non occidit, ſed vivificat*; prout loquitur textus *in can. Inter hæc.* 33. *q.* 2. ergo. Oppoſitum nihilominùs eſt tenendum cum Gloſſa magna, & Abbate *in c. Quod ſedem. n.* 5. *de Offic. Ordinar.* & Engel *eod. tit. n.* 12. ac alijs. Nam ex eo, quòd in Eccleſia non detur primus gradus Imperij meri, videlicet poteſtas gladij, ſeu inferendi mortem naturalem, malè concluditur, eam nullatenùs habere merum Imperium: quia ſic argumentando, procederetur à particulari ad univerſale.

Itaque de Jure Canonico ad merum imperium ſpectat poteſtas *Gladij ſpiritualis*, excomunicationis videlicet, quæ pœnis capitalibus comparatur; ut *c. Per venerabilem.* §. *Sunt autem. Qui filij ſint legitim.* Item poteſtas degradandi, & tradendi Curiæ ſæculari, juxta Gloſſam *in c. Quod ſedem.* ℣. *Committere. ante fin. de Offic. Ordin.* hoc enim æquiparatur ultimo ſupplicio, ut notat Innocentius *c. Qualiter & quando.* il. 2. *de Accuſationib.* Inſuper poteſtas verberibus publicè caſtigandi, ac in exilium deportandi; de qua fit mentio *in cap.* 1. *de Calumniat.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa relatis. Item poteſtas perpetuis carceribus mancipandi, & hujusmodi.

§. II.

§. II.

De Judice Delegato, ejúsque differentijs ab Ordinario.

SUMMARIUM.

27. *Judex delegatus, quis, quibúsque alijs nominibus appelletur?*
28. *Et quomodo differat à Vicario?*
29. *Judex ordinarius, quis?*
30. *Judicum delegatorum variæ ſunt ſpecies. Et num. ſeqq.*
31. *Delegatus ad univerſitatem cauſarum, & Delegatus ad cauſam particularem, quis?*
32. *Et quæ differentiæ utriusque?*
33. *Delegati ab homine, &*
34. *Delegati à Jure, qui?*
35. *Et cur horum jurisdictio ſit delegata, non ordinaria?*
36. *Clauſula*, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, *&*
37. *Clauſula*, Etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, *quid importet? Et num. ſeqq.*
38. *In dubio, an tunc cenſeatur Epiſcopus uti jurisdictione ordinariâ, vel delegatâ?*
39. *Delegati alij ſunt ratione dignitatis, alij ratione perſonæ: & quæ differentia inter eos?*
40. *Alij tandem ſunt Delegati, alij Subdelegati.*
41. *Judex delegatus multipliciter differt ab Ordinario. Et num. ſeqq.*
42. *I. Ordinarius exequitur jurisdictionem jure proprio: Delegatus jure alieno, &c.*
43. *II. Ordinarius poteſt delegare ſuam jurisdictionem: non ſic Delegatus &c.*
44. *III. Citatus ab Ordinario, ſi dubitet de jure citantis, tenetur venire: ſecùs in Delegato, donec hic ſe legitimaverit.*
45. *IV. Ordinarius poteſt ſententiam à ſe latam exequi: ſecùs in Delegato inferioris à Principe.*
46. *Refertur contraria Gloſsæ opinio quoad ſecundum membrum.*
47. *Delegatus Papæ poteſt per ſeipſum exequi ſententiam.*
48. *Alij etiam Delegati ante ſententiam poſſunt partes citare, & contumaces punire.*
49. *Ac probabiliter ſpectato Jure Canonico ſententiam exequi; licèt ſecùs ſit de Jure Civili.*
50. *V. Jurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis: benè tamen delegata, re integrâ.*
51. *Et quæ ſit ratio diſparitatis?*
52. *VI. Jurisdictio ordinaria eſt favorabilis: delegata verò eſt odioſa, & strictè interpretanda.*
53. *VII. Judex ordinarius nequit ut ſuſpectus tam facilè recuſari, ſicut delegatus; & cur? Jurisdictio ordinaria eſt cuipiam naturalis; delegata verò accidentalis, & ſuperinducta. Ibid.*
54. *VIII. Appellatione* Magiſtratûs, *non venit Delegatus, ſed tantùm Ordinarius. Aliæ differentiæ. Remiſſivè. Ibid.*

27 Quæritur I. Quid, & quotuplex ſit Judex delegatus? Reſp. I. *Judex delegatus* eſt, qui non habet jurisdictionem vi proprij officij, ſed eam exercet ex beneficio & comiſſione alterius, cujus vice fungitur. Et talis alio nomine in Jure appellatur *Judex datus*; ut c. Judex. 5. h. t. in 6. Item *Judex extraordinarius*; ut c. De cætero. 5. de Tranſact. Item *Commiſſarius*, ob vices alterius ſibi commiſſas.

28 Differt autem Judex delegatus à Vicario, ac proinde de utroque ſub diverſis Rubricis agitur. Nam per *Vicarium* intelligitur ille, qui gerit vices Ordinarij in eodem loco, ac Tribunali, in quo conſuevit ipſe Ordinarius ſedere: ſecùs accidit in Delegato, ut jam dictum *Tit. præc. §. 1. n. 17.*

29 Porro *Judex ordinarius* dicitur ille, qui poteſtatem judicandi jure proprio habet; hoc eſt, ex vi ſui officij, ac eo ipſo, quòd eſt talis: ut Epiſcopus, Præſes Provinciæ, ac hujusmodi, eſtque jam dictum *ſuprà num.* 11. explicando Jurisdictionem ordinariam, & delegatam.

30 Reſp. II. Judicum delegatorum variæ ſunt ſpecies, ſeu diviſiones. Atque imprimis alij ſunt Delegati ad univerſitatem cauſarum, alij ad cauſam duntaxat particularem.

Delegatus ad univerſitatem cauſarum dicitur ille, 31
cui vel omnes univerſim cauſæ, vel ſaltem certum genus cauſarum, v. g. matrimonialium, decimarum &c. ſub uno nomine collectivo comittuntur; ſive dein illud ſit reſtrictum quoad tempus, puta decem annorum, vel quoad locũ, nempe ad cauſas in tali loco occurrentes, ſive non. Bartolus *in l. Legatos. n. 4. ff. de Offic. Proconſul.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 31. n. 4.* Pirhing. *h. t. n. 2.* & alij. *Delegatus ad cauſam particularem* econtrà dicitur ille, cui una vel altera tantùm cauſa particularis, hîc & nunc emergens, dijudicanda, & terminanda committitur.

Eſt autem notabilis differentia inter utrumq;. 32
Nam Delegatus ad univerſitatẽ cauſarum, reputatur quaſi ordinarius, juxta dicenda *num. 63.* nõ item Delegatus ad cauſam particularem. Deinde Delegatus ad univerſitatem cauſarum poteſt ſubdelegare, non quidẽ totam ſuam jurisdictionem, ſed unam vel alteram cauſam: ſecùs eſt de Delegato ad cauſam particularẽ, niſi is ſit dele-

gatus

gatus à ſupremo Principe, *c. Cùm cauſam.* 62 junctâ Gloſſa *℣. Delegatus. de Appellat.* atque ex profeſſo dicetur infrà *num.* 55. *& ſeqq.* Tertiò Delegatus ad univerſitatem cauſarum propriè, ac in rigore Juris loquendo, dicitur habere *Mandatam juriſdictionem*: alter verò propriè *delegatam*, ut dictum ſuprà *§. 1. num.* 14. *& ſeqq.* Tacentur aliæ differentiæ.

Secundò alij ſunt Delegati ab homine, alij à
33 jure. Priores, ſeu *Delegati ab homine*, ideò ſic dicuntur, quia delegationem ſuam immediatè habent ab homine, ſeu à Judice, vel Magiſtratu ordinario: ut ſunt Delegati Papæ, Delegati Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, vel Magiſtratuum.

Delegati à jure ſunt illi, qui delegatam juriſdi-
34 ctionem habent ex commiſſione Juris communis. Exemplum hujus habetur *in c. Ad abolendam. §. fin. de Hæretic.* ubi facultas contra exemptos in cauſa Hæreſis procedendi datur Epiſcopis, tanquam à Sede Apoſtolica Delegatis. Simile quid habetur in c. Irrefragabili. §. Cæterùm. de Offic. Ordin. ibi: *Tanquam ſuper hoc delegatus à nobis.* Et Clem. 1. de ſupplend. neglig. Prælat. ibi: *In exemptis verò Apoſtolicâ authoritate*, & alibi. Idipſum fit in Concilio Tridentino *Seſſ. 5. cap. 1. & Seſſ. 6. cap. 2. de Reform.* & alibi ſæpiùs; prout oſtendit Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 92. *num.* 1.

35 Nec dicas. Si talis juriſdictio defertur à Jure ſeu Canone, ergo ipſa erit ordinaria, & non delegata, juxta dicta *n.* 11 Reſp. enim cum Barboſa *cit. allegat.* 92. *n.* 3. & alijs, neg. ſequel. Adhuc enim juriſdictio illa, quæ tribuitur Epiſcopis virtute talis clauſulæ, eſt delegata, non ordinaria, haud obſtante, quòd à Jure communi deferatur: quia videlicet committitur ipſis, non ſub ratione officij, ſed per modum ſpecialis commiſſionis; ſeu delegationis; ut ipſum nomen, *tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ*, importat. Idipſum ampliùs à ſenſu contrario deſumitur ex *c. Licèt in corrigendis.* 12. *de Offic. Ordin.* ibi: *Ab Epiſcopo, non tanquam delegato, ſed tanquam ordinario faciendis.*

36 Porrò clauſulæ hujus, *tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus*, ille eſt effectus, quòd in eo caſu non fiat appellatio ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum, prout aliàs fieri poſſet; ſed ſolummodò ad Summum Pontificem, tanquam à Delegato ad Delegantem. Gloſſa *in d. c. Licèt in corrigendis. ℣. Tanquam delegatus. de Offic. Ordin.* & alij. Unde licèt in Congregationibus, tempore Concilij Tridentini ante primi Decreti editionẽ habitis, graviſſimi Regularium Exemptorum motus acciderint; ijdem tamen tempeſtivè per hujus clauſulæ adjectionem ſedati fuêre, ut ſic negatâ appellatione ab Epiſcopo ad Metropolitanũ, nõ cogerentur Religioſi cum præjudicio diſciplinæ Regularis per Judicia Forenſia multùm circumvehi.

Interdum verò prædictæ clauſulæ additur
37 particula *Etiam*, v. g. Epiſcopis concedendo, ut procedere valeant *etiam tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ*; prout loquitur Concilium Trident. *Seſſ. 22. cap. 10. de Reform.* ſive, ut *Seſſ. 6. cap. 4. de Reform.* loquitur *etiam authoritate Apoſtolicâ.* Et tunc particula *etiam*, quæ eſt augmentativa, & implicativa præcedentium, præter juriſdictionem delegatã ſimul implicat, & involvit juriſdictionem ordinariam: adeò, ut eo caſu Epiſcopus duplicem habeat poteſtatem, unam ſcilicet ordinariam, & alteram delegatam, quæ ipſi tribuitur à Concilio, & accumulatur poteſtati ordinariæ. Fagnanus *in c. Ad audientiam. n.* 54. *de Eccleſ. ædific.* Barboſa *cit. allegat.* 92. *n.* 11. & alij.

Atque ex his infertur, quòd in tali caſu poſſit
Epiſcopus uti juriſdictione ordinariâ, vel dele- 38
gatâ, quâ maluerit: quamvìs in dubio cenſeatur voluiſſe uti delegatâ. Et hoc meritò: tum quia poteſtas Papæ delegata, ſibi magìs eſt honorifica, *c. Sanè quia nos.* 11. *h. t.* Tum quia propter appellationem ad SS. Pontificem duntaxat conceſſam, rariùs contingit appellari. Barboſa *loc. cit. n.* 14. Sanchez *lib. 7. in Decalogum, cap.* 29. *num.* 181. Engel *h. t. n.* 5.

Tertiò alij ſunt *Delegati ratione dignitatis*, quam
obtinent, ut ſi fiat delegatio Epiſcopo Friſin- 39
genſi, vel Abbati cujusdam certi Monaſterij, non expreſſo nomine perſonæ delegatæ, *c. Quoniam.* 14. *h. t.* Alij econtrà ſunt *Delegati ratione perſonæ* ſuæ, & non dignitatis, ut ſi expreſſo nomine proprio fiat delegatio Petro, vel Paulo. Et hæc, cùm ſit perſonalis, mortuâ perſonâ Delegati expirat; illa verò, cùm ſit realis, ac dignitati annexa, tranſit ad Succeſſorem. *cit. c. Quoniam.* 14. *h. t.*

Tandem alij ſunt *Delegati*, quibus videlicet
primo loco delegata, ſeu mandata fuit juriſdi- 40
ctio. Alij verò *Subdelegati*, qui nimirum à Delegatis iterùm delegantur.

Quæritur II. Quâ ratione differat Judex de-
legatus ab Ordinario? Reſp. I. Multiplex inter 41
utrumque, ſicut & inter juriſdictionem delegatam & ordinariam, intercedit diſcrimen; adeò, ut Maranta *in Speculo Aureo, part. 4. diſt. 5. num.* 23. quadraginta differentias inter utrumque Judicem enumeret, quarum præcipuas huc juvabit apponere.

Primò ſiquidem differunt: quia Judex ordi- 42
narius habet propriam juriſdictionem, & ſuo jure illam exequitur, non alieno beneficio, *l. More majorum. ff. de Juriſd. omn. judic.* Delegatus econtrà habet juriſdictionem jure alieno, & non proprio: quamvìs enim habeat juriſdictionem aliquam, videlicet delegatam; nihilominùs hanc non habet ex vi proprij officij, ſed ex beneficio alterius, ſcilicet Delegantis, qui hanc in ipſum tranſtulit, eámque liberè revocare poteſt, *L. 1. §. Qui mandatam.* ubi Gloſſa & Bartolus *ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſd. & l. Etſi Prætor. ff. eod. & l. Solet. ff. de Juriſdict. omn. judic.* junctâ *l. Judicium.* 58. *ff. de Judicijs.*

Secundò differunt: quia Judex ordinarius re-
gulariter poteſt delegare ſuam juriſdictionem, 43
utpote quam habet jure proprio, *cit. l. More majo-*

rum

rum. & c. Cùm Epiſcopus. de Offic. Ordinar. in. 6. cum ſimilibus. Econtrà Delegatus, utpote jure proprio juriſdictionem non habens, abſque ſpeciali conceſſione per Delegantem ſibi factâ, delegare ſeu ſubdelegare non poteſt: niſi fuerit Delegatus Principis, putà Papæ; vel Delegatus ad univerſitatem cauſarum, juxta ampliùs dicenda inferiùs §. 3. *num. 55. & 57. & ſeqq.*

4 Tertiò differunt: quia citatus à Judice ordinario, ſi dubitetur de jure citantis, tenetur venire, & exceptionem ſuam proponere, *l. Si quis ex aliena. 5. ff. de Judicijs.* Nam, ut ibidē loquitur textus: *Prætoris,* ſeu Judicis *eſt, exiſtimare, an ſua ſit juriſdictio: Vocati autem eſt, non contemnere authoritatem Prætoris.* Et hinc in jus vocati tenentur venire, privilegiū, ſi quod habent, allegaturi; prout ibidem ſubjungitur: etenim, cùm Judici Ordinario competat juriſdictio jure proprio, ac vi ſui officij, ſemper præſumitur pro juriſdictione ordinaria, donec aliud probetur. Econtrà citatus à Delegato comparere non tenetur, niſi ſibi de delegatione priùs fides fiat, *arg. c. Cùm in jure. 31. h. t.* ac tradit Abbas *ibid. n. 3.* & Felinus *n. 5.* Maranta *loc. cit. n. 59.* Engel *h. t. n. 6.* & alij. Nam aliquem eſſe Delegatum, eſt quid facti; facta autem non præſumuntur, niſi probentur: unde recepta praxis habet, quòd Delegati, antequam incipiant exercitium ſuæ commiſſionis, ſoleant ſe legitimare; id eſt, legitimam ſibi factam comiſſionem probare per exhibitionem originalium Litterarum ſuæ delegationis.

5 Quartò, Judex ordinarius poteſt ſententiam à ſe latam exequi: econtrà Delegatus ad cauſam particularem ab alio, quam à Principe, non poteſt exequi ſuam ſententiam, ſed debet executionem Deleganti remittere; ut *l. A Divo Pio.* §. *1. ff. de Re judicata,* ibi: *Judicum à ſe datorum, vel arbitrorum ſententiam exequantur ij, qui eos decernunt:* ac tradit Bartolus ibidem cum alijs. Idem deſumitur ex *c. Si quis contra 4. de Foro compet.* ubi Epiſcopus, qui ut ſuſpectus legitimè recuſatur, poteſt dare Delegatum partibus non ſuſpectum, cujus ſententiam ipſe exequatur.

6 Verumtamen Gloſſa in *cit. c. Si quis contra.* ℣. *Ipſius ſolicitudine,* hoc impugnat, aſſeritque, dici poſſe, quòd iſtud Capitulum habeat locum, cùm Ordinarius eſt præſens, eo autem abſente Delegatus benè poſſit exequi ſententias ſuas. Quia (ſubdit Gloſſa) ex quo ſibi cauſa comittitur, intelliguntur ſibi omnia eſſe comiſſa, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur, & ſine quibus cauſa expediri non poteſt, *c. Præterea. 5. & c. Suſpicionis. 39. h. t.* Verùm, quidquid ſit de hac Gloſſæ opinione,

7 Certum imprimìs eſt, quòd Delegatus Papæ poſſit per ſeipſum exequi ſententiam à ſe latam, *c. Significâſti. 7. h. t.* Niſi malit eam Judici ordinario demandare, *ut c. Significâſti. 7. & c. In litteris. 9. & c. Paſtoralis. 28. h. t.*

8 Deinde etiam alij Judices delegati, ante ſententiæ prolationem non ſolùm poſſunt partes citare, ſed etiam contumaces punire *cit. c. Præterea. 5. h. t.* Nam quando juriſdictio data eſt, ea quoq; conceſſa eſſe videntur, ſine quibus juriſdictio explicari non poteſt; ut dicitur *L. 2. ff. de Juriſdict. omn. judic. & c. Præterea. 5. h. t.* junctis concordantijs a Gloſſa, ℣. *Ex eo quòd cauſam,* relatis.

49 Tandem ſatis probabiliter dici poteſt, quòd ſpectato Jure Canonico etiam Delegatus inferioris poſſit ſuam ſententiam exequi, quando Delegans habebat talem poteſtatem exequendi: ſive hanc eidem expreſsè conceſſerit (nam ea, quæ ſunt meri imperij, poſſunt de Jure Canonico delegari, juxta Gloſſam magnā *c. Quod ſedem. de Offic. Ordinar.*) ſive non; quia jam acceſſoriè videtur concedi, per Jura *num. 46.* citata, cum ſimilibus. Licèt ſecùs ſit de Jure Civili, cùm ſecundùm iſtud ea, quæ ſunt meri imperij, delegari nequeant, juxta dicenda *n. 79.* ſicque patet ratio diverſitatis inter Jus utrumque. Atque ita tenet, & pluribus firmat Abbas *in c. Si quis contrà. num. 32. & ſeqq. de Foro compet.* ac ſequitur Maranta *cit. part. 4. Speculi Aurei. diſt. 5. num. 45.* Neque obſtat *d. c. Si quis contrà. de Foro compet.* Nam loquitur ſolùm in Delegato dato propter ſuſpicionis cauſam: unde, cùm poſt latam ab eo ſententiam ceſſet ſuſpicio in exequendo, meritò ejus executio reſervatur Judici ordinario.

50 Quintò differt juriſdictio ordinaria à delegata: quia juriſdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis, v. g. Papæ, ut *c. Legatos. de Offic. Legati. in 6.* Dummodò excipias juriſdictionem Vicarij Generalis Epiſcopi, propter dicta *Tit. præc.* §. *4. n. 99.* Econtrà verò juriſdictio delegata expirat, ſi Delegans re integrâ moriatur, *c. Relatum. & c. Licèt undique. de Offic. Delegat.* junctâ *l. Et quia. ff. de Juriſdict. omn. judic.*

51 Ratio diſparitatis eſt: quia per conceſſionem juriſdictionis ordinariæ fit gratia ipſi, cui conceditur, utpote qui in Dignitate conſtituitur: gratia autem facta non expirat morte concedentis, *c. Si cui nulla. de Præbend. in 6.* Econtrà per juriſdictionem delegatam non fit gratia ſeu favor, ſed quoddam mandatum de facienda juſtitia: mandatū autē expirat morte mandantis re integrâ, *l. Mandatum. C. Mandati.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 22. n. 55. & 59.* cum alijs.

52 Sextò differunt: quia juriſdictio ordinaria eſt favorabilis; delegata verò eſt odioſa. Gloſſa *cap. 1.* ℣. *Proceſſus. de Reſcriptis in 6.* Maranta *cit. part. 4. diſt. 5. n. 30.* Sanchez *cit. lib. 3. diſp. 35. n. 9.* & alij. Ratio eſt: quia juriſdictio delegata derogat ordinariæ; ac proinde, veluti huic præjudicialis, meritò cenſetur odioſa: ſicque eſt ſtrictè interpretanda, neq; extenditur de caſu expreſſo ad non expreſſum, aut de perſona ad perſonam; adeò, ut etiam de ipſarum partium conſenſu, ad perſonas non expreſſas in Reſcripto prorogari nequeat. Textus eſt *in c. P. & G. 40. h. t.*

53 Septimò differunt: quia, quamvis Judex ordinarius ut ſuſpectus, ſaltem de Jure Canonico, recuſari poſſit, *c. Si quis contra. 4. de Foro compet.* tamē cauſæ illæ, ex quibus poſſet recuſari Delegatus, non ſemper ſufficiunt ad recuſandum Ordina-

rium, ſed debent eſſe de gravioribus. Hoſtienſis *in Summa. h. t §. de Recuſatione Judic. Delegat. n.* 3. Engel *tit. de Offic. Judic. Ordin. num.* 5. & alij. Ratio eſt: quia delegata jurisdictio cuipiam eſt accidentalis, & ſuperinducta; econtra jurisdictio ordinaria eſt naturalis, & vi proprij officij competens, ut in ſimili tradit Gloſſa *in Clem. ult. ℣. Nolumus. de Offic. Judic. Ordin.* Atqui natura fortior eſt accidente, §. *Sed naturalia. Inſtit. de Jure natural. gent. civil.*

Octavò differunt: quia appellatione *Magiſtratûs* non venit Delegatus, ſed tantùm Ordinarius. Maranta *cit. part.* 4. *diſt.* 5. *num.* 49. poſt Paulum de Caſtro, & Alexandrum *in l. Eum qui. ff. de Juriſdict. omn. judic.* Tacentur plures aliæ differentiæ, quæ partim ex dicendis patebunt, partim apud Marantam *loc. cit.* & alios, videri poſſunt.

* * * * * *

§. III.
De Poteſtate delegandi, quique poſsint eſſe Judices delegati?

SUMMARIUM.

55. *Judex ordinarius poteſt regulariter cauſam ad ſe pertinentem alteri delegare.*
56. *Non tamen totam ſuam jurisdictionem, inconſulto Principe.*
57. & 58. *Delegatus Principis poteſt alteri cauſam ſubdelegare: non verò Delegatus inferioris, niſi ſit delegatus ad univerſitatem cauſarum. Et num. ſeqq.*
59. *Et quæ ratio diſparitatis inter Delegatum Principis, & inferioris?*
Principis *nomine quis intelligatur? Ibid.*
60. *Delegatus Papæ nequit ſubdelegare cauſas graves.*
61. *Nec malitioſè à cauſæ diſcuſſione ſe exonerare. Iſtud tamen de eo non eſt præſumendum. Ibid.*
62. *Delegatum ad univerſitatem cauſarum poſſe ſubdelegare, probatur. Et num. ſeqq.*
63. *Ipſe non eſt propriè Ordinarius, huic tamen æquiparatur.*
64. *Delegatus ad cauſam particularem inferioris à Principe, nequit ſubdelegare articulum jurisdictionalem.*
65. *Benè tamen articulum non jurisdictionalem. Et num. præc.*
66. & 67. *Generatim, qui poſſint eſſe Judices delegati? Et num. ſeqq.*
68. *An cauſa poſſit delegari non ſubdito? Et num. præc.*
69. *Vel invito? Et num. 67. & 68.*
70. *Delegandus à Papa, vel ſubdelegandus, debet eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica, vel Perſonatu aut Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis.*
Quid dicendum de Vicario Generali Epiſcopi, Priore Conventuali, & Guardiano Fratrum Minorum? Ibid.
71. *Vicarius Foraneus Epiſcopi, vel Prior Clauſtralis, nequeunt eſſe Delegati Apoſtolici; & alioquin proceſſus ipſo jure eſt nullus.*
72. *Secùs eſt in Epiſcopo: nam hic poteſt cauſam delegare ſimplici Clerico, cæteroquin idoneo.*
73. *Et quæ ſit ratio diſparitatis quoad hoc inter Delegatum Papæ, & Epiſcopi?*

55 QUæritur I. An Judices ordinarij habeant poteſtatem delegandi? Reſp. I. Regulariter loquendo, ſeu niſi cauſæ qualitas aliud depoſcat, poteſt Judex ordinarius, ſeu is, ad quem cauſæ definitio jure ordinario pertinet, eam alteri delegare. Patet hoc ex *c. Cùm Epiſcopus.* 7 *de Offic. Ordin. in* 6. ubi ex eo, quòd Epiſcopus in tota Diœceſi jurisdictionem ordinariam habeat, indubium eſſe concluditur, quòd in quolibet ſuæ Diœceſis loco non exempto, *per ſe, vel per alium*, hoc eſt, à ſe Delegatum, poſſit pro Tribunali ſedere. Concordat textus *in l. More majorum. & l. Solet. ff. de Jurisdict. omn. judic.* ubi is ſuam jurisdictionem delegare poſſe cenſetur, *qui eam ſuo jure, non alieno beneficio habet*; ut Papa reſpectu totius Orbis Chriſtiani, Imperator in Imperio, Rex in ſuo Regno, imò & Prætor, Magiſtratus, & quilibet Judex ordinarius reſpectu proprij territorij. Nam cùm iſti propter cauſarũ ad ſe devolutarum multitudinem, locorum diſtantiam, & alia rationabilia impedimenta, non ſemper ſufficiant ad omnes cauſas per ſe ipſos cognoſcendas, ac decidendas: hinc ob bonum commune ſubditorum, ac ipſomet Jure ſic permittente, poſſunt earum cognitionem alijs delegare, ſicque de ipſis vel per ſe, vel per alios judicare; ac procedit tunc Reg. 72 Juris in 6. *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum*, cum ſimilibus.

Reſp. II. Nihilominùs Judex ordinarius non poteſt totam ſuam jurisdictionem, inconſulto Principe, alteri delegare. Ita Felinus *in c. Super quæſtionum.* §. *Si verò. n.* 17. *de Offic. Delegat.* Maranta *part.* 4. *Speculi. diſt.* 5. *n.* 55. Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 31. *num.* 12. Pirhing *h. t. n.* 3. & alij. Tum quia committendo alteri totam ſuam jurisdictionem, non tam cenſeretur delegare, quàm officio ſuo ordinario ſeſe abdicare; quòd nequit

nequit fieri inconſulto Principe, *L. penult* cum ibi notatis, *ff. de Offic. Præſid.* Tum quia Judex inferior Principe non poteſt propriâ authoritate loco ſui alium Judicem ordinarium conſtituere; id enim eſt ſingulare privilegium, competens ſupremæ Poteſtati Principis, *lib. 2. Feud. Tit. 56. Quæ ſint Regalia.* Hoc autem fieret delegando totam ſuam jurisdictionem, ſicque nihil ſibi reſervando; ergo.

57 Quæritur II. Utrùm Judex delegatus habeat poteſtatem ſubdelegandi? Reſp. I. Delegatus Principis poteſt alteri cauſam ſubdelegare, non autem Delegatus alicujus inferioris absq; ſpeciali hujus conceſſione; niſi ſit Delegatus ad univerſitatem cauſarum. Ita Gloſſa *in c. Cùm cauſam. 62. ℣. Delegatus. de Appellat.* & ibi Abbas *num. 4.* & Fagnanus *num. 2. & ſeqq.* aliique paſſim, contra Bartolũ *in l. More majorum. n. 11. ff. de Jurisdict. omn. Judic.* ubi contra alteram partem Concluſionis tenet, quòd etiam Delegatus inferioris ad unam cauſam, poſſit eam delegare: ſed ejus opinio communiter reprobatur. Siquidem

58 Prima & ſecunda pars ſatis clarè habetur ex textu *cit. c. Cùm cauſam. §. fin. de Appellat.* ibi: *Cùm non niſi Delegatus à Principe cauſam alij valeat delegare*: ac proin Delagatus inferioris apertè dignoſcitur eſſe excluſus, cùm non niſi Delegato Principis (nam de Delegato ad univerſitatem cauſarum alia Jura idem affirmant) hæc poteſtas competere dignoſcatur, ac Delegato inferioris aliàs nullibi idem conceſſum eſſe reperiatur: niſi forſan cuipiam talis poteſtas in delegatione ſua expreſsè fuiſſet conceſſa. Accedit ratio: quia, ſi quilibet Delegatus cauſam alteri ſubdelegare valeret, poſſet hic iterùm eam delegare tertio, ac iſte quarto, & ſic daretur proceſſus in infinitum: atqui infinitas eſt à Jure reprobata, *c. Cùm in multis. de Reſcript. in 6.* junctis concordantijs ibidem à Gloſſa, *℣. Multis*, relatis.

59 Nec urget, quòd Delegatus Principis poſſit ſubdelegare. Tum quia hinc nulla ſequitur infinitas, cùm illicò in primo Subdelegato detur ſtatus. Tum etiam, quia Delegato Principis (ut puta Papæ, Imperatoris, Regis, aut alterius, qui ſuperiorem ſaltem in temporalibus non recognoſcit, quales ſub nomine *Principis* intelliguntur, ut explicat Abbas *in c. Paſtoralis. n. 2. h. t.*) Antonellus *de Regim. Eccleſ. lib. 5. cap. 9.* propter eminentiam ſupremæ poteſtatis Principis, cujus perſonam ille repræſentat, ex ſpeciali diſpoſitione ab ipſomet Jure conceſſum fuit, ut in caſu legitimi impedimenti, quò minùs cauſam per ſeipſum expedire valeat, poſſit hanc alteri ſubdelegare, vices ſuas committendo eidem; *ut l. A Judice. C. de Judicijs. & c. Super quæſtionum. 27. §. Si verò. & cap. ult. h. t. & cit. c. Cùm cauſam. 62. de Appellat.* & alibi.

60 Intellige, dummodò cauſæ non adeò ſint graves, ut ſine ipſius Delegati præſentia non poſſint commodè terminari, *c. Si pro debilitate. 3. h. t.* Quia pro cauſis tam gravibus præſumitur electa à Principe induſtria ipſius Delegati, ejúsq; fides ſpecialis, *cap. ult. §. Is autem. h. t. & c. Is cui. eod. in 6.* ſicque cauſas ejusmodi alteri ſubdelegare nequit. Idemque dicendum, quando Delegatus per ſe, vel ſuis manibus, cauſam expedire juſſus fuit: quia tunc per talem loquendi formulam deſignatur præciſa perſonalitas, ſicque cenſetur electa induſtria perſonæ, *L. un. §. Ne autem. verſ. Sin verò talis. C. de Caducis. tollend.* Menochius *de Præſumptionibus, lib. 2. præſumpt. 21. n. 7.* Sperellus *Deciſ. 106. Fori Eccleſiaſt. n. 26.* Etiamſi negotium eſſet leve. Felinus *in cap. ult. n. 3. h. t.* Antonellus *de Regim. Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 9.* Sperellus *loc. cit. n. 5.* Maſchardus *de Probationibus, Concl. 595. n. 6.* Idémq; fit, quando in delegatione fuit addita clauſula: *Confidentes de induſtria, ſeu circumſpectione tua* &c. quia tunc pariter cenſetur electa induſtria perſonæ. Abbas *in c. Quoniam. 14. num. 8. de Offic. Delegat.* Maſcardus *cit. Concl. 595. n. 4.* Menochius *d. Præſumpt. 21. n. 17.* Sperellus, *ubi ſuprà, n. 56.* Sicque Delegatus ejusmodi non poterit negotium ſubdelegare, aut per alium expedire, ſaltem partibus contradicentibus, vel ſi à Papa eidem Motu proprio delegatio facta fuit. Alioquin enim, quando ad inſtantiam partium delegatio facta eſt, benè poteſt eisdem conſentientibus fieri ſubdelegatio, licèt fuerit electa induſtria perſonæ: nam quia tunc agitur de partium intereſſe particulari, procul dubio huic renunciare poterunt, *c. Si diligenti. 12. de Foro compet.* éſtque expreſſum *in cap. ult. §. Is autem.* ubi Innocentius, & Abbas *num. 2. h. t.* Sperellus *cit. Deciſ. 106. n. 58.* Menochius *d. Præſumpt. 21. n. 18.* allegans alios.

Deinde dicta prior pars Concluſionis eſt intelligenda, dummodò ipſemet Delegatus Principis malitiosè ſe non quærat exonerare, ſeu à cauſæ diſcuſſione ſubtrahere, *c. Paſtoralis. 28. §. 1. h. t.* Ubi tamen Gloſſa, *℣. Exonerare.* & DD. meritò notant, non eſſe facilè præſumendum, quòd Judex delegatus malitiosè cauſam alteri committat: tum quia dubia in meliorem partem ſunt interpretanda, *c. Eſtote de Reg. Jur. & l. Semper in dubijs. ff. eod.* Tum quia de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi contrarium appareat, *c. Dudum. 16. de Præſumpt.* & alibi. Atque ideò ſubdelegatio, per Delegatum Papæ facta, reverenter debet acceptari ab inferiore; niſi de dicta malitioſa ejus exoneratione appareat ſaltem per probabiles conjecturas, *arg. cap. 2. de Renunciat. in 6. & l. Dolum. C. de Dolo*, cum ſimilibus. 61

Ultima tandem pars Concluſionis, ſive quòd Delegatus ad univerſitatem cauſarum poſſit ſubdelegare, tenetur communiter, ut inquit Bartolus in *cit. l. More majorum. num. 11. ff. de Jurisdict. omn. judic.* eámque, præter Authores jam citatos, tradit Hoſtienſis *in c. Cùm cauſam. n. 3.* & ibi Jo. Andreas *in 6.* & Barboſ. *n. 5 de Appellat.* & Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 31. n. 2. ac ſeqq.* citans alios. Idque deſumitur imprimis *ex l. Cùm Prætor. ff. de Judicijs*, ibi: *Is quoque cui mandata eſt jurisdictio, judicem dare poteſt: ut ſunt Legati Proconſulum.* Ubi ly, *mandata eſt jurisdictio*, debere accipi propriè, ſeu pro ea, quæ datur ad univerſitatem 62

ſitatem cauſarum , jam-dictum eſt *num. 14. & 15.*

63 Accedit ratio ; quia , licèt Delegatus ad univerſitatem cauſarum , verè ac propriè non ſit Ordinarius ; eò quòd ſuam jurisdictionem non habeat jure proprio, ſeu à Lege vi proprij officij, ſed alieno beneficio, ut notat, & ampliùs probat Jaſon *in d. l. More majorum. num. 19. ff. de Jurisdict. omn. judic.* Nihilominùs, quia ipſe remanet in eſſentia jurisdictionis univerſalis , & tanquam Judex *ordinariè* adiri poteſt : hinc Delegatus ad univerſitatem cauſarum *quaſi Ordinarius* videtur. Gloſſa *in cit. c. Cùm cauſam. ℣. Delegatus.* & ibi Fagnanus *n. 4. de Appellat.* cum alijs. Atque æquiparatur Ordinario, *arg. L. ult. §. fin. C. Ubi & apud quem &c.* & tenet Gloſſa *in L. ult. ℣. Cùm ſpecialis. C. Judic.* Bartolus *in d. l. More majorum. n. 5.* Alexander *Conſil. 12. n. 4. lib. 6.* Maranta *part. 4. Speculi, diſt. 5. n. 55.* Ac proinde, ad inſtar Ordinarij, poterit ſubdelegare unam vel alteram cauſam , licèt non poſſit delegare, ſeu in alium transferre univerſam jurisdictionem ſuam. Barboſa in *d. c. Cùm cauſam n. 5. de Appellat.* Nam etiam Ordinarius iſtud non poteſt facere inconſulto Principe, ut proximè dictum.

64 Reſp. II. Quamvìs Delegatus ad cauſam particularem inferioris à Principe, non poſſit ſubdelegare articulum aliquem jurisdictionalem ; poteſt nihilominùs is ſubdelegare articulum non jurisdictionalem. Ita Gloſſa *fin. in Clem. un. h. t.* Abbas *in c. Super quæſtionum. num. 9. h. t.* poſt Hoſtienſem, & DD. communiter. Maranta *d. diſtinct. 5. n. 54.* Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 31. n. 10.* citans alios. Prior pars patet ex dictis *num. 58.* & ibi allegato textu ex *c. Cùm cauſam. 62. de Appellat.* ubi non niſi Delegatus à Principe cauſam alij valet delegare : idem ergo dicendum de quocunque articulo jurisdictionali. Alioquin enim, ſi poſſet committere unum , poſſet & alterum ſubdelegare, ac proinde parum vel nihil ſibi reſervare, per quod circumveniretur mandatum Superioris. Nec obſtat *Clem. un. h. t.* ubi Judex ſuper receptione teſtium deputatus, poteſt alteri eam delegare. Nam ibi expreſsè eſt ſermo de Delegato Papæ , non de Delegato inferioris ad cauſam particularem.

65 Altera pars de articulo non jurisdictionali, præter authoritatem DD jam allegatorum, deſumitur ex textu *cit. c. Super quæſtionum. §. Nos autem. h. t.* ibi : *Si tamen Delegatus à nobis, vel Judex quicunque, qui non tam cognitorem , quàm executorem ad aliquem certum articulum, quempiam deputaverit.* Ubi ponderandum ly , *vel Judex quicunque* ; ſicq; concludendum , quòd etiam Delegatus inferioris ad cauſam particularem poſſit deputare executorem certi articuli. Nam, ut Gloſſa ibidem ℣. *Executorem*, rectè notat, talis executor nullam habet jurisdictionem, ſed tantùm exequitur mandatum , v. g. inveſtigando ſuper aliqua exceptione , utrùm teſtis ſit admittendus , vel de alio conſimili ; & quod geſtum eſt , aut ſi quid dubij fuerit, ad Delegatum referendo. Sic enim exequitur nudum miniſterium, non autem exercet quendam actum jurisdictionialem.

Quæritur III. Qui poſſint eſſe Judices Delegati? 6 Reſp I. Generatim loquendo illi omnes poſſunt eſſe Judices Delegati, ipſisque cauſarum cognitio valet demandari , qui nec naturâ , nec lege , nec moribus prohibentur. Patet hoc ex *l. Cùm Prætor. ff. de Judicijs, & can. 1. §. Tria ſunt. 3. q. 7.* ubi dicitur , non omnes poſſe dari judices ab ijs, qui judicis dandi jus habent : quidam enim lege impediuntur, ne Judices ſint ; ut infames, & Senatu moti. Quidam moribus ; ut ſervi, & fœminæ : nam moribus, ſeu longævâ conſuetudine receptum eſt, ut Civilibus non fungantur officijs. Et quidam naturâ ; ut ſurdus, mutus, perpetuò amens , & impubes : quia tales carent judicio.

Huc faciunt vulgati illi verſiculi , quos re- 7 fert Hoſtienſis *in Summa. h. t. num. 3.* ac breviter complectuntur conditiones in Judice Delegato requiſitas, & ſic ſonant.

Liber, mas, gnarus, cui ſit mens, integra fama,
Ætas, quæ ſubſit : committitur huic benè cauſa.

Et quidem cæteræ particulæ patent ex proximè dictis : additur tamen ly *Gnarus*, & ly *Qui ſubſit.* Tum quia oportet , ut is, cui aliqua cauſa decidenda committitur, ſit peritus, ac jura Canonum non ignoret, ſimulque ſit vir providus , *cap. 1. de Conſanguinit. & affinit. & c. Cùm R. Canonicus. 35. h. t.* Tum quia non poteſt delegari invitus, niſi qui de jurisdictione Delegantis eſt, *c. Paſtoralis. 11. de Offic. Ordinar.* ac tradit Hoſtienſis *cit. n. 3. §. Qui ſubſit*, iſtud probans *ex L. 1. & l. Jus dandi. ff. de Tutorib. & Curatorib.*

Cæterùm per hoc non negatur, quin Ordina- 8 rius poſſit cauſam ad ſe ſpectantem delegare non ſubdito , ſeu illi, qui non eſt de jurisdictione ſua , dummodò ille acceptet. Sufficit enim, quòd cauſa pertineat ad jurisdictionem Delegantis, licèt is, cui delegatur , delegationem tamen acceptat, non ſit de jurisdictione ipſius *arg. L. un. C. Qui pro ſua jurisdict.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Reſediſſent.* Textus & Gloſſa *in cit. c. Paſtoralis. ℣. Nullam.* Zoëſius *h. t. n. 14.* Pirhing *tit. de Offic. Judic. Ordinar. n. 23.* & alij. Verumtamen perſona aliena non cogitur invita parêre deleganti, ut dictum ; cùm extra territorium jus dicenti, impunè non pareatur , *cap. ult. de Conſtitut. in 6.*

Secùs eſt dicendum de ſubdito Delegantis : 9 nam talis poteſt compelli etiam invitus, ac renitens , ad acceptandam delegationem ; ne alioquin inutilis videatur eſſe jurisdictio, ac poteſtas delegandi, competens Judici ordinario, ſive Delegato Principis. Quamquàm adhuc Delegans in tali coactione deferre debeat perſonæ, ac dignitati Delegandi, ut *in c. Paſtoralis. 28. §. 1. h. t.* notatur.

Reſp. II. Delegandus à Papa, vel ab ejusdem 10 Legato aut Delegato Subdelegandus, debet eſſe conſtitutus in aliqua Dignitate Eccleſiaſtica, vel obtinere Perſonatum aut Canonicatum Eccleſiæ Cathedralis , *c. Statutum. 11. de Reſcript. in 6.*

Aut

Aut eſſe Officialis, ſeu Vicarius Generalis Epiſcopi, vel Prior Conventualis, *Clem. Etſi principalis. 2. de Reſcript.* Ubi ſub nomine Prioris Conventualis, etiam comprehenduntur Priores Mendicantium, & Guardiani Fratrum Minorū: nametiam hi cenſentur eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica, ſicque poſſunt dari Delegati Apoſtolici juxta Gloſſam *in c. Nullus. ℣. Prælaturam. de Electon. in 6.* ac tenet Felinus *c. Cùm olim. n. 1. de Majorit. & obed.* Jaſon *in Rubric. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſdictio. n.* 9. Sperellus *Deciſ.* 167. *Fori Eccleſiaſt. n.* 14. Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 106. *n.* 15. Pignatellus *tom.* 3. *Conſult.* 24. & alij.

71 Oppoſitum eſt dicendum de Vicario Foraneo Epiſcopi, vel Priore Clauſtrali, atque alijs Religioſis: hi enim non poſſunt eſſe Delegati, aut Subdelegati Sedis Apoſtolicæ, *cit. Clem. Etſi principalis.* 2. *de Reſcript.* Generaliter enim cauſa non debet delegari, aut ſubdelegari, authoritate S. Sedis Apoſtolicæ, niſi conſtitutis in Dignitate Eccleſiaſtica, vel obtinentibus Perſonatum, aut Canonicatum in Eccleſia Cathedrali, juxta *cit. c. Statutum.* 11. *de Reſcript. in* 6. & notat Abbas *Conſil.* 93. *n.* 1. *part.* 2. Et ſi ſecùs fiat, delegatio, ac proceſſus inde formatus non valet, ſed ipſo jure eſt nullus, ac irritus, etiam nullâ interveniente exceptione partis adverſæ, *cit. c. Statutum.* §. *fin.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Committantur. & ℣. Ipſo jure.* Niſi talis delegatio fieret ex certa ſcientia Principis, ſeu Papæ hoc expreſſo, *arg. c. Cùm olim.* 14. *de Privileg.* ubi Papa quendam Monachum delegâſſe legitur ac notat Gloſſa *fin. in cit. Clem. Etſi principalis. de Reſcript.*

Secùs eſt in Epiſcopo: nam Epiſcopus non neceſſariò tenetur delegare conſtitutum in Dignitate, Perſonatu, aut Canonicatu Cathedrali; quinimò poteſt cauſam aliquam delegare ſimplici Clerico ſuæ Diœceſis, cæteroquin tamen diſcreto, & gnaro, *arg. c. Cùm Epiſcopus.* 7. *de Offic. Ordinar. in* 6. 72

Ratio diverſitatis quoad hoc inter Delegatum Papæ, & Epiſcopi, eſt illa: quia Epiſcopus meliùs poteſt cognoſcere ſuorum Clericorum induſtriam, atque idoneitatem, unde ſi talem agnoſcit majorem in ſimplici Clerico, nihil prohibet, quin ipſum deleget. Secùs eſt in Papa, vel ejus Legatis, utpotè longè diſtantibus: unde fit, quòd ſi delegent ſolummodò eos, quos ipſa Dignitas idoneos eſſe loquitur, ſeu præſumere facit, quòd ſicut Dignitate, ita & moribus, ac ſcientiâ cæteros antecellat: quamquàm hodie pro majori cautelâ quædam tales perſonæ in Synodo Provinciali, aut Diœceſana deſignari jubeantur à Concilio Tridentino, *Seſſ.* 25. *cap.* 10. *de Reform.* Vallenſis *h. t.* §. 3. *n.* 3. & 4. citans alios. Accedit, quòd dignitas in Delegato Papæ, aut Legati ejus, videatur requiri ob favorem, ac majorem reverentiam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ne alioquin vilipendatur in ſuo ignobili miniſtro. *Gloſſa in cit. c. Statutum. ℣. Committantur. de Reſcript. in* 6. 73

§. IV.

De Cauſis Delegabilibus.

SUMMARIUM.

74. *Generatim omnes cauſæ poſſunt delegari, quæ ad juriſdictionem Delegantis pertinent.*
75. *Niſi ſpecialiter ſint exceptæ, aut in eis ſit electa induſtria perſonæ.*
76. *Delegatus Papæ poteſt & totam cauſam, & partem ejus ſubdelegare.*
77. *Notabilis differentia inter hunc duplicem ſubdelegandi modum.*
78. *Principes ſupremi poſſunt delegare cauſas meri, & mixti Imperij.*
79. *Non item Judices inferiores, ſpectato Jure Civili. Quamvis hoc ipſum ex conſuetudine non obſervetur. Ibid.*
80. *Secundùm Canones poſſunt ab Epiſcopis omnes cauſæ, etiam mixti, ac meri Imperij delegari.*
81. & 82. *Idque probatur multipliciter.*
83. *Et ſolvitur inſtantia.*
84. *Etiam illa poſſunt delegari, quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis, dummodò alter habeat Ordinem competentem.*
85. *Idem declaratur exemplis.*
86. *Papa non poteſt delegare Diacono poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti; benè tamen ſimplici Sacerdoti poteſtatem conferendi certos Ordines, confirmandi, reconciliandi Eccleſias &c.*
87. *Abbas benedictus poteſt conferre Ordines minores ſubditis Epiſcopi de hujus licentia.*
88. *Epiſcopi, aliique Papâ inferiores, non poſſunt Laico delegare cauſam ſpiritualem. Nec cauſam criminalem Clericorum. Ibid.*
89. *Et probabiliùs nec cauſam horum civilem, ſeu temporalem. Et num. 88.*
90. *Solvitur inſtantia contra hoc ultimum.*
91. *Alia notabilis inſtantia diſſolvitur.*
92. *Papa poteſt ejusmodi cauſas delegare Laico, v. g. cuipiam Regi.*
93. *Non tamen tollere Clericorum exemptionem in totum.*

74 QUæritur I. Quæ cauſæ, ſeu negotia poſſint delegari? Reſp. I. Generatim loquendo: poſſunt delegari omnes cauſæ, atque negotia illa, quæ ad jurisdictionem Delegantis pertinent: niſi quid ſpecialiter ſit exceptum, aut ſpecialem qualitatem, vel induſtriam ipſius Delegantis requirat. Ita in re communis. Et quidem prima pars habe- *L. un. C. Qui pro ſua jurisdict.* ubi generaliter dicitur, ea poſſe delegari, quæ *ad jurisdictionem pertinent Delegantis*: videlicet ordinariam, non delegatam, niſi ſit à Principe Delegatus, ut explicat Gloſſa ibidem. Concordat textus in L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt jurisdict. ibi: *Quæ verò jure Magiſtratûs competunt, mandari poſſunt.*

75 Altera verò pars deſumitur ex *c. Si pro debilitate. 3. h. t.* ubi Delegatus Papæ non poteſt ſubdelegare cauſas, quæ ita ſunt graves, ut ſine ipſo commodè terminari nequeant. Concordat *c. Paſtoralis. 28. h. t.* ubi Delegato Principis dicitur conceſſa à Jure facultas dandi Judicem, ſive Subdelegatum, ſed cum hac limitatione: *Dummodò ipſe exonerare ſeipſum malitioſè non quærat*, eſtque jam dictum paulò ſuperiùs *num. 60. & 61.* Idipſum liquet ex *cap. ult. §. Is autem. h. t.* ubi plures exprimuntur caſus, in quibus cenſetur electa fides, & induſtria perſonæ, ſicque non poſſunt per Delegatum Papæ alteri ſubdelegari: ut ſi cuipiam Pontifex committat inquiſitionem, vel proviſionem de Prælatis, aut alijs Miniſtris alicui Eccleſiæ perſonaliter faciendam, & hujusmodi. Huc pariter facit textus *in L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata &c.* ubi cauſæ meri, & mixti Imperij, prohibentur delegari, niſi in caſu abſentiæ. Verùm de hoc proximè plura.

76 Reſp. II. Delegatus Principis, ut puta Papæ, non ſolùm poteſt totam cauſam ſubdelegare, aliiq; decidendam comittere, ſed etiam partem ejus. Textus eſt in *c. Super quæſtionum. 27. §. 1. & 2. h. t.* ubi Delegatus Papæ, ut parcat laboribus partium atque expenſis, permittitur imprimis, alij, vel alijs idoneis perſonis Eccleſiaſticis cognitionem cauſæ, ac teſtium examinationem committere, ſeu ſubdelegare, reſervatâ ſibi ſententiâ. Deinde etiam, ut judicialis ſententia liberiùs valeat exerceri, permittitur eidem, & principium, & finem, & medium cauſæ ſibi commiſſæ, non ſolùm conjunctim, ſed etiam diviſim, liberè alij delegare. Concordat *c. Paſtoralis. 28. §. Item cùm. h. t.* ubi Delegatus Papæ poteſt & totum negotium alij committere, & partem, videlicet citationis officium. Item *c. Judex. 5. h. t. in 6.* ubi hoc ipſum Delegato Apoſtolico permiſſum eſſe legitur, cum ſimilibus.

77 Eſt tamen notabilis differentia inter hunc duplicem ſubdelegandi modum. Nam ſi Delegatus Papæ ſubdelegat, atque committit alteri totam illam cauſam particularem, ad quam fuerat Delegatus, & Subdelegatus jurisdictione ſuâ uti cæperit, ſaltem citandò partes: illicò Delegatus ille deſinit eſſe judex in ea cauſa. Abbas *c. Super quæſtionum. §. Porrò. num. 1. h. t.* Eò quòd jam functus ſit officio ſuo, totam videlicet jurisdictionem ſuam reſpectu talis cauſæ transferendo in alium, ſeu in Subdelegatum, *c. Venerabili. 37. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Vices ſuas*: ſimúlque dicta jurisdictio in Subdelegatum efficaciter jam tranſierit, *c. Quamvis. h. t. in 6.* argumento à à ſenſu contrario deſumpto. Secùs eſt, quando Delegatus Papæ ſubdelegat ſolummodò partem cauſæ, ſeu aliquid de jurisdictione ſibi reſervat, *arg. cit. c. Super quæſtionum. §. Porrò. h. t.* atq; ampliùs patebit ex alijs differentijs hinc reſultantibus, de quibus dicetur infrà *num. 139. & 140. ac n. 159. & 163.*

Quæritur II. Utrùm cauſæ meri, & mixti Imperij poſſint delegari? Hæc quæſtio non procedit de ſupremis Principibus (de his enim certum eſt, quòd ſive Jure communi, ſive ſpeciali privilegio eisdem competente, poſſint alijs committere cauſas meri, & mixti imperi; ut *L. 1. ff. de Offic. ejus, cui mandata &c.*) ſed ſolummodò de inferioribus Magiſtratibus, ſeu Judicibus, ordinariam jurisdictionem, ac merum mixtúmque imperium habentibus. Quo prænotato 78

Reſp. I. Spectato rigore Juris Civilis nequeunt cauſæ meri, ac mixti imperij, per Judices 79 ordinarios Principe inferiores alijs delegari; niſi in caſu abſentiæ, infirmitatis, alteriúsve juſti impedimenti. Ita communis; & patet ex *cit. L. 1. ff. de Officio ejus, cui mandata &c.* ibi: *Quæcunque ſpecialiter lege, vel Senatus Conſulto, vel conſtitutione Principum tribuuntur, mandatâ jurisdictione non tribuuntur &c.* Ubi Gloſſa, *℣. Quæcunque*, ſub iſtis comprehendi inquit ea, quæ ſpectant ad merum imperium, vel mixtum: quia in iſtis (extra caſum abſentiæ, qui *in cit. L. 1.* poſtmodùm expreſsè excipitur, vel alterius conſimilis juſti impedimenti) cenſetur electa induſtria perſonæ, ſeu Judicum ordinariorum; ut inquit Julius Clarus *in Pract. Criminal. lib. 5. §. fin. quæſt. 41. num. 1.* allegans communem: quamvis addat, quòd iſtud hodie non ſervetur, ſed ex generali conſuetudine indiſtinctè omnes cauſæ meri, & mixti imperij delegentur, etiam quoad ultimum ſupplicium. Utrùm autem hoc ipſum procedat ſpectat Jure Canonico, adeò ut ſimiliter de rigore hujus Juris nequeant delegari cauſæ meri, vel mixti imperij, quæſtio remanet; unde

Reſp. II. Probabiliùs eſt, quòd ſecundùm 80 Canones poſſint omnes cauſæ ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis ordinariam jurisdictionem habentibus delegari, etiamſi ſint mixti, vel meri imperij. Ita Gloſſa *in c. Quod ſedem. ℣. Committere.* & Abbas *ibid. n. 4.* Alexander *Conſil. 106. n. 21. lib. 2.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei. diſt. 5. n. 67.* Vallenſis *h. t. §. 2.* & communior aliorum; contra Covarruviam *lib. 3. Var. Reſolut. cap. 20. n. 4.* Fachineum *lib. 9. Controv. Jur. cap. 99.* Menochium, & nonnullos alios, quos ſequitur Pirhing *h. t. num. 52.*

Ratio Concluſionis deſumitur ex *can. Illud. 23.* 81 *q. 4.*

q. 4. & cap. ult. Ne Clerici vel Monachi &c. ubi expreſsè deciditur, Epiſcopos poſſe delegare cauſam ſanguinis, quæ procul dubio ad merum imperium pertinet. Verùm, quia facilè reſponderi poſſet, hoc eſſe ſpeciale, eò quòd Epiſcopis, aliiſque Clericis cauſam ſanguinis per ſe agitare non liceat abſque incurſione irregularitatis, de qua ibidem fit mentio. Hinc fortiùs, atque generaliùs, idem probatur, &

Confirmatur Concluſio ex *c. Cùm Epiſcopus. 7.*
8 *de Officio Ordinarij. in 6.* ubi Epiſcopus in quolibet loco ſuæ Diœceſis non exempto, per ſe, vel per alium, poteſt pro Tribunali ſedere, Clericos criminoſos *capere, ac carceri deputare, nec non & cætera, quæ ad ipſius ſpectant officium, liberè exercere.* Atqui ad officium Epiſcopi ſpectant etiam ea, quæ ſunt mixti, vel meri imperij; ergo etiam hæc non ſolùm per ſe, ſed & per alium, liberè poteſt exercere, & conſequenter hujuſmodi cauſas alteri delegare. Concordat *c. Licèt. 2. de Offic. Vicarij. in 6.* ubi Epiſcopus, ſi vult, poteſt Vicario ſuo ſpecialiter committere cauſas Eccleſiaſticas mixti, ac meri imperij. Item *Clem. 1. §. Propter quod. de Hæretic.* ubi ſimilis conceſſio Juris habetur circa inquiſitionem, & punitionem Hæreticorum. Item *cap. ult. de Offic. Ordinarij*, ubi illis, quibus ex officio conceditur in certis caſibus abſolvere ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici contractâ, generatim conceditur hujuſmodi abſolutionem alijs committere, cùm viderint expedire.

Nec dicas, tales Canones loqui ſolùm in caſi-
8 bus ſpecialibus; ut puta hæreſis ob gravitatem atque perniciem hujus criminis, & abſolutionis ab excommunicatione ob favorem animæ, & hujuſmodi: ac proinde hinc non eſſe inferendã generalem differentiam inter Canones, & Leges, contra *cap. 1. & 2. De novi oper. nunciat.* Nam contrà eſt. Tum quia cæteri allegati Canones, ac præſertim *cit. c. Cùm Epiſcopus. & d. c. Licèt*, loquuntur generaliter, & non in caſibus ſpecialibus. Tum quia non eſt neceſſe, ut de omnibus caſibus ſingillatim diſponatur per Canones, ſed ex ijs, quæ diſpoſita ſunt, licitum eſt procedere ad ſimilia, *l. Non poſſunt. ff. de Legibus.*

8 Quæritur III. An etiam ea, quæ ſunt poteſtatis Ordinis, delegari valeant? Reſp. I. Non ſolùm ea, quæ ſunt juriſdictionis, poſſunt delegari, ut hactenùs dictum; ſed etiam illa, quæ pertinent ad poteſtatem Ordinis, dummodò is, cui fit delegatio, habeat Ordinem competentem. Ita Hoſtienſis *in Summa. h.t. n. 6. §. Delegantur aliquando*, & alij cõmuniter. Ratio eſt: quia ubi alter, cui fit delegatio, jam habet Ordinem competentem, potiùs fit delegatio exercitij Ordinis, concedendo ipſi liberam facultatem exercendi actum Ordinis in tali loco: non autem delegatur ipſa poteſtas Ordinis.

Idem deſumitur ex *c. Aqua. 9. de Conſecrat. Ec-*
8 *cleſ.* ubi Eccleſia polluta poteſt quidem reconciliari per alium Epiſcopum ex commiſſione proprij Epiſcopi, non item per ſimplicem Sacerdotem: ex quo exemplo præſentem Concluſionem ampliùs declarat Gloſſa *ibid. V. juriſdictionis* & Abbas *ibi n. 7.* ac Fagnanus *n. 4.* Similiter Parochus non poteſt alteri delegare poteſtatem audiendi Confeſſiones ſuorum Parochianorum niſi Sacerdoti cæteroquin idoneo. Inſuper ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, poſſunt quidem delegari, ſeu exercenda committi alteri Epiſcopo, ut *cap. 1. de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunc.* non tamen ſimplici Sacerdoti: nam poteſtas Ordinis non transfertur ſolâ voluntate ac verbo committentis, neque per nudam ejus commiſſionem, ſed per manûs impoſitionem, *cap. un. de Sacra Unction. & cap. ult. de Sacrament. non iterand.*

Et hoc adeò verum eſt, ut etiam Papa non poſ- 86
ſit delegare ſeu committere Diacono, ſive non Sacerdoti, poteſtatem conſecrandi Corpus & Sanguinem Chriſti: quia hæc poteſtas ex Chriſti inſtitutione, ac Jure Divino, prærequirit Ordinem Sacerdotalem, idémque dicendum de ſimilibus. Poteſt nihilominus Papa committere ſimplici Sacerdoti poteſtatem conferendi Ordines minores, *cap. 1. de Supplend. neglig. Prælat. & c. Cùm contingat. 11. de Ætate & qualit. præficiend.* Imò & Subdiaconatum & Diaconatum, juxta probabiliorem ſententiam, éſtque jam dictum ſuprà *Tit. 13. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui, num. 13. & 17. ac ſeqq.* Item poteſtatem confirmandi, *can. Pervenit. diſt. 95.* Et poteſtatem reconciliandi Eccleſias, *arg. c. Aqua. de Conſecrat. Eccleſ.* & hujuſmodi.

Quinimò Abbas benedictus, ſicque ex privi- 87
legio Pontificis habens poteſtatem conferendi proprijs ſubditis Regularibus Ordines minores, ſi fuerit invitatus ab Epiſcopo, poteſt etiam de facto hos conferre ſubditis alterius Monaſterij, vel dicti Epiſcopi. Fagnanus *in c. Aqua. n. 15. & ſeqq. de Conſecr. Eccleſ.* ſolvens notabilem inſtantiam ex Deciſione Rotæ circa hoc.

Quæritur IV. Utrùm Laico poſſint delegari 88
cauſæ Eccleſiaſticæ, vel criminales, aut ſaltem civiles Clericorum? Reſp. I. Epiſcopi, aliique Prælati Papâ inferiores, non poſſunt Laico delegare cauſam aliquam ſpiritualem, vel criminalem Clericorum; ac probabiliùs nec etiam cauſam horum civilem, ſeu temporalem judicialiter cognoſcendam. Prima pars, loquens de cauſa ſpirituali, ſeu merè Eccleſiaſtica, eſt communis; cùm Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non poſſint, ſed hæc Epiſcoporũ, aliorúmq; Prælatorum judicio ſint diſcutienda, *c. Decernimus.* junctâ Gloſſâ, & DD. *ibid. de Judicijs. & c. Cùm Laicis. de Rebus Eccleſ. non alienand.* cum concordantijs.

Altera pars eſt rurſus communis, ut inquit Julius Clarus *in Practica Criminali, lib. 5. §. fin. quæſt. 41. n. 5.* & Card. Tuſchus *Litt. D. Concluſ. 146. n. 13.* qui hoc extendunt etiam ad eum caſum, quo Epiſcopus cauſam criminalem Clerici vult delegare Laico ſimul cum alio Clerico, vel cuipiam Clerico conjugato. Talis enim Clericus reputatur tanquam merus laicus, demptis caſibus, qui in *cap. un. de Cleric. conjugat. in 6.* continentur;

tur: ubi & fundamentum hujus partis Concluſionis habetur, junctis illis, quæ proximè dicentur de cauſa civili, atque à fortiori urgent in criminali Clericorum.

89 Tertia verò pars, negans, poſſe ab Epiſcopo cauſam Clericorum temporalem Laico delegari, eſt quidem contra Gloſſam *in cit. c. Decernimus.* ℣ *Non præſumant.* & Abbatem *ibid. n. 5. de Judicijs*, ac plures alios: eam nihilominùs tenet Baldus *in d. c. Decernimus. n.* 4. Additio ad Abbatem, *ubi ſuprà* ℣. *Delegare*, ac nonnulli alij. Ratio eſt: quia in Clerico, ſeu perſona Eccleſiaſtica, ſemper eſt quid ſpirituale; ergo ne quidem ex delegatione Epiſcopi poteſt trahi ut Reus ad Tribunal Laici: haud obſtante, quòd cauſa non ſit ſpiritualis, ſed merè civilis, ut puta pecuniaria. Probatur conſequentia: tum quia Laicus nullatenùs poteſt ſpiritualia negotia tractare, per Jura proximè allegata; ſicque nec judicare de obligatione pecuniaria perſonæ Eccleſiaſticæ. Tum quia privilegium Fori eſt conceſſum in favorem totius Ordinis Clericalis; ergo, ſicuti non eſt in poteſtate Clerici, huic renunciare, ita non debet eſſe in poteſtate ſingulorum Epiſcoporum eidẽ præjudicare per delegationem cauſæ in Judicem Laicum; ut *c. Si diligenti. 12 de Foro compet.* Alioquin enim vel Epiſcopus diſpenſaret in Jure communi, concedente Clericis, eorúmq; bonis, privilegium Fori: vel, quod unâ viâ Laicis negatur, id per aliam eiſdem concederetur, contra *cit. cap. un de Clericis conjugat. in* 6. & contra Reg. 84. Juris in 6. ibi: *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Atque hinc in ſimili nequit Clericus conſentire in judicem nõ ſuum, etiam accedente Epiſcopi ſui voluntate, niſi ſit perſona Eccleſiaſtica, *c. Significâſti. 18. de Foro competent.*

90 Dices. In *c. Decernimus. 2. de Judicijs*, ſolummodò ſtatuitur, *ut Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant*; ergo non Eccleſiaſtica poſſunt, præſertim ex delegatione Epiſcopi, cùm ſic iſtud neutiquam præſumant. Accedit *can. Clericum 11. q. 1.* ubi prohibetur quicunque Clericus abſque Pontificis ſui permiſſu ad ſæcularem Judicem attrahi; ſicque, argumento à ſenſu contrario deſumpto, accedente Epiſcopi permiſſu id videtur permiſſum. Reſp. neg conſequent. Nam argumentum à ſenſu contrario nõ valet, quando exinde ſequitur abſurdum, aut Jurium correctio; prout dictum eſt *Tit. De Conſtitutionibus.* §. *16. n.* 407. *&* 408. Talis autem Jurium correctio ſequeretur in propoſito, ſi argumentum procederet, ut patet ex proximè dictis. Quinimò ſequeretur etiam illud graviſſimum abſurdum, quòd ex permiſſu, ac delegatione Epiſcopi, poſſit Judex ſæcularis nõ ſolùm cauſas civiles, ſed etiã criminales Clericorũ, imò & merè Eccleſiaſticas cognoſcere: nam accedente Epiſcopi permiſſu, ceſſat memorata præſumptio ex parte Laicorum, ſimúlque Canon allegatus prohibet ſolùm abſque permiſſu proprij Epiſcopi Clericum pertrahi ad Judicem laicum.

91 Urgebis. Judex delegatus quaſi proprium nihil habet, ſed utitur poteſtate, ac jurisdictione Delegantis, *L. 1. §. Qui mandatam, ff. de Offic. ejus, cui mandata eſt juriſdict.* Ergo nihil impedit, quò minùs ex commiſſione Epiſcopi poſſit Laicus cauſam merè civilem Clericorum judicialiter cognoſcere: tunc enim non tam is, qui jurisdictionem exercet ſicut delegatus, quàm ille, qui cõmittit eam exercendam, puta Epiſcopus, jus dicere cenſetur. Reſp. I. Inſtantiam iſtam nimium probare, ac proinde hoc ipſo eſſe inefficacem: alioquin enim, ſi quid probaret, pariter ſequeretur, ex commiſſione Epiſcopi poſſe Laicũ agere judicem in cauſa criminali Clericorum; cùm etiam hîc non tam Laicus, quàm Epiſcopus ipſum delegans, jus dicere cenſeretur. Reſp. II. Antecedens, atque textum in *cit. L. 1. §. Qui mandatam. ff de Offic. ejus, cui &c.* cum ſimilibus, ſolùm velle, quòd judex delegatus non habeat jurisdictione jure proprio, ſed duntaxat jure ac beneficio alterius: non autem, quòd nullam penitus habeat jurisdictionem. Nam, ut in *cit. §. Qui mandatam*, poſt præmiſſam aliorum opinionem, ſubjungitur: *Verius eſt, more majorum juriſdict onem transferri*, ſcilicet delegatam in Delegatum: ut loquitur Gloſſa *ibid.* ℣ *Jurisdictionem*, ac tenet Bartolus in *cit. §. Qui mandatam.* Concordant dicta ſuperiùs §. 2. *num.* 42.

Reſp. II. Nihilominus Papa poteſt non ſolùm cauſas civiles, & criminales Clericorum, ſed etiam quaſdam alias Eccleſiaſticas delegare, atque judicandas & terminandas committere cuipiam Laico, v. g. Regi. Ita notat, & multipliciter probat Gloſſa in *cit. c. Decernimus.* & Abbas *ibid. n. 4. de Judicijs*; atque alia Gloſſa in *can. Benè quidem.* ℣. *Præter Romanum. diſt. 96.* quam totus Mundus ſequitur, ut inquit Julius Clarus *cit.* §. *fin. quæſt. 41. n.* 8: Idque ſpecialiter concedendum eſt Summo Pontifici, propter plenitudinẽ ſuæ poteſtatis, quam habet non ſolùm in ordine ad cauſas Clericorum, aliáſque Eccleſiaſticas, ſed etiam in ordine ad diſpenſandum de jure ſupra Jus ipſum; ut *c. Propoſuit. de Conceſſion. Præbend.* Atque hoc ipſum olim factum eſſe, legitur *in can. Hadrianus. & can. In Synodo. diſt. 63. & can. Illud. 10. q. 3.* Quâ ratione defenduntur à nonnullis privilegia Regis Francorum pro conferendis Beneficijs Regni ſui, & privilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus caſibus contra Clericos, apud Jacobum Pignatellum *Tom. 2. Conſultat. 46. n. 7.* ſi tamen hæc privilegia reverà exiſtant, & non revocentur quotannis per Bullam Cœnæ Domini, de quo alij.

Cæterùm, licèt Summus Pontifex poſſit privilegio Fori quoad quoſdam Clericos, & quoad quaſdam cauſas eorum derogare, harum cognitionem laico Judici ex rationabili cauſa delegando: non tamen poteſt tollere Clericorum exemptionem in totum, ſeu quoad omnes Clericos, omnéſque cauſas ipſorum. Farinacius *lib. 1. Criminalium, quæſt. 8. n.* 4. Julius Clarus *cit. lib. 5. §. fin. quæſt. 41. n.* 8. allegans communẽ. Nam ex tali derogatione, ſeu immutatione, deco-

decoloraretur univerſalis ſtatus Eccleſiæ, contra quem nequit Papa diſpenſare, *arg. can. Et ſi illa. 1. q. 7.* ac tenet Gloſſa *in c. Propoſuit. ℣. Diſpenſare. de Conceſſ. Præbend.* & Abbas *ibid. n.* 14. inde concludens, quòd Papa non poſſit ſine cauſa dare poteſtatem alicui Principi ſæculari, ut poſſit judicare inter Clericos. Et hoc eò magìs eſt dicendũ, quia juxta communiorem, & probabiliorem Canoniſtarum, exemptio Clericorum eſt de Jure Divino; prout ex profeſſo dicetur *Lib. 2. Tit. De Foro competenti. §. 9. n. 101. & ſeqq.*

§. V.

De Officio & poteſtate Delegati, ſeu plurium Delegatorum.

SUMMARIUM.

94. *Officium, & poteſtas Judicis differunt; & quomodo?*
95. *Judex delegatus non debet procedere ante factam ſibi præſentationem Litterarum Delegatoriarum.*
96. *An validetur Proceſſus anteà factus, ſi poſteà ſuperveniant illæ Litteræ?*
97. *Delegatus præſertim Papæ debet coram Ordinario Litteras ſuæ Delegationis præſentare.*
98. *Poteſtque Ordinarius eas ex officio petere; & alioquin Delegato impunè reſiſtere.*
99. *Delegatio an ſolùm probari poſſit per Litteras? Et n. 97.*
Eandem vim obtinet depoſitio teſtium, ac fides inſtrumentorum. Ibid.
100. *Delegatus formam Mandati diligenter obſervare debet.*
101. *Atque probationes neceſſarias, legitimáſque defenſiones admittere &c.*
102. *Et, ſi eſt Delegatus Papæ, ſententiam ſuam exequi.*
103. *Delegatus Papæ poteſt ſententiam exequi, vel per ſe, vel per alium, & uſque ad annum.*
104. *Judex ordinarius tenetur ſententiam Delegati Apoſtolici ad ejus mandatum exequi, poteſtque ab eo ad hoc compelli.*
105. *Etiamſi ſententiam Delegati ſciat eſſe injuſtam.*
106. *Quando hæc eſt injuſta ſolùm, quatenus eſt contra jus litigantis.*
107. *Neque eam exequendo peccat, aut injuriam infert parti; & cur?*
108. *Secùs, quando Ordinarius ſcit, ſententiam eſſe invalidam, & nullam.*
109. *Quid, ſi Delegatus Papæ jubeat Clericum in poſſeſſionem Beneficij induci, quem Ordinarius ſcit non fuiſſe canonicè inſtitutum?*
110. *An Delegatus inferioris poſſit ſententiam ſuam exequi, & quidem uſque ad annum.*
111. *Poteſt eadem cauſa pluribus ſimul delegari.*
112. *Proponitur, ac ſolvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
113. *Jurisdictio, licèt ſit indiviſibilis in ſe, eſt tamen diviſibilis quoad exercitium.*
114. *Quid, ſi pluribus Delegatis detur jurisdictio in ſolidum?*
115. *Ex pluribus Delegatis ille præſumitur cæteris dignior, qui prior in Reſcripto nominatur.*
116. *Si pluribus eadem cauſa ſimpliciter delegetur, nequit unus ſine alio procedere.*
117. & 118. *Idq; magìs declaratur, ſimulq; limitatur.*
119. *Quid juris, quando cauſa pluribus delegatur cum clauſula:* Quòd ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam cognoſcant? *Et num. ſeqq.*
120. *Præſertim ſi tunc unus, cùm poſſit, intereſſe nolit?*
121. *Concordatur* c. Sciſcitatus. §. fin. de Reſcript. & c. Prudeniam. de Offic. Delegat.
122. *Solvitur alia inſtantia.*
123. *Delegatus, cùm poſſit, intereſſe nolens, à quo ſit redarguendus?*
124. *Quid, ſi plures delegentur cũ clauſula:* Ut omnes, aut duo, aut unus, aut unus eorum mandatum exequatur?

94 QUæritur I. Quæ pertineant ad officium Judicis delegati? Ubi prænotandum cum Vallenſi *h. t. §. 4. n. 1.* Zoëſio *eod. n.* 20. & alijs, quòd *Officium, & Poteſtas Judicis* differant, quia Poteſtas latiùs patet: omne enim, quod eſt officij Judicis, etiam ejus poteſtati ſubijcitur; non tamen econtrà, quidquid poteſtati Judicis permittitur, id etiam ejus officio, jurisque neceſſitati ſubjectum eſſe intelligitur, *l. Non quidquid. ff. De Judicijs.* Imò ſæpè expedit omittere illud, quod quis facere poteſt: ac proinde poteſtas, ſeu jurisdictio Judicis latiùs ſe extendit, quàm ejus officium & obligatio; ſicque non immeritò Rubrica præſentis Tituli, ad comprehendendum utrumque membrum, inſcribitur copulativè, *De Officio & Poteſtate Judicis Delegati.* His prænotatis,

Reſp. I. Ad officium Judicis delegati cumprimis pertinent, ut is non procedat ante factam ſibi præſentationem Litterarum Delegatoriarum; haud obſtante, quòd aliunde ſciat, ſe conſtitutum eſſe Judicem delegatum. Ratio eſt: quia, licèt probabilius ſit, quòd transferatur jurisdictio quoad habitum in Delegatum à tempore Datæ, nihilominùs quoad exercitium 95

ejus requiritur præſentatio Litterarum ſibi facta; ac proinde ante harum præſentationem, & receptionem, non poteſt Delegatus exercere jurisdictionem, *arg. c. Super eo. 12. de Appellat.* ibi: *Cùm Judices contigerit litteras recepiſſe*: ac notat Barboſa *ibid. n.* 4. Felinus *in c. Sciſcitatus. n. 12. de Reſcript.* Nicol. Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 1. n. 349. & part. 6. cap. 2. n.* 8. citans Rotam *Deciſ. 12. de Præbend. in novis*, & alios.

96 Et hoc adeò verum eſt, ut licèt poſteà ſuperveniant Litteræ delegatoriæ, non validetur Proceſſus anteà factus: cenſetur enim factus à non habente exercitium jurisdictionis. Intellige, dummodò pars adverſa opponat, ſeu excipiat, de Litteris illis non præſentatis: ſecùs, ſi non excipiat, ſicque tacendo conſentiat; quia tunc valebit proceſſus. Maranta *part.* 4. *Speculi*, *diſt. 16. num.* 8. citans Angelum *in l. Cùm furioſus. ff. de Judic.* & Baldum *l. Nec quicquam. §. Ubi decretum. ff. de Offic. Proconſul.* Vallenſis *h. t.* §. 4. *num.* 2.

97 Reſp. II. Inſuper ad Delegatum, præſertim Papæ, ejúsque officium pertinet, ut antequàm jurisdictionem exerceat, Litteras ſuæ Delegationis coram Ordinario repræſentet, earúmque copiam faciat partibus coram ſe litigaturis, ſeu comparituris. Ita Fagnanus *c. Cùm in jure. num.* 7. *ac ſeqq. h. t.* & alij. Ratio eſt: quia non creditur quis Delegatus, niſi delegationem probet, *d. c. Cùm in jure* 31. *h. t.* Nam delegatio eſt quid facti; facta autem regulariter non præſumuntur, *arg. l. Aſſeveratio. C. De non numerat pecun.* cum concordantijs. Simúlque probatio aſſerentis, ſe eſſe Delegatum à Principe, ut puta Papâ, aliter fieri non poteſt, niſi per oſtenſas Litteras ſuæ delegationis, *L. un. C. de Mandatis Princip.* & Extravag. *Injunctæ. §. Sanè. de Electión.* ibi: *Aſſerenti namque cum Mandatis Principis ſe veniſſe, credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probaverit: nec ſimiliter creditur aſſerenti ſe Legatum &c.* Speculator *tit. De Probationib. §. ult. num. 1. verſ. Sed numquid Delegatus.* citans alios.

98 Quinimò Ordinarius loci poteſt ex officio ſuo petere, ut ſibi exhibeatur Reſcriptum delegationis, etiam parte non petente. Innocentius *in cit. c. Cùm in jure. num. 1. h. t.* Simúlque Delegato, volenti jurisdictionem exercere non oſtenſis litteris Delegationis, poteſt Ordinarius de facto, & quaſi vim vi repellendo, impunè reſiſtere: nam Ordinarius intra ſuum territorium eſt in poſſeſſione ſuæ jurisdictionis; adeóque hanc defendere poteſt; donec Delegatus exhibitis Litteris ſuam Delegationem probaverit, *arg. l. Prohibitum. C. de Jure Fiſci. lib. 10. & Auth. de Collatorib. §. Eos autem. Collat. 9.* Inſuper geſta per Delegatum non oſtenſis Litteris ſuæ commiſſionis ſunt nulla, vel ipſo jure, vel ſaltem ope exceptionis; prout ampliùs oſtendit Fagnanus *cit. c. Cùm in jure. num.* 29. 31. *&* 32. poſt Innocentium, & alios.

Additur notanter num. 79. *ad Delegatum, præſertim Papæ.* Quia licèt delegatio Papæ, ac Imperatoris, aliter probari non poſſit, niſi per ſcripturam, ut dictum; nihilominùs Delegatus inferioris delegationem ſuam ſufficienter probat per teſtes. Siquidem cùm de hoc aliud in Jure ſtatutum non reperiatur, reſpectu ipſius locum habet diſpoſitio Juris comunis, *in c. Cùm Joannes. §. Porrò. de Fide inſtrument. & l. In exercendis. C. eod.* ubi eandem vim probandi obtinent depoſitiones teſtium, quàm fides inſtrumentorum. Speculator *tit. De Probationibus. §. ult. n. 1.* Fagnanus *cit. c. Cùm in Jure. n. 35. h. t.* poſt Rotam *Deciſ.* 307. *aliàs 5. Si Epiſcopus. n. 3. de Offic. Vicarij, in novis*, & alios.

Reſp. III. Ulteriùs ad officium Delegati pertinet, fines Mandati, ſeu formam Reſcripti delegationis diligenter obſervare, ac juxta ipſam procedere. Nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur, *l. Diligenter. ff. Mandati.* ſicq; actus eſt nullus, ſi forma Mandati quoad aliquod ſubſtantiale non obſervetur; *ut c. Cùm dilecta. 22. de Reſcriptis*, eſtque uberiùs dictum ſuprà *Tit. De Reſcriptis. §. 6. n. 144. & ſeqq.*

Reſp. IV. Rurſus ad officium Delegati ſpectat, probationes neceſſarias, legitimáſq; defenſiones, ut puta rationabiles exceptiones, vel appellationem ritè factā admittere, atq; in cauſa juxta Juris præſcriptum ſervatâ æquitate procedere; niſi in Litteris delegationis aliud quid exprimatur. Patet hoc *ex c. Omnes. & ſeqq. 2. q. 6. & c. Cauſam quæ. 18. de Reſcript. & c. Ex parte. 13. h. t. & Clem. Sæpè contingit. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus.

Reſp. V. Tandem ad officium Delegati Apoſtolici ſpectat, ut ſententiam à ſe latam executioni mandet, *c. Significâſti. 7. h. t.* cum concordantijs illicò afferendis. Occaſione cujus

Quæritur III. Quâ ratione Delegatus Papæ poſſit ſuâ ſententiam exequi, vel alteri ejus executionē comittere? Reſp I. Delegatus Papæ poteſt ſententiam à ſe latam exequi, vel per ſe ipſū, vel per alium; ut *c. in Litteris. 9. eod.* Atq; uſq; ad integrum annum poteſt exercere jurisdictionē ſuā in ordine ad exequendam ſententiam; ita ut interim parere volentes poſſit abſolvere, & contradictores cenſuris etiam Eccleſiaſticis compeſcere, *c. Quærenti. 26.* junctâ Gloſſâ *℣. Ad integrum annum h. t.* Non item poſt elapſum annum continuum: quia tunc jam expiravit ejus jurisdictio, ſicque recurrendum eſt ad Delegantem. Abbas *in cit. c. Quærenti. n. 3. & 7.*

Reſp. II. Quando Delegatus Papæ Judici ordinario committit executionem ſuæ ſententiæ, iſte mandato ipſius obedire, atque ſententiam latam exequi tenetur: aliàs poterit compelli à Delegato, utpote qui major eſt illo quantùm ad cauſam ſibi à Papa comiſſam, *c. Sanè quia. 11. h. t.* Et alioquin ejus jurisdictio videretur nullius eſſe momenti, ſi non poſſet compellere renitentem, *c. Paſtoralis. 28. §. 1. h. t.* & notat Gloſſa *in d. c. Significâſti. ℣. Non vult.* & Abbas *ibid. num. 1. ac ſeqq. h. t.*

Atque

Atque hoc etiam procedit, licèt Ordinarius
15 ſciat, ſententiam Delegati eſſe injuſtam: adhuc enim ejuſmodi ſententiam exequi tenetur (niſi forſan apud eundem Delegatum efficere poſſit, ut ab hoc onere liberetur) quia eſt merus executor, dum non cognitio, ſed executio tantùm eidem demandatur; prout expreſſum habetur in *cit. c. Paſtoralis.* 28. §. *Quia verò. h.t.* & ampliùs declarat Gloſſa magna ibidem.

16 Hoc tamē intellige de ſententia injuſta ſolùm, quatenus eſt lata contra jus litigantis, à qua iſte non appellavit intra legitimum tempus, ſicque tranſijt in rem judicatam: talis enim ſententia eſt valida, & quamvìs ſit injuſta, hoc eſt, lata contra jus condemnati; tamen, ex quo iſte non appellavit intra decendium, ſicque ſententia tranſijt in rem judicatam, de rigore Juris (niſi forſan Ordinarius ab hoc onere liberari obtinuerit, ut dictum) & ut aliquis ſit finis litium, ea eſt executioni mandanda. Gloſſa magna, & DD. *in cit.* §. *Quia verò.*

Neque idcircò Executor illius ſententiæ pec-
17 cat, aut cooperatur peccato Judicis delegati malè judicantis, neque etiam injuriam infert injuſtè condemnato. Tum quia ipſe exequitur duntaxat illud, quod de rigore Juris eſt introductū; ne alioquin merus Executor, ut eſt iſte, paſſim ſententiam latam temerè diſcutere, & calumniari valeat. Tum quia condemnatus vel ſibi imputet, quòd à ſententia illa injuſta nō appellârit: vel habeat regreſſum contra Judicem delegatū malè judicantem, ac eum injuſtè condemnantem, ut damnum illatum ſibi reſarciat, *§. 1. inſtit. de Obligat. quæ ex quaſi delicto.* Gloſſa magna *in d.* §. *Quia verò. in fin.* & ibi Abbas *n.* 4. & alij.

18 Quòd ſi verò Executor certò ſciat, ſententiam non ſolùm eſſe injuſtam, quatenus eſt contra jus condemnati, ſed etiam eſſe nullam, ac invalidam: ut quia lata eſt per falſa inſtrumenta, ſicque Delegatus non habuit jurisdictionem; vel quia lata eſt nullo Juris ordine ſervato, vel contra apertas Leges, ſeu Canones, ſicque ipſo jure non tenet, *cap. 1. de Sentent. & re judicat.* tunc ipſam non debet executioni mandare. Ratio eſt: quia Delegatus hoc præcipiens nō agit ut Judex, *arg. c. Forus. 10. de Verb. ſignif.* & tradit Abbas *in cit. §. Quia verò, n.* 4. & Layman *ibid.* allegans communem: unde, quia præcipit abſque jurisdictione, eidem non oportet obedire. Debet proinde in tali caſu Executor deputatus negotium ad Superiorem referre, *c. De cætero.* 5. junctâ Gloſsâ *fin. & cap. 2. de Crimin. falſi.* Pirhing. *h. t. n. 94.* citans alios.

19 Simile quid accidit in caſu, quo Delegatus Papæ mandat Clericum in poſſeſſionem Beneficij induci, quem tamen Ordinarius, putà, Epiſcopus, certò ſnovit non fuiſſe in eo canonicè inſtitutū. Quamvìs enim tunc Judex ordinarius, ſeu dictus Epiſcopus, nō debeat Judicis delegati mandato reſiſtere violenter (hic enim quoad talem cauſam eſt ſuperior Epiſcopo, *cit. c. Sanè quia. 11. h.t.*) adhuc tamē poteſt & debet apud ipſum inſtare, ut differat ejuſmodi Clericū in poſſeſſionē mittere, donec Papæ rei veritas ritè deferatur, atq; innoteſcat. Textus eſt *in c. Si quando. 8. h. t.* 110

Dicitur notanter n. 103. *Delegatus Papæ.* Nam quòd Delegatus inferioris ad cauſam particularem non poſſit exequi ſuam ſententiam, ſed executionem hujus debeat Deleganti remittere, *arg. l. A divo Pio. §. 1. ff. de Re judicat.* tenent multi, ac ſpectato Jure Civili eſt communis, juxta dicta ſuperiùs §. 2. *n.* 45. quo ſtante præſens Cōclusio non habet locum in Delegato inferioris à Principe. Si tamen teneatur ſententia Abbatis, & quorumdam aliorum, ibidem *num.* 49. relata, juxta quam ſpectato Jure Canonico etiā Delegatus inferioris, ut puta Epiſcopi, poteſt ſententiā ſuam exequi: tunc videtur dicendū, quòd etiam talis Delegatus usque ad integrum annum poſſit exequi ſententiam ſuam, ac proinde interim parere volentes poſſit abſolvere, & reſiſtentes cenſuris Eccleſiaſticis coërcere, *arg. cit. c. Quærenti.* & notat Abbas *ibid. n. 8. h. t. & c. Significâſti. eod.*

Quæritur III. An pluribus Judicibus eadem 111 cauſa ſimul delegari poſſit, & quis eorum tunc cenſeatur dignior? Reſp. I. Non tantùm unus, ſed etiam plures Judices ad eandem cauſam cognoſcendam delegari poſſunt. Ita certa, & communis omnium; cujus exempla paſſim habentur in Jure, *ut c. Cauſam. 16. & c. Prudentiam. 21. & c. Cùm cauſa. 22. & c. Cùm ſuper. 23. h. t.* ac alibi ſæpè.

Nec dicas. Jurisdictio eſt indiviſibilis; cùm ſit 112 quid incorporale, atque ampliùs probat Gloſſa *in d. c. Prudentiam. ℣. Teneatur. h. t.* Ergo ea non poteſt competere pluribus; neque partialiter, cùm ſit indiviſibilis; neque in ſolidum, quia *duo inſimul eandem rem, & eodem modo, in ſolidum poſſidere non poſſunt*, c. Licèt. 9. de Probat. cum concordantijs. Reſp. enim diſtinguendo anteced. Jurisdictio eſt indiviſibilis in ſe, conceditur: etiam in ordine ad exercitium, negatur anteced. & conſequent.

Itaque licèt Jurisdictio veluti ſpiritualis, in ſe 113 dividi non poſſit, poteſt tamen dividi in ordine ad exercitium; idq; præcipuè dupliciter. Primò, quatenus poteſt competere pluribus, ita ut penes ſingulos ſit tota, ſed non totaliter, eò quòd neuter eorū ſolus ipſam exercere valeat: in quo caſu, ſi unus procedat ſine altero, proceſſus ipſo jure eſt nullus, ut ampliùs dicetur *n. 116.* Secundò poteſt dividi jurisdictio in ordine ad exercitiū per accidens, nempe quoad diverſa loca, vel tēpora: ut ſi unus in uno loco, alter in alio, unus hoc v. g. menſe, alter alio exerceat jurisdictionē.

Nec urget allata inſtantia ex *c. Licèt. de Probat.* deſumpta. Nam (præterquàm, quod loquatur 114 præcipuè de rebus corporalibus, utpote quæ propriè dicuntur poſſideri) in caſibus præmiſſis nemo poſſidet jurisdictionē in ſolidū, ut patet. Et quamvìs interdū pluribus Delegatis, vel etiā ordinarijs Judicibus competat jurisdictio in ſolidum, exinde ſolùm ſequitur, quòd vel ſimul, vel ſeorſim judicare, ſeu procedere poſſint: & ſi ſeorſim proceſſerint, detur locus præventioni, atq; uno præoccupante, causámque inchoante, alter non

non ampliùs poſſit ſe immiſcere in cauſa illa, niſi ille, qui cæperat, ex infirmitate, vel aliâ juſtâ causâ impeditus fuerit, aut ſaltem nollet, vel malitioſe in ea procedere recuſaret. Textus eſt *in c. Cùm plures. 8. de Offic. delegat. in 6.*

115 Reſp. II. Si eadem cauſa pluribus delegetur, ille præſumitur cæteris dignior, qui prior in Reſcripto delegatorio nominatur. Ita Gloſſa *can. Bene quidem. ℣. Mediolanenſis. diſt. 96.* Felinus *in c. Cùm dilecta. n. 5.* & Layman *ibid. n. 4. de Reſcript.* & alij. Ratio eſt: quia in Reſcriptis ordo verborum diligenter debet attendi; nam primo loco poſita, videntur ſtudioſiùs præmiſſa. Abbas *in cit. c. Cùm dilecta. n. 4.* Ac proinde ex ordine verborum eſt argumentandum, *arg. can. Inter verba. 11. q. 3.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Præmiſit.* Concordant dicta ſuperiùs in Prooemio. *§. 6. num. 109. & ſeqq.*

116 Quæritur IV. Quomodo plures Delegati ſuper eadem cauſa debeant procedere? Reſp. I. Si eadem cauſa pluribus ſimpliciter] delegetur, nequit unus ſine alio procedere. Ita communis; & patet ex *c. Cauſam. 16. h. t.* ibi: *Quia cùm cauſa duobus committitur, ſententia unius non valet.* Concordat Jus Civile *in l. Duo ex tribus. ff. de Re judicat.* ibi: *Duo ex tribus Judicibus uno abſente judicare non poſſunt: quippe omnes Judices Judicare juſſi ſunt.* Ubi Gloſſa *℣. Abſente*, hoc extendit ad caſum, quo tertius eſt mortuus: idemque patet ex textu claro *cap. penult. h. t.*

117 Et hoc adeò verum eſt, ut etiam, quando ex tribus Delegatis duo tantùm citant Reum, citatus venire non cogatur: quia, cùm illi nihil facere poſſint ſine tertio, hoc ipſo non valet citatio, ſicque citatus venire non tenetur. Gloſſa *in c. Prudentiam. ℣. Teneatur. h. t.* Quòd ſi verò citatus venerit, & duo ſine tertio in cauſa procedant, ferántq; ſententiam, hæc ipſo jure erit nulla, per textus jam relatos: quia nimirum proceſſerunt contra formã Mandati. Intellige, niſi ille tertius alijs duobus Conjudicibus vices ſuas committeret, ſeu ſubdelegaret; prout per Delegatos Papæ fieri poſſe, causâ etiam ſimpliciter pluribus comiſsâ, conſtat ex *c. Quamvis. 6. & c. Cùm cauſa. 22. h. t.* Niſi fortè cauſa fuerit adeò gravis, ut ſine præſentia illius tertii non poſſit commodè terminari; prout *in c. Si pro debilitate. 3. eod.* limitatur.

118 Et hactenus dicta procedunt, quando eadem cauſa delegatur pluribus *ſimpliciter.* Quod additur imprimis ad excludendam delegationem ad univerſitatem cauſarum: nam Delegati ad univerſitatem cauſarum potiùs cenſentur habere jurisdictionem mandatam, quàm delegatam; atque æquiparantur Ordinarijs, ut dictum ſuprà *n. 14 & ſeq. & n. 63.* ſicque de ipſis idem dicendum, quod de Ordinarijs, quorum quilibet à principio poteſt per ſe incipere, datúrque locus præventioni. Gloſſa *in l. Pomponius* (aliàs, *l. Si uni.*) & Bartolus *ibid. §. Venio ad quæſt. ff. de Re judicat.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei, diſt. 5. n. 31.* Deinde idipſum additur ad ſecludendam quæſtionẽ de pluribus Delegatis non ſimpliciter, ſed cum certa appoſita clauſula: atq; de his nunc loquendo.

Reſp. II. Si cauſa tribus commiſſa, ſeu delegata fuerit cum clauſula, *Quòd ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam cognoſcant, & exequantur*: tunc duo illi procedere non poſſunt, niſi illis per certum nuntiũ, aut aliàs legitimè conſtiterit, quòd tertius adeſſe non poſſit, vel ſaltem, cùm poſſit, intereſſe nolit: alioquin, ſi procedant, Acta erunt irrita, cùm fines Mandati excedere, & contra formam Reſcripti judicare dignoſcantur. Ita habetur deciſum *in c. Prudentiam 21. §. 1. h. t.* Et quæ nunc dicta ſunt de tribus Delegatis, eadem (ſervatâ tamen proportione) ſunt intelligenda de duobus Delegatis, *cit. c. Prudentiam. §. Idem quoque. h. t.* Concordat *c. Sciſcitatus. 13. de Reſcript.* 11

Additur notanter, *vel ſaltem, cùm poſſit, intereſſe nolit.* Nam, ſi aliquis ex ipſis cùm poſſit intereſſe noluerit, duo alij de hoc legitimè informati, jam poterunt in cauſa procedere, licèt ille tertius, atque mandatis Apoſtolicis inobediens Delegatus, graviſſimè ſit redarguendus. Ita habetur expreſſum *cit. c. Prudentiam. §. Adijcimus.* Et meritò: quia licèt, *nolle intereſſe*, non importet aliquam impotentiam ex parte nolentis (unde etiam hic redarguendus dicitur) tamen hinc oritur impotentia ex parte Conjudicum delegatorum, ut unàcum nolente non poſſint in cauſa procedere: unde quia ſtante unius inobedientiã, ſeu nolitione intereſſendi, verum eſt dicere, quòd omnes tres ſimul intereſſe nequeant; hinc tali impotentiâ ritè cognitâ, meritò alij duo in cauſa procedere permittuntur. 12

Nec obſtat *c. Sciſcitatus. 13. §. fin. de Reſcript.* ubi videtur oppoſitum decidi, illis verbis: *Nec enim ille, qui tantummodò non vult intereſſe, hâc impoſſibilitatis interpretatione valet aliquatenùs excuſari: niſi fortè in Reſcripto ſic habeatur expreſſum: Si non omnes interfuerint, vel ſimul nequiverint aut noluerint intereſſe.* Reſp. enim cum Abbate *in cit. c. Sciſcitatus. n. 16.* & alijs, iſtud non obſtare, ſed utrumque Capitulum mutuò ſeſe declarare: nam in allegato *c. Sciſcitatus* ſolùm dicitur, eum, qui ſine legitimo impedimento intereſſe non vult, non excuſari, quin ob ſuam inobedientiam puniri poſſit: niſi habeatur appoſita clauſula, *Vel intereſſe noluerit.* Hæc enim, cùm ſit clauſula voluntatis, abſque ulla alia cauſa intereſſe nolentem excuſat à pœna. Porrò *cit. c. Prudentiam. h. t.* prædictis nullatenùs præjudicat, quinimò *in cit. §. Adijcimus*, clariſſimè ſubjungitur, quòd ille, qui ceſſante juſto impedimento intereſſe nõ vult, graviſſimè ſit redarguendus, imò & puniendus pro eo, quod mandatum Apoſtolicum exequi ſubterfugiat, aut contemnat; ſicque ultrò fatetur, talem ex ſua inobedictia neutiquã excuſari: addit tamen, quòd uno Delegatorum intereſſe nolente, alij nihilominus in cauſæ cognitione procedant. Ac per hoc meliùs declaratur *d. c. Sciſcitatus. de Reſcript.* non verò corrigitur, prout perperàm voluit Gloſſa *ibid. ℣. Excuſari.* 1

Inſtabis. Juxta dicta in Concluſione, ſi ex tribus Delegatis cum clauſula, *Quòd ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam cognoſcant &c.* unus non poſſit, 1

poſſit, aut ſaltem nolit intereſſe, tunc poſſunt alij duo procedere: atqui illud ſemper fit; nam hoc ipſo, quòd tertius non interſit, aut non poteſt, aut ſaltem non vult intereſſe; ergo alij duo ſemper poſſunt procedere, etiam non habito alio certo nuntio quoad hoc. Reſp. negando majorem ſic abſolutè prolatam: quia ad hoc, ut poſſint duo ſine tertio procedere, juxta *cit. c. Prudentiam*, §. 1. *h. t.* ulteriùs requiritur, quòd de alterutro eorum conſtet per litteras, vel certum nuntium, aut aliàs canonicè; ut ampliùs Gloſſa *ibid.* ℣. *Canonicè.* & ℣. *Procedant*, obſervat. Neque ex proximè datâ Concluſione aliud habetur, prout liquet ex verbis ipſius.

12 Porrò redargutio illa, atque punitio intereſſe nolentis, de qua *n.* 120. & 121. *in fine*, fieri non debet à Conjudicibus delegatis; quia par in parem non habet imperium: ſed vel à Delegante, ad quem ea cauſa pertinet, cuíq; Conjudices debent denunciare negligentiam alterius, ut vult Gloſſa *fin. in cit.* §. *Adijcimus*: vel à ſuo immediato Superiore ordinario. Non quòd iſte talem Papæ Delegatum poſſit compellere ad exequendum: hoc enim non ſpectat ad officium Ordinarij, imò Delegatus major eſt illo quoad cauſam delegatam, *c. Sanè quia.* 11. *h. t.* Sed poteſt eum redarguere, atque punire ut delinquentem, ſeu quia contempſit exequi legitimum ſui Superioris mandatum, adeóque propter delictum præcisè: ſic enim ceſſat dicta majoritas, ex quo culpabiliter non acceptavit, aut exequi nō curavit delegationem Apoſtolicam. Abbas. *in d. c. Prudentiam.* §. *Adijcimus. n. 6. h. t.*

Reſp. III. Quòd ſi plures ſint Delegati ſub hac forma, *Ut omnes, aut duo, aut unus eorum mandatum exequatur*, ſeu aliâ conſimili (ut ſi dicatur, 124
quòd quilibet eorum in ſolidum, & per ſe judicare poſſit; aut, quòd alter alterum non expectet, vel non requirat) tunc ſinguli cenſentur habere jurisdictionem in ſolidum: atque ideò ſinguli eorum ſeorſim hanc liberè exercere poſſunt, cæteris minimè requiſitis; datúrque inter eos locus præventioni, adeò ut uno ipſorum negotium inchoante, cæteri non poſſint ulteriùs eidem ſeſe intromittere; niſi vel infirmitate, vel aliâ juſtâ causâ illum priorem contingeret impediri, aut niſi is nollet, vel malitioſè in eodem negotio procedere recuſaret. Ita habetur expreſſum *in c. Cùm plures. 8. h. t. in 6.* junctâ Gloſsâ, DD. ibidem.

§. VI.

De Ceſſatione Officij Judicis Delegati.

SUMMARIUM.

125. *Quibus modis generatim ceſſet officium Judicis delegati?*

126. *Morte Delegati finitur ejus officium, & jurisdictio, nec tranſit ad hæredes, vel Succeſſorem, ſi delegatio fuit perſonalis.*

127. *Secùs, quando delegatio facta eſt Dignitati.*

128. *Quid agendum in dubio, an delegatio ſit perſonalis, vel realis?*

129. *Per mortem Delegantis re integrâ, expirat jurisdictio Delegati: ſecùs, ſi res non ampliùs ſit integra.*

130. *Si Delegatus interloquendo pronunciet, nullam ſibi reſpectu talis cauſæ jurisdictionem competere, finitur omnis ejus jurisdictio, licèt hanc reverà habuiſſet.*

131. *Dummodò hoc fiat nemine appellante.*

132. *Nec poteſt eam abſque nova commiſſione reaſſumere, etiamſi partes de novo in ipſum conſentiant.*

133. *Judex cæteroquin incompetens habet poteſtatem cognoſcendi in dubio, an ipſe ſit judex, nec ne.*

144. *Delegatus virtute Reſcripti ſubreptitij, an de conſenſu partium poſſit in cauſa procedere?*

135. *Officium Delegati expirat per revocationem ejus.*

136. *Princeps, ſeu Judex ordinarius delegans, poteſt delegationem liberè revocare, etiam re non integrâ.*

137. *Delegatus Principis ſubdelegans re integrâ poteſt etiam ſubdelegationem revocare.*

138. 139. 140. *Et quid, ſi res ampliùs non ſit integra?*

141. *Revocatio facta delegationis non anteà ſortitur effectum, donec ſit Delegato intimata.*

142. *Niſi Princeps aliud expreſsè declaret.*

143. *Vel niſi præjudicium tertio inde non ſequatur.*

144. *Lapſu temporis præfixi ceſſat jurisdictio Delegati.*

145. *Et quomodo illud ſit computandum?*

146. *An partes communi conſenſu terminum illum poſſint prorogare?*

147. *Ceſſat inſuper jurisdictio Delegati finito negotio, ad quod judex datus fuit.*
Et quando negotium cenſeatur finitum? Ibid.

148. *Recuſatio Judicis, quid, & quando fieri poſſit?*

149. *Per eam extinguitur officium Judicis delegati.*

150. *Dummodò legitimè fuerit propoſita.*

151. *Et pronunciata ſuper eam ſententia.*

152. *Cauſa recuſationis Judicis delegati regulariter debet tractari per Arbitros.*

153. *Exceptis tribus caſibus; & quibus?*

154. *Dantur nonnulli alij modi, quibus officium Judicis delegati ceſſat.*

QUæritur I. Quibus modis generatim ceſſet officium, & poteſtas Judicis de-
125 legati? Reſp. Id accidit potiſſimùm ſequentibus modis. I. Morte Delegati. II. Morte Delegantis re integrâ. III. Pronunciatione Delegati, quòd jurisdictio in cauſa ſibi non competat. IV. Revocatione delegationis. V. Lapſu temporis præfixi. VI. Finito negotio, ſeu quando Delegatus officio ſuo functus eſt. VII. Recuſatione. Et hi ſunt præcipui modi, quibus ceſſat, atque finitur officium Delegati; quamvìs poſſint nõnulli alij aſſignari, qui tamẽ levioris ſunt conſiderationis. Verùm, quia enumerati ſeptem modi majori, ac ſpeciali indigent elucidatione, hinc de ſingulis ſeorſim loquendo,

Quæritur II. An, & quando morte Delegati,
126 vel Delegantis, expiret illius officium, ipſaque delegatio? Reſp. I. Morte delegati finitur ejus officium, atque jurisdictio: ut *l. Si quis alicui. §. Morte. ff. Mandati.* Nam mors omnia ſolvit. Unde Delegati officium, atq; jurisdictio, non tranſit ad hæredes, *l. Mandatum. 57. ff. eod.* Neque ad Succeſſorem, ſi delegatio fuit perſonalis, ſeu expreſſo nomine proprio Delegati facta; ut puta dicendo: *Tibi Sempronio delegamus hanc cauſam*: quia tunc ſequitur perſonam, & veluti acceſſorium extinguitur cum perſona, *c. Acceſſorium. & c. Privilegium perſonale. de Reg. Juris, in 6. & l. In omnibus. ff. eod.* cum ſimilibus.

127 Additur notanter, *ſi delegatio fuit perſonalis.* Nam ſecùs eſt dicendum in delegatione reali: qualis cenſetur illa, quæ fit contemplatione Dignitatis, & non perſonæ; ſive, quando delegatio facta eſt Dignitati, ſeu ſub nomine Dignitatis, non expreſſo nomine perſonæ, v. g. *Epiſcopo, vel Officiali Friſingenſi.* Nam talis delegatio non extinguitur morte Prælati tunc exiſtentis, ſed tranſit ad Succeſſorem in eadem Dignitate, etiamſi res ſit adhuc integra. Textus eſt *in c. Quoniam. 14. h. t.* ubi Gloſſa *℣. Subſtitutum.* Abbas *n. 3.* Barboſa *n. 1. & 2.* citans alios. Sperellus *Deciſ. 166. Fori Eccleſiaſt. n. 1.* & communis. Ratio eſt: quia Dignitas non moritur, neque variatur per mutationem perſonæ, *c. Si gratioſè. 5. de Reſcript. in 6.* Unde Succeſſor in tali Dignitate cauſam debet reaſſumere in terminis, in quibus anteà fuerat, eámque, prout juſtitia exigit, terminare, *l. Mortuo. ff. de Judicijs*, ac notat Abbas in *cit. c. Quoniam. n. 4. h. t.*

128 Cæterùm in dubio, an delegatio ſit perſonalis, vel realis: ut ſi delegatio facta fuit tam expreſſo nomine Dignitatis, quàm expreſſo nomine proprio, v g. *Antonio Officiali Friſingenſi*; vel ſi alia cauſa rationabilis dubitandi ſupervenerit: tunc imprimis attendendus eſt totus contextus verborum factæ delegationis; nam verba præcedẽtia ſolent declarare ſequentia, & econtrà, *l. Utrùm autem. ff. de Petition. hæredit. & l. Qui filiabus. §. 1. ff. de Legat. I.* Barboſa *Axiomat. 222. n. 48.* citans alios. Deinde ſpectanda eſt materia ſubjecta, aliæque circumſtantiæ concurrentes, ac juxta ipſas ferendum judicium, *arg. c. Requiſiviſti. 15. ſ. 1. de Teſtament.* & notat Abbas *Conſil. 93. num. 1. & 2. lib. 2.* inde inferens, quòd ad conjecturandam commiſſionis qualitatem, num videlicet ſit perſonalis vel realis, primò recurrendum ſit ad ſubjectam materiam; & tunc primùm, veluti ultimum refugium, conſideratio illa ſit attendenda, an in ea exprimatur nomen propriũ, vel appellativum. Covarruvias *lib. 3 Variar. Reſolut. cap. 15. n. 2. & d. c. Requiſiviſti. 15. de Teſtament. n. 1. & 2.* Sperellus *cit. Deciſ. 166. n. 24.* allegans alios, atque hoc ipſum notabili caſu declarans.

Quòd ſi autem penſatis omnibus adhuc remaneat dubiũ, an facta delegatio ſit perſonalis vel realis, tunc ejusmodi delegatio cenſenda eſt perſonalis, ſeu intuitu perſonæ conceſſa, ac proinde non tranſiens ad Succeſſorem. Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 27. n. 20.* Pirhing *h. t. n. 167.* Ratio eſt: quia jurisdictio delegata eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda, ut dictum ſuprà §. *2. n. 52.* Sicque ſtante dubio non extendenda ad Succeſſorem. Tum quia univerſim loquendo, *generi per ſpeciem derogatur*, juxta Reg. 34. Juris in 6. cum ſimilibus; ergo etiam impræſentiarum generico nomini *Dignitatis* derogatur per additũ ſpeciale nomen *Perſonæ*, illúdque per hoc reſtringitur. Tum tandem, quia verba Reſcripti debent aliquid operari, ne ſint ſuperflua: atqui appoſitum nomẽ proprium nihil operaretur, niſi ſtante tali dubio redderet delegationem perſonalẽ; nam ſi ea foret realis, ſatìs perſona Delegati
ſignificaretur expreſſo nomine Dignitatis; ergo. 1:

Reſp II. Tunc per mortem Delegantis expirat officium, atque jurisdictio Delegati, quando res adhuc eſt integra, & negotium necdum inchoatum: ſecùs, quando res non ampliùs exiſtit integra, ſed Delegatus ante obitum Delegantis, ſaltem factâ citatione, negotium quaſi cœpit: ſic enim perpetuata eſt ejus jurisdictio. Deſumitur hoc *ex c. Gratum. 20. & c. Licèt undique. 30. h. t.* éſtque ampliùs dictum ſuprà, *Tit. de Reſcriptis. §. 10. num. 232. & ſeqq.* extendendo hoc etiam ad ceſſationem officij Delegantis per renunciationẽ, aut depoſitionem re integrâ; cùm ſit eadem ratio de his, ac de morte ejus naturali. Ubi etiam fuſiùs reſpondetur ad inſtantiam *ex c. Relatum. 19. h. t.* fortiter urgentem, dum inquit, quòd per obitum Delegantis ante litis conteſtationem, expiret poteſtas Delegati. Ibi videatur.

Quæritur III. Quâ ratione finiatur officium 1:
Delegati ex pronũciatione ejus, quòd jurisdictio in cauſa ſibi nõ competat? Reſp. I. Quando Judex delegatus interloquendo pronunciat, ſibi nullã reſpectu talis cauſæ jurisdictionẽ competere (ut puta, quia judicavit, litteras Delegationis eſſe ſubreptitiè obtentas, vel hujusmodi) & pars litigans ab hac ejus ſentẽtia interlocutoria intra decendium nõ appellat; tranſit ea in rem judicatam, & finitur omnis jurisdictio ipſius, licèt hanc virtute talis delegationis reverà habuiſſet: adeò quidem, ut poſteà officium Judicis in eadẽ cauſa ſine cõmiſſione reaſſumere non poſſit, etiamſi partes in ipſum de novo conſentiant. Ita habetur

betur *in c. Significantibus.* 38. *h. t.* ac tenet Abbas, Barboſa,& communis DD. ibidem. Ratio eſt: quia talis Delegatus,ſive benè, ſive malè, interloquendo pronciaverit, cenſetur functus officio ſuo; ſicque nemine appellante amittit juriſdictionem, & lata ab eo ſententia tranſit in rem judicatam.

11 Additur notanter, *nemine appellante.* Nam ſi pars litigans ab hac ejus ſententia interlocutoria appellaverit, non extinguitur illius Judicis Delegati jurisdictio, *arg. c. Dilectus. 34. de Præbend.* (ubi talis caſus refertur) ac notat ibi Gloſſa marginalis,citans DD. *in l. Si per imprudentiam. ff. de Evictionib.* & Abbas *n.* 2. & alij. Nam generale eſt,quòd ſi appelletur à ſententia Judicis, ejus executio ſuſpendatur,atq; intereà nihil ſit innovandum,*can Poſt appellationem.* 2.*q.* 6. *& c. Dilectis filijs.* 55. *de Appellat.*

12 Additur ulteriùs,*Sine nova commiſſione reaſſumere non poſſit,etiamſi partes &c.* Quia ex una parte nihil prohibet, quin Superior poſſit ipſi de novo talem cauſam delegare, ſeu decidendam committere. Ex altera verò parte, poſtquàm Judex delegatus pronunciavit, ſive benè, ſive malè, nullam ſibi in hac cauſa competere jurisdictionem,jam expiravit ejus jurisdictio:partes autem ſuo conſenſu non poſſunt ipſi conferre jurisdictionem,*l. Privatorum. C. de Jurisdict.omn. judic.* Ne quidem per prorogationem: quia jurisdictio, quæ non eſt, ſeu jam expiravit, prorogari non poteſt,*arg. c. De cauſis.* 7. *h.t.* & notat Abbas *ibid, n.* 7. & communis.

13 Dices. Si hujusmodi Judici delegato nulla competit jurisdictio reſpectu cauſæ; ergo nec valet ſententia ejus interlocutoria, quâ pronunciat, nullam ſibi in cauſa illâ competere jurisdictionem: cùm ſententia à non ſuo Judice lata nullius ſit momenti. Reſp. neg. ſequel. Quia, ut rectè notat Gloſſa *fin. in cap. ult. de Reſcript.* & Abbas *in c. Dilectus. n.* 1. *de Præbend.* Judex cæteroquin incompetens, ſeu datus per Litteras invalidas, ut puta ſubreptitiè obtentas,ſaltem in iſto articulo eſt Judex competens, ut in cauſa dubia poſſit diſcutere, an ipſe ſit judex,& cognitâ rei veritate valeat pronunciare, ſe non judicem,ac etiam condemnare impetrantem in expenſis Reo injuſtè vexato perſolvendis; uti deſumitur *ex Clem.* 1. *de Reſcript.* Unde hæc poteſtas, ſeu jurisdictio, utpote à Jure communi conceſſa, potiùs eſt ordinaria, quàm delegata.

14 Dices ulteriùs.Reſcriptum ad lites,etiam ſubreptitium, tribuit jurisdictionem, licèt elidibile ope exceptionis; ergo, ſi ambæ partes conſenſerint,poterit Delegatus virtute ipſius in cauſa procedere. Antecedens patet ex eo: quia tale Reſcriptum non eſt ipſo jure nullum, ſed duntaxat ope exceptionis elidibile,ut plenè dictum eſt ſuprà *Tit.*3. *De Reſcriptis.* §.7. *num.* 172. *&* 173. Reſp. diſtinguendo conſequens. Ergo,ſi partes conſenſerint, poteſt Delegatus virtute ejus in cauſa procedere,ſi nondum pronunciaverit, ſe judicem eſſe in competentem,conceditur:poſtquàm ſic pronunciavit, negatur conſequentia. Quia ſecutâ tali ſententiâ interlocutoriâ illicò Reſcriptum,ſubreptitiè ad lites impetratum,extinguitur in totum; & jurisdictio Delegati,quæ anteà fuerat elidibilis ope exceptionis, nunc remanet eliſa, & extincta: unde hæc nequit ampliùs conſenſu partium conferri, ſeu reſuſcitari; & ſi ſecùs attentetur, proceſſus poſteà agitatus eſt nullus, *d.c. Significantibus.* & notat Abbas. *ibid. num.* 8. *h.t.* cum alijs.

Quæritur IV. Utrùm,& quâ ratione finiatur 135
officium Delegati per revocationem à Delegante,vel hujus Superiore factam? Reſp.I. Certum eſt, quòd officium Delegati expiret per revocationem delegationis, ſeu jurisdictionis ſuæ à Delegante,vel hujus Superiore factam,ipsìque debitè intimatam. Ita communis; & liquet ex *l. Judicium.* 58. *ff. de Judicijs.* ibi: *Judicium ſolvitur vetante eo,qui judicare juſſerat: vel eo etiam, qui majus imperium in eadem jurisdictione habet.*

Et quidem,ſi Princeps, ſive Judex ordinarius 136
inferior, jurisdictionem ſeu cauſam quandam delegaverit,poteſt ipſe hanc liberè revocare & hoc non ſolùm, quando res adhuc eſt integra, & judicium necdum cœptum à Delegato; ſed etiam re ampliùs non integrâ, ſive quando per citationem partis judicium ab iſto jam fuit inchoatum, imò & lis conteſtata. Gloſſa *in cit. l. Judicium. ff. de Judic.* id probans ex proximè allegato textu,quem ait,loqui in caſu,ubi *lis conteſtata erat;alioquin enim non eſſet judicium.* Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 33.*n.*6. Layman *in c. Venerabili.n.*4. *&* 5. *h.t.* & alij. Accedit ratio: quia talis Delegans ûtitur jure ſuo,& quaſi re propriâ; ſimúlque in conceſſione jurisdictionis ſemper intelligitur excepta Superioris authoritas, *arg.c. Venientes.* 19. *de Jurejurand.* cum ſimilibus.

Verùm loquendo de ſubdelegatione jurisdi- 137
ctionis, ſeu cauſæ per Delegatum Principis factâ, & an ipſe hanc revocare valeat, opus eſt diſtinctione. Et quidem imprimis certum eſt, quòd re integrâ poſſit delegationem pro ſuo arbitratu liberè revocare, causámque illam dijudicandam ipſemet reaſſumere: ſiquidem jurisdictio,quâ Subdelegatus nondum uſus fuit,non cenſetur in iſtum efficaciter tranſijſſe. Textus eſt *in c. Quamvis.* 6. *h. t. in* 6.

Si autem res ampliùs non ſit integra,putà quia 138
Subdelegatus negotium quaſi jam cœpit,ſaltem citando partes; tunc eſt diſtinguendum,an Delegatus Papæ totam ſuam jurisdictionem reſpectu illius cauſæ ſubdelegaverit, vel duntaxat partem, reſervando ſibi videlicet aliquid de jurisdictione reſpectu illius. Utrumque enim fieri poſſe,patet *ex c. Super quæſtionum.* §. 1. *&* §. *Porrò. h. t. & c. Judex.* 5. *eod. in* 6. & alibi.

In priori caſu,ſeu quando Delegatus Papæ cau- 139
ſam ſibi comiſſam ſubdelegavit in totum, nihil ſibi de jurisdictione reſervando;tunc re ampliùs nô integrâ,ſeu quando Subdelegatus jurisdictione uti jam cœpit,ſaltem citando partes,nequit is ampliùs revocare ſubdelegationē, & comiſſam alteri jurisdictionem; prout habetur *c. Venerabili,*

bili. 37. *h. t.* junctâ Gloſſâ, & DD. ibidem. Ratio eſt: quia talis Delegatus Papæ jam ſuo functus eſt officio, committendo in integrum alteri vices ſuas, ut ibidem loquitur Pontifex. Accedit, quòd ipſe reſpectu talis cauſæ privatus exiſtat omni jurisdictione, utpote quâ totâ ſe abdicavit delegando alteri ſimpliciter totum negotium, quæque in hunc jam efficaciter tranſijt, atque in eo per uſum ipſius perpetuata fuit; ut *cit. c. Quamvis. h. t. in 6.* argumento à ſenſu contrario deſumpto: atqui carens jurisdictione, nequit revocare delegationem alteri factam; ergo.

140 Econtrà in caſu poſteriori, ſeu quando Delegatus Papæ non totam cauſam ſubdelegavit, ſed duntaxat partem ejus, aliquid de jurisdictione ſibi reſervando; tunc poterit per ipſum re etiam non integra ſubdelegatio revocari. Gloſſa *in c. Super quæſtionum. §. Si verò. ℣. Si non poſſunt. h. t.* Barboſa *in cit. c. Quamvis. n. 6.* Pirhing *h. t. n.* 199. & alij. Ratio eſt: quia Delegatus Papæ ſubdelegans duntaxat partem cauſæ, ſeu aliquid de jurisdictione ſibi reſervans, manet adhuc ſuperior reſpectu talis cauſæ, utpote reſpectu cujus retinet jurisdictionem: unde etiam, ſi à Subdelegato appellari contingat, ad eum, non verò ad primum Delegantem, ſeu Papam appellari debet, *c. Si Delegatus. §. fin. h. t. in* 6. Ergo, ſicut Judex ordinarius, ita & talis Delegatus, poteſt pro ſuo arbitrio revocare delegationem, ſeu ſubdelegationem etiam re non integrâ, juxta *cit. l. Judicium. ff. de Judicijs.*

141 Reſp. II. Nihilominùs ſive Judex ordinarius, ſive Delegatus revocet delegationem, aut ſubdelegationem cauſæ, non anteà talis revocatio cenſetur vim, atque effectum ſuum ſortiri, donec ea Delegato fuerit legitimè inſinuata. Ita deſumitur *ex c. Cùm contingat.* 24. *de Reſcript. & c. Audita.* 4. *de Reſtitut. ſpoliat. & c. Si duobus.* 7. *de Appellat.* cum ſimilibus; ac tradit Gloſſa *in c. Auditis. ℣. Ad illum. de Procuratorib.* inter alia docens, quòd in Judice tenet, quod facit, donec intelligat jurisdictionem revocatam. Abbas *in d. c. Audita. n.* 13. *de Reſtitut. ſpoliat.* Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 30. *n.* 11. & alij. Ratio eſt: quia, per quas cauſas res naſcitur, per eaſdē diſſolvitur, ut *cap.* 1. *de Reg. Jur.* atqui jurisdictio nō priùs acquiritur Judici delegato, vel ſubdelegato, niſi poſt debitā ejus intimationē, ſeu præſentationē litterarū delegationis; ut *c. Super eo.* 12. *§. fin. de Appellat.* ergo nec aufertur. Accedunt incōmoda, quæ alioquin facilè ſequi poſſent; & ad quæ evitanda etiā error cōmunis jus tribuit; ut *l. Barbarius. ff. de Offic. Prætor.*

142 Intellige cum Abbate *loc. cit.* & alijs, dummodò Princeps, puta Papa, expreſsè non declaret, ſe nolle valere geſta per Delegatum ex tunc, quando eum revocat, decernendo v. g. irritum & inane quidquid ex tunc, ſeu à tempore factæ revocationis, ſcienter vel ignoranter per eundē contigerit attentari. Tunc enim hæc clauſula habebit effectum quoad inducendam nullitatē actûs in contrarium geſti; licèt non quoad incurrendum reatum culpæ, vel pœnæ, donec dicta revocatio fuerit Delegato legitimè intimata, ſive per litteras revocatorias, ſive per certum nuntium; ut in ſimili dictum eſt *Tit. De Conſtitutionibus. §.* 5. *n.* 108. & 109. Alioquin verò, ac ſecluſâ tali expreſsâ declaratione, non videtur Papa velle revocare, & annullare Proceſſum, intereà temporis à Delegato bonâ fide, ac ignoratâ ſuâ revocatione factum.

14 Verumtamen hoc ultimum, ſicut & data Concluſio, duntaxat procedit in caſu, quando exinde præjudicium generaretur tertio, ſeu parti ſecùs, ſi nullum inde præjudicium ſequitur tertio. Unde, ſi Papa cuipiam indulgeat, quòd excōmunicari non poſſit, non tenet excommunicatio, licèt fiat à Judice ignorante talem conceſſionem, ſeu reſtrictionem ſuæ jurisdictionis, *arg. cap.* 1. *§. Nec obſtaret. de Conceſſ. Præbend. in* 6. Abbas, *ubi ſuprà, num.* 14.

14 Quæritur V. Utrùm, & quomodo officium, atque jurisdictio Delegati ceſſet lapſu temporis, aut finito negotio? Reſp. I. Certum eſt, quòd quando Judici delegato cōmittitur cauſa infra certū tempus decidenda, lapſu præfixi diei expiret ipſius jurisdictio; niſi terminus ante lapſum ejuſdem diei de cōmuni partium conſenſu fuerit prorogatus. Textus eſt *in c. De cauſis.* 4. *& c. Conſuluit.* 24. *h. t.* Ratio eſt clara: quia tunc jurisdictio non niſi limitatè, ſeu ad tale tempus delegata videtur.

14 Porrò terminus delegationis incipit à die præſentationis Litterarum delegationis, caſu quo terminus per numerum dierum, menſium, vel annorum ſtatutus eſt, *arg. c. Super eo.* 12. *in fine. de Appellat.* Secùs, ſi ad certum diem, v. g. ad Feſtum S. Michaëlis Archangeli, vel menſem ſit decretus, *arg. cit. c. Conſuluit. h. t.*

14 Additur notanter in Concluſione, *niſi terminus ante ejus lapſum &c.* Nam ſpectato Jure cōmuni partes cōmuni conſenſu poſſunt terminum illū prorogare, ſicq; jurisdictionem Judicis delegati ulteriùs extendere, dumodò hoc fiat ante lapſū diei præfixi, *cit. c. De cauſis. h. t.* Secùs, ſi tēpus illud jam fuerit elapſum: nam hoc finito ſtatim expirat jurisdictio Delegati, ſicque ampliùs nequit prorogari; quia quod non eſt, prorogari nō poteſt. Abbas *in cit. c. De cauſis. n.* 7. & alij cōmuniter. Verùm de Prorogatione jurisdictionis plura in *Lib.* 2. *Tit.* 2. *De Foro Competenti.* §. 6. per totum.

14 Reſp. II. Inſuper jurisdictio Delegati ceſſat finito negotio, ad quod judex datus fuit, adeò ut poſteà eidē ſeſe interponere ampliùs non poſſit: quia jam cenſetur functus ſuo officio. Textus, & DD. *in c. in Litteris.* 9. *h. t.* Atq; hoc accidit imprimis poſt executionem ſententiæ diffinitivæ, quando eam Delegatus exequi poteſt; ut *cit. c. In litteris.* junctâ Gloſſâ *in Caſu. & ℣. Præcepit.* Vel, ſi eā executioni mandare nequit (prout de Delegato inferioris à Principe ſuprà *num.* 145. dictum fuit) poſt latam diffinitivam ſententiam; ita ut ſi ſemel pluris, vel minoris condemnavit, ampliùs corrigere ſententiam ſuam non poſſit. Semel enim, ſive benè, ſive malè, officio functus eſt,

ſicque

ſicque definit eſſe judex, *l. Judex. ff. de Re judicat.*

Quæritur VI. Utrùm, & quomodo recuſatione ceſſet officium Judicis delegati? Ubi prænotandum, quòd *Recuſatio*, quantùm ad propoſitū, ſit Judicis ſuſpecti, & jurisdictionis ejus, ob juſtā causā ſuſpicionis contra eum propoſitā, canonicè allegata declinatio. Ut ſi Delegatus ſit alterius partis litigantis dominus, *c. Cauſam. 17. h. t.* Aut conſanguineus, vel affinis, ſive nimiùm familiaris, *c. Inſinuante. 25. eod.* Vel ipſi recuſanti inimicus, ac hujusmodi, *can. Quod ſuſpecti. 3. q. 5.* Quo prænotato

Reſp. I. Recuſatione legitimè propoſitâ, & pronunciatâ ſuper eam ſententiâ, ſeu quòd Judex delegatus ſit ſuſpectus, officium hujus omninò extinguitur. Textus eſt *in c. Judex. 5. h. t. in 6.* & concordant alia Jura proximè allegata.

Dicitur primò, *Recuſatione legitimè propoſitâ.*
15 Nam, ſi hæc canonicè non proponatur, poteſt Delegatus, etiamſi ut ſuſpectus recuſari valeret, vi factæ ſibi comiſſionis in cauſa procedere, & quod juſtum judicaverit, pronunciare. Vel, ſi maluerit, ac Delegatus Papæ exiſtat, poteſt licitè alteri cauſam ſubdelegare, antequàm contra ipſum recuſatio proponatur. Et ſi quidem causā alteri comiſerit in totum, recuſari ulteriùs, aut facta per eum comiſſio, ſive ſubdelegatio impugnari nō poteſt: Secùs, ſi in parte ſolùm commiſiſſet, atq; aliquid de jurisdictione ſibi reſervâſſet. Patet hoc *ex cit. c. Judex. h. t. in 6.* & ampliùs tradit Barboſa *ibid. num. 3. & ſeqq.* aliique DD.

15 Et additur, *Pronunciatâ ſuper eam ſententiâ.* Nam poſt propoſitam etiam recuſationem, atque hancjam probatam, nondum in totum extinguitur jurisdictio talis Delegati ſuſpecti: quia poteſt adhuc cauſam illam alteri comittere, non quidem ſe ſolo, ſed accedente Recuſatoris aſſenſu. Secùs, ſi ſuper cauſa ſuſpicionis jam fuerit pronunciatū, atq; Judex delegatus ſit ſuſpectus pronunciatus: quia tunc omninò deſinit eſſe judex, ita ut nec de conſenſu Recuſatoris poſſit cauſam illam alteri committere, ſeu ſubdelegare. Patent hæc omnia *ex cit. c. Judex. h. t. in 6.* & tenet communis DD.

Reſp. II. Cauſa recuſationis Judicis delegati, 152
ſeu an ſuſpicio contra ipſum objecta ſufficienter probetur, regulariter per Arbitros ad hoc à partibus eligendos tractari, ac definiri debet. Ita habetur *in c. Suſpicionis. 39. h. t.* Ubi idcircò additur, quòd ne forſan negotium principale plùs debito protrahatur, poſſint dicti Arbitri aſſignare partibus competentem terminum ad probandam ſuſpicionis cauſam: & ſi ipſimet Arbitri fuerint diſcordes in ſententiando, iidem ut in unam ſententiam conveniant, vel tertium concorditer advocent, per eundem Judicem delegatum ſint cogendi.

Dicitur notanter in data Concluſione, *regulariter*, Nam fallit ipſa in tribus caſibus, *c. Si contra. 4. h. t. in 6.* expreſſis, in quibus cauſa ſuſpicionis non coram Arbitris tractari debet. Primus eſt, quando recuſatur unus ut ſuſpectus ex duobus Delegatis Papæ cum clauſula, *Quòd ſi ambo interesse non poſſunt, alter eorum in cauſa procedat:* nam tunc coram altero Condelegato non recuſato, cauſa ſuſpicionis proponenda, & probanda eſt. Secundus eſt, quando recuſatur Delegatus Epiſcopi: quia tunc cauſa recuſationis coram Epiſcopo eſt probanda. Tertius caſus eſt, quando recuſatur Officialis Epiſcopi: & tunc idem eſt dicendum, haud obſtante, quòd ad Epiſcopum ab ejusdem Officiali appellare non liceat. 153

Tacentur nonnulli alij modi levioris difficultatis, quibus finitur officium Judicis delegati. Ut fit, ſi plures Delegati ſimpliciter dati ſint, ac unus eorum moriatur: expirat enim etiam poteſtas cæterorum, *c. Uno Delegatorum. 42. h. t.* Vel ſi unus pluriumDelegatorum incidit in impotentiā juris, vel facti, nec eſt appoſita illa clauſula, *Quòd ſi non omnes &c. arg. c. Sciſcitatus. 14. de Reſcript.* ac notat Hoſtienſis *in Summa. num. 11. h. t.* Item, ſi Litteris delegationis Delegato oblatis, partes conteſtentur litem coram Judice ordinario: nam factâ per hunc citatione partium, perpetuatur jurisdictio ipſius, *arg. c. Gratum. 20. & c. Licèt undiq;. 30. h. t.* Partes enim tunc tacitè cenſentur renunciâſſe factæ delegationi, ubi litem, ſecutâ hujus conteſtatione, coram Judice ordinario cœperunt, *arg. l. Ubi acceptum. ff. de Judicijs.* Hoſtienſis *cit. n. 11. & n. 8. ℣. Quid ergo ſi libellus.* 154

§. VII.

De Appellatione à Judice delegato, vel ſubdelegato; ubi & de Conſervatoribus.

SUMMARIUM.

155. *Poteſt appellari à Delegato, vel Subdelegato.*
156. *Et quid de Delegato Papæ dato cum clauſula*, Appellatione remotâ.
Et Subdelegato per ipſum? Ibid.
157. *A mero Executore ſententiæ nequit appellari.*
158. *Quando Judex ordinarius cauſam delegavit, ſemper eſt appellandum à Delegato ad Delegantem.*
159. *Sicut & à Subdelegato appellatur ad Delegatum Papæ ſubdelegantem non in totum.*
160. *Adeò, quòd à tali Subdelegato regulariter non poſſit appellari ad Papam.*
161. *Solvitur inſtantia.*
162. *Secùs, ſi appelletur à Subdelegato alterius Delegati.*
163. *Quando Delegatus Papæ ſubdelegavit cauſam in totum,*

totum, non appellatur ad ipſum, ſed ad primum Delegantem, ſeu Papam.

164. *Enumerantur caſus, in quibus à Subdelegato appellatur ad Papam, licèt ejus Delegatus ſubdelegâſſet non in totum. Et num. ſeqq.*

165. *I. Quando talis Delegatus Papæ poſteà incurrit excommunicationem majorem.*

166. *II. Si ejusmodi Delegatus Papæ interim moriatur.*

167. *III. Si contra ipſum excipiatur, quòd non habuerit poteſtatem ſubdelegandi.*

168. *Conſervator, quis?*

169. *Solus Papa dat Conſervatorem, non Legatus ipſius.*

170. *Et quibus modis?*

Regulares ex privilegio Pontificio poſſunt eligere Conſervatores. Ibid.

171. *Officium, & poteſtas Conſervatorum, quæ?*

172. *Solùm defendunt ſibi commiſſos à manifeſtis injurijs; & quæ pœna ſecùs facientium?*

173. *Quid juris, ſi citatus objiciat, injuriam non eſſe manifeſtam, aut non factam.*

174. *Quæ requirantur, ut quis Conſervator deputari valeat?*

155 QUæritur I. An à Delegato, vel Subdelegato, poſſit appellari? Reſp. I. Certum eſt, quòd à Delegato, etiam Papæ, ac ſententiâ per ipſum latâ, quâ quis injuſtè ſe gravatū exiſtimat, appellari liceat: dumodò is non ſit datus cum clauſula, ut procedat *Appellatione remotâ*, nec aliud quid obſtet appellationem removens. Patet hoc *ex c. Super quæſtionum. §. Verùm. & ſeqq. h. t.* cum ſimilibus. Accedit ratio: quia appellatio eſt ſpecies quædam defenſionis, *c. Cùm ſpeciali.* 16. *§. Porrò de Appellat.* ſicque jure naturæ omnibus regulariter permiſſa eſſe debet: niſi ex ſpecialibus rationibus Princeps, ut puta Papa, cuipiam cauſam duxerit delegandam ſub clauſula illa, *Appellatione remotâ;* vel ob alias cauſas Jura litigantibus appellationem denegent: de quibus Gloſſa *in c. Romana. de Appellation. in 6.* ac ſuo loco ampliùs dicetur.

156 Reſp. II. Quamvìs à Delegato Papæ dato cùm clauſula, *Appellatione remotâ*, appellari non poſſit, niſi ubi iſtud à Jure expreſsè indulgetur, ut *c. Paſtoralis.* 53. *de Appellationib.* junctâ Gloſsâ *V. Expreſſè. & DD. ibid.* Si tamen Delegatus ille alteri cauſam, vel partem ejus ſubdelegaverit, licitum eſt ab hoc Subdelegato appellare. Ita deſumitur *ex cit. c. Super quæſtionum. §. Si verò. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 3. cū comuni; inde concludens, quòd Delegatus Papæ cum clauſula, *Appellatione remotâ*, non poſſit ſubdelegare cum dicta clauſula. Ratio eſt: tum quia hoc videtur eſſe privilegium perſonale, eò quòd Princeps, confiſus de induſtria perſonæ Delegati, commiſerit illi cauſam examinandam ſub clauſula illa, *Appellatione remotâ*: unde iſtud non eſt transmiſſibile in tertium, ſive in Subdelegatum. Tum quia delegare cum clauſula, *Appellatione remotâ*, eſt proprium ſupremo Principi, putà Papæ: cùm iſte ſolus contra Jura appellationem permittentia reſcribere, hancque removere valeat, non item ejus Delegatus. Engel *tit. de Appellat. n.* 31.

157 Reſp. III. Nihilominus à mero Executore ſententiæ, ſeu cui nudum miniſterium absque jurisdictione, ſeu cauſæ cognitione committitur, appellari non poteſt; niſi fortè modum exceſſerit. Ita deſumitur *ex d. c. Super quæſtionum. §. Nos autem. h. t.* junctâ Gloſſâ *V. Executorem*, & Abbate *ibid. n.* 11. ac alijs. Quia enim talis merè exequitur, quod ſibi injunctum eſt, non poſſum prætendere gravamen contra ipſum (niſi modum excedat) ſed ſi ſentio me gravatum, debeo appellare à Committente, qui id juſſit Executori. Concordat *l. Ab executione. C. Quorum appellat. non recip. & can. Ei qui appellat.* 2. *q.* 6. *§. Ab executione.*

Quæritur II. Ad quem ſit appellandum à Delegato, vel Subdelegato? Reſp. I. Quando Judex ordinarius cauſam delegavit, ſemper eſt appellandum à Delegato ad Delegantem, vel ejus Succeſſorem in officio. Textus eſt *in L. 1. ff. Quis & à quo appelletur. & l. Imperatores. §. 1. ff. de Appellat.* Et hoc procedit, ſive dein Judex ordinarius totam cauſam delegaverit, ſive partem tantùm; quia, licèt totam cauſam deleget, non tamen poteſt totam jurisdictionem à ſe abdicare, cùm eam habeat propriam, & ſtabilem vi officij; unde adhuc à Delegato ad ipſum appellari valet. Pirhing *h. t. num.* 107.

Reſp. II. Quando Delegatus cauſam alteri ſubdelegavit, non tamen in totum, ſed reſervatâ ſibi jurisdictione aliquâ, v. g. ſententiâ, vel ſaltē executione hujus; tunc pariter à Subdelegato appellatur ad Delegatum illum, qui ſubdelegavit: adeò quidem, quòd ſi ſubdelegans fuit Delegatus Papæ, regulariter non poſſit immediatè appellari ad Papam: ſecùs, ſi is ſubdelegâſſet cauſam in totum, nihil ſibi de jurisdictione reſervando, quia tunc à Subdelegato appellatur ad primum Delegantem, ſive ad Papam. Patet hoc totum *ex d. c. Super quæſtionum. §. Porrò. h. t.* ac notat Gloſſa *ibid.* & Abbas *num.* 4. ſolventes contraria. Prima pars habetur etiam *in c. Si Subdelegatus. 7. h. t. in 6. & L. un. C. Qui pro ſua jurisdict.* nam, cùm talis Delegatus aliquid de jurisdictione ſibi reſervârit, meritò ad ipſum, veluti immediatum Judicem, appellari poteſt, & appellatur.

Altera pars, nempe quòd in dicto caſu regulariter (quod additur ob dicenda *n.* 164. *& ſeqq.*) non poſſit à Subdelegato imediatè appellari ad Papam, præter *cit. §. Porrò*, habetur quoque *in c. Cùm te conſulente.* 18. *h. t.* juncto Summario, Abbate, Barboſa, aliiſque DD. ibidem. Ratio eſt: quia Delegatus Papæ, qui ſubdelegavit non in totum, ſed aliquid de jurisdictione ſibi reſervando, adhuc remanet judex, & gerit vices ipſius Papæ, atque in eo honoranda eſt poteſtas Papalis, *c. Sanè quia.* 11. *h. t.* cum concordantijs: & hinc, tum ad ipſius Delegati honorem, tum ad parcendum partium labori-

boribus, & expenſis, Pontifex decrevit, ut in tali caſu ad ipſum Delegatum, non verò ad Papam, im̃ediate appelletur. Vivianus *in Rationali Jur. Canon. ad cit. cap. 18. Cùm te conſulente.* Quinimò in dicto caſu temeraria foret appellatio ad perſonam Papæ, utpote quæ jam repreſentatur, & habetur in perſona ſui Delegati. Abbas *ind. c. Cùm te conſulente. n. 1. h. t.*

6 Nec obſtat *can. ad Romanam. 2. q. 6.* cum ſimilibus, ubi de omnibus Mundi partibus, atque omiſſo medio, poteſt immediate appellari ad Papam, veluti communem omnium Patrem. Nam hoc procedit regulariter: fallit autem in præfato caſu, ob allegatam rationem ſpecialitatis, ac proviſionis Apoſtolicæ.

6 Quòd ſi vero appelletur à Subdelegato alterius Delegati, quàm Papæ, v. g. à Subdelegato Delegati alicujus Epiſcopi ad univerſitatem cauſarum, nihil impedit, quò minùs omiſſo medio, ſeu dicto Delegato, im̃ediate appelletur ad Papam: quia tunc ceſſat præmiſſa ratio ſpecialitatis, ac proviſionis Apoſtolicæ; cùm talis Delegatus Epiſcopi nõ repræſentet perſonam Papæ. Decius *ibid. num. 1.* Pirhing *h. t. n.* 110.

5 Ultima tandem pars probatur ex eo: quia Delegatus Papæ ſubdelegans cauſam in totum, ac nihil de jurisdictione ſibi reſervans, deſinit eſſe judex reſpectu talis cauſæ; unde quia caret omni jurisdictione reſpectu hujus, fruſtrà & inaniter ad ipſum appellaretur, ac proin neceſſe eſt appellare ad primum Delegantem, putà ad Papam. Nec obſtat, quòd ad Ordinarium appelletur, etiamſi ipſe totam cauſam alteri delegâſſet, ut dictum *n.* 158. Non obſtat, inquam: quia, licèt Judex ordinarius totam cauſam deleget, non tamen idcircò totam jurisdictionem à ſe abdicat, nec abdicare valet, cùm eam vi ſui officij habeat propriam, & ſtabilem: unde non mirum eſt, quòd ad ipſum, veluti jurisdictione præditum, appellari valeat. Secùs eſt in dicto Delegato, qui cùm propriam jurisdictionem non habeat, ſed demandatam ſolùm, poteſt eam in totum abdicare, & abdicavit.

6 Reſp. III. Licèt regulariter à Subdelegato ſit appellandum ad Delegatum Papæ, qui ſubdelegavit non in totum, ut dictum *num. 159. & 160.* fallit nihilominùs hoc ipſum in certis caſibus, in quibus ad primum Delegantem, ſeu Papam appellari poteſt, ac debet, non verò ad ejus Delegatum ſubdelegantem. Ita communis; & patet inductione, enumerando tres tales caſus in Jure expreſſos.

16 Primus eſt: Quando ejusmodi Delegatus Papæ ſubdelegans non in totum, poſteà incurrit excommunicationem majorem: quia durante tali impedimento, ſi à Subdelegato appellari contingat, appellandum eſt ad Papam; ne alioquin expectando abſolutionem Delegati ſubdelegantis, præjudicari litigantibus, & cauſa plus æquo prorogari valeat. Textus eſt *in c. Si is cui. 10. h. t. in 6.* junctâ Gloſſâ, & DD. ibidem.

16 Secundus eſt: Si talem Delegatum Papæ, ſubdelegantem non in totum, intereà temporis mori contingat: idque procedit, quamvis delegatio facta ſit Dignitati, & non expreſſo nomine. Ratio eſt, quæ ſuprà, ne videlicet, donec Succeſſor eligatur, litigantibus præjudicetur, & cauſa plùs æquo protrahatur. Textus, & DD. *in cit. c. Si is cui*: ubi Vivianus *in Rationali*, poſt Geminianũ *ibid. n. 1.* iſtud extendit ad cauſam, quando Delegatus, qui ſubdelegaverat, eſſet valde remotus: quia militat tunc eadem ratio.

Tertius eſt: Quando pars citata à Subdelegato poſtmodùm excipit, quòd non teneatur coram eo reſpondere, eò quòd Delegatus ob mortem Papæ re integrâ ſupervenientem, vel aliâ de causâ, non habuerit jurisdictionem, & poteſtatem ſubdelegandi. Tunc enim, ſi Subdelegatus dictam exceptionem admittere recuſaverit, pars inde ſe gravatam ſentiens debebit appellare, non ad Delegatum ſubdelegantem (hujus enim jurisdictionem jam negavit; ſimúlque, ſi deberet appellare ad ipſum, cogeretur ſibi ipſi eſſe contraria, atque hoc ipſo fateri jurisdictionem ejus, quam anteà negaverat) ſed ad primũ Delegantem, ſeu ad Papam. Textus eſt *in c. Si à Subdelegato. 14. h. t. in 6.* ubi Gloſſa, & DD. ampliùs hoc explicant. Alia appellationem à Judice delegato concernentia videantur, hucque applicentur, in proprio Titulo, *De Appellationibus*, inſcripto. 167

Quæritur III. Quid ſit cenſendum de Conſervatoribus, eorúmque officio, & qualitatibus? 168
Reſp. I. *Conſervator* dicitur, qui à Papa datur ad defendendum aliquos adverſùs injurias, & violentias manifeſtas, absque indagine judiciali. Ita in re communis; & patet *ex cap. 1. & cap. ult. h. t. in 6.* ubi ob magnam convenientiam Judicis Conſervatoris cum Delegato, etiam de Conſervatoribus tractatur.

Dicitur imprimis, *qui à Papa datur.* Siquidem 169
quoad perſonas Eccleſiaſticas, earúmque res injuriam patientes, & conſervanda ipſarum jura, ſolus Papa poteſt dare Conſervatorem; non item Legatus à Latere, aut alius Eccleſiæ Prælatus. Emmanuel Rodericus *Tom. 1. Quæſt. Regul. q. 65. art. 2.* citans Jo. Andream, Ancharanum, Francum, & Dominicum. Pirhing *h. t. n.* 204. Azorius, & alij.

Sive dein Papa concedat Clerico cuipiam in 170
particulari Conſervatorem, datis Litteris per modum Reſcripti, ſive det Litteras in genere per modum privilegij perpetui; prout diverſi Summi Pontifices, ac præſertim Gregorius XV. *in ſua Conſtitutione 9.* quæ incipit, *Sanctiſſimus* (ac refertur *Tomo 3. Bullarij Romani*) conceſſit Regularibus, ut ſervatis ſervandis, quæ in Bulla citata exprimuntur, poſſint ſibi deputare, atque eligere Conſervatores, qui habeant facultatem defendendi ejuſmodi Regulares à manifeſtis injurijs, ac violentijs, quæ illis de facto inferuntur, dum à ſuis poſſeſſionibus dejjciuntur, & proprijs bonis uti, ac frui impediuntur. Fagnanus *in c. Si Clericus. n. 36. & ſeqq. de Foro compet.*

171 Dicitur ulteriùs, *ad defendendum aliquos &c.* Quibus, & ſubſequentibus verbis, inſinuatur officium, & poteſtas Judicis conſervatoris. Attendendo quippe nominis etymologiam, *Conſervator* dicitur à verbo *Conſervare*, quod propriè ſignificat, priſtinum jus retinere, *l. Per procuratorem. in fin. ff. de Procurat.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concluſ.* 759. *n.* 1. & alij. Atque hoc ipſum eſt officium Conſervatorum, de quibus in propoſito, conſervare videlicet priſtina jura ſibi comiſſorum, defendendo ipſos contra manifeſtas injurias, ac violentias, quibus à proprijs bonis deijciuntur, ſuiſque priſtinis juribus uti prohibentur.

172 Additur verò, *adversùs injurias, & violentias manifeſtas, abſque indagine judiciali.* Quia Conſervatores ſolùm à manifeſtis injurijs, & violentijs, judicialem indaginem non exigentibus, poſſunt ſibi commiſſos defendere, *cit. cap.* 1. *h. t. in* 6. Et ſi de alijs ſe intromiſerint, ſeu ad ea, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extenderint poteſtatem, ipſo facto per unum annum ab officio ſunt ſuſpenſi: & pars, quæ hoc fieri procuravit, excomunicationis ſententiam incurrit, à qua non poteſt abſolvi, niſi anteà illi, quem ſic indebitè fatigavit, integraliter ſatisfaciat de expenſis; prout habetur *cit. cap. ult. §. Ut autem. h. t. in* 6. Sufficit autem injuriam eſſe manifeſtam, ſive evidentiâ facti, ſive confeſſione Rei judicialiter factâ, *c. Cùm olim.* 24. *de Verb. ſignif. & cap. ult. de Cohabitat. Cleric.* quia neutrum horum ulteriori indagine judiciali indiget.

173 Quòd ſi verò Reus à Conſervatore citatus objiciat, injuriam non eſſe manifeſtam, aut quod fecit, ſe jure feciſſe: tunc Conſervator hoc ipſũ poteſt, ac debet cognoſcere, inquirendo, ac teſtes recipiendo ſuper notorcitate delicti, eâq; cognitâ ad fundandam ſuam jurisdictionem pronunciare, delictum, ſeu injuriam eſſe manifeſtam: alioquin proceſſus, atq; ſententia ipſius, quæ debet fundari ſuper notorio, foret nulla. Abbas *Conſil.* 100. *n.* 3. *lib.* 1. Card. Tuſchus *loc. cit. Concl.* 760. *n.* 3. Fagnanus *c. Si Clericus. n.* 14. *de Foro compet.* Layman *in c. Statuimus.* 1. *h. t. in* 6. §. *Quòd ſi verò.* & alij. Ratio eſt: quia Judicis eſt, cognoſcere poſſe, an ſua ſit jurisdictio, ut *l. Si quis ex alieno. ff. de Judicijs.* Alioquin quippe inutilis propemodùm foret poteſtas Conſervatoris, ſi Reo objiciente defectũ notorij, poteſtas ipſius ſtatim maneret ligata, adeò ut nec de ipſo cognoſcere valeret. Accedit, quòd ubi cauſa cuipiã comittitur, cenſeantur pariter ea omnia commiſſa, ſine quibus res expediri non poteſt, *c. Præterea.* 5. *h. t.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa *fin.* relatis.

Reſp. II. Ad hoc, ut quis à Sede Apoſtolica Conſervator deputari, aut virtute privilegij Apoſtolici eligi valeat, oportet, ut ſit Epiſcopus, aut eo ſuperior Prælatus, vel Abbas, ſive Dignitatem vel Perſonatum obtinens in Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata. Item, quòd non ſit de dominio, ſeu diſtrictu Eccleſiaſtico, vel temporali illius, cui datur Conſervator: exceptis illis, qui dantur Regibus, & Reginis. Item, quòd non ſit Conſervator Conſervatoris. Ita habetur deciſum *in cap. ult. h. t. in* 6. ubi plura de Conſervatoribus, juncto Concilio Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 5. *de Reform.* & Conſtitutione 3. Clementis VIII. quæ incipit: *Sanctiſſimus*: & cit. Conſtitutione 9. Gregorij XV. quæ pariter incipit, *Sanctiſſimus*, quarum utraque habetur *Tom.* 3. *Bullarij Romani.* De quibus omnibus inter alios latè tractat Emman. Rodericus *cit. Tom.* I. *Quæſt. Regul. q.* 65. *per viginti Articulos.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*
2. *Legati, unde ſic dicantur?*
   Oratores, ſeu Ambaſſiatores, qui? Ibid.
3. *Legati judices, qui?*
4. *Legati Apoſtolici alij ſunt judices, alij non.*
5. *Legatus Papæ, in quo differat ab ejus Delegato?*
6. *Legati judices Sedis Apoſtolicæ ſunt in triplici differentia.*
7. *Legati à Latere, qui, & unde ſic dicantur?*
8. *Legati miſſi, ſeu Nuntij Apoſtolici, qui, & à quo conſtituantur?*
9. *Et quales ad id muneris deputari ſoleant?*
10. *Legati nati, qui, & cur ſic appellentur?*
    Enumerantur horum aliqui. Ibid.
11. *Omnes Legati Sedis Apoſtolicæ habent jurisdictionem ordinariam. Et num. ſeqq.*
12. *Legati à Latere habent ſe ad inſtar Proconſulum; cæteri ad inſtar Præſidum.*
13. *Nomine* Legatorum Sedis Apoſtolicæ, *veniunt quicunque Legati ejusdem.*
14. *Officium omnium Legatorum, quod? Et num. ſeqq.*
15. *Poſſunt ijdem condere Statuta perpetua.*
16. *Et cauſas ſuorum Provincialium audire, ac terminare.*
17. *Etiam per ſimplicem querelam ad ipſos delatas.*
18. *Hoc ultimum tamen in Concilio Tridentino eſt correctum; ubi & de hujus novâ diſpoſitione.*

19. *Le-*

19. *Legati nequeunt ſe intromittere cauſis per Papam ſpecialiter alteri delegatis.*
20. *Poſſunt ijdem cauſas delegare.*
21. *Si quis eorum eſt Legatus in pluribus locis, poteſt negotia unius loci in alio expedire.*
22. *Non tamen debet partes invitas extra ſuam Provinciam trahere in aliam ad judicium.*
23. *Nullus ipſorum, inconſulto Pontifice, poteſt tractare majores Eccleſiæ cauſas.*
24. *Sunt devotè recipiendi, honorificè tractandi, ac in ſuis neceſſitatibus adjuvandi &c.*
25. *Legati à Latere habent plura ſpecialia. Et num. ſeqq.* *Poſſunt in ſua Provincia, quidquid poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. Ibid.*
26. *Præſente Legato à Latere, cæteri Legati deponunt ſua Inſignia, ac ſuſpenditur exercitium poteſtatis ipſorum.*
27. *Cardinali aſſerenti, ſe eſſe Legatum Sedis Apoſtolicæ, creditur abſque exhibitis litteris: ſecùs eſt in alijs.*
28. *Legatus à Latere poteſt abſolvere quoſcunque excommunicatos ob percuſſionem etiam enormem, imò & cædem Clerici, & undecunque venientes.*
29. *An etiam ab alijs excommunicationibus Papæ reſervatis poſſit abſolvere?*
30. *Et quid dicendum de Legato Miſſo, ac Nato?*
31. *Legatus à Latere poteſt conferre Beneficia, tempore ſuæ Legationis vacantia.*
32. *Ac etiam devoluta ad ſedem Apoſtolicam.*
33. *Beneficiáque impoſterum vacatura ſuæ reſervare collationi; & qualiter?*
34. *Nonnullis tamen Beneficijs exceptis; & quibus? Et num. ſeqq.*
35. *An is poſſit conferre Beneficia Papæ reſervata? Ac præſertim vacantia in Curia? Ibid.*
36. *Vel Beneficia juris patronatûs?*
37. *Aut litigioſa?* *Vel vacantia in menſibus alternis, ubi vigent Concordata? ibid.*
38. *Legatus à Latere poteſt Prælatis exemptis, ſi eligantur in Epiſcopos, concedere licentiam deſerendi Monaſterium.*
39. *Item poteſt confirmare electiones Epiſcoporum, & Abbatum exemptorum.* *Et quid in Germania, juxta Concordata? Ibid.*
40. *Legati non Cardinales nequeunt confirmare ejusmodi electiones, nec Beneficia conferre.*
41. *An Nuntij Apoſtolici cum poteſtate Legati à Latere miſſi, eandem cum his poteſtatem habeant? Ponuntur rationes ſententiæ affirmativæ.*
42. *Negativa ſententia, loquendo de extraordinarijs illorum conceſſionibus, probatur.*
43. *Solvantur rationes in oppoſitum.*
44. *Quibus modis finiatur officium Legati Sedis Apoſtolicæ. Et num. ſeqq.*
45. *An id finiatur per egreſſum Legati è Provincia ſua?*
46. *Ceſſat etiam illud relatione negotij ad Papam.*

1 QUandoquidem officium Legati partim convenit cum officio Delegati, cùm uterq; gerat vices Superioris; partim cum officio Ordinarij, cùm etiam illius officium ſit ordinarium: hinc meritò præſens Rubrica interponitur inter præcedentem, & ſubſequentem Titulum. Unde

2 Quæritur I. Legati generatim unde, & qui dicantur? Reſp. I. *Legati*, ex eo nomen trahunt, quia ut publicè mittantur, leguntur, indéq; legantur, ſeu ablegantur. Atq; generatim loquendo, iſtud fit dupliciter: nam aliqui legantur, ſeu mittuntur à Principe, vel Republica, ut nuntij, ad referendum videlicet mandata ſui Principalis, ſicque ad exercendum nudum miniſterium abſque alia jurisdictione. Et tales alio nomine vocantur *Oratores*, vulgò *Ambaſſiatores*. Atque hi, ſive ſint amicorum, ſive hoſtium, Jure gentium ab injurijs immunes ſunt ſervandi; hoc eſt, ut veniant, & redeant inviolati, etiamſi perferant atrocia, *can. Jus gentium. diſt. 1.*

3 Alij econtrà ſunt *Legati judices*, ſeu qui mittuntur, atque legantur cum jurisdictione ad gubernandam, v.g. certam Provinciam locò ſui Principalis. Et tales, loquendo de Jure Civili, ſunt, Legatus Proconſulis, & Legatus Præſidis, de quibus extant proprij Tituli, *Lib. 1. Digeſtorum.* fitque mentio *in cap. 2. h.t. in 6.* ubi etiam tales Legati reputantur Ordinarij, atque officium ipſorum ordinarium; prout amplius declarat Gloſſa *ibid.* ℣. *Reputantes.* Verùm impræſentiarum ſermo nobis eſt duntaxat de Legatis Sedis Apoſtolicæ: & de his loquendo,

Quæritur II. Quotuplex ſit Legatus Apoſtolicus? Reſp. I. Generatim de iſtis loquendo, imprimis alij ſunt *Legati nuntij*, & non judices: ut illi, quos ſæpè Papa mittit pro aliqua Ambaſſada, vel ad aliquod nudum miniſterium exercendũ. Alij verò ſunt *Legati judices*, quos nempe Papa mittens facit Ordinarios in certa Provincia; prout explicat Abbas *ad Rubric. h.t.* ſimúlq; liquere valet ex proximè dictis. Et de his poſterioribus tractat præſens Titulus, non de prioribus. 4

Additur notanter *in certa Provincia.* Per hoc ſiquidem differt Legatus Papæ ab ejus Delegato: nam Delegatus Pontificis dicitur ille, cui una tantùm, vel certæ duntaxat cauſæ comittuntur terminandæ; de quo proinde procedunt dicta *Tit. præced.* Econtrà Legato competit auctoritas cognoſcendi de omnibus cauſis commiſſæ ſibi Provinciæ, tanquam judici ordinario: unde longè major eſt poteſtas Legati, quàm Delegati Apoſtolici. Zoeſius *h. t. n. 2.* 5

Reſp. II. Legati judices Sedis Apoſtolicæ, ſeu quibus à Sumo Pontifice Civitas aliqua, vel Provincia cum ordinaria poteſtate comittitur gubernanda, ſunt in triplici differentia: videlicet Legati à Latere, Legati miſſi, ſeu Nuntij Apoſtolici, & Legati nati. Ita communis; atque deſumitur *ex cap. 1. & c. Excommunicati. 9. h.t. & cap 1.* junctâ Gloſſâ, ℣. *Legati. eod. in 6.* In quo priori 6

loco fit mentio de Legato nato; in altero autem de Legato à Latere, ac miſſo, & in tertio de omnibus tribus ſimul; hoc eſt, tam de Legatis à Papa miſſis, ſive ſint de Latere, ſive non, quàm de illis, qui *ſuarum prætextu Eccleſiarum Legationis ſibi vendicant dignitatem.* ut ſunt Legati nati. Et quidem

7 *Legati à Latere* dicuntur ſoli Cardinales, miſſi à Sūmo Pontifice ad obeundum alicubi Legationis officium. Et dicuntur, *à Latere*: tum quia Cardinales S. R. Eccleſiæ ad latus Pontificis aſſiſtunt, ac proin, quando mittuntur, rectè vocantur *Legati à Latere.* Tum quia Papa & Cardinales unum corpus myſticum faciunt, cujus caput eſt Papa, & membra ejus ſunt Cardinales, *arg. can. Si quis militibus. 6. q. 1.* ibi: *Nā & ipſi pars corporis noſtri ſunt.* Unde ſolis Cardinalibus hoc nomen propriè competit, non autem Archiepiſcopis, Epiſcopis, vel Capellanis, in Curia Papæ exiſtentibus, & ab ipſo miſſis, ut notat Gloſſa in *c. Excommunicatis. ℣. Commiſſam. h. t.*

8 *Legati miſſi,* ſeu *Nuntij Apoſtolici,* dicuntur, qui non ſunt Cardinales, tamen à Papa mittuntur ad aliquam Provinciam, vel etiam plures Provincias, ut ibi munus Legationis obeant. Et tales ſingillatim conſtituuntur à Summo Pontifice, communiter tamen prævio conſilio Cardinalium, *arg. c. Novit. De his quæ fiunt à Prælat.* quamvis etiam ſine hoc, ac pro ſuo arbitrio poſſit Pontifex cuipiam, quem idoneum judicaverit, officiū Legationis committere. Vallenſis *h. t. §. 1. n. 3.*

9 Licèt autem quicunque Clerici poſſint à Papa conſtitui tales Legati, ſeu Nuntij Apoſtolici; prout liquet in S. Franciſco Xaverio, cum Nuntij Apoſtolici poteſtate in Indias deſtinato, & pluribus alijs ex diverſis Ordinibus ad munus Nuntij Apoſtolici aſſumptis: ordinariè tamen non niſi Prælati, in quibus eſt Spiritus Dei, ac ſcientia Legis, ad id muneris deputantur, *arg. can. Si ergo. §. fin. 8. q. 1.* Siquidem hoc ipſum tendit in debitum reſpectum, majorémque reverentiam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ: nam, ubi Papa præſens eſſe non poteſt, per eum, qui mittitur, ejus repræſentatur authoritas, *can. Valdè. diſt. 94.*

10 *Legati nati* dicuntur, quorum Dignitati, quam in Eccleſia obtinent, munus Legationis eſt annexum. Ideóque *Nati* dicuntur, quia ſimul atque ad talem Dignitatem aſſumuntur, unà etiam fiunt, ac veluti naſcuntur *Legati Apoſtolici*, utpote cujus munus ſuæ Dignitati annexum habent. Talis Legatus Natus in Anglia eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, de quo fit mentio *in cap. 1. h. t.* & Archiepiſcopus Eboracenſis, *cap. 1. de Appellat.* In Gallia Archiepiſcopus Rhemenſis *c. Per venerabilem. 13. §. Verùm. Qui filij ſint legit.* In Italia Piſanus, in Hiſpania Toletanus, in Germania Salisburgenſis, in Bohemia Pragenſis Archiepiſcopus, & alij alibi, de quibus Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 27. quæſt. 1.*

11 Quæritur III. Quale ſit officium, atque poteſtas communis omnibus Legatis Apoſtolicis? Reſp. I. Quivis Legatus Sedis Apoſtolicæ reſpectu Provinciæ ſibi commiſſæ habet juriſdictionem ordinariam; unde hæc, ipſiúsque officium per mortem Papæ legantis non expirat, tametſi juriſdictione nondum uti cœperit, imò Provinciam ſuam necdum ingreſſus fuerit. Ita deſumitur ex *c. Legatos. 2.* junctâ Gloſsâ, *℣. Declaramus. h. t. in 6.* ac tradit Layman *ibid. num. 1.* & alij.

12 Ratio eſt: quia Legati Papæ ad aliquam Provinciam deſtinati, habent ſe ad inſtar Proconſulum, cæterorúmque Præſidum, qui ab Imperatore ad regendam certam Provinciam mittuntur, per textum in *cit. c. Legatos.* Atqui Proconſules (quibus æquiparantur Legati à Latere) ac Præſides (quibus cæteri Legati Sedis Apoſtolicæ comparantur, juxta Gloſſam *in d. c. Legatos. ℣. Proconſulum.*) habent juriſdictionem ordinariam; ut *L. 4. & ſeqq. ff. de offic. Proconſul. & L. 3. & ſeqq. de Offic. Præſid.* ergo idem dicendum de Legatis Pontificijs. Accedit, quòd Legatus Papæ ſit, ac eſſe dicatur, Legatus Sedis Apoſtolicæ; ut *c. Dilectus. 6. & cap. ult. h. t.* & alibi paſſim. Ergò cùm ipſa Sedes Apoſtolica nunquam moriatur, *c. Si gratiosè. 5. de Reſcript. in 6.* haud mirum, quòd per obitum Papæ legantis, non expiret officium Legati ſui.

13 Additur notanter, *Quivis Legatus Sedis Apoſtolicæ &c.* Nam, quòd in Provincijs ſibi demandatis habeant juriſdictionem ordinariam, convenit omnibus tribus Legatorum ſpeciebus proximè enumeratis. Nomine enim *Legatorum Sedis Apoſtolicæ* ſimpliciter poſito, ac niſi aliunde pateat differentia, veniunt quicunque Legati ejuſdem; ut cit. Gloſſa in *c. Statutum. ℣. Legatorum. de Reſcript. in 6. & c. Privilegium. ℣. Legato. de Verb. ſignif. in 6.* Abbas *cap. ult. num. 1. h. t.* Vallenſis *ibid. §. 2. n. 1. & 3.*

14 Reſp. II. Officium omnium dictorum Legatorum generatim loquendo eſt, ut in Provincijs ſibi commiſſis nomine Domini Papæ, cujus vices gerunt, *evellant, & diſſipent* vitia: *ædificent, & plantent* virtutes. Textus eſt *in cit. c. Legatos,* junctâ Gloſſâ ibidem: & concordat *cap. 1. de Offic. Ordinar.* Unde ad ipſorum officium pertinet, ſupremam quoad ſpiritualia, atque Eccleſiaſtica negotia inſpectionem ibidem habere, Principes & Populos in Fide Catholica, & debitâ Sanctæ Sedi Apoſtolicæ obedientiâ & reverentiâ conſervare, Conſtitutiones Pontificias in uſum deducere, aut quò minus juxta ſtatum Provinciarum hoc fieri poſſit, Sūmum Pontificem informare, aliáque utilitatem Eccleſiæ concernentia ad eundem referre; prout olim in ſimili, ſeu quantùm ad Regimen politicum Romani Imperij attinebat, etiam fecerunt Proconſules, ac Præſides Provinciarum, quibus quoad Eccleſiaſtica æquiparantur Legati Pontificij, ut dictum. Engel *h. t. n. 3.*

15 Reſp. III. Rurſus omnibus Papæ Legatis commune eſt, quòd in Provincijs ſibi comiſſis circa ea, quæ vitiorum correctionem, diſciplinam Eccleſiaſticam ſtabiliendam, & alia hujusmodi ad ipſorū juriſdictionem pertinentia concernunt, vale-

valeant Statuta condere, quæ ſint perpetua, ac vim obligandi habeant etiam finito ſuæ Legationis officio. Textus eſt *in cap. ult. h. t.* qui cùm non diſtinguat inter Legatos à Latere, Miſſos, ſive Natos, generaliter eſt intelligendus de omnibus; ut præter Gloſſam *n.* 13. citatã, notat Abbas *ibid. n.* 1. Idq; verò verum eſt, ut Legatus Papæ in ſpectantibus ad ſuam jurisdictionem, poſſit etiam ſolus facere Statuta perpetuò duratura; atque, ſi ita expedire judicaverit, antiqua revocare. Dumodò tamen nihil ſtatuat, contra Sacros Canones generales: his enim nequit Legatus derogare, cùm inferior non poſſit tollere legem Superioris, *can. Inferior. diſt.* 21. Et dummodò nihil ſtatuat in concernentibus aliorum præjudicium, ſeu negotium: quia tunc debet haberi eorum conſenſus, prout limitat Innocentius, & Abbas in *cit. cap. ult. h. t.*

1 Reſp. IV. Inſuper ad officium quorumvis Legatorum Sedis Apoſtolicæ pertinet, cauſas ſuorum Provincialium, ſive per appellationem ad ipſos devolvantur, ſive etiam (ſpectato Jure antiquo) in prima inſtantia, ac per viam ſimplicis querelæ ad eos deferantur, audire, & cognoſcere, ac debito fine terminare. Ita liquet *ex cap.* 1. *h. t.* ac notat Gloſſa *ibid. v. Legationis.* & Abbas *n.* 3. citans DD. communiter. Ratio eſt: quia Legati Papæ ad inſtar Proconſulum, & Præſidum, ſunt ordinarij Judices in ſuis Provincijs; ita ut concurrant cum Epiſcopo, & quocunque alio Ordinario loci in omnibus cauſis Subditorum: atqui, ubi plures concurrunt Ordinarij, optio eſt Actoris, ut eligat quem maluerit, juxta Gloſſam comuniter receptã in *c. Dilecti. §. Ubi domicilium. de Foro compet.* ergo idem dicendum in propoſito.

1 Unde in *cit. cap.* 1. *h. t.* definitur, quòd, licèt Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui ſimul erat Legatus natus, jure Metropolitico, ſeu quatenus Archiepiſcopus, non potuerit audire cauſas eorum, qui de Epiſcopatibus Suffraganeorum ſuorum advenerant, niſi per appellationem deferrentur ad ipſum: tamen *Legationis intuitu*, ſeu ut Legatus Papæ, potuerit ac debuerit audire omnes ipſorum cauſas, non ſolùm per appellationem, ſed etiam per ſimplicem querelam ad ipſum delatas; *ſicut qui in Provincia ſua vices noſtras gerere comprobatur:* prout rationem præmiſſorum redditurus, ſubjungit Pontifex ibidem.

1 Et hæc procedunt ſpectato Jure antiquo, prout in data Concluſione rectè limitatur. Siquidẽ Jure novo Concilij Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* præfata poteſtas Legatorum non nihil limitata fuit, ſtatuendo inter alia, quòd omnes cauſæ Eccleſiaſticæ in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoſcantur: & ad Judicem ſuperiorem, ut puta Legatum Papæ, nullus recurrere poſſit, niſi Ordinarius loci infra biennium, à die motæ litis numerandum, cauſam terminare neglexerit; vel niſi à ſententia definitiva, vel vim definitivæ habente, ad eundem Legatum appellaverit: prout ampliùs liquet ex textu *cit. cap.* 20. junctis illis, quæ circa ipſum appellationis proceſſum obſervanda decrevit idem Concilium Tridentinum *Seſſ.* 13. *cap.* 3. *& Seſſ.* 22. *cap.* 7. *de Reform.*

19 Limitatur quoque data Concluſio in cauſis illis, quæ per Papam ſpecialiter cuipiam alteri delegantur. Quia enim tunc mandatum ſpeciale derogat generali; hinc cauſis illis Legatus ſeſe intromittere nullatenus poteſt. Textus, & DD. *in c. Studuiſti.* 2. *h. t.*

20 Reſp. V. Ulteriùs quilibet Legati Sedis Apoſtolicæ poſſunt cauſas ad ſe pertinentes alijs delegare: ita tamen, ut horũ jurisdictio re integrâ, ſeu niſi ipſa per citationem partium jã præmiſſam fuerit perpetuata, expiret unàcum Legati officio, ſeu finitâ hujus Legatione. Textus eſt *in cit. cap. ult. h. t.* & ibi Abbas, & DD. communiter.

21 Reſp. VI. Conveniunt quoque omnes Legati Papæ in eo, quòd ſi quis ipſorum fuerit Legatus in pluribus locis, ſeu Provincijs, poſſit in quacunq; parte Legationis exiſtens jurisdictionem ſuam exercere: adeò, quòd negotia unius loci poſſit in alio explicare, ac terminare. Ita deſumitur ex *c. Novit.* 7. *h. t.* ac tradit Abbas *ibid. in Summario*, & communis; atque ſequitur Vallenſis *h. t. §.* 2. *n.* 3. ac Pirhing *eod. n.* 34. iſtud cum alijs intelligentes de cauſis tum voluntariæ, tum contentioſæ jurisdictionis.

22 Verumtamen Legatus ad plures Provincias deſtinatus non debet partes invitas extra ſuam Provinciam, in qua commorantur, ad judicium trahere in aliam: hoc enim, ne partes nimiùm fatigentur laboribus, & expenſis, Jura vetant, *can. Neminem.* 3. *q.* 6. & notat Abbas *d. c. Novit. n.* 2. *h. t.* quamvis contrarium teneat Vallenſis *cit. n.* 3. Igitur in tali caſu Legatus ejusmodi vel poterit cauſam alteri delegare: ut *cap. ult. h. t.* Vel in altera Provincia Vicarium loco ſui conſtituat, ſicut Epiſcopus: nam etiam Proconſules ac Præſides Provinciarum, quibus æquiparantur Legati Sedis Apoſtolicæ, olim Vicarios conſtituere poterant; ut patet ex *l. Obſervare. §. fin. & l. Meminiſſe. ac ſeqq. ff. de Offic. Proconſul.* Pirhing *cit. n.* 34.

23 Reſp. VII. In eo etiam conveniunt Legati Sedis Apoſtolicæ, quòd nullus ipſorum, ne quidẽ Legatus Cardinalis, poſſit inconſulto Pontifice tractare majores Eccleſiæ cauſas, ac Papæ ſpecialiter reſervatas. Ita certa, & comunis. Sic Legatus etiam à Latere, ex generali comiſſione Legationis, non poteſt transferre Epiſcopum ab una Eccleſia ad aliam, *c. Niſi ſpecialis.* 3. *h. t.* Neque poteſt unam Eccleſiam Cathedralem ſubjicere alteri, nec duos Epiſcopatus unire, neque unum dividere abſque ſpeciali licentia Papæ, *c. Quod translationem.* 4. *h. t.* cum ſimilibus caſibus, qui in ſignum privilegij ſingularis ſunt tantùm Summo Pontifici reſervati, atque à Gloſſa magna *in cit. c. Quod translationem.* enumerantur.

24 Reſp. VIII. Tandem, ut nonulla alia taceantur, conveniunt omnes Legati Sedis Apoſtolicæ in hoc, quòd ubi conſtiterit de eorum Legatione, & adventu, illi devotè ſint recipiendi, tractandi, & hono-

honorandi, veluti vices ipſius Sūmi Pontificis tunc gerentes, *can. 1. & 2. diſt. 94.* Ac, quòd eisdem præſtentur debitæ procurationes; adeò, ut his ullo tempore, etiam immemoriali, præſcribi non poſſit, *c. Accedentes. 11. de Præſcript.* Atque inſuper in eundo, & redeundo, per Ordinarios locorum, ubi tranſeunt, honorificè tractentur, & in ſuis neceſſitatibus adjuventur; prout ſeſe facturos ſinguli Epiſcopi in ſua Conſecratione jurant, *c. Ego N. 4. de Jurejurand.* juncto Pontificali Romano, *tit. de Conſecratione Electi in Epiſcopum.* Quòd ſi qui ſecùs facere, ac Legatos Apoſtolicos non admittere, ſeu in officio Legationis impedire præſumpſerint, ipſo facto excommunicationem incurrunt, & eorum terræ Eccleſiaſtico interdicto ſubijciuntur, donec reſipiſcant. *Extravag. Super gentes. de Conſuetud. inter Communes.*

25 Quæritur IV. Quæ ſint ſpecialia in Legatis à Latere? Reſp. I. Cùm Legatus à Latere non niſi Cardinalis exiſtat, hinc ipſe, ſicut excellentiâ dignitatis, ita etiam poteſtatis prærogativâ cæteris multùm eminet. Et quidem imprimis Legatus à Latere poteſt in ſua Provincia, quidquid de jure, vel conſuetudine poſſunt Epiſcopi in ſua Diœceſi, aliíque Prælati intra eandem Provinciam exiſtentes in proprijs Territorijs: ipſe enim eſt Ordinarius in illa Provincia, & quidem gerens vices Domini Papæ. Speculator *tit. de Legato. §. Nunc oſtendendum. n. 54.* Nicol. Garcias *de Beneficijs, part. 1. cap. 5. n. 283.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 5. n. 24.* Sanchez *lib. 8. de Matrim. diſp. 9. n. 15.* & alij.

26 Deinde, præſente Cardinale à Latere, reliqui Legati debent Inſignia ſuæ Legationis deponere; hoc eſt, non poſſunt ea deferre, nec officiū, ac poteſtatem Legationis (absque ſpeciali ejus comiſſione) ſive quoad jurisdictionem contentioſam, ſive quoad voluntariam, tunc exercere: atque ideò, quamdiu Legatus Cardinalis præſens eſt, licèt cæterorum poteſtas non expiret, ea tamen quoad exercitium ſuſpenditur, per textum, & DD. *in c. Volentes. 8. h. t.* Concordat *can. Denique. diſt. 21. & c. Antiqua. 23. de Privileg.* Speculator *tit. de Legato. §. Sequitur videre. num. 4.* Pirhing *h. t. n. 17.* & alij.

27 Tertiò, Cardinali aſſerenti, ſe eſſe Legatum Sedis Apoſtolicæ, circa ordinariam hujus poteſtatem creditur, etiamſi litteras non exhibeat ſuæ Legationis teſtes, *arg. can. Nobiliſſimus. diſt. 97.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 4. n. 63.* Card. Tuſchus *Litt. C. Concl. 103. num. 4. & 5.* Vallenſis *h. t. §. 2. n. 4.* & alij. Idque propter excellentiam & authoritatem Cardinalis S. R. Eccleſiæ, atque ex æquitatis decore fieri debere, inquit Layman *in c. Quod tranſlationem. num. 5. h. t.* Secùs eſt in alio Legato conſtituto: nam huic non creditur, niſi exhibeat litteras ſuæ Legationis, ut *cit. can. Nobiliſſimus.* & ibi Gloſſa *1. & 2. & L. un. C. de Mandat. Princip.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 27. q. 8.* Vallenſis, & alij.

28 Quartò, Legatus à Latere poteſt à die egreſsûs ſui ex Urbe, uſque ad diem reditûs in eandem, abſolvere quoscunque excommunicatos ob percuſſionem Clerici, etiam enormem, ſive dein ſint ſubditi, hoc eſt, de Provincia ſuæ Legationis, ſive extranei, ac undecunque venientes, *c. Quod tranſlationem. 4. h. t. & c. Excommunicati. 9. eod.* argumento à ſenſu contrario deſumpto; *& c. Ad eminentiam. 20. de Sent. excommunicat.* Gloſſa *in d. c. Excommunicati. ℣. Mittuntur. h. t.* Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 5. num. 27.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 32. quæſt. 6.* iſtud amplians ad talem percuſſionem Clerici, quæ fit cum cæde, aut ſanguinis effuſione Clerici.

Ab alijs tamen excommunicationibus Papæ reſervatis, absque ſpeciali hujus commiſſione, nequit abſolvere Legatus à Latere: quia iſtud in Jure non reperitur expreſſum: & ubi aliquid generaliter eſt prohibitum, ut puta abſolvere à reſervatis Papæ, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum, *cap. 1. de Supplend. negligent. Prælat. in 6. & Clem. Exivi. §. Porrò. de Verb. ſignif.* Simúlque in exorbitantibus non fit extenſio à caſu ad caſum, *c. Is qui. de Filijs Presbyt. in 6. & c. Quæ à Jure. de Reg. Jur. in 6.* Abbas *in cit. c. Excommunicati. n. 4. h. t.* Gloſſa in *c. Quod tranſlationem. ℣. Reſervata.* & Barboſa *ibid. num. 2. h. t.* cum alijs docens, quòd in generali commiſſione Legati à Latere non tranſeant caſus Papæ reſervati. Verumtamen idem Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 5. n. 26.* limitat hoc in illis, quæ ſpecialiter ſunt ſolita concedi Legatis: nam talia veniunt generali mandato Legati, quamvis eſſent de Papæ reſervatis. Quinimò Azorius *cit. quæſt. 6.* & Barboſa *d. cap. 5. n. 27.* cenſent, quòd Legatus poſſit abſolvere ab alijs excommunicationibus Papæ reſervatis: niſi excommunicatio ita fuerit Papæ reſervata, ut in ipſa conſtitutione expreſsè dicatur, quòd à nullo alio, niſi à Papa, poſſit quis abſolvi; prout fit *in Clem. Gravis. de Sentent. excomm.* & alibi. 29

Porrò Legatus non de Latere, ſeu Miſſus, extra Provinciam ſibi decretam non poteſt abſolvere excommunicatos pro violenta manuum injectione in Clericos: ac intra Provinciam abſolvit tantummodò ſubditos ſuos, non autem aliunde accedentes. Legatus Natus verò ne quidem ſubditis (ſeclusâ ſpeciali commiſſione) hanc abſolutionem impertiri valet. Textus, & DD. *in cit. c. Excommunicati. h. t.* 30

Quintò, Legatus à Latere poteſt conferre Beneficia, quæ in Provincia ſibi decreta tempore ſuæ Legationis vacant: *ut c. Dilectus. 6. h. t. & cap. 1. eod. in 6.* cum concordantijs. Imò ſpectato Jure communi, concurrit ipſe cum quolibet Ordinario Provinciæ ſuæ in collatione Beneficiorum; adeò, ut inter ipſos, ſimul & Papam, locus ſit præventioni, *c. Si à Sede. 31. de Præbend. in 6.* Nicol. Garcias *de Beneficijs, part. 5. cap. 3. num. 40. & ſeqq.* allegans Deciſionem Rotæ *in una Aſſiſien. Beneficij, 9. Martij, 1587. coram D. Orano.* Barboſa *cit. lib. 1. cap. 5. n. 28. & ſeqq.* & communis. 31

Poteſt etiã Legatus à Latere ex officio Legationis 32

tionis conferre Beneficia ad Sedem Apoſtolicam devoluta, ſive ex negligentia, ſive ex delicto Inferiorum; eò quòd gerat vices Domini Papæ in Provincia. Idipſum deſumitur ex *c. Venerabilis.* 37. *de Præbend.* ubi Legatus tale Beneficium contuliſſe legitur; ac notat Gloſſa *fin. in cap.* 1. *h. t. in* 6. Speculator *tit. de Legato.* §. *Nunc tractemus. n.* 1. Garcias *cit. cap.* 3. *n.* 20. Barboſa, *ubi ſuprà, n.* 31. *& ſeqq.* citans plurimos alios. Confert inſuper Legatus à Latere Beneficia ad Epiſcopum devoluta, idque jure præventionis, dummodò præveniat: habet enim concurrentem cum quolibet Ordinario ſuæ Provinciæ in collatione Beneficiorum poteſtatem, ut proximè dictum. Garcias, & Barboſa, *ubi ſuprà,* & alij.

Quin etiam poteſt Legatus à Latere ea Beneficia impoſterum vacatura ſuæ reſervare collationi, quæ cæteroquin poteſt conferre, *c. Præſenti.* §. 1. *h. t. in* 6. Speculator *tit. de Legato.* §. *Nunc tractemus. n.* 2. Garcias *cit. part.* 5. *cap.* 3. *n.* 34. *& ſeqq.* Barboſa *d. cap.* 5. *n.* 55. cum plurimis alijs. Ita tamen, ut Legatione finitâ expirent reſervationes ejusmodi, quando ad talium Beneficiorum collationem nondum eſt proceſſum: ſimúlque unâ pendente reſervatione, Legatus aliam in eadem Eccleſia, vel reſpectu ejusdē Collatoris, aliquatenus non faciat: hoc enim expreſsè reperitur prohibitum in *cit. c. Præſenti.* §. *Cæterùm. h. t. in.* 6. ubi Gloſſa, & Doctores proximè allegati ampliùs hoc declarant.

Excipiuntur tamen hinc Eccleſiæ Cathedrales, ac Regulares, & Collegiatæ; hoc eſt, Dignitates principales de dictis Eccleſijs, puta, Epiſcopatus, Abbatia, Prioratus, & his ſimilia, *c. Deliberatione.* 4. junctâ Gloſsâ *℣. Eccleſias. h. t. in* 6. Item Dignitates poſt Epiſcopatum majores in Eccleſijs Cathedralibus, quæ ſunt electivæ: nam tales non poteſt Legatus à Latere conferre, aut ſibi reſervare, *cit. c. Deliberatione.* etſi ſecùs ſit de Canonicatibus dictarum Eccleſiarum, ut notat Gloſſa *ibid.* *℣. Eccleſias.*

Inſuper Legatus à Latere non poteſt conferre Beneficia per Papam ſuæ collationi ſpecialiter, vel generaliter reſervata, ſine ejus commiſſione ſpeciali, Barboſa *ubi ſuprà.* Garcias *cit. cap.* 3. *n.* 53. poſt Rotam *in Regiens. Canonicatûs* 17. *Nov.* 1595. Azorius *part.* 2. *cap.* 28. *quæſt.* 15. Pirhing. *h. t. n.* 25. & alij: nam in reſervatis Sum̃o Pontifici Legatus non poteſt ſe intromittere absq; ſpeciali mandato, *c. Quod translationem. h. t.* Quinetiam, quamvìs Legatus habeat ſpecialem facultatem conferendi Beneficia reſervata, non idcircò poteſt conferre Beneficia vacantia in Curia, niſi hoc ipſum ſpecialiter & expreſsè eidem fuerit conceſſum, juxta textum notabilem in *c. Licèt Eccleſiarum.* 2. *de Præbend. in* 6. Garcias *loc. cit. n.* 55. Addit Barboſa *cit. cap.* 5. *n.* 47. poſt Eraſmum à Cockier, quòd Legatus etiam non poſſit conferre Beneficia, quæ ad collationem Epiſcopi ſpectāt jure ſpeciali, ſeu delegato à Papa.

Ulteriùs Legatus à Latere nequit conferre Beneficia jurispatronatûs Laicorum, quando iſtis jus illud competit ex fundatione, vel dotatione. Idque fit ex eo, ne Patroni ex ſuis bonis patrimonialibus fundantes, aut dotantes Eccleſiam, facilè priventur jure ſuo, ſicque tum ipſi, tum alij retrahantur à fundatione, & dotatione aliarum Eccleſiarum, *c. Cùm Dilectus.* 28. junctâ Gloſsâ, *℣. Quempiam præſentare. de Jurepatron.* & alia Gloſſa in *Clem. Per litteras. ℣. Apoſtolicis. de Præbend.* Rebuffus *in Praxi Benefic. tit. Forma Signaturæ* §. *Tertia pars Signaturæ. ℣. Nec non jurispatronatûs. n.* 30. Garcias *d. part.* 5. *cap.* 3. *n.* 93. & alij. Idque etiam procedit in Beneficijs jurispatronatûs mixti: quia adhuc talia Legatus ille conferre nō poteſt, ob rationem jam allatam. Federicus de Senis *Conſil.* 65. §. *Ad primum.* Card. Tuſchus *Lit. L. Concl.* 172. *n.* 10. Barboſa *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 5. *n.* 45. Garcias *loc. cit. n.* 67. & alij. Secùs dicendum de Beneficijs jurispatronatûs Eccleſiaſtici: nam iſta Legatus à Latere poteſt conferre, etiam non factâ mentione, vel derogatione dicti juris patronatûs; ut *c. Dilectus.* 6. *h. t.* Idémque dicendum de Beneficijs jurispatronatûs Laicorum ex privilegio, vel præſcriptione duntaxat acquiſiti: quia in his ceſſat ratio retractionis à fundatione, vel dotatione Eccleſiarum, de qua ſuperiùs, ac proin benè poteſt talia Legatus conferre. Federicus de Senis, *ubi ſuprà.* Card. Tuſchus *d. Concl.* 172. *n.* 3. Garcias *loc. cit. n.* 72. Barboſa *num.* 46. & alij.

Rurſus non poteſt Legatus conferre Beneficia litigioſa, *cap.* 1. *&* 2. *Ut lite pendente &c.* Generaliter enim lite pendente nihil eſt iñovandum, ne inde collitiganti quoquo modo præjudicium generetur, vel cauſa ipſius durior evadat. Inſuper probabilius eſt, Legatum à Latere non poſſe conferre Beneficia, in menſibus alternis præveniendo Ordinarios Collatores contra mentem Concordatorum inter Sedem Apoſtolicam & certas Nationes initorum, ut in Germania: talia enim Concordata habent rationem pacti, cui nec Summus Pontifex derogare ſolet, quamvìs abſolutè de plenitudine poteſtatis ſuæ poſſet. Pirhing. *h. t. n.* 25. *verſ. Limitatur* 3. licèt contrarium teneat Garcias *cit. cap.* 3. *n.* 42. *& ſeqq.* allegans pro ſe Deciſionem Rotæ. 37

Tandem, ut nonnullæ aliæ horum Legatorum prærogativæ taceantur, de quibus fusè Barboſa *cit. lib.* 1. *Juris Eccleſ. univ. cap.* 5. *per totum* tractat, Legatus à Latere, utpote qui majus omnibus poſt Romanum Pontificem in Provincia ſibi decreta imperiū habere dignoſcitur, poteſt Prælatis exemptis, ac Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjectis, ſi eligantur in Epiſcopum, concedere licentiam deſerendi ſuum Monaſterium, & ad Eccleſiam ſui Epiſcopatûs tranſeundi, *c. Si Abbatem.* 36. §. 1. *de Electione. in* 6. 38

Poteſt etiā ex officio ſuo confirmare electiones Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Abbatum Exemptorum; uti habetur expreſſum in *cit. c. Si Abbatem* §. *Hujusmodi. eod. in* 6. In Germania verò tam Abbatum exemptorum, quàm Epiſcoporum confirmatio, Summo Pontifici eſt 39

ſpecialiter reſervata in Concordatis Germaniæ; prout liquet ex horum tenore §. 3. Engel *tit. de Electione*, *n.* 5. Pirhing *eod. n. 305.*

40 Alij verò Legati, qui non ſunt Cardinales, ſeu de Latere, neque poſſunt ejusmodi electiones confirmare, niſi id eis à Sede Apoſtolica ſpecialiter fuerit cōmiſſum, *cit. §. Hujusmodi.* Nec ullatenùs valent conferre Beneficia, ſine alia ſpeciali conceſſione Pontificia, *text. clar. cap.* 1. *h.t. in 6.*

41 Quæritur V. Utrùm Nuntij Apoſtolici cum poteſtate Legati à Latere miſſi, eandem cum Legatis Cardinalibus poteſtatem habeant? Affirmat Garcias *part.* 5. *de Beneficijs. cap.* 3. *n.* 82. & Zoëſius *h. t. n.* 15. hinc inferens, quòd etiam talis Legatus poſſit conferre Beneficia, concurrendo cum ordinarijs Collatoribus; favetque huic ſententiæ Gloſſa *fin. cap.* 1. *h.t.* Tum quia dicta clauſula quidpiam debet operari, ne ſit ſuperflua. Tum quia *L.* 1. *ff. de Tutorib.* Proconſul, & Proconſulari poteſtate præditus, inter ſe æquiparantur; idem ergo dicendum in propoſito. His tamen non obſtantibus.

42 Reſp. I. Speciales, ac extraordinariæ conceſſiones Legatorum à Latere, non extenduntur ad Legatos non Cardinales cum poteſtate Legati à Latere miſſos, niſi quatenùs illæ exprimuntur in litteris Legationis ipſorum. Ita Barboſa *cit. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 5. *n.* 4. citans Eraſm. Cockier *de Jurisdict. Ordin. in Exemptos, p.* 2. *q.* 2. *n.* 6. & Rochum *Tract. de Conſuetud. n.* 323. Engel *h.t. n.* 7. poſt Piaſecium *in Praxi Epiſcop. p.* 2. *cap.* 5. *n.* 9. Ratio eſt: quia titulus ille, *Nuntij Apoſtolici cum poteſtate Legati à Latere*, non habetur ullo Jure ſcripto, ſed ſolùm de Stylo Curiæ Romanæ ſolet adijci Legatis miſſis, qui à Papa vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt, ac fimbriam veſtimenti ejus tetigerunt, ut quoad hoc ſalvi ſint, ac privilegiati. *arg. c. Per tuas. de Majorit. & obed.* & tradit Hoſtienſis *in Summa, h. t. num.* 2. & Speculator *tit. de Legato. §. Sequitur videre, in princ.* Atqui in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſunt ſpeciali notâ digna; ut eſt collatio Beneficiorum, quæ ſpeciem quandam donationis præſefert, *cap. ult. de Offic. Vicarij in 6.* ergo. Accedit, quòd Vicarius Generalis Epiſcopi, vi officij ſibi generaliter commiſſi, non poſſit conferre Beneficia, nec alia graviora & extraordinaria facere, niſi hoc ipſi ſpecialiter fuerit cōmiſſum, *text. clar. cap.* 2. & *ult. eod. in 6.* haud obſtante, quòd idem cenſeatur eſſe Auditorium Epiſcopi, & ſui Officialis, *c. Non putamus.* 2. *de Conſuetud. in 6.* Idem ergo, ſervatâ proportione, dicendum in propoſito. Quinimò in *cap.* 1. *h. t. in 6.* expreſsè negatur, ex ipſius Legationis munere concedi Legatis facultatem conferendi Beneficia, niſi hoc alicui eorum ſpecialiter indulgeatur, aut niſi ſint Legati Cardinales.

43 Nec obſtant rationes *n.* 34. in contrarium allatæ. Non prima: quia vi illius clauſulæ poteſt Nuntius Apoſtolicus cum poteſtate Legati à Latere miſſus, abſolvere quoſcunque excommunicatos ob percuſſionē Clerici, etiam undecunq; venientes. Pirhing *h. t. n.* 28. Nam virtute talis clauſulæ videtur ejusmodi Legatis ampliùs à Sede Apoſtolica conceſsū præ cæteris Legatis Miſſis, *arg. c. Excommunicati.* 9. *h.t.* ac notat Gloſſa magna ibidem, meritò tamen negans, quòd poſſint conferre Beneficia, niſi eis ſpecialiter fuerit conceſſum. Addit Engel *h. t. n.* 7. dictam clauſulam non ſuperfluere, ſed operari relativè: quia ſe refert ad Mandatum Pontificium, & conceſſiones in eo contentas, quæ in ampliori forma ſolent dari talibus Legatis, quàm alijs. Nec ſecunda: quia in *cit. L.* 1. *ff. de Tutorib.* agitur ſolummodò de poteſtate dandi Tutorem: quæ cùm nulli ſit præjudicialis, imò potiùs deſerviat in bonum pupillorum, rectùmque guberniū Reipublicæ, non mirum, quòd in ordine ad hanc æquiparetur Proconſul, & Proconſulari poteſtate præditus: inde tamen non ſequitur, hoc ipſum eſſe dicendum etiam de extraordinarijs, ac ſpeciali notâ dignis conceſſionibus.

Quæritur VI. Quibus modis finiatur officium Legati Sedis Apoſtolicæ? Reſp. cum Gloſſa *in c. Præſenti. ℣. Finitur. h. t. in 6.* & alijs, iſtud contingere multis modis. I. Finito præfixo tempore, ſi Legatus fuit conſtitutus ad determinatum tempus, *arg. c. De cauſis. 4. de Offic. Delegat.* II. Morte ipſius Legati, quando Legatio fuit perſonalis. III. Revocatione, ſeu quando Papa Legatum revocat. Quod intellige, quando revocatio illa jam fuit Legato intimata: aliàs enim, ſi revocationem Legatus ignoret, valida erunt, quæ gerit, *c. Audita. §. Qui tamen. de Reſtitut. ſpoliat.* Atque de hiſce tribus modis ampliùs in ſimili dictum eſt ſuprà *Tit. præc. §. 6.* agendo de ceſſatione officij Judicis Delegati.

IV. Finitur officium Legati, quando is egreſſus eſt Provinciam ſibi commiſſam animo non revertendi, *arg. cap. ult. h.t.* Secùs, quando fuit Legatus in pluribus Provincijs: quia tunc egreſſus unam, nondum amittit jurisdictionem ſuper eam; cùm Legatus in qualibet parte ſuæ Legationis exiſtens, jurisdictionem exerceat, ita ut negotia unius loci poſſit in alio explicare. *c. Novit 7. h.t.* eſtq; jam dictum ſuprà *n.* 21. Imò etiam in Legato à Latere hoc eſt ſpeciale, quòd donec reverſus ſit in Urbem, poſſit abſolvere quoſcunq;, & undecunq; accedentes, ab excōmunicatione ob percuſſionem Clerici contractâ; nā etiam Proconſul, cui æquiparatur Legatus à Latere, juxta Gloſſam in *c. Legatos. ℣. Proconſulum. h.t. in 6.* portam Romanam ingreſſus primùm deponit imperium, *L. ult. ff. de Offic. Proconſul.*

V. Ceſſat officium Legati relatione negotij ad Papam: ſiquidem cauſā quâcunq; ad Sūmum Pontificem relatâ, Legatus in ea ampliùs procedere non poteſt, ſicq; definit eſſe judex illius, *c. Licèt. 5. h.t.* Plura de officio Legati videri poſſunt apud Speculatorem, *tit. de Legato.* Hoſtienſem *in Summa. h. t.* Barboſam *lib.* 1. *Jur. Eccleſ. univ. cap.* 5. per totum, & alios ab ipſo citatos.

TITU-

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarij.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*

VIſo hactenus de officio & poteſtate Judicis Delegati, ac Legati in ſpecie, nunc ſubijcitur Rubrica *De Officio Judicis Ordinarij* in genere; haud obſtante, quòd in progreſſu præſentis Tituli potiſſimùm fiat mentio de officio Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Suppoſitis igitur illis, quæ de Jurisdictione ut ſic, ac varijs differentijs Judicis delegati & ordinarij, ſuperiùs *Tit. 29. §§. 1. & 2.* jam dicta fuerunt; reſtat in ſpecie diſſerere de Judice ordinario, ejúſque Officio, & varijs ipſum concernentibus. Hinc ſit

§. I.

De ijs, qui appellatione Ordinarij, & Epiſcopi veniunt.

SUMMARIUM.

2. *Ordinarius generatim, quis dicatur?*
3. *Differentia inter Ordinarium, & Diœceſanum.*
4. *Diœceſani nomine, quis veniat? Et num. præced.*
5. *Ob identitatem rationis hoc quandoque extenditur ad alium Ordinarium.*
6. *Romanus Pontifex eſt Chriſti in terris Vicarius &c. ac Ordinarius Ordinariorum.*
   Cur vocetur Papa? Ibid.
7. *Duplex in Papa diſtingui poteſt poteſtas, nimirum abſoluta, ſeu ſuprema,*
8. *Et ordinaria.*
9. *Ordinariorum nomine veniunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.*
10. *Primates, qui?*
11. *Patriarcha, quis, & an ſit idem ac Primas?*
12. *Vicarius Generalis Epiſcopi venit nomine Ordinarij.*
13. *Sicut & Capitulum Sede vacante. Et num. præc.*
14. *Imò & quicunque Prælatus inferior in materia ſibi adaptabili.*
15. *Decretum quidpiam ſtatuens de Ordinarijs, extenditur ad omnes jurisdictionem ordinariam habentes, niſi ſubjecta materia aliud expoſcat.*
16. *Epiſcopi nomine veniunt Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ.*
17. *Limitatur hoc in odioſis, & materiâ correctoriâ.*
18. *Appellatione Epiſcopi propriè non venit, niſi in Epiſcopum conſecratus.*
19. *Non item electus in Epiſcopum, & confirmatus.*
20. *Niſi loquendo in illis, quæ ſpectant duntaxat ad jurisdictionem.*
21. *Epiſcoporum appellatione quoad pertinentia ad eorũ jurisdictionem, aliquando veniunt ſoli Epiſcopi,*
22. *Ut in recognitione Miraculorum.*
23. *In cauſis Matrimonialibus.*
24. *Et in Monitorijs, quæ dantur ad finem revelationis rerum deperditarum.*
25. *Aliquando Epiſcoporum appellatione etiam veniunt inferiores Prælati, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes.*
26. *Idq́; exemplificatur. Et num. præc.*
27. *Epiſcopi nomine, an veniat Vicarius Generalis, ac Delegatus ipſius?*
28. *Parochi an veniant nomine Prælatorum, ſeu Ordinariorum? Et num. ſeqq.*
   Plebanus, quis? Ibid.
29. *Parochi ſpectato Jure communi, non habent jurisdictionem in Foro externo, ſed Pœnitentiali tantùm.*
30. *Solvitur inſtantia,* ex c. Cùm ab Eccleſiarum. h. t. *deſumpta.*
31. *Parochus non niſi largè dicitur Prælatus.*

2 QUæritur I. Appellatione Ordinarij, qui veniant? Reſp. I. Generatim loquendo, *Ordinarius* dicitur quilibet habens in loco ordinariâ jurisdictionem: hoc eſt, qui alicubi habet jurisdictionem ſuo jure, non alieno beneficio, *l. More majorum. ff. de Jurisd. omn. judic.* Ita Gloſſa *in c. Ordinarij. ℣. Locorum. h. t. in 6.* juncto textu *ibid. & in c. Ut animarum. de Conſtitut. in 6.* Abbas *in c. Cùm olim. num. 2.* & Fagnanus *ibid. n. 8. de Præſcript.* Card. Tuſchus *Lit. O. Concluſ. 185. num. 1.* & alij. Idq́ue deſumitur ex ipſa nominis etymologia: nam ly *Ordinarius*, derivatur ab *ordine*; ſicque impræſentiarum idem importat, ac jurdictionem illam, ſeu poteſtatem, quam Princeps ſupremus (qua-

lis eſt Papa in Eccleſia Catholica) ſervato ordine, ac juxta proportionem Officiorum ſuorum, impartitur inferioribus Magiſtratibus, ſeu Prælatis.

3 Atque ex his Abbas *loc. cit.* colligit differentiam inter Diœceſanum, & Ordinarium. Nam *Diœceſanus* propriè dicitur ſolus Epiſcopus: hoc enim vocabulo denotatur ille, qui præeſt toti Diœceſi, quod convenit ſoli Epiſcopo, *arg. c. Cùm Epiſcopus.* junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *In tota ſua. h. t. in 6. Ordinarius* verò appellatur, qui habet ordinariam jurisdictionem: unde nomen iſtud convenit cuilibet talem jurisdictionem habenti, ut puta Capitulo Sede vacante, nec non Prælatis inferioribus reſpectu propriorum ſubditorum, *c. Cùm ab Eccleſiarum. 7. h. t.*

4 Unde Gloſſa *in Clem. 1.* ℣. *Diœceſanis. de Jurepatronat.* Abbas *loc. cit.* & Fagnanus *ubi ſuprà, num. 7.* inquiunt, quòd, quando Decretalis aliqua loquitur de Diœceſano, ea non procedat in inferioribus Prælatis, licèt habeant in loco jurisdictionem ordinariam: alioquin ſimpliciter dixiſſet *Ordinarijs*, & non *Diœceſanis.*

5 Intellige, dummodò materia ſubjecta non æqualiter ſit apta concernere tam Epiſcopum, quàm alium Ordinarium. Alioquin enim ſecùs foret dicendum, ac nomen *Diœceſani* ob identitatem rationis extenderetur ad alium Ordinarium; prout limitat Abbas *cit. num. 2.* & ampliùs *in c. Joannes n. 2. de Teſtament.* Ubi textum illum, quòd Executor teſtamentarius *per Diœceſanum cogi debet teſtatoris explere ultimam voluntatem* poſt Jo. Andream *ibid.* ampliat, atque intelligit etiam in illis, qui habent jurisdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem in loco; ubi multi Abbates, & Capitulum Sede vacante, qui proinde poſſunt facere memoratam compulſionem. Nam mens citatæ Decretalis veriſimiliter non fuit, ponderare officium Epiſcopale, ſed magìs jurisdictionem Epiſcopi: ſicque ly *Diœceſanum*, ob favorem ultimarum voluntatum, videtur largè accipiendum, & ampliandum ad alios Ordinarios conſimili jurisdictione pollentes.

6 Quæritur II. Quinam in ſpecie ſecundùm Canones veniant appellatione Ordinarij? Reſp. I. Inter Ordinarios totius Orbis Chriſtiani primum ſibi locum vendicat Romanus Pontifex, Chriſti in terris Vicarius, *Matth. cap. 16. Joan. cap. 21. & c. Quanto. de Translat. Epiſc. & c. Solitæ. de Majorit. & obed. & Extravag. Unam ſanctam. eod. inter Communes.* Et alio receptiſſimo nomine appellatur *Papa*, id eſt, *Pater Patrum*; ut explicat Gloſſa *in Proœmio Clement.* ℣. *Papa.* Qui eſt Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus, prout definivit Pelagius II. *in Conſtit. 1.* quæ incipit, *Manifeſto*, ac refertur *Tom. 1. Bullarij Romani.* habens pro Diœceſi ſua totum Orbem, *c. Ad honorem. de Authorit. & uſu Pallij.* Zerola *in Praxi Epiſc. part. 1.* ℣. *Pragmatica.* §. *Ad tertium.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 57. *n.* 4. Eſtque Ordinarius Ordinariorum, *can. Cuncta per mundum.* 9. q. 3. & Gloſſa *in c. Cùm nullus.* ℣. *In eadem. de Temporib. Ordinat. in 6.* habens concurrentem poteſtatem cum omnibus Ordinarijs, *cit. c. Cuncta per mundū. & cap. ult. de Foro compet. & c. Si eo tempore. de Electione in 6.* cum ſimilibus. Ita, ut ex omnibus Mundi partibus liceat ad Papam appellare, omiſſo etiam medio, *can. Ad Romanam. 2. q. 6.* Quique ſuam poteſtatem non ex hominibus, ſed immediatè à Deo habet; prout ampliùs dictum eſt ſuprà *Tit. 2. De Conſtitutionibus.* §. 3. *n.* 53. 54. & 55.

7 Ubi notandum cum Abbate *in c. Accuſatum. n. 2. de Simonia.* Fagnano *in c. Conſultationibus. num. 72. & ſeqq. de Cleric. ægrot.* & alijs, quòd in Papa duplex poſſit diſtingui poteſtas, abſoluta videlicet ac ordinaria. *Poteſtas abſoluta*, ſeu ſuprema Papæ, dicitur illa, ſecundùm quam Papa intelligitur eſſe ſupra omne Jus poſitivum humanum, & proin ſupra id pro ſuo arbitrio diſpenſare, & diſponere valet. Atque hæc alio nomine appellatur *Plenitudo poteſtatis*; de qua fit mentio *in c. Propoſuit. 4. de Conceſſ. Præbend.* ubi Pontifex illis utitur verbis: *Qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare.* Verùm hâc abſolutâ poteſtate non cenſetur Pontifex uti, niſi de hoc conſtet per appoſitam clauſulam, *Non obſtantibus. &c.* vel illam, *De Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine.* Abbas *in c. Innotuit. n. 23. de Election.* citans Innocentium. Fagnanus *loc. cit. n. 73. & ſeqq.* Et meritò: nam, cùm Jura ſint fundata ſuper ratione, *can. Erit autem lex. diſt. 4.* nō debet, nec ſolet Papa ab ipſis recedere ſine gravi cauſa, & absque expreſsâ declaratione.

8 *Poteſtas ordinaria* Papæ dicitur ea, quæ eſt à Jure regulata, hoc eſt, quæ ſequitur ordinem Juris poſitivi, ac regulatur ad limites diſpoſitionis ſuæ. Et ſecundùm hanc Papa non poteſt quempiam ſine juſta cauſa ab officio vel Beneficio ſuo amovere, nec alia facere, quæ ſunt contra diſpoſitionem Juris cōmunis; haud obſtante, quòd talia facere poſſit ſecundùm poteſtatem ſuam abſolutam, ſeu de plenitudine poteſtatis.

9 Reſp. II. Inter Ordinarios quoque ſecundùm Canones cōnumerantur Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi: adeóque Ordinariorum nomine ſimpliciter prolato, hi omnes pro ſua quisque Provincia, vel Diœceſi, venit intelligendus. Ita cōmunis; ac loquendo de Epiſcopis, patet *ex cap. 1. & c. Conquerente. 16. h. t.* Quomodo autem Archiepiſcopo competat jurisdictio in Subditos ſuorum Suffraganeorum (nam reſpectu propriorum ſubditorum ſuæ Diœceſis habet ſe ut Epiſcopus) dicetur in progreſſu.

10 Porrò *Primates* dicuntur Archiepiſcopi quidā potentiores, eò vel maximè, quòd primas teneant Civitates, ſeu majores regant Metropoles. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 6. num. 44.* Engel *tit. de Majorit. & obed. n.* 23.

11 *Patriarcha* græcè, latinè *Summus Patrum* interpretatur, *can. Cleros.* §. *Patriarcha. diſt. 21.* Et quòd ſaltem latè ſumpto vocabulo idem ſit *Primas*, quod *Patriarcha*, colligitur *ex can. 1. & 2. diſt. 99.*

Unde

Unde Gloſſa *l. in c. Coram. De in integrum reſtitut.* exinde concludit, quòd Primatia, & Patriarchatus, una tantùm dignitas ſit, licèt nomina ſint diverſa. Verùm ſtrictè loquendo Primates non idem habent Officium, eandémque authoritatem, quam habent Patriarchæ; prout latè oſtendit Barboſa *loc. cit. cap. 6. num. 10. & ſeqq.*

12 Reſp. III. Etiam Vicarius Generalis Epiſcopi, & Capitulum Sede vacante, veniunt nomine Ordinarij. Prior pars eſt Gloſſæ *in c. Romana. ℣. Generaliter. de Appellat. in 6.* eámque tenet Covarruvias *lib. 3. Var. Reſolut. cap. 20. num. 4.* Barboſa *part. 2. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 32. num. 28. & n. 118.* & alij, qui volunt, juriſdictionem Vicarij Generalis eſſe ordinariam, & non delegatam, juxta dicta *Tit. de Officio Vicarij. §. 4. num. 91. & ſeqq.* Nam ex hac doctrina illicò ſequitur, eum venire nomine *Ordinarij.*

13 Altera pars, loquens de Capitulo Sede vacante, ex eo patet: quia Sede vacante poteſtas, ſeu juriſdictio Epiſcopi devolvitur ad Capitulum; ut *c. Cùm olim. 14. de Majorit. & obed.* & docet Gloſſa *ibid. ℣. Capitulo,* communiter recepta. Unde illud poteſt omnia exercere, quæcunque pertinent Jure communi ad ordinariam Epiſcopi juriſdictionem, exceptis duntaxat ſpecialiter prohibitis. Barboſa *loc. cit. allegat. 37. n. 9.* & alij, quos citat; ergo ſicut Epiſcopus, ita & Capitulum Sede vacante, venit nomine Ordinarij.

14 Reſp. IV. Tandem Ordinarij appellatione venit quicunque Prælatus inferior, habens juriſdictionem ordinariam, quando materia, ſuper qua verbum illud ponitur, eſt ipſi adaptabilis, ac æqualiter competens. Ita deſumitur *ex c. Cùm ab Eccleſiarum.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Eccleſiaſtica. h. t.* ac tradit Rota *Deciſ. 798. n. 3. part. 1. Recent. apud Farinacium.* Barboſa *de Appellat. verb. juris ſignif. Appellativo. 177. n. 1.* citans plurimos alios. Quia enim quicunque Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum ordinariâ gaudent juriſdictione; haud immeritò nomine Ordinarij abſolutè prolato intelliguntur, quotieſcunque materia ſubjecta etiam inferioribus eſt adaptabilis, ſecùs autem, ſi non omnibus æqualiter competeret, ſicque materia ſubjecta aliud ſuaderet. Ludov. Gomeſius *Repetit. in c. Ut animarum. num. 63. de Conſtitut. in 6.*

15 Infertur proinde, quòd ſi in aliquo Juris Decreto quidpiam Ordinarijs committitur, vel de Ordinarijs ſtatuitur, niſi ſubjecta materia aliud expoſcat, illud non ad Epiſcopos tantùm, ſed etiam ad omnes habentes juriſdictionem ordinariam extendatur. Gloſſa *in c. Ordinarij. ℣. Locorum. h. t. in 6.* id exemplificans in poteſtate ordinaria inſtituendi, & deſtituendi in Beneficijs Eccleſiaſticis. Nicol. Garcias *de Beneficijs, part. 5. cap. 4. num. 2.* Barboſa *cit. Appellat. 177. num. 2. & ſeqq.* & alij.

16 Quæritur III. Quis nomine Epiſcopi intelligatur, & an eo nomine quandoque veniant inferiores Ordinarij? Et notanter additur, *inferiores.* Nam, quòd Epiſcoporum appellatione veniant Superiores, ut puta Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, textus eſt *in can. Cleros. §. Omnes autem. diſt. 21.* & notat Gloſſa ſingularis *in c. Quia periculoſum. ℣. De Epiſcopis. de Sentent. excommunic. in 6.* Quia (inquit) non eſt ſuperiorem Ordinem Epiſcopo reperire, & ſic etiam Papa ſe vocat Epiſcopum: unde eo ipſo, quod de Epiſcopis exprimitur, veniunt Superiores.

17 Dummodò tamen hoc limitetur in odioſis, ac in materia correctoria, quæ ſunt ſtrictæ interpretationis: nam ſi illegitimus à Papa diſpenſetur ad Epiſcopatum, non idcircò cenſetur diſpenſatus ad Archiepiſcopatum, *arg. cap. 1. & 2. de Filijs Presbyt. in 6.* Barboſa *de Appellat. verb. Jur. ſignif. Appellativo. 89. num. 2. & ſeqq.* citans alios. Quibus prænotatis

18 Reſp. I. Appellatione Epiſcopi verè ac propriè non venit, niſi in Epiſcopum conſecratus. Ita Abbas *in c. Eam te. num. 2. de Reſcript.* & alij proximè citandi. Ratio eſt: quia Epiſcopatus eſt verus Ordo; & non ſimplex Dignitas in Eccleſia Dei. Unde *in can. Qui Epiſcopatum. 8. q. 1.* optimè dicitur, quòd *Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris.*

19 Et hoc adeò verum eſt, ut ſtrictè ac propriè loquendo, appellatione Epiſcoporum etiam nō veniant electi in Epiſcopos, & confirmati, *arg. c. Tua. 8. De his quæ fiunt à Prælat.* ibi: *Epiſcopo, vel Electo.* juncto Pontificali Romano, *Tit. De Conſecratione Electi in Epiſcopum*, ubi tales non appellantur ſimpliciter *Epiſcopi*, ſed cum addito, *Electi.* Gloſſa *in cap. 1. ℣. Dedicanda. de Religioſ. domib. & in Clement. 2. in caſu. & ℣. Pontificum. de Celebrat. Miſſar. & in Clem. 1. ℣. Quamvis Pontificem. de Pœnis.* Abbas *in d. c. Eam te. n. 2. de Reſcript.* Emman. Rodericus *Tom. 1. Quæſt. Regul. q. 18. art. 2.* Barboſa *cit. Appelat. 89. n. 5.* Card. Tuſchus *Litt. E. Concl. 233. num. 1.* & alij. Quia donec ſit conſecratus, remanet electus: conſecratio autem facit eum eſſe Epiſcopum. Felinus *in c. Meminimus. à princip. de Accuſat.* inde inferens, quòd Civitas occidens Electum, non incurrat pœnam, quam incurreret occidendo Epiſcopum.

20 Fatendum tamen, quòd in illis, quæ ſpectant ad juriſdictionem, & non ad Ordinem, nomine Epiſcopi veniat etiam electus, & confirmatus, per textum notabilem *in c. Transmiſſam. 15. de Election.* Ubi proin Abbas *in Summario* generaliter docet, quòd Epiſcopus electus, & confirmatus, ſed nondum conſecratus, poſſit ea, quæ ſunt juriſdictionis, non autem ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: hæc etiam primùm transferuntur in eum per conſecrationem. Concordat Gloſſa *in Clem. 1. ℣. Epiſcopis. de Foro compet.* & cōmunis.

21 Reſp. II. Epiſcoporum appellatione, ac loquendo de pertinentibus ad eorum juriſdictionem, veniunt aliquando Epiſcopi tantùm, aliquando etiam Prælati inferiores juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes. Ita Barboſa *cit. Appellat. 89. n. 15. & ſeqq.* Atque in particularibus caſibus, num hoc vel illo modo Epiſcopi nomen veniat, diſcernendum erit potiſſimùm

mùm ex appoſitis, vel non appoſitis, certis Clauſulis, ſeu Dictionibus, ipsâque ſubjectâ materiâ, ſtylo Curiæ Romanæ, aliísque hujusmodi circumſtantijs. Quod ipſum declaratur exemplis.

22 Sic imprimis Recognitio miraculorum non ſpectat ad alium, quam ad Epiſcopum, juxta Concilium Trident. *Seſſ. 25. de Invocat. & Venerat. Sanctorum*, ibi: *Niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo.* Ubi ponderanda dictio illa, *Niſi*, quæ habet vim Dictionis taxativæ. Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 97. *num.* 9. Aloyſ. Riccius *in Praxi rerum Fori Eccleſiaſt. Deciſ.* 563. *in 1. edit. aliàs Reſolut.* 485. *in 2. edit.* & alij.

23 Similiter *Cauſæ matrimoniales, & criminales - - - Epiſcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquuntur*, juxta Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* Ac proinde, quia idem Concilium utitur Dictione taxativâ *Tantùm*, non poſſe Abbates quantumvìs exemptos, & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, de cauſis matrimonialibus cognoſcere, tenuit Rota *coram D. Coccino, Deciſ.* 346. *n.* 8. *inter ejus impreſſas*, & refert Barboſa *cit. part.* 3. *allegat.* 84. *n.* 2. & alij. Concordant dicta ſuperiùs *Tit.* 23. *De Officio Archidiaconi, num.* 12. *& ſeqq.*

24 Rurſus, quòd Monitoria, quæ fiunt ad finem revelationis pro rebus deperditis, ſeu ſubtractis, *à nemine prorſus præterquàm ab Epiſcopo, decernantur*, ſtatuit idem Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* Unde propter additam Dictionem taxativam *Præterquàm*, non poſſe talia Monitoria decerni per Prælatos ordinarios, etiam exemptos, Epiſcopo inferiores, à Sac. Congregatione deciſum eſſe, refert Nicol. Garcias *part.* 5. *de Beneficijs. cap.* 8 *n.* 95. Barboſa *in cit. Appellat.* 89. *n.* 17. allegans alios. Tacentur ſimilia.

25 Econtrà, quòd appellatione Epiſcoporum, in ſpectantibus ad jurisdictionem quandoque veniant Prælati inferiores, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ac vel maximè, ubi indefinitè, & ſine aliqua Dictione excluſiva, fit Epiſcoporum mentio, declaratur inductione. Sic imprimis Prælati Regulares, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, reſpectu propriorum Subditorum utuntur facultate diſpenſandi in occultis irregularitatibus &c. atque abſolvendi ſuos Subditos à quibuscunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; prout conceſſum eſt Epiſcopis in Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* Emman. Rodericus *tom.* 1. *Quæſt. Regul. quæſt.* 61. *art.* 9. & alij. Et meritò: ne deterioris conditionis debeant eſſe Regulares exempti, quàm Sæculares Epiſcopis ſubjecti.

26 Deinde, quòd Decretum Concilij Tridentini *Seſſ.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* loquens de viſitatione *ab Epiſcopis* quotannis peragenda, extendatur etiam ad inferiores Prælatos jurisdictionem habentes; tradit Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 18. & Barboſa *d. Appellat.* 89. *n.* 20. Nam par ratio militat in iſtis reſpectu propriorum Subditorum, quæ in Epiſcopis. Omittuntur plura his ſimilia.

Reſp. III. Nomine Epiſcopi ſimpliciter prolati, venit etiam Vicarius Generalis ipſius, ubi is non reperitur excluſus, imò & Delegatus Epiſcopi habens ad hoc ſpeciale mandatum. Ita Gloſſa *in cap. un.* ℣. *Per Epiſcopos. de Capell. Monach. in* 6. dicens, quòd intelligantur per Epiſcopos à ſuis Eccleſijs removeri, qui per Vicarios ad hoc mandatum habentes, vel per Delegatos removentur; ut *c. Licèt. de Offic. Vicarij, in* 6. *& c. Qui per alium. de Reg. Jur. in* 6. Nicol. Garcias *d. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 95. Layman *in c. Cùm in generali. n.* 9. *§. Limitari. de Offic. Vicarij, in* 6. id limitans, ubi Epiſcopus quædam ſibi ſpecialiter reſervavit. Barboſa *cit. Appellat.* 89. *n.* 25. cum alijs pluribus. Deſumitur hoc, præter Jura jam allegata, ulteriùs ex Concilio Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* ubi, cùm voluit Vicarium excludere à poteſtate abſolvendi à crimine hæreſis, id expreſſit, dicens: *Eis* (Epiſcopis) *tantùm, non eorum Vicarijs ſit permiſſum.* Accedit, quòd *in c. Si hæredes.* 6. *& c. Tua nobis.* 17. *de Teſtament.* expreſsè dicatur, per Epiſcopum loci, ſive (ut dicitur *in c. Joannes.* 19. *eod*) per Diœceſanum, Hæredes, ipsósque teſtamentorum Executores eſſe compellendos ad implenda juſſa Teſtatoris: & tamen hoc etiam fieri poſſe per Vicarium Generalē, ac per Capitulū Sede vacante, utpote in quod poteſtas ordinaria Epiſcopi devolvitur, jam dictum eſt ſuprà *num.* 5.

Quæritur IV. Utrùm Parochi veniant nomine Prælatorum, ſive Ordinariorum jurisdictionem in Foro externo habentium? Ratio dubitandi, & affirmativam tenendi, deſumitur *ex c. Cùm Eccleſiarum.* 3. *h. t.* ubi Plebanus, cujus nomine intelligitur Parochus, ſeu Curatus, Plebis ſibi cōmiſſæ curam gerens, connumeratur inter Eccleſiarum Prælatos; & cenſetur habere poteſtatem in Clericos vel Laicos Parochianos ſuos, Interdicti ac excom̄unicationis ſententiā ex rationabili cauſa ferendi: atqui hoc ſpectat ad jurisdictionem Fori externi, & contentioſi, *arg c. Quærenti.* 20. *de Verb. ſignif. & cap.* 1. *de Sentent. excommunicat. in* 6. ergo: Verùm his non obobſtantibus

Reſp. I. Parochi locorum, ſpectato Jure communi, jurisdictionem in Foro externo non exercent, ſed tantùm in Foro Pœnitentiali: adeóque ſecluſo ſpeciali privilegio nec excommunicare, aut alias cenſuras ferre poſſunt, nec propriè nomine Prælatorum, ſive Ordinariorum jurisdictionem in Foro externo habentium veniunt. Ita deſumitur ex *can. De perſona.* 11. *q* 1. junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Non ab alio.* Item ex *Clem. Dudum. de Sepult.* ubi ſpecialis mentio fit de Prælatis, & ſpecialis de Parochis, ſeu Rectoribus Parochialium Eccleſiarum; ac notat Abbas *in c. Si Sacerdos. n.* 10. *h. t. & d. c. Cùm ab Eccleſiarum. num.* 1. & Layman *ibid. n.* 4. & alij.

Nec obſtat textus *in cit. c. Cùm ab Eccleſiarum. h. t.* Nam Plebanus ille, qui ibidem dicitur poteſtatem excom̄unicandi habuiſſe, non erat ſimplex Parochus, ſeu Curatus, cùm inter Prælatos nume-

numeretur: ſed de jure ſpeciali, ut puta ex privilegio, vel præſcriptione, obtinebat jurisdictionem in Foro externo, ac poteſtatem excommunicandi, non autem de Jure communi. Abbas *in cit. c. Cùm ab Eccleſiarum. n. 1.* & Barboſa *ibid. n. 3.* Pirhing *h. t. n. 75.* citans inſuper Innocentium *in c. Quantò. n. 2. h. t.*

31 Atq; hâc ratione, videlicet ob jurisdictionem in Foro externo ex ſpeciali jure obtentam, meritò Plebanus ille inter Prælatos connumeratur. Alioquin autem Parochus, ſeu ſimplex Curatus, non niſi largè loquendo poteſt dici *Prælatus*, quatenùs præeſt Parochianis in Foro animæ; & ſic eisdem quaſi eſt *prælatus, ſeu antè latus*: ſed ſtrictè illi ſoli dicuntur Prælati, qui habent jurisdictionem quandam Fori contentioſi. Abbas *d. n. 1.*

§. II.

De jurisdictione Archiepiſcopi in Suffraganeos, horúmque Subditos.

SUMMARIUM.

31. *Archiepiſcopus, unde ſic dicatur? Appellatur alio nomine Metropolitanus; & cur? Ibid.*
33. *Poteſt dari Archiepiſcopus, qui non ſit propriè Metropolitanus.*
34. *Epiſcopi Metropolitano ſubjecti, dicuntur Suffraganei ipſius; & cur?*
35. *Archiepiſcopus habet jurisdictionem in Suffraganeos ſuos, poteſtque ipſis præcipere &c.*
36. *Ac in eosdem proferre cenſuras, ſpectato Jure antiquo.*
37. *De facto quoad cauſas criminales Epiſcoporum obſervandum eſt Decretum Concilij Tridentini.*
38. *An Archiepiſcopus de facto cognoſcat de cauſis civilibus Suffraganei, per proprium ſubditum coram eo conventi?*
39. *Et quid, ſi Suffraganeus proprium ſubditum convenire velit?*
40. *Archiepiſcopus non habet jurisdictionem in ſubditos ſui Suffraganei, præter caſus in Jure expreſſos.*
41. *Nec obſtat regula*: Si vinco vincentem te, multò magis vinco te; *Cur?*
42. *Archiepiſcopus eſt Judex ordinarius totius Provinciæ; & quomodo?*
43. *Enumerantur octodecim caſus, in quibus Archiepiſcopus habet exercitium jurisdictionis in ſubditos Suffraganei ſui; nempe*
44. *I. Quando cauſa ad eum per appellationem defertur.*
45. *II. Quando viſitat Provinciam.*
46. *Et ſi tunc in eos nequeat exercere jurisdictionem Fori contentioſi, niſi in duobus caſibus; & quibus?*
47. *Quando Archiepiſcopus poſſit viſitare Provinciam?*
48. *III. Ad ſupplendam negligentiam Suffraganei.*
49. *IV. Propter Officium varium, ſeu diſcrepantiam in Divinis Officijs; & quomodo?*
50. *V. Ratione Fori; & in quo ſenſu?*
51. *VI. In cauſa criminali, ubi Epiſcopus crimen Eccleſiaſticum impoſuit Clerico, vel Laico ſubdito.*
52. *VII. Quando ſubditus Suffraganei peccat in Diœceſi Archiepiſcopi.*
53. *VIII. Si ſubditus Suffraganei non vult ejus mandatis parere poſtquàm ab Archiepiſcopo fuit abſolutus ab excommunicatione.*
54. *IX. Ratione rei ſitæ in Diœceſi Archiepiſcopi.*
55. *X. Quando Suffraganeus remittit cauſam, ad Metropolitanum per relationem, ſeu conſultationem.*
56. *XI. Si Canonici tumidi ceſſant à Divinis in Eccleſia Cathedrali.*
57. *XII. Quando notorium eſt, ſententiam Epiſcopi eſſe injuſtam, & Metropolitanus aditur pro ejus emendatione.*
58. *XIII. Archiepiſcopus concedit Indulgentias per totam Provinciam.*
59. *XIV. Eccleſiâ Suffraganei vacante cuſtodit Archiepiſcopus bona ejus in defectum Canonicorum.*
60. *XV. Si habet ſpeciale privilegium Papæ.*
61. *XVI. Aut per legitimam conſuetudinem obtinuit ampliorem jurisdictionem in ſubditos Suffraganei.*
62. *XVII. Quando Epiſcopus facit permutationem cum Capitulo ſuo.*
63. *XVIII. Et quando Suffraganeus, qui recuſatur ut ſuſpectus, remittit cauſam ad Metropolitanum.*

3 Quæritur I. An, & qualem jurisdictionem Archiepiſcopus habeat in Suffraganeos Epiſcopos? Ubi prænotandũ, quòd *Archiepiſcopus* ſic dicitur à græco verbo Ἄρχων, quod latinè ſignificat *Princeps*, quaſi ipſe ſit *Princeps Epiſcoporum*, ſuæ videlicet Provinciæ, *can. Cleros. diſt. 21.* Et hic alio nomine appellatur *Metropolitanus*, vel à menſura Civitatum; quia quælibet Provincia, cui præeſt Metropolitanus, decem, aut undecim Civitates, & totidem Suffraganeos Epiſcopos, olim ſub

ſub ſe continere ſolebat, *can. Scitote. 6. q. 3.* Vel dicitur *Metropolitanus*, à *Mitros*, quod eſt Mater, & *Polis*, quod eſt Civitas: quia nimirum Archiepiſcopalis Eccleſia eſt ſita in Metropoli cæterarum Civitatum, atque ipſa exiſtit quaſi Mater aliarum Eccleſiarum totius Provinciæ, *can. De ijs. diſt. 12.* & notat Gloſſa *in cit. can. Cleros. ℣. A menſura.* & Abbas *in c. Suffraganeis. num. 1. de Election.*

33 Atque hæc procedunt ordinariè loquendo. Contingit enim aliquando, ut quis ſit Archiepiſcopus, & tamen non Metropolitanus propriè, ac in præfato ſenſu; eò quòd nullum ſub ſe habeat Epiſcopum Suffraganeum. Prout non habere Roſſanenſem, & Lancianenſem Archiepiſcopos, refert Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 7. n. 7.* Concordat Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 33. q. 1.* & Pirhing *h. t. num. 13.*

34 Porrò Epiſcopi Metropolitano ſubjecti, in Jure appellantur *Suffraganei* ipſius; ut *d. can. Scitote. 6. q. 3. & c. Suffraganeis 11. de Elect. & cap. 1. de Foro compet. in 6.* Idque dicitur à *Suffragando*; quia videlicet cæteri Provinciæ Epiſcopi ſuffragantur Archiepiſcopo in officio Epiſcopali; putà in conſecrando alios Epiſcopos, celebrando Concilia, & hujuſmodi. Abbas *cit. n. 1.* & alij. His prænotatis

35 Reſp. I. Archiepiſcopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes Suffraganeos non exemptos ſuæ Provinciæ: unde tanquam Ordinarius, atque immediatus eorum Superior, poteſt iiſdem præcipere, quæ ad ipſorum ſpectant officium; atque etiam compellere negligentes per cenſuras Eccleſiaſticas ad præſtandum officium ſuum; ut puta, quòd in Eccleſijs ſuis reſideant, juſtitiam ſubditis adminiſtrent, Synodos debitis temporibus celebrent, ac alia hujuſmodi faciant, quæ debent. Ita Barboſa *cit. lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 7. n. 18. & ſeqq.* ſingula ampliùs deducens. Idipſum deſumitur *ex can. 1. & ſeqq. 9. quæſt. 3. & cap. Paſtoralis. 11. §. 1. h. t.* ibi: *Licet Epiſcopus ſuus eidem* (Archiepiſcopo) *ſit Metropolitanâ lege ſubjectus.* Ubi Abbas *num. 2.* inde concludit, quòd Archiepiſcopus ſit Judex ordinarius omnium Epiſcoporum ſuæ Provinciæ; ac de horũ exceſſibus parvis poſſit cognoſcere, ipſósq; ſuffraganeos Epiſcopos punire, *can. Quia cognovimus. 10. q. 3.*

36 Concordat *c. Romana. §. fin. h. t.* ubi Archiepiſcopus juſtâ de causâ poteſt interdicti, ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam in Suffraganeos ſuos proferre: dummodò hoc præſtet per ſe, & non per Vicarium Generalem, utpote cui ob reverentiam Pontificalis officij iſtud ibidem prohibetur: ſimúlque non ſtatim ad excommunicationem deveniat, ſed incipiendo à leviori cenſurâ, priùs ingreſſum Eccleſiæ interdicat. Engel *tit. de Majorit. & obed. §. 4. n. 29.* Sannig *h. t. cap. 5. n. 10.* & alij. Atque hæc procedunt ſpectato Jure antiquo.

37 Verumtamen defactò obſervandũ eſt Decretum Concilij Trident. *Seſſ. 24. cap. 5. de Reform.* ubi maturè ſtatutũ fuit, quòd minores criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantùm Provinciali cognoſcantur, & determinentur, vel à Deputatis per Concilium Provinciale: cauſæ verò criminales graviores contra Epiſcopos, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantùm Summo Pontifice cognoſcantur, & terminentur. Unde liquet, quòd Jure novo nõ parùm reſtricta fuerit dicta poteſtas Archiepiſcoporum procedendi contra Epiſcopos ſuffraganeos circa cauſas horum criminales.

Dicitur notanter, *circa cauſas horum criminales.* 3
Nam loquendo de cauſis civilibus, adhuc defactò Metropolitanus cognoſcit de ipſis, quando ſubditus Suffraganei coram ipſo convenit proprium Epiſcopum in cauſa aliqua merè civili. Ratio eſt: quia circa cauſas civiles nihil reperitur immutatum in Concilio Tridentino, ſicque remanet Jus antiquum in ſuo vigore, *l. Præcipimus. C. de Appellat.* Atqui de Jure antiquo generale eſt, quòd Actor debeat ſequi Forum Rei, & hunc convenire coram Judice ſuo ordinario; qualis reſpectu Epiſcopi eſt Archiepiſcopus. Abbas *in cit. c. Paſtoralis n. 2. h. t.* Engel *loc. cit. n. 28.* Quamvis Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſiaſt. univ. cap. 7. n. 46.* alleget quandam Declarationem Sac. Congregationis Cardinalium, negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, *de anno 1588. die 31. Maij.* ubi cenſuit, Archiepiſcopum non poſſe eſſe Judicem in cauſis civilibus, quæ agitantur contra Epiſcopos ſuffraganeos. Verùm, donec dicta Declaratio in forma authentica exhibeatur, haud immeritò de ipſa dubitari poteſt, ob rationem jam dictam, & ampliùs oſtendit Engel *loc. cit.* aut forſan ipſa loquitur de cauſis civilibus in aliquo delicto Epiſcopi fundatis.

Quòd ſi autem Epiſcopus, qui in propria cauſa Judex eſſe non poteſt, ſubditum ſuum convenire velit, id non coram Archiepiſcopo fieri poterit: Archiepiſcopus quippe non habet jurisdictionem in ſubditos ſui Suffraganei, præter caſus in Jure expreſſos, prout proximè ampliùs dicetur. Igitur in tali caſu vel ad Summum Pontificem, aut ejus Legatum erit recurrendum; vel communi conſenſu, ac Juris neceſſitate, debent eligi Arbitri, qui cauſam illam audiant, atque terminent, *can. Si Clericus. 11. q. 1.* Abbas *cit. n. 2.* Engel, *ubi ſuprà, num. 30.*

Quæritur II. An, & in quibus caſibus habeat 4
Archiepiſcopus jurisdictionem in Subditos ſui Suffraganei? *Reſp.* I. Licèt Archiepiſcopus habeat jurisdictionem ordinariam in Epiſcopos Suffraganeos, ut dictum; tamen in ſubditos eorum jurisdictionem non habet, niſi in caſibus à Jure expreſſis. Ita communis, & habetur *in can. Nullus. & can. Conqueſtus. 9. quæſt. 3.* addita illâ ratione: Quia *nec antiquitas hoc habet, & authoritas Sacrorum Canonum penitùs interdicit.* Primates enim, & Patriarchæ (ac multò magis Archiepiſcopi) nihil privilegij habent præ cæteris Epiſcopis, niſi quatenùs Sacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitùs contulit. Idem *in c. Paſtoralis. 11. h. t.* expreſſiùs habetur, dum ibi dici-

dicitur de Archiepiſcopo, quòd *in ſubditum Suffraganei, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat poteſtatem.* Concordat *c. Duo ſimul. 9. h. t. & c. Venerabilibus.* 7. §. 1. *de Sent. excomm. in 6.* cum ſimilibus. Idque meritò ſtatutum fuit, ne, ſi ſua unicuique Epiſcopo jurisdictio non ſervatur, Eccléſiaſticus ordo confundatur, *can. Pervenit ad nos.* 11. *q.* 1.

4 Unde impræſentiarum locum non habet vulgata illa Regula: *Si vinco vincentem te, multò magis vinco te*: ac deſumitur ex *l. De acceſſionibus. ff. de Diverſ. & temporal. præſcript. & can. Rogamus.* 24. *q.* 1. *& c. Authoritate.* 7. *de Conceſſ. Præbend. in 6.* Nam Regula illa non procedit, quando eadem vis ſeu causa, quæ eſt in vincente te (putà, in Epiſcopo proprium ſubditum vincente) non concurrit in eo, qui vincit vincentem te, putà in Archiepiſcopo: quia Epiſcopus habet jurisdictionem reſpectu proprij ſubditi; Archiepiſcopus verò, licèt habeat jurisdictionem in ſuffraganeum, non tamen habet jurisdictionem in ejus ſubditum, præter caſus in Jure expreſſos.

42 Nec obſtat, quòd Archiepiſcopus ſit Judex ordinarius totius Provinciæ, ac ejus gerat ſollicitudinem, ut *can. Per ſingulas.* 9. *q.* 3. Reſp. enim cum Gloſſa *in c. Paſtoralis ℣. Exceptis quibusdam articulis. h. t.* inde non ſequi, quòd etiam cujuslibet de Provincia ſit Judex ordinarius, niſi in caſibus ſpecialiter exceptis: nam jurisdictio Archiepiſcopi, quam habet ſuper totam Provinciam, eſt impedita & ligata reſpectu ſingulorum, donec occurrat caſus ſpecialiter exceptus. Vel breviùs dic cum Innocentio, quem citat, & ſequitur Abbas *in cit. c. Paſtoralis. n.* 8. quòd Archiepiſcopus habeat quidem jurisdictionem Archiepiſcopalem in totam Provinciam, ita ut totam poſſit viſitare, *cap. 1. de Cenſib. in 6.* cum ſimilibus; non verò jurisdictionem Epiſcopalem: hanc enim ſolummodò habet reſpectu ſuæ propriæ Diœceſis.

4 Reſp. II. Caſus illi, ſeu Articuli Jure expreſſi, in quibus Archiepiſcopus habet exercitium jurisdictionis in ſubditos Suffraganei ſui, breviter referuntur à Gloſſa *in d. c. Paſtoralis. ℣. Exceptis. h. t.* & aliâ Gloſsâ *in cap. 1. de Supplend. neglig. Prælat. in 6.* ubi octodecim hujusmodi caſus enumerat, eósque complectitur ſequentibus verſiculis, quos explicat Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 7. & ſic ſonant:

Officium varium, forus, appellatio, crimen.
Peccans, non parens, res, conſultatio, deſes
Præſul, Canonici tumidi, ſententia nequam.
Viſitat, indulget, cuſtos, quia Papa dat, uſus.
Permutat ſocijs, ſuſpectus cúmque remittit.
Caſibus his Primas ſubjectos Præſulis arcet.

4 Præcipuus horum, atque per ly, *Appellatio*, importatus caſus eſt, quando causa per appellationem ad Archiepiſcopum defertur; hoc eſt, quando à ſententia, vel gravamine Epiſcopi, legitimè appellatur ad Archiepiſcopum: ut *cap. 1. de Offic. Legat. & c. Duo ſimul.* 9. *h. t.* cum ſimilibus.

4 Secundus, ac cæteris notabilior, & per ly, *Viſitat*, denotatus caſus, eſt, quando Archiepiſcopus viſitat Provinciam: tunc enim habet exercitium jurisdictionis in ſubditos Suffraganei; potéſtque non ſolùm procurationes ratione viſitationis debitas ab ipſis exigere, *c. Cùm ex officij.* 17. *de Præſcript. & c. Sopitæ.* 14. *de Cenſib. & c. Romana. eod. in 6.* Sed etiam eorum omnium Confeſſiones audire, ipſos abſolvere, atque pœnitentias injungere ſalutares, *cap. ult. de Cenſib. in 6.* Idque tam per ſe, quàm per alios, etiam abſolvendo à caſibus Epiſcopo illi Suffraganeo reſervatis: quia eo tempore, quo Archiepiſcopus Diœceſim viſitat, cenſetur Diœceſis illa tanquam ſua, & ipſe habere in ea jurisdictionem quaſi Epiſcopalem Epiſcopo ſuperiorem. Barboſa *lib. 1. Jur. Eccleſ. univ. cap. 7. n.* 89. & alij.

Non tamen poteſt Archiepiſcopus viſitans, jurisdictionem Fori contentioſi exercere in ſubditos Epiſcopi Suffraganei. Quaranta *in Summa Bullar. ℣. Archiepiſcopi authoritas. verſ.* 3. Barboſa *loc. cit. n.* 92. Niſi in duobus caſibus, videlicet in criminibus notorijs puniendis; ut *d. c. Romana. §. Sanè. de Cenſib. in 6.* Et quando ſubditi Suffraganeorum vel ipſi Archiepiſcopo jurisdictionem in Provincia ſua exequenti, vel ejus Nuntijs, aut Familiæ injuriam, ſeu manifeſtam offenſam inferre præſumunt, etiamſi ejus jurisdictionē inde impediri non contingat, *cap. 1 de Pœnis in 6.* Quod extenditur etiam ad illos, qui Archiepiſcopo viſitanti denegant debitâ procurationem: nam tales vel aliter punire, vel etiam excommunicare poterit, *arg. d. c. Cùm ex officij.* 16. *de Præſcript.* ac notat Abbas *ibid. n.* 11. Pirhing *h. t. n.* 25. & alij. 46

Ubi tamen breviter notandum, quòd olim Archiepiſcopus, viſitatâ propriâ Eccleſia, Diœceſi, Clero & Populo, illicò potuerit procedere ad viſitandam Provinciam, vel in toto, vel in parte; prout ampliùs habetur *in cap. 1. de Cenſib. in 6.* Verùm ſpectato Jure novo, ex Decreto Concilij Trident. *Seſſ. 24. cap. 3. de Reform.* Metropolitanus, etiam poſt plene viſitatam propriam Diœceſin, nō poteſt viſitare Eccleſias Cathedrales, neque Diœceſes ſuorum Comprovincialium, niſi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali. 47

Tertius atque in præmiſſis verſiculis per ly, *Deſes Præſul*, ſignificatus caſus eſt, quando Suffraganeus Epiſcopus eſt negligens in eo, quod ipſe facere debet. Quia tunc Archiepiſcopus ſupplere poteſt negligentiam ejus, ſicque in ipſius ſubditos jurisdictionem exercere; prout uberiùs dictum eſt ſuprà *Tit.* 10. *De ſupplenda negligentia Prælatorum, à n. 9. uſque ad num.* 32. Et hi tres ſunt cæteris principaliores caſus, in quibus Jure ſic diſponente Archiepiſcopus exercet jurisdictionem in ſubditos Suffraganei. Nunc cæteros per ordinem, prout in præallegatis verſiculis continentur, proſequendo, 48

Quartus importatur per ly, *Officium varium.* Idque accidit, quando ſubditi Provinciæ deviant à conſuetudine Eccleſiæ Metropolitanæ in Divinis Officijs: quia tunc authoritate Metropolitanæ Sedis poſſunt cogi ad obſervandum in ipſis unū cun- 49

eundémque modum, *can. De ijs. diſt.* 12. Intellige, quando inferiores Eccleſiæ nondum habent certam in iſtis conſuetudinem: tunc enim recurrendum eſt ad conſuetudinem Eccleſiæ Metropolitanæ, *c. Tuas dudum.* 5. *de Sponſa duor.* Secùs, quando inferiores Eccleſiæ illius Provinciæ per rationiabilem, ac legitimè præſcriptam conſuetudinē, obſervant alium modum in pſallendo, ac peragendis Divinis Officijs, *arg. can. Illud breviter. diſt.* 12. & notat Hoſtienſis *in Summa. n.* 7. *h. t.* ac Gloſſa marginalis, & Abbas *in d. c. Paſtoralis. n.* 9. *eod.*

50 Quintus caſus importatur per ly, *Forus*: & tunc accidit, quando Clericus, vel Laicus, conqueritur de injuſta excommunicatione; nam tunc Archiepiſcopus per querelam aditus, primò remittit excommunicatum ad Epiſcopum pro abſolutione eidem impertienda: & ſi Epiſcopus noluerit ipſum abſolvere, tunc Archiepiſcopus (receptâ priùs cautione juratoriâ, quòd velit ſuo Epiſcopo competenter ſatisfacere) poterit illum abſolvere; prout habetur *in c. Ad reprimendam.* 8. *h. t.* Huc accedit caſus ille, ſi Clericus conveniat Epiſcopum Suffraganeum civiliter: quia tunc debet ſequi Forum Epiſcopi, ſicque poteſt ipſum convenire coram Archiepiſcopo, ut jam dictum ſuprà *n.* 38.

51 Sextus caſus ſignificatur per ly, *Crimen*; & fit, quando criminalis cauſa agitatur inter Epiſcopum & Clericum, vel Laicum ſubditum, cui Epiſcopus crimen Eccleſiaſticum impoſuit: tunc enim cauſa illa debet deduci ad Synodum, in qua præeſt Archiepiſcopus; ut *can. Epiſcopus.* 6. *q.* 2. junctâ Gloſsâ, & Archidiacono *ibid.*

52 Septimus denotatur per ly, *Peccans*; hoc eſt, quando ſubditus Suffraganei peccat, ſeu delinquit in propria Diœceſi Archiepiſcopi: nam generale eſt, quòd ratione delicti efficiatur quis de jurisdictione illius, in cujus territorio delinquit, *cap. ult. de Foro compet.*

53 Octavus indicatur per ly, *Non parens*: & accidit, quando ſubditus Suffraganei conqueritur de injuſta ejus excommunicatione coram Archiepiſcopo, ſed per hunc abſolutus (ſervatis tamen ſervandis, ac *num.* 50. jam expreſſis) poſteà non vult parere mandatis Suffraganei, neque ipſi, ut debet, ſatisfacere. Tunc enim per Archiepiſcopum reducitur in eandem excommunicationis ſententiam, ſicque hic in ipſum exercet jurisdictionem. Patet hoc ex *cit. c. Ad reprimendam.* §. *fin. h. t.*

54 Nonus caſus datur per ly, *Res*. Nam generale eſt, quòd ratione rei, de qua litigatur, quis ſortiatur forum, *cap. ult. de Foro compet.* ac proinde, quando ſubditus Suffraganei habet v. g. prædium in Diœceſi, ſeu territorio Archiepiſcopi, ratione ipſius poteſt coram Archiepiſcopo conveniri, atque hic in illum exercere jurisdictionem.

55 Decimus caſus eſt *Conſultatio*, ſeu quando Suffraganeus cauſam inter ſubditos ſuos exortam, & magis controverſam, remittit ad Archiepiſcopum per relationem, ſeu conſultationem; quia tunc Archiepiſcopus ſe impendit tali cauſæ inter ſubditos Suffraganei ſui, *can. Multis. diſt.* 17. & tradit Abbas *in cit. c. Paſtoralis. n.* 11. *h. t.* poſt Hoſtienſem.

56 Undecimus caſus eſt, quando *Canonici tumidi*, abſque manifeſta & rationabili cauſa, maximè in contemptum Epiſcopi, ceſſant à Divinis in Eccleſia Cathedrali, vel hanc (ubi id poſſunt de conſuetudine) ſupponunt Interdicto: quia tunc Metropolitanus ad querelam Epiſcopi ſuper hoc cognoſcit, tanquam Delegatus à Papa, *c. Irrefragabili.* 13. §. *Cæterùm.* & Gloſſa *ibid.* ℣. *Super hoc delegatus. h. t.*

57 Duodecimus caſus eſt *Sententia nequam*: quando videlicet notorium eſt, ſententiam Epiſcopi, ut puta quempiam excommunicantis poſt appellationem ab eo ad Sedem Apoſtolicam interpoſitam, eſſe injuſtam. Quia tunc Archiepiſcopus, ſi ipſum ſubditus Suffraganei taliter gravatus ſuper emendatione ejusmodi actûs manifeſtè injuſti adierit, poteſt authoritate Metropolitanâ declarare, ſubditum illum tali ſententiâ non ligari, *c. Sollicitudinem.* 54. §. *Si verò notorium. de appellationib.*

Decimus tertius caſus inſinuatur per ly, *Indulget*: quia videlicet Archiepiſcopus, licèt non ſit judex ordinarius omnium de Provincia, nihilominùs per totam Provinciam poteſt liberè dare Remiſſionis Litteras generales; hoc eſt, poteſt Indulgentias concedere ſecundùm formam Concilij Generalis; prout habetur *in c. Noſtro.* 15. junctâ Gloſsâ ℣. *Per tuam Provinciam. de Pœnit. & remiſſ.*

Decimus quartus caſus importatur per ly, *Cuſtos*: & conſiſtit in hoc, quòd Eccleſiâ Suffraganei vacante, ſi non ſuperſint Canonici, qui cuſtodiant bona Menſæ Epiſcopalis, vel adſint duntaxat minùs idonei, aut ſuſpecti, tunc Metropolitanus bona ejusmodi cuſtodire poſſit; ita tamen, ut de iſtis nihil auferat, ſed illibata omnia Epiſcopo, qui ibi ordinabitur, reddat. Patet hoc ex *can. Non liceat alicui.* 12. *q.* 2.

Decimus quintus caſus denotatur per ly, *Quia Papa dat*: quando videlicet Archiepiſcopus per ſpeciale privilegium Papæ ampliorem habet jurisdictionem in ſubditos Suffraganeorum, *c. Duo ſimul.* 9. *in fin. h. t.*

Decimus ſextus caſus inſinuatur per ly, *Uſus*: & fit, quando per longævum uſum, ſive conſuetudinem legitimè præſcriptam, obtinuit Archiepiſcopus ampliorem jurisdictionem in ſubditos Suffraganei, *arg. can. Conqueſtus.* 9. *q.* 3. *& c. Duo ſimul h. t.* ibi: *Vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo* Siquidem conſuetudo dat jurisdictionē; prout, præter Jura hìc allegata, deſumitur *ex c. Romana* §. *Neque. de Foro compet. in* 6. & notat ibi Gloſſa, ℣. *De conſuetudine.*

Decimus ſeptimus caſus ſignificatur per ly, *Permutat ſocijs*: hoc eſt, quando Epiſcopus permutationem facit cum Capitulo ſuo: quia talis permutatio non debet fieri ſine conſenſu Superis, *arg. c. Cùm Apoſtolica. De his quæ fiunt à Prælat.* Hoſtienſis *cit. n.* 7. ℣. *Permutat.*

Deci-

Decimus octavus tandem caſus exprimitur illis verbis, *Suſpectus cúmque remittit*: hoc eſt, quando Epiſcopus Suffraganeus, qui recuſatur ex juſta cauſa veluti ſuſpectus, remittit cauſam ad Superiorem, ſive Metropolitanum: tunc enim Archiepiſcopus in cauſa illa procedere debet, *c. Cùm ſpeciali. 61. §. 1. in fin. de Appellat.* Abbas *ubi ſuprà, n.* 11. Hoſtienſis, & alij.

§. III.

De Poteſtate Epiſcôpi generatim.

SUMMARIUM.

64. Epiſcopi *nomen eſt antiquiſſimum, & idem ſignificat, ac* Superintendens.
65. *Poteſtas Epiſcopi generatim eſt duplex, nempe Ordinis, &*
66. *Poteſtas juriſdictionis; & in quo conſiſtant?*
67. *Epiſcopi non ſolùm habent juriſdictionem ordinariam, ſed etiam Imperium mixtum, & merum.*
68. *Poteſtas Ordinis confertur Epiſcopis immediatè à Deo.*
69. *An idem dicendum de poteſtate juriſdictionis? Et num. 68. & ſeqq.*
70. *Juriſdictio Epiſcopalis ſecundùm ſe, ac in generali, eſt inſtituta à Chriſto.*
71. *Et ab eodem immediatè collata D. Petro, cæteriſque Apoſtolis.*
72. *Sed cum diſcrimine; & quali?*
73. *Juriſdictio Epiſcoporum, prout reſpicit has vel illas perſonas, vel Eccleſias &c. immediatè provenit à Papa. Et num. 69. & 74. & ſeqq.*
74. *Eccleſia Romana inſtituit Epiſcopatus.*
75. *Solvuntur inſtantiæ contra dicta. Et num. ſeqq.*
76. *Epiſcopi ſuccedunt in locum Apoſtolorum; & quomodo?*
77. *Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia; & quomodo?*
78. *Epiſcopus debet juſtam cenſuram, quam inferior Ordinarius in ſibi ſubjectum tulit, obſervare, nec eam ſine hujus præſcitu relaxare.*
79. *Et hujus ratio.*
80. *Quid ſi ſubditus inferioris conqueratur Epiſcopo, ſe injuſtè excommunicatum fuiſſe?*
81. *An valeat tunc abſolutio per Epiſcopum data irrequiſito Ordinario inferiore? Et n. 78.*
82. *Poteſtas Epiſcopi, ad quæ in ſpecie ſe ſe extendat? Remiſſivè.*

QUæritur I. Quotuplex, & qualis ſit poteſtas Epiſcopi? Ubi prænotandum, quòd *Epiſcopi* nomen ſit antiquiſſimum, ſimúlq; græcum compoſitum ex ly ἐπί quod *ſuper*, & σκόπος, quod latinè *intentio* ſignificat: quaſi Epiſcopus ſit *Superintendens*, ſeu curam gerens eorum, quibus præficitur; prout notatur *in can. Qui Epiſcopatum. 8. q. 1. & can. Cleros. diſt.* 21. Et licèt vocabulum iſtud etiam apud Ethnicos fuerit uſitatum, defactò tamen apud Chriſtianos ſignificare ſolet eum, qui & Clero & Populo præeſt in ſpiritualibus. Huc adde dicta paulò ſuperiùs *num. 16. & ſeqq.* Quibus prænotatis

Reſp. I. Poteſtas Epiſcopi generatim eſt duplex, Ordinis videlicet, & juriſdictionis. Ita cōmunis. Et quidem *Poteſtas Ordinis* dicitur illa, quæ dependet ab Ordine, ſeu charactere Epiſcopali: & hæc potiſſimùm conſiſtit in tribus, nempe in confirmando, ordinando, & conſecrando. Unde Epiſcopus nondum conſecratus ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, per ſemetipſum exercere non poteſt: quamvìs poſſit alteri Epiſcopo delegare, ſeu licentiam, facultatémque committere, ut ſuo loco ſacras Ordinationes, Conſecrationes, aliáq; quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis peragat, *c. Suffraganeis.* 11. *de Elect.*

Poteſtas juriſdictionis eſt, per quam Epiſcopus conſtituitur Judex & Paſtor Eccleſiæ ſuæ, ut poſſit cauſas decidere, Beneficia conferre, viſitare, corrigere, & delinquentes punire juxta ſtatuta Sacrorum Canonum, invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio Brachij ſæcularis; prout habetur *cap. 1. h. t.* junctâ Gloſsâ, & DD. ibidem. Et quidem hujusmodi juriſdictio jure ordinario competit Epiſcopis, *text. clar. c. Cùm Epiſcopus. h. t. in 6.* ibi: *Cùm Epiſcopus in tota ſua Diœceſi juriſdictionem ordinariam noſcatur habere.* Idque intellige non ſolùm de Epiſcopo conſecrato, ſed etiam de electo, & confirmato tantùm; uti liquet *ex c. Transmiſſam.* 15. *de Elect.*

Reſp. II. Epiſcopi in ſuis Diœceſibus non ſo- 67
lùm habent juriſdictionem ordinariam, ut *num. præc.* dictum; ſed etiam Imperium mixtum, & merum. Ita Fagnanus *in c. Pernicioſam. n. 25. h. t.* citans alios. Ratio eſt: quia Epiſcopi poſſunt in ſuis Diœceſibus inquirere, ac punire crimina, *cit. cap. 1. h. t.* Item poſſunt excommunicare, *c. Per tuas. 40. & c. Ut animarum. de Conſtitut. in 6.* & alia hujusmodi in criminoſos exercere: Atqui talia ſpectant ad mixtum, & merum Imperium, ut patet ex dictis ſuprà *Tit. De Officio & poteſtate Judicis Delegati.* §. 1. *n.* 26.

Quæritur II. An poteſtas juriſdictionis com- 68
petat Epiſcopis immediatè à Deo, vel potiùs mediante Papâ? Et notanter dicitur, *Poteſtas juriſdictionis*: de hac quippe ſolummodò eſt quæſtio, & controverſia aliqua inter Doctores, quâ fuſiſſi-

mè examinat Fagnanus *in c. Pernicioſam. n.* 28. *& ſeqq. h. t.* Nam Poteſtatem Ordinis conferri Epiſcopis vi ſuæ conſecrationis, adeóque immediatè à Deo, certum eſt: unde & hæc ab Eccleſia ampliùs auferri, vel impediri non poteſt, ſicut nec Character Epiſcopalis, utpote indelebilis. Verùm loquendo de Poteſtate jurisdictionis non parùm variant Doctores, uti videre eſt apud Bellarminum *lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.* 22. *& ſeqq.* Azorium *tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 30. *quæſt.* 13. Fagnanum *loc. cit.* Pirhing *h. t. num.* 39. *& ſeqq.* ac alios. Unde

69 Reſp. I. Quamvis jurisdictio ordinaria Epiſcoporum ſecundùm ſe, ac in generali conſiderata, à Chriſto fuerit inſtituta; adeòque ea non ſit poteſtas gubernandi purè temporalis & civilis, ſed ſpiritualis atque divina: nihilominùs ſi ipſa conſideretur quoad has vel illas perſonas; quibus confertur, & in ordine ad certas Diœceſes, loca ſeu populos, reſpectu quorum ea confertur, ſic ipſa deſcendit immediatè à Romano Pontifice, tanquam Vicario Chriſti, & ſupremo Eccleſiæ Univerſalis Paſtore. Ita Pirhing *loc. cit.* appellans hanc ſententiam veriſſimam, & hodie communem Theologorum & Canoniſtarum. Idipſum in re, ſub alijs tamen terminis, tradit Fagnanus, *ubi ſuprà, n.* 30. dicens, quòd quantùm ad immediationem virtutis, Poteſtas Epiſcopi ſit immediatè à Chriſto; non verò, quantùm ad immediationem ſuppoſitorum agentium: ſic enim (ut idem in progreſſu explicat) mediat Summus Pontifex, vocans alios Epiſcopos in partem ſolicitudinis, eiſque dividens certas Diœceſes, harúmque Populos gubernandos; quamvis virtus Poteſtatis Epiſcopalis ut ſic deſcendat imediatè ex Chriſti inſtitutione. Idem tradit Sannig *h. t. cap.* 6. *num.* 3. & Engel *tit. de Majorit. & obed. n.* 34. ubi ait, poteſtatem jurisdictionis Epiſcopi ſub diverſo reſpectu (videlicet modo explicato) dari à Chriſto, & à Papa.

70 Prima pars, nempe jurisdictionem Epiſcopalem ſecundùm ſe, ac in generali ſpectatam, ſive (ut loquitur Fagnanus) quantùm ad immediationem virtutis, fuiſſe inſtitutam à Chriſto Domino, patet ex S. Scriptura. Nam, ubi Chriſtus *Joan.* 21. dixit B. Petro: *Paſce oves meas.* Et rurſus, dum *Matth. cap. ult.* generatim præcepit Apoſtolis: *Euntes in Mundum univerſum, docete omnes gentes* &c. præbuit ſimul ipſis poteſtatem, non ſolùm ubique prædicandi Evangelium Dei, ſed etiam fundandi Eccleſias, & creandi Epiſcopos in univerſo Mundo: quod & Apoſtoli ritè poſtmodùm obſervârunt, ut patet ex eorum Actis.

71 Ubi tamen notandum cum Bellarmino *loc. cit. cap.* 22. *& ſeqq.* Barboſa *part.* 1. *de Offic. & poteſt. Epiſc. tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 31. Pirhing *h. t. num.* 40. & alijs, quòd non ſolùm D. Petrus, ſed etiam cæteri Apoſtoli, immediatè à Chriſto acceperint munus Apoſtolatûs, ſicque jurisdictionem, atque authoritatem ubique terrarum prædicandi verbum Dei, fundandi Eccleſias, & creandi Epiſcopos, juxta illud Lucæ 6. *Vocavit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit,* cum ſimilibus. Quod etiam D. Paulus de ſemetipſo teſtatur *Galat. cap.* 1. illis verbis: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum patrem:* & ampliùs probat Bellarminus *cit. cap.* 22. Ac proinde quoad hujusmodi auctoritatem Apoſtolatûs, & jurisdictionem adminiſtrandi pro toto Orbe terrarum abſque ulla limitatione, par fuerit poteſtas omnium Apoſtolorũ, *arg. can. In novo. diſt.* 21. ibi: *Cæteri verò Apoſtoli cum eodem* (Petro) *pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt.* Et can. Loquitur Dominus. 24. q. 1. ibi: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis.* Quamquàm in hoc poſteriori Canone rectè notetur, quòd Eccleſia, ad conſervandam ejus unitatem, ſuper unum, hoc eſt, Petrum Apoſtolum, ſit ædificata: ſive, ut legitur *in can. Ita Dominus. diſt.* 19. præfati muneris Sacramentum per Chriſtum in Beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocatum fuerit.

72 Nihilominùs præter jam dictam differentiam, aliud adhuc diſcrimen intercedit inter præfatam poteſtatem jurisdictionis à Chriſto immediatè conceſſam D. Petro, & cæteris Apoſtolis. Nam poteſtas fundandi ubique terrarum Eccleſias, creandiq; Epiſcopos, B. Petro collata fuit non ſolùm ratione Apoſtolatûs, ſed etiam ratione officij Vicariatûs Chriſti, ac veluti ordinaria, & perpetuò duratura; quæ proinde, unà cum officio Vicariatûs Chriſti, tranſijt ad legitimos ejus Succeſſores Romanos Pontifices. In alijs autem Apoſtolis poteſtas illa, & jurisdictio, ſolummodò fuit perſonalis, utpote ipſis unà cum Apoſtolatu, & dono Linguarum, atque miraculorum, propter neceſſitatem illius temporis, & primæ fundationis Eccleſiæ, per ſpeciale privilegium à Chriſto Domino conceſſa, & cohærens: atque idcircò privilegium illud, veluti perſonale, in morte ipſorum extinctum fuit, nec tranſijt ad Succeſſores ipſorum, quales ſunt Epiſcopi Papâ inferiores; ut *can. In novo. diſt.* 21. *& can. Quorum vices. diſt.* 68.

73 Altera verò pars, nempe jurisdictionem Epiſcoporum quantùm ad immediationem ſuppoſitorum agentium, ſeu prout reſpicit has vel illas perſonas, Eccleſias &c. quibus, vel reſpectu quarum eſt collata, immediatè provenire à Papa, clarè deſumitur *ex can. Qui ſe ſcit.* 2. *quæſt.* 6. ubi Vigilius Papa ſic ait: *Ipſa namque Eccleſia* (Romana) *quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſijs vices ſuas credidit largiendas, ut in partem vocatæ ſint ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Quibus ſimilia habentur *in can. Decreto.* 2. *q.* 6. *& can. Multùm.* 3. *quæſt.* 6. *& can. Sacroſancta. diſt.* 22. Nam ex illo loquendi modo manifeſtè habetur, alios Epiſcopos habere jurisdictionem ſuam, ſeu partem ſollicitudinis, immediatè ab Eccleſia Romana, quæ prima eſt & Magiſtra aliarum.

Acce-

74 Accedit, quia Eccleſia Romana inſtituit Epiſcopatus, *can. Omnes. diſt.* 22. ac Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedit, *can. Eccleſias.* 13. *q.* 1. cum ſimilibus; ergo etiam Epiſcopi ab ea immediatè accipiunt jurisdictionem quoad has, vel illas Eccleſias, perſonas, & loca: nam nomine Presbyteri deſignari Epiſcopum, habetur *can. Legimus. diſt.* 93. Idipſum confirmat, & ampliùs declarat Gloſſa *un. in c. Quod translationem. de Offic. Legat.* pluribus allegatis Juribus oſtendens, quòd ſolus Papa Epiſcopos creat, transfert, deponit, eorúmque poteſtatem auget, vel reſtringit; & ipſe Diœceſes erigit, dividit, ampliat, vel minuit: quod eſt evidens ſignũ, Epiſcopos proximè ac immediatè accipere jurisdictionem ſuã à Papa. Alioquin certè, ſi poteſtas jurisdictionis Epiſcoporum immediatè foret à Chriſto, ea nõ poſſet ampliùs per Eccleſiam auferri, vel reſtringi: prout patet in poteſtate Ordinis Epiſcopalis, quæ cùm immediatè ſit à Deo, nequit per Eccleſiam ampliùs tolli, ſeu limitari, quin ſaltem validè exerceatur.

75 Nec obſtat illud Actor. c. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Reſp. enim, hinc ſolùm ſequi, jurisdictionem Epiſcoporum eſſe mediatè à Spiritu Sancto, nempe mediante authoritate Eccleſiæ, non autem immediatè: quo modo etiam *Epheſ.* 4. dicitur, quòd *Deus dedit quidem quosdam Apoſtolos, alios autem Paſtores & Doctores &c.* Vel certe illud ex eo ſic dicitur, quia Epiſcopatus ſecundùm ſe, ac in generali, eſt à Deo inſtitutus: nam iidem Epiſcopi, ad quos ibidem loquitur Apoſtolus, non immediate à Chriſto, ſed ab Apoſtolis, à quibus tunc proprijs in Eccleſijs fuerunt conſtituti Epiſcopi, ſuam acceperunt poteſtatem jurisdictionis; ſicque præſens inſtantia parùm urget.

76 Nec obſtat ulteriùs, quòd Epiſcopi ſuccedant in locum Apoſtolorum, *can. In novo. diſt.* 21. cum ſimilibus; & fatetur Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 4. ibi: *Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt.* Reſp. enim, hinc neutiquam ſequi, etiam Epiſcopos immediatè à Chriſto ſuam accipere jurisdictionem, prout receperunt Apoſtoli: ſicut ex eo, quòd omnes homines ſuccedant primo parenti Adamo, peſſimè infertur, eos omnes immediatè â Deo formari ex limo terræ. Succedunt itaque Epiſcopi in locum Apoſtolorũ, tum ratione Ordinis Epiſcopalis; tum etiam per quandam ſimilitudinẽ, & proportionem, ratione officij ſui: quia ſicut olim ſub Chriſto adhuc vivente primi fuerunt duodecim Apoſtoli, dein ſeptuaginta duo Diſcipuli; ita nunc primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, dein Presbyteri, Diaconi &c. Non verò ſuccedunt Apoſtolis Epiſcopi quoad omnia alia: quia non habent Donũ linguarum & miraculorũ, nec auctoritate ſcribendi Libros Canonicos, neque poteſtatem prædicandi, ac fundandi Eccleſias toto terarũ Orbe, ut habuerunt Apoſtoli. Bellarmin. *cit. lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.* 25.

77 Nec obſtat tandem illud vulgatum dictum *Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia, niſi quid ſit ſpecialiter exceptum.* Reſp. enim, dictum illud eſſe intelligendũ cum debita ſubordinatione ad Summum Pontificem, & ſalvis Conſtitutionibus Papalibus, quibus Epiſcopus ſubeſſe debet; prout ampliùs declaratum eſt ſuperiùs *Tit. De Conſtitutionibus* §. 4. *n.* 77. & 78.

Quæritur III. Utrùm illum, quem inferior Prælatus excomũnicavit, poſſit Epiſcopus hoc inſcio abſolvere? Reſp. I. Quando inferior Ordinarius ſubditus Epiſcopi, ut puta Archidiaconus, vel Decanus, profert in ſibi ſubditum juſtam cenſuram Eccleſiaſticam, v. g. ſententiam excommunicationis, tunc Epiſcopus eandem obſervare debet, nec illã ſine debita ſatisfactione, & præſcitu proferentis relaxare: quamvis ſi tunc abſolverit, teneat abſolutio per Epiſcopum facta. Ita deſumitur ex *c. Cùm ab Eccleſiarum.* 3. *h. t.* & tradunt ibidem Gloſſa *fin.* & Abbas *in Summario.* Vivianus *in Rationali.* Pirhing *h. t. n.* 74. & alij. Concordat *c. Ad reprimendam.* 8. *h. t.* ubi Innocentius III. mandat Archiepiſcopo Rothomagenſi, ejúsque Suffraganeis, ut ſicut ipſi latas ab eis interdũ in ſubditos ad reprimendam horum malitiam pœnas, ſeu cenſuras Eccleſiaſticas, volunt inviolabiliter obſervari: ita latas ab alijs (putà, ab Epiſcopo Lexovienſi, Suffraganeo illius) debeant inviolabiliter obſervare. 78

Accedit ratio: quia Eccleſiaſticus confunditur ordo, ſi ſua unicuiq; jurisdictio non ſervetur, *can. Pervenit. 11. q.* 1. Et quia cenſura per Ordinarium lata, ſemper præſumitur juſta, donec contrariũ probetur, *c. In præſentia. 6. de Renunciat.* ſimúlque excommunicatus in uno loco, ubiq; eſt excommunicatus, cùm excommunicatio ſequatur perſonam, ſicut lepra leproſum, *arg. can. Citò turpem.* 1. *q.* 1. Hinc ipſa per unum Ordinarium legitimè lata, debet etiam per alium, quamvis ejus Superiorem, obſervari, ut probant Jura allegata. 79

Et hoc procedit, etiamſi ſubditus Ordinarij inferioris conqueratur Epiſcopo, ſe injuſtè cenſurâ affectũ, & v. g. excommunicatum fuiſſe. Adhuc enim non illicò Epiſcopus ipſum debet abſolvere, ſed anteà eum remittere ad ſuum Ordinarium inferiorem, à quo fuit excomũnicatus, ut ipſum abſolvat, *cit. c. Ad reprimendam.* §. *fin. h. t.* éſtque in ſimili dictum ſuperiùs *num.* 50. 80

Quòd ſi tamen Epiſcopus talem abſolvat irrequiſito Ordinario inferiore, tenet quidem abſolutio (nam Epiſcopus eſt ſuperior altero, éſtque Ordinarius totius Diœceſis, *can. De perſona.* 11. *q.* 1. ſicque habet concurrentem jurisdictionem erga omnes ſubditos ſuos cum quocunque inferiore Ordinario) malè tamen in hoc facit, utpote ſine juſta cauſa turbans jurisdictionem inferioris; ut *cit. c. Cùm ab Eccleſiarum.* junctâ Gloſſâ *fin.* & DD. *ibid. h. t.* 81

Cæterùm, ad quæ in ſpecie ſeſe extendat Officium, atque Poteſtas Epiſcopi, partim ſuo loco dicetur in proprijs Titulis, partim fuſiſſimè declaratur ab Auguſtino Barboſa in tribus integris Tomis, *De Officio & Poteſtate Epiſcopi,* inſcriptis. 82

§. IV.

De Lege Diœceſana, & Lege juriſdictionis Epiſcoporum.

SUMMARIUM.

83. *Jura Epiſcopalia ſpectant vel ad Legem Diœceſanam, vel ad Legem juriſdictionis.*
84. *Quæ ſunt valdè diverſæ.*
85. & 86. *Omnia Monaſteria regulariter ſunt exempta à Lege Diœceſana.*
87. *Non verò Capellæ, ſeu Parochiæ ſæculares ipſis incorporatæ.*
88. *Monaſteria à lege Juriſdictionis neutiquam ſunt exempta. Et num. 85.*
89. *Niſi ſpeciali privilegio ſint munita; quale defactò habent plerique Ordines Regulares.*
90. *Lex Diœceſana, & Lex juriſdictionis, quomodo ſint interpretandæ? Et num. ſeqq.*
Quæ in dando *conſiſtunt, ſpectant ad Legem juriſdictionis. Ibid.*
91. *Quæque conſiſtunt* in recipiendo, *pertinent ad Legem Diœceſanam.*
92. *Hæc opinio graviter impugnatur.*
93. *Sed defenditur ſolvendo contraria.*
94. *Alia quorundam opinio, quæ reijcitur.*
95. *Ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum, quæ ſpecialim pertineant? Et num. ſeqq.*
96. I. *Ad eam pertinet Cathedraticum.*
Cathedraticum, quid, & unde ſic dicatur? Ibid.
97. II. *Quarta Decimationum.*
Ad hanc non tenentur Monaſteria, & Eccleſiæ non Parochiales. Ibid.
98. III. *Quarta Mortuariorum, ſeu Funeralium.*
99. *Ab hac de Jure non eximuntur Monaſteria.*
100. *Et quid de conſuetudine, aut ſpectatis privilegijs Apoſtolicis?*
101. IV. *Tertia pars Oblationum: & quid defactò?*
102. V. *Convocatio ad Synodum.*
Abbates, an cogantur venire ad Synodum? Ibid.
103. *Synodus eſt mixti juris.*
104. VI. *Charitativum ſubſidium.*
Monaſteria ad hoc non tenentur, niſi habeant annexas Eccleſias ſæculares. Ibid.
105. *Procurationes tempore viſitationis præſtari ſolitæ, an pertineant ad Legem Diœceſanam?*
106. *Aſſerens, aliquid pertinere ad Legem Diœceſanam, tenetur hoc probare.*

83 QUæritur I. Quid generatim ſit tenendum de Lege Diœceſana, & juriſdictionis, & an Monaſteria ab eis ſint exempta? Reſp. I. Jura Epiſcopalia ſunt in duplici differentia: alia ſiquidem ſpectant ad *Legem Diœceſanam*, alia ad *Legem juriſdictionis*: atque in his duabus conſiſtit totum jus, authoritas, & poteſtas Epiſcoporum. Ita deſumitur ex *c. Conquerente. 16. h. t.* ubi ejusmodi jura Epiſcopalia enumerantur; *& c. Dilectus. 18. eod.* junctâ Gloſsâ ibidem expreſsè docente, quòd in hiſce duabus Legibus conſiſtat totum jus, & poteſtas Epiſcoporum; eſtque communis, ac patebit ex declaratione dictarum Legum.

84 Reſp. II. Lex Diœceſana, & Lex juriſdictionis, ſunt valdè diverſæ, adeóque res judicata in una, non obſtat agenti in altera. Textus eſt in *cit. c. Dilectus. 18. h. t.* juncto Summario, & DD. ibidem; idque pariter ampliùs patebit ex dicendis.

85 Reſp. III. Omnia Monaſteria regulariter loquendo ſunt exempta à Lege Diœceſana, & quidem ipſo jure ob favorem Religionis: non verò à Lege juriſdictionis, niſi ſpeciali privilegio ſint munita. Ita Gloſſa *fin. in c. Dilectus.* & Abbas *ibid. n. 4.* & Fagnanus *n. 3. h. t.* Engel *in Privilegijs Monaſteriorum, Privileg. 3. num. 2.* & alij communiter.

86 Prima pars habetur expreſsè *in can. Si ex Laicis. 10. q. 1. & can. Inter cætera. 10. q. 3. & can. Cùm pro utilitate. 16. q. 1. & can. Quàm ſit. 18 q. 2.* ubi apertè quæcunque Monaſteria à Lege Diœceſana, ſeu ſolvendis Epiſcopo certis penſionibus ſuorum redditiuum, dicuntur exempta. Quod tamen procedit regulariter loquendo, ac niſi ſecùs habeatur ex primæva fundatione, diuturna conſuetudine, ſeu legitima præſcriptione, ac ſecluſis caſibus illis, in quibus expreſsè reperitur contrarium à Jure ſtatutum.

Dicitur etiam notanter in Concluſione, *omnia Monaſteria*: hoc eſt, ſive cæteroquin ſint exempta à juriſdictione Epiſcopi, ſive nō. Secùs enim eſt dicendum de Capellis eorum: quia Capellæ Monaſteriorum, ſeu Parochiæ ſæculares ipſis incorporatæ, niſi ſint exemptæ, ſubijciuntur Legi Diœceſanæ, *arg. c. De Monachis. 12. de Præbend. & c. Ex ore. §. fin. de Privileg. & c. Quoniam. 21. eod.* cum ſimilibus; & tradit Gloſſa *fin. in cit. c. Dilectus. h. t.* & Abbas, *ubi ſuprà*, dicens, quòd Monaſterium habens populum non exemptum, ſubeſt Epiſcopo ratione populi quoad utramque Legem. 87

Altera verò pars, videlicet, quòd Monaſteria à Lege juriſdictionis Epiſcopi neutiquam ſint exempta, niſi ſpeciali privilegio ſint munita, patet ex *can. Interdicimus. 16. q. 1. & can. Monaſteria. & can. Cognovimus. 18. q. 2.* ubi expreſsè hoc legitur ſtatutum. 88

Additur notanter, *niſi ſpeciali privilegio &c.* Quia hodie plerique Religioſi Ordines, præſertim 89

timMendicantium, & omnia ipſorum Monaſteria, pro commodiori eorum gubernio, majoríq; tranquillitate, & pace, authoritate Apoſtolicâ, ab Epiſcoporũ jurisdictione, ſicque à Lege tum Diœceſana, tum juridictionis ipſorum, per diverſos Romanos Pontifices exempti ſunt, & immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecti, exceptis dũtaxat certis caſibus infrà per duos Paragraphos referendis; prout inter alios latè oſtendit Emman. Rodericus *Tom. 2. Quæſt. Regul. q. 64. art. 1. & ſeqq.* & Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 105. *n.* 11. *&* 12. omnes exemptos Religioſos Ordines in particulari recenſens.

Quæritur II. Quomodo interpretanda ſit *Lex Diœceſana*, & *Lex jurisdictionis*? Reſp. I. Quamvìs circa interpretationem dictarũ Legũ nõ parùm varient Authores, uti videre eſt apud Fagnanum *in cit. c. Dilectus. n. 3. h. t.* & alios; magìs tamen expedita, & cæteris clarior eſt interpretatio Gloſſæ *in Summa. cauſ.* 10. *q.* 1. & Gloſſæ *fin. in d. c. Dilectus. h. t.* quam ſequitur Hoſtienſis *in Summa. h. t* §. *Sunt autem.* Sylveſter. *℣. Epiſcopus. v.* 8. & Engel *tit. de Majorit. & obed. n.* 37. atque ampliùs *in Privilegijs Monaſteriorum, Privileg. 3. num.* 2. Qui cenſent, quòd ea, quæ in *dando* conſiſtunt, hoc eſt, quæ Epiſcopus *dare*, ſeu alijs conferre debet, ſicque actionem ejus important, ſpectent ad Legem jurisdictionis: ut ſunt collatio Ordinum, aliorúmque Sacramentorum, datio Curæ animarum, conſecratio Eccleſiæ, vel Altarium, aut Virginum, Chriſmatis confectio, & hujusmodi. Quibus Gloſſa marginalis *in d. c. Dilectus.* addit, cauſas audire, & omnia, quæ circa Judicium aguntur, expedire; item viſitare, corrigere, ſuſpendere, interdicere, ſtatuta facere &c.

Econtrà verò ea, quæ conſiſtunt *in recipiendo*, ſive (ut nonnulli loquuntur) in paſſione dulci, id eſt, quorum recipiendorum jus habet Epiſcopus, pertinent ad Legem Diœceſanam: ut ſunt, exactio Cathedratici, receptio quartæ decimarum, vel funeralium, Vocatio ad Synodum, & hujusmodi.

Fatendum quidem, quòd dictam Gloſſæ opinionem graviter poſt Innocentium impugnet, ac reprobet Abbas *in cit. c. Dilectus. n.* 4. *h. t.* quem noviſſimè ſequitur Fagnanus, *ubi ſuprà, n.* 3. citans alios. Tum quia (inquiunt) dicta Regula Gloſſæ nullo jure probatur. Tũ quia convocatio Synodi nõ conſiſtit in recipiendo, ſeu in paſſione dulci, quinimò præeſt ibidem Epiſcopus, & exercet jurisdictionem, ac punit contemnentes, ſeu nõ venientes; & tamẽ juxta *c. Quod ſuprà.* 9. *de Majorit. & obed.* atque citatam Gloſſam, vocatio ad Synodum ſpectat ad Legem Diœceſanam. Tum tandem, quia procurationes, quæ debentur Epiſcopo ratione viſitationis, conſiſtunt in recipiendo, ſeu in paſſione dulci; idémque patet in exactione Mortuariorum, ſeu quartæ Funeralium, & tamen hæc non ſpectant ad Legem Diœceſanam, ut vult Gloſſa: nam Monaſteria ſunt exempta à Lege Diœceſana, *can. Cùm pro utilitate.* 16. *q.* 1. cum ſimilibus; non autem à præſtatione procurationum, *c. Sopitæ. de Cenſib.* neque ab exactione Mortuariorum, ſeu quartæ Funeralium, *c. Officij.* 14. *& c. Requiſiviſti.* 15. §. *Secùs autem. de Teſtament.* cum ſimilibus.

93 Verùm his non obſtantibus neutiquam videtur recedendũ ab opinione Gloſſæ, & datâ noſtrâ Concluſione; nam ad contraria facilis eſt reſponſio. Et imprimis ad primum dicitur, præfatam Gloſſæ doctirnã abundè colligi *ex c. Conquerente.* 16. *& c. Dilectus.* 18. *h. t.* junctis illis ſacris Canonibus, quibus Monaſteria ob favorem Religionis eximuntur à Lege Diœceſana: fruſtrà enim, & absque ullo ſuo favore taliter eximerentur, niſi Lex Diœceſana quid oneroſum Monaſterijs, & delectabile Epiſcopis, hoc eſt, dulcem horum paſſionem, ſeu in recipiendo conſiſtentem importaret. Ad alterũ dicitur, convocationem Synodi principaliùs conſiſtere in recipiendo; cùm in eadem præſtetur Epiſcopo canonica obedientia, ſubjectio, & reverentia, juxta *cit. c. Conquerente*, licèt acceſſoriè involvat quasdam actiones Epiſcopi, ſicque ſit mixti juris juxta dicenda *num.* 103. Ad ultimum dicitur, caſus illos eſſe de ſpecialiter exceptis, ac in Jure expreſſis.

94 Certe doctrina Gloſſæ taliter declarata longè clariùs explicat naturam Legis jurisdictionis, ac Diœceſanæ, quàm ſi cum Abbate *loc. cit.* & nonnullis alijs dicatur, ad Legem jurisdictionis pertinere ea, à quibus Monaſteria de Jure non reperiuntur exempta: illa verò pertinere ad Legem Diœceſanam, à quibus Monaſteria ſunt exempta, & cæteroquin ſpectant ad jus Epiſcopale. Quis enim non videat, hâc ratione explicari obſcurum per æquè obſcurum? cùm illicò reſtet inveſtigandum, quænam ſint illa pertinentia ad jus Epiſcopale, à quibus Monaſteria eximuntur: nam de his ipſis graviter controvertunt Doctores: unde

95 Quæritur IV. Quænam ſint illa, quæ ſpecialiter pertinent ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum? Reſp. I. Iſthæc enumerantur à Gloſſa *in d. c. Dilectus. h. t.* & Abbate *ibid. n.* 4. §. *Et ideò.* ac alijs; & potiſſimùm ſunt ſequentia.

96 I. De Lege Diœceſana eſt *Cathedraticum*; hoc eſt, annua exactio duorum ſolidorum, quos à qualibet Eccleſia ſuæ Diœceſis, præterquàm à Monaſterijs, poteſt Epiſcopus annuatim exigere, *can. Inter cætera.* 10. *q.* 1. *& c. Conquerente.* 16. *h. t.* Et dicitur *Cathedraticum*: quia datur propter honorem Cathedræ Epiſcopalis, *can. Placuit.* 10. *q.* 3. ubi Gloſſa nomine *Solidi* arbitratur intelligi *Aureum*, ut *L. 2. C. de Sportulis.* Quandoque etiam appellatur *Synodaticum*: quia in Synodo datur, *c. Olim. de Cenſib.* Gloſſa *in cit. c. Conquerente.* ℣. *Duos ſolidos. h. t.*

97 II. De Lege Diœceſana eſt *quarta Decimationum*, ſeu quarta pars Decimarum: hæc enim ſpectato Jure communi debetur Epiſcopo ratione curæ univerſalis, quam habet in Eccleſijs ſibi ſubjectis, *d. c. Conquerente.* junctâ Gloſsâ *ibid. h. t.* Verùm defactò oportet attendere ad conſuetudinem ſingularũ Diœceſium: nam alicubi debetur tertia, alicubi nec tertia, nec quarta. Barboſa *part.* 3. *de*

de Offic. & poteſtat. Epiſc. allegat. 86. *n.* 39. Monaſteria verò, ſicut & Eccleſiæ non Parochiales, ad eam non tenentur. Barboſa *ibid. n.*38. citans Cochier *de Jurisdictione Ordinar. in exempt. part.* I. *quæſt.* 15. *n.* 6. & alios.

98 III. Ad Legem Diœceſanam pertinet etiam *quarta Mortuariorum*, ſeu Funeralium, *cit. c. Conquerente. h. t.* & tradit Gloſſa in *c. Dilectus.* ℣. *De lege jurisdictionis. eod.* Quamquàm hæc ipſa Canonica portio Epiſcopalis, quæ videlicet ſecundùm Canones debetur Epiſcopo ex Legatis, ac Funeralibus oblationibus, ſi quæ fiunt Eccleſijs, aliisq; pijs locis intra Diœceſin ejus exiſtentibus, alicubi ſit quarta, alibi tertia, vel media pars, juxta diverſas conſuetudines particularium locorum, *c. Certificari.* 9. *de Sepultur.*

99 Dices. Monaſteria ſunt exempta à lege Diœceſana, ut dictum *n.* 85. & 86. ergo ad hanc non ſpectat quarta Mortuariorum; cùm ab iſta de Jure non eximantur Monaſteria, ut *d. c. Officij.* 14. & *c. Requiſiviſti.* §. *Secùs autem.* 15. *de Teſtament.* Reſp. Antecedens procedere regulariter, & ubi oppoſitum non reperitur in Jure expreſſum, ut notat Engel *de Privilegijs Monaſteriorum*, *cit. Privileg.* 3 *num.* 2.

100 Cæterùm, quòd exactio dictæ Canonicæ portionis Epiſcopalis paſſim in deſuetudinem abierit, Monaſterijs contra eam præſcribentibus, juxta *c. De quarta.* 4. *de Præſcript.* pariter obſervat Engel *cit. n.* 2. Inſuper quòd etiam ex ſpecialibus privilegijs Apoſtolicis quamplura Monaſteria Regularium, ac ſpecialiter Fratrum Prædicatorum, Minorum de Obſervantia, Minimorum, & communicantium in horum privilegijs, ſint exempta à ſolutione Quartæ Funeralium Epiſcopis præſtanda, tradit Barboſa *cit. allegat.* 86 *n.* 17. cum alijs pluribus; fuitque deciſum *in Rota* 15. *Januarij* 1618. cujus deciſionem ipſe per extenſum adducit.

101 IV. Tertia pars *Oblationum* eſt de Lege Diœceſana. Hæc enim de ijs, quæ in Altario à Fidelibus offerebantur, antiquitùs fideliter Epiſcopis erat deferenda, *can. De his.* 10. *q.* 1. imò quandoq; debebat ipſis præſtari medietas dictarum Oblationum; ut *can. Antiquos.* 10. *q.* 1. Monaſteria tamen ab hac erant exempta, *can. Cùm pro utilitate.* 16. *q.* 1. Et de facto etiam Eccleſiæ ſæculares ad id non ampliùs tenentur, *can. Placuit. & can. Priſcis.* 10. *q.* 3. ac notat Abbas *cit. c. Dilectus. n.* 4. *h. t.*

102 V. Ad Legem Diœceſanam pertinet Convocatio ad Synodum; *ut c. Conquerente.* 16. *h. t. & c. Quod ſuper his.* 9. *de Majorit. & obed.* & tradit Gloſſa *ubi ſuprà.* Unde, quia à Lege Diœceſana in favorem Religionis Monaſteria ſunt exempta, Abbates non ſunt cogendi venire ad Synodum, *can. Epiſcopus non debet. diſt.* 18. Niſi populum habeant, vel niſi ratione Capellarum non exemptarum, aut ratione longævæ conſuetudinis, ad id teneantur; ut *cit. c. Quod ſuper his.* junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Diœceſana. & c. Ex ore.* 17. *de Privileg.* Hoſtienſis *in Summa. h. t.* §. *Sunt autem quædam.* & alij.

Notat tamen Abbas *in d. c. Quòd ſuper his. circa medium*, poſt Hoſtienſem, quòd Synodus eſt mixti juris. Nam reſpectu convocationis eſt de Lege Diœceſana: ſed reſpectu eorum, quæ ſtatuuntur in Synodo, ſeu quatenus in ipſa quidpiam ſtatuitur, non eſt de Lege Diœceſana, ſed de Lege jurisdictionis; quia ad jurisdictionem pertinet, & ſtatuere, & Statutis obedire. 103

VI. Ad Legem Diœceſanam ſpectat Charitativum ſubſidium, *arg. cit. c. Conquerente. h. t.* Et dicitur *Charitativum ſubſidium*: quia à principio poſtulandum eſt cum charitate; nec aliud eſt, quàm petitio moderati auxilij, quod Epiſcopus ex cauſa rationabili, & manifeſta, exigere poteſt ſecundùm facultates Eccleſiarum, vel Beneficiorum, ita tamen, ut non nimiùm graventur, *c. Cùm Apoſtolus.* §. *Prohibemus. de Cenſib.* Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat* 87. *n.* 45. & *ſeqq.* Pirhing. *h. t. n.* 109. Sannig. *h. t cap.* 8. *num.* 8. & alij. Qui ſimul rectè advertunt, quòd Monaſteria non teneantur ad præſtandum Epiſcopo ſubſidium charitativum; niſi forſan habeant annexas Eccleſias ſæculares, quæ ante ſuam unionem illud Epiſcopis præſtare conſueverant, *arg. Clem.* 1. & 2. *de Cenſib.* 104

Taceantur *Procurationes*, hoc eſt, victualia præſtari ſolita ab Eccleſijs tempore viſitationis, quo Epiſcopus vel per ſe, vel per alium ipſas viſitat, & juxta facultates cujusvis Eccleſiæ moderatè exigi poſſunt, *cit. c. Conquerente. h. t.* Nam quia viſitationi annexa eſt procuratio, *c. Cùm venerabilis.* 19. *de Cenſi.* ac proin hæc etiam à Monaſterijs viſitatis præſtari debet, *c. Sopitæ.* 14. *eod.* Sicut viſitatio pertinet ad Legem jurisdictionis, ita procuratio, veluti quid acceſſorium, ad eam commodè reducitur. Pirhing *h. t. num.* 107. Quòd ſi verò procurationes placeat revocare ad Legem Diœceſanam, erunt applicanda dicta ſuperiùs *num.* 99. Omittuntur etiam nonnulla alia ad Legem Diœceſanam ſpectantia, de quibus Abbas *in cit. c. Dilectus, num.* 4. *h. t.* nam præmiſſa ſunt cæteris potiora. 105

Reſp. II. Extra caſus in Jure expreſſos, quisquis aſſerit aliquid pertinere ad Legem Diœceſanam, ideòque Monaſterium ad illud non teneri, debet hoc probare. Ita Abbas *in cit. c. Dilectus. num.* 4. §. *Ex prædictis. h. t.* Et meritò: habet enim Epiſcopus fundatam in Jure intentionem ſuper jurisdictione ſua per totam Diœceſim; unde alleganti exemptionem, incumbit onus probandi. 106

§. V

§. V.

De Caſibus illis, in quibus Epiſcopi habent jurisdictionem in Regulares exemptos.

SUMMARIUM.

107. *Omnia Monaſteria, omnéſque Monachi olim fuerunt ſubjecti Epiſcopis.*
108. *Hodie tamen plerique Ordines Regulares exempti.*
109. *Exceptis certis caſibus, in quibus Regulares exempti ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum; & cur?*
110. *Ejusmodi caſus quot enumerentur à Doctoribus?*
111. *I. Quando Regulares extra Clauſtra degentes delinquunt. Et num. ſeqq.*
112. *Degere extra Clauſtra, qui cenſeantur? Et num. ſeqq.*
113. *Vivere conventualiter, quid?*
114. *Monachus, ubicunque degat de licentia Abbatis, fingitur degere intra Clauſtrum; & quomodo?*
115. *Facultas puniendi Regularem extra Clauſtrum degentem, & delinquentem, non eſt conceſſa Epiſcopis privativè quoad Prælatos Regulares, ſed cumulativè.*
116. *II. Quando Regularis intra Clauſtrum degens, extra illud notoriè, & ſcandaloſè delinquit; & quomodo tunc ſubſit Epiſcopo?*
117. *Quid, ſi Superiores Regulares tunc ſuos ſubditos impunitos transmittant ad alia loca?*
118. *An ſufficiat, ut Epiſcopus ſemel inſtet Superiori Regulari pro puniendo tali ſubdito ſuo?*
119. *Quid, ſi Regularis ita ſcandaloſè delinquat intra Eccleſiam, vel Clauſtrum?*
120. *III. Jurisdictioni Epiſcoporum ſubſunt Apoſtatæ, & Ejecti è Religionibus.*
121. *IV. Regulares ſine legitimo mandato à ſuis Conventibus recedentes.*
Et qui ſtudiorum cauſâ extra Conventus habitant. Ibid.
122. *V. Regulares etiam exempti in perſonam Epiſcopi delinquentes, aut exercitium ſuæ jurisdictionis impedientes.*
123. *VI. Regulares notoriè excommunicati, poſſunt denunciari ab Epiſcopo, ut ab aliis evitentur.*
An ab Epiſcopo etiam poſſint excommunicari, ſuſpendi, vel interdici? Ibid.
124. *VII. Regulares in Conventibus, ubi non ſunt duodecim ipſorum, ſubſunt jurisdictioni Epiſcopi.*
125. *VIII. Monaſteria de cætero erigi non poſſunt ſine licentia Epiſcopi.*
126. *IX. Regulares tenentur publicare, & ſervare Cenſuras, & Interdicta ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo.*
127. *X. Atque obſervare dies Feſtos ab eisdem præceptos; & quâ ratione?*
128. *XI. Tenentúrque ad publicas Proceſſiones accedere vocati.*
129. *Niſi diſtent per dimidium milliare, aut ſint ſpecialiter excepti.*
130. *XII. Epiſcopus componit controverſias omnes de præcedentia in Proceſſionibus inter Regulares.*
131. *XIII. Regulares ſubjiciuntur Epiſcopis in omnibus, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis.*
132. *XIV. Epiſcopi habent jurisdictionem ſuper Regulares, quomodolibet exemptos, in concernentibus Curam animarum, quam exercent.*
133. *XV. Regulares non poſſunt Confeſſiones ſæcularium audire ſine approbatione Epiſcopi.*
134. *XVI. Si aſſiſtunt matrimonio ſine licentia Parochi, ipſo jure ſuſpenduntur, donec ab Ordinario ejus abſolvantur.*
Et ſunt ſuſpendendi, quando non præmiſſis denuntiationibus matrimonio contrahendo aſſiſtere præſumunt. Ibid.
135. *XVII. Epiſcopi poſſunt prohibere, ne Sæculares, vel Religioſi, privatis in domibus Miſſas celebrent.*
136. *Ex juſta tamen cauſa poſſunt concedere facultatem celebrandi extra Eccleſiam.*
137. *Et tacentibus Epiſcopis hodie poſſunt Regulares uti ſuis privilegiis celebrandi ubique cum Altari portatili.*
138. *XVIII. Non licet Regularibus SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum proponere, niſi cauſâ per Epiſcopum approbatâ.*
139. *Benè tamen in Pixide.*
140. *XIX. Regulares extra Clauſtrum non poſſunt facere Proceſſiones ſine licentia Ordinarii: benè tamen intra Clauſtrum.*
141. *XX. Epiſcopi tenentur Clauſuram Sanctimonialium reſtituere; aut ubi inviolata eſt, conſervare.*
142. *XXI. Monaſteria Sanctimonialium, Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta (niſi regantur à Regularibus) gubernantur ab Epiſcopis quoad ſpiritualia.*

107 SCiendum, quòd olim ſpectato Jure communi omnia Monaſteria fuerint ſubjecta Epiſcopis, in quorum Diœceſi ſita erant; ut *can. Qui verè. 16. q. 1. & can. Monaſteria vel. 18. q. 2.* Omnésq; Monachi non minùs, ac Clerici ſæculares, ſubjecti fuerint Epiſcopis, in quorum Diœceſibus Monaſteria exiſtebant; ut conſtat ex *can. Abbates. & d. can. Monaſteria vel. 18. q. 2.* cum ſimilibus: atq; hinc Epiſcopi habeant fundatam in Jure intentionem tam in civilibus, quàm criminalibus cauſis contra Abbates, & Regulares.

108 Hodie tamen, attentis varijs Sumorum Pontificum privilegijs, plerique Ordines Regulares, præſertim Mendicantes, ſunt exempti ab Epiſcoporum poteſtate, & Lege non ſolùm Diœceceſanâ, ſed etiam jurisdictionis ipſorum, juxta dicta ſuperiùs *num. 89.* Atq; ſubſunt omnimodæ jurisdictioni ſuorũ Prælatorum Regulariũ, qui in eos jurisdictionem quaſi Epiſcopalem obtinent, *c. Abbates. 3. de Privileg. in 6.* ſicq; omnia, quæ ſunt jurisdictionis, exercere poſſunt in eoſdem, quæ Epiſcopi in ſuos ſubditos, ut paſſim tradunt Authores.

109 Verùm iſthâc exemptione non obſtante, de facto plures ſunt caſus ſpeciales, in quibus Regulares exempti ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporũ. Eorum noñulli continentur in Jure comuni, ut oſtendit Emman. Rodericus *tom. 3. Quæſt. Regul. quæſt. 64. art. 11.* plerique verò noviſſimè ſunt additi per Concilium Tridentinum, & varias Conſtitutiones Apoſtolicas poſt illud emanatas. Siquidem ex una parte *Privilegia, & exemptiones hodie perturbationem in Epiſcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur,* ut animadvertit, atque loquitur Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 11. de Reform.* ex altera verò parte durum videbatur, ejusmodi exemptionẽ Religionibus, dudum de Eccleſia Catholica optimè meritis, per diverſos Sumos Pontifices conceſſam in totum revocare. Unde providè Sacrum Concilium Tridentinũ, & ſequentes Romani Pontifices, ad præcavendũ ulterioribus Exemptorum exceſſibus, per exceptionẽ diverſorum caſuum ſpecialium præter eos, qui jam Jure communi erant expreſſi, ipſorum exemptionem ſaltem reſtringendã cenſuerunt.

110 Porrò ejusmodi caſus quadraginta ſeptem refert, ac explicat Fagnanus *in c. Grave. num. 37. & ſeqq. de Offic. Ordinar.* in quibus Regulares exempti, etiam intra Clauſtra degentes, ſubſunt viſitationi & jurisdictioni Epiſcoporum; eisq; idem Author plures alios præmittit, qui concernunt Regulares curam animarum habentes. Barboſa verò *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 105.* enumerat univerſim quinquaginta duos tales caſus; & Aſcanius Tamburinus *tom. 3. de Jure Abbatum. diſp. 5. q. 11.* recenſet quinquaginta quinque. Sufficiet ad propoſitum noſtrum eorundem quadraginta principaliores breviter referre, cæteris ad præcitatos Authores remiſſis.

I. Regulares extra Clauſtra degentes, etiam ſui Ordinis prætextu tuti non ſunt, quò minùs ſi deliquerint, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegato, ſecundùm Canonicas Sanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeant. Ita expreſsè Concilium Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 3. de Reform.* 11

Ubi tamen imprimis notandum ly, *Degentes extra Clauſtra*: hoc eſt, qui diutiùs exiſtunt, ſeu habent permanentem habitationem extra Monaſterium; ut puta, qui ſtudiorum causâ extra Conventum comorantur, juxta dictum Concilium *ſeſſ. 25. cap 4. de Regularib.* & hujusmodi. Unde obſervat Lauretus de Franchis *part. 1. Controverſiarum inter Epiſcopos & Regulares, n. 4. in Additione*, ſolvens contraria, quòd Concilium Tridentinum *cit. Seſſ. 6. cap. 3. de Reform.* non comprehendat illos Regulares, qui de licentia ſuorum Superiorum per aliquot dies, vel etiam duos aut tres menſes, ex cauſa prædicationis, vel confeſſionum excipiendarum, aut etiam recreationis gratiâ, & hujusmodi, exiſtunt extra clauſtra Monaſterij. Tum quia idem Concilium *Seſſ. 25 cap. 14. de Regularib.* punitionem illorum Regulariũ, qui intra clauſtra Monaſterij degunt, & extra ea notoriè delinquunt, expreſsè reſervavit proprijs Superioribus Regularibus, juxta proximè dicenda *n. 116. & ſeqq.* Tum quia tales Religioſi, hoc ipſo, quòd brevì intra Monaſterij clauſtra ſint reverſuri, nõ cenſentur aliorſum divertiſſe, *l. Poſtliminij. §. Captivus. ff. de Captivis, & l. Quidquid. ff. de Reg. Jur.* Neque videntur abeſſe juxta memoratum Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.* ubi aliquantiſper abſentes (nempe per duos, vel tres menſes) *ex veterùm Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt;* ut loquitur textus, & ampliùs probat Aloyſ. Riccius *in Praxi, part. 3. reſolut. 392. n. 1. & 3.* 11

Notandum ulteriùs, quòd ille Religioſus cenſeatur *extra Clauſtrum degens*, qui non ſolùm habet permanentem habitationem extra illud, ut dictum; ſed inſuper non vivit ſub Superiore conventualiter, etiamſi de licentia ſui Prælati exiſtat in Domo deputata ad erectionem Monaſterij. Quare, niſi in tali Domo vigeat obſervantia Regularis (hoc eſt, quòd illic exiſtentes Religioſi vivant ſub proprio Superiore, & juxta inſtitutũ Regulæ ſuæ Religionis; quod eſt *Vivere conventualiter*) ſi quis eorum deliquerit, poteſt ab Ordinario, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, viſitari, & puniri; prout declarâſſe Sacram Congregationem Concilij Trident. refert Lauretus de Franchis *cit. part. 1. n. 111. & ſeqq.* & Barboſa *cit. allegat. 105. n. 16.* cum alijs. Secùs, quando Regulares degunt in Domo ad erectionem Monaſterij deſtinatâ conventualiter, ſeu ſub ſuo Superiore, ac juxta inſtitutum Regulæ; prout eadem Sacra Congregatio declaravit, ut inquit Fagnanus *in d. c. Grave. num. 35. h. t.* ac liquet ex tenore dictæ Declarationis, quam totam refert Franchis, *ubi ſuprà, num. 116.* 11

Dices,

Dices. Monachus, ubivis locorum degat de
114 licentia Abbatis, fingitur degere intra Clauſtrũ, ut inquit Abbas *in c. Ex reſcripto. num. 5. de Jurejurand.* & Fagnanus *c. Inſinuante. n.* 39. *Qui Clerici & vovent.* citans alios; ergo, cùm Regularis exemptus delinquens intra Clauſtrum nequeat puniri ab Epiſcopo, idem dicendum de eo, qui de licentia ſui Superioris degit extra Clauſtrum, ibique delinquit. Reſp. neg. conſequent. Antecedens quippe ſolùm procedit de fictione juris, & quoad participationem jurium, ac privilegiorũ in Jure expreſſorum: non verò quoad alia, præſertim ubi quid in Jure ſpecialiter reperitur exceptum, ut in propoſito. Videatur ſuprà *Tit. de Conſtitutionibus. §. 8. num.* 189. *& ſeqq.*

115 Notandum tertiò, quòd facultas puniendi Regularem extra Clauſtrum degentem, & delinquentem, non ſit conceſſa Ordinarijs privative quoad Prælatos Regulares, ſed cumulativè: unde poterunt ipſi quoque Prælati punire tales Religioſos delinquentes, ac prævenire Ordinarios. Neque enim Concilium eximit Regulares degentes extra Clauſtrum à jurisdictione ſuorum Superiorum; atque ideò nec à correctione ipſorum. Lauretus de Franchis *loc. cit. n.* 117. allegans alios.

116 II. Quando Regularis, cæteroquin non ſubditus Epiſcopo, intra Clauſtra Monaſterij degit, & extra ea notoriè delinquit, ita ut populo ſcandalo ſit: tunc is, Epiſcopo inſtante à ſuo Superiore, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè eſt puniendus; tenetúrque Superior ejus de punitione Epiſcopum certiorem facere: ſin minùs, Superior à ſuo Prælato officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poterit. Ita noviſſimè decrevit Concilium Trident. *Seſſ. 25. cap. 14. de Regularib.* Et ampliùs docent Fagnanus *in c. Grave. n. 69. h. t.* Ciarlinius *Controv. Forens. lib. 1. cap. 50. num. 2. & 9. & ſeqq.* Martha *de Jurisdict. part. 4 caſu* 182. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 105. *n.* 18. *& ſeqq.* citans alios.

117 Quod ſaluberrimum Decretum, cùm à nonnullis Superioribus Regularibus minùs benè obſervaretur, dum ſuos ſubditos Regulares, ita delinquentes, ad inſtantiam Epiſcoporum punire neglexerunt, aut impunitos ad alia ſuorum Ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſin transmiſerunt, vel ipſimet ad alias Provincias receſſerunt, ne ulteriùs ſuper delinquentis exceſſibus inquirere, nec de ejus punitione Epiſcopum certiorem reddere cogerentur. Hinc Decretum illud à Clemente VIII. in ſua Conſtitutione, *Suſcepti muneris* (& refertur *Tom. 3. Bullarij Romani, Conſtitut.* 39. dicti Pontificis) die 18. Martij. 1596. motu proprio, innovatum fuit, ſub graviſſimis pœnis decernendo, ut talis Regularis delinquens à loco, ad quem transmiſſus eſt, revocetur, & in quo deliquit, ſiſtatur, & puniatur, ut ſuprà.

118 Ubi notandum, quamvis Concilium *cit. cap.* 14. utatur illis verbis, *inſtante Epiſcopo*; atque exinde nonnulli inferre voluerint, quòd pro executione dicti Decreti neceſſe ſit, Epiſcopum monere, ac requirere Superiorem Regularis delinquentis duabus, vel tribus vicibus. Quòd nihilominùs Sacra Congregatio Concilij deſuper cõſulta reſponderit, ſatis eſſe, ut Epiſcopus ſemel inſtet Superiori Regulari, eique tempus præfigat, juxta ejusdem Concilij præſcriptum.

Inſuper eadem Sacra Congregatio reſpondit, 119
facultatem *in cit. cap.* 14. Epiſcopis attributam in Regulares memoratos, notoriè, & cum ſcandalo extra Clauſtra delinquentes, vendicare ſibi locum etiam, cùm Regulares notoriè, & cum ſcandalo intra Eccleſiam delinquunt; non item, ſi intra Clauſtra. Atque haſce Sac. Congregationis Declarationes ſeſe in Originali præ manibus habuiſſe, teſtatur Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 105 *n.* 20 *poſt medium.* Quamvis Lauretus de Franchis *cit. part. 1. n. 5.* quantùm ad hoc ultimũ, teneat oppoſitum: quia (inquit) nomine Clauſtri venit etiam Eccleſia annexa: unde Regularis ingrediens Eccleſiam, non dicitur egredi è Clauſtro &c. Quæ ſententia poſſet ſuſtineri, ſi reverà non extaret dicta Declaratio Sacræ Congregationis.

III. Apoſtatæ, & Ejecti è Religionibus, indiſtin- 120
ctè ſubſunt Epiſcoporum jurisdictioni. Patet hoc ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij, die 21. Septemb. 1624. edito; ac refertur *Tom. 4. Bullarij Romani, Conſtit. 28. Urbani Papæ VIII.*

IV. Quando Regulares ſine legitimo manda- 121
to, in ſcriptis obtento, à ſuis Conventibus recedunt, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi: quia tunc ab Ordinarijs locorum, tanquam deſertores ſui Inſtituti, puniri poſſunt. Ita Conciliũ Trident. *Seſſ. 25. cap. 4. de Regularib.* Ubi etiam additur, quòd Regulares illi, qui ſtudiorũ causâ ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent: alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur. Verùm hoc ultimum commodè reducitur ad primum caſum, *n.* 111. *& ſeqq.* jam declaratum.

V. Regulares quicunque, etiam S. Joannis 122
Hieroſolymitani, qui in perſonam Epiſcoporũ delinquunt, eóſve impediunt in exercitio ſuæ jurisdictionis, ne munus ſuum exequantur, poſſunt per eosdem Ordinarios legitimè coërceri, & puniri. Ita à Sac. Congregatione fuiſſe deciſum, ejúsque ſententiam à Gregorio XIII. eſſe approbatam, refert Fagnanus *in d. c. Grave. n.* 76. *h. t.* Concordat *cap. 1. de Offic. Delegat. & cap. 1. de Pœnis. in 6.* ubi ſimile quid ſtatutum legitur. Et meritò: nam conceſſâ jurisdictione, cenſentur ea omnia conceſſa, ſine quibus jurisdictio exerceri non poteſt, *c. Præterea. 5. de Offic. Delegat* cum concordantijs. Franchis, *ubi ſuprà, num.* 124.

VI. Quando Regulares ob notoriũ delictum in 123
excomunicationem inciderunt, poſſunt ab Epiſcopo publicè denunciari excomunicati, ut ab alijs evitentur. Ita cenſuiſſe Sacrã Congregationem, refert Fagnanus *loc. cit. n.* 75. Quamquàm alioquin Regulares exemptos non poſſe excommunicari, ſuſpendi, vel interdici per Epiſcopum, ſatis caveatur, *in cap. 1. §. In eos verò. de Privil. in 6.*

124 VII. Monaſteria, Conventus, aliáque Loca Regularia poſthàc recipienda, in quibus duodecim Religioſi ex redditibus, vel conſuetis eleemoſynis competenter ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint; Ordinarij loci viſitationi, correctioni, atq; omnimodæ jurisdictioni ſubjecta eſſe intelliguntur. Ita patet ex Decreto Urbani VIII. *de Celebratione Miſſarum*, quod incipit, *Cùm ſæpè contingat.* §. *Deinceps.* edito Anno 1625. ac refertur *Tom.*4. *Bullarij Romani, Conſtitut.*45. ejusdem Pontificis. In quo Decreto bene nota clauſulam illam, *poſthàc recipienda*: nam ſecùs dicendum de Locis Regularibus exemptis, & anteà jam receptis, cùm circa hæc nihil reperiatur innovatum.

125 VIII. Inſuper Monaſteria tam virorũ, quàm mulierum, de cætero erigi prohibentur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentiâ priùs obtentâ. Ita Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regularib.* Quo Decreto Regulares ſubijciuntur authoritati Epiſcopi loci quoad erectionem novorum Monaſteriorum, ut patet: ſimúlque revocatur prohibitio Bonifacij VIII. *in cap. un. de Exceſſ. Prælat. in* 6. inhibentis Mendicantibus, ne recipiant nova loca ad habitandum absque Sedis Apoſtolicæ licentia; & *Clem. Cupientes.* §. 1. *de Pœnis*, idipſum ſtatuentis; prout cenſuit Sacra Congregatio, & notat Fagnanus *in cit. c. Grave. n.* 53. *de Offic. Ordinar.*

126 IX. Regulares non ſolùm Cenſuras, & Interdicta à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Epiſcopo, in ſuis Eccleſijs publicare, & ſervare tenentur. Ita Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regular.* Unde ſequitur, quòd Regulares, quantumvìs exempti, non ſolùm teneantur ſervare Epiſcoporum Interdicta, ita ut non celebrent ſcienter in loco interdicto, (niſi quatenus ſuper hoc ſunt privilegiati, aut à Jure conceditur, *c. Is qui.* 18. §. *fin. de Sentent. excommun. in* 6.) ſed nec poſſint facere, quòd ab alijs celebretur in locis ita interdictis; neq; poſſint excommunicatos ad Divina, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittere, *c. Cùm & plantare.* §. *Excommunicatos. de Privileg.* & *c. Epiſcoporum.* 8. *eod. in* 6.

127 X. Inſuper dies Feſtos, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præceperit, Regulares etiam exempti ſervare tenentur. Ita Concilium Trident. *cit. cap.* 12. Verumtamen Sacra Congregatio Concilij cenſuit, hoc ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus illis Feſtis ſemper permaneant quoad Miſſas, & cætera Divina Officia, tam publicè, quàm privatim in eorum Eccleſijs celebrandis: quoad Conciones tamẽ, & Lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debent ſe conformare Evangelijs, & Epiſtolis, quibus utitur Clerus ſæcularis illis diebus Feſtis. Atque hanc Sac. Congregationis Declarationem per extenſum refert Barboſa *cit. allegat.* 105. *num.* 34. poſt Quarantam *in Summa Bullarij.* ℣. *Privilegia Regularium*, & alios.

XI. Regulares, etiam exempti, ad publicas Proceſſiones vocati accedere tenentur, poſſúntque ad hoc per Epiſcopos compelli, ijs tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt. Ita Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regularib.* 12

Ubi tamen notandum eſt, quòd ab obligatione accedendi publicas Proceſſiones, non ſolùm eximantur illi Religioſi, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt, ut loquitur citatum Concilium; ſed defactò etiam illi Regulares, qui per dimidium milliare (Italicum) abſunt à Civitate: hos enim ſucceſſu temporis exemit Gregorius XIII. ut refert Fagnanus *ubi ſuprà, n.* 68. ac proin tales non tenentur accedere, nec poſſunt ab Epiſcopo ad hoc compelli; prout deciſum referunt Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 78. *n.* 21. Lauretus de Franchis *cit. part.* 1. *de Controverſ. inter Epiſc. & Regular. n.* 64. Piaſecius, Lezana, & alij. Idem fallit in Regularibus ſpeciale privilegium habentibus, ut non teneantur ad Proceſſiones ire: quales ſunt Patres Societatis, Carmelitæ Diſcalceati, Clerici Regulares Congregationis S. Pauli, Canonici Regulares, Monachi Caſſinenſes, & nonnulli alij. Barboſa *loc. cit. n.* 23. 12

XII. Controverſias omnes de præcedentia, quæ perſæpè cum ſcandalo in publicis Proceſſionibus, aut Defunctorum corporibus ſepeliendis oriuntur, Epiſcopus amotâ omni appellatione, & non obſtantibus quibuscunque, componere debet. Ita rurſus Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* & ampliùs explicat Emman. Rodericus *Tom.* 3. *Quæſt. Regul. q.* 37. *art.* 3. & Aſcanius Tamburinus *Tom.* 3. *de Jure Abbatum. diſp.* 5. *quæſt.* 11. *num.* 81. 1

XIII. Regulares quomodocunque exempti ſubijciuntur Epiſcopis in ijs omnibus, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: ut in petitione Chriſmatis, Conſecratione Eccleſiarum, ſuſceptione Ordinum, & hujusmodi, *c. Veniens.* 19. §. *Chriſma. de Præſcript.* Unde non poſſunt Ordines recipere, niſi ab Epiſcopo illius loci, in cujus Diœceſi eorum Monaſteria exiſtunt; juxta Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reformat.* Niſi habeant ſpeciale privilegium ab Apoſtolica Sede, ut à quocunque Catholico Antiſtite ordinari valeant. Pirhing. *h. t. n.* 114. & alij, éſtque ampliùs dictum ſuprà *Tit.* 11. *De Temporibus Ordinationum.* §. 5. *num.* 132. & 136. 13

XIV. Epiſcopi ſuper Regulares quomodolibet exemptos, etiam Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani habent tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati jurisdictionem, & auctoritatẽ in concernentibus Curam animarum, quam ipſi exercent. Patet hoc ex Conſtitutione 136. B. Pij V. *Expoſcit.* die 22. Septembris. 1571. emanata (ac refertur *Tom.* 2. *Bullarij Romani*) junctâ Conſtitutione 18. Gregorij XV. quæ incipit, *Inſcrutabili*, & habetur *Tom.* 3. *dicti Bullarij.* 13

XV. Nullus, etiam Regularis exemptus, poteſt Confeſſiones ſæcularium audire, niſi Parochiale 13

chiale Beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat. Concilium Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reformat.* Concordat Decretum Alexandri VII. *die* 24. *Septemb.* 1665. emanatum, & ſequentem inter alias Propoſitionem, ordine 13. damnans: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.*

14 XVI. Quicunque Sacerdos, ſive Regularis, ſive ſæcularis, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentiâ matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit: ipſo jure tamdiu ſuſpenſus exiſtit, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi abſolvatur. Ita Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.* Eos etiam Regulares, vel Parochos, qui non præmiſſis denunciationibus Matrimonio contrahendo aſſiſtere præſumpſerint, per triennium ſuſpendendos eſſe decernitur *in c. Cùm inhibitio. §. fin. de Clandeſt. deſponſat.*

15 XVII. Epiſcopi, etiam ut Delegati Sedis Apoſtolicæ, poſſunt prohibere, ne privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, Sacrificium Miſſæ à ſæcularibus, vel Regularibus quibuscunque peragatur. Ita Concilium Trident. *Seſſ.* 22. *in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ.* Ubi inſuper Ordinarij locorum, & Epiſcopi, etiam ut Delegati Sedis Apoſtolicæ, ea omnia prohibere, atque è medio tollere jubentur, quæ vel avaritia, idolorum ſervitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis imitatrix induxit; prout ibidem ampliùs per ſingula declaratur.

16 Ex juſta tamen cauſa poſſe Epiſcopum concedere facultatem celebrandi extra Eccleſiam, vel alium Locum ſacrum, non obſtante dicto Decreto, utpote quod ſolùm prohibet, pro libitu, & ſine juſtâ causâ ita celebrari; reſolvunt Navarrus *Conſil.* 5. *de Privileg. n.* 2. & Barboſa *part.* 2. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 23. *num.* 8. & 9. ac noviſſimè Petrus Franciſcus Paſſerinus *in Tract. de Pollutione Eccleſiarum, diſp.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. & 5. citans plurimos alios. Ratio eſt: quia antiquitùs jam erat conceſſum, in caſu neceſſitatis (nempe moralis; abſoluta enim neceſſitas celebrandi extra Locum ſacrum, intervenire nequit, ut probat Pasqualig. *Deciſ.* 167. *n.* 1. relatus à Paſſerino *cit. n.* 3.) ſeu aliâ rationabili de causâ, Miſſam celebrare ſuper Altare portatile, ac ſub dio, vel in tentorijs, *can. Concedimus. de Conſec. diſt.* 1. Tũ quia Concilium *loc. cit.* ſolùm loquitur de communi modo celebrandi, nempe pro libitu, ac ceſſante aliâ juſtâ causâ: non verò abſtulit Epiſcopis poteſtatem rationabiliter diſpenſandi, Jure communi eis competentem.

17 Inſuper, quòd tacentibus, & non contradicentibus Epiſcopis, poſſint hodie Regulares uti ſuis privilegijs, quæ FF. Prædicatoribus, & Minoribus, conceſſa olim fuerunt celebrandi ubique cum Altari portatili, ſine Parochialis tamen juris præjudicio, *c. In his.* 30. *de Privileg.* reſolvunt Emman. Rodericus *tom.* 1. *Quæſt. Regul. q.* 43. *art.* 5. Portel *in Dubijs Regular. ℣. Altare. n.* 1. Jo. de Lugo *tract. de Euchariſt. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 15. ac noviſſimè Bernardus Sannig *in Schola Theologica, tom.* 3. *tract. de Sacramentis. diſt.* 5. *quæſt.* 11. 138

XVIII. Non licet Regularibus, etiam in proprijs Eccleſijs, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ ſit probata ab Ordinario. Ita decrevit Sac. Congregatio *Rituum.* 26. *Februarij.* 1628. ac refert Angelus Lantuſca *in Theatro Regularium. ℣. Euchariſtia. n.* 1. & Fagnanus *in c. Grave. n.* 77. *h. t.* 139

Dicitur notanter, *publicè adorandum exponere*: id eſt, cum ſolemnitate, ſeu in Monſtrantia, ut Sacra Hoſtia videri poſſit. Nam ſecùs dicendum de expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti in oſtiolo Tabernaculi, aut in Pixide velatâ cum luminibus, ita ut ipſa Sacra Hoſtia videri non poſſit: hoc enim poteſt à Regularibus fieri etiã ex cauſa privata, & abſque alia licentia Ordinarij. Lantuſca *loc. cit. n.* 2. allegans Congregationem Epiſcoporum. 7. Septembris, 1598. & Fagnanus, *ubi ſuprà.* 140

XIX. Regulares extra Clauſtra, & ambitum ſuorum Monaſteriorum, non poſſunt facere Proceſſiones ſine licentia Ordinarij: & ſi ſecùs attentetur (niſi conſuetudine, aut privilegio id ab eis fuerit obtentum) poſſunt puniri, ac impediri ab Ordinario. Ita Zerola *in Praxi Epiſcopali. ℣. Proceſſio. §. Ad quartum.* id probans *ex can. Certum eſt quidem. de Conſec. diſt.* 1. Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 105. *n.* 77. & alij. Accedit ratio: quia Regulares id præſumentes, hoc ipſo delinquerent extra Clauſtra, tum transgrediendo citatum Canonem, tum violando jus ac territorium Epiſcopi, qui eſt Judex ordinarius in tota Diœceſi, *can. De perſona.* 11. *q.* 1. Intra Clauſtra tamen, & ambitum ſuorum Monaſteriorum, bene poſſunt Religioſi facere Proceſſiones irrequiſito Ordinario: quia ibi habent ſuum territorium, nõ verò extrà. Zerola *loc. cit.* 141

XX. Epiſcopis univerſis diſtrictè, & ſub obteſtatione Divini judicij, ac interminatione maledictionis æternæ, præcipitur tum *in c. Periculoſo. §. Et quoniam. de Statu Regular. in* 6. tum rurſus in Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regularib.* ut in omnibus Monaſterijs ſibi ſubjectis, ordinariâ, in alijs verò, ſeu ad Romanam Eccleſiam immediatè ſpectantibus, Sedis Apoſtolicæ authoritate, Clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent: inobedientes, atque contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáſque pœnas, quâcunque appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato etiam (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Unde quoad hoc Regulares, etiam exempti, ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum.

 XXI.

142 XXI. Monaſteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta (ijs exceptis, quæ à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur) ab Epiſcopis, tanquam dictæ Sedis Delegatis, gubernantur, non obſtantibus quibuscunque. Ita Concilium Tridentin. *cit. Seſſ. 25. cap. 9. de Regularib.* Quod tamen eſſe intelligendum de gubernio ſpirituali, non de temporali, refert deciſum Barboſa *in Collectan. ibid. n. 3.* poſt Armendarum *lib. 7. de Relig. num. 93.*

§. VI.

Referuntur alij Caſus, in quibus Regulares exempti Epiſcopis ſunt ſubjecti.

SUMMARIUM.

143. *XXII. Regulares ſunt ſubjecti Epiſcopis quoad editionem Librorum, utpote per ipſos examinandorum, & approbandorum.*
144. *Quid dicendum de Lectionibus, Diſputationibus, vel Concionibus?*
145. *XXIII. Regulares ſine Ordinarij licentia novas Indulgentias publicare nequeunt.*
146. *XXIV. Subſunt Regulares Epiſcopis quoad officium Prædicationis; & quomodo?*
147. *Iidem contradicente Epiſcopo ne quidem in Eccleſijs ſui Ordinis prædicare poſſunt.*
148. *XXV. Si Prædicator errores, vel ſcandala diſſeminaverit in populum, Epiſcopus ei prædicationem inhibeat: ſi verò hæreſes, Epiſcopus contra eum, quantumvis exemptum, procedat ut Delegatus Sedis Apoſtolicæ.*
149. *XXVI. Epiſcopi procedunt contra Regulares, aſſerentes, quòd B. V. MARIA ſit concepta cum peccato originali.*
150. *XXVII. In cauſa hæreſis &c. Regulares etiam exempti ſubſunt Epiſcopis, ubi non ſunt Inquiſitores.*
151. *XXVIII. Sicut & Confeſſarij, quomodolibet exempti, ſollicitantes in Confeſſione.*
152. *XXIX. Epiſcopis ſubduntur Regulares, etiam exempti, quoad acceſſum ad Synodum Diœceſanam.*
153. *Niſi ſubdantur Capitulis Generalibus, nec curam Eccleſiæ ſæcularis gerant.*
154. *XXX. Regulares omnes ſubijciuntur Epiſcopo quoad renunciationes Novitiorum.*
155. *Iſtud tamen locum non habet in Teſtamentis, & Codicillis; & cur?*
156. *XXXI. Novitijs ante Profeſſionem abeuntibus, ut omnia, quæ ſua erant, reſtituantur, poteſt Epiſcopus compellere Regulares.*
157. *XXXII. Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad explorationes voluntatis puellarum Deo dicandarũ. Exploratio hæc, quomodo, & de quibus facienda ſit? Ibid.*
158. *Et an binâ vice fieri debeat?*
159. *XXXIII. In judicio nullitatis Profeſſionis Religioſæ ſubijciuntur Regulares Ordinarijs locorum.*
160. *XXXIV. Nequeunt ijdem Sabbato Sancto pulſare Campanas ante Eccleſiam Cathedralem, vel majorem.*
161. *Quid agendum, ſi Regulares tunc citiùs abſolvant Actum ſolemnem illius diei?*
162. *XXXV. Epiſcopus compellit Regulares ad habendam Lectionem Sacræ Scripturæ.*
163. *XXXVI. Regulares debitores extra Conventum degentes, poſſunt in cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, coram Ordinarijs conveniri.*
164. *Cauſæ civiles mercedum, & miſerabilium perſonarum, quæ?*
165. *XXXVII. Regulares exempti poſſunt conveniri coram Ordinarijs locorum ratione delicti, contractûs, vel rei, de qua agitur.*
166. *XXXVIII. Subijciuntur etiam Ordinarijs in reddenda ratione de executione ultimarum voluntatum, ſi quam geſſerunt.*
167. *XXXIX. Item quoad executionem Decretorum Concilij Tridentini; & quomodo?*
168. *XL. Regulares exempti tenentur Epiſcopo reverentiam præſtare, eíque in ſuis Eccleſijs uſum Baldachini concedere.*
169. *Alij caſus, in quibus Regulares exempti ſubſunt Epiſcopis. Remiſſivè.*
170. *An prædicti caſus afficiant quoslibet Regulares exemptos? Remiſſivè.*
171. *Religioſi alij habent exemptionem communem; alij ſunt plenè exempti, ut Mendicantes.*

143 XXII. REgulares ſunt ſubjecti Epiſcopis quoad editionem Librorum: quia præter appoſitionem proprij nominis, licentiam ſuorum Superiorum, atq; recognitis per eos libris juxta formam ſuarũ Ordinationũ nequeunt abſque examinatione & approbatione Ordinarij, in ſcriptis danda, atq; in fronte libri apponenda, libros de rebus ſacris imprimere, vel imprimi facere. Ita ſub pœna anathematis, & aliâ pecuniariâ in transgreſſores ſtatutâ, ſancitur in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. celebrato, *Seſſ. 10.* & etiam in Tridentino *Seſſ. 4. in Decreto de Editione Librorum*: ubi etiã dictæ pœnæ extenduntur ad eos, qui ſcripto tales libros cõmunicant, vel evulgant (prout interdum libri nondũ typis mandati ſolent de integro tranſcribi, & alijs impertiri) niſi anteà examinati, probatiq; fuerint.

Dici-

144 Dicitur notanter, *Libros de rebus ſacris.* Nam, quamvis Fagnanus *in cit. c. Grave. n. 40. h. t.* ex quadam Declaratione Cardinalium doceat, ſub dicta Conſtitutione utriusque Concilij etiam contineri Lectiones, Diſputationes, Conciones, & alia hujusmodi. Nihilominus alij volunt, id intelligendum eſſe de Libris, utpote de quibus verba Concilij ſonant, ac proinde tanquam pœnalia ultra ſuam propriam ſignificationem extendi non debent: non autem de alijs, præſertim quando nulla ſubeſt fraudulentiæ, pravæ intentionis, vel perverſitatis ſuſpicio. Ita Azorius *part. 1. lib. 8. cap. 1. quæſt. 4.* id etiam comprobans ex uſu ubique locorum recepto, ut Orationes, Prælectiones, & hujusmodi, ſine nomine Authoris ſcripto alijs communicentur.

145 XXIII. Regulares, & quicunque alij, Indulgentias, quas à Sumo Pontifice impetrârunt, ſine Ordinarij licentiâ publicare non poſſunt; sicq; quoad hoc ſubſunt ejus jurisdictioni. Ita Zerola *in Praxi Epiſcopali, part. 1. v. Indulgentia. §. Ad tertium.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 105. n. 69.* Pirhing *h. t. n. 115.* cum alijs; idque deſumitur ex Concilio Trident. *Seſſ. 21. cap. 9. de Reform. & Seſſ. 25. in Decreto de Indulgentijs*, junctâ Declaratione Cardinalium, cujus meminit Bonacina *tom. 3. diſp. 2. de Bulla Cœnæ, quæſt. 3. punct. 30. num. 9.* & Zerola *ubi ſuprà*, atque Barboſa *part. 1. de Officio Parochi, cap. 16. num. 19.* ipſam verbatim referens. Quod tamen intellige, non de Indulgentijs olim Regularibus per SS. Pontifices conceſſis, ſed alijs de novo conceſſis, ut notat citatus Bonacina.

146 XXIV. Inſuper Regulares defactò ſubſunt Epiſcopis quoad officium Prædicationis: nam, præterquàm quòd à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia debeant eſſe examinati, approbati, & admiſſi, in Eccleſijs ſui Ordinis ſine petitâ benedictione Epiſcopi, in Eccleſijs verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ſine habitâ Epiſcopi licentiâ prædicare non poſſunt. Ita Concilium Trident. *Seſſ. 5. cap. 2. §. Regulares verò. de Reform.* quamvis, ut in Eccleſijs ſui Ordinis poſſint prædicare, ſufficiat petita benedictio Epiſcopi, licèt non obtenta, dummodò non accedat expreſſa ejus prohibitio. Fagnanus *in d. c. Grave. n. 42. h. t.* & alij.

147 Et notanter hoc ultimum additur: nam contradicente Epiſcopo ne quidem in Eccleſijs ſuorum Ordinum Regulares prædicare poſſunt: uti expreſsè, atque additâ clauſulâ generali derogatoriâ privilegiorum, habetur in Concilio Trident. *Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.* Neque hoc Decretum Concilij eſt contrarium priori: quia aliud eſt, benedictionem non concedere; aliud, expreſsè contradicere: ſiquidem in priori habet ſe Epiſcopus merè negativè, in poſteriori autem exercet actum poſitivum interdicendo prædicationem. Fagnanus *cit. n. 42.* prædicta ampliùs declarans adducto Brevi Urbani VIII. *die 30. Januarij*, 1629. emanato.

148 XXV. Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, aut alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem inhibeat. Quòd ſi autem hæreſes prædicaverit, Epiſcopus contra eum procedat, non obſtante exemptionis privilegio, tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ. Ita expreſsè Concilium Trident. *Seſſ. 5. cap. 2. de Reformat.* additâ tamen hac cautelâ, *ut curent Epiſcopi, ne quis Prædicator vel ex falſis informationibus, vel aliàs calumnioſè vexetur, juſtámve de eis conquerendi occaſionem habeat.*

XXVI. Epiſcopi, & hæreticæ pravitatis Inquiſitores, poſſunt procedere, ac ſecurè animadvertere in Regulares audentes in publicis Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, aliisque actibus publicis aſſerere, quòd Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali. Ita cenſuit S. Congregatio S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis. 31. Auguſti 1617. coram SS. D. Paulo V. habita, quam refert Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 50. num. 110.* & noviſſimè præcepit Alexander VII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Sollicitudo*, die 8. Decembris, 1661. edita, & refertur *tom. 5. Bullarij Romani, Conſtitut. 117.* dicti Pontificis. 149

XXVII. In cauſa hæreſis, aut ſimilibus criminibus ad Tribunal S. Inquiſitionis ſpectantibus, Regulares etiam exempti ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatorum, ſi in ijs locis Inquiſitores non ſunt. Ita deſumitur *ex c. Ad abolendam. §. fin. de Hæret.* ubi ſic habetur: *Exempti nihilominus in his, quæ ſunt contra Hæreticos inſtituta, Epiſcoporum ſubeant judicium: & eis in hac parte, tanquam à Sede Apoſtolica Delegatis, non obſtantibus libertatis ſuæ privilegijs, obſequantur.* Concordat *c. Ut officium. §. Denique. eod. in 6.* & ampliùs tradit Barboſa *d. part. 3. allegat. 105. n. 56. & 57.* citans alios. 150

XXVIII. Omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarij, in ſuis quisque Diœceſibus, & Territorijs, etiam privativè quoad omnes alios, poſſunt inquirere, ac procedere contra quoscunque, etiam quomodolibet exemptos, quorumcunque Ordinum Confeſſarios ſollicitantes in Confeſſione; id eſt, qui perſonas quascunq; in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive antè vel poſt immediatè, ſive occaſione vel prætextu Confeſſionis, etiam ipsâ Confeſſione non ſecutâ, vel extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ad illicita ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint. Ita poſt Pium IV. & Paulum V. decrevit Gregorius XV. in Bulla, *Univerſi.* 1622. editâ, quam refert Bullarium Romanum *Tom. 3. Conſtitut. 34. dicti Pontificis*, & Barboſa *cit. allegat. 105. num. 60.* 151

XXIX. Epiſcopis ſubduntur Regulares, etiam exempti, quoad acceſſum ad Synodum Diœceſanam. Siquidem omnes Exempti, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, ad Synodum Diœceſanam quotannis celebrandam accedere 152

cedere tenentur: ratione tamẽ Parochiarũ, aut aliarũ ſæculariũ Eccleſiarũ, tenentur omnes earum curam gerentes, quicunque tandem illi ſint, Synodo intereſſe. Ita Concilium Trident. *Seſſ.* 24. *cap.* 2. *de Reformat.* Concordat *can. Decernimus. diſt.* 18. *& c. Quod ſuper his.* 9. *de Major. & obed. & c. Ex ore.* 17. *de Privileg.* ubi Abbates habentes populum tenentur accedere ad Synodum, licèt ſint exempti: ſecùs, ſi populum non habeant, niſi ſubſit cauſa rationabilis, *can. Epiſcopus non debet. diſt.* 18. & notat Gloſſa *in cit. c. Quod ſuper his.* ℣. *Diœceſana.*

153 Dicitur notanter, *nec Capitulis Generalibus ſubduntur.* Nam Regulares, qui ſubduntur Capitulis Generalibus, non poſſe cogi ab Epiſcopo ad intereſſendum Synodo, niſi habeant curam animarum ratione Parochialis, vel alterius ſæcularis Eccleſiæ, docet, ac deciſum refert Barboſa *in Collectaneis ad cit. cap.* 2. *Concilij Trident. num.* 25. *& part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 93. *n.* 7. *&* 8. citans alios; atque uberiùs declarat Pirhing *tit. de Majorit. & obed. n.* 12.

154 XXX. Regulares omnes ſubjiciuntur Epiſcopo quoad renunciationes Novitiorum, per Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *de Regularib. cap.* 16. ubi renunciationes & obligationes à Novitijs factæ, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, nullæ ac irritæ decernuntur, niſi fiant cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarij Generalis, infra duos menſes ante Profeſſionem.

155 Verumtamen, quòd hæc diſpoſitio Concilij Tridentini locum non habeat in Teſtamentis, Codicillis, & Donationibus mortis causâ, rectè notat Emman. Rodericus *tom.* 3. *Quæſt. Regul. q.* 16. *art.* 1. & Barboſa *d. part.* 3. *allegat.* 99. *n.* 12. citans plurimos alios. Et meritò: nam verba illa, *Renunciatio, Obligatio*, non poſſunt adaptari ad Teſtamentum; hoc enim ſemper libere poteſt revocari ante Profeſſionem, ſicque per illud in nullo læditur libertas Novitiorum, cui Sacrum Concilium proſpicere voluit. At renunciatio, ſeu obligatio inter vivos, ſemel acceptata, poſteà eſt irrevocabilis; unde meritò ad hujus valorem inter alia requiritur licentia Epiſcopi, aut ejus Vicarij Generalis, ne Novitij incautè ſeſe obligent, aut renuncient. Secùs accidit in Teſtamentis, Codicillis, & Donationibus mortis causâ, utpote ante Profeſſionem liberè revocabilibus.

156 XXXI. Novitijs ante Profeſſionem abeuntibus omnia, quæ ſua erant, debent reſtitui: quod ut meliùs fiat, poteſt Epiſcopus Regulares, ſi opus fuerit, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellere. Ita inter alia decrevit Concilium Tridentinum *cit. cap.* 16. ſicq; etiam quoad hunc caſum Religioſi exempti ſubjacent Epiſcopis.

157 XXXII. Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad explorationes voluntatis Puellarum Deo dicandarum. Siquidem Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 17. *de Regularib.* ſtatuit, ut Puellæ volentes habitum Religionis ſuſcipere, non antè in Monaſterium ſuſcipiantur, neque poſtmodùm Profeſſionem emittant, niſi anteà Epiſcopus, aut alius ab eo deputatus, diligenter exploraverit voluntatem virginis, *an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat, quid agat*, prout loquitur Concilium. Et hæc tria interrogatoria in praxi benè ſunt obſervanda: nam alias interrogationes facere non licet, & ſi fiant, non tenentur Puellæ ad eas reſpondere; prout declaravit B. Pius V. in ſua 41. Conſtitutione, *Etſi Mendicantium* (quæ habetur *Tom.* 2. *Bullarij Romani*) *§.* 6. illis verbis: *Volumus etiam, quòd Puellarum Deo dicandarum, an ſcilicet coactæ, vel ſeductæ fuerint, examen faciendum, non niſi infrà quindecim dies, poſtquàm juxta Concilium Tridentinum Epiſcopi, vel eorum Vicarij requiſiti fuerint, fieri poſſit; quibus elapſis ampliùs in hoc illis ſe intromittere non liceat: cujus occaſione nec Epiſcopus, nec ejus Vicarius intra ſepta Monaſterij ingrediantur, ſed ſtent ante cratem ferream: & interrogationes alias, quàm eas, quas præfatum Concilium Tridentinum jubet, eis fieri omninò prohibemus; ac ſimiliter volumus, quòd Puellæ, ſeu Novitiæ ipſæ ad alias interrogationes reſpondere minimè teneantur.* Hactenus Pontifex.

Quamvìs autem verba citati Concilij velle videantur, ut binâ vice taliter exploretur voluntas Puellæ Monaſteriũ ingredientis, nempe ante ingreſſum Religionis, & rurſus ante Profeſſionem; atque ita declaràſſe Sac. Cardinalium Congregationem, referat Thomas Zerola *part.* 1. *Praxis Epiſcopalis.* ℣. *Monialis. n.* 1. Nihilominus conſuetudine in pluribus locis receptum eſſe, ut exploratio voluntatis Puellæ ſemel tantùm fiat, nempe ante emiſſam Profeſſionem, teſtatur Miranda *in Tractat. De Monialibus, quæſt.* 8. *art.* 4. 15

XXXIII. In judicio nullitatis Profeſſionis Religioſæ omnes Regulares ſubjecti ſunt Ordinarijs locorum: nam quicunq; Regularis prætendat, ſe per vim, & metum, Religionem ingreſſum fuiſſe, aut ante debitam ætatem Profeſſionem emiſiſſe, aut quid ſimile, ſicque habitum dimittere velit; audiri non debet, niſi intra quinquennium à die Profeſſionis cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario. Ita Concilium Tridentinum *cit. Seſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regularib.* Et hoc ipſum habere locum, quando Religio vult ipſum expellere tanquam nulliter profeſſum, declaravit Sac. Congregatio: ut refert Fagnanus *in c. Grave. n.* 72. *h. t.* An autem, & à quo, talis poſſit reſtitui in integrum, ita ut poſt lapſum etiam quinquennij audiri valeat, dicetur infrà *Tit.* 41. *De in integrum reſtitutione.* §. 4. *num.* 89. & 90. 15

XXXIV. Ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam Regulares, quàm Clerici ſæculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris Hebdomadæ, antequàm Campana Cathedralis, vel maioris Eccleſiæ pulſetur, Campanas in Eccleſijs ſuis pulſare minimè poſſunt: contravenientes autem pœnam centum Ducatorum incurrunt. Ita habetur ex Conſtitut. Leonis X. quæ incipit, *Sacro approbante.* §. *Et ut debitus.* ac refertur à Barboſa *cit. allegat.* 105. *num.* 70. 16

Unde

16 Unde in caſu, quo Eccleſia inferior dicto Sabbato Sancto citiùs abſolvit Actum Solemnem illius diei, citiúsque ſub Miſſa incipit *Gloria in Excelſis*, quàm Eccleſia Cathedralis, vel Major illius loci: non poteſt ad *Gloria in Excelſis* pulſare Campanam majorem (benè tamen Tintinnabulum intra parietes Eccleſiæ) ſed debet exſpectare, donec Campanæ in Eccleſia majori pulſentur; & tunc primùm cum illa Campanam majorem pulſare.

16 XXXV. Poteſt Epiſcopus, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, compellere Regulares ſuæ Diœceſis, ut in ſuis Conventibus habeant Lectionem ſacræ Scripturæ, ubi commodè fieri poteſt. Ita Concilium Trident. *Seſſ.* 5. *cap.* 1. *de Reform.*

16 XXXVI. In cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, poſſunt Regulares debitores extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti, coram Ordinarijs locorum, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, conveniri, & cogi ad ſolvendum. Ita Conciliũ Trident. *Seſſ.* 7. *cap.* 14. *de Reform.* & ampliùs explicat Barboſa *cit. allegat.* 105. *num.* 21. benè notans inter alia, quòd ſi Regulares degant intra Clauſtra, conveniri debeant coram ſuo Superiore.

6 Porrò per *Cauſas civiles mercedum*, intelliguntur obligationes ſolvendi operarijs ſtipendium. Per *Cauſas miſerabilium perſonarum* verò intelliguntur illæ, quæ contra dictos Regulares moventur à viduis, pupillis, orphanis, ſenibus, decrepitis, debilibus, diuturno morbo laborantibus, pauperibus, de novo ad Fidem converſis, & cæteris, ad quorum commiſerationem naturâ movemur.

6 XXXVII. Regulares exempti poſſunt conveniri coram Ordinarijs locorum ratione delicti, contractûs, vel rei, de qua contra ipſos agitur, ſi hæc inita, vel ſita ſunt in loco non exempto. Patet hoc ex *cap.* 1. §. 1. *de Privileg. in* 6. & DD. paſſim; licèt circa hoc ſint notanda ea, quæ *num.* 171. dicentur.

1(XXXVIII. Religioſus exemptus ſubjicitur Ordinario loci in reddenda ratione de executione ultimæ voluntatis, quam geſſit; & ſi circa eam deliquerit, poteſt in aliorum exemplum debitè puniri, haud obſtante exemptionis privilegio. Textus eſt *in Clem. un. de Teſtament.* & notat Lauret. de Franchis *de Controverſijs inter Epiſc. & Regul. part.* 2. *quæſt.* 5. *n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 112.

1(XXXIX. Quoad executionem Decretorum Concilij Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 22. *de Regular.* ſpecialiter ſubjiciuntur Regulares exempti Epiſcopis, ſeu potiùs eorum Concilijs Provincialibus, ut ſi Capitula Provincialia, & generalia Regularium deficiant in executione Decretorum illius Seſſionis, tunc in defectum ipſorum Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejuſdem Ordinis provideant. Fagnanus *in d. c. Grave. num.* 73. *h. t.*

XL. Quamvis ex privilegio quis ſit exem- 168
ptus à juriſdictione Epiſcopi, adhuc tamen tenetur Epiſcopo reverentiam præſtare. Hinc cùm Epiſcopi venerint in Regularium exemptorum Eccleſias ad celebrandum, reverenter recipiendi ſunt. Poſſunt ipſi etiam in Regularium Eccleſijs, quantumvis exemptis, populo benedicere, atq; in Pontificalibus celebrare, ſicque uti Baldachino, *Clem. Archiepiſcopo.* 2. *de Privil.* Quinimò juxta Decretum Sac. Congregationis Epiſcoporũ & Regularium, 1603. *die* 11. *Junij* emanatum, & à Clemente VIII approbatum, Regulares, & alij exempti, nolentes aſſentiri uſui Baldachini, poſſunt ab eisdem Epiſcopis per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas ad hoc compelli, prout ampliùs liquet ex tenore dicti Decreti, quod verbatim refert Lauretus de Franchis *de Controverſijs inter Epiſcopos & Regulares, part.* 1. *num.* 378. & Barboſa *cit. part.* 3. *allegat.* 80. *n.* 16.

Dantur nonulli alij caſus, in quibus Regulares 169
exempti Epiſcopis ſubjecti ſunt, ſed ij, utpote minùs notabiles, brevitatis gratiâ hîc omittuntur; poterúntq; ſuo tempore videri apud Aſcanium Tamburinum *cit. Tom.* 3. *de Jure Abbatum, diſp.* 5. *quæſt.* 11. Fagnanum *in d. c. Grave. h. t.* Barboſam *cit. part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 105. & alios.

Utrùm autem omnes memorati caſus affi- 170
ciant quoslibet Regulares exemptos, etiam eos, qui plenè ſunt exempti, non eſt hujus loci inveſtigare: videantur quoad ſingulos caſus Canoniſtæ Regulares, ex profeſſo tractantes de Privilegijs Regularium.

Solummodò generatim loquendo eſt notan- 171
dum cum Emman. Roderico *tom* 3. *Quæſt. Regular. q.* 70. *art.* 5. poſt Richardum *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *art.* 5. Sylveſtro *v. Teſtamentum II. n.* 2. Additione *ad cit. Lauret. de Franchis, part.* 2. *quæſt.* 5. *n.* 18. Angelo, Armilla, & alijs, quòd Religioſi alij habeant exemptionem comunem; & tales (inquiunt) poſſunt conveniri ratione delicti, vel contractûs, coram Ordinario, ut dictum *num.* 165. Alij verò Religioſi ſint plenè exempti, cujusmodi non poſſunt conveniri coram Ordinarijs locorum, niſi in ſpecie ſit derogatum privilegijs. Et tales ſunt omnes Mendicantes, & qui comunicant in Privilegijs eorum; prout fusè oſtendit Eman. Rodericus *loc. cit. tom.* 2. *quæſt.* 64. *art.* 3. ubi inter alia adducit Clementem IV. qui Fratres Minores exemit, ita quòd, non obſtante Conſtitutione Innocentij IV. non teneantur, etiam ratione delicti, contractûs, ſeu rei, de qua agitur, locorum Ordinarijs ſubjacere, decernens irritum & inane, quidquid ſecùs attentari contigerit.

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

1. *Ratio ordinis Titulorum.*

1 POſtquàm viſum eſt de officio Judicū tum delegatorum, tum ordinariorum in ſpecie, ſubjicit Compilator præſentem Titulum de officio Judicis in genere: & imitatus eſt quoad hoc ordinem Juris Civilis, quod *Libro I. Digeſtorum* ſpeciatim tractat de Officio & jurisdictione ſingulorum Magiſtratuum: & poſtmodùm *Libro II.* agit in communi de jurisdictione omnium Judicum. Nos præſentem materiam majoris claritatis gratiâ in paragraphos dividemus, haud obſtante, quòd præſens Titulus non niſi duobus Capitulis conſtet.

§. I.

De Judice, ejúsque Officio generatim.

SUMMARIUM.

2. *Judex, quis? Et num. ſeqq.*
3. *Qui prohibeantur eſſe Judices?*
4. *Acta Judicis illegitimi ob communem errorem ſuſtinentur.*
5. *Judex debet eſſe vir bonus.*
6. *Ac juris, & æqui peritus; & quomodo?*
7. *In Judice, quæ requirantur?*
8. *Quæque ejus judicium pervertant?*
9. *Judex tenetur abſtinere à receptione munerum.*
10. *Tenetúrque ad reſtitutionem receptorum.*
11. *Et facit litem ſuam.*
Sententiæ venales ſunt ipſo jure nullæ. Ibid.
12. *Judex non prohibetur recipere eſculenta, & poculenta ultrò oblata, quæ paucis diebus abſumi poſſunt.*
13. *Differentia inter Xenium, & Munus.*
14. *Et cur illud à Judice recipi poſſit, non iſtud?*
15. *Ejusmodi Xenia debent eſſe moderata.*
16. *Et ſpontè oblata.*
17. *Sportularum appellatione, quid intelligatur?*
18. *De Jure Civili poteſt Judex delegatus Sportularum nomine aliquid exigere; non verò Ordinarius.*
19. *De Jure Canonico non ſolùm Judex ordinarius nequit exigere ſportulas.*
20. *Sed nec Delegatus; & cur?*
21. *Imò recipiens tenetur ad reſtitutionem, non obſtante remiſſione eorum, quibus reſtitutio eſſet facienda.*
22. *Si tamen Judex actu reſtituat, & pars denuò liberaliter donet, poteſt retinere.*
23. *Dicta pœna ſolùm procedit in Delegatis Summi Pontificis.*
24. *Officium Judicis eſt latiſſimum; communiter tamen duplex ejus genus diſtingui ſolet.*
25. *Officium Judicis nobile,*
26. *Et mercenarium, quid?*
Fatuus eſt Judex, qui ultra petita judicat. Ibid.
27. *Quæ exerceantur Officio judicis mercenario?*
28. *Officium judicis nobile dupliciter exercetur, nimirum vel ex mero ejus facto, vel ad inſtantiam partis.*
29. *Imploratio officij judicis in quo differat ab Actione? Et num. ſeqq.*
Actio, quid? Ibid.
30. *Imploratio officij judicis eſt remedium extraordinarium.*
31. *An ad eam requiratur conteſtatio litis?*

2 QUæritur I. Quid ſit Judex? Reſp. *Judex* ſic dicitur, quaſi *jus dicens* populo, ſive quòd jure diſceptet; prout notatur *in can. Juſtum. 23. q. 2. & c. Forus. de Verb. ſignif.* Et definitur dicendo: *Judex* eſt perſona legitima, & vir bonus, juris & æqui peritus, de controverſis litigatorum negotijs cognoſcendi, pronunciandique jus habens. Ita Engel *h. t. n. 1.* éſtque in re communis.

Dicitur imprimis, *perſona legitima*; id eſt, talis, quæ à Lege non eſt prohibita, Judicis officium exercere. Non enim omnes poſſunt eſſe Judices: nam aliqui impediuntur naturâ, ut Judices non ſint: veluti ſurdus, mutus, & perpetuò furioſus, & impubes, quia judicio carent. Alij impediuntur Lege, ſeu Canone: ut qui Senatu motus eſt propter ſuam turpitudinem, item infamis, ac excommunicatus. Alij tandem impediuntur Moribus, id eſt, conſuetudine; ut fœmi-

fœminæ & ſervi: nonquia nō habeant judicium, ſed quia conſuetudine receptum eſt, imò ſucceſſive etiam Legibus, ſeu Canonibus inſertum, ut civilibus officijs non fungantur, *can. Infamis. §. Tria ſunt. 3. q. 7.* junctâ Gloſsâ ibidem. & *l. Cùm Prætor. ff. de Judicijs* cum concordantijs.

4 Quòd ſi tamen ſervus, vel alius illegitimus, communi hominū opinione habeatur pro libero, ſeu legitimo; tunc propter publicam utilitatem, & communem errorem, Acta ejus ſuſtinentur, ſeu valida cenſentur, *l. Barbarius. ff. de Offic. Prætor.* Unde extat illud commune axioma Juriſconſultorum: *Error communis jus facit*: eſtq; ampliùs dictum ſuprà *Tit. de Officio Vicarij.* §. 4. *n.* 104.

5 Additur in definitione Judicis, *& vir bonus;* id eſt, incorruptus, prudens, & conſtans, qui nec amicitiâ vel conſanguinitate flectatur à recto, neque odio aut muneribus in judicando ducatur, neque aliunde quid durius aut remiſſius ſtatuat, quam cauſæ merita depoſcant, ſed perpenſo judicio, prout res quæque poſtulat, conſtituat. Quam quidem probitatem in Judice tum SS. Paginæ paſſim, tum Jus Civile *l. Proſpiciendum. ff. de Pœnis,* atque Jus Canonicum ſæpiùs requirunt. Unde *in cit. can. Juſtum. 23. q. 2. & c. Forus. de Verb. ſignif.* inter alia notanter dicitur: *Jure autem diſceptare, eſt juſtè judicare: non eſt ergo judex, ſi non eſt in eo juſtitia:* quia videlicet officium judicis haud exequitur, non obſtante, quòd quandoque aliquis malus ſit Judex, ut explicat Gloſſa *in cit. c. Forus. ℣. Non eſt ergo.*

6 Dicitur ulteriùs, *juris & æqui peritus.* Quia regulariter Judex conſtitui non debet, niſi inſignem Juris prudentiam habeat, dummodò haberi poſſit; ut §. 1. *Inſtit. de Offic. Judicis.* Nihilominùs abſolutè loquendo iſta Juris prudentia non eſt de eſſentia Judicis, dummodò cæteroquin vir prudens ſit, & ſaltem Juris conſuetudinarij, vel ſtatutarij, aut eorum negotiorum, ſuper quæ Judex conſtituitur, notitiā habeat, & in rebus arduis, maximè ex Jure ſcripto dependentibus, prudentiorū conſilio utatur. Engel *h. t. n.* 14.

Quæritur II. Quænam requirantur in Judice,
7 quæque ejus judicium pervertant? Reſp. I. In Judice quatuor potiſſimùm requiruntur. I. Ut habeat legitimam, & publicam judicandi poteſtatem. II. Ut judicet ſecundùm veritatē; id eſt, ſecundùm allegata & probata, de quo plura *ſ. ſeq.* III. Ut judicet ſecundùm Leges, & formam ab ipſis præſcriptam. IV. Ut ſit conſtans ſine dolo, & affectu. Et hæc omnia partim conſtant ex dictis, partim ampliùs patebunt ex dicendis.

Reſp. II. Econtrà quatuor etiam modis per-
8 vertitur humanum judicium, videlicet timore, cupiditate munerum, odio, & amore. Ita habtur *in can. Quatuor. 11. quæſt. 3.* Nec obſtat Gloſſa *ibid. ℣. Timore.* ubi addit alios adhuc modos, videlicet nimiam ſeveritatem, nimiam remiſſionem, injuſtam in calamitoſos miſericordiam, & imprudentiam Judicis. Nam hi tres modi pervertendi judicium, commodè reducuntur ad odium, timorem, & amorem: imprudentia autem exinde excluditur, quia impræſentiarum ſermo eſt de Judice, juris & æqui perito. Unde de prioribus duntaxat quatuor loquuntur vulgati illi verſiculi.

Quatuor iſta, timor, odium, dilectio, cenſus,
Sæpè ſolent rectos hominum pervertere ſenſus.

Quæritur III. An Judici liceat accipere munera, vel ſaltem Xenia conſiſtentia in eſculentis, 9
& poculentis? Reſp. I. Certum eſt, Judicem teneri abſtinere ſe à receptione munerum. Idque non ſolùm procedit de Jure poſitivo humano, ſed etiam Divino, ac naturali. Unde *Exod. 23.* dicitur: *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum,* cum ſimilibus. Econtrà verò repudians munera, pro juſto ſcribitur *Iſaiæ cap. 3.* illis verbis: *Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit.*

Quinimò Judicem accipientem munera, non
ſolùm graviter pro qualitate delicti eſſe punien- 10
dum, ſed eum etiam teneri ad reſtitutionem. patet ex *L. 3. & ſeqq. ff. Ad Leg. Juliam repetundar. & l. Jubemus. C. eod. & c. Statutum. §. Si quid autem. de Reſcript. in 6.* ubi etiam remiſſio dantis nō liberat Judicem Delegatum ab obligatione reſtituendi, ſi accepit munus, vel aliquid aliud contra prohibitionem illius Capituli. Atque hujusmodi obligationem anteà jam agnoviſſe videtur S. Samuel Propheta, *1. Reg. 12.* ubi inter alia dicebat ad Populum: *Loquimini de me -- Si de manu cujuſpiam munus accepi; & contemnam illud hodie, reſtituámque vobis.* Nam opera juſtitiæ venalia non ſunt; nec juſtum etiam judicium vendere licet, *c. Cùm ab omni. 10. de Vita & honeſt. Cleric.* Atque, ut *in can. Qui rectè. 11. q. 3.* habetur: *Qui rectè judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat: quia juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit &c.*

Inſuper, quòd venales ſententiæ, ſeu latæ à
corruptis Judicibus, ſint ipſo jure nullæ, adeò ut 11
appellatio neutiquam ſit neceſſaria, textus eſt *in l. Venales. C. Quando provocare non eſt neceſſe. & can. Ei qui appellat. §. Diffinitiva ℣. Venales. 2. q. 6.* Et Judex ita corruptus non ſolùm accuſari poteſt Lege Juliâ Repetundarum, ut proximè dictum: ſed etiam litem facit ſuam, adeò ut parti læſæ teneatur ad compenſationem damni, *l. Si filius familias. ff. de Judicijs. & L. ult. C. de Pœna judic. qui malè judic.* Atque ille, qui corrupit Judicem mediante pecuniâ, cauſam amittit, *L. 1. & 2. C. eod.*

Reſp. II. Nihilominùs eſculenta, & poculen- 12
ta, quæ paucis diebus abſumi poſſunt, ſine ullâ exactione à partibus oblata, Judex accipere non prohibetur; eò quòd ex his minutis non præſumatur inflecti animus viri boni. Ita habetur *in c. Statutum. §. Inſuper. de Reſcript. in 6.* Concordat, idque ampliùs declarat *Jus Civile in l. Solent. §. 3. ff. de Offic. Proconſ.* ubi quidem dona & munera Proconſuli accipere prohibetur, non verò in totum à Xenijs abſtinere jubetur, ſed modū adjicere, ut neque moroſè in totum abſtineat, neq; avarè

avarè modum Xeniorum excedat: nam (ſubditur) *valdè inhumanum eſt, à nemine accipere; ſed paſſim, viliſſimum; & omnia, avariſſimum*, ut habet vetus Proverbium ibidem allegatum.

13 Accedit, quòd appellatione doni, vel muneris non veniant Xenia, per textum *in cit. l. Solent*, junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Non pertinet.* Nam *Xenium* vi nominis ſignificat munus hoſpitalitatis, ſeu munus, quod hoſpitibus datur; ſicque ſolet in eſculentis, & poculentis brevì conſumptibilibus conſiſtere, *arg. l. Plebiscito. ff. de Offic. Præſid.* & notat Gloſſa *ibid. ℣. Poculentúmve*: ac proin Xenia non ſunt lucra. Gloſſa *in cit. c. Cùm ab omni. ℣. Præter expenſas, de Vita & honeſt. Clericor.* Econtrà verò *Donum*, ac *Munus*, ad quantamcunque largitionem ſeſe extendit, ſicque ad lucrum pertinet, ut *l. Munus tribus. ff. de Verb. ſignif.* cum ſimilibus.

14 Unde hujusmodi munera, quæ ex intentione dantium plerumque ſolent dari pro obtinenda favorabili ſententia, & plus æquo Judicem inclinant erga dantem; meritò à Judice recipi prohibentur, ut gratis & cum omni puritate judicium coram ipſo procedat, neque animus ipſius ſpe lucri ſubvertatur, & in alteram partem inclinetur. Secùs dicendum in Xenijs, ſeu eſculentis vel poculentis moderatis, ac ex mera liberalitate oblatis: quia non eſt veriſimile, quòd ex tam modicis, & lucrū nō facientibus, animus judicantis moveatur, *c. Et ſi quæſtiones. 18. §. fin. de Simonia.*

15 Hoc tamen intellige de Xenijs moderatis, ſeu quæ edulium non excedunt uſum, *cit. l. Solent. ff. de Offic. Proconſul.* Et quæ paucis diebus (puta duobus, vel ſaltem habitâ conſideratione perſonæ dantis, Judicis recipientis, & conſuetudinis locorum, arbitrio boni viri taxandis) abſumi poſſunt; ut *d. c. Statutum. §. Inſuper*, junctâ Gloſsâ, *℣. Paucis de Reſcript. in 6.* Secùs enim dicendum de exceſſivis, & in nimiâ quantitate datis: nam Xenia non ſunt perducenda ad munerū quantitatem, *d. l. Solent. §. fin.*

16 Debent inſuper talia Xenia eſſe oblata, ex mera liberalitate: hoc eſt, ut non ſint exacta, vel petita, nec directè, nec indirectè; ut loquitur textus & Gloſſa *in d. §. Inſuper.* Proinde non debet Judex talia petere, ſed ſpontè oblata non prohibetur accipere: quia tunc liberalitas offerentis tollit ſuſpicionem, quam alioquin etiam in re modica, inſtantia induceret petentis. Vivianus *in Rationali Jur. Can. cit. §. Inſuper*, poſt Geminianum *ibid. n. 4.* & Francum *n. 2.*

17 Quæritur IV. Utrùm Judex pro ſuo labore poſſit exigere Sportulas? Ubi notandum, quòd *Sportulæ* ſint quædam vaſa, in quibus aliquid reponi, ac deferri ſolet. Verùm ſumendo continens pro contento, *Sportularum* nomine hoc loco intelliguntur ſalaria, ſeu moderati ſumptus in judicijs faciendi; hoc eſt, certa quota pecuniæ, & à partibus litigantibus præſtanda: prout deſumitur ex Rubrica *lib. 3. tit. 2. Cod. De ſportulis, & ſumptibus in diverſis judicijs faciendis.* Hoc prænotato,

Reſp. I. Spectato Jure Civili poteſt Judex delegatus Sportularum nomine exigere certam 18 quotam pecuniæ, videlicet duos aureos à principio, & alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præſtandos; dummodo Summa, pro qua litigatur, centum aureos excedat. Ita habetur, *in Auth. De Judicibus. §. Ne autem. Collat. 6.* Quamvis hoc ſolùm procedat in Judice delegato: nam loquendo de Judice ordinario, etiam ſpectato Jure Civili nequit is Sportulas exigere; cùm jam aliunde habeat ſalariū ſibi a Principe, vel Republica conſtitutum. Engel *h. t. n. 11.*

Reſp. II. Loquendo tamen de Jure Canonico, 19 non ſolùm Judex ordinarius, ſed etiam delegatus, Sportularum nomine nihil poteſt recipere. Ita colligitur *ex c. Cùm ab omni. 10. de Vita & honeſt. Cleric.* & tradit Abbas *ibid. num. 9.* Engel *h. t. n. 12.* & alij. Ratio prioris partis, de Judice ordinario loquentis, eſt: quia tali Judici jam aliunde Eccleſiaſtici redditus ſunt deputati, ut ex his honeſtè vivere, & petentibus jus reddere valeat juxta jurisdictionem ſibi commiſſam; ergo, cùm jam ſufficiens ſtipendium in ordine ad exequendum officium Judicis ſibi præſumatur eſſe conſtitutum, tenetur eo eſſe contentus, ac impoſterùm juſtitiam gratìs adminiſtrare; ſicque Sportularum nomine nihil ampliùs valet exigere.

Altera pars de Judice delegato, probatur hâc eâdem ratione, quæ licèt fortiùs ſtringat in Ordinario (adeò, ut etiam de Jure Civili Judex ordinarius non poſſit exigere Sportulas; cùm jam aliunde habeat ſalarium ſibi à Principe conſtitutum. Engel *cit. n. 11.*) adhuc tamen ſuo modo militat in Delegato; Nam Judex Eccleſiaſticus delegatus, regulariter eſt Clericus habens beneficium ſufficiens pro ſua congruâ ſuſtentatione; ergo, cùm jam habeat ex ſuo Beneficio congruam ſuſtentationem, factâ ſibi alicuius cauſæ commiſſione gravari non poteſt, juſtitiam gratìs adminiſtrare. Tum quia Apoſt. 1. *Theſſal. 5.* etiam ab omni ſpecie mali præcipit abſtinere, ut loquitur textus *in cit. c. Cùm ab omni. de Vita & honeſt. Cleric.* Tum quia ſufficere debet ei, quod à partibus, ſi non ſint pauperes, moderatas expenſas, quas in itinere fecit, poſſit recipere, quando ipſum ob causā ſibi comiſſam ceſſante omni fraude contigerit extra ſuum domicilium proficiſci; ſimúlque, quòd, ſi indigeat Aſſeſſore, iſte non ſuſpectus partibus, poſſit aſſumi, cum moderato ſalario à partibus litigantibus eidem communiter contribuendo; prout habetur *in c. Statutum. 11. §. Inſuper. & §. Aſſeſſorem. de Reſcript. in 6.* & ampliùs declarat Gloſſa ibidem.

Hinc *in d. c. Statutum. §. Si quid autem*, ſubjungitur, quòd ſi Delegatus aliquid receperit contra prohibitionem illius Capituli, *ad ipſius reſtitutionem integram teneatur, nullâ eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione ullatenus profuturâ eidem.* Et ſic eſt caſus, ubi dominus rem ſuam in alium transferre non poteſt, etiamſi velit; ac proinde impræſentiarum fallit regula illa: *Nihil tam conveniens eſt naturali æquitati, quàm volun-*

luntatem domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi: prout legitur in §. *Per traditionem. Inſtit. de Rerum diviſ.* Simile quid habetur *in c. Exigit. §. fin. de Cenſib. in 6. & Clement. Nolentes. §. Quòd ſi ſecùs. de Hæretic.* ubi pariter liberalis remiſſio dantis non eximit recipientem ab obligatione reſtitutionis.

22 Petes autem, quid ſi Judex contra dictam Conſtitutionem aliquid recipiens, idipſum poſteà actu reſtituat, ſed pars denuò liberaliter donet? Reſpondet Gloſſa *in d. §. Si quid autem. ℣. Remiſſione.* & Layman *ibid.* citans inſuper Molinam *Tract. 2. de juſt. diſp. 84. num. 14.* id retineri poſſe; dummodò nihil in fraudem fiat, & is, cui donatur, jam deſierit eſſe Judex delegatus donantis. Tum quia aliud eſt remiſſio, aliud donatio: faciliùs enim remitteret quis multa, quàm donaret pauca, ſicque illud citiùs præſumitur fraudulenter fieri. Tum quia in ſimili per Senatus Conſultum Velleianum ſubvenitur mulieri pro alio intercedenti, ſeu ſe obliganti, non autem mulieri donanti, *l. Sed ſi ego. ff. Ad S. C. Velleianum.* quia videlicet faciliùs ſe obligat mulier fidejubendo pro alio, quàm donando.

23 Cæterùm, quia ſæpè dictum *c. Statutum. de Reſcript. in 6.* expreſſe loquitur de Judicibus à Sede Apoſtolica deputandis: hinc proximè dictam pœnam, ſeu inhabilitatem comparandi dominij accepti muneris, non eſſe extendendam ad alios Judices delegatos, præter Delegatos Romani Pontificis, ac Legatorum ejus; meritò concludit Layman *in cit. c. Statutum. n. 18.* poſt Gloſſam *ibid. ℣. Moderatas. in fin.* & alios. Nam pœnæ non ſunt extendendæ extra proprium caſum, ſed reſtringendæ, *c. Odia. de Reg. Juris in 6.* & benigniùs interpretandæ, *c. In pœnis. eod. in 6.* cum ſimilibus.

24 Quæritur. V. Quotuplex ſit officium Judicis? Reſp. I. Quamvis officium Judicis latiſſimum ſit, ut dicitur, *in L. 1. ff. de Juriſdiction. omn. judic.* communiter tamen de facto ſolet diſtingui duplex genus officij judicialis, nobile videlicet, ac mercenarium. Ita Abbas *c. Judicis officium. n. 5. h. t.* éſtque in re communis. Et quidem prior pars, præter textum jam allegatum, ex eo liquet: quia in tanto negotiorum oceano Judex officium ſuum exercet varijs modis, de quibus ſparſim agitur in toto Corpore Juris: unde & Speculator *tit. de Officio omn. judic. §. Poteſt. n. 2.* variè diſtinguit officium Judicis, pluráque hujus diviſionis membra aſſignat.

25 Altera verò pars probatur declarando duplex illud genus officij judicialis Siquidem *officium judicis nobile* dicitur, quod Judex ſuâ, id eſt, Juris authoritate exercet, etiamſi nulla proponatur actio: ſive (ut alij loquuntur) quod Judex extra actionem inſtitutam, ac veluti ex officio, jure, ſeu æquitate ſic ſuadente exercere ſolet: cujus exempla *num. 28.* afferentur. Atq; iſtud nonnulli appellant *Officium Magiſtratûs*: etenim *Judex*, ſeu *Magiſtratus*, eſt animata Lex; & cùm Jus mortuâ litterâ deſcriptum ſit, iſtud vivâ quadam exercitatione Judicis, juſtitiam adminiſtrantis producitur in Forum, licèt nulla ſit inſtituta actio.

Officium judicis mercenarium econtrà dicitur, quod deſervit actioni intentatæ: id eſt, quod Judex impertiri non poteſt, niſi ad inſtantiam partis, præviâ actione, quod ſua intereſt, ab eo petentis. Et rectè appellatur *mercenarium*, metaphorâ ab obſequio famulitio deſumptâ: ſicut enim famulus, ſive mercenarius, qui operam ſuā locat, bonâ fide ac lubens eam præſtat modo, quo præſcribit dominus, & non aliter; ita Judex actionibus in judicium perductis impertit officium ſuum ultrò quidem, ſed non niſi ad normam propoſitæ actionis, eáque ceſſante ceſſat. Unde dici ſolet: *Judex non impartitur officium ſuum, niſi volenti, & petenti.* Fagnanus *c. Venerabilis. n. 21. de Judicijs,* id probans ex *L. 4. §. Hoc autem judicium. ff. de Damno infect.* Quinimò fatuus eſt ille Judex, qui ultra petita judicat, *arg. L. ult. C. de Fideicommiſſar. libert.* & tradit Barboſa *in cap. ult. n. 5. h. t.* Quod procedit in officio judicis mercenario, privatam utilitatem reſpiciente. Gailus *lib. 1. pract. obſervat. 50. n. 4.* 26

27 Atq; hoc officio mercenario expediri dicitur; quidquid propoſitâ actione, & cœpto judicio, Judex præcipit, prohibet, permittit, interloquitur, imò etiam cognitâ jam causâ per ſententiam diffinitivam pronunciat. Executio ſententiæ tamen jam expeditur officio judicis nobili; quia officium judicis mercenarium ſtatim, ac lata fuit ſententia, extinguitur, *l. Judex poſteaquàm. ff. de Re judicat.* ibi: *Judex poſteaquàm ſemel dixit ſententiam, judex eſſe deſinit - - Semel enim, ſive malè, ſive benè, officio functus eſt.* Hoc quippe ad mercenarium ejus officium, quod actioni deſervit, referendum eſt: quia nobili officio nunquam Judex defungi poteſt. Mynſinger *in Scholijs Inſtitut. lib. 4. tit. 17. de Offic. judic. ab init. num. 6. & 7.*

28 Reſp. II. Officium Judicis nobile dupliciter exercetur, quandoque ex mero Judicis facto, & quandoque ad inſtantiam partis. Ita Abbas *in c. Judicis officium. n. 5.* & Layman *ibid. n. 1. h. t.* & alij; idque probatur inductione. Sic imprimis ex mero facto Judicis exercetur ejus officiū nobile, quando is à nemine adactus, nec rogatus, ſed motu proprio, & ex mero officio ſuo procedit, ut puta ad inquirendū, vel puniendum crimina; vel dū ex mero officio ſuo, ac nemine inſtante præcipit, prohibet, aut fieri jubet, quæ ad Juris cōmunis, boniq; ſtatûs Reipublicæ conſervatiōnē, ſeu executionem opportuna judicaverit. Deinde, quòd Judex officium ſuum nobile quandoq; exerceat ad inſtantiam partis, etſi nulla inſtituatur, vel competat actio ordinaria, patet in petitione, ac conceſſione reſtitutionis in integrū: ut ſi minor, vel Eccleſia ex contractu graviter læſa implorat auxiliū Judicis, ut in integrū reſtituatur, vel contractus reſcindatur, atque hoc per Judicē con-

concedatur; *ut c. Suſcitata. 6. De in integrum reſtitut.* cum ſimilibus. Vel ſi quis imploret officium Judicis contra calliditatem adverſarij; ut *c. Sanè. 7.* junctâ Gloſsâ, *V. Suſtinere. de Renunciat.* ubi graviter decepto promiſſionibus, & imploranti officium Judicis, ſubvenitur contra eos, qui eum ita deceperunt. Tacentur alij caſus, in quibus officium Judicis poteſt implorari; ac referuntur à Gloſſa *fin. in cap. 2. h. t.* & ampliùs ab Hoſtienſi *in Summa. num. 3. h. t.*

29 Quæritur VI. In quo differat Imploratio officij judicis ab actione? Reſp. I. Differre plurimùm. Nam imprimis Actio ex parte agentis ſupponit jus, & ex parte ejus, contra quem intentatur, debitum: ſiquidem *Actio nihil aliud eſt, quàm jus proſequendi in judicio, quod ſibi debetur*, prout habetur §. 1. *Inſtit. de Actionib.* Econtrà *Imploratio officij judicis* non præſupponit obligationem aliquam ex parte ejus, contra quem imploratur, nec propriè ullum jus ex parte implorantis; ſed potiùs nititur æquitate, propter quam Judex ſuccurrere poteſt, & quandoque debet.

30 Deinde Actio regulariter eſt omnibus permiſſa jus ſuum in judicio proſequi volentibus. Secùs dicendum de Imploratione officij judicis: hæc quippe cenſetur eſſe remedium extraordinarium, neque aliàs eſt inſtituendum, niſi cùm ordinarium actionis remedium deficit, ut *l. In cauſæ. ff. de Minorib.* ac notat Gloſſa *in cap. 2. V. Pro actione. h. t.* Unde fit, quod ille, qui non poteſt intentare actionem, adhuc poſſit implorare officium judicis. Jaſon *in L. 1. num. 8. ff. de Jurisdict. omn. judic.* citans alios, & plures alias differentias adducens.

Reſp. II. Nihilominùs quando officium judicis imploratur loco actionis, ut puta, ſi reſtitutio in integrum principaliter petatur, tunc opus eſt conteſtatione litis: ſecùs verò, quando illud, ſive ante, ſive poſt ingreſſum cauſæ, ſolùm incidenter poſtulatur. Textus eſt *in cit. cap. 2. h. t.* 31 Quamquàm Abbas *ibid. n. 6. & 7.* ac Vivianus *in Rationali, ibid.* priorem partem rectè intelligant de caſu illo, quando officium judicis imploratur principaliter, & ſimul contra certam perſonam, atque cum plenaria cauſæ cognitione: quia tunc Imploratio officij judicis ſuccedit loco Actionis, & eſt quaſi ordinarium judicium, quod intentatur, & in quo neceſſe eſt fieri litis conteſtationem, *cap. un. de Litis conteſtat.* Si verò officium judicis petatur, ſed non contra certam perſonam, non erit opus conteſtatione litis: quia non eſt, cum quo lis conteſtari debeat. *arg. Auth. Si omnes, C. Si minor ab hæredit. &c.* Idemque dicendum, quando illud ſolùm imploratur incidenter; quia tunc conteſtatio litis in cauſa principali jam facta, extenditur etiam ad iſtud incidentale, veluti quid acceſſorium.

§. II

De obligatione judicandi ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam ſcientiam Judicis.

SUMMARIUM.

32. *Certum eſt, quòd Judex regulariter teneatur judicare ſecundùm allegata & probata.*
33. *Solvitur inſtantia.*
34. *An Judex debeat judicare ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam ſcientiam, eſt celebris quæſtio. Et num. ſeqq.*
35. *Quando Judex non habet omninò certam ſcientiam, tenetur eam deponere, ac procedere ſecundùm allegata & probata.*
36. *Licèt habeat certam ſcientiam contra Reum, Actore non probante debet eum abſolvere.*
37. *Si verò habeat certam ſcientiam pro Reo, tenetur imprimis omnia media tentare pro liberatione ejus.*
38. *Et quæ ſint ejusmodi media?*
39. *Hæc ſunt tam fortia, ut in praxi Quæſtio propoſita vix habeat locum.*
40. *Circa hanc extant tres diverſæ ſententiæ.*
41. 42. & 43. *Prima ſententia aſſerens, Judicem poſſe ac debere judicare ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam conſcientiam, variè probatur.*
44. & 45. *Secunda ſententia, priori extremè contraria, multipliciter probatur.*
46. *Tertia, & cæteris probabilior ſententia diſtinguit inter cauſas civiles, & criminales majores.*
47. *Et ratio diſparitatis inter iſtas.*
48. *Hâc diſparitate benè perceptâ facilis eſt ſolutio contrariorum.*
49. *Ex eo, quòd Judex ſit perſona publica non ſequitur, eum teneri condemnare Reum contra propriam ſcientiam.*
50. *Alia media liberandi Reum innocentem in cauſis criminalibus majoribus.*

Quæ-

QUæritur I. Utrùm Judex teneatur judicare ſecundùm allegata, & probata? Reſp. I. Certum eſt, quòd regulariter loquendo Judex teneatur judicare ſecundùm allegata, & probata; id eſt, ſecundùm publicas allegationes, & probationes in judicio factas. Hinc quippe in *can. Judicet.* 3. *quæſt. 7.* dicitur: *Bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis: ſed juxta leges, & jura pronunciat; ſtatutis juris obtemperat; non indulget propriæ voluntati; nihil paratum & meditatum domo defert; ſed ſicut audit, ita judicat; & ſicut ſe habet negotij natura, decernit; obſequitur legibus, non adverſatur; examinat cauſæ merita, non mutat.* Concordat textus in *cap. 1. de Sentent. & re judic. in 6.* ubi Judex Eccleſiaſticus ordinarius, ac etiam delegatus, graviſſimè puniendus decernitur, ſi contra conſcientiam, & contra juſtitiam, in gravamen partis alterius quicquam in judicio fecerit per gratiam, vel per ſordes. Item textus *in l. Rem non novam. C. de Judicijs.* ubi idcircò Judices à principio ſui officij jubentur jurare, *ſeſe omnimodò cum veritate, & Legum obſervatione, judicium eſſe ſubituros*, cum concordantijs.

33 Nec obſtat *Auth. Hodie. C. de Judicijs*, ubi Judices hodie debent *jurare, ſe facturos, ſecundùm quod eis viſum fuerit juſtius & melius.* Reſp. enim, id intelligendum eſſe, quòd Judex debeat judicare, ſecundùm quod ſibi videtur juſtius, juxta leges tamen, & merita cauſæ, ut explicat Gloſſa *ibid. ꝟ. Juſtius.* non autem quaſi habeat liberum arbitrium, quod lubet, ſtatuendi. Et hæc ſunt certa: major autem eſt difficultas de ſequenti quæſtione, ratione cujus in data Concluſione additum fuit ly, *Regulariter loquendo.* Unde

34 Quæritur II. An Judex poſſit, ac debeat judicare ſecundùm allegata, & probata, etiam contra propriam conſcientiam: id eſt, condemnare eum, qui per teſtes, aut alias probationes convictus eſt ſive de crimine, ſive de debito aliquo, quem tamen Judex privatâ ſcientiâ certò ſcit eſſe innocentem; vel Actore non probante abſolvere Reum, quem tamen certò ſcit nocentē, vel debitorem? Celebris eſt hæc Quæſtio, præſertim quoad priorem partem, tum inter Theologos, tum etiam inter Canoniſtas, & Legiſtas; uti videre eſt apud Gloſſam *in cap. 1. ꝟ. Secundùm quod Canones. de Offic. judic. ordinar.* Abbatem Panormit. *c. Paſtoralis. §. Quia verò. n.* 8. *de Offic. Delegat.* Covarruviam *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 1.* Pirhing *h. t. n. 7. & ſeqq.* Leſſium *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 29. dubitat.* 10. Henricum Zoëſium *in Comment. lib. 5. ff. tit. De Judicijs, num. 48. & ſeqq.* & alios paſſim. Et quidem certa ab incertis ſeparando,

35 Reſp. I. Quando Judex non habet omninò certam ſcientiam, ac indubitatam conſcientiā, tunc tenetur eam deponere, ac judicare ſecundùm allegata, & probata. Ita Abbas *loc. cit. n. 9.* & in re communis; atque in ſimili habetur deciſum *in c. Per tuas.* 35. *de Simonia.* Nam ex una parte, niſi depoſuerit conſcientiam, agendo contra eam peccabit: quia *quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam*, prout dicitur *in c. Litteras.* 13. *§. Porrò, de Reſtitut. ſpoliat.* Ex altera verò parte urget obligatio officij judicialis, ut procedat ſecundùm allegata, & probata, per textus *n.* 32. allegatos: quinimò totus ordo judiciarius perverteretur, ſi ob privatam aliquam notitiā, necdum omninò certā, imò ſæpiùs fallibilem, poſſet Judex relinquere judicialiter allegata, & probata. Verùm de hoc non procedit præſens difficultas, utpote loquens in caſu, quo Judex habet certam ſcientiam, ſeu conſcientiam vel pro Reo, vel contra Reum: unde imprimis quantùm ad poſterius,

Reſp. II. Licèt Judex habeat certam ſcientiā privatam contra Reum, ut puta quia à domo ſua proprijs oculis vidit illum delinquentem: nihilominùs causâ in judicium deductâ tenetur procedere ſecundùm allegata, & probata, ſicq; Actore non probante debet Reum abſolvere. Ita Abbas *in d. c. Paſtoralis. §. Quia verò. n. 8. h. t.* poſt Jo. Calderinum *ibid.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 1. n. 8.* & alij. Ratio eſt: quia generale eſt, quòd Actore non probante Reus abſolvitur *c. Cùm Eccleſia. §. fin. de Cauſa poſſeſſ. & propriet. & l. Qui accuſare. C. de Edend.* cum concordantijs. Accedit, quòd Judex ſit perſona publica, & publicâ fungens authoritate; ergo non poteſt judicare ſecundùm ſcientiam, quam habet ut privata perſona, per textus *n. 32.* allegatos. Atq; hoc eò fortiùs urget: quia talis Judex abſolvendo Reū, non agit contra ſuam conſcientiam, cùm non pronunciet eum eſſe inocentē, ſed ſolùm, quòd contra ipſum nihil legitimè fuerit probatum. 36

Reſp. III. Quando Judex habet certam ſcientiam privatam pro Reo, hoc eſt, ſi penitùs certò, firmiter & indubitanter novit, eum eſſe innocentem, qui tamen ſecundùm allegata, & probata oſtenditur nocens: tunc primò tenetur omnia remedia tentare, omnémq; diligentiam adhibere pro Reo illo liberando, de cujus inocentia ſibi certiſſimè conſtat. Ita Abbas *d. §. Quia verò. n. 8.* Zoëſius *loc. cit. n. 49.* Pirhing *h. t. n. 8.* aſſerens, hoc eſſe certum apud omnes. Id ſiquidem exigit tum præceptum dilectionis proximi, tum obligatio virtutis Juſtitiæ, prohibentis, proximum injuſtè lædi, & innocentem condemnari: hoc enim ſcienter vel permitteret, vel etiam procuraret Judex ille, qui certiſſimè ſciens innocentiam Rei, non curaret opportuna media adhibere pro ejus liberatione. 37

Porrò media liberandi Reum certò innocentem, ſive in cauſis civilibus, ſive in criminalibus, poſſunt eſſe ſequentia. I. Judex dilato pauliſper judicio, iterùm atque exactiùs examinet teſtes, denuóque conſideret producta inſtrumenta, etiam (juxta exemplum Danielis Prophetæ, *Dan.* 13.) ſingillatim interrogando circumſtantias loci, temporis, ac hujusmodi, ut vel ſic falſitas eorum deprehendatur. II. Inquirat Judex cauſas, ſi quas invenire valet, ob quas repelli poſſit actio, vel accuſatio, ut puta ope cujuſpiam exceptionis. III. Poterit Reus talem Judicem recuſare, 38

re, allegando, quòd ejus teſtimonium pro defendenda ſua innocentia ſibi ſit neceſſarium; juxta textum notabilem *in c. Dilecto.* 40. *de Teſtibus.* IV. Poterit inſuper, & ſi alia media non ſuppetant, tenebitur Judex cauſam remittere ad Superiorem, & coram eo Rei innocentiam, ſibi privatim certitudinaliter cognitam, proponere, ac de ea teſtimonium ferre. His accedunt alij modi liberandi Reum, ſi ſermo ſit de cauſa criminali, qui inferiùs *n.* 50. afferentur.

39 Et quidem hujuſmodi media liberandi Reum, quem Judex certiſſimè novit innocentem, adeò ſunt fortia, ut in praxi vix aliquando poſſit quæſtio propoſita locum habere. Loquendo tamen ſpeculativè, ac in caſu metaphyſico, quòd alia media liberandi Reum, certò cognitum innocentem, Judici non ſuppetant,

40 Reſp. IV. Utrùm Judex poſſit, ac debeat judicare ſecundùm allegata, & probata contra propriam conſcientiam, condemnando videlicet Reum, quem certiſſimè novit innocentem, tres extant diverſæ Doctorum ſententiæ, quas unàcum præcipuis ſuis rationibus breviter juvat adducere.

41 Prima ſententia univerſim docet, judicē poſſe, ac debere ſemper procedere, ac judicare ſecundùm allegata, & probata, etiam contra propriam conſcientiam, ſi aliud medium effugiendi ex proximè allegatis nō ſuperſit. Fundamentum eſt: quia Judex publicâ authoritate fungitur, & ex ea judicat, *l. Barbarius. ff. de Offic. Prætor.* ergo impertinens ad judicandum eſt illa ſcientia, quæ ipſi ut privatæ perſonæ competit. Unde, licèt conſcientia propria non concordet allegatis, quia tamen aliud facit aliquis in eo, quòd judex eſt; aliud in eo, quòd homo eſt, ut *can. Si Eccleſia.* §. *fin.* 23. *q.* 4. poteſt judex judicare ſecundùm conſcientiam, quam habet ut judex, relictâ ſeu depoſitâ illâ, quam habet ut homo privatus, *arg. c. Si Sacerdos.* 2. *de Offic. Ordinar.*

42 Idem, & clariùs probatur ex *l. Illicitas. §. Veritas. ff. de Offic. Præſid.* ubi abſolutè dicitur: *Ideò Præſes Provinciæ id ſequatur, quod convenit eum ſequi ex fide eorum, quæ probabuntur.* Ubi Summarium ſic habet: *Judex debet judicare ſecundùm allegata & probata, non autem ſecundùm conſcientiam.* Confirmatur hoc ipſum, atque probatur à ſimili: quia Judex non poteſt ſententiam dicere ex inſtrumento, ſcripturâve in judicio non producta, licèt ea privatim fuerit ſibi exhibita; ergo idem dicendum de quâcunque aliâ privatâ notitiâ Judicis. Antecedens probatur *ex c. Accepimus.* 4. *& c. Contingit.* 5. *& c. Cùm dilectus.* 9. *de Fide Inſtrument.* ubi requiritur ad faciendam probationem, ut inſtrumenta exhibeantur *præſente Judice.*

43 Quinimò Ordinarius ad mandatum Judicis delegati, *etſi ſciat ſententiam illius injuſtam, exequi nihilominùs tenetur eandem: niſi apud eum efficere poſſit, ut ab hoc onere ipſum abſolvat;* prout ſonat textus *in c. Paſtoralis.* 18. §. *Quia verò. de Offic. Delegati.* Idem ergo à pari dicendum in propoſito, prout Gloſſa *ibid.* ℣. *Tenetur.* expreſsè concludit, & docet, quòd Judex, non obſtante, quòd habeat conſcientiam læſam in contrarium, pronunciet in nomine Domini ſecundùm allegata (ſi tamen cauſam à ſe amovere, ſeu alteri delegare non poſſit) & deponat conſcientiam læſam, *arg. can. Judicet.* 3. *q.* 7. Atque ideò hanc ſententiam, præter Gloſſam jam allegatam, & aliam Gloſſam *in can. Judicet.* 3. *q.* 7. tenet Bartolus *in l. Illicitas. §. Veritas. ff. de Offic. Præſid.* Felinus *in d. §. Quia verò. num.* 23. Jaſon *ſuper Tit. Inſtit. de Actionibus. §. Si minus. n.* 15. & nonnulli alij; eámque eſſe veriorem aſſerit Covarruvias *cit. lib.* 1. *Var. Reſolut. cap.* 1. *n.* 6.

Secunda ſententia eſt extremè contraria priori. Tum quia, ut ait Apoſtolus Rom. 14. *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: id eſt, *Omne, quod fit contra conſcientiam, peccatum eſt*, ut explicat S. Ambroſius relatus *in can. Quærat hic. §. Illud autem. de pœnit. diſt.* 3. Tum quia talis Judex, ferendo ſententiam contra privatam ſuam certiſſimam ſcientiam, re ipsâ mentiretur, & quidem in grave diſpendium innocentis condemnati: aliud enim dicere, quàm ſcias, mendacium eſt, atque intrinſecè malum, & nunquam licitum. Tum etiam, quia præſertim in criminalibus prior ſententia locum habere non poteſt; cùm nullo modo liceat eum, quem Judex certiſſimè ſcit iñocentem, ad mortem condemnare, contra illud Jure naturæ notum, ac relatum Exod. 23. & Daniel. 13. *Innocentem & juſtum non occides*, & alibi. 4

Concordat Jus utrumque. Nam imprimis *in l. Abſentem. ff. de Pœnis,* clarè dicitur: *ſatiùs eſſe, impunitum eſſe facinus nocentis, quàm innocentem condemnari.* Inſuper Jure Canonico *in cap.* 1. *de Sent. & re judicat. in* 6. graviter punitur Judex judicans *contra conſcientiam, & contra juſtitiam in gravamen partis alterius*: atqui hoc ipſum fieret juxta oppoſitam ſententiam; ergo. Tandem neque ipſa ſententia Judicis, quamvis ſit magnæ ac publicæ authoritatis, obligat ad faciendum aliquid contra conſcientiam; ut *c. Inquiſitioni.* 44. *de Sentent. excomm.* ubi conjunx, certò ſciens occultum impedimentum matrimonij, quod tamen in judicio probare nequit, tenetur potiùs humiliter ſuſtinere excommunicationem, quàm juxta ſententiam Judicis reddere debitum: ergo neque in propoſito authoritas publica poteſt Judicem compellere ad ferendam ſententiam contra propriam certam ſententiam, atque conſcientiam. Et hanc ſententiam ex profeſſo tenet Abbas Panormit. *in c. Paſtoralis. §. Quia verò. n.* 8. *circa fin. & Offic. Delegat.* Nicolaus de Lyra *in cap.* 23. *Exodi.* & nonnulli alij, apud Covarruviam *cit. cap.* 1. *num.* 3.

Tertia tandem ſententia, & cæteris probabilior, eſt media inter utramque prædictam; & diſtinguendo tenet, Judicem, ſi nulla media declinandi officium judicis ſuperſint ex jam allegatis *num.* 38. poſſe quidem ſecundùm allegata, & probata contra propriam ſcientiam ferre ſententiam in civilibus, & cauſis criminalibus minoribus, ubi ſolùm agitur de pœna pecuniaria, privationis officij, 4

ficij, vel bonorum; non verò in criminalibus gravioribus, quæ reſpiciunt pœnam mortis, vel mutilationis. Ita Imola *in l. A divo. ff. de Re judicat.* Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 29. dubit. 10.* Layman *lib. 3. Theol. Moral. tract. 6. cap. 2. q. 1.* Pirhing. *h. t. n. 9. & 10.* Chriſtoph. Clingenſperger *lib. 4. Inſtitut. tit. 17. quæſt. 4* & alij. Et quidem prior pars ſuadetur rationibus primæ ſententiæ, *à num. 41. & ſeqq.* cum allatis: altera verò per rationes pro ſecunda ſententia *à num. 44. & ſeqq.* adductas.

47 Accedit ratio manifeſtæ diſparitatis inter cauſas civiles, & criminales majores: quia in civilibus, ſeu etiam criminalibus minoribus, habet Judex poteſtatem judicandi ſecundùm allegata, & probata, etiam contra propriam privatam ſcientiam, ab ipſa Republica; utpote quæ eſt domina rerum noſtrarum, poteſtque de bonis ſubditorum ſuorum diſponere, prout bono publico magis eſt expediens. Econtrà verò Respublica non eſt domina vitæ, ac membrorum noſtrorum; & conſequenter in majoribus cauſis criminalibus dictam poteſtatem Judici dare non potuit. Accedit, quòd ſententia, ejúsque executio circa cauſas criminales majores, afferat damnum naturaliter irreparabile: non item circa cauſas civiles, vel criminales minores.

48 Atque hâc utrâque diſparitate bene perceptâ, facilis eſt ſolutio rationum, in favorem primæ ſententiæ ſuprà allegatarum, ſi ipſæ objiciantur contra alteram partem hujus ſententiæ: ac viciſſim ſolutio argumentorum pro ſecunda ſententia ſuperiùs adductorum, ſi nunc urgeantur contra priorem partem hujus tertiæ, ſeu mediæ, ac probabilioris ſententiæ. Unde ulteriori ipſarum ſolutioni, & ad ſingulas longiori reſponſioni, non expedit diutiùs immorari.

Solùm nota pro coronide præſentis difficultatis, ex eo, quòd Judex ſit perſona publica, ſolùm ſequi, quòd non poſſit ex privata ſcientia per ſententiam definitivam Reum abſolvere, vel condemnare: non tamen ſequi, quòd debeat ipſum condemnare ſecundùm probata & allegata, quando certiſſimè ſcit ea eſſe falſa; quia poteſt uti medijs pro liberatione Rei innocentis opportunis, & *num. 38.* jam allatis; vel etiam cauſam ad Superiorem remittere, propoſitâque Rei innocentiâ, ſibi taliter vel taliter manifeſtâ, rogare, ut proceſſum ulteriorem inhibeat, vel (ſi eſt cauſa criminalis) eúndem ſub prætextu gratiæ à pœna infligenda benignè liberare velit. 49

Inſuper loquendo de majoribus cauſis criminalibus, & in defectum omnium memoratorum mediorum, poſſet ſecluſo ſcandalo diſſimulanter Judex permittere, ut Reus innocens è carceribus fugiat; aut, ſi eſt Princeps ſupremus, tenebitur per abſolutam poteſtatem eidem vitam donare, pœnámque remittere. Quòd ſi verò nullum præfatorum fieri poſſet, potiùs deberet Judex officium dimittere, quàm Reum innocentem contra propriam conſcientiam ad mortem condemnare; non obſtante, quòd etiam hoc modo nihil eſſet Reo profuturus: prout cum alijs veriùs cenſet Leſſius *cit. cap. 29. n. 78.* quamvìs caſus iſte ſit metaphyſicus, & in praxi vix occurrere valeat, ut jam ſuprà dictum. 50

§. III.

De Officio Judicis circa cauſas probabiles, vel multùm intricatas, atque defectum Advocatorum.

SUMMARIUM.

51. *Dantur quæſtiones in Jure, hinc inde æquè probabiles.*
52. *Judex non poteſt judicare ſecundùm ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliore.*
53. *Nec inter duas æquè probabiles pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius.*
54. *Neque tunc judicare in favorem amici, totum jus eidem adjudicando.*
55. *In arbitrarijs utile eſt, habere Judicem gratioſum.*
56. *Quid agendum Judici, quando utraque litigantium pars videtur habere cauſam æquè probabilem? Et num. ſeqq.*
Judex debet cuncta rimari. Ibid.
57. *Probationes juris, & Probationes facti, quæ?*
58. *Judex ex opinionibus diſcrepantibus tenetur eam eligere, cui ſuus intellectus magìs conſentit.*
59. *Nec cauſam ad Superiorem referre, ſed eam ipſemet decidere debet.*
60. *Ubi probationes utrobique ſunt æquales, favendum eſt Reo, & poſſeſſori, demptis cauſis favorabilibus.*
61. *Quid ſi uterque litigans perſonam Rei, vel poſſeſſoris ſuſtineat?*
62. *In caſu multùm intricato poteſt Iudex conſulere partibus, ut ſe amicabiliter componant &c.*
63. & 64. *Regulariter tamen litigantes ad componendum compellere nequit.*
65. *Secùs ex gravi causâ.*
66. & 67. *Judicis eſt conari, ut quàm citiùs fieri poteſt, controverſiæ litigantium finiantur.*
68. Contractus non redduntur in invitum, *quomodo intelligendum?*
69. *Judicis eſt, providere parti litiganti idoneum Advocatum, ſi quæ talem non habet.*
70. *Taliſque Advocatus poteſt eſſe domeſticus, ſive familiaris Judicis.*

71. *Advocatus ille non tenetur gratis præſtare officium ſuum.*
72. *Dummodò clientulus non ſit omninò pauper.*
73. *Judex poteſt, ac debet ſupplere ea, quæ ſunt de jure, & ab Advocatis minùs bene dicta: non verò illa, quæ ſunt de facto.*
74. & 75. *Idq; probatur.*
76. *Varia prioris partis exempla referuntur.*

51 QUæritur I. Utrùm Judex poſſit judicare ſecundùm opinionem minùs probabilem, vel ſaltem juxta æquè probabilem acceptâ pecuniâ, ſeu in favorem amici? Ubi prænotandum, quòd in Jure dentur nonnullæ Quæſtiones tum Canonicæ, tum Juridicæ, adeò inter Doctores diſputatæ, & controverſæ, ut reverà utraque pars contradictionis æquali, vel fermè æquali pondere rationum, & probabilitate nitatur: quales proinde novâ Principis deciſione indigent; & non paucæ illarum antiquitùs vigentes, in Sexto Decretalium, & Clementinis, providè per Romanos Pontifices deciſæ fuerunt. Quædam verò earum ſunt quidem adhuc nonihil inter Doctores controverſæ; ita tamen, ut una ipſarum graviori nitatur fundamento, majorique pondere rationum, ſicque probabilior videatur præ altera, licèt nondum ſit omninò certa. Hoc prænotato

52 Reſp. I. Quando inter duas partes litigantium una earum reverà habet pro ſe ſententiam magis probabilem, neutiquam poteſt Judex eâ cognitâ ut tali, atque relictâ, judicare juxta opinionem minùs probabilem. Ita communis, & receptiſſima Doctorum ſententia, quam etiam tenui in Theologia Morali *Tract. 1. Diſt. 3. quæſt. 4. num. 56. & ſeqq.* eſtque defactò certa, & indubitata, ob noviſſimum Decretum Innocentij XI. anno 1679. die 2. Martij, ſequentem inter alias propoſitionem, ordine 2. damnantis: *Probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Accedit ratio: quia Judex, adjudicans cauſam parti, minùs probabilem pro ſe ſententiam, minùſque in Jure fundatam habenti, exponeret ſe manifeſto periculo inferendi grave damnum in bonis fortunæ alteri parti litigantium, utpote probabiliorem, magiſque in Jure fundatam ſententiam habenti: ſiquidem ad evitandum tale damnum proximo, ſeu huic parti litiganti impendens, nihil omninò juvat probabile ejus judicium, quod habet circa ſententiam minùs probabilem.

53 Reſp. II. Non obſtante æquali probabilitate opinionum utriusque partis litigantium, nullatenùs licitum eſt Judici, pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. Ita defactò certa, & indubitata, quidquid nonnulli olim contradixerint. Ratio eſt: quia opera juſtitiæ venalia non ſunt; ut *can. Qui rectè. 11. q. 3.* ubi dicitur: *Qui rectè judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia juſtitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit,* cum ſimilibus. Concordat Jus Civile *in L. 2. ff. de Condictione ob turp. cauſ.* ubi dicitur, crimen eſſe, dare aliquid Judici, ut ſecundùm me in bona cauſa pronunciet: Judicem enim corrumpere videtur. Accedunt dicta ſuperiùs *n. 10. & 11.* ubi ſententiæ venales cenſentur ipſo jure nullæ. Hinc Alexander VII. anno 1665. die 24. Septembris, hanc inter alias propoſitionem, ordine 26. meritò damnavit: *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Quis enim non videat, ab æquitate alienum eſſe, ſi duo æquale jus habere dignoſcantur, judicem, quem oportet eſſe Juris interpretem, juſtitiæque adminiſtrum, uni eorum (acceptâ præſertim pecuniâ) totum adjudicare, alteri abjudicare?

Et ob hanc eandem rationem, quòd non poſſit Judex in favorem amici judicare, eidem totum adjudicando etiam ſtante æquali probabilitate cauſæ; meritò docuit Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 16.* quidquid Engel *h. t. n. 8. & 9.* cum nonnullis alijs, videatur dubitare, atque in oppoſitum inclinare. Nam *in judicijs non eſt acceptio perſonarum habenda*, ut habet *Reg. 12. Juris. in 6.* cum concordantijs. Imò etiam Divinum extat mandatum, Deuteron. cap. 1. *Quod juſtum eſt, judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus: nulla eſt diſtantia perſonarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Qualia etiam alibi ſæpiùs habentur. 54

Per hoc tamen non negatur, quin in arbitrarijs, ubi nullum intervenit præjudicium tertij, utile ſit habere Judicem gratioſum: prout liquet *ex c. Conſuluit. 24. de Offic. Delegat. & c. Nulli. 5. de Accuſationib.* Verùm occaſione præmiſſorum, 55

Quæritur II. Quid igitur agendum ſit Judici, quando utraque litigantium pars videtur habere cauſam æquè probabilem? Reſp. I. Cùm Judex ſit veritatis inquiſitor, oportet, ut is priùs cuncta rimetur, neq; ſe adſtringat ad unam ſpeciem probationis. Ita Fagnanus *in c. Ne innitaris, n. 108. de Conſtitut.* atque deſumitur *ex c. Cùm Joannes. 10. §. Ad hoc autem. de Fide inſtrument.* ubi Judex jubetur cuncta rimari. *Et c. In præſentia. 6. de Renunciat.* ubi Judex non ſemper ad unam ſpeciem probationis applicat mentem ſuam, ſed ex confeſſionibus, depoſitionibus, allegationibus, & alijs, format animi ſui motum. Concordat textus *in can. Si teſtes. §. Sæpè ſine. 4. q. 3. & L. 3. §. Ejuſdem. ff. de Teſtibus*, & ſimilibus. Accedit ratio: quia, etſi quandoque primâ fronte ambæ litigantium partes videantur æquè probabiles, re tamen penitiùs inſpectâ vix accidere poteſt, quin pro una earũ meliores adſint probationes Juris, vel facti: nam ſicut in æquilibrio, ita & hìc, modicus exceſſus ſuperabit. 56

Ubi incidentaliter notandum eſt, quòd per *Probationes Juris*, intelligantur allegationes textuũ Juris, ſeu Legum, unàcum rationibus, Authorúmque citationibus. *Probationes* facti verò dicuntur 57

cuntur productiones teſtium, ac inſtrumentorum. Engel *h. t. n. 9.*

8 Reſp. II. Judex, poſtquàm cuncta rimari, ac ſedulò diſcutere ſtuduit, debet ex opinionibus diſcrepantibus eam eligere, cui magis ratio intellectûs ſui conſentit. Ita Gloſſa *in c. Cùm olim. 24. ℣. Non quæ judici. de Verb. ſignif.* atque colligitur *ex cit. c. In præſentia. de Renunciat. & c. In noſtra. 32. de Teſtib.* cum concordantijs. Accedit textus expreſſus in cit. L. 3. ff. de Teſtib. ibi: *Ex ſententia animi tui te æſtimare oportet, quid aut credas, aut parùm probatum tibi opineris.* Et meritò: nam Judex eſt publicus Juris interpres, juſtitiæq; adminiſter; unde in dubijs, ſeu cauſis controverſis, poſt omnia ritè perpenſa tenetur animi ſui motum, juxta Leges & Canones regulatum ſequi, & ſecundùm quod ei viſum fuerit juſtius & melius pronunciare, *can. Judicet. 7. q. 3. & Auth. Hodie. C. de Judicijs.* Quo facto, ſi pars alterutra litigantium ſeſe gravatam exiſtimaverit, liberum ei erit appellationis remedium.

Quinimò, licèt antiquitus non infrequens fuerit uſus Relationum, quibus Judices inferiores, v.g. Epiſcopi, in cauſa de jure dubitantes, ſupremum Principem, ut puta Papam, deſuper conſuluerunt, prout liquet ex pluribus Capitulis Decretalium: defactò tamen, utroque Jure pleniùs inſtructo, hujuſmodi Relationes in Foro tam Eccleſiaſtico, quàm Civili, propemodùm in deſuetudinem abierunt. Accedit, quòd *in Auth. Ut judices non expectent ſacr. juſſ. Collat. 9.* expreſsè mandetur, ut Judices quicunque cauſas, quantumcunque difficiles, non ampliùs ad Imperatorem referant, ſed ipſimet *examinent perfectè cauſam, & quod eis juſtum legitimúmque videtur, determinent.* Idque fieri poterit adhibito etiam conſilio Viri prudentioris; ita tamen, ut parti, quæ ſe gravatam putaverit, legitimum appellationis remedium maneat reſervatum.

Reſp. III. Quòd ſi verò utrobique probationes appareant æquè probabiles, atque per omnia æquales (quod tamen rebus accuratè diſcuſſis vix, aut niſi rariſſimè contingit) tunc probationes probationibus enervantur; ac proinde in pari cauſa pro Reo, vel pro poſſeſſore erit judicandum, juxta Reg. 11. Juris in 6. *Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs quàm Actori,* cum concordantijs. Et Reg. 65. eod. *In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis.* Dummodò hinc excipiantur cauſæ favorabiles, puta matrimonij, libertatis, dotis, ac teſtamenti; quia in æqualitate probationum judicatur pro cauſa favorabili, *cap. 2. de Probationib. & cap. ult. de Sentent. & re judicat.*

Si verò caſus accidat, ut uterque litigans perſonam Rei, vel poſſeſſoris ſuſtineat (ut ſi duo vicini ſuper terminis confinium, aut ſuper jure venandi, piſcandi, aut paſcendi litigent, & uterque de poſſeſſione docuerit, *arg. c. Ex litteris. 3. de Probationib.*) præfertur is, cujus poſſeſſio eſt antiquior, vel titulo munita. Quòd ſi verò eſt utrobique paritas, cuilibet poſſeſſio pro indiviſo & communiter adjudicanda erit, ſervando formam Interdicti, *Uti poſſidetis, ita poſſideatis.* Engel *h. t. n. 8.*

Quæritur III. An in caſu multùm intricato poſſit Judex partibus compoſitionem, ſeu tranſactionem imperare? Et dicitur notanter *imperare*: nam, quòd Judex conſulere poſſit partibus, ut ſeſe amicabiliter componant, ſive compromittendo in arbitros, ſive tranſigendo, cùm dubius ſit litis eventus, fatentur omnes; idque ut primo loco in praxi fiat, eſt conſultiſſimum, juxta textum notabilem *in can. Studendum. diſt. 90. & cap. ult.* junctâ Gloſſâ *℣. Ad componendum, de Transactionib. & cap. 1. de Mutuis petition.* ubi Gloſſa *fin.* inquit, atque alijs Juribus firmat, quòd Judex primò, ſi poteſt, debet partes reducere ad concordiam. Verùm, an partibus, tale conſilium ſequi recuſantibus, poſſit Judex imperare compoſitionem, difficultas remanet; pro cujus reſolutione 62

Reſp. I. Etſi regulariter loquendo non poſſint partes litigantes compelli ad componendum; nihilominùs ex cauſa gravi poſſunt partes à Judicibus compelli ad componendum, tranſigendum, vel compromittendum. Ita Abbas *in c. Cùm inter R. 16. num. 9. de Elect.* Felinus *in cap. 1. num. 1. & 3. & ſeqq. de Treuga & pace.* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 16.* Barboſa *part. 3. de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 79. n. 9.* & alij; quamvis nonnulli diſſentiant quoad alteram partem, quorum aliquos citat Engel *h. t. n. 9.* Et quidem 63

Prima pars habetur expreſsè *in Auth. Ut litigantes jurent. §. fin. Collat. 9.* ubi ſtatuitur, quòd Judex nullum poſſit cogere ad pacta, vel tranſactiones faciendas cum adverſarijs, & ſi quis coactus hoc fecerit, nullum præjudicium ſibi generetur. Atque hoc procedere regulariter, ac ſeclusâ gravi causâ, rectè notat Felinus, *ubi ſuprà.* Accedit ratio hujus primæ partis: tum quia judicis officium eſt, reddere unicuique jus ſuum per legitimam ſententiam. Tum quia contractus non redduntur in invitum, *l. Invitum. C. de Contract. empt.* cum concordantijs ibidem à Gloſſa relatis, eò quòd quilibet ſit dominus ſuæ rei: atqui inter contractus etiam connumeratur transactio; ergo. 64

Altera pars deſumitur *ex can. Placuit. diſt. 90.* ubi longinqua inter ſe lite diſſentientes, primitùs debent à Sacerdotibus moneri, ut ad pacem redeant; & ſi contempſerint, excommunicari. Idem ſuadetur *ex cit. cap. ult. de Transact.* ubi pro in Summarium ſic loquitur: *Judex poteſt, & debet ſe interponere pro transactione inter partes facienda; præterquàm in caſibus, in quibus Jura hoc non admittunt, ut ſuper matrimonio.* Accedit, quòd in ſimili permutationes Beneficiorum ſint de Jure prohibitæ, & tamen Epiſcopus, ſi cauſam inſpexerit neceſſariam, licite poteſt Beneficiarios de uno loco transferre ad alium, *c. Quæſitum. 5. de Rerum permutat.* Idem ergo dicendum in propoſito, ob paritatem rationis, ſeu inſpectæ neceſſitatis. 65

Confirmatur hoc ipſum. Quia inter alia pertinet ad officium Judicis, conari, ut quàm citiùs fieri poteſt (ſervatis tamen debitis ſolemnitatibus 66

bus Juris) controverſiæ litigantium finiantur; ne lites fiant propemodùm immortales, hominúmq; memoriam excedant, *l. Properandum.* §. 1. *C. de Judicijs.* Ergo etiam hoc ipſo tandem Judex compellere poterit partes, diuturnâ lite inter ſe diſſidentes, ad componendum. Unde &

67 Inter graves juſtasque cauſas compellendi partes ad componendum, tranſigendum, vel compromittendum, cumprimis connumeratur ea, ſi partes diu jam litigârint & poſt accuratam cauſæ diſcuſſionem neutra pars litigantium, inſpectis allegatis, de jure, vel de facto ſuperare videatur, ſitque cauſa adeò intricata, quòd de facili decîdi non valeat; ut ait *cit. can. Placuit. diſt.* 90. & notat Abbas *in Rubric. de Treuga & pace. n.* 1. Felinus *loc. cit. n.* 5. Barboſa *d. n.* 9. Deinde quando iminet periculum armorum: quia tunc ad evadendum tale malum poteſt Judex compellere partes ad tranſigendum, ſeu componendum, *arg. l. Æquiſſimum. ff. de Uſufruct.* & notat Felinus *cit. num.* 5. §. *Fallit quartò.* allegans alios. Item, quando eſt diſſenſio inter perſonas inſignes, ex qua perturbatur Reſpublica: quia Judex debet ſtudere ad ſedandam illam diſcordiam, ne tranſeat in præjudicium Reipublicæ, cujus pacē & quietem procurare tenetur. Felinus *loc. cit. n.* 6 ubi plures tales caſus enumerat. Barboſa, *ubi ſuprà.*

68 Neq; urget, quòd contractus non reddantur in invitum. Nam hoc procedit duntaxat regulariter: ſecùs, ubi urget gravis cauſa; vel Jus ipſū aliter diſponit; ut *in cit. can. Placuit. diſt.* 90. & alijs caſibus hactenus enumeratis. Unde in ſimili compellitur quis ex gravi causâ vendere rem ſuam: ut puta frumentum tempore inopiæ, *arg. L.* 1. *§. Cura carnis. ff. de Offic. Præfect. Urb.* vel fundum, aut domum, *l. Si locus. ff. Quemadmodùm ſervit. amitt.*

69 Quæritur IV. An Judicis ſit, providere parti non habenti idoneum Advocatum, & qualiter? Reſp. I. Ad officium Judicis, etiam Delegati, pertinet providere parti litiganti idoneum Advocatum, ſi quæ hunc ob paupertatem, judicij imbecillitatem, adverſarij potentiam, vel aliam impotentiam habere nequit. Ita ex profeſſo habetur deciſum *in cap.* 1. *h. t.* atque concordat textus *in L.* 1. *§. Ait Prætor. ff. de Poſtulando.* Et meritò: quia, ſi à Judice non provideretur de idoneo Advocato perſonis illis litigantibus, quæ nec per ſeipſas cauſam in judicio proponere valent, nec ob unam vel alteram cauſam ex allatis, Advocatum idoneum invenire poſſunt; facilè eædē in judicijs, dum eſſent indefenſæ, ab adverſario potentiori injuſtè opprimerentur, ac juſtitia violaretur, *l. Nec quicquam. §. Obſervare. ff. de offic. Proconſul.* Vivianus *in Rationali Juris Canon. cap.* 1. *h. t.* Unde, quòd in tali caſu Judex poſſit compellere Advocatum, etiam invitum, ad patrocinandum, rectè notat Abbas *cap.* 1. *n.* 5. *h. t.*

70 Reſp. II. Ejusmodi Advocatus à Judice datus parti non habenti, poteſt etiam eſſe domeſticus, ſive familiaris Judicis, neque ob hoc recuſari valet. Patet hoc apertè *ex cit. cap.* 1. *h. t.* Nam quia cauſa non eſt Advocati, ſed partis; ſimúlq; Advocatus ſolùm deponit de jure litigantis, neque ipſi creditur, niſi in quantùm probat de jure hujus, *l. Ab ea parte. ff. de Probation.* Hinc ceſſant rationes illæ recuſandi Advocatum domeſticum Judicis, ob quas Judex ipſe parti adverſæ nimiùm familiaris poſſet recuſari; ut *c. Inſinuante.* 25. *& c. Cùm R. Canonicus.* 35. *de Offic. Delegat.*

Reſp. III. Nihilominùs Advocatus per Judicem parti deputatus non tenetur gratìs præſtare officium ſuum, ſed conſtituto juſto ſalario per clientulum præſtando; dummodò hic non ſit adeò pauper, ut ſalarium dare nequeat. Ita Gloſſa *in cap.* 1. *℣. Implorando. h. t.* & ibi Abbas *num.* 5. Layman *n.* 2. aliiq; cōmuniter. Prima pars patet *ex can. Non licet.* 11. *q.* 3. *& L.* 1. *§. In honorarijs. ff. de Varijs & extraord. cognit.* ubi pro modo litis, ſeu quantitate cauſæ, próque Advocati facundia, & Fori conſuetudine, Advocatis licitum honorarium, ſeu ſalarium eſſe præſtandum perhibetur. Accedit ratio: quia nemo de ſuo cogitur facere beneficium, *can. Precariæ.* 10. *q.* 2. Et, *Quis militat ſuis ſtipendijs unquam?* ut inquit D. Apoſtolus 1. *Corinth.* 9. cum ſimilibus. 71

Altera pars probatur ex eo: quia, quando clientulus eſt omninò pauper, ita ut præ inopia non poſſit dare ſalarium, vel non niſi ægerrimè; tunc (niſi ex publico ærario ſoleat talibus præſtari ſalarium) ex lege Charitatis, ac Miſericordiæ proximo exhibendæ, Advocatus à Judice deputatus debet ipſi gratìs patrocinari: tenetur enim hinc obedire Judici imperanti, illinc autem talentum ſibi à Deo traditum non abſcondere, ſed ſubvenire pauperi illi, veluti proximo ſummè indigenti, ſuúmque auxilium imploranti, & cujus periclitanti cauſæ in promptu aliunde ſubveniri non apparet. Prout hoc ipſum de præſtandis alijs Miſericordiæ operibus erga indigentes, quibus aliunde non ſubvenitur, paſſim tradunt Doctores; atque loquendo de Advocatis, tenet D. Thomas 2. 2. *q.* 71. *art.* 1. S. Joannes à Capiſtrano *Tom.* 1. *Tractatuum, tract. Speculum Conſcientiæ, intitulato.* §. *Reſtat ultimum, n.* 44. *& ſeqq.* eſtque cōmunis. Alioquin verò Judex poſſet Advocato injuſtè recuſanti interdicere patrocinium, *arg. l. Moris eſt. ff. de Pœnis, & l. Providendum. C. de Poſtulando*, & notat Abbas *cit. cap.* 1. *n.* 5. *h. t.* cum alijs. 72

Quæritur V. Utrum, ſi à litigantibus, vel eorum Advocatis, aliquid minùs dictum fuit, illud Judex ſupplere poſſit, ac debeat? Reſp. I. Ea, quæ ſunt de jure, ſi fuerint omiſſa, vel minùs dicta à litigantibus, ſeu eorum Advocatis, poteſt, ac debet Judex ſupplere: non itēm illa, quæ ſunt de facto; niſi tale ſit factum, quod ipſi jam eſt notum ut Judici. Ita Gloſſa *in c. Bonæ memoriæ.* 3. *℣. Curavimus. de Poſtulat. Prælat.* Idémq; expreſsè docet Abbas *in c. Raynutius. n.* 11. *de Teſtament.* ubi ſic ait: *Ex prædictis infero ad unum generale, quòd ubicunq; aliquod jus ex deductis in judicium competit parti, licèt pars ignoret, poteſt, & debet judex ex officio ſupplere; quia illud eſt ſibi notum, & notorium ut judici.* Hæc ille. Idem docet Layman *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 16. cum alijs. 73

Prior

74 Prior pars Concluſionis clarè habetur *in L.un. C. Ut, quæ deſunt Advocatis partium, judex ſuppleat*: ubi dicitur, dubitandum non eſſe, quòd, ſi quid à litigatoribus, vel Advocatis minùs fuerit dictũ, debeat illud Judex *ſupplere, & proferre, quòd ſciat Legibus, & Juri publico convenire.* Ubi Gloſſa variè id exemplificat, & tandem ſubjungit, id locum non habere in facto, niſi ſit ei notum ut judici. Et meritò: nam factum deductum in judicium jam ſcit Judex ut Judex, ſicque poteſt, ac debet ſupplere, prout Legibus, Jurique publico convenit: ſecùs dicendum de facto nullatenùs deducto in judicium.

75 Et per hoc etiam patet ad poſteriorem partem Concluſionis. Unde Pontifex *in cit. c. Bonæ memoriæ. 3. de Poſtulat. Prælat.* utrumque prædictorum obſervâſſe, & practicâſſe legitur, illis verbis: *Nos igitur auditis, quæ de facto, & de jure fuerant allegata, pleniùs etiam pro utralibet partium curavimus allegare*: ſupplendo videlicet, ac exactiùs inveſtigando, quæ in atteſtationibus, vel alijs in judicium deductis de facto proponebantur, & quæ jus partium fovere videbantur.

Sic imprimis Judex, ſi ſcit aliquem publicè excommunicatum, ex officio debet ipſum repellere ab agendo, etiamſi Reus contra eum nõ excipiat, *c. Exceptionem. 12. de Exceptionib.* Deinde ſupplet Judex Libellum non recipiendo, ſi eſt incompetens, nec poteſt convenire cauſæ, *arg. L. 1. ff. de Offic. Aſſeſſor.* junctâ Gloſſâ *℣. Libellis. & L. 2. §. fin. C. Ut nemo privatus &c.* Tertiò ex officio ſupplet Judex, ad meliorẽ veritatis inveſtigationẽ inquirendo probationes, & præſumptiones illas, quæ non extrinſecùs, ſed ex ipſa cauſa oriuntur, & apparent, atq; in re ipſa inſunt; quamvìs ſpecialiter à parte nõ allegentur, nec probentur, *arg. cap. 2. de Præſumptionib.* ubi ſic proceſſiſſe Salomonẽ in cauſa duarum Meretricum, legitur. Zoëſius *h. t. ff. n. 11.* Inſuper Judex ſupplet de jure, inducendo Legem, ſeu Canonẽ, vel arguendo ad cauſam, aut ducendo ad inconveniens, *arg. l. Ofidius. 95. ff. de Legat. III.* dummodò hoc faciat ſedendo, non ſtando, ne Advocati officium aſſumat, Gloſſa *in cit. c. Bonæ memoriæ. 3. ℣. Curavimus. de Poſtulat. Prælat.* & alia Gloſſa *in d. L. un. ℣. Et proferre. C. Ut quæ deſunt advocat.* ubi plura de hoc. 76

TITULUS XXXIII.

De Majoritate, & Obedientia.

SUMMARIUM.

1. *Sicut in Cœleſti Hierarchia, ita & in Eccleſiaſtica dantur gradus, & ordines Miniſtrantium.*
2. *Majoritas in propoſito, quid?*
3. *Majoritas inter Clericos conſideratur ex quinque cauſis.*
4. *Nempe ex prærogativâ Ordinis.*
5. *Et prærogativâ Conſecrationis.*
6. *Ratione jurisdictionis.*
7. *Ratione antiquitatis.*
8. *Et ratione excellentiæ Ordinantis.*
9. *Obedientia, ut eſt virtus ſpecialis, quid?*
10. *Ejus objectum, quod?*
11. *Obedientia ut ſic dividitur in ſpecialem, & generalem; & hæc declaratur.*
12. *Inobedientia etiam duplex, generalis nimirum, & ſpecialis.*
13. *Obedientia, ut eſt virtus ſpecialis, eſt major omni virtute morali.*
14. *Ac præponitur victimis; & cur?*
15. *Obedientia conſiſtit in tribus: nempe*
16. *In reverentia Superiori exhibenda.*
17. *In mandato ejus ſuſcipiendo.*
18. *Adeò, ut etiam in dubio, an liceat actus, ſemper ſit obediendum.*
19. *Secùs, quando conſtat id eſſe contra Deum, quod præcipitur.*
   Declaratur hoc exemplo Militum Chriſtianorum, ſub Juliano Apoſtata ſervientium. Ibid.
20. *Tenetur inferior obedire Superiori in judicio ſubeundo.*
21. *Mandato Superioris, etiam oneroſo, humiliter eſt obediendum; & toleranda correctio etiam injuſta.*
22. *Cui magìs ſit obediendum ex duobus Superioribus, contraria præcipientibus? Et num. ſeqq.*
   In obediendo major poteſtas præponitur minori; idque declaratur exemplis. Ibid.

23. 24. 25. & 26. *Proponuntur, & ſolvuntur nonnullæ inſtantiæ.*

27. *Si Superiores illi ſint æquales domini, tenetur quis obedire utrique, ſi poteſt.*
28. *Quòd ſi utrique obedire nequeat, tenetur obedire illi, cui majori vinculo, ſeu potiori titulo eſt obligatus.*

29. 30. 31. & 32. *Declaratur hoc exemplis. Et num. ſeqq.*

33. *Clericus magìs tenetur obedire Epiſcopo, quàm Principi ſæculari contrarium præcipienti.*

34. *Inobediens Decretis Epiſcoporum, vel Prælatorum Eccleſiaſticorum, excommunicari debet.*
35. *Dummodo inobedientia ſit notabilis, & conjuncta cum contumacia.*
36. *Abbatiſſa nequit excommunicare propter inobedientiam ſibi ſubjectos, nec Clericos ſtrictè ſuſpendere.*
37. *Poteſt tamen implorare officium Superioris, ut ipſe tales excommunicet, aut ſuſpendat.*
38. *Non obediens Canonicis inſtitutis incurrit infamiam; & qualem?*

1 POſtquàm hactenùs tractatum extitit de Eccleſiaſticorum Miniſtrorum electione, ordinatione, atque officijs, meritò ſubjungitur præſens Titulus. Clarum quippe eſt, inter eos non eſſe honoris & poteſtatis æqualitatem, ſed quemadmodum in Cæleſti Hierarchia, ipsiſque Angelicis Choris datur quædam Ordinum diverſitas, dum alij ſunt Angeli, alij Archangeli &c. ita & in Eccleſiaſtica Hierarchia, ex Divinæ diſpenſationis proviſione, diverſos neceſſe fuit conſtitui Miniſtrantium gradus, & ordines: *ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diverſitate contextio, & rectè officiorum generetur adminiſtratio ſingulorum;* prout optimè notârunt S. Gregorius, & S. Bonifacius Papæ, relati *can. Ad hoc. diſt. 89.* Quibus prænotatis

2 Quæritur I. Quid ſit, & quibus ex cauſis majoritas inter Clericos attendatur? Reſp. I. *Majoritas* in propoſito aliud non eſt, quàm excellentia unius perſonæ præ alia. Et ex hac excellentia, ſeu prærogativa illa, qua Major præſtat minori, naſcitur *Obedientia*, quæ debetur Majoribus.

3 Reſp. II. Majoritas inter Clericos conſideratur ex quinque cauſis, videlicet ex prærogativa Ordinis, Conſecrationis, Juriſdictionis, Antiquitatis, & ex prærogativa ipſius Ordinantis. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 1.* quamvìs nonnulli ſecundum membrum omittant, videlicet Conſecrationem; ut Barboſa *in Summario. h. t.* Pirhing *eod. n. 1. & ſeqq.* eò quòd ſub prærogativa Ordinis comprehendi videatur. Vallenſis *eod. n. 2.* & alij.

4 Sic imprimis ob prærogativam Ordinis, Diaconus major eſt Subdiacono, & Sacerdos Diacono; huicque in Eccleſia præfertur in loco, & portione, etiamſi poſteriùs admittatur, *c. Statuimus. 15. h. t.* Sicut & Epiſcopus major eſt Presbytero; quamvìs olim idem fuerit Presbyter, qui & Epiſcopus, *can. Olim idem. diſt. 95.* Et generaliter ratione Ordinis, Clerici ſunt majores & digniores Laicis, *can. Denique. diſt. 4. & c. Eccleſia ſanctæ Mariæ. 10. de Conſtitut.* cum ſimilibus.

5 Huc accedit prærogativa Conſecrationis: per hanc quippe Epiſcopus conſecratus, major eſt Electo nondum Conſecrato: unde nequit iſte ordinare Clericos, nec alia Epiſcopalia munera peragere, ſicut Epiſcopus conſecratus, *c. Quantò. 4. de Conſuetud.* Et ob parem rationem Eccleſia conſecrata præſtat benedictæ ſolùm. Vallenſis *cit. n. 2.*

Tertiò ratione juriſdictionis, ſive poteſtatis, Archiepiſcopus eſt major Epiſcopo; & Archidiaconus Archipresbytero, *c. Ad hæc. 7. de Offic. Archidiacon.* Sicut & Abbas Monachis, *can. Abbates. 18. q. 2.* & Abbatiſſa Monialibus, *c. Dilecta. 12. h. t.* cum ſimilibus. Quâ etiam ratione Romanus Pontifex, veluti Succeſſor D. Petri, Chriſtique in terris Vicarius, poteſtate divinitùs acceptâ, præeſt omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, imò & cunctis Fidelibus, atque ipſis quoque Imperatoribus quoad ſpiritualia, *c. Solitæ. 6. h. t.* cum concordantijs. 6

Quartò ratione antiquitatis, cæteris paribus, habetur prior, ſeu major, qui priùs fuit ordinatus, *cap. 1. h. t.* Huc etiam facit *Reg. 54. Jur. in 6.* ibi: *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure,* cum ſimilibus. 7

Quintò tandem quis potior habetur, ſeu major, ratione excellentiæ & prærogativæ Ordinantis. Sic ordinatus à Papa, potior habendus eſt alijs Clericis, qui ſunt ejuſdem Ordinis, & dignitatis; idque ob reverentiam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, *c. Per tuas. 7. h. t.* & ampliùs probat Gloſſa ibidem. Concordat in ſimili *c. Si à Sede. 31. de Præbend. in 6.* ubi, ſi non conſtet de prioritate Beneficij duobus collati, ſimúlque neuter poſſideat, præfertur ille, cui Sedes Apoſtolica, vel ejus Legatus contulit, *idque propter conferentis ampliorem prærogativam,* ut loquitur textus. 8

Quæritur II. Quid ſit Obedientia, & in quibus generatim conſiſtat, ſeu attendatur? Reſp. I. *Obedientia,* prout eſt virtus ſpecialis, eſt virtus moralis inclinans ad faciendum, quod jubetur, eò quòd jubeatur. Ita Navarrus *cap. 23. Manual. n. 35.* eſtque in re communis. 9

Additur notanter, *Obedientia, prout eſt virtus ſpecialis.* Cujus videlicet virtutis ſpeciale objectum, eſt præceptum Superioris, tacitum vel expreſſum; ut inquit D. Thomas *2. 2. q. 104. art. 2.* ita videlicet, ut fiat quod jubetur, eò quòd jubeatur. 10

Solet quippe Obedientia ut ſic diſtingui in ſpecialem hic definitam; & in generalem, quæ nihil aliud eſt, quàm executio cujuscunque actûs virtutis ſub præcepto cadentis. Et hæc obedientia generalis comprehendit ſub ſe omnes reliquarum virtutum actus, quibus fit, quod jubetur (ſive faciendo, ſive omittendo) non ratione ipſius præcepti, ſeu non ideò, quia jubetur, ſed ex intentione atque honeſtate cuilibet virtuti propriâ. Licèt enim hujusmodi generalis Obedientia adhuc dicatur obedientia, in tantùm, quia peragit, quod præceptum eſt: nihilominùs ob defectum ſpecialis motivi, ſeu objecti ſui formalis, ea non conſtituit 11

tuit virtutem ſpecialis Obedientiæ, ſed cenſetur eſſe virtus illa, ad quam pertinet actus virtuoſus à Deo præceptus. Sic qui humilis eſt, patiens, & caſtus, non idcircò elicit actum ſpecialis virtutis Obedientiæ (niſi forſan ex ſua particulari intentione eliciat tales actus etiam ideò, quia à Deo ſunt præcepti) ſed potiùs actum humilitatis, actum patientiæ, caſtitatis &c.

15 Atque Obedientiæ ſic dupliciter acceptæ, duplex opponitur Inobedientia: una nimirum generalis, conſiſtens in quocunq; peccato, utpote per quod ſemper violatur aliquod præceptũ Superioris. Altera ſpecialis, qua ideò violatur præceptum Superioris. quia præceptum eſt; vel ideò omittur actus præceptus, quia præceptus eſt.

Cæterùm Obedientia, prout eſt virtus ſpecialis, eſt una ex virtutibus moralibus, atque reducitur ad Obſervantiam. Et quidem hujusmodi Obedientia, licèt ſit minor virtutibus Theologicis; nihilominùs dum per eam propter Deum relinquitur propria voluntas, & impletur voluntas Superioris nobis præcipientis, per ſe loquendo major eſt omni aliâ virtute morali: prout Doctor Angelicus 2.2. *q.* 104. *art*. 5. ex profeſſo docet, & probat. Siquidem per virtutem Obedientiæ relinquitur, ac propter Deum deſpicitur bonum omniũ bonorũ humanorũ maximũ, videlicet bonũ animæ, ſeu propria voluntas, vel maximè præcellens bonis fortunæ, & bonis corporis, quæ ſunt tria genera bonorũ humanorum.

Atque ideò Obedientia victimis jure præponitur 1. *Reg*. 15. quia, ut inquit D. Gregorius lib. 35. *Moral. cap*. 13. ac refertur *can. Sciendũ*. 8. *q*. 1. per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Concordat Extravag. *Quorundam. Joannis XXII*. paulò ante finem.

Reſp. II. Obedientia generatim loquendo attenditur, ſeu conſiſtit in tribus, videlicet in reverentia Superiori exhibenda, in mandato ejus ſuſcipiendo, & in judicio ſubeundo. Ita Gloſſa *in Summa*. ℣. *Obedientia. diſt*. 93. Hoſtienſis *in Summa, n*. 2. *h. t*. & alij; ac declarantur ſingula.

16 Sic Obedientia imprimis conſiſtit in reverentia: hæc quippe debetur Superiori; ita ut minor aſſurgat Majori, & cedat ipſi primũ locum in ſedendo, & eundo, ut explicat Gloſſa *ibid*. Item, ut inferior non ſedeat ſtante Superiore, aut eo non jubente, *can. Non oportet. diſt*. 93. ac hujusmodi. Fallit tamen hoc, ubi minor Ordine, vel poſterior tempore, maior eſt poteſtate, vel jurisdictione: ut patet in Archidiacono, qui hâc ratione præcedit Archipresbyterum, haud obſtante, quòd iſte major ſit Ordine, *c. Adhæc*. 7. *de Offic. Archidiac*. Item fallit, cùm minor gerit vicem, & locum majoris, ut *can. ult. diſt*. 93. ubi Diaconus, habens locum ſui Metropolitani, ſedet ante Presbyterum.

17 Deinde inferior tenetur ſuſcipere, atque exequi mandatũ Majoris: non quidē cujuscunque, ſed illius duntaxat, qui habet jurisdictionē in ſe; ut Pater in filium, Prælatus in Monachum & c. Vel ſaltem adminiſtrationem; ut Magiſter reſpectu diſcipuli, Tutor reſpectu pupulli. Licet enim reverentia debeatur omnibus Majoribus, eorũ tamē præcepto obedire nemo tenetur, niſi reſpectu cujus habent jurisdictionem, vel adminiſtrationem. Porrò inferior tenetur obedire præcepto hujuſce Majoris, ſeu legitimi ſui Superioris in omnibus, quæ ad proprium ſtatum, vel communem utilitatem Reipublicæ pertinent, nec contrariantur Legi Divinæ: uti liquet ex quarto Præcepto Decalogi, *& can. A Subdiacono. diſt*. 93. *& can. Quæ contra. diſt*. 8. cùm ſimilibus.

Et hoc adeò verum eſt, ut etiam in dubio, an id, quòd præcipitur, ſit contra præceptum Dei, nec ne, ſemper ſit obediendum, *can. Quid culpatur*. 23. *q*. 1. juncta Gloſſâ *fin. ibid*. & DD. paſſim. Nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis, putà Superioris præcipientis: unde licèt fortaſſe Superior injuſte faciat præcipiendo, tamen ſubditus juſte facit obediendo, & ſtante dubio excuſabitur ob neceſſitatem ſerviendi. 18

Secùs eſt, quando aliquid præcipitur, quod conſtat eſſe contra Deum: quia tunc Prælato illicitum præcipienti non oportet obedire, ſed Deo magis obediendum eſt quàm homini, *Act. cap*. 5. *& can. Non ſemper. & ſeqq*. 11. *q*. 3. Nam quamvis per obedientiam aliquando bonum ſit omittendum, nunquam tamen per eam malum eſt faciendum, *can. Quid ergo*. 11. *q*. 3. Ac proinde in rebus illicitis obedientia non eſt præſtanda, *can. Si dominus. & can. Imperatores. ead. cauſ*. 11. *q* 3. ubi hoc ampliùs declaratur exemplo Militũ Chriſtianorum ſub Iuliano Apoſtata ſervientium, cui ſtatim obtemperabant pugnam indicenti, non item cultum Idolorum præcipienti. 19

Tandem inferior tenetur obedire Superiori in judicio ſubeundo; adeò, ut juridicè citatus teneatur comparere in ejus judicio; & alioquin contra eum, veluti contumacem, procedi valeat, *c. Ex literis*. 2. *& c. Cùm dilecti*. 6. *de Dolo & contumac*. cum ſimilibus. Niſi per legitimam appellationem, aut recuſationem, ejus judicium declinare valeat. Verùm ad hoc, ut quis teneatur majori obedire in judicio ſubeundo, requiritur ex parte illius jurisdictio in inferiorem: nam cæteroquin ſententia à non ſuo judice lata nullius eſt momenti, *c. At ſi Clerici*. 4. *de Iudicijs*, cum concordantijs. 20

Reſp. III. Mandato Superioris etiam oneroſo humiliter eſt obediendum, & piâ devotione tolerandum jugum, quod imponitur, etſi vix ferendum videatur, *can. In memoriam. diſt*. 19. Atque inſuper patientiſſimè toleranda correctio, etiam injuſta, *can. Contra morem. diſt*. 100. Niſi quis rationabilem cauſam prætendere poſſit, eamque debitâ cum reverentiâ aſſignet, cur mandatum Superioris adimplere non poſſit, *c. Si quando*. 5. *de Reſcriptis*. 21

Quæritur. III, Cui magis ſit obediendum, ſi quis duos habeat Superiores, & unus præcipiat unum, alter contrarium? Reſp. I. In obediendo major poteſtas præponitur minori; adeóque in tali caſu magis ſuperiori parendum eſt præ alio. 22

Ita

Ita Hoſtienſis *in Summa. n. 6. §. Quid ſi duo. h. t.* Federicus de Senis *Conſil.* 191. §. *Item quod iſte.* Cardinal. Tuſchus *Litt. O. Concl.* 1. *n.* 3. & alij. Et hæc Concluſio claré traditur *in c. n. Quæ contra. diſt.* 8. illis verbis: *Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ major poteſtas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.* Concordat *can. Qui reſiſtit. 11. q.* 3. ubi S. Auguſtinus *Serm. 6. de Verbis Domini*, id declarat exemplo Curatoris, Proconſulis, & Imperatoris, ac ipſius Dei: nam ſi aliquid juſſerit Curator, id faciendum eſt: tamen ſi contrà Proconſul jubeat, hujus poteſtas præfertur. Et ſi aliquid Proconſul jubeat, aliud Imperator, nemo dubitat, illo contempto, huic eſſe ſerviendum. Sicut &, ſi aliud Imperator, aliud Deus jubeat: nam major poteſtas prævalet minori; & Imperator carcerem, Deus gehennam inobedientibus minatur.

23 Dices. Juxta *can. Archiepiſcopus. cum ſeqq.* 9. *q.* 3. Clericus magìs tenetur obedire Epiſcopo, quàm Archiepiſcopo; imò hic circa Clericum ſui Suffraganei, eo inconſulto, nihil poteſt diſponere, & nullam in eum habet poteſtatem, *c. Paſtoralis.* 11. *de Offic. ordinar.* Sicut & Monachus magìs tenetur obedire ſuo Prælato, quàm Epiſcopo; adeò, quòd Epiſcopus ipſum non poſſit ordinare, neque ad majus officium promovere, invito Prælato, *can.* 1. *&* 2. *diſt.* 58. Similiter Epiſcopus non debet relaxare ſententiam excommunicationis rationabiliter latam à Plebano ſibi ſubjecto, abſque hujus conſcientiâ, & præmiſsâ per malefactores congruâ ſatisfactione, *c. Cùm ab Eccleſiarum.* 3. *de Offic. Ordinar.* ergo non ſemper eſt obediendum majori Poteſtati, ſeu magìs Superiori. Reſp. neg. conſequent. Quia Concluſio non abſolutè dicit, Majori eſſe obediendum, ſed majori Poteſtati, ſeu magìs Superiori; hoc eſt, illi, penes quem magìs ac principaliùs poteſtas imperandi reſidet: prout accidit in Proconſule reſpectu Curatoris ſibi ſubjecti, & in Imperatore reſpectu Proconſulis, in Deo reſpectu Imperatoris, cùm hic poteſtatem præcipiendi recipiat ab illo, non econtrà. Hoc autem non accidit in allatis inſtantijs.

24 Sic quippe, licèt Archiepiſcopus ſit major Epiſcopo, non tamen major eſt ejus poteſtas reſpectu Clerici ſuo Suffraganeo ſubjecti: quinimò extra actum Viſitationis, & quoſdam alios caſus, ſuprà *Tit.* 31. *de Officio Judicis Ordinar. §.* 2. *num.* 43. *& ſeqq.* enumeratos, & in quibus talis Clericus tenetur magìs obedire Archiepiſcopo, nullum hic in ipſum habet poteſtatem, ſive juriſdictionem, *cit. c. Paſtoralis. de Offic. Ordinar.*

25 Similiter, quamvìs major ſit dignitas Epiſcopi, quàm Abbatis non tamen pertinet ad officium Epiſcopi pro libitu ſuo diſponere circa Monachum: quinimò Monachus immediatè habet Abbatem locò Dei ſupra caput ſuum, idque vi voti obedientiæ, *c. Si Religioſus.* 27. *de Elect. in* 6. Ac proinde (exceptis certis caſibus) meritò tenetur magìs obedire ſuo Abbati, quàm Epiſcopo Abbas Panormit. *d. c. Cùm ab Eccleſiarum. n.* 10. *de Offic. Ordinar.*

Ad ultimum de Plebano dicitur cum Gloſſa *fin. in cit. c. Cùm ab Eccleſiarum.* & Abbate *ibid. n.* 11. allegante communem Doctorum, licèt Epiſcopus malè faciat, relaxando juſtam ſententiã excommunicationis à Plebano in ſibi ſubjectos latam (ſic enim non nihil confunditur ordo Eccleſiaſticus, *arg. can. Pervenit ad nos.* 11. *q.* 1. ac proinde meritò iſtud dicitur per Epiſcopum fieri non debere) quòd nihilominùs talis abſolutio ab Epiſcopo facta teneat. Siquidem ipſe eſt Ordinarius ſuæ Diœceſis: & quamvìs Plebanus, vel alius inferior Prælatus, habeat juriſdictionem in ſuos ſubditos, hanc tamen non habet excluſo Epiſcopo, ſed cumulativè cum ipſo. Unde hæc inſtantia neutiquam urget, ſed potiùs favet Concluſioni noſtræ. Videantur etiam dicta ſuperiùs *cit. Tit. De Officio Judicis Ordinarij. §* 3. *num.* 78. *&* 81.

Reſp. II. Quòd ſi verò ex duobus illis Superioribus neuter ſit ſuperior alterò, ſed vel ſint æquales domini, atque æqualis juriſdictionis, puta duo Epiſcopi, quibus quis vovit obedientiam, vel ſaltem ex diverſis titulis eſt quis ſubjectus ambobus: tunc ſi talis poteſt utrique obedire, tenetur ad hoc, *l. Duorum libertus. ff. de Operis libertor. & l. Si quis gravi. §. Si cùm omnes. ff. Ad S. C. Syllanianum.* 2

Si verò utrique nequit obedire, ut quia præcipiunt contraria, vel ſimul incompoſſibilia; tunc tenetur obedire illi, cui majori vinculo, ſive potiori titulo eſt obligatus. Ita Hoſtienſis *in Summa. n. 6. §. Quid ſi domini. h. t.* Card. Tuſchus *loc. cit.* & alij. Siquidem generale eſt, quòd major Poteſtas minori præponatur ad obediendum, *can. Quæ circa. diſt.* 8. Atqui major illa Poteſtas non ſolùm conſurgit ex dignitate majori Prælatorum, ſed etiam ex majoritate, ſeu potioritate tituli, quo quis tenetur obedire; prout oſtenditur inductione. 2

Sic imprimis, qui duobus Epiſcopis juravit obedientiam, ac nequit obedire utrique, eò quòd diverſa, ſeu incompoſſibilia præcipiant, tenetur obedire illi, cui primò juravit: quia juramentum primum licitum ſervandum eſt, & ſecundum, quatenus contrariatur priori, non tenet, *c. Veniens.* 16. *& c. Intellecto.* 33. *de Jurejurand.* Hoſtienſis *ubi ſuprà.* 2

Deinde, quando filiusfamilias cuipiam aliquid ſub juramento promiſit, ſi patri oppoſitum præcipienti humiliter obediat, nõ fit perjurus (dummodò præceptum paternum non procuraverit) imò tenetur patri potiùs obedire. Federicus de Senis *Conſil.* 191. Card. Tuſchus *Litt. O. cit. Concl.* 1. *n.* 1. & alij. Ratio eſt: quia filius per factum ſuum, ſeu per juramentum alteri præſtitum, non poteſt tollere, aut vulnerare obligationem, quâ de Jure naturali, ac Divino, ſuo parenti tot titulis tenetur. Accedit, quòd jurans per ſecundam obligationem non poſſit præjudicare priori; licèt, in quantùm in ſe eſt, teneatur eam obſervare. ex quo obſervari poteſt ſine peccato, *c. Si verò.* 8. *de Jurejur.* 3

Quòd

1 Quòd ſi verò pro eodem tempore pater præcipiat filio circa rem domeſticam, & Judex, aut belli Dux circa negotium Reipublicæ, magìs Judici, aut Duci obedire tenetur, quam patri: quia bonum publicum eſt præferendum privato. Card. Tuſchus *loc. cit. num.* 2. Engel *h. t. num.* 70. ubi cum alijs Doctoribùs generaliter docet, quòd inter pares poteſtate Superiores ei ſit obediendum, qui præcipit ad nobiliorem finem.

2 Rurſus, quando quis ratione duplicis Beneficij, vel officij legitimè poſſeſſi, ſubijcitur juriſdictioni diverſorum Prælatorum incompoſſibilia præcipientium; tenetur magìs obedire illi, cui principaliter ſubeſt, *arg. c. Cùm Clerici.* 19. *de Verb. ſignif.* Vel cæteris paribus, à quo majus Beneficium habet, *arg. c. Cùm in officijs.* 7. *& c. Relatum.* 12. *§. fin. de Teſtament. & cap. ult. de Poſtulando.* Quòd ſi verò omnia ſint æqualia, locus eſt gratificationi, *arg. l. Si quis gravi. §. Si cùm omnes. ff. Ad S. C. Syllanianum*, ac notat Hoſtienſis *in Summa. h. t. num.* 6. §. *Sed quid ſi.*

3 Tandem, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi major eſt quocunque Principe ſæculari; cùm ſpiritualia ſint temporalibus digniora, *c. Illud.* 5. *h. t.* Adeò, ut omnes Principes Epiſcopo loci teneantur obedire in pertinentibus ad Paſtorale Officium ſuum, *c. Omnes Principes.* 4. *& c. Solitæ.* 6. *eod.* Atque idcircò S. Ambroſius, Epiſcopus Mediolanenſis, Theodoſium magnum Imperatorem excommunicare non formidaverit, *can. Duo ſunt. diſt.* 96. ſicut & S. Stanislaus, Epiſcopus Cracovienſis, excommunicavit Boleslaum Regem Poloniæ. Hinc ſequitur, quòd Clerici magìs teneantur obedire Epiſcopo loci in pertinentibus ad ejus officium, quàm cuicunque Principi ſæculari contrarium præcipienti: etiamſi huic ſubſint ratione bonorum temporalium, quorum jacturam pertimeſcere poſſunt, *cit. c. Illud. h. t.* ibi: *Non debuerat pro temporali commodo inobedientiæ notam incurrere.* Vel in alio licito, ac honeſto ſervitio illius Principis ſæcularis detineantur: ubi enim contraria præcipiuntur, tunc majori Domino obediendum eſt, *cit. can. Qui reſiſtit.* 11. *q.* 3. cum ſimilibus.

34 Quæritur IV. Quæ ſint pœnæ inobedientium? Reſp. I. Si quis Decretis Epiſcoporum, aut aliorum Prælatorum Eccleſiaſticorum, per contumaciam non obtemperaverit, excommunicari debet. Textus eſt *in cap.* 2. *h. t.* ibi: *Si quis venerit contra decretum Epiſcopi, ab Eccleſia abijciatur &c.* Concordat *can. Si autem vobis.* 11. *q.* 3. Quamquàm hæc excommunicatio non ſit latæ ſententiæ, ſed primùm ferri debeat contra inobedientem, ut reſipiſcat; prout innuitur citatis illis verbis: *Ab Eccleſia abijciatur*, id eſt, excommunicetur.

Adde, quòd talis pœna excommunicationis 35
non ſit infligenda, niſi propter inobedientiam, quæ ſpectatis omnibus circumſtantijs ſit peccatum mortale, ſimúlque conjuncta cum contumacia, *can. Nemo Epiſcoporum. & can. Nullus Sacerdotum.* 11. *q.* 3. ac notat Abbas *in cit. cap.* 2. *num.* 1. *h. t.*

Excipe tamen Abbatiſſam: hæc quippe Ca- 36
nonicas ſuas, & Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, propter inobedientiam excommunicare non poteſt, *c. Dilecta.* 12. *h. t.* eò quòd excommunicatio pertineat ad Claves Eccleſiæ, quarum poteſtas non competit fœminis, *c. Nova.* 10. *de Pœnit. & remiſſ.* Quâ de causâ etiam Abbatiſſa nequit propriè, ac ſtrictè, ſuſpendere ab Ordine Clericos ſibi ſubjectos, eâ ſcilicet ſuſpenſione, cujus violatio inducit irregularitatem: licèt largè loquendo poſſit ipſos ſuſpendere à Beneficio, ſubtrahendo videlicet eis Beneficium, aut ipſis præcipiendo, ne celebrent, donec ſatisfecerint: ídque ratione juriſdictionis, quam ex ſpeciali jure, ut puta ex longæva conſuetudine, vel privilegio, in eos forſan acquiſierat, *arg. c. Dilecta.* 12. & notat Abbas *ibid. n.* 5. *h. t.*

Quamvìs autem Abbatiſſa nequeat excom-
municare, vel propriè Clericos ſuſpendere; 37
poteſt tamen implorare officium Superioris, ut ipſe excommunicet, vel ſuſpendat contumaciter inobedientes, juxta *cit. c. Dilecta. §. fin.* & Abbatem *ibid. n.* 3.

Reſp. II. Inſuper non obediens Canonicis 38
inſtitutis incurrit inobedientiæ notam, id eſt, infamiam. Patet hoc ex *c. Illud Dominus.* 5. *h. t.* juncto Summario, & DD. *ibid.* Quamvìs hæc ſit talis infamia Canonica, qualis oritur ex omni peccato mortali, quo per pœnitentiam, & ſacerdotalem authoritatem ſublato, tollitur & infamia, *can. illi qui.* 6. *q.* 1. & obſervat Abbas *in cit. c. Illud Dominus. Not.* 2.

TITULUS XXXIV.
De Treuga & Pace.
SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
2. *Judicum Eccleſiaſticorum eſt, diſcordantes ad pacem reducere.*
   Bonarum mentium eſt, lites execrari. Ibid. & num. ſeqq.
3. *In litibus, ſeu controverſijs cauſarum, quæ mala oriantur?*
4. *Pax quid?*
5. *Et quæ ejus commoda?*
6. *Treuga, quid?*
7. *Induciæ, quid, & an differant à Treuga?*
   Treugæ *vocabulum quale? Ibid.*
8. *Treuga eſt duplex, nempe*
9. *Conventionalis, &*
10. *Canonica, ſeu Legalis, quid? Et num. ſeqq.*
11. *Treugæ Canonicæ, cur fuerint ſtatutæ?*
12. *Enumerantur perſonæ, quæ tempore Guerræ gaudeant ſecuritate,*
   Sævire in fœminas, & pueros, ſemper fœdum habebatur. Ibid.
13. *Treugæ Canonicæ, an ſint uſu receptæ? Et num. 10.*
14. *Innocentes in bello occidere, an liceat?*
15. *Hoſtem fallere ſtratagemate aliquo, eſt laudabile.*
16. *Fidem tamen ipſi datam violare non licet.*
17. *Si facto publico violatur per hoſtem pax, aut treuga, illicò altera pars poteſt arma reaſſumere.*
18. *Secùs, ſi ea violetur facto duntaxat privato. Et num. ſeq.*
19. *Tunc enim ſatisfactio priùs petenda eſt. Et num. 17.*
20. *De Bello, Remiſſivè.*

1 QUamvis poſt Tractatum de Prælatis & Judicibus Eccleſiaſticis, mox de ipſis Judicijs tractandum videretur, nihilominùs præmittendum cenſuit Compilator Juris Canonici Tractatum de Pace & Treuga, Pactis & Contractibus, & alijs hujuſmodi, quibus litigantes partes ad pacem & concordiam revocari poſſunt.

2 Et meritò id factum: tum quia Judicum Eccleſiaſticorum eſt, diſcordantes ad pacem reducere, ut habetur *diſt.* 90. per totum. Tum quia præſtat, ut, ſi fieri poſſit, diſſidentes ac litigantes tempeſtivè proprijs pactionibus, atque transactionibus, ſeu alijs opportunis modis, ad concordiam revocentur. Litigia quippe ac diſſenſiones criminum præbent occaſionem, ſúntque multorum cauſa malorum, *Clem. Dudum. §. 1. de Sepultur.* Unde & bonarum mentium eſt, lites execrari, *arg. l. Item ſi res. §. fin. ff. De alienat. judic. mutand. cauſ.* & inter alios notat Fagnanus *in c. Conqueſtus. n.* 53. *de Ferijs.* Incertus eſt enim litis eventus, ſimúlque cogitandi ſunt ſumptus ad ejus proſecutionem neceſſarij, *arg. l. Quod debetur. ff. de Peculio.*

3 Pulchrè ſanè S. Ivo, Advocatorum Patronus (ut poſt Rebuffum *tom. 1. ad Leges Galliæ, in Prooëmio, Gloſſa* 5. *n.* 154. refert Barboſa *part.* 3. *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 79. *n.* 14.) dicebat, *quòd in controverſijs cauſarum capitales inimicitiæ oriuntur, fit amiſſio expenſarum, labor animi exercetur, corpus quotidie defatigatur, multa & inhoneſta crimina inde conſequuntur, bona & utilia opera poſtponuntur: & qui ſemper credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt; & ſi obtinent, computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt.* Unde tutior eſt pax incertâ victoriâ; & ſatis lucratur, qui ſe à litibus eximit. Atque, ut habet vulgi adagium, *Tenuis transactio præſtat pingui ſententiâ*: incertus enim eſt litis eventus, *l. Quod debetur. ff. de Peculio.* Et quòd omnia alia ſuperat, Divinum monitum Salvatoris eſt, Matth. cap. 5. verſ. 40. *Si quis vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Quibus quantùm ad connexionem Rubricarum prænotatis,

Quæritur I. Quid ſit Pax, & quæ ejus commoda? Reſp. I. *Pax* eſt totalis, & perpetua diſcordiæ peremptio, voluntariè inter litigantes facta. Ita in re communis. Dicitur imprimis, *totalis & perpetua diſcordiæ peremptio*; ad differentiam Treugæ temporalis, ſeu induciarum ad tempus initarum, de quibus in progreſſu. Et additur, *voluntariè facta*, hoc eſt, mutuo litigantium conſenſu inita; haud obſtante, quòd quandoq; alterutra pars armis ſuccumbens cogatur invita pacem inire: nam etiam coacta voluntas eſt voluntas, *can. Meritò.* 15. *q.* 1. junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Vult.* cum concordantijs. Simúlque finis belli, pax eſt & ſecuritas; nam ideò bellum geritur, ut pax acquiratur, *can. Noli.* 23. *q.* 1. 4

Reſp. II. Pacis plurima, & inſignia ſunt encomia, & commoda: ipſa enim eſt vinculum Charitatis, *c. Novit.* 13. *§. Licèt. de Judicijs.* Diſcordiæ finis, Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 2. Omnium 5

rerum

rerum mater, & nutrix: nam gratæ Pacis inſignijs omnia vigere cernuntur, creſcunt opes, vigent Leges, floret Reipublicæ diſciplina, fervet Religio, valet æquitas, pollet humanitas, uberior eſt quæſtus pauperum, ſplendidior opulentia divitum. Barboſa *in Summario, h. t. n. 1.* Chriſtus veniens docuit pacem, dedit pacem, reliquit pacem, *can. Niſi bella. 23. q. 1.* Nec niſi toto Orbe terrarum in pace compoſito Unigenitus Dei Filius in Mundum venire, naſciq; dignatus eſt. Martyrologium Romanum *die 25. Decembris.* Tantaque ſunt univerſim Pacis commoda, ut Poëtæ canere licuerit:

Nulla ſalus bello, Pacem depoſcimus omnes.

Quæritur II. Quid, & quotuplex ſit Treuga?
6 Reſp. I. *Treuga* eſt ſecuritas, perſonis & rebus ad tempus præſtita, diſcordiâ nondum finitâ. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 1.* Vallenſis *eod. num. 1.* & alij. Dicitur notanter, *ſecuritas ad tempus præſtita:* quia per hoc Treuga differt à Pace, quòd hæc ſit totalis peremptio diſcordiæ, non ſic Treuga.

7 Porrò Treugæ in Jure Civili alio nomine vocantur *Induciæ* (vulgò, Armiſtitium) ut *l. Poſtliminium. ff. de Captivis, & poſtlim. reverſ.* ibi: *Induciæ ſunt, cùm in brevi, & in præſens tempus convenit, ne invicem ſe laceſſerent.* Et quamvis Gloſſa *ibid. ℣. Laceſſerent,* aſſignet differentiam, quòd Treugæ ad longum tempus, Induciæ verò ad breve tempus concedantur: communiter tamen ſumuntur pro ſynonimis, niſi quòd *Induciarum* vocabulum ſit latinum, *Treugæ* verò Gallicum; ut inquit Vallenſis, & Pirhing *h. t. n. 1.* vel Italicum, ſive barbarum, ut loquitur Zoëſius *eod. n. 3.*

8 Reſp. II. Treuga duplex eſt, videlicet alia conventionalis, & alia canonica ſeu legalis. Ita Gloſſa *in cap. 1. ℣. Frangere h. t.* communiter recepta. Et quidem

9 *Treuga conventionalis* dicitur, quæ ex libera litigantium voluntate initur; adeòque ex conventione formam & modum recipit, non minùs, ac quilibet contractus. Et hujuſmodi Treugæ, ſeu Induciæ, ſemper, & quidem de Jure gentium, ſunt ſervandæ; *arg. can. Jus gentium. diſt. 1.* ubi inter alia etiam *paces, induciæ* ad Jus gentium revocantur.

10 *Treuga canonica ſeu legalis* eſt, quæ per Canonem, ſeu Legem conſtituta eſt; de qua fit mentio *in cap. 1. & 2. h. t.* Ubi imprimis in Concilio Lateranenſi, ſub Alexandro III. celebrato, ſub pœna excommunicationis, & alijs pœnis ſtatutum habetur, ut *Treugæ à quarta Feria poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam Feriam in ortu ſolis, ab Adventu Domini uſque ad Octavas Epiphaniæ, & à Septuageſima uſque ad Octavas Paſchæ ab omnibus obſerventur.* Verùm hic Canon cum ſuis pœnis non eſt uſu receptus, nec proinde hodie tenet; ut notat Gloſſa *ibid. ℣. Frangere.* Innocentius, & Expoſitores communiter.

11 Addit noviſſimè, ac multipliciter probat Gonzalez Tellez *in Commentar. ad cit. cap. 1. h. t. num. 9. & num. 18.* dictas Treugas Canonicas in Concilio Lateranenſi fuiſſe ſtatutas contra bella privata, quæ olim ſatis vigebant, & nec Legibus probata erant, nec omnino improbata reperiebantur: non autem procedere de bello, juſtis de cauſis, & publicâ authoritate indicto.

Deinde *in cap. Innovamus. 2. h. t.* innovatur ſtatutum antiquitus *in can. Si quis Romipetas. & can. Paternarum. 24. q. 3.* jam contentum, ut tempore guerræ *Presbyteri, Monachi, Converſi, peregrini, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congruâ ſecuritate lætentur.* Hæc ibi. Ratio eſt: quia tales perſonæ vel non ſunt partes, ac membra Reipublicæ, contra quam bellum offenſivum geritur, ut peregrini: vel ſaltem juxta præſumptionem juris, ac niſi contrarium de ipſis oſtendatur, cenſentur innocentes, & perſonaliter non nocere, nec eſſe injuriæ auctores, vel cooperatores: ut Presbyteri, Monachi, ruſtici agriculturæ vacantes, & hujusmodi. Quibus vel maximè accenſentur pueri ac mulieres, ipsâ naturâ, & ſexûs conditione, talium innocentiam eſſe præſumendam docente: unde ſævire in fœminas & pueros, ſemper fœdum habitum fuit; cùm ipſamet Lex Divina hos occidere vetaverit, *Deuteron. c. 20. v. 14.* 12

Cæterùm quòd etiam iſtud Capitulum, quantùm ad hoc, ut tempore belli perſonæ Eccleſiaſticæ, ruſtici, eorúmque animalia gaudeant plenâ ſecuritate, non ſit uſu receptum, aſſerit cum alijs Engel *h. t. n. 3.* cùm hoſtilis furor ægrè Legibus coërceatur, quando inter arma ſilere Leges, ſatis miſera probat experientia. Vel dicendum cum cit. Gonzalez Tellez *in cap. 2. n. 9. h. t.* in hoc Capitulo mentionem eſſe de Treugis Canonicis, ac ſecuritate enumeratis perſonis congruè concedendâ in bello privato, juxta dicta ſuperiùs *n. 11.* 13

Verùm, quidquid ſit de hoc, innocentes per ſe, atq; ex intentione in bello occidere, licitum nō eſt, juxta illud *Exod. cap. 23. & Daniel. 13.* ac lumine naturæ notū: *Innocentem, & juſtum non interficias.* Per accidens tamē, ac præter intentionē aliquando poſſunt etiam iñocentes occidi: ut puta, ſi bellū aliter geri, vel victoria obtineri nequit, niſi iñocentes unàcum nocentibus, quibus permixti ſunt, ſimul occidantur; prout accidit in arciū everſione, urbiū expugnatione, ac hujusmodi. Nam ratio boni communis præponderat privato. 14

Quæritur III. An cum hoſtibus inita Pax, & Treuga frangi poſſit? Reſp. I. Etſi hoſtem fallere dolo, ſeu ſolertiâ & ſtratagemate aliquo, ſit laudabile: fidē tamē ipſi datā, ſeu pacta cum eo inita, violare non licet. Ita cōmunis. Et quidē prior pars ex eo liquet: quia datur *Dolus bonus,* videlicet pro ſolertia acceptus, maximè contra hoſtes publicos, *L. 1. §. Non fuit. ff. de Dolo malo.* Unde & in Sacra Scriptura ſæpiùs laudantur illi, qui hoſtes ex inſidijs, ſeu ſtratagemate devicerunt, ut *Joſue cap. 8. & Judic. cap. 20. verſ. 29. & 1. Reg. cap. 15.* & alibi ſæpiùs. 15

16 Altera pars patet *ex can. Noli exiſtimare. 23. q. 1.* ubi dicitur: *Fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt.* Nec obſtat, quòd dolo hoſtem fallere liceat: aliud enim eſt, ponendo inſidias, vel aliquid in pactum nullatenùs deductum ſimulando, hoſtem callidè circumvenire; aliud, fidem datam, inducias, & pacta promiſſa violare. Illud omni jure eſt licitum, atque laudabile: iſtud illicitum, ac non ſolùm Juri gentium repugnans, *can. Jus gentium. diſt. 1.* ſed etiam Juri naturali contrarium, utpote quo mentiri nunquam licet, & pacta legitimè inita cuſtodiri mandantur, ut *cap. 1. de Pactis.* Idque vel maximè procedit in pactis, ſeu conventionibus publicis, quæ fiunt per Principes, aut quando belli Duces quædam inter ſe paciſcuntur, *arg. l. Conventionem. ff. de Pactis.*

17 Reſp. II. Quando Pax, vel Treuga, facto publico ab una parte violata eſt, tunc ipſa illicò diſſolvitur ex parte altera, adeò ut hæc abſque nova indictione belli poſſit arma reaſſumere: ſecùs eſt, quando violatur facto duntaxat privato: tunc enim ſatisfactio anteà petenda eſt. Ita Gonzalez Tellez *in cap 2. n. 16. h. t.* ſic concordans alias Doctorum ſententias. Ratio primæ partis eſt: quia dictum illud, quòd hoſti etiam fides promiſſa ſervanda ſit, intelligitur ſub illa tacita conditione, ſi & ipſe hanc ſervaverit, *arg. c. Pervenit. 3. de Jurejurand.* & ampliùs notant Gloſſa *fin. & DD. ibid.* Ergo violatâ per hoſtem Pace, vel Treugâ facto publico, ſeu publicâ authoritate peracto, ceſſat illicò pars innocens ad ulteriorem ejus obſervantiam obligari: nam *Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat*, ut habetur *Reg. 75. Juris in 6.* cum ſimilibus. Unde illud vulgatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

Altera pars ex eo ſuadetur: quia Pax, & Treuga conventionalis, non niſi publicâ hinc inde authoritate ſtabiliuntur; ergo etiam non niſi publico facto, ſeu publicâ authoritate peracto reſcinduntur, iuxta *Reg. 1. Juris*: *Omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Concordat textus *in l. Nihil tam naturale. ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus. 18

Quòd ſi igitur agatur contra Pacem, vel Treugam conventam facto duntaxat privato, tunc non illicò licet arma reaſſumere in perniciem, & perturbationem totius Reipublicæ. Si enim *non debet aliquis alterius odio prægravari*, juxta *Reg. 22 Juris in 6.* cum concordantijs: multò minùs convenit, ut facto privatorum tota Reſpublica turbetur, ac prægravetur. Quin potiùs, cùm peccata ſuos authores tenere debeant, *c. Quæſivit. De his quæ fiunt à major. part. Capit.* anteà debitam à transgreſſoribus ſatisfactionem petere oportet: prout in ſimili habetur *l. Venditi actio. C. de Action. empt.* 19

Poſſet hoc loco commodè tractari de Bello, utpote quod Paci opponitur, ſicque à pluribus Canoniſtis ſub præſenti Titulo examinatur. Verùm quia de Bello, & varijs ipſum concernentibus, ex profeſſo jam egi *in Theologia Morali, Tract. 4. Diſtinct. 7. quæſt. 4.* illuc Benevolum Lectorem remittendum cenſui. 20

TITULUS XXXV.

De Pactis.

1. *Pactum, unde ſic dicatur?*

1 Viſo de Treuga & Pace, meritò præſens & proximè ſequens Rubrica ſubjungitur; eò quòd varijs Pactis, & Transactionibus, ſæpènumerò partes litigantes ante litis ingreſsũ, cujus plerumque dubius eſt eventus, inter ſe pacem inire ſoleant. Quinimò *Pactum*, *quaſi ex pace factum* appellatur, ut legitur *in c. Pactum. 11. de Verb. ſignif.* Concordat textus *in L. 1. ff. de Pactis*, ibi: *Pactum à pactione dicitur: unde & pacis nomen appellatum eſt.* Dividitur autem præſens utiliſſimùs Titulus majoris claritatis gratiâ in diſtinctos Paragraphos, nonnulla etiam addendo de Contractibus in genere, utpote de quibus alibi in Jure Canonico ex profeſſo non agitur.

§. I.

§. I.

De natura, & diviſione Pactorum, horúmque effectu.

SUMMARIUM.

2. *Pactum, quid ſit?*
3. *Pollicitatio, quid, & quomodo differat à pacto?*
4. *Ad pactum requiritur reciprocus duorum in idem conſenſus.*
5. *Pactum differt à Contractu, velut genus à ſpecie.*
6. *Contractus propriè,*
7. *Et impropriè dictus, quid?*
8. *Transactio, quas conventiones complectatur?*
9. *Pactum continet ſub ſe omnes contractus, & transactiones.*
10. *Cum eo tamen coincidit Contractus largè ſumptus.*
11. *Pacta alia ſunt publica, alia privata.*
12. *Alia expreſſa, alia tacita, & quæ?*
13. *Reddens debitori chirographum, cenſetur tacitè debitum remittere: ſecùs, ſi reddat ei pignus; & cur?*
14. *Pacta in rem, ſeu realia; & Pacta in perſonam, ſeu perſonalia, quæ?*
15. *In dubio cenſetur eſſe Pactum in rem.*
16. *Pactum obligatorium, ſeu promiſſorium; & Pactum liberatorium, quod?*
17. *Pactum nudum, quid; & unde ſic dicatur?*
18. *Pactum veſtitum, quid?*
19. *Pactum varijs modis veſtitur. Et num. ſeqq.*
20. *I. Specifico nomine contractûs.*
21. *II. Cohærentiâ cum contractu nominato.*
22. *III. Per inventum rei.*
23. *IV. Litteris, ſeu proprio chirographo.*
24. *V. Veſtimento verborum, ſeu per ſtipulationem.*
25. *VI. Juramento, &*
26. *VII. Juris auxilio, ſeu Legis aſſiſtentiâ.*
27. *Pactorum primarius effectus, eſt obligatio naturalis. Hanc etiam Gentiles agnoverunt. Ibid.*
28. *Princeps obligatur ex pacto cum ſubditis inito.*
29. *Pacta quæcunque habent alios notabiles effectus pro Foro externo.*
30. *Et quales?*
31. *Spectato Jure Canonico datur actio ex pacto nudo.*
32. *Idq; probatur.*
33. & 34. *Solvuntur contraria.*
35. *De rigore Juris Civilis non datur actio ex pacto nudo.*
36. *Sed ſolùm exceptio. Et num. præced.*
37. *Secundùm hodiernos mores etiam in Foro Civili datur actio ex pacto nudo; & cur?*
38. *An de facto detur pactum nudum? Et num. præced. Actio ex pacto nudo, quomodo vocetur? Ibid.*

2 QUæritur I. Quid ſit Pactum, & an differat à Contractu? Reſp. I. *Pactum eſt duorum, vel plurium, in idem placitum & conſenſus.* Ita habetur *in L. 1. ff. de Pact.* Nec in re differt data definitio ab ea, quæ refertur *in d. c. Pactum. de Verb. ſignif.* ibi: *Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens ſcriptura, legibus & moribus comprobata.* Nam ly *Scriptura* non vult, quaſi pactum ſine ſcriptura fieri non poſſit; ſed hoc ideò dicitur, quia ſæpè intervenit ſcriptura, & ad meliorem probationem pacti interponitur, ut explicat Gloſſa ibidem.

3 Dicitur primò, *pactum eſt duorum conſenſus.* Per hoc ſiquidem differt Pactum à Pollicitatione: nam *Pactum eſt duorum conſenſus, atque conventio* (videlicet ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum.) *Pollicitatio verò offerentis ſolius promiſſum;* ut dicitur *in L. 3. ff. de Pollicitat.* Deinde Pactum, ſimul atque perfectum eſt, ſtatim Jure naturæ obligat. Pollicitatio verò non obligat promittentem, niſi poſtquàm ab altera parte fuerit acceptata; ideóque promittenti ante acceptationem alterius pœnitere licet, & pollicitationem revocare, *l. Abſenti. ff. de Donationib.* & ampliùs probat Engel *h. t. n. 1.*

Dicitur ſecundò, *in idem placitum & conſenſus;* 4
hoc eſt, placitus & voluntarius in idem conſenſus, ut explicat Gloſſa *in cit. L. 1. ff. de Pactis. v. Placitum.* Tum quia ad rationem pacti validi omnino requiritur liber paciſcentium conſenſus, ſeu conventio: tum quia talis *Conſenſus* debet eſſe *in idem*; hoc eſt, reſpectu ejusdem rei, ſimúlque reciprocus. Unde ad pactum non ſufficit, ut quovis modo duo in idem conſentiant; ſed requiritur, ut conſenſus ſuos in ſe mutuò dirigant. Atque ideò, ſi duo comuni conſenſu conveniant, atque promittant, ſeſe cuipiam tertio daturos certam rem, talis conventio nondum habet rationem pacti, antequàm ſit acceptata ab illo tertio, ejúsque conſenſus reciprocus accedat: benè tamen poſt hujus acceptationem, quia tunc intervenit vera conventio, ſeu mutuus ac reciprocus duorum in idem conſenſus.

Reſp. II. Pactum eſt nomen genericum; nec 5
differt à contractu & transactione, niſi ſicut genus à ſpecie. Ita in re communis; & patet ex *L. 1. ff. de Pactis*, ubi dicitur, quòd *Conventionis*, ſeu Pacti, *nomen generale eſt*: quamvis poſtmodùm *Conventionum pleræque in aliud nomen tranſeant, veluti in Emptionem, in Locationem, in Pignus,*

& hujuſmodi;reſpectu quarũ proinde Conventio,ſeu Pactum ut ſic,obtinet rationem generis. Meritò tamen,dũ pactũ aſſumit ſibi rationẽ ſeu differentiã ſpecificã,v.g.emptionis, nõ ampliùs denominatur à ſuo genere , ſed à ſpecie,utpote digniori. Verùm occaſione hujus Concluſionis

6 Notandum eſt cum Gloſſa *in §. Omnium autẽ. ℣. Prius eſt. Inſtit. de obligationib.* & Doctoribus communiter,quòd Contractus in Jure dupliciter accipiatur,propriè videlicet,& impropriè. *Contractus propriè* acceptus dicitur, quando uterq; contrahentium obligatur. Et de hoc procedit textus *in l. Labeo. ff. de Verb. ſignif.* ubi dicitur,*Contractũ eſſe ultrò citròque obligationem, quod Græci* συνάλλαγμα *vocant: veluti emptionem,venditionem,locationem , conductionem,* & hujuſmodi. Illa quippe translatio rei, hujúſq; accomodatio,quæ non eſt merè liberalis, ſed ubi transferens expectat aliquid æquivalens ei,quod transfert,*propriè dicitur Contractus,quia ibi ſimul trahuntur voluntates partium : trahitur enim iſte ad transferendum in illum à commodo , quod expectat ab illo,vel expectat transferendum in ſe* ; prout rectè notavit Doctor Subtilis *in 4. diſt.* 15. *quæſt.* 2. §. *De ſecundo.* ℣. *Alia translatio.*

7 Econtrà *Contractus impropriè* dictus eſt, quando unus tantùm contrahentium obligatur: ut fit in Donatione, in Mutuo, & alijs contractibus gratuitis, ubi donans ſolũmodò aſtringitur ad tradendam rem donatam, vel mutuò accipiens ad reddendum mutuum ; & ſic loquendo de alijs.

8 Cæterùm Transactio eas complectitur conventiones,quibus res dubiæ,ac lites incertæ terminantur, & quidem aliquo dato vel retento, promiſſo vel remiſſo: prout ampliùs patebit ex dicendis *Tit. ſeq.* §. 1.

9 *Pactum* verò,veluti genus,complectitur ſub ſe quoſcunq; contractus, ſive oneroſos ac propriè dictos,ſive gratuitos, ſimúlque transactiones : nam hæc omnia ſunt quædam conventiones , ſeu conſenſus plurium in idem placitum.

10 Per hoc tamen non negatur , quin in latiori quadam ſignificatione *Contractûs*, omne pactum quandam inducens obligationem ſub eo contineatur ; ſicque Contractus largè ſumptus, ſeu prout eſt genus ad contractus tum propriè tum impropriè dictos, coincidat cum Pacto generatim ſumpto. Pirhing *h. t. n. 1.* Mynſinger *in* §. *Omnium autem. n.* 8. *Inſtit. de obligationib.* & alij.

11 Quæritur II. Quomodo Pactum ut ſic dividatur? Reſp. I. Illud variè dividi. Sic quippe imprimis *Pacta* alia ſunt *publica* (quæ & *Fœdera* appellantur) & ſunt illa, quæ fiunt per Principes,aut quoties inter ſe belli Duces paciſcuntur *l. Conventionum. ff. h. t.* Alia verò ſunt *Pacta privata*,ſeu inter privatas perſonas inita.

12 Deinde *Pacta* alia ſunt *expreſſa*,alia *tacita*. Priora ſunt, quæ claris verbis inter præſentes, vel per epiſtolam,aut nuntium inter abſentes celebrantur. Poſteriora verò, quæ tacito conſenſu,ſeu re ipsâ ſine verbis fieri videntur : prout inter alia exempla tacitæ Conventionis, quæ refert Gloſſa *in l. Item quia. 4. ff. h. t.* ſi quis reddat debitori cautionem, ſeu chirographum ſuum, cenſetur tacitè paciſci de non petendo debito ; ac iſtud remittere, *L. 2. ff. de Pactis.*

Nec obſtat, quòd poſt pignus debitori redditum,ſi pecunia nondum ſoluta fuit,adhuc debitum poſſit peti, *l. Poſt pignus. ff. eod.* Reſp. enim cum Gloſſa,& DD. ibidem , diſparitatem eſſe : quia redditio chirographi nullam aliam affert utilitatem debitori,niſi ut eum liberet à ſolvendo debito ; unde hanc afferre cenſetur, ne aliàs nihil agatur. Secùs eſt in pignore : nam pignus redditum affert debitori plerumque aliam utilitatem. Deinde in chirographo continetur jus obligationis, ſicque eo reddito tacitè cenſetur remiſſa ipsa obligatio : econtrà in pignore ſolùm continetur jus pignoris, non obligationis; unde eo reddito cenſetur ſolummodò remiſſum jus pignoris, non obligationis.

Rurſus Pacta alia ſunt in rem, alia in perſonã. *Pacta* in rem, ſeu *realia* ſunt, quæ generaliter complectuntur eos omnes,ad quos res illa,ſuper qua paciſcitur,pertinet,vel pertinebit: ſic *Pactum in rem de non petendo* eſt, quoties generaliter paciſcor,ne rem petam neque à te, neque à tuis hæredibus,ſed eam omninò remittam. *Pacta in perſonam*, ſeu *perſonalia* econtrà ſunt, quæ non fiunt generaliter, ſed tantùm pro una,vel altera perſona : ut ſi paciſcar,me talem rem, v.g. ſolutionem pecuniæ, à Titio non petiturum : quia adhuc eam poſſum petere ab ejus hæredibus.

Num autem Pactum ſit reale, vel perſonale, tum ex verbis, tum præſertim ex mente paciſcentium deſumendum eſt. In dubio autem cenſetur eſſe Pactum in rem,non in perſonam, haud obſtante , quòd perſona pacto inſeratur : quia in dubio cenſetur apponi nomen perſonæ, non ut perſonale pactum fiat,ſed ut demonſtretur,cum quo pactum fuerit factũ, *l. Juris gentium. §. Pactorũ ff. h. t.* ac notant Bartolus,& DD. ibidẽ, & apud Noalium de transmiſſ. caſu. 28. n. 187.

Ulteriùs Pactum aliud eſt obligatorium,aliud liberatorium. *Pactum obligatorium*, ſeu *promiſſorium* eſt,quo paciſcentes ad aliquid dandum, vel faciendum obligantur. Et quia hoc non fit, niſi mutuâ conventione, ac promiſſione, hinc illud alio nomine *Promiſſorium* nuncupatur. *Pactum liberatorium* dicitur, quod liberationem ab obligatione inducit. Verùm tacendo alias Pactorum diviſiones,quæ ſunt minoris conſiderationis,ac referuntur per Hoſtienſem *in Summa. h. t. num. 3.* & alios,

Reſp. II. Præcipua inter omnes Pacti diviſio eſt hæc,qua pactum ut ſic dividitur in Pactum nudum & veſtitum : ſic dictum ad inſtar hominis, qui quandoque dicitur nudus , dum videlicet nullum habet veſtimentum,quo tegitur; quandoq; veſtitus, ubi tale habet. Igitur *Pactum nudum* dicitur,quod in ſola conventione paciſcentium conſiſtit. Et dicitur *nudum* : quia ſtat in puris & nudis finibus conventionis, ut loquitur Bartolus *in l. Juris gentium. §. Quinimò. §. Sed ut clariùs. ff. de Transact.* Non enim intercedit aliquod extrinſecum, quo veſtiatur, videlicet nec ſtipulatio, nec ſolemnitas ſcripturæ, aut hujuſmodi.

Exem-

Exemplum hujus eſt: Promiſi tibi dare decem ſine aliqua interrogatione præcedenti, vel chirographo, & tu conſenſiſti promiſſioni, dicitur *Pactum nudum*.

Pactum veſtitum, quod & *legitimum* appellatur,
18 illud eſt, quod præter conventionem partium aliquod aliud juris adminiculum habet, ratione cujus actio civilis in Foro externo oritur. Ita deſumitur *ex l. Legitima conventio. ff. h. t.* ibi: *Legitima conventio eſt, quæ lege aliquâ confirmatur; & ideò interdum ex pacto actio naſcitur, vel tollitur, quoties lege, vel Senatus conſulto adjuvatur.* Concordat textus *in l. Juris gentium. §. 1. & ſeqq. ff. eod.* ampliùs hoc declarans. Quod ut meliùs intelligatur,

Quæritur III. Quibus modis Pactum veſtia-
19 tur? Reſp. Id varijs modis accidere, quos enumerat Gloſſa magna *in d. l. Juris gentium. §. Quinimò.* & Bartolus *ibid. ff. h. t.* Pirhing. *h. t. num.* 4. citans alios. Eorum præcipui ſunt ſequentes: & quidem

I. Veſtitur Pactum ſpecifico nomine contra-
20 ctûs; hoc eſt, quando tranſit in contractum nominatum: ut emptio, venditio, locatio, ſocietas, commodatum, depoſitum, & hujusmodi. Generatim enim omnes contractus nominati ſunt veſtiti, & pariunt actionem, quando in ſuo genere ſunt perfecti, *cit. l. Juris gentium. §. 1. ff. h. t.*

II. Pactum veſtitur cohærentiâ cum contra-
21 ctu nominato, vel alio pacto veſtito; videlicet, ſi pactum incontinenti, & non ex intervallo, adijciatur alteri contractui nominato, vel pacto veſtito, ſive deinde pactum illud præcedat, ſive ſubſequatur, *d. l. Juris gentium. §. Quinimò, & ſeqq. ff. h. t.* Ut ſi vendo tibi domum meam adjecto ſimul pacto, ut eandem mihi inhabitare liceat; hoc pactum veſtitur ob cohærentiam cum contractu nominato venditionis: nam pacta incontinenti appoſita cenſentur ineſſe contractui.

22 III. Pactum veſtitur per interventum rei; quando nempe pactum ex alterâ ſaltem parte impletum fuit rei promiſſæ traditione, *cit. l. Juris gentium.* §. 1. Sic quando promiſi tibi decem, ut pro me aliquid facias, traditis illis decem, pactum tale non ampliùs dicitur nudum. Idem à fortiori dicendum, ſi quid abſolutè promittatur, ſimúlque tradatur: imò tunc non eſt opus ullâ actione ad petendam talem rem, cùm ipſi jam tradita ſupponatur.

IV. Litteris, ſive per proprium chirographum,
23 veſtitur pactum, quando quis ſub ſuo chirographo quidpiam paciſcitur, ſive alteri promittit, *arg. §. un. Inſtit. de Litterarum obligat.*

V. Pactū veſtitur veſtimento verborū, ſive per
24 ſtipulationem. Et hæc quidē olim fieri debebat præcedente interrogatione unius, & reſponſione alterius ſubſecutâ, v. g. *Spondes dare mutuum? Spondeo*: prout habetur *L. 1. ff. de Verb. obligat. & §. 1. Inſtit. eod.* Poſtmodùm tamen cautum fuit; ut valeat ſtipulatio, ſub quacunque verborum forma ſit concepta; prout habetur in *l. Omnes. C. de Contrahend. ſtipulat. & §. In hac re. Inſtit. de Verb. obligat.*

VI. Pactum veſtitur juramento, ita ut exinde 25
etiam de Jure Civili concedatur actio, *arg. l. Ut jurisjurandi. ff. de Operis libertor.* & tradit Covarruvias *in c. Quamvis. part. 2. §. 4. n. 27. de Pactis. in 6.* Pirhing. *h. t. n. 5.* Sannig. *eod. cap. 2. n. 5.* & Engel *n. 8.* citans alios. Et meritò: nam omne juramentum, quod ſine ſalutis æternæ diſpendio ſervari poteſt, in utroque Foro ſervandum eſt, *c. Cùm contingat. 28. de Jurejurand.*

VII. Pactum veſtitur Legis aſſiſtentiâ, ſive Ju- 26
ris auxilio. Patet hoc *ex l. Legitima. ff. h. t.* junctâ Gloſsâ ibidem, quæ plura hujus exempla allegat. Sic quippe ex nudo pacto dotis præſtandæ, ſeu ex ſimplici dotis promiſſione acceptatâ, ob favorem matrimonij, oritur actio civilis, *l. Ad exactionem. C. de Dotis promiſſion.* Taceantur alij modi, quibus pactum veſtitur, ac fusè referuntur, & diſcutiuntur per Hoſtienſem *in Summa, h. t. §. Supereſt.* & alios Doctores. 27

Quæritur IV. Qui ſint effectus Pactorum? Reſp. I. Primarius, ac principalis effectus pactorum, eſt obligatio naturalis. Nam certum eſt, & communiter à Doctoribus receptum, quòd ex omni pacto, etiam nudo, dummodò deliberatè ac ſeriò fiat, oriatur naturalis obligatio, propter mutuum conſenſum, Jure naturali, ac etiam in Foro conſcientiæ obligantem. Quare rectiſſimè *in cap. 1. h. t.* dicitur, pacta quantumcunque nuda ſervanda eſſe, ut explicat Summarium Et cap. 3. eod. *Studiosè agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Et hanc naturalem obligationem etiam Gentiles agnoverunt, ipsúmq; Jus Civile comprobat: *Quid enim* (inquit Ulpianus L. 1. ff. de Pactis) *tam congruum eſt humanæ fidei, quàm ea, quæ inter eos placuerit, ſervare?* Unde de pacto legitimè celebrato procedit illud vulgatum: *Quod à principio eſt voluntatis, ex poſt facto fit neceſſitatis*, arg. l. Sicut. C. de Actionib. & obligat.

Quinimò hoc adeò verum eſt, ut tametſi Prin- 28
ceps ſit ſolutus legibus, *l. Princeps ff. de Legib.* nihilominùs is obligetur ex pacto, etiam cum proprijs Subditis inito, *arg. cap. 1. de Probat.* Adeò, ut ab eo recedere non poſſit, etiam de plenitudine poteſtatis; prout cum alijs notat Fagnanus *in c. Antigonus. n. 7. h. t.* Ratio eſt: quia Princeps ex pacto obligatur Jure naturali, ac Divino, cui & Papa & Imperator ſubijciuntur.

Reſp. II. Pacta quæcunque, ratione naturalis 29
obligationis, habent alios quosdam notabiles effectus, etiam pro Foro externo. Ita Leſſius *lib. 2. de juſtit. & jur. cap. 17. n. 23.* Molina *tom. 2. de juſtit. & jur. tract. 2. diſp. 257. num. 1.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 9. n. 9.* Pirhing *h. t. num. 35.* & alij. Idque probatur inductione, enumerando dictos effectus.

Imprimis enim quælibet Pacta, etiam nuda, ac 30
pro Foro externo, pariunt exceptionem, *l. Juris gentium. §. Sed cùm nulla. ff. de Pactis*, & ampliùs dicetur *num. 35. & 36.* Deinde pacta omnia impediunt debiti ſoluti repetitionem: unde, quod ſemel ex tali pacto ſolutum eſt, poteſt retineri

neri non ſolùm in Foro conſcientiæ, ſed etiam pro Foro externo, ita ut non debeat etiam in judicio reſtitui, *arg. d. §. Sed cùm nulla. ff. eod. & §. Præterea. Inſtit. de Exceptionib.* Tertiò tribuunt jus compenſandi: adeò, ut debitor poſſit facere compenſationem in eo, quod ſibi ex pacto nudo creditor debeat; neque in Foro etiam externo compelli poſſit plùs ſolvere, quàm exceſſum, per *Jura proximè allegata.* Quartò tandem quibuslibet pactis poteſt accedere Fidejuſſor, & hic efficaciter obligari: ita videlicet, ut quamvìs ex pacto nudo non detur actio civilis adversùs ipſum paciſcentem, hæc tamen detur adversùs fidejuſſorem pro pacti talis impletione datum, *arg. l. Fidejuſſor. §. Fidejuſſor. ff. de Fidejuſſorib.* ubi fidejuſſor conceditur pro obligatione non ſolùm civili, ſed etiam naturali.

Quæritur V. Utrùm ex Pacto nudo detur a-
31 ctio? Reſp. I. Spectato Jure Canonico, ex pacto nudo datur actio; id eſt, jus exigendi in judicio illud, de quo inter paciſcentes conventum fuit. Ita Gloſſa *fin. in c. Antigonus.* & Abbas *ibid. n. 3.* Baldus *num.* 11. Felinus *n.* 4. Fagnanus *n.* 24. *h. t.* & Canoniſtæ communiter, contra Innocentium, & paucos alios: qui ſentiunt, neque ſecundùm Canones ex pacto nudo oriri actionem, ſed ex eo competere duntaxat remedium denunciationis Evangelicæ, & implorationis officij judicis ad obtinendum id, quod naturaliter debetur, ſicque peccatum evitetur.

Concluſio hæc ſatis apertè habetur *in cap.* I.
32 *h. t.* ibi: *Aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam.* Nam ly *conventus*, importat conventionem in judicio: conveniri enim ex vocabili proprietate quis dicitur per viam actionis, *arg. l. Quoties. ff. Si quis cautionibus. &c.* ac notat Fagnanus *in c. Antigonus. n. 16. h. t.* Concordat *cap. 3. h. t.* illis verbis: *Studioſè agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Ubi benè ponderandum ly, *Studioſè agendum eſt*: quæ particula cùm non ſolùm privatis hominibus, ſed vel maximè Judicibus loquatur, utpote qui ſecundùm Leges, & SS. Canones judicare debent, *can. In iſtis. diſt.* 4. cum ſimilibus; clarè indicat, etiam Judicibus ſtudioſè agendum eſſe, ut promiſſa opere compleantur; ac proin ex pacto nudo dari actionem. Accedit ratio: quia pactum nudum circa materiam gravem, & notabilem, obligat in conſcientia, & ſub peccato mortali: atqui Eccleſia poteſt procedere ſuper quolibet peccato mortali, ut peccatores revocet à vitio ad virtutẽ, *c. Novit. de Judicijs*; ergo.

33 Dices. Pactum illud inter Antigonum & Optantium Epiſcopos initum, de quo fit mentio *in cit. cap. 1. h. t.* fuit veſtitum; cùm fuerit in ſcriptis redactum, ut patet *ex cap. 12. Concilij Carthaginenſis primi*, unde Canon iſte fuit tranſumptus; ergo malè inde infertur, ex pacto nudo dari actionem de Jure Canonico. Accedit, quòd de Jure Civili non detur actio ex pacto nudo, ne lites nimiùm multiplicentur, ut proximè dicetur; atqui hæc eadem ratio urget de Jure Canonico; ſimúlque non eſt ſtatuenda differentia inter Jus Canonicum, & Civile, ubi ea non habetur expreſſa in Jure, *cap. 1. de Novi operis nunciat.* ergo. Reſp. neg. conſequent. Quia, ut rectè notat Fagnanus *ubi ſuprà, n. 20.* opinio Canoniſtarum non fundatur in Canone, & Actis dicti Concilij Carthaginenſis (hoc enim fuit duntaxat Provinciale) ſed in textu *cit. cap. 1. h. t.* quod authoritate Sũmi Pontificis in Corpus Juris Canonici redactum fuit, ac de interventu ſcripturæ nullam mentionem facit, ſed abſolutè præcipit, ut *inita pacta ſuam obtineant firmitatem &c.*

Ad alterum negatur conſequentia, & paritas: 34
nam Jus Civile temporalem duntaxat Reipublicæ tranquillitatem ſpectavit, cujus proinde intento ſufficiebat allata ratio de litibus non multiplicandis: econtrà verò Jus Canonicum inſuper providere voluit bono conſcientiarum, & ut peccata evitentur. Differentiam verò inter Jus Canonicum, & Civile, quoad propoſitũ eſſe ſtatuendam, convincunt textus utriusque Juris partim jam allati, partim illicò allegandi. Unde 35

Reſp. III. De rigore Juris Civilis non datur actio ex pacto nudo, ſed ſolùm exceptio. Ita communiter tenent Doctores, & tradit textus apertus *in l. Juris gentium. §. Sed cùm nulla. ff. h. t.* ibi: *Igitur nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem.* Ubi per ly *obligationem*, intelligitur obligatio efficax (ut explicat Gloſſa) hoc eſt, talis, quâ quis actione inſtitutâ poſſit petere in judicio, quod ſibi ex nudo pacto promiſsũ fuit. Et talem obligationem, ſeu actionem, Jus Civile noluit tribuere pactis nudis, ne, cùm ſint ſatis frequentia, ac ſæpè leviter & incautè fiant, occaſione ipſorum lites nimiùm multiplicentur.

Quia verò ope exceptionum lites præſcin- 36
duntur, hinc meritò pactis nudis Jus etiam Civile tribuit exceptionem, mediante quâ poſſit quis ſe defendere ab Actoris petitione, eúmque repellere. Hinc ſi Titius promiſit Cajo centum v. g. aureos dare mutuò, non poteſt vi hujus nudæ promiſſionis Cajus actione intentatâ dictos centum aureos petere in judicio: ſi tamen Cajus aliundè debeat Titio centum aureos, hósque Titius repetat in judicio, poteſt Cajus ipſum repellere exceptione mutui promiſſi, excipiendo videlicet contrà eum, quòd ſibi promiſerit centum mutuò, & nondum dederit.

Additur notanter in Concluſione, *de rigore Ju-* 37
ris Civilis. Nam ſecundùm hodiernos mores etiam in Foro Civili datur actio ex pacto nudo; prout tradunt uno ore Interpretes, teſte Chriſtoph. Clingenſperger *lib. 3. Inſtitut. tit. 14. quæſt. 20.* & Pirhing *h. t. n.* 39. Idque meritò, ne Forum externum diſcordet ab interno. Accedit, quòd ſtipulatio, per quam pactum fit veſtitum, defactò valeat, ſub quacunq; verborum forma concipiatur, ut dictum *num.* 24. Unde ſequitur, quòd non niſi rariſſimè defactò detur pactum nudum; cùm mutuus contrahentium conſenſus cõmuniter nõ niſi verbis, vel ſcripturâ exprimi ſoleat, quo utroq; tamen modo pactum jam veſtitur. In-

8 Intellige, niſi quando contrahentes volunt, ut ſit pactum nudum, *arg. d. l. Juris gentium. §. Quòd ferè. ff. h. t.* Vel niſi quis promittat alteri quidpiam nutu, aut alter interrogatus nutu conſentiat, ſive reſpondeat: quia tunc etiam defactò daretur pactum nudum. Gloſſa *in d. l. Juris gentium. §. Sed cùm nulla. ℣. Igitur.* & Bartolus *ibid. ff. h. t.* Quia tamen dicti caſus ſunt rariſſimi, hinc præſens quæſtio in praxi vix ampliùs habet locũ; ac meritò ſecundùm hodiernos mores etiam in Foro Civili datur actio ex quocunque pacto, ſeriò ac deliberatè inito: qualis actio poteſt appellari Actio in factum, *arg. l. Quoties. ff. de Præſcript. Verb.* junctâ Gloſsâ *ibid. ℣. Utilis actio.* ac notat Baldus *in c. Antigonus. num. 5. h. t.*

§. II.

Qui, quibúsque de rebus poſſint paciſci?

SUMMARIUM.

39. *Paciſci poſſunt omnes, quibus non reperitur id prohibitum.*
40. *Paciſci prohibentur aliqui à natura, alij à Lege; & qui? Et num. ſeqq.*
Mutus & ſurdus, an poſſit paciſci? Ibid.
41. *Impuberes an paciſci valeant? Remiſſivè.*
42. *Minores habentes Curatorem, ſine hujus authoritate nequeunt paciſci circa alienationem bonorum ſuorum.*
43. *Benè tamen circa concernentia propriam perſonam.*
44. & 45. *Solvitur inſtantia, & concordantur jura juribus.*
46. *Quinam alij à Lege prohibeantur paciſci?*
47. *An & Clerici, ac Eccleſiarum Prælati? Remiſſivè.*
48. *Quisque poteſt paciſci ſibi tantùm, non alteri.*
49. *Saltem regulariter loquendo, ſeu*
50. *Niſi ad hoc habeat mandatum.*
51. *Aut niſi quis ſubjectus ſit poteſtati alterius.*
52. *Vel niſi hoc ipſum ſtipulantis interſit.*
53. *Solvitur inſtantia. Et num. ſeqq.*
Extraneus non poteſt directè paciſci tertio, benè tamen indirectè; & quomodo? Ibid.
54. *Regula illa, quòd* Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *quando procedat?*
55. *Etiam de Jure Canonico non poteſt quis paciſci alteri.*
56. *Niſi id fiat mediante juramento.*
57. *Donatio facta determinatæ Eccleſiæ, an poſſit à quolibet acceptari?*
58. *De quibus rebus liceat paciſci? Et num. ſeqq.*
59. *Pacta contra leges, ac bonos mores, nullius ſunt momenti.*
60. *Ad impoſſibile nemo poteſt obligari.*
61. *Paciſci non poteſt de ijs, quæ non ſunt in commercio hominum: & qualia hæc ſint?*
62. *Paciſci ſolùm poteſt de ijs rebus, quæ ſunt paciſcentium propriæ.*
Nequit promitti factum alienum. Ibid.
63. *Cur poſſit legari res aliena, non autem promitti factum alienum?*

39 QUæritur. I. Quinam generaliter poſſint, vel non poſſint paciſci, ſeu pacta inire? Reſp. I. Paciſci poſſunt omnes, qui poſſunt conſentire, & quibus non reperitur id prohibitum. Ita communis. Nam paciſci, & contrahere, eſt de genere communiter permiſſorum; ſicque omnibus, qui ſufficientem uſum rationis ad conſentiendum habent, nec aliunde ſunt prohibiti, conceſſum cenſetur. Ubi Gloſſa *in c. Inter corporalia. ℣. Non invenitur. de Translat. Epiſc.* allegatis pluribus Juribus, inquit: *Conceſſum intelligitur, quod expreſsè non prohibetur.* Quam regulam procedere in materia communiter non prohibitâ, jam dictum eſt ſuprà *Tit. 3. de Reſcriptis. §. 2. num. 33. & 34.*

40 Reſp. II. Paciſci prohibentur aliqui à natura, quidam verò à Lege. Ita rurſum communis; & patet inductione. Sic quippe naturâ prohibentur paciſci infantes, perpetuò amentes, & furioſi extra lucida intervalla: nam tales ex defectu uſûs rationis conſentire nequeunt. Idem dicendum de muto & ſurdo conjunctim à nativitate: quia naturaliter prohibetur conventionẽ cum altero celebrare, cùm nec hujus mentẽ ritè percipere, nec ſuũ conſenſum debitè valeat explicare. Secùs foret, ſi ambo iſti defectus primùm advenirent adulto, isque ſcribere valeret: quia tunc non impediretur à natura, quin per litteras cum altero paciſci, & contrahere valeret.

Porrò à Lege prohibentur paciſci imprimis Impuberes absque authoritate Tutoris: niſi paciſcendo conditionem ſuam faciant meliorem, *§. 1. Inſtit. de Authorit. Tutor.* atque ampliùs declaravi *in Theologia Morali, Tract. 8. diſt. 1. num. 26. & ſeqq.* 41

Deinde Minorennes, ſeu minores viginti quinque annis, ſi habeant Curatorem, non poſſunt paciſci, ſeu contractum inire circa alienationem bonorum ſuorum, niſi interveniat authoritas ſui Curatoris, *l. Si curatorem. C. De in integrum reſtitut.* 42

Additur notanter, *quoad alienationem bonorum ſuorum.* Quia ejusmodi Minorennes benè poſſunt paciſci, ſéque obligare alteri quoad ea, quæ præciſè ſuam perſonam concernunt, etiam absque 43

abſque interventu Curatoris: ut puta, ſi Minor ſit opifex, vel artifex, & ſuas operas cuipiam locârit, *arg. l. Puberes.* 101. *ff. de Verb. obligat.* ibi: *Puberes ſine curatoribus ſuis poſſunt ex ſtipulatu obligari.*

44 Nec obſtat, quòd Gloſſa *in cit. l. Puberes*, & antiqui Interpretes, textum hunc exponant de Puberibus curatorem non habentibus, quos poſſe paciſci, atque ex contractu obligari concors eſt Doctorum ſententia: quamvis, ſi in contractu graviter lædantur, poſteà ipſis ſuppetat beneficium reſtitutionis in integrum. Non obſtat, inquam: nam hæc Gloſſa, & Antiquorum interpretatio, gravem patitur inſtantiam ex eo, quia textus relatus non dicit abſolutè, *Puberes ſine Curatoribus*; ſed expreſsè addit relativum *Suis*: ſicque clarè denotat, quòd loquatur de Puberibus Curatorem habentibus.

45 Unde, quòd *in cit. l. Puberes. ff. de Verb. obligat.* ſermo ſit de obligatione perſonali, quam Minor poteſt facere ex ſtipulatu absque authoritate ſui Curatoris; ſicque textus ille concilietur cum *cit. l. Si curatorem. C. De in integrum reſtit.* ubi eſt ſermo de obligatione reali, ſeu quæ tendit in alienationem ſuorum bonorum, atque ſine Curatore fieri prohibetur: tenet Andr. Fachineus *lib. 3. Controverſ. Juris, cap. 9.* poſt Jacob. Cujaciũ *in Comment. ad d. L. Puberes.* & ſequitur Engel *h. t. n. 32.* Siquidem curator datur puberibus non tã ratione perſonæ, quàm ut bonis eorum præſit, ſeu adminiſtrator exiſtat: quâ de causâ etiã Matrimonium ab eisdem ſine Curatoris interventu contractum valet, *l. Sciendum. ff. de Ritu nuptiar.*

46 Inſuper à Lege prohibetur paciſci, ſeu contrahere Prodigus, cui bonis eſt interdictum: quamvis enim ſtipulando acquirere poſſit, non tamen obligari, *l. Is cui. ff. de Verb. ſignif.* Item Filiusfamilias, licèt paciſci valeat, ne à ſe, vel à patre petatur, *L. Si tibi. §. fin. & l. Acquirent. §. Item. ff. de Pactis*: non tamen valet pactum ab eo initum in detrimentum patris, *l. Filius. C. eod.* Idèmque dicendum de Servo reſpectu Domini, *cit. l. Si tibi. §. fin.* Nam, ut habet Reg. 176. ff. de Reg. Jur. *Melior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt, deterior fieri non poteſt.*

47 Cæterùm an, & quo modo, de Jure Canonico prohibeantur, paciſci Clerici, & Eccleſiarum Prælati, alienando de bonis Eccleſiæ, aut Sede vacante, commodiùs in proprijs locis dicetur.

48 Quæritur II. An, ſicut aliquis poteſt ſibi paciſci, ita poſſit & alteri? Reſp. I. Regulariter loquendo quisque paciſcitur ſibi tantùm, non alteri, niſi vel ad id habeat mandatum, vel ei, cui paciſcitur, ſubjectus exiſtat, aut aliàs ſua interſit: & ſi ſecùs fiat, nihil agitur. Hæc Concluſio de Jure Civili eſt certa, & communis; & patet ex §. *Si quis alij. & §. Alteri. Inſtit. de Inutilib. ſtipulat. & l. Stipulatio iſta. §. Alteri. ff. de Verb. obligat.* ubi ſtipulatio pro alio facta, ex eo improbatur, quòd nihil interſit ita ſtipulantis. Hoc quippe repugnat naturæ ſtipulationis: quia (ut ibidẽ loquitur textus) *inventæ ſunt ſtipulationes, vel obligationes ad hoc, ut unusquisque acquirat ſibi, quod ſua intereſt.*

Dicitur, *regulariter loquendo.* Etſi enim regula Juris Civilis ſit, alteri per alterum non acquiri, ut inquit Abbas *in Proëmio Decretalium, n. 21.* id probans per proximè allegata Jura: nihilominùs hæc ipſa regula plures patitur fallentias, ſeu limitationes, quarum ſeptemdecim enumerat Gloſſa *in d. §. Si quis alij. ℣. nihil agit. Inſtit. de Inutil. ſtipulat.* quæ tamen à potiori ad tria enumerata in Concluſione membra reducuntur.

Jmprimis igitur poteſt quis paciſci alteri, ac in ejus favorem ſtipulari, quando ad hoc habet mandatum, *l. Si procuratorem. ff. Mandati*, cum ſimilibus. Concordat textus *in l. Quod procurator. ff. de Procurat.* ubi Procurator utiliter paciſcitur, ac ſtipulatur, in favorem ſui principalis. Idẽ dicendum de Tutore reſpectu pupilli, & Actore Municipum, & Curatore furioſi vel adoleſcentis, *L. Eum qui. §. Item ſi. ff. de Conſtituta pecunia.* Tales enim ratione ſui officij, ac legitimæ adminiſtrationis, cenſentur habere mandatum atq; obligationẽ paciſcendi in favorẽ eorum, quorum curam gerunt. 50

Deinde, quòd quis poſſit ſtipulari alteri, cujus poteſtati eſt ſubjectus, patet ex *cit. §. Si quis alij. Inſtit. de Inutilib. ſtipulat.* ubi dicitur: *Si quis alij, quàm ei, cujus juri ſubjectus ſit, ſtipuletur, nihil agit.* Ubi proin Gloſſa, *℣. Juri*, iſtud exemplificat de Servo reſpectu domini, cui ſervus acquirit ſtipulando, *§. Item vobis. Inſtit. Per quas perſonas nobis acquir.* nam ſervus pacto ſuo meliorem cauſam domini facere poteſt, non verò deteriorem, *l. Servo creditoris. C. de Pactis.* Item in Filio reſpectu patris; nam & huic per pactum filijfamilias acquiritur, *§. 1 Inſtit. Per quas perſonas nobis acquir. & l. Stipulatio iſta. §. Alteri. ff. de Verb. obligat.* Item in Monacho reſpectu Monaſterij, utpote cui res ſibi oblatas, conceſſas vel donatas acquirit; *ut in Auth. de Monachis. §. Illud. Collat. 1. & c. Exijt. §. Ad hæc. de Verb. ſignif. in 6.* Nam in tali caſu vox unius, ut puta filij, fictione juris intelligitur eſſe vox alterius, puta patris, cujus juri ſeu poteſtati ſubjectus exiſtit, *arg. §. Si verò. Inſtit. de Inutil. ſtipulat.* 51

Ulteriùs poteſt quis ſtipulari alteri, quando hoc ipſum ſtipulantis intereſt: ut ſi Tutor, cedens adminiſtrationem Contutori ſuo, paciſcatur rem pupulli ſalvam fore: aut ſi dominus ſtipuletur, dari ſuo procuratori, qui in rem ejus expendat: vel ſi quis creditori ſuo ſtipuletur, ſeu in ejus favorem paciſcatur cum tertio, ne bona pignori data diſtrahantur. *§. Sed & ſi quis. Inſtit. de Inutil. ſtipulat.* ubi hoc ipſum Gloſſa, & DD. ampliùs declarant. Nam, ubi ſtipulantis intereſt aliquid dari, vel fieri, etiam ipſi acquiritur per talem ſtipulationem. Tacentur alij modi, in quibus utiliter quis ſtipulatur alteri, ſeu in ejus commodum, ita ut inde actio competat: atque videri poſſunt apud Gloſſã *cit. §. Si quis alij. ℣. Nihil agit.* 52

Di-

Dices. Si poteſt quis paciſci alteri, quando habet mandatum ad hoc; ergo generaliter quivis extraneus poteſt paciſci alteri, ejus nomine ſtipulando, dummodò is poſteà ratum habeat. Probatur conſequentia. Quia ratihabitio ſubſequens retrotrahitur, & mandato æquiparatur, juxta *Reg.* 10. *Juris in* 6. *& l. Hoc jure ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus. Reſp. neg. conſequentiam, loquendo de caſu, quo extraneus vult directè ac immediatè paciſci tertio; ut ſi Titius paciſcatur cum Cajo, ut det centum Sempronio. Hæc enim pactio non valet, per Jura hactenùs allegata, niſi Titius habeat mandatum Sempronij, vel ſit huic ſubjectus, aut ejus etiam interſit. Valebit tamen, ſi Titius per indirectum nomine Sempronij ſtipuletur, paciſcendo videlicet, ut Cajus ſibi Titio det centum pro Sempronio, ac nomine ejus: quia tunc ſtipulatio fit inter præſentes, ac recipit fundamentum & radicem in perſona Titij ſtipulatoris, ſicque valet, *arg. l. Hujusmodi.* §. 1. *ff. de Legat.* 1. tenebitúrq; Titius ſtipulator poſt ratihabitionem Sempronij abſentis, huic actionē cedere, *l. Ignorante. ff. de Negotijs geſtis*; ac tradit Covarruvias *in c. Quamvis. de Pactis in* 6. *part.* 2. §. 4. *n.* 13. & Jaſon *in l. Stipulatio iſta.* §. *Alteri. n.* 11. *de Verb. obligat.* cum communi.

4 Ad probationem negatur rurſus conſequentia. Nam regula illa, quòd ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, quando actus à principio de ſe eſt validus: uc accidit in poſteriori caſu, ſeu ubi Titius extraneus ſibi ſtipulatur dari, ſed nomine tertij abſentis, ſive Sempronij. Secùs verò, quando actus à principio eſt invalidus: ut fit in priori caſu, ſeu quando extraneus directè ſtipulatur dari tertio; tunc enim ratihabitio non retrotrahitur, quia quod non eſt, non poteſt ratihaberi. Jaſon *loc. cit n.* 11. *in fine.*

55 Reſp. II. Data regula, quòd quis non poſſit paciſci alteri, ſeu quòd alteri per alterum nō acquiratur, etiam procedit de Jure Canonico. Ita Abbas *in Proœmio Decretalium, n.* 25. Jaſon *in d. l. Stipulatio iſta.* §. *Alteri. n.* 5. *ff. de Verb. obligat.* citans plures alios, & Pirhing. *h. t. n.* 7. quamvis Gloſſa *in c. Quoties cordis.* 1. *q.* 7. oppoſitum teneat, aſſerens, de Jure Canonico me teneri, ſi ego promitto tibi, me daturum Titio decem. Ratio Concluſionis eſt: Tum quia Jure Civili hoc cautum eſt, nec reperitur in Jure Canonico aliud eſſe diſpoſitum. Tum quia ad rationem pacti requiritur mutuus, ſeu reciprocus duorum conſenſus in idem, ut dictum ſuprà §. 1. *n.* 4. atqui in ſtipulatione alteri facta abſque ejus mandato, talis reciprocus conſenſus non adeſt; ergo.

56 Excipitur tamen præter caſus Jure Civili jam exceptos etiam ille, quo quis alteri ſtipulatur, ſeu paciſcitur tertio quidpiam dari, mediante juramento. Nam tunc ratione juramenti obligatur jurans, & datur actio contra ipſum in Foro Eccleſiæ, *c. Debitores.* 6. *de Jurejur.* Quia omne juramentum, quod poteſt ſervari abſque diſpendio ſalutis æternæ, ſemper jurans cogitur ſervare, *c. Si verò.* 8. *eod.* Jaſon. *cit.* §. *Alteri. n.* 4. allegans alios. Atque in hoc ſenſu procedere ſententiam Gloſſæ proximè allegatæ, cenſet Abbas *cit. n.* 25. 57

Deinde, ſi pactio ſeu donatio fiat determinatæ Eccleſiæ, vel alicui alteri piæ cauſæ, poteſt ea à quolibet, etiam homine privato acceptari; ſicque iſte alteri, ſeu tali Eccleſiæ paciſci, & paciſcendo acquirere, idque favore religionis, & cauſæ piæ. Jaſon *loc. cit. n.* 6. cum alijs. Intellige, dummodò verba ad ipſum dirigantur: quia, ſi verba nullo modo, neque expreſsè, neque implicitè ad ipſum dirigerentur, is non poterit acceptare promiſſionem, vel donationem pro tali determinata Eccleſia; prout ex communi docet Covarruvias *in c. Quamvis de Pactis in* 6. *part.* 2. §. 4. *n.* 13. Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 18. *num.* 49.

Quæritur III. De quibus rebus liceat paciſci. 58
Reſp. I. Generatim loquendo de omnibus rebus honeſtis, ſimúlque poſſibilibus, quæque ſunt in commercio hominum, ac paciſcentium propriæ, poſſunt pacta iniri. Ita in re communis; & oſtenditur declarando ſingulas particulas.

Dicitur imprimis, *de omnibus rebus honeſtis.* 59
Nam generale eſt, quòd pacta, quæ ſunt inhoneſta, ſeu contra leges, vel contra bonos mores, nullam vim habeant, *l. Pacta quæ. C. h. t.* Et quòd pactiones illæ, quæ obſervatæ verguntin animæ detrimentum, nullius penitùs ſint momenti, textus eſt *in cap. ult. h. t.* illis ſubjunctis verbis: *Nam etiam juxta legitimas Sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.* Et hâc ratione plura pacta in utroque Jure reprobantur, de quibus infrà §. *ſeq.*

Dicitur ulteriùs, *ſimúlque poſſibilibus.* Quia *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, juxta Reg. 6. Juris in 6. cum ſimilibus. Sive dein aliquid ſit impoſſibile de jure: ut quia, ſi fieret, læderet pietatem, exiſtimationem, ſeu verecundiam noſtram; ac generaliter, quia eſt contra bonos mores, ſeu à legibus prohibitum. *l. Filius qui. ff. de Conditionib. inſtitut.* Sive impoſſibile de facto: ut quia naturaliter omninò non poteſt fieri, aut ſaltem non niſi difficillimè, *arg. c. Sciſcitatus.* 13. *de Reſcript.* 60

Dicitur tertiò, *quæque ſunt in commercio hominum.* 61
Nam imprimis de influxu ſtellarum, de aëre, de mari, ac hujusmodi, quæ nullatenus ſunt in commercio hominum, ſed tam hominibus, quàm beſtijs communia exiſtunt, paciſci nō poteſt. Deinde illa, quæ ſunt publica, ut puta flumina, littora, Forum, Theatra, & ſimilia, quæ uſibus Populi perpetuò expoſita ſunt, ſub pactis privatorum non cadunt, §. *Idem juris. Inſtit. de Inutilib. ſtipulat. & l. Idem Julianus.* §. *fin. ff. de Legat.* 1. inſuper res ſacræ & religioſæ, cùm ſint juris Divini, in nullius bonis ſunt, §. *Nullius. Inſtit. de Rerum diviſ.* Sicque nec in commercio hominum exiſtunt, *d.* §. *Idem juris*: ac proinde dato, vel accepto aliquo temporali, paciſci ſuper eiſdem non poteſt abſque labe Simoniæ, *c. Cùm pridem. & cap. ult. h. t.* cum concordantijs.

Dicitur tandem, *ac paciſcentium propriæ.* Hoc 62
eſt, quòd res illæ, de quibus paciſci volumus, no-

noſtro dominio ſint ſubjectæ, ſive dein ſint præſentes, ſive abſentes, vel etiam futuræ, ut fructus ex agris noſtris naſcituri: *quæ enim naturâ ſui dominio noſtro exempta ſunt, in obligationem deduci nullo modo poſſunt*, ut inquit textus *in cit. §. Idem juris. Inſtit. de Inutil. ſtipulat.* Unde etiam factum alienum nemo promittere poteſt: quamvìs valeat, ſi quis promittat ſe effecturum, ut alius aliquid faciat, vel det; talis enim proprium magìs, quàm alienum factum ſpopondiſſe videtur. Textus eſt *in §. Si quis alium. Inſtit. eod.*

Nec obſtat, quòd res aliena legari valeat, *§. Non ſolùm. Inſtit. de Legat.* Reſp. enim, diſparitatem eſſe: quia promittens factum alienum, cenſetur velle alium obligare ad aliquid faciendum; hoc autem non eſt in ejus poteſtate. Econtrà ſcienter legans rem alienam, non obligat alterum ad eam tradendam; ſed ſolummodò ſuum hæredem (dato, quòd velit adire hæreditatem) cogit vel rem illam redimere, ac præſtare; vel, ſi eam redimere nequit, æſtimationem ejus dare, prout *in cit. §. Non ſolùm.* illicò ſubjungitur. 63

§. III.

De nonnullis Pactis illicitis, & à Jure reprobatis.

SUMMARIUM.

64. *Pactum pro obtinenda re ſpirituali, eſt irritum. Quando datur temporale pro ſpirituali. Ibid.*
65. *Vel quando illud intervenit circa Beneficia, aut alia Jure Eccleſiaſtico prohibita &c.*
66. *Alioquin promittere ſpirituale pro ſpirituali, non eſt illicitum.*
67. *Pactum, vi cujus Beneficium Eccleſiaſticum debet pecuniâ reſignari, non valet, imò eſt Simoniacum.*
68. *Etiamſi quis cedat Beneficio litigioſo, & alter viciſſim quid temporale offerat.*
69. *Atque iſtud detur nomine expenſarum, quas alter fecit in conſecutione Beneficij.*
70. *Quid, ſi interveniat authoritas Superioris, v. g. Epiſcopi?*
71. *Pactum, quo quis promittit novam penſionem, vel augmentum antiquæ, ſi in Beneficio inſtituatur; eſt illicitum, atque ſimoniacum.*
72. *Sive id fiat ante collationem Beneficij, ſive in ipſa.*
73. *Quid, ſi primùm interveniat poſt collatum Beneficium?*
74. *Pactum de ſuccedendo in Eccleſiaſticis Beneficijs, non valet.*
75. *Nec valet pactum in præjudicium juris Parochialis.*
76. *Idque exemplificatur.*
77. *Eligere ſepulturam, & ad hanc eligendam inducere, an liceat?*
78. *Pacta Superiorum Localium Religioſorum Mendicantium ſine licentia Miniſtrorum, vel Capitulorum Provincialium inita cum Prælatis Eccleſiarum, de Jure communi valent.*
79. *Secùs ſpectatis eorundem privilegijs? Et num. præced.*
80. *Pactum, quòd filia dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat, num valeat? Et n. ſeqq.*
81. *Iſtud à Jure improbatur, nec valet,*
82. *Niſi fuerit juramento firmatum.*
83. *Quid, ſi hoc juramentum vi, aut dolo fuit extortum?*
84. *Filia ex jurata renunciatione dotis enormiter læſa, poteſt petere ejus reſciſſionem. Et num. præced.*
85. *De alijs Pactis. Remiſſivè.*
86. *Pacta inferiorum cæteroquin invalida, an per conſenſum Superioris convalidentur. Et num. ſeqq.*
87. & 88. *Reſpondetur diſtinguendo inter pacta de Jure naturali invalida, & valida.*
89. *Superior requiſitus debet pacta inferiorum confirmare.*

64 QUæritur I. An valeat Pactum pro obtinendis rebus ſpiritualibus? Reſp. I. Pactum pro re ſpirituali obtinenda irritum eſt, ac nullius momenti, Textus eſt *in cap. ult. h. t.* ubi additur, quòd in ſpiritualibus omnis pactio, omniſque conventio debeat omninò ceſſare. Concordat *c. Quæſitum. 5. de Rerum permutat.* ubi additur, quòd *Pactio circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet ſimoniæ*, cum ſimilibus.

Atque hoc imprimis vel maximè procedit, quando pro obtinenda re ſpirituali datur quid temporale: imò hoc continet ſimoniam Juris Divini, cùm ſit ſimoniacum ex ſui natura, vendere v. g. Sacramenta, vel alia ſpiritualia. Gloſſa *in c. Cùm pridem. ℣. Illicitæ. h. t.* cum communi.

Deinde pactio circa ſpiritualia eſt illicita, & continet ſimoniam ſaltem Eccleſiaſticam, quando ea intervenit in Beneficijs Eccleſiaſticis, aut alijs Jure Eccleſiaſtico prohibitis, tanquam continentibus ſpeciem Simoniæ; quamvìs nó detur aliquid temporale pro ſpirituali: ut ſi fiat permutatio Præbendarum propriâ authoritate, & ſine interventu Superioris, puta Epiſcopi. *c. Quæſitum. 5. de Rerum permutat.* Aut quis reſignet Præbendam cum pacto, ut ſibi ſolvatur certa penſio abſque authoritate Papæ, *c. Super eo. 7. de Transactionib.* Vel ſi eligendus, v. g. in Epiſcopum, 65

pum, promittat alteri Beneficium Eccleſiaſticum, ut det ſibi votum in electione. *c. De hoc.* 11. *de Simonia*, & notat Azorius *part.* 3. *lib.* 12 *cap.* 7. *quæſt.* 1.

56 Alioquin verò, ubi ceſſat prohibitio Eccleſiæ, dare vel promittere ſpirituale pro ſpirituali, ut puta certa Roſaria recitanda pro celebratione Miſſæ, vel ſacras Reliquias cum alijs permutare, non eſt illicitum, nec ſimoniacum. Siquidem *cit. cap. ult. h. t.* (ut explicat Gloſſa, *℣. Ceſſare*) ſolummodò loquitur de pactione illicitâ in ſpiritualibus, ſeu tali, quæ inducit ſimoniam. Concordat, idémque ampliùs declarat Gloſſa alia *in c. Quàm pio.* 1. *q.* 1. *℣. Pactio*, expreſsè docens, quòd in ſpiritualibus non removeatur, niſi pactio inhoneſta: nam honeſta non removetur; *ut can. Quamquàm. diſt.* 23. *& can. In ea Synodo. diſt.* 100. *& c. Significatum. de Præbend.* cum ſimilibus. Et hoc modo intelligenda eſt præſens Concluſio.

57 Quæritur II. Quænam pacta circa Beneficia Eccleſiaſtica in hoc Titulo ſpecialiter prohibeantur? Reſp. I. Non valet pactum, vi cujus Beneficium Eccleſiaſticum debet pecuniâ reſignari. Ita deſumitur ex *c. Cùm pridem.* 4. *h. t.* & notant Abbas *in Summario*, aliique Doctores ibidem. Ratio eſt clara: quia dare ſpirituale pro temporali, eſt ſimonia: atqui Beneficium Eccleſiaſticum eſt quid ſpirituale, & pecunia eſt quid temporale, *c. Conſulere. de Simonia*, & alibi; ergò.

58 Atque hoc etiam procedit de pacto illo, quo una pars litigantium privatâ conventiône, ac ſine authoritate Superioris, cedit liti, & juri ſuper Beneficio litigioſo, ſi quod in eo habeat; altera verò pars viciſſim dat aliquid temporale, v. g. expenſas factas reſtituit. Nam etiam in tali caſu jus ſpirituale, quod quis in Beneficio habet, vel ſaltem durante lite in ejus poſſeſſione exiſtit, pro pecunia aut alia re temporali remittitur, ac reſignatur; quod eſt ſimoniacum. Abbas *in cit. c. Cùm pridem. num.* 1. *&* 2. *&* Barboſa *in Collectan. ibid. n.* 16. *h. t.* citans plurimos alios, éſtque communis.

59 Nec obſtat, quòd illud temporale, v. g. pecunia, detur ac recipiatur nomine expenſarum, quas poſſeſſor Beneficij litigioſi fecit in ejus conſecutione. Non obſtat, inquam: Tum quia in ſpiritualibus omnis pactio inter partes ceſſare debet, ut dictum *num.* 63. Tum quia Beneficia Eccleſiaſtica non niſi ſimpliciter ac purè reſignari debent, *c. Ex parte. N.* 12. *de Offic. Delegat.* junctâ Gloſsâ *℣. Dimittere.* & DD. ibidem, *& c. Super eo.* 7. *de Tranſact.* cum ſimilibus. Alioquin, ſi ſemel liceret nomine expenſarum quid recipere, facilè hoc poſſet fingi in fraudē. Abbas *loc. cit.* Accedunt dicta ſuperiùs *Tit.* 9. *De Renunciatione.* § 4. *num.* 75. 76. *& ſeqq.*

70 Additur notanter num. 68. *privatâ conventione, ac ſine authoritate Superioris.* Nam interveniente authoritate Superioris, putà Papæ, vel Epiſcopi ex gravi cauſa id concedentis, nihil obſtat, quin pars cedens liti, ſuper Beneficio exortæ, recipiat aliquid temporale: non quidem in compenſatione juris ſui, ſi quod in Beneficio haberet (hoc enim apertā continet ſimoniam; ſed vel propter bonum pacis, *arg. c. Niſi eſſent.* 21. *de Præbend.* vel ob aliam hujusmodi juſtam cauſam. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ult. n.* 51. Fagnanus *in cit. c. Niſi eſſent. num.* 28. & Barboſa *ibid. num.* 8. *de Præbend.* & alij.

Reſp. II. Inſuper illicitum ac ſimoniacum eſt pactum, quo quis promittit novam penſionem annuam, vel augmentum penſionis antiquæ, ſi in Beneficio inſtituatur: & qui illud mediante tali pacto conſecutus fuit, non ſolùm eo ſpoliandus eſt, ſed etiam aliàs canonicè puniendus. Patet hoc *ex c. Cùm Clerici.* 6. *h. t.* & tradit ibi communis Doctorum. Ratio eſt clara: quia tunc committitur ſimonia, dum Clericus promittit temporale, ut conſequatur ſpirituale, videlicet Beneficium: nam annua penſio, ac hujus augmentum, ad quam vel quod talis Clericus propriâ authoritate ſeſe de novo obligat, non niſi quid temporale importat. 71

Unde ſequitur, quòd ſive ante collationem Beneficij, ſive in ipſa collatione, pactum ejusmodi interveniat, collatio non valeat; cùm ſit ſimoniacè facta, *c. Matthæus.* 23. *de Simonia. & Extravag. Cùm deteſtabile. eod. inter Communes.* Ac proinde Clericus ita paciſcens non tantùm jubetur privari Beneficio taliter adepto (privatio enim præſupponit jus, *arg. l. Decem. ff. de Verb. obligat.*) ſed eo ſpoliari; ut loquitur textus *in cit c. Cùm Clerici. h. t.* ac notat Abbas *ibid. num.* 2. Aliæ verò pœnæ canonicæ ipſius ſunt depoſitio ab Ordine, atque excommunicatio, *can. Reperiuntur. & can. Erga ſimoniacos.* 1. *q.* 1. 72

Quòd ſi verò pactum de danda, vel augenda penſione, primùm interveniat poſt collationem Beneficij, hæc non erit ſimoniaca, ſed valida: peccat tamen, debetque puniri Clericus, qui citra authoritatem Superioris Eccleſiam conſtituit cenſualem, ut *c. Prohibemus.* 7. *& c. Significavit.* 13. *de Cenſibus.* Abbas *in cit. c. Cùm Clerici. n.* 2. *h. t.* 73

Reſp. III. Non valet pactum de ſuccedendo in Eccleſiaſticis Beneficijs; ita videlicet, ut iſta ſub tali tenore Clericis concedantur, quòd poſt eorum mortem alij nominatim ſuccedant. Textus eſt *in c. Accepimus.* 5. *h. t.* éſtque concors ſententia Doctorum. Et meritò: Tum quia Beneficia Eccleſiaſtica non niſi per canonicam inſtitutionem obtineri debent, *c. Beneficium. de Reg. Jur. in* 6. neutiquam verò per hæreditariam ſucceſſionem, qualis hæc eſſe videtur, & ſacris Canonibus inimica ſemper fuit; *ut can. Apoſtolica.* 8. *q.* 1. *& c. Ad extirpandas.* 11. *de Filijs Presbyt. & c. Nulla.* 2. *de Conceſſ. Præbend.* & alibi. Tum quia per hujusmodi pactum daretur occaſio captandæ mortis prioris Beneficiarij, ut alter in Beneficio ſuccedere poſſet, contra *d. c. Nulla.* §. 1. *de Conceſſ. Præbend.* ubi idcircò generaliter prohibetur, ne Eccleſiaſtica Beneficia antequàm vacent, alicui tribuantur, vel promittantur. 74

Quæritur III. Utrùm valeat pactum in præjudicium juris Parochialis? Reſp. I. Quando Eccleſia 75

cleſia aliqua, ſive Regularis, ſive ſæcularis, rem ſuam locando, vel in feudum concedendo, apponit pactum in præjudicium juris Parochialis alterius Eccleſiæ, tunc tale pactum non valet: & quidquid hâc occaſione percepit, reddere cogitur illi Eccleſiæ, quæ exinde læſa fuit. Ita habetur expreſſum *in c. Plerique. 7. h. t.* ac notat Abbas *in Summario, ibid.* cum communi. Ratio eſt: quia nemo poteſt paciſci in præjudicium alterius non conſentientis: hoc enim repugnat æquitati naturali, & virtuti juſtitiæ, volentis, ut alter non lædatur, jus ſuum unicuique tribuatur, & conſervetur, *§. Humanum. diſt. 1.* & alteri per alterum iniqua conditio non inferatur, *l. Non debet. ff. de Reg. Jur.* Atqui jura Parochialia ſunt debita ipſi Eccleſiæ Parochiali ratione ſpiritualis miniſterij, *cap. ult. de Parochijs*; ergo non valet pactum in ejus præjudicium. Accedit, quòd pactis privatorum juri publico minimè derogetur, *c. Si diligenti. de Foro compet. & l. Jus publicum. ff. de Pactis.* Et quia pacta in præjudicium juris Parochialis inita procedunt de radice avaritiæ, non mirum, quòd omnia inde percepta reddi debeant Eccleſiæ Parochiali, quæ exinde graviter læſa fuit: quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, *can. Si res aliena. 16. q. 6.*

Sic non valet pactum, quo Clerici Regulares,
76 vel Sæculares, rem Eccleſiæ ſuæ locando, vel in feudum concedendo obligant conductores, vel feudatarios, ut decimas eis perſolvant, aut apud ipſos ſepulturam eligant: nam hujusmodi pactum præjudicat juribus Parochialibus, prout exemplificatur *in cit. c. Plerique. h. t.*

Nec obſtat, quod quilibet liberè poſſit ſibi e-
77 ligere ſepulturam, etiam alienam, ſalva tamen portione canonica ſuæ Eccleſiæ Parochiali relinquenda, *cap. 1. de Sepult.* Nam aliud eſt, liberè eligere ſepulturam: aliud, inducere alienos Parochianos adjurandum, promittendum, ſive paciſcendum, ut relictâ Parochiali in ſuis Eccleſiis eligant ſepulturam, vel antiquam non mutent. Illud eſt licitum, ut dictum: hoc verò veluti magis pernicioſum, ac nonnunquam liberæ deſcendentium voluntati præjudicans, graviſſimè prohibitũ nõ ſolum in ſæpè *cit. c. Plerique h. t.* ſed etiam *in cap. 1. de Sepult. in 6. & in Clem. Cupientes, §. fin. de Pœnis.* Riccius in praxi ſepulturæ. *reſ. 573.*

78 Quæritur IV. Utrùm valeant pacta & compoſitiones, quas Superiores Locales Religioſorum Mendicantium, ut putâ Priores Fratrum Prædicatorum, vel Guardiani Fratrum Minorum, absque licentia Miniſtrorum, vel Capitulorum Provincialium, ineunt cum Prælatis, ſeu Rectoribus Parochialium Eccleſiarum, ſuper juribus Parochialibus, & aliis articulis? Reſp. I. Etſi olim Alexander IV. & poſt ipſum Honorius III. irritaverit, ac nullius exiſtere firmitatis decreverit omnes conventiones, & pacta, quæ Fratres Minores, etiamſi ſint Guardiani, vel Cuſtodes, fecerint contra prædicti Ordinis ſtatuta, vel conſuetudines absq; Generalis, vel Miniſtrorum Generalium licentia & aſſenſu: hæc tamen privilegia per Bonifacium VIII. correcta, & revocata fuerunt in Decretali, quæ incipit, *Quia ex eo:* atque refertur *cap. ult. h. t. in 6.* ac proinde ſpectato Jure Communi prædicta pacta valent. Ita Emman. Rodericus *tom. 1. Quæſt. Regul. q. 27. art. 3.* Layman *in d. cap. ult. h. t in 6.* & alii; idque patet ex textu citati Capituli finalis.

Reſp. II. Nihilominus dicta Decretalis Bonifacii VIII. denuò ſublata fuit per Sixtum IV. 7
Qui *Motu proprio, & ex certa ſcientiâ authoritate Apoſtolicâ approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit omnia, & ſingula privilegia, per quoscunque Summos Pontifices* (ſicque etiam per Alexandrum IV. & Honorium III.) *Prædeceſſores ſuos, Ordini Fratrum Minorum, & illius Domibus, & Profeſſoribus in genere ſub quacunque forma verborum conceſſa, ac pro potiori cautela omnia & ſingula prædicta denovo conceſſit.* Ita Emman. Rodericus *cit. art. 3.* id uberiùs probans ex conceſſionibus aliorum Summorum Pontificum, & addens, ita ſervari in noſtra ſacra Religione Layman *in cit. cap. ult. h. t. in 6.* Pirhing. *h. t. n. 14.* & alii: qui proin rectè monent, circa hoc in praxi attẽdendas eſſe conſuetudines, ſtatuta, & privilegia Apoſtolica poſt dictam Decretalem Bonifacii VIII. facta, ſeu conceſſa.

Quæritur V. Utrùm valeat pactum, quo filia dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat? Reſp. I. Circa hoc habetur celebris Decretalis *in c. Quamvis. 3. h. t. in 6.* ubi Bonifacius VIII. præſens dubium in hæc verba reſolvit: *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet Lex Civilis: ſi tamen juramento, non vi, nec dolo præſtito firmatum fuerit ab eadem, omnino ſervari debebit: cùm non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Hæc Pontifex.

Et quidem, quòd Jus Civile improbet tale pactum, illudq; non valere decernat, præter hanc expreſſam conteſtationem Pontificiam patet *ex l. Pactum dotali. C. de Collationib.* Idque factum eſt *Juris authoritate*, ut loquitur textus in citata Lege, atque ob bonum commune. Nec immeritò: tum quia hujusmodi pactum filiæ cum patre, non tam ſpontaneũ, quàm reverentiâ paternâ extortum videtur; ut inquit Zoëſius *tit. de Pactis. ff. num. 36.* Tum quia per hujusmodi pacta retrahuntur liberi ab obſequio paterno, in quo ſpe futuræ ſucceſſionis retinentur: unde meritis magis filios ad paterna obſequia eſſe provocandos, quàm pactionibus aſtringendos, rectè notatur *in l. Si quando. §. Illud etiam. C. de In officioſ. teſtament.* Et quia hæc diſpoſitio Juris Civilis naturali æquitati, & rationi conſentanea exiſtit, nullumque fovet peccatum, ſimulque ſecluſo juramento à Jure Canonico nullibi contrarium reperitur ſtatutum: hinc meritò concluditur, etiam ſecundùm Canones non valere pactum, quo filia dote contenta renunciat paternæ hæreditati, niſi acceſſerit juramentũ, quo firmetur, *arg. cap. 1. de Novi oper. nunciat.* junctis dictis *in Proœmio, §. 13. n. 224. 225. & ſeqq.*

Secus

Secùs eſt, quando ejusmodi pactũ eſt juratũ:
1 tunc enim, quia tale juramentum ejusq; obſervatio non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, neque redundat in alterius detrimentum: optimè reſolvit pontifex *cit. c. Quamvis. h. t. in 6.* illud eſſe validum, & obſervandum. Et quia hîc agitur de materia peccati, ſeu de vitando peccato ac perjurio, dictam Conſtitutionem Pontificiam obtinere etiam in Foro Civili, & per Judicem ſæcularem eſſe ſervandam, rectè notat Gloſſa *ibid. ℣. Servari.* Covarruvias *part. 3. in c. Quamvis pactum. §. 4. n. 18. h. t. in 6.* Alexander *Conſil. 29. lib. 3.* Zoëſius *ubi ſuprà, num. 37.* cum communi, & concordant dicta *in Proëmio, §. 12. n. 219. & ſeqq.*

Iſtud tamen Pontifex ibidem intelligendum
3 decernit de *juramento nec vi, nec dolo præſtito.* Quale *juramentum vi extortum* dicitur illud, quando filia renunciat paternæ hæreditati gravi metu majoris mali adacta; putà, quia aliàs dotem à patre obtinere non poſſet. *Dolo* autem *juramentum* cenſeretur *extortum*, quando parentes ſcienter perſuadent filiæ, minores eſſe facultates ſuas, quàm reverà ſunt, ſicque ipſa ſeducta, & modicâ dote contenta, reliquæ hæreditati ſub juramento renunciat. Nam juramentum vi, aut dolo extortum, vel nullatenùs eſt obligatoriũ, ubi videlicet talis vis, ſeu dolus interuenit, quòd habuerit auferre conſenſum; ut loquitur Abbas *in c. Cùm contingat. n. 3. de Jurejurand.* poſt Jo. Andream *in cap. un. de Commodat.* Vel ſaltem non eſt efficaciter obligatorium, cùm poſſit peti ejus relaxatio, hæcque per Eccleſiam concedi ſolent, *c. Verùm. 15. de Jurejurand.* Imò & Magiſtratus ſæcularis poteſt cogere eum, qui vim aut metum intulit, ut juramentum remittat. Pirhing *h. t. n. 32.* Quamvis directa relaxatio vinculi juramenti, quæ fit per modum diſpenſationis, ſeu abſolutionis, non niſi ad Eccleſiaſticos Prælatos pertineat: nam poteſtas ex parte Dei remittendi juramentum, eſt Eccleſiaſtica, & omnino ſpiritualis. Layman *lib. 4. Theol. Mor. tract. 3. cap. 11. n. 9.* poſt Suarez *lib. 2. de juramento, cap. 41. n. 16.* & alios.

Ex dictis etiam infertur, quòd filia (idemque
4 dicendum de filio, vel quovis alio neceſſario hærede, ut notat Lyman in *cit. c. Quamvis. n. 2. h. t.*) quæ dote acceptâ cum juramento renunciavit paternæ hæreditati, atque enormiter, ſeu ultra dimidium, inde læſa fuit, poſt obtentã abſolutionẽ à juramento, poſſit petere reſciſſionẽ dictæ ſuæ renunciationis, atque hæc à Judice ſit concedenda ob ejusmodi enormem læſionem ritè probatam. Covarruvias *cit. part. 3. in c. Quamvis pactum, in 6. §. 4. n.* 11. Gailus *lib 2. Practic. Obſervat. 147. n. 8. & 9.* Fachineus *lib. 8. Controverſ. Juris, cap. 69.* citans alios, & ſolvens contraria. Siquidem juramentum junctum enormi læſioni, nempe ultra dimidium cenſetur dolo extortum: nam tunc *ipſa res in ſe dolum habet, ut* inquit Ulpianus *in l. Si quis cùm aliter. ff. de Verb. obligat.* Solùm adde, quòd in tali caſu læſio ultra dimidium ſit conſideranda ſolùmodò pro eo tempore, quo dos à patre fuit filiæ ſuæ data, ſeu conſtituta; computatis videlicet bonis illis, quæ tunc pater ejus habebat, non autem alijs, quæ poſtea pater ejus habuit, vel habere potuit. Covarruvias *loc. cit. n* 15. Fachineus, *ubi ſuprà.* Menochius *de Arbitrar. Judic. Caſu 149. n. 17. & 18.* cum alijs.

Tacentur plura alia Pacta, de quorum validitate diſputant Doctores: ut eſt Pactum Legis commiſſoriæ, quo creditor cum debitore convenit, ut ſi intra certum tempus non fuerit debitum ſolutum, pignus pleno jure acquiratur creditori: item Pactum, ne fructus pignoris computentur in ſortem, ac hujusmodi. Nam de his in ſpecie commodiùs tractatur in proprijs locis. Verùm occaſione præmiſſorum, 85

Quæritur VI. Utrùm pacta inferiorum cæteroquin invalida, per conſenſum Superioris 86 convalidentur? Ubi per *Superiorem* intelligitur ille, qui de jure habet poteſtatem ad hoc, ut Papa; prout notat Vivianus *in Rationali Juris, c. Quoties. h. t.* & Gloſſa *fin. in cap. 1. de Transactionib.* Quo prænotato

Reſp. I. Quando pactum, vel alius actus ſub- 87 ditorum, ſecundùm ſubſtantiam ſuam, ac ſpectato etiam jure naturali eſt invalidus, tunc is per advenientem conſenſum Superioris non validatur, nec confirmatur: benè tamen, ſi is aliquo modo fuerit validus, ſaltem ſpectato Jure naturali, licèt de Jure poſitivo humano ſit irritus. Ita Layman *in cap. 2. h. t.* & Barboſa *ibid. n. 1. & 2.* cum alijs, quos citant. Ratio prioris partis eſt: quia, quod non eſt, confirmari non poteſt; cùm non entis nullæ ſint propietates, *arg. c. Ad diſſolvendum. 13. de Deſponſat. impuber.* & ampliùs declarat Gloſſa *ibid. ℣. Legitimè.* Ergo, ſi actus quoad ſubſtantiam, ac ſpectato etiam Jure naturali eſt nullus, hoc ipſo confirmari non poteſt; nam paria ſunt, non eſſe, & eſſe nullum, *l. Duo ſunt Titij. ff. de Teſtament. Tutel.*

Altera pars deſumitur ex *c. Quoties. 2. h. t.* ubi 88 Summariũ ſic habet: *Conventio invalida per conſenſum Superioris validatur.* Quod eſſe intelligendum de invaliditate conventionis, ſeu pacti, proveniente ex Jure poſitivo humano, probant dicta *n. præced.* Concordat *cap. 1. de Transactionib.* ubi Pontifex pactis tunc initis, ſi quid fortè injuriâ, vel imperitiâ minùs firmitatis inſertũ continerent, validum, perpetuúmque robur attribuit. Nam etiam Papæ convenit, quod de ſe affirmat Imperator. *L. 1. §. Sed neque. C. de Veteri Jure enucleand.* Omnia noſtra facimus, quibus authoritatem impertimur. Ac proinde ſicut à principio poterat Papa concedere pacto firmitatem, quod ſolo Jure humano eſt invalidum; ita & ex poſtfactò poteſt illud ratum habere, ſuóque conſenſu, atq; authoritate confirmare, & convalidare, ſi quid forſan minùs roboris haberet.

His pro coronide breviter eſt addendũ, quòd 89 ſi conventio, ſive pactũ inter aliquos celebretur, ne de ejus validitate in futurum dubitatio oriri queat

queat, Superior requiſitus, ut puta Papa, pro ſecuritate partium debet eam ratam habere, ſuâque confirmatione ſolidare. Patet hoc ex textu *cit. c. Quoties. h. t.* ac tradit Gloſſa *ibid. in caſu*, & Abbas *num. 1.* benè notans, quòd *ratihabitio*, de qua ibi fit ſermo, ponatur pro *confirmatione*. Taceantur ea, quæ in ſimili dicta ſunt ſuperiùs *Tit. 2. de Conſtitutionibus. §. 21. n. 540.* de confirmatione Statutorum, horúmque revocatione.

§. IV.

De Contractibus in genere.

SUMMARIUM.

90. *Ratio agendi hîc de Contractibus.*
91. *Contractus, quid?*
92. *Et qualem importet ultrò citróque obligationem?*
93 *Contractus verus, ſeu explicitus ac formalis; &*
94. *Quaſi contractus, quid?*
95. *Contractus oneroſi, & gratuiti ſeu lucrativi, qui?*
96. *Aliæ contractuum diviſiones.*
97. *Contractus perficiuntur quatuor modis, videlicet,*
98. *Re,*
99. *Verbis,*
100. *Stipulatio de facto valet, per quæcunque verba ſit concepta.*
101. *Litteris, ſeu ſcripturâ,*
102. *Et conſenſu.*
Qui contractus ſingulis horum modorum perficiantur? Ibid.
103. *Subſtantialia contractuum.*
104. *Eorúmque naturalia,*
105. *Accidentalia, &*
106. *Solemnia, quæ dicantur?*

90 Contractus vel coincidit cum Pacto, vel continetur ſub Pacto ut ſic, tanquam ſpecies ſub ſuo genere, ut dictum ſuprà *§. 1. num. 5. & 10.* Quia igitur in Jure Canonico nullibi ex profeſſo agitur de Contractibus in genere, non obſtante, quòd eorum aliqui in ſpecie ventilentur *in lib. 3. Decretalium, Tit. 14. & ſeqq.* meritò, quæ Contractibus ut ſic conveniunt, impræſentiarum examinantur. Hinc

91 Quæritur I. Quid ſit Contractus, & quomodo dividatur? Reſp. I. *Contractus propriè* dictus eſt pactum, ex quo ultrò citróque oritur obligatio. Ita in re communis; & patet *ex l. Labeo. ff. de Verb. ſignif.* cujus verba ſuperiùs *num. 6.* ſunt allegata, ubi pariter notatur differentia Contractûs propriè dicti à Contractu largè ſumpto. Spectatâ quippe nominis etymologiâ, *Contractus dicitur quaſi ſimul tractus duarum voluntatum*, prout loquitur Scotus *4. diſt. 26. q. un. §. Ad probationem.*

92 Cæterùm memoratam obligationem intellige de ultrò citróque obligatione, quæ oritur ex virtute juſtitiæ commutativæ. Alioquin enim etiam ex alijs virtutibus oriri poteſt mutua & reciproca obligatio; ut putà parentum erga filios, ſubditorum erga Superiores, mariti erga uxorem, & econtrà, quæ tamen non venit nomine contractûs.

Reſp. II. Contractuum diviſio eſt multiplex.
93 Atque, ut taceantur nunc diverſi contractus in ſpecie, ut putà contractus Venditionis, Emptionis, Locationis, Commodati, & hujusmodi, de quibus ſuo loco; Contractus ut ſic imprimis dividitur in contractum verum, & in quaſi contractum. *Verus contractus* dicitur, quando obligatio oritur ex vero, ſeu expreſſo utriusque contrahentis conſenſu: & hunc Theologi appellant *explicitum*, ſeu *formalem contractum*, eò quòd fiat 94
expreſsâ partium conventione.

Quaſi contractus (quem Theologi appellant *Contractum implicitum, virtualem, ſeu interpretativum*) eſt ille, quando unus obligatur alteri ex Legis diſpoſitione, licèt nulla expreſſa conventio inter partes interceſſerit, ſed interpretativa ſolùm, ex Legis videlicet diſpoſitione. Sic fit in Tutela, nam Tutor hoc ipſo, quòd ſuſcipiat in ſe tutelam, cenſetur ſe obligare ad ejus adminiſtrationem juxta leges, ac receptam conſuetudinem, etſi id verbis non exprimat. Et hoc idem dicendum eſt de aliis, qui quodlibet officium in ſe ſuſcipiunt: nam hoc ipſo cenſentur tacitè, ſeu ex ipſa Juris interpretatione, ſeſe obligare ad rectam ipſius adminiſtrationē, quamvìs alicubi etiam expreſſum deſuper juramentū exigi ſoleat.

Deinde contractus alij ſunt oneroſi, alij gra- 95
tuiti, ſeu lucrativi. *Contractus oneroſi* dicuntur, in quibus utrique parti contrahentiū aliquod onus imponitur quidpiam dandi vel præſtandi: ut fit in Emptione, Venditione, Conductione, Locatione, & hujusmodi. *Contractus gratuiti*, ſeu *lucrativi*, econtrà ſunt, in quibus una tantùm pars gravatur: ut ſunt Donatio, Precarium, Commodatum &c. Alii eos *Contractus* appellant *oneroſos*, ex quibus oritur obligatio aliquid rependendi loco ejus, quod datur: *gratuitos* verò, in quibus nihil rependitur, ut fieri patet in allatis exemplis.

Inſuper Contractus alij ſunt nominati, alij in- 96
nominati. Rurſus alij ſunt bonæ fidei, alij ſtricti juris: de quibus tamen, cùm ſpeciales contineant difficultates, ex profeſſo agetur in proprijs paragra-

ragraphis. Tandem ex contractibus, alij ſunt, qui re, alij qui verbis, alij qui litteris, & alij qui ſolo conſenſu perficiuntur. Occaſione cujus

5 Quæritur II. Quot, quibusque modis perficiantur Contractus? Reſp. I. Contractus perficiuntur, ſeu in ſuo eſſe complentur quatuor modis, videlicet Re, Verbis, Litteris ſeu ſcripturâ, vel ſaltem conſenſu. Ita communis; & habetur expreſsè in §. *fin. Inſtit. de Obligationib.* ibi: *Aut enim re contrahitur, aut verbis, aut litteris, aut conſenſu.* Et hinc data reſponſio eſt intelligenda ſub disjunctione, in quantùm aliqui contractus ſunt, qui ſolâ re perficiuntur, alij verbis, alij litteris, & nõnulli ſolo conſenſu, modo inferiùs declarando.

Re perficiuntur illi contractus, quorũ obligatio, non niſi in traditione alicujus rei completur, ſeu perfecta eſſe intelligitur. Et tales ſunt fermè illi contractus, qui ipſo nomine traditionem, ſeu præſtationem rei ſignificant: ut Mutuum, Commodatum, Depoſitum, Pignus, & hujusmodi, de quibus fit mentio *tot. Tit. Inſtit. Quibus modis re contrahatur obligatio.* Neque enim contractus Mutui v. g. priùs cenſetur eſſe perfectus, antequàm pecunia mutuo deſtinata alteri numerata fuerit, neque Depoſitum, Cõmodatum, aut Pignus intelligitur eſſe perfectum, ac firmum, priusquam res actu apud alterum deponatur, ei commodetur, ſeu pignus detur. Et hinc obligatio civilis ex talibus contractibus non oritur, antequàm res ſit actualiter alteri tradita, neque in plus poteſt quis obligari, quàm accepit.

Verbis illi contractus perfici cenſentur, qui ultra mutuam conventionem requirunt debitam verborum formam, eáq; perficiuntur, ita ut inducant obligationem: prout fit in Stipulatione, de qua habetur *tot. Tit. Inſtit. de Verb. obligat.*

00 Olim quidem ad Stipulationem, ut eſſet firma, pareretque obligationem, requirebatur de Jure Civili certa verborum formula, nempe ut uno interrogante alter reſponderet; putà, *Spondes? ſpondeo: Promittis? promitto: Fidejubes? fidejubeo: Dabis? dabo: Facies? faciam.* At verò ſpectato Jure naturali, & Canonico non attenditur ad hujusmodi verborum ſolemnitatem, ſed potiùs ad intentionem promittentis, an & qualiter ſeſe obligare voluerit. Imò etiam hodie de Jure Civili ſublata eſt hujusmodi ſolemnitas verborũ per Leoninam Conſtitutionem, & valet defactò ſtipulatio, per quæcunque verba ſit concepta, *l. Omnes. C. de Contrahend. ſtipulat. &* §. *In hac re, Inſtit. de Verb. obligat.* éſtque jam dictum ſuprà §. I. *num.* 24.

101 *Litteris*, ſeu ſcripturâ perficiuntur illi contractus, ad quorum ſubſtantiam requiritur ſcriptura, & nõ ad probationem tantùm. Hinc ad tales contractus neceſſaria eſt confectio Inſtrumenti cum ſubſcriptione contrahentium, ita ut antequam illud ſubſcriptum, contractus firmus non cenſeatur, ſed per alterius partis pœnitentiam recedere liceat; prout clarè habetur *in l. Contractus C. de Fide inſtrument.* Et tales contractus in hiſce Regionibus præcipuè ſunt uſitati in alienatione rerum immobilium, conceſſione Feudi, vel Emphyteuſis, præſertim Eccleſiaſtici. Pirhing *tit. de Precarijs, n.* 3.

Conſenſu tandem perficiuntur illi contractus, 102 qui ſolâ partium conventione, ſeu conſenſu, exteriùs per verba vel alia ſigna ſufficienter expreſſo perficiuntur. Unde ad eorum naturam, ſeu ſubſtantiam, neque certa verborum formula, neque ſcriptura, neque traditio rei requiritur; ac poſſunt etiam inter abſentes fieri ſive per epiſtolam, ſive per nuntium; prout expreſsè habetur *l. Conſenſu fiunt. ff. de Action. & obligat.* Tales contractus ſunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas &c. de quibus fit mentio §. 1. *& ſeqq. Inſtit. de Verb. obligat.*

Quæritur III. Quænam dicantur ſubſtantia- 103 lia, naturalia, ſolemnia, & accidentalia contractuum? Reſp cum Engel *h. t. n.* 14. & alijs. *Subſtantialia contractuum* dicuntur, quæ ad formam ſeu eſſentiam cujuslibet contractûs pertinent, & ſine quibus talis contractus eſſe non poteſt: uti in contractibus, & pactis quibusvis eſt conſenſus utriusque; in Mutuo hæc tria, nempe res fungibilis, translatio dominij, & ut idem reſtituatur in eodem genere. Et hujusmodi ſubſtantialia contractuum ex voluntate partium mutabilia non ſunt: ac proinde non valet pactum appoſitum contra ſubſtantialia contractûs; ſecùs, ſi apponatur contra ejus accidentalia ſolùm. Abbas *in cap. un. num. 6. de Commodat.*

Naturalia contractuum dicuntur ea, quæ contra- 104 ctui tacitè inſunt, licèt expreſſa non fuerint, pacto tamen contrahentium mutari vel tolli citra ſubſtantiam contractûs poſſunt. Ita venditor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, ſi res ab aliquo tertio vindicata, ſeu tanquam ſua repetita fuerit, *l. Ex empto. ff. de Action. empti*: & tamen partes, ſi expreſsè convenerint, poſſunt obligationem evictionis remittere, niſi fortè quis ſciens alienum vendiderit, *l. Emptorem.* §. *fin. ff. eod.* Et de hiſce naturalibus contractuum (non autem de ſubſtantialibus) procedit Reg. 85. Juris in 6. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.*

Accidentalia contractuum ſunt, quæ pactis con- 105 trahentium præter ordinariam eorum naturam adijciuntur. Sic pacta diverſis modis veſtiri, ſuprà jam dictum eſt, qualia proinde veſtimenta cenſentur contractuum accidentalia. Similiter accidentale in mutuo eſt, ut fiat ſolutio in hac vel illa moneta, hoc vel illo tempore, aut loco. Differunt tamen Accidentalia à Naturalibus contractuum, non obſtante, quòd ex conſenſu paciſcentium etiam hæc removeri, ſeu abeſſe poſſint: quia Naturalia, ſecluſo pacto in contrarium, ex natura contractûs eidem tacitè inſunt; Accidentalia verò, niſi pacto adijciantur, ſecundùm ſe & ex natura contractûs non inſunt.

Tandem Solemnia contractuũ dicuntur, quæ de Jure 10 requiruntur, ut legitimus contractus ſit. Porrò ex his aliquæ ſolemnitates ſunt ſubſtantiales, ſeu intrinſecæ; ut defactò poſt Concilium Tridentinum alicubi publicatum, eſt præſentia Parochi

Parochi ac teſtium in matrimonio. Aliæ extrinſecæ, ſine quibus actûs validè quidem, ſed non licitè celebratur: ut eſt trina denunciatio ante matrimonium, cum ſimilibus.

§. V.

De Contractibus nominatis, & innominatis.

SUMMARIUM.

107. *Contractus nominati,*
108. *Et innominati, qui?*
Horum quatuor ſunt ſpecies. Ibid.
109. *Permutatio eſt contractus innominatus; & cur?*
110. *Solvitur notabilis inſtantia.*
111. *Differentiæ inter contractus nominatos, & innominatos, quæ? & num. ſeqq.*
112. *In his licet pœnitere, non in illis.*
113. *Qua ratione liceat pœnitere in contractibus innominatis?*
114. *An in iſtis etiam de Jure Canonico pœnitere liceat?*
115. *Imò & in Foro Civili ſecundùm hodiernos mores?*
116. & 117. *Afferuntur aliæ inter eos differentiæ.*

107 QUæritur I. Qui dicantur Contractus nominati, & innominati? Reſp. cum communi. *Contractus nominati* dicuntur, qui habent ſpeciale, ſeu proprium nomen, ſibi in Jure attributum: ut ſunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, & hujusmodi. Econtrà verò
108 *Contractus innominati* ſunt, qui non habent ejuſmodi ſpeciale & proprium nomen, ſed generali tantùm nomine, ob nimiam negotiorum multitudinem & varietatem, in Jure notantur. Et horum quatuor ſunt ſpecies, prout habetur *in l. Naturalis. ff. de Præſcriptis verbis*; videlicet, *Do ut des, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias.* Nam ſi tibi dem frumentum, ut mihi des vinum, talis contractus non eſt emptio & venditio: quia non datur pretium pro mercede, nec ullus alius contractus nominatus, ſed generico nomine *Permutationis* cenſetur. Idem fit, ſi Petro dem panem, ut mihi laboret, ſeu ſcribat, vel aliud quidpiam faciat: eſt enim conventio quædam, non autem contractus aliquis nominatus.

109 Dices. Permutatio eſt contractus nominatus; ergo proximè data reſponſio non ſufficit. Antecedens probatur. Quia permutatio habet elegans & proprium nomen, atque in utroque Jure ſub ſpecialibus Titulis agitur, *De Rerum Permutatione*; ergo. Reſp. negando anteced. Nam, quòd Permutatio ſit contractus innominatus, patet *ex L. 1. ff. de Rerum permutat.* juncto Sumario, & DD. ibidem. Ad probationem neg. conſequent. Quia, ut inquit Abbas, & Gloſſa communiter recepta *in Rubrica ad Tit. de Rer. permut.* hoc nomen *Permutationis* eſt multùm generale; convenit enim omnibus rebus, quæ inter hominum manus verſantur: & propter hoc non habet nomen ſpeciale, ſed remanet in ſuo genere. Nam *plura ſunt negotia, quàm vocabula*, ut dicitur *in l. Natura. ff de Præſcriptis verbis.*

110 Nec urget, ſi dicatur, etiam Emptionis & Venditionis nomen eſſe multùm generale, & convenire omnibus rebus in commercio hominum exiſtentibus, nec tamen eſſe contractum innominatum. Reſp. enim cum Bartolo *in l. Juris gentium. §. 1. num. 1. ff. h. t. & l. Sive apud. §. Sed tunc quæro. C. de Transactionib.* diſparitatem eſſe: quia *Permutatio* eſt nomen generis, non ſpeciei; nam etiam Emptio poteſt dici Permutatio, quia permutatur res, ſeu merx pro pecunia; ſicut Locatio, ubi permutatur pecunia pro opera; & generaliter, ubicunque hinc inde aliquid datur, vel fit, poteſt dici Permutatio, ac proinde hoc eſt nomen generis: atqui appellatio generis non facit contractum dici nominatum, *arg. L. 2. ff. de Liber. & poſthum. & l. Nominatim. de Condition. & demonſtrat.* Econtrà Emptio, ſicut & Venditio, eſt nomen ſpeciei; & convenit ſolis emptionibus, & venditionibus, in quibus datur pecunia pro merce, aut econtrà, & nulli alteri contractui, *L. 1. ff. de Contrahend. empt. & §. Item pretium. Inſtit. de Emption. & vendit.* ſicque meritò cenſetur eſſe contractus nominatus.

Quæritur II. Quæ ſint differentiæ inter Contractus nominatos, & innominatos? Reſp. 111
Eſſe potiſſimùm tres ſequentes. Primò enim contractus nominati quatuor diverſis modis perficiuntur, videlicet re, litteris, verbis, & conſenſu, *§. fin. Inſtit. de Obligationib.* éſtque ſuprà *num. 97. & ſeqq.* jam declaratum. Contractus innominati econtrà uno duntaxat modo perficiuntur, ſeu re tantùm, *arg. L. 1. ff. de Rerum permutat.* Nam anteà pœnitere licet, ut illicò dicetur: unde

Secundò differunt: quia in contractibus no- 112
minatis non licet pœnitere; id eſt, à contractu reſilire alterâ parte non conſentiente; ut patet *ex l. Sicut. 5. C. de Action. & obligat.* Econtrà in contractibus innominatis, quantùm eſt de Jure Civili, non ſolùm licitum eſt cuilibet parti re integrâ pœnitere, ſeu à contractu recedere; ſed etiam is, qui ex ſua parte contractum implevit, antequàm alter eum impleat, poteſt adhuc pœnitere, & ſi quid idcircò ſolvit, datam pecuniam repetere: dummodò alter ſervetur indemnis, ſi forſan aliquod damnum occaſione talis revocati contractûs incurrat;

currat; putà, quia fecit quaſdam expenſas pro ejus impletione, & poſteà is fuit per pœnitentiam alterius revocatus. Textus eſt *in l. Si pecuniam. ff. de Condictione cauſâ datâ.*

11 Verumtamen dictum hoc, quòd in contractibus innominatis liceat pœnitere, procedit potiſſimùm re integrâ, ſeu quando adhuc neutra pars promiſſum implevit. Vel, ſi alterutra pars jam dedit, ſeu implevit contractum, tunc quidẽ ipſi adhuc licitum eſt pœnitere, etiam repetendo pecuniam ſolutam, ut dictum: non tamen alteri parti, quæ accepit, ampliùs licitum eſt pœnitere aliâ parte invitâ. Ratio eſt: quia per interventum rei promiſſæ, quam ſemel ſponte acceptavit ab altero, contractus ejusmodi jam evaſit veſtitus: unde is, qui dedit, ſeu contractum ex ſua parte implevit, & in hoc perſiſtere cogitat, poteſt alterum cogere actione *Præſcriptis verbis* ad contractum ex ſua etiam parte complendum. Engel *h. t. n. 12.*

14 Additur etiam *n. 112.* notanter, *quantùm eſt de Jure Civili.* Nam, quòd ſpectato Jure Canonico in contractibus innominatis pœnitere non liceat, ſi adverſarius paratus ſit fidem ſervare, & contractum adimplere, neq; eſt in mora hunc adimplendi; docet Felinus *in c. Antigonus. n. 13. h. t.* & Molina *Tom. 2. de juſtit. & jure diſp. 258. n. 7.* citans inſuper pro hac ſententia Baldum *in Rubr. C. de Rerũ permutat.* Greg. Lopez *lib. 3. tit. 6. part. 5.* & alios. Ratio eſt: quia ſecundùm Canones ex pacto nudo oritur obligatio, & datur actio; ergo hoc idem dicendum eſt in propoſito, ſicque locus non eſt pœnitentiæ, quando adverſarius abſque mora vult fidem ſervare, ſtaréque contractui. Quidquid contradicat Engel *h. t. num. 13.* aſſerens cum nonnullis alijs, ſententiam affirmativam, ſeu quòd etiam ſecundùm Jus Canonicum in contractibus iñominatis, ante eorum implementum ex altera parte factum, locus ſit pœnitentiæ, valdè probabiliter defendi poſſe.

15 Deinde notat Chriſtoph. Clingenſperger *lib. 3. Inſtit. tit. 14. quæſt. 18.* citans alios, quòd etiam in Foro Civili ſecundùm hodiernos mores in contractu innominato non habeat locum pœnitentia. Quia (inquit) hodie ex pacto nudo, & omni conventione ſeriâ ac deliberatâ datur actio, ut jam dictũ ſuprà §. 1. *n. 37.* ac proindè de hodierna conſuetudine ampliùs in contractu innominato pœnitere non licet. Et ita in Conſilio Neoburgenſi, & Facultate Juridicâ Ingolſtadienſi judicatum teſtatur. Quod ipſum obſervari in Regno Caſtellæ, refert Molina *cit. diſp. 258. n. 8.* ne Forum externum diſcrepet à Foro conſcientiæ, ubi omnis deliberata conventio parit obligationem naturalem ſtandi promiſſis, dummodò altera pars non ſit in mora ſtandi ſuis.

Tertiò differunt contractus nominati ab iñominatis: quia in illis agitur actione certâ, putà *Actione empti, venditi, depoſiti* &c. Econtrà in contractibus innominatis non agitur actione certâ, ſed *Præſcriptis verbis*; prout liquet ex *toto Tit. ff. de Præſcriptis verbis.* Cùm enim plura ſint negotia quàm vocabula, quoties deficiunt vulgaria & uſitata actionum nomina, *Præſcriptis verbis* agendum eſt, ut *ibid. L. 1. & ſeqq.* notatur, & poſtmodùm exemplificatur per actiones ex contractibus innominatis deſcendentes. 116

Præter has præcipuas differentias inter contractus nominatos & innominatos, addit Jaſon *in l. Juris gentium. n. 1. ff. h. t.* aliam adhuc. Quia, præterquàm quòd illi habeant ſpeciale & diſcretivũ nomen, nõ iſti, ut patet ex ipſamet eorundẽ definitione; contractus nominati, eo ipſo, quòd ſunt in eſſe poſiti, ſtatim producunt actionem: ſed contractus innominati ſunt debiles & inefficaces, & ſic non producunt actionem, niſi ſecutâ causâ; hoc eſt, niſi perfectè pro ſua parte contractum impleverit ille, qui vult agere. Patet hoc *ex l. Juris gentium. §. 1. ff. h. t.* Et ratio diſparitatis eſt: quia generatim omnes contractus nominati, ſunt etiam veſtiti: habent enim veſtimentum nominis, quod eſt nobile veſtimentum. Contractus innominati verò ſtant in nomine ſimplicis conventionis, ſicque in ſua nuditate, donec veſtiantur interventu rei, & ex altera ſaltem parte perficiantur traditione, ſeu præſtatione rei conventæ; ſicque efficaces reddantur ad producendam actionem *Præſcriptis verbis.* Et hoc procedit ſpectato rigore Juris Civilis: nam ſecùs eſſe dicendum ſecundùm Canones, & hodiernos mores, jam ſuprà *num. 115. & num. 116.* dictum fuit. 117

§. VI.

De Contractibus bonæ fidei, & ſtricti juris.

SUMMARIUM.

118. & 119. *Contractus bonæ fidei, &*
120. *Contractus ſtricti juris, qui?*
121. *Hujus diviſionis origo,*
122. *Et ratio, quæ?*
123. *Solvitur inſtantia.*
124. *Contractus, & Actiones bonæ fidei, ſunt ſeptendecim.*
125. *Et quales?*
126. *Hoc ipſum ampliùs declaratur.*
127. *Differentiæ inter Contractus bonæ fidei, & ſtrictì juris, quæ? Et num. ſeqq.*
128. *Quâ ratione omnis contractus poſſit dici bonæ fidei?*
129. *Judex debet ſemper judicare ex æquo & bono, quomodo?*
130. *In actionibus bonæ fidei veniunt uſuræ, & fructus à tempore moræ; non in alijs.*
131. *Idq; ampliùs exemplificatur.*

132. *Contractus, cui dolus dat cauſam, an ſit ipſo jure nullus?*
133. *Diviſio in Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, an etiam procedat de Jure Canonico? Et rationes ſententiæ negativæ.*
134. *Ponitur ſententia affirmativa.*
135. & 136. *Solvuntur rationes contrariæ ſententiæ.*
137. *Alia circa Contractus. Remiſſivè.*

118 QUæritur I. Quid, & quot ſint Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris? Ubi prænotandum, quòd Contractus bonæ fidei, non ideò ſic dicantur, quaſi in eis tantùm ſervari debeat bona fides: hæc enim in omnibus contractibus etiam ſtricti juris requiritur, cùm non liceat eos malâ fide celebrare. Itaque

119 Reſp. I. *Contractus bonæ fidei* dicuntur, qui obligant ſecundùm verba ex æquo & bono intellecta: id eſt, qui benignam admittunt verborum interpretationem ſecundùm æquum & juſtum. Et hinc in talibus contractibus Judex multa poteſt arbitrari, quæ ſecundùm bonam contrahentium fidem cenſentur ineſſe, etiamſi verbis non fuerint expreſſa: ut ſunt Emptio, Venditio, Locatio &c. Atque ex hiſce contractibus dicitur generari *Actio bonæ fidei.*

120 *Contractus ſtricti juris* econtrà ſunt, qui obligant præcisè ſecundùm verba: id eſt, in quibus ſtricta interpretatio fieri debet ſecundùm id, quod verbis expreſſis conventum fuit: ut fit in ſtipulationibus, Donationibus, Emphyteuſi, contractu Feudali, & ſimilibus. Atque ex his dicitur oriri *Actio ſtricti juris.*

121 Cæterùm origo hujus diviſionis inde promanavit: quia olim Prætores Romani, qui privatis cauſis dijudicandis operam non dabant, litigatoribus Judices petentibus dare ſolebant Judices pedaneos, præſcriptâ eis certâ formulâ, quomodo procederent in cauſa; nunc ampliori, ſeu concedendo ipſis poteſtatem ex bona fide, ſive ex bono & æquo ſtatuendi, arbitrandi, & judicandi ultra expreſſa; nunc verò ſtrictiori, ſeu dando eis poteſtatem judicandi tantummodò, ſecundùm quod nominatim conventum eſt inter partes. Unde ſucceſſu temporis contractus, & actiones illæ, in quibus Prætor conſueverat ampliorem formulam Judicibus pedaneis concedere, appellatæ ſunt *Actiones, & Contractus bonæ fidei*: reliquæ verò, pro quibus ſtrictior formula adhibebatur, *Actiones, & Contractus ſtricti juris.* Mynſinger *lib. 4. Inſtit. §. Actionum autem. num. 9. & ſeqq.* & alij.

122 Ratio autem congruentiæ, cur Prætor in Contractibus bonæ fidei ampliorē formulam præſcripſerit Judici pedaneo, & ſtrictiorem in alijs, hæc videtur eſſe. Quia imprimis Contractus bonæ fidei à potiori omnes ſunt utrinq; obligatorij, & propterea poteſt faciliùs ex parte utriusque contrahentis ex æquo & bono aliquid ſuppleri. Deinde Contractus bonæ fidei habent nimis latos terminos, ut omnia ab initio à contrahentibus exprimi tam facilè non poſſint: ſecùs eſt in Contractibus ſtricti juris, qui tam latos terminos regulariter non habent; ut Mutuum, Stipulatio, & hujusmodi. Chriſtoph. Clingenſperger *lib. 4. Inſtitut. tit. 6. quæſt. 80.* citans interpretes communiter *in §. 28. Inſtit. de Actionib.*

Nec obſtat, quòd Depoſitum, Comodatum & Pignus, ſint contractus bonæ fidei, nec tamen utrinque ſint obligatorij. Reſp. enim, quòd licèt tales contractus non utrinque ſint obligatorij ab initio, adhuc tamen ex poſt factò, & accidenti, ut putà propter expenſas, ſeu damnum datum aut acceptum, utrinque obligent, quod ſufficit. 123

Reſp. II. Contractus & Actiones bonæ fidei, ſunt ſeptendecim; atq; enumerantur *in §. Actionum autem, Inſtit. de Actionib.* cæteri autem omnes ſunt Contractus ſtricti juris. Ita Textus, Gloſſa, & DD. *in d. §. Actionum autem.* Quamvis ibidem intelligantur Actiones, non ſolùm prout ſunt directæ, ſed etiam, prout ſunt contrariæ: alioquin enim forent viginti tres actiones bonæ fidei, cùm actiones Mandati, Commodati, Depoſiti, Pignoratitia, Tutelæ, & Negotiorum geſtorum, ſint directæ, & contrariæ ſimul. Mynſinger *loc. cit. n.* 16. & alij. 124

Porrò ſequentes, ac ibidem enumerati, ſunt Contractus bonæ fidei, videlicet Emptio, Venditio, Locatio, Conductio; Negotiorum geſtio, Mandatum, Depoſitum, Contractus ſocietatis, Tutela, Commodatum, & Pignus. His adde contractus, vel quaſi contractus illos, ex quibus oritur Actio bonæ fidei: qualis datur inter Cohæredes, & appellatur *Familiæ herciſcundæ*; item *Communi dividundo*; Præſcripto verbis; Quæ de æſtimato proponitur; & ea, quæ ex permutatione competit; & tandem hæreditatis petitio. De his omnibus bonæ fidei actionibus exſtant illi vulgati verſiculi, quos refert Gloſſa *in c. Cùm venerabilis. ℣. Bonæ fidei. de Exceptionib.* & ſic ſonant. 125

Empti, conducti, mandati, depoſitique.
Pignora, herciſcundæ, communi, pro ſocioque.
Dotis, & hæredis, tutelæ, commoda, geſtor.
Præſcriptis verbis ſi mutat, ſive licetur.
Iſta bonæ fidei ſunt: ſtricti cætera juris.

Verùm circa hoſce verſiculos adverte, quòd per ly *Empti*, ſubintelligatur ly *Venditi*; & per ly *Conducti*, ſubaudiatur reciprocus contractus, & inde ſubſequens actio *Locati*: quia nunquam unus eſt ſine altero. Item verba illa, *Præſcriptis verbis ſi mutat, ſive licetur*, duas tantùm actiones denotant: nam actio *Præſcriptis verbis* eſt ſtricti juris; demptis his duobus caſibus, videlicet quando ea de æſtimato proponitur, vel quando ea ex permutatione competit. Gloſſa *in §. Actionum. ℣. Ex permutatione, Inſtit. de Actionib.* 126

Quæritur II. Quæ ſint differentiæ inter Contractus bonæ fidei, ac ſtricti juris? Reſp. cum Gloſſa *in cit. c. Cùm venerabilis. ℣. Bonæ fidei.* & Abbate *ibid. num. 15. & ſeqq. de Exceptionib.* Engel *h. t. n. 18. & 19.* & alijs, eſſe plures differentias. Prima eſt, quòd in Contractibus bonæ fidei, ſi lis 127

lis oriatur, judicium feratur ex æquo & bono, etiam ultra id, quod nominatim in contractu à partibus conventum eſt, *§. In bonæ fidei. Inſtit. de Actionib.* Dummodò ſit tale, quòd ſi contrahentibus in mentem veniſſet, utique expreſſiſſent, *arg. l. Quia tantumdem. ff. de Negot. geſt.* In Contractibus autem ſtricti juris judicatur præcisè ſecundùm ea, quæ nominatim in contractu expreſſa fuerunt, *l. Quidquid aſtringendæ. ff. de Verb. obligat.* aut ſtrictè exigit natura talis contractûs. Gloſſa *loc. cit.* Atque idcircò in Actionibus bonæ fidei multùm exuberat officium Judicis, & pleniùs ſuccurritur, quàm in alijs: unde & illæ dicuntur Actiones bonæ fidei, iſtæ verò ſtricti juris; prout poſt Gloſſam citatam, loquitur Abbas *ibid. n. 20.*

18 Dices. Omnis contractus eſt bonæ fidei; ergo nullus eſt ſtricti juris. Antecedens probatur *ex l. Bonam fidem. C. de Actionib. & obligat.* ubi bona fides in omni contractu ſervanda dicitur. Reſp. diſting. anteced. Omnis contractus eſt bonæ fidei, quatenus hæc opponitur malæ fidei, conced. anteced. Quatenus bona fides opponitur ſtricto juri, neg. anteced. cum ſuæ probationis conſequentia.

19 Urgebis. Judex ſemper debet judicare ex æquo & bono, *l. Placuit. C. de Judicijs*; ergo adhuc nullus datur contractus, vel actio ſtricti juris. Reſp. diſting. anteced. Judex ſemper debet judicare ex æquo & bono, juxta æquitatem ſcriptam; hoc eſt, juxta formulam in Jure præſcriptam, conced. juxta æquitatem cerebrinam, ſeu ad formulam in Jure præſcriptam non attendendo, neg. anteced & conſequent. Ad *l. Placuit. C. de Judic.* reſpondetur per idem, conformiter dictis *Tit. 2. de Conſtitutionibus. §. 16. n. 415. & ſeqq.* Quia igitur in contractibus, & actionibus bonæ fidei, amplior formula à Jure præſcribitur, meritò hoc nomine cenſentur, poteſtque in illis Judex ex bona fide procedere ultra expreſſa: ſecùs dicendum in contractibus ſtricti juris, ubi arctior formula in Jure præſcribitur.

30 Secunda differentia, atq; ex præcedenti proveniens, ipſamque exemplificans, eſt hæc: quia in actionibus bonæ fidei veniunt uſuræ, ſeu intereſſe, & fructus à tempore moræ: adeò, ut hos omnes, poſt commiſſam à poſſeſſore moram perceptos, Judex Actori in cauſa ſuperanti ſit adjudicaturus, *L. 3. ff. de Uſuris, & l. Mora. §. 2. ff. eod.* In actionibus ſtricti juris econtrà non aliter debentur uſuræ, niſi de uſuris conventum fuerit, *l. Titius, 26. ff. de Præſcriptis verbis*, junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Non deberi.*

31 Inſuper ſtipulans fundū non conſequitur fructus pendentes, niſi eorum mentionem fecerit in ſtipulatione, utpote quæ eſt ſtricti juris. Secùs eſt in emptione: ei enim, qui fundum emit, hoc ipſo etiam fructus pendentes cedunt, niſi aliud conventum ſit, *l. Datio poſſeſſionis. §. Si emptor. & l. Julianus, §. Si fructibus. ff. de Action. empti.* Tacentur ſimilia.

32 Tertia differentia eſt: quia Contractus bonæ fidei, ſi dolus det cauſam contractui, eſt ipſo jure nullus, *l. Et eleganter. §. 1. ff. de Dolo.* Intellige, niſi dolo inductus, ultrò juri ſuo renunciare, & dolum remittere, contractúmque ratum habere velit. Econtrà Contractus ſtricti juris eſt validus, ac ipſo jure ſubſiſtit, quamvis agens ex eo poſſit doli exceptione repelli. Textus eſt *in l. Si quis cùm aliter. ff. de Verb. obligat.* ac notat Gloſſa *fin. in c. Cùm dilecti. de Emption.* & Covarruvias *in cap. Poſſeſſor. de Regul. Jur. in 6. part. 2. §. 6. n. 6.* citans alios. Verùm de hoc plura *Lib. 2. Tit. 14. De Dolo & contumacia. §. 1. num. 13. & ſeqq.* 133

Quæritur III An allata diviſio in Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, etiam de Jure Canonico procedat? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, eſt: Tum quia ſecundùm Canones ſolùm proceditur ex æquo & bono, non attentis Juris Civilis ſubtilitatibus, *arg. Sæpè contingit. 18. de Reſtitut. ſpoliat.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Rigore.* Tum quia nullibi habetur textus, in quo notatur differentia de Jure Canonico inter contractus bonæ fidei, ac ſtricti juris. Tum tandem, quia donatio ſecundùm Jus Civile cenſetur eſſe contractus ſtricti juris, *l. Eum qui. ff. de Donationib.* & tamen ſecundùm Canones accipit largam interpretationem, ut *c. Cùm dilecti. 6. de Donation.* His tamen non obſtantibus 134

Reſp. I. Diſtinctio inter Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, etiam procedit de Jure Canonico. Ita Covarruvias *in d. c. Poſſeſſor. part. 2. §. 6. num. 5.* Jaſon *l. Etſi poſt tres. num. 28. ff. Si quis cautionibus &c.* Engel *h. t. num. 20.* citans fermè communem, contra Baldum, & quosdam alios. Ratio fundamentalis eſt: quia, quando aliquid clarè deciſum eſt in Jure Civili, & contrariū non eſt deciſum in Jure Canonico, ſimúlque non ſumus in materia ſpirituali, nec in materia peccati; ſtamus Juri Civili etiam in Foro Canonico, ne inducatur diſcrepantia inter Jus Civile & Canonicum, *arg. cap. 1. de Novi operis nunciat.* & cum cōmuni Canoniſtarum dictum eſt *in Proœmio, §. 13. n. 224. & 225.* Atqui ita ſit in propoſito, ut patet tum ex hactenus dictis, tum ex ſolutione rationum dubitandi; ergo. Accedit, quòd iſthæc Juris Civilis diſtinctio expreſsè videatur approbata à Jure Canonico, *in c. Cùm venerabilis. 6. de Exceptionib.* ibi: *Cùm permutatio inter contractus bonæ fidei computetur:* ubi proin Gloſſa de actionibus bonæ fidei, & ſtricti juris, accuratam inſtituit diſputationem. Concordat *cap. ult. de Depoſito.* 135

Nec obſtant rationes dubitandi in contrariū allatæ. Non prima: nam etiam Jus Civile procedit ex bono & æquo, *d. l. Placuit. C. de Judicijs.* nec tamen reſpicit contractus ſtricti juris. Deinde contractus iſti non fundantur in mera ſubtilitate Juris Civilis, ſed etiam in quadam naturali æquitate ipſis cohærente, ob quam merentur eſſe *ſtricti juris*, ſeu ſtrictæ interpretationis, ut dictum *num. 121. & 122.*

136 Ad alteram negatur aſſumptum, prout liquet ex textibus Juris in favorem datæ Concluſionis adductis.

adductis. Ad ultimam negatur conſequentia: nam *in d. c. Cùm dilecti. de Donation.* ſermo eſt de donatione facta ad pias cauſas; ac proinde non mirum, quòd favore animæ donatoris, & pro augmento cultûs Divini, in ea fiat latiſſima interpretatio. Secùs dicendum de donationibus profanis, & inter privatos factis, de quibus loquitur Jus Civile, ponens donationem inter contractus ſtricti juris.

Nonnulla alia circa Contractus partim videri poterunt in mea Theologia Morali *Tract. 8. Diſt. 1. & 2.* per totum: partim explicari ſolent *in Libro 3. Decretalium, à Tit. 14.* & ſeqq. 137

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*

Cùm Transactio contineatur ſub Pacto ut ſic, velut ſpecies ſub genere ſuo: meritò poſt Rubricam *de Pactis* generaliter inſcriptam, ſubjungitur præſens Titulus *De Transactionibus*, quem majoris claritatis gratiâ juvat in paragraphos dividere: unde ſit

§. I.

De natura Transactionis, ejúsque requiſitis.

SUMMARIUM.

2. *Transactio largè,*
3. *Et propriè accepta, quid? Et num. ſeqq.*
4. *Non valet, niſi ſit de re dubia; idque declaratur.*
5. *Nec valet ſuper ſententia jam lata.*
6. *Exceptis certis caſibus: & quibus?*
7. *Transactio eſt pactio quædam,*
8. & 9. *Atque contractus onerosus, & innominatus.*
10. *In ea non habet locum pœnitentia, ſicut in alijs contractibus innominatis.*
11. 12. & 13. *Tria requiruntur ad Transactionem; & quæ?*
14. *Quòmodo ipſa differat à Pacto gratuito, & amicabili Compoſitione?*
Compoſitio amicabilis, quæ? Ibid.

2 Quæritur I. Quibus modis ſumatur Transactio, & quid ſit? Reſp. I. Transactio ut ſic ſumitur dupliciter, videlicet largè, ac propriè. Et quidem *Transactio* largè ac impropriè accipitur pro omni actu, quo ab obligatione receditur, & negotium aliquod inter quosdam componitur, ſive id fiat litis componendæ causâ, ſive non. In propoſito tamen ea ſumitur propriè ac ſpecialiter ſeu prout *Transactio* vi nominis idem importat, ac *Tranſitũ* ſive receſsũ *ab actione*. Et ſic de ipſa loquendo,

3 Reſp. II. *Transactio* propriè accepta; eſt de re dubia, & lite incertâ pactio non gratuita. Ita Abbas *ad Rubricam. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 1.* & communis. Atque deſumitut hæc definitio *ex L. 1. ff. h. t.* ubi dicitur: *Qui tranſigit, quaſi de re dubia & lite incerta tranſigit.*

4 Dicitur, *de re dubia*. Nam ſi manifeſtè apparet de calumnia (id eſt, ſi conſtet, litem tantummodò eſſe calumnioſam, & ſine ulla juſta cauſa litigandi ſuſceptam) aut ſi pars tranſigens certò ſciat, nullum ſibi jus in re competere, non valet tranſactio inde ſecuta; & ſi quid eo nomine datum ac receptum fuit, repetitur datum, éſtque reſtituendum non ſolùm in Foro conſcientiæ (quod ex ſe eſſe notiſſimum, inquit Molina *tract. 2. de juſtit. & jur. diſp. 556. n. 1.* eò quòd taliter transigens, ac datum recipiens, nullum juſtum titulũ retinendi habeat) ſed etiam pro Foro externo, *l. In Summa. ff. de Condiction. indebit.* ac tenet Gloſſa *in c. Super eo. ℣. Dato.* & Abbas *ibid. num. 3. h. t.* Pirhing *eod. n. 3.* Molina *cit. n. 1.* qui omnes iſtud intelligunt ex parte Actoris: ſi enim Actor tranſigat, ſciens rem ad alterum pertinere; transactio etiam in Foro externo ipſo jure eſt nulla, juxta *cit. l. In Summa.* Quòd ſi autem Reus transigat, ſciens rem certò ad Actorem pertinere, tunc quidem transactio in Foro exteriori non eſt ipſo jure nulla, Actore tamen inſtante eſt reſcindenda per actionem, & replicationem doli; uti deſumitur *ex l. Sub prætextu inſtrumentorum. C. de Transact.* & tradunt proximè citati Authores. In dubio tamẽ tranſactio præſumitur valida. Ciarlinius *Controv. For. cap. 219.* Pasqual. *De patria poteſt. p. 1. c. 2. n. 4.* ubi Pratus *Annot. ad num. 4.* Rota poſt Paiatellum *Deciſ. 41. & 42.*

Dici-

Dicitur ulteriùs, *& lite incerta.* Quia, ſi priùs fuit lata à judice ſententia, hæcq; nemine appellante tranſijt in rem judicatam, nō valet tranſactio ſuper ea. Gloſſa *in cit. c. Super eo. ℣. Dato. h. t.* Abbas & alij. Nam res judicata, pro veritate accipitur, *l. Res judicata. ff. de Reg. Jur.* Unde *in l. Eleganter. ff. de Condict. indebit.* rectè dicitur: *Si poſt rem judicatam quis tranſegerit, & ſolverit, repetere poteſt; idcircò, quia placuit, tranſactionem nullius eſſe momenti.* Concordat textus apertus *in l. Si cauſa. C. de Tranſactionib.*

Intellige, niſi forſan ignoraretur, aut incertū foret, an judicatum ſit, vel an ſententia valeat. ut puta, ſi pars adverſa idipſum neget allegatâ aliquâ probabili cauſâ, quæ non contineat manifeſtam calumniam: tunc enim adhuc lis ſubeſſe cenſeretur, ſicque tranſactioni locus foret, *cit. l. Eleganter. ſ. Si poſt rem. & l. Poſt rem judicatam. ff. h. t.* ac notat Bartolus *hîc ſ. Videamus.* Idémq; dicendum, quando à ſententia per Judicem legitimè latâ fuit appellatum: nam appellatio ſuſpendit ſententiam, ſicque eâ interpoſitâ lis nondum eſt finita, ſed adhuc durat, *d. l. Eleganter. ſ. Si poſt rem.* Vel quando adversùs ſententiam latam petitur remedium reſtitutionis in integrum; ut fieri poteſt, ſi Eccleſia, vel Minorennis graviter lædatur: quia etiam tunc lis evadit incerta, ſicque tranſigi poteſt, *arg. cit. l. Si cauſa. C. h. t.*

7 Dicitur tandem in definitione tranſactionis, *Pactio.* Quæ particula ſtat locò generis: nam omnis tranſactio eſt quædam pactio, ſeu pactū, *c. Veniens. 8. h. t.* non verò econtrà, cæteræ autem particulæ ſtant locò differentiæ. Additur tamen, *non gratuita*: quia tranſactio fit aliquo dato, & retento, *c. Super eo. 7. h. t.* ac per hoc differt ab amicabili compoſitione, prout ampliùs patebit ex dicendis *num. 14.*

Quæritur II. Qualis contractus ſit Tranſactio?
8 Reſp. I. Tranſactio eſt contractus oneroſus, & innominatus, *Facio ut des, do ut facias* &c. hoc eſt, *Abſtineo à lite, ut des; Do, ut abſtineas à lite, & jus omne, quod in re litigioſa prætendis, mihi cedas, &c.* Ita communis. Et quidem, quòd Tranſactio ſit contractus oneroſus, ex eo liquet: quia eſt pactio non gratuita, nec fit niſi aliquo hinc inde dato, ac retento. Quod autem ea ſit contractus innominatus, patet *ex L. 1. §. Conventionis. ff. de Pactis*; ac tradit Gloſſa magna *in l. Sive apud acta. C. de Tranſact.* & Bartolus *ibid. §. Quæro ſecundò.* & Jaſon *num. 8.* aſſerens, hoc eſſe veriſſimum.

Concordant dicta ſuperiùs *Tit. præc. §. 5. n.*
9 *109. & 110.* ubi in ſimili dictum eſt, quòd Permutatio ſit contractus īnominatus, haud obſtante, quòd videatur habere proprium nomen, ac ſub ſpecialibus Titulis de ea in utroque Jure agatur: quia videlicet *Permutatio* eſt nomen generis, non ſpeciei, cùm iſtud pluribus ſpecie diſtinctis contractibus ſit comune. Nam pariter *Tranſactio* eſt nomen generale ad omnem ſpeciē finiendæ obligationis, ut inquit Jaſon in *l. de Fideicommiſſo. n. 8. C. h. t.* & ſive de re dubiâ, aut lite incertâ, fiat pactio non gratuita mediante venditione aliqua, ſive interveniente locatione, aut donatione, ſemper retinetur nomen *Tranſactionis.*

Dices. In contractibus innominatis habet lo- 10
cum pœnitentia, ut dictum *Tit. præc. §. 5. num. 112.* Atqui in tranſactione non habet locum pœnitentia, ut eſt textus expreſſus *in l. Quamvis eum. C. h. t.* ergo tranſactio non eſt contractus innominatus. Reſp. Majorem procedere regulariter, nihilominùs regulam illam ſuas pati limitationes. Ac præſertim in Tranſactione hoc eſt ſpeciale, ut licet ſit contractus īnominatus, & res ſit integra, tamen non detur locus pœnitentiæ: idq; meritò ſtatutum fuit ob bonum pacis, atque ad præſcindendas lites, ne videlicet lis ſemel per tranſactionem extincta, denuò inſtauretur. Jaſon *in d. l. Quamvis eum. n. 1.* hoc intelligens nō ſolùm de tranſactione, quæ tendit ad liberandum, ſed etiam de illa, quæ tendit ad obligandum, *l. Si ſuper poſſeſſione. C. h. t.* Concordat textus *in l. Fratris tui. & l. Sub prætextu. C. eod.* In quo poſteriori loco additur, quòd tranſactio bona fide facta, etiam ſub prætextu inſtrumenti de novo reperti, non poſſit reſcindi.

Quæritur III. Quæ requirantur ad Tranſa- 11
ctionem? Reſp. Tria ad eam requiruntur, ut patet ex ejus definitione ſuperiùs allata. I. Ut fiat de re dubia. Et per hoc inter alia differt Tranſactio à Pacto: nam pactum poteſt eſſe etiam de re certa & indubitata, quam quis donat, remittit vel permutat; tranſactio autem non datur, niſi in re dubia. Unde illi vulgati verſiculi apud Gloſſam *ad Rubricam hujus Tituli.*

Incertâ de re tranſactio dicitur eſſe:
Sed fiunt certæ pacta favore rei.

II. Ad tranſactionē requiritur, quòd fiat ſuper 12
lite incerta; prout liquet ex data ejus definitione, ac *cit. L. 1. ff. de Tranſact.* Quia tranſactio vi nominis importat tranſitū, ſeu receſſum ab actione, ut *num. 2.* dictum; ac proin propriè accepta non ſit de qualibet re dubia, ſed de re dubia propter litem motam, vel ſaltem movendam: ut quando timetur lis circa aliquam rem oritura, ſicque partes ad eam dirimendam anteà inter ſe tranſigunt. *l. Eleganter. Si quis poſt. ff. de Condict. indebit.*

III. Ad tranſactionem requiritur, quòd non 13
fiat gratìs, ſed aliquo hinc inde dato & retento, promiſſo vel remiſſo. Et hæc conditio indicatur in definitione tranſactionis per illa verba, *Pactio non gratuita.* Spectátque ad ejus ſubſtantiam, ut colligitur tum *ex c. Super eo. 7. h. t.* tum *ex l. Tranſactio. C. eod.* ubi dicitur: *Tranſactio nullo dato vel retento, ſeu promiſſo, minimè procedit.*

Et per hoc ampliùs ſecernitur Tranſactio à 14
Pacto gratuito: ſimúlq; ea differt ab amicabili Compoſitione, utpote per quā gratìs, ſive nullo hinc inde dato & retento, promiſſo vel remiſſo, ſicq; prorſus amicabiliter à lite receditur; prout notat Abbas *in c. Super eo. num. 2. h. t.* id probans ex textu dicti Capituli. Quamvìs his non obſtantibus Compoſitio in largiori ſignificatione quandoq; pro Tranſactione ſumatur, & econtrà Tranſactio pro amicabili Compoſitione; ut *c. Ex litteris. 6. & c. Veniens. 8. h. t.* ac notat Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 4.*

§. II.

§. II.

De rebus, ſuper quibus poteſt, vel non poteſt fieri Transactio.

SUMMARIUM.

15. *De quibus generatim poſſit fieri transactio? Et n. ſeqq.*
Ea nequit fieri in ijs, quæ deviant à Jure naturali, vel Divino. Ibid.
16. *Nec in illis, de quibus Jure humano prohibitum eſt tranſigere.*
17. *Transactio eſt ſalubris.*
Commendatur ille, qui execratur lites. Ibid.
18. *Transactio nequit fieri, niſi ſuper re dubiâ.*
19. *Super matrimonio nequit fieri transactio, nec amicabilis compoſitio.*
20. *Quando per eam aliquid fieret contra vinculum matrimonij: aliàs ſecùs.*
21. *In Sponſalibus de futuro valet transactio.*
22. *Super relictis in Teſtamento non poteſt tranſigi, niſi hoc anteà inſpecto &c.*
23. *Benè tamen ſuper inſtrumentis, & contractibus inter vivos.*
24. *Etiam ibi ad valorem transactionis ſufficit, quòd partes ſciverint tenorem teſtamenti, licèt iſtud non inſpexerint.*
25. *Super alimentis in ultima voluntate relictis non valet transactio, niſi causâ cognitâ, & accedente authoritate Judicis.*
26. *Dummodò non intervenerit juramentum.*
27. *Et dummodo exinde conditio alimentarij fiat deterior: ſecùs, ſi melior.*
28. *De alimentis præteritis tamen liberè poteſt tranſigi.*
29. *Sicut & de alimentis non mortis cauſa donatis, vel conſtitutis.*
30. *De Jure Civili licitum eſt transigere de quolibet crimine capitali.*
Et ſanguinem ſuum quoquo modo redimere. Ibid.
31. *Excepto crimine Adulterij; & cur hoc?*
32. *De criminibus verò non capitalibus tranſigere non licet.*
33. *Niſi ſuper crimine Falſi.*
34. *An etiam ſpectato Jure Canonico licitum ſit transigere ſuper crimine? Refertur ſententia negativa.*
35. *Affirmativa ſententia eſt probabilior.*

15 QUæritur. I. De quibus generatim poſſit fieri Transactio? Reſp. I. Generatim loquendo de omnibus rebus dubijs, & litibus incertis, licitum eſt tranſigere, præterquàm ijs, de quibus id Jure prohibitum reperitur. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 3.* cum comuni. Et quidem conſtat, transactionem non valere in ijs, quæ deviant à Jure naturali vel Divino, aut ubicunque ex transactione, vel compoſitione committeret quis peccatum mortale, ſive in eo remaneret; ut notat Abbas *cap ult. n. 10. h. t.*

16 Inſuper non valere transactionem ſuper ijs, de quibus Jure poſitivo humano prohibitum eſt tranſigere, patet ex eo: quia pacto privatorum Juri publico minimè derogatur, *c. Si diligenti. de Foro compet. & l. Jus publicum. ff. de Pactis.* Atque, ut habet Reg. 64. Jur. in 6. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, cum ſimilibus.

17 Verùm quòd de omnibus alijs rebus dubijs, ac litibus incertis, licitum ſit tranſigere, deſumitur *ex cap. 1. h. t.* Ubi transactio ſatis comendatur, dum dicitur eſſe *ſalubris*: ſicque ob bonum pacis, & comunem tranquillitatem Reipublicæ, locum habere poteſt, ubicunq; non reperitur prohibita. Unde etiam Juris-Conſultus commendat eum, qui execratur lites, magiſque vult recarere, quàm ſuper ea litigare, *l. Item ſi res. §. fin. ff. de Alienat. judic. mutand. cauſ. & l. Illud quoque. ff. de Tributor. action.*

Reſp. II. Certum nihilominùs eſt, quòd generaliter transactio fieri non poſſit, niſi ſuper re dubia, de qua timetur lis movenda, ac lite incertâ. Patet enim hoc ex ipsâmet Transactionis definitione, ac dictis ſuprà §. 1. *num. 4. & 11. & 12*, ubi hoc ipſum ampliùs probatur, atque allatis exemplis declaratur. Verùm loquendo de nonnullis rebus in ſpecie, 18

Quæritur II. An ſuper Matrimonio poſſit fieri transactio, vel ſaltem amicabilis compoſitio? Reſp. Negativè; & habetur clarè decíſum *in cap. ult. h. t.* Ratio eſt: quia cauſæ matrimoniales ſunt definiendæ ſecundùm Legem Divinam, & Canonicas Sanctiones: &, ſi matrimonium ſemel legitimè contractum fuit, jam ampliùs diſſolvi non poteſt; ſi verò illegitimè, ſive cum impedimento dirimente, ſolâ partium transactione, aut amicabili compoſitione reconciliari nequit. 19

Cæterùm hoc dictum intellige, quando per transactionem, vel compoſitionem amicabilē aliquid fieret cōtra vinculū matrimonij, ut puta quòd quis legitimâ uxore dimiſſâ poſſit remanere cum ſecunda: nā hoc nullatenus eſt licitū. Gloſſa *in cit. cap. ult. ℣. Sacramentum. h. t.* Secùs, ſi pro matrimonio fieret compoſitio: ut ſi illud ex defectu conſensûs (vel ob aliud impedimentū, ſuper quo tamen poſtmodùm legitima diſpenſatio eſt obtenta) ab initio fuit nullum: nam poſſunt partes, ſuper hoc contendentes, ſeſe amicabiliter componere ad contrahendum de 20

novo;

novo; imò & Judex poteſt eas inducere ad ſic contrahendum, ubi nullum ſubeſt impedimentum, licèt ipſas nolentes cogere nequeat. Abbas *in d. cap. ult. n. 8. h. t.* & alij.

11 Inſuper in Sponſalibus de futuro, quando ea ab una parte aſſeruntur, ab altera verò negantur, valet transactio aut amicabilis compoſitio, per quam ea ratificantur, vel mutuo conſenſu diſſolvuntur. Dependent enim ex libero contrahentium aſſenſu, vel diſſenſu; ſicq; in Sponſalibus locum habet textus *cap. 1. de Reg. Jur.* ubi dicitur: *omnis res, per quascunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur.*

12 Quæritur III. An ſit licitum tranſigere ſuper relictis in Teſtamento, vel Codicillo? Reſp. I. De relictis in Teſtamento, vel Codicillo, aliter tranſigi non poteſt, quàm inſpectis cognitisque verbis illius. Ita expreſſum habetur *in l. De ijs. ff. de Transact. & L. 1. ff. Quemadmodùm teſtamenta &c.* ubi inſuper ad hoc requiritur authoritas Judicis. Atque ita ſaluberrimè conſtitutum fuit ex duplici ratione. Primò, in odium hæredum Teſtamenta occultantium: prout notat Gloſſa *un. in d. l. De ijs.* & Bartolus *ibid.* §. *Secundò opponitur. ff. de Tranſaction.* Secundò, tum ob privatam utilitatem eorum, quibus aliquid teſtamento relictum fuit, tum propter favorem publicum, in eo conſiſtentem, ut ultimæ Defunctorum voluntates ſuum ſortiantur effectum, executionique mandentur, *l. Vel negarc. ff. Quemadmod. teſtament. aperiant.* Bartolus *loc. cit.* Rota *Deciſ. 226. n. 5. coram Merlino*, & alij. Siquidem transactiones ſuper relictis in Teſtamento anteà non inſpecto, ſunt captioſæ; cùm facilè quis inducatur, ut modico incontinenti ſibi porrecto repudiet magna, quæ necdum cognovit, ſibique obvenirent ex laboribus alienis per ultimam voluntatem decedentis.

13 Notandum tamen, quòd præſens Concluſio, ſimúlq; allegata Conſtitutio *cit. l. De ijs. ff. de Transact.* locum duntaxat habeat in Teſtamentis, aliiſque ultimis voluntatibus, de quibus loquitur, ob rationes proximè dictas; non item in inſtrumentis, atq; contractibus inter vivos celebratis: quoad contenta in iſtis ſuſtinetur transactio, etiã non inſpectis verbis illorum. Gloſſa *un. in cit. l. De ijs.* & Bartolus *ibid.* §. *Secundò opponitur.* & Jaſon *n. 1.* Rota *ubi ſuprà, n. 5. & 6.* cum alijs.

14 Deinde loquendo etiam de Teſtamentis, & alijs ultimis voluntatibus, ſufficit ad valorem transactionis, quòd partes ſciverint tenorem Teſtamenti, forſan à Notario vel teſtibus ſibi relatum, etiamſi ipſum circa hoc non inſpexerint. Nec obſtat, quòd textus *in cit. l. De his*, expreſsè dicat, tranſigi non poſſe, *quàm inſpectis cognitisque verbis teſtamenti.* Nam etiam ille dicitur inſpicere, qui ſcit, *l. Incivile. & l. Scire. ff. de Legib.* Cenſetur enim ſciens inſpicere oculis intellectualibus. Bartolus, *ubi ſuprà.* §. *Quæro extra Gloſſam.* Jaſon *loc. cit. num. 15.* iſtud confirmans ex eo: quia aliàs ſequeretur, quòd ſi Teſtamentum non eſſet ſcriptum, nunquam poſſet tranſigi de relictis in illo; quod eſt abſurdum. Alexander *Conſil. 11. num. 13. vol. 2.* Rota *cit. Deciſ. 226. coram Merlino, n. 3. & 4.* citans alios.

Reſp. II. Etiam ſuper alimentis ex ultima voluntate relictis nõ valet transactio, niſi fiat causâ cognitâ, & authoritate Judicis interveniente. Textus eſt *in l. Cùm hi. §. 1. ff. de Transact.* ubi Bartolus, Jaſon, & cõmunis aliorum. Ratio eſt eadem, quæ ſuprà *n. 12.* aſſertur: nam etiam talis transactio foret captioſa, cùm illi, quibus alimenta in debita quantitate pro ſua congrua ſuſtentatione ex teſtamento relicta fuerunt, iſtud adhuc ignorantes facilè inducerentur ad tranſigendũ ſuper minori quantitate, veluti contenti modico præſenti, & inſperatò eis obveniente. 25

Atque hæc Concluſio procedit imprimis in transactione de alimentis Teſtamento relictis, quando non interceſſit juramentũ. Nam, quòd ejusmodi transactio, etiam abſque authoritate Judicis facta teneat, validáque efficiatur, ſi juramento à tranſigentibus fuerit firmata, tradit Imola *in c. Cùm contingat. n. 95.* & Abbas *ibid. n. 30. de Jurejur.* Covarruvias *part. 2. in c. Quamvìs pactum.* §. *6. n. 12.* Fachineus *lib. 3. Controv. Jur. cap. 21.* Ciarlinius *Controv. For. cap. 102.* Surdus *de Alimentis, tit. 8. privileg. 56. n. 59.* & alij. Siquidem obſervatio dicti juramenti nõ vergit in diſpendium ſalutis æternæ, neque in alterius redundat detrimentum; ac proinde ob reverentiam Divini Nominis, ne in vanum aſſumatur, perjuriiq; reatus incurratur, eſt obſervandum; prout in ſimili habetur deciſum *in c. Cùm contingat. 28. de Jurejurand. & c. Quamvìs. de Pactis. in 6.* 26

Deinde data Concluſio eſt intelligenda de tali transactione, per quam conditio Alimentarij fit deterior: nam ſecùs, ſi melior; prout *in cit. l. Cùm hi. §. Eam transactionem. ff. de Transaction.* expreſsè ſubjungitur. Et ratio eſt: quia in prohibita transactione ſuper relictis in ultima voluntate alimentis, Jura ſpecialiter conſiderârunt favorem Alimentarij, & grave damnum ipſius, quod incurrere poſſet ex ſubtractione alimentorum, ſi forſan incautiùs ſuper minori quota tranſigeret, ſicque ex defectu neceſſariorum vitæ mori cogeretur: atqui hoc periculum ceſſat, ubi fit melior conditio Alimentarij, hoc eſt, illius, cui relicta ſunt alimenta; ergo. 27

Inſuper Concluſio intelligenda eſt de alimentis futuris. Nam de alimentis præteritis, ſeu quæ hæres gravatus nondum præſtitit Legatario alimentando, pariter liberè poteſt tranſigi, *l. De alimentis. C. h. t.* Et meritò: quia tunc ceſſat prædictum periculum vitæ; cùm ille, cui alimenta legabantur, interim aliunde jam ſufficienter alitus fuiſſe ſupponatur, ſicque alimenta illa præterita non ampliùs veniant nomine alimentorum, ſed cedant in purum & ſimplex debitum. Engel *h. t. n. 9.* & alij. 28

Rurſus, quòd ſuper alimentis, quæ non mortis causâ fuerunt donata, vel quæ aliquis inter vivos ſibi conſtituit, liceat etiam ſine Prætoris ſeu Judicis authoritate tranſigere, textus eſt *in cit. l. Cùm hi. §. 1. ff. h. t.* ac notat Gloſſa *in caſu, & DD. ibid.* Siquidem tunc ceſſat tum favor ultimarum 29

marum voluntatum, tum periculum ac præſumptio captionis; cùm quilibet benè tunc ſibi proſpicere cenſeatur, non minùs, ac in alijs contractibus inter vivos celebratis.

30 Quæritur IV. An ſit licitum tranſigere ſuper crimine, dando videlicet Adverſario ſuo pecuniam, vel aliud pretio æſtimabile, ut ab accuſatione ejus deſiſtat. Reſp. I. Spectato Jure Civili licitum eſt de quolibet crimine capitali (excepto adulterio) tranſigere, ſeu paciſci; non item de alijs criminibus publicis, præterquàm de crimine Falſi. Ita deſumitur (nonnullis tamen apud Fachineum *lib. 1. Controverſ. Juris, cap. 8.* diſcordantibus) ex *l. Tranſigere. 18. C. h. t.* ibi: *Tranſigere, vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt; in alijs autem publicis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra Falſi accuſationem.* Hæc ibi: ubi Gloſſa finalis allegat illos antiquos verſiculos.

Sanguinis in pœnis (niſi mœchus) tranſigit omnis:
In cæteris nulli liceat, niſi crimine Falſi.

Ratio primæ partis ulterior eſt: quia licitum eſt unicuique ſanguinem ſuum quoquo modo redimere. *L. 1. ff. de Bonis eorum, qui ante ſententiam &c.* ubi dicitur: *Ignoſcendum Principes conſueverunt ei, qui ſanguinem ſuum qualitercunque redemptum voluerit.* Nec immeritò id Principes temporales cenſuerunt, quia nihil in hoc Mundo pretioſius eſt vitâ.

31 Excipitur autem in data Concluſione crimen Adulterij, non obſtante, quòd de Jure Civili ſit capitale, *l. Quamvis. 30. C. ad Leg. Juliam. de adulterijs*, ibi: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Quem tamen textum Doctores comūniter intelligunt de adulterio duplicato, vel de adulterio ſæpiùs repetito, id eſt, de quo Reus jam ſemel punitus eſt. Ratio autē dictæ exceptionis eſt frequentia hujus criminis: ſimúlq; ut evitetur nota dedecoris ex parte conjugis innocentis, ejúſque conſanguineorum; atque impediantur alia mala, putà cædes, inimicitiæ, ſucceſſio filij ſpurij in bonis conjugis innocentis.

32 Altera pars datæ *n. 30.* Concluſionis, loquens de alijs criminibus publicis (id eſt, quorum accuſatio cuilibet etiam plebeio competit) non capitalibus, ex eo ſuadetur. Tum quia hìc ceſſat periculum capitis & ſanguinis, adeóque tranſigens excuſationem non meretur. Tum quia bonum commune Reipublicæ poſtulat, ne crimina maneant impunita. Quinimò Reus circa crimen non capitale tranſigens, habetur pro confeſſo, *L. ult. ff. de Prævaricat. & L. 5. ff. De ijs, qui notantur infam.* ubi dicitur: *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur.*

33 Excipitur tamen hinc in dicta Concluſione crimen Falſi: nam ſuper hoc de Jure Civili ſemper licitum eſt paciſci, non ſolùm, quando irrogat pœnam ſanguinis, ſed etiam quando eam nō irrogat. Textus & Gloſſa *fin.* & DD. *in cit. l. Tranſigere. C. h. t.* Ratio eſt: quia crimen Falſi valdè gravem infamiam irrogat, & condemnatus de Falſo quaſi mortuus habetur, cùm nulla fides ampliùs ei adhibeatur: unde hæc pœna æquiparatur pœnæ ſanguinis, *arg. l. Juſta cauſa. ff. de Manumiſſis vindicta*, junctâ Gloſſâ. 1. *ibid.* ac notat Jaſon *in cit. l. Tranſigere. n. 8.*

34 Reſp. II. Utrùm etiam ſpectato Jure Canonico licitum ſit tranſigere ſuper crimine, ne videlicet quis de eo accuſetur, variant Doctores. Et quidem ſententiam negativam tenet Gloſſa *in can. Si quem. 2. q. 3. ℣. In omnibus.* Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 5.* & Jaſon *in l. Tranſigere. n. 4. C. h. t.* cum pluribus alijs à ſe allegatis: quia (inquiunt) de Jure Canonico nunquam pro aliquo delicto imponitur pœna ſanguinis, *arg. can. His à quibus. 23. q. 8.* & ſic ceſſat ratio *n. 30.* allegata.

35 Verùm oppoſita, ſeu affirmativa ſententia eſt probabilior, eámque tenet Abbas *in cap. 1. n. 8. de Colluſion. detegend.* cum alijs. Siquidem habemus aliquas pœnas de Jure Canonico quaſi ſimiles pœnæ capitali, quando videlicet poteſt quis tradi Curiæ ſæculari, vel ubi venit imponenda pœna perpetui carceris. Quia igitur in crimine Falſi, non obſtante, quòd pœnam capitalem, aut ſanguinis non inducat, tranſigere licet (juxta proximè dicta) eò quòd infamia, quā inducit, æquiparetur pœnæ ſanguinis; ergo ſpectato Jure Canonico idem dicendū de illis criminibus, quæ proximè dictas pœnas inducunt, cùm hæ æquiparentur pœnæ mortis. Adde dicta in ſimili *Tit. 29. De Officio & poteſtate Judicis Delegati, §. 1. n. 25. & 26.*

§. III.

De Tranſactione ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, aliiſque rebus ſpiritualibus.

SUMMARIUM.

36. *Tranſactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, dato ac retento aliquo temporali, nequit fieri.*
37. *Si datur ſpirituale pro ſpirituali, tunc in ſpiritualibus locum habet tranſactio.*
38. *Loquendo de re ſpirituali quoad ejus proprietatem.*
39. *Secùs, ubi agitur de Beneficio Eccleſiaſtico quoad titulum.*

49. *Amiſ*

40. Amicabilis compoſitio, quomodo poſſit fieri ſuper Beneficio Eccleſiaſtico? Et num. ſeqq.
41. & 42. An, & quando in ea debeat intervenire authoritas Superioris?
43. Transactio ſuper ſpirituali ſubjectione, an valeat?
44. Quid, ſi Superior gratis eximat Eccleſiam reſervatâ in ſignum ſubjectionis annuâ penſione?
45. Transactio ſuper annexis ſpirituali, v. g. ſuper Jure patronatûs, non valet, ſi fiat interveniente temporali.

Quæritur I. An ſit licita Transactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, alijsque rebus ſpiritualibus? Reſp. I. Transactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, vel alia re ſpirituali, de qua litigatur, interventu rei temporalis viciſſim datæ, remiſſæ vel promiſſæ, fieri nequit absque labe ſimoniæ; benè tamen gratuita, & amicabilis compoſitio. Ita communis; & habetur expreſſum in *c. Super eo. 7. h. t.* ibi: *Tranſigi ſuper re ſacra, & litigioſa non poteſt: etenim res ſacræ, ut poſſideantur aliquo dato vel retento, ſive promiſſo, ſpeciem credimus habere ſimoniæ. Aliàs ſi gratis & amicabiliter inter ſe litigantes componant, ſacris Canonibus nequaquam dicimus obviare.* Concordat textus in *c. Conſtitutus. 4. h. t.* ubi pariter transactio ſuper Beneficio facta, etiam cum juramenti interpoſitione, reprobatur, atque irrita declaratur veluti ſpeciem continens ſimoniæ, cum ſimilibus.

7 Reſp. II. Nihilominùs in ſpiritualibus non ex toto reprobatur transactio, ſed tunc, cùm temporale datur pro ſpirituali: ſecùs, ſi datur ſpirituale pro ſpirituali; ut putà, ſi Decimæ litigioſæ pro parte per transactionem dividantur, vel ſi Clerici pro jure decimandi controverſo ſeſe obligent ad miniſtranda Sacramenta, & hujusmodi. Ita communis: quia tunc ceſſat ratio ſimoniæ. Idem patet ex eo: quia ſpiritualia poſſunt ad invicem permutari, *c. Ad quæſtiones. de Rerum permut.* ergo pariter in eisdem tranſigi poteſt.

8 Verùm Gloſſa *in c. Super eo. ℣. Super re ſacra. h. t.* & Abbas *ibidem* notabilem afferunt datæ Concluſionis limitationem, atq; inter ipſa ſpiritualia diſtinctionem. Aiunt enim, allatam doctrinam procedere, quando agitur, ſeu contenditur de re ſpirituali quoad ejus proprietatem; ut quando oritur controverſia ſuper decimis, & jure patronatûs, aut quando Prælati litigant ſuper Eccleſia quadam, ejúsque proprietate: tunc enim poterit intervenire transactio, compenſando unam rem ſpiritualem largitione, vel ceſſione alterius rei ſeu juris ſpiritualis proportionati.

39 Secùs eſt dicendum, quando agitur ſuper Beneficio Eccleſiaſtico quoad titulum, ſeu ut quis recipiatur ad Beneficium, vel Prælaturam aliquam: nam tunc transactio privatâ authoritate (niſi videlicet accedat Superioris authoritas, juxta dicenda *n. 42.*) intervenire non poteſt etiam dando, vel remittendo aliud ſpirituale. Ratio eſt: quia titulus Beneficij non poteſt acquiri per transactionem, ſed ſolùm authoritate Superioris, ac per Canonicam inſtitutionem, ut *c. Ex frequentibus. 3. de Inſtitut. & cap. 1. de Reg. Jur. in 6.* ibi: *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione Canonicâ obtineri*, cum concordantijs. Et ob hanc etiam cauſam illicita eſt permutatio Beneficiorum, ſeu Præbendarum, ſi fiat authoritate privatâ; de quo plura ſuperùs *Tit. 9. De Renunciatione. §. 4. n. 82. & ſeqq.* Sed mox

Quæritur II. Quomodo ſuper Beneficio Eccleſiaſtico poſſit fieri amicabilis compoſitio, 40
juxta *cit. c. Super eo. h. t.* quod expreſsè loquitur *de Beneficio Eccleſiaſtico in litigium deducto*, prout patet ex ejus initio? Ratio dubitandi deſumitur ex proximè dictis: quia Beneficium Eccleſiaſticum licitè non obtinetur ſine inſtitutione canonica; ergo neque per amicabilem compoſitionem.

Reſp. cum Abbate *in cit. c. Super eo. n. 2. h. t.* 41
& alijs, id imprimis fieri poſſe, ſi partes conveniant, ut aliqui periti videant jura partium, quorũ conſilio promittant acquieſcere: vel, ſi unus ad preces alterius vult diſcedere à lite, tanquam jus non habens. Et quidem in hujusmodi compoſitione amicabiliter & gratìs facienda ſuper Beneficio, non requiritur authoritas Superioris: niſi forſan alter per talem compoſitionem dimittat Beneficium à ſe poſſeſſum, in quo caſu vel de neceſſitate, vel ſaltem pro majori ſecuritate, adhibendam eſſe authoritatem, jam ſuprà *Tit. 9. De Renunciatione. §. 1. num. 18. & 19.* dictum fuit.

Deinde lis Beneficiaria per amicabilem compoſitionem ita ſopiri poteſt, ut ex una parte re- 42
tento Beneficio, alteri parti detur aliud Beneficium, dummodò Superioris authoritas accedat; non obſtante, quòd conventio à partibus initium cœperit. Ratio eſt: quia unum ſpirituale pro alio ſpirituali commutare, ſuâpte naturâ ſimoniacum non eſt; quamvis talis pactio circa Beneficia, & penſiones Eccleſiaſticas, ſi privatâ authoritate fiat, tanquam illicita, & habens ſpeciem ſimoniæ, Jure Eccleſiaſtico meritò prohibeatur, *c. Quæſitum. de Rerum permutat.* cum ſimilibus; eſtque uberiùs dictum ſuperiùs *cit. Tit. 9. De Renunciatione. §. 4.* fermè per totum.

Quæritur III. Utrùm valeat tranſactio ſuper 43
ſpirituali ſubjectione? Reſp. I. Tranſactio ſuper ſpirituali ſubjectione, ſi fiat dato vel remiſſo aliquo temporali irrita eſt, atque ſimoniaca. Ita communis; & patet *ex c. Præterea quartò. 10. h. t.* ubi transactio illa, per quam Capella pro exemptione à ſubjectione Matricis Eccleſiæ tenebatur ſolvere quendam añuum cenſum, judicatur iniquitatem ſimoniacam continere, ac proinde nõ valere. Reverà enim talis ſubjectio eſt quid ſpirituale, atque ad jurisdictionem Eccleſiaſticam pertinens; ſicque causâ litis ſopiendæ nequit remitti ſub pacto recipiendi añui cenſûs, qui eſt quid temporale. Secùs foret, ſi transactio ſuper ſubjectione ſpirituali fieret dato, remiſſo, aut re-

tento aliquo ſpirituali. Abbas *in cit. c. Prætereà quartò. num. 2.* & patet ex dictis ſuprà *num.* 37. *&* 38.

44 Deinde, quando Superior ſimpliciter & gratis vult Eccleſiam ſibi ſubjectam eximere, poteſt nō quidem prætextu alicujus tranſactionis, ſed in ſignum ſubjectionis retinere penſionem Eccleſiæ majori annuatim ſolvendam, abſolvendo eam ab alia ſubjectione; ut *c. Conſtitutus. 6. de Religioſ. Domib.* ac notat Gloſſa *in d. c. Prætereà quartò. v. Cenſum.* & Vivianus *ibid. h. t.*

45 Reſp. II. Inſuper ſuper rebus ſpirituali annexis, v. g. ſuper Jure patronatûs, non valet tranſactio, ſi fiat interveniente aliquo temporali. Ita Jo. Andreas, & Abbas *in c. Prætereà quando. 9. h. t.* Barboſa *ibid. in Collectan. n. 1.* Vivianus *de Jure patronat. part. 2. lib. 9. cap. 3.* Ciarlinius *Controv. Forenſ. cap.* 107. & alij. Idque deſumitur imprimis ex textu *cit. c. Prætereà quando. h. t.* ubi Papa conſultus reſpondet, quòd tranſactio facta ad ſopiendam litem, ortam ſuper Jure patronatûs, non valeat, vi cujus Laicus obtineat jus præſentandi, & Clerici novam vel majorem portionem, ſive cenſum in Eccleſiâ percipiant. Accedit ratio: quia etiam talis tranſactio videtur ſimoniaca: Simonia enim committitur non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in ijs, quæ ſunt annexa ſpiritualibus; ut *can. Si quis objecerit. 1. q.* 3. cum ſimilibus: nam de connexis idem eſt judicium, *arg. c. Tranſlato. de Conſtitut.* & ampliùs declarat Gloſſa magna ibidem. Sic autem Jus patronatûs v. g. eſt quid ſpirituali annexum: unde nec poteſt per ſe vendi, *c. de jure. 16. de Jure patronat.*

§. IV.

De effectibus Tranſactionis, ejúsque obligatione, ſi fiat per Prælatum de rebus Eccleſiæ.

SUMMARIUM.

46. *Effectus ſpiritualis, & primarius Tranſactionis eſt, imponere finem litibus.*

47. *Per eam tolluntur omnes actiones, obligationes, probationes, inſtrumenta, & jura in contrarium militantia.*

48. *Nequit invitâ alterâ parte revocari ob Reſcriptum Principis, vel ex prætextu inſtrumentorum de novo repertorum.*

49. *Tranſactio extenditur ad connexa & acceſſoria, imò & ad ignota, & quando?*

50. *Alter tranſactionis effectus eſt, parere exceptionem litis finitæ.*

51. *Solvitur inſtantia.*

52. *Tranſactio an poſſit reſcindi ob læſionem ultra dimidium. Et num. ſeqq.*

53. *Eccleſia, vel Minorennis, poteſt petere beneficium reſtitutionis in integrū, ſi in tranſactione graviter lædatur.*

54. & 55. *Graviter lædens alterū in tranſactione, tenetur in Foro conſcientiæ ad reſtitutionem; & in Foro externo datur actio de dolo, ac reſcinditur tranſactio; quando dolus ex propoſito interveniſſe probatur.*

56. *Probabilius eſt, quòd tranſactio etiam bonâ fide hinc inde celebrata, reſcindi poſſit ob læſionem ultra dimidium. Et num. ſeqq.*

57. *Idq; probatur multipliciter. Et num. ſeqq.*

58. *In Jure dolus ex propoſito, & dolus re ipsâ æquiparantur.*

59. *Læſio ultra dimidium aliter æſtimatur in venditione, & aliter in tranſactione.*

60. & 61. *Proponuntur, & ſolvuntur rationes in oppoſitum.*

62. *Tranſactio eſt ſpecies alienationis, nec fieri poteſt de rebus Eccleſiæ immobilibus aut pretioſis, abſque ſolemnitatibus Juris.*

63. *Tranſactio per Prælatum, vel Rectorem Eccleſiæ facta ſine conſenſu Superioris, non obligat Succeſſorem, ſed ſolum tranſigentem.*

64. *Secùs, ſi fuerit confirmata ex certa ſcientia per Sedem Apoſtolicam.*

46 QUæritur I. Qui ſint effectus Tranſactionis? Reſp. I. Præter obligationem naturalem, quæ eſt cōmunis omnibus pactis legitimè celebratis, juxta dicta *Tit. præced.* §. 1. *n.* 27. *& ſeqq.* effectus ſpecialis, ac primarius Tranſactionis eſt, imponere finem litibus motis, vel movendis. Ita cōmunis; ac deſumitur tum ex *cap. 1. h. t.* tum ex *l. Fratris tui. C. h. t.* ibi: *Nullus etenim erit litium finis, ſi à tranſactionibus bonâ fide interpoſitis cæperit facilè diſcedi*: cum ſimilibus.

47 Infertur proinde, quòd omnes actiones & obligationes in judicio deductæ, ac probationes earum, omniaq; inſtrumenta, & alia jura partiū in oppoſitum militantia, per contrariam tranſactionem legitimè interpoſitam tollantur, caſſentur, & viribus vacuentur, juxta Jura proximè allegata. Adeò, ut tranſactio ſemel bonâ fide, ac legitimè celebrata, invitâ alterâ tranſigentium parte, ampliùs revocari, aut reſcindi non poſſit, *l. Cùm te. C. de Tranſaction.*

Ampliatur hoc, ut tranſactio ejuſmodi ne 48
quidē interveniente Reſcripto Principis revocari valeat, *l. Cauſas. C. eod.* ubi dicitur: *Cauſas, vel lites tranſactionibus legitimis finitas, Imperiali Reſcripto reſuſcitari non oportet.* Quinimò nec etiam prætextu inſtrumentorum de novo repertorum reſcindi poteſt tranſactio; prout habetur deci-

deciſum in *l. Sub prætextu inſtrumenti. 19. C. de Tranſaction.* & favet textus *in cap. 1. h. t.* Quod tamen intelligendum eſt ſub limitatione *num. 55.* afferenda.

49 His adde, quòd transactio extendatur etiam ad connexa & acceſſoria, licèt non fuerint in judicio deducta, *L. 2. §. 1. ff. Si quis cautionibus. & L. ult. ff. De eo, quod certo loco &c.* Bartolus *in l. Aurelio. §. Cajus. ff. de Liberation. legat.* Pariſius *Conſil. 50. n. 9. lib. 4.* Hinc, qui de re principali tranſegit, de omnibus appendicibus transegiſſe intelligitur. Mantica *de Tacitis Conventionibus. tom. 2. lib. 26. tit. 6. n.* 19. citans alios. Ubi ſimul *num.* 17. notat, quòd transactio generalis porrigatur etiã ad ea, quæ quis ignorabat ſibi competere, dummodò de his generaliter fuerit cogitatum: ſecùs dicendum de ijs, de quibus veriſimiliter tranſigentes non cogitârunt; quod ex natura actionis inſtitutæ, ſimúlque ex verbis ipſius transactionis colligi debet.

50 Reſp. II. Alter transactionis effectus eſt, quòd pariat exceptionem litis finitæ. Ita rurſum communis; & patet *ex cap. 1. de Litis conteſtat. in 6. & ex l. Cùm proponas. C. de Transact.* cum concordantijs. Nam Transactio dicitur *Deciſio* cauſæ, ſeu *controverſiæ*; ut habetur *cap. 1. h. t.* atque æquiparatur rei judicatæ, juxta Abbatem *ibid. n.* 3. Unde non habet minorem authoritatem ad litem dirimendam, finiendámque, quàm ſententia, *L. Non minorem. 20. C. h. t.* ibi: *Non minorem authoritatem transactionum, quàm rerum judicatarum eſſe, rectâ ratione placuit: ſiquidem nihil ita fidei congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerant, cuſtodiri.*

51 Nec obſtat, quòd ex ſolo tranſactionis pacto (id eſt, ſi nudo pacto fuerit celebrata abſque ſtipulatione, ſcripturâ, vel rei traditione) de Jure Civili non detur actio, *l. Sive apud. 28. C. eod.* Reſp. enim, aliud eſſe actionem, aliud verò exceptionem: hæc enim, etiam de rigore Juris Civilis, datur ex pacto nudo; licèt non illa, *l. Juris gentium. §. Sed cùm nulla. ff. de Pactis.* Unde nihil impedit, quo minùs transactio pariat exceptionem litis finitæ: qualis exceptio eſt peremptoria, & poteſt opponi ſive ante, ſive poſt litis conteſtationem, prout liquet *ex cap. 1. & 2. de Litis conteſtat. in 6.* Quinimò, quòd ſecundùm Canones ex pacto etiam nudo, ac proin ex transactione detur actio, patet ex dictis ſuprà *Tit. præced. §. 1. num. 31. & ſeqq.*

52 Quæritur II. Utrùm tranſactio ita imponat finem litibus, ut non poſſit reſcindi ob læſionem ultra dimidium? Celebris eſt hæc quæſtio inter Doctores, & graves in utramque partem militant rationes; uti videre eſt apud Jaſonem *l. Si quis cùm aliter. num. 13. & ſeqq. ff. de Verb. obligat.* Andr. Fachineum *lib. 2. Controverſiarum Juris, cap. 26.* & alios. Verùm ut certa ab incertis ſeparentur,

53 Reſp. I. Si Eccleſia, vel Minorennis, graviter lædatur in transactione, certũ eſt, quòd poſſit implorare Judicis officiũ, petendo beneficium reſtitutionis in integrum, & hâc ratione reſcindi transactio ob læſionem ultra dimidium. Ita Gloſſa *fin. in c. Cùm cauſæ de Emption. & vendit.* cum communi. Idque patet *ex L. 1. C. Si adversùs transactionem &c.* ubi dicitur: *In integrum reſtitutâ pupillâ reſcindi transactionem, vel diviſionem placuit.* Idémque procedere in Minoribus propter ætatis auxilium, atque in Eccleſijs, & alijs beneficio reſtitutionis gaudentibus, patet tum ex Rubrica, tum *ex L. 2. C. eod.* ubi fit mentio de Minoribus.

Reſp. II. Inſuper graviter lædens alterum in transactione, non ſolùm tenetur pro Foro conſcientiæ ad reſtitutionem rei injuſtè acceptæ, ut eſt certum; ſed inſuper contra eum in Foro externo datur actio de dolo, ac reſcinditur transactio, quando dolus ex propoſito interveniſſe probatur. Patet hoc tum *ex L. 2. & ſeqq. C. de Dolo malo.* ubi generaliter de dolo conceditur actio. Tum etiam *ex l. Qui cum tutoribus. §. Qui per fallaciam. ff. de Transact.* ubi pro ratione hujus affertur: quia dolo circumventus *non tam paciſcitur, quàm decipitur.* 54

Unde, quamvìs transactio bonâ fide hinc inde finita non reſcindatur ſub prætextu inſtrumentorum de novo repertorum, *l. Sub prætextu inſtrumenti. 19. C. h. t.* Illicò tamen ibidem ſubjungitur, quòd ſi adverſarius meus per ſe, vel per alium, mihi inſtrumenta, quibus veritas argui potuiſſet, ſubtraxiſſe, ſicque me ad transigendum coëgiſſe probetur, de dolo actio mihi competat, atque transactio reſcindatur. Et hæc ſunt certa, & communiter recepta: major difficultas eſt de transactione bonâ fide hinc inde peractâ, ex qua tamen læſio ultra dimidium intervenit; pro cujus reſolutione, 55

Reſp. III. Probabilius eſt, quòd transactio etiam bonâ fide hinc inde celebrata, reſcindi poſſit ob læſionem ultra dimidium. Ita Abbas *c. Cùm cauſa. n. 7. & 8. de Emption. & vendit.* Bartolus *l. Si quis cùm aliter. n. 4. ff. de Verb. obligat. & l. Rem majoris. n. 9. C. de Reſcindend. vendit.* Fachineus *cit. lib. 2. cap. 26.* allegans Rotam Romanam *in part. noviſſimar. Deciſ.* 102. *n.* 2. & plures alios; & Engel *h. t. n.* 14. contra Gloſſam *fin. in cit. c. Cùm cauſa. de Empt. & vendition.* Jaſon *ubi ſuprà*, & non paucos alios. 56

Ratio eſt. Tum quia is, qui ita enormiter, ſive ultra dimidium deceptus eſt, non videtur habuiſſe animum deliberandi, ſeu taliter tranſigendi; ut notat Abbas *loc. cit.* & favet textus in allegata *l. Qui cum tutoribus. ff. h. t.* Tum quia *in cit. c. Cùm cauſam. de Empt. & l. Rem majoris. C. de Reſcindend. vendit.* reſcinditur venditio, in qua intervenit læſio ultra dimidium; ubi hujus ratio redditur: quia iſtud *humanum eſt:* idem ergo dicendum in transactione ob læſionem ultra dimidium, quia & iſtud humanum eſt. Accedit textus notabilis *in l. Si ſuperſtite. C. de Dolo*, ubi filia emancipata, & cum patre bonâ fide tranſigens, ſi læſa eſt immodicè, habet actionem in factum contra patrem; ergo, cùm hîc ſit ſermo de actione bonâ fide celebrata, ſimúlque Imperator to- 57

tam vim ponat in læſione immodicâ (qualis juxta omnes, eſt læſio ultra dimidium) etiam transactio bonâ fide inita, ob talem læſionem eſt reſcindenda.

58 Confirmatur id ipſum: quia in Jure dolus ex propoſito, & dolus re ipsâ, æquiparantur, *arg. l. Si quis cùm aliter. ff. de Verb. obligat.* ibi: *Idem eſt, etſi nullus dolus interceſſerit ſtipulantis, ſed ipſa res in ſe dolum habeat*: & tradit Covarruvias *in c. Quamvis. part. 3. §. 4. n. 5. de Pactis in 6.* Gailus *lib. 2. Practic. Obſervat. 147. n. 11.* Fachineus *cit. cap. 26. §. Movet ſecundò*, allegans alios. Atque ex læſione ultra dimidium, dolus re ipsâ apparet, atque præſumitur, *l. Omnes. §. Lucius. ff. Quæ in fraudem creditor.* ac notant citati Authores cum communi: ergo ſicut ob dolum ex propoſito (juxta dicta *n. 54. & 55.*) ita & ob dolum re ipsâ, ſive ob læſionē ultra dimidium, reſcinditur transactio.

59 Solummodò hîc notandum eſt cum Bartolo, Abbate, *ubi ſuprà*, & alijs hanc ſententiam tenentibus, quòd ſit differentia quoad modum æſtimandi læſionem ultra dimidium in venditione, & in transactione. Ibi enim conſideratur verus valor rei venditæ pro tempore venditionis: econtrà in transactione non attenditur valor rei controverſæ, quantus erat in veritate, ſed quantùm valebat res illa habito reſpectu ad incertū litis eventū. Unde, quia dubius eſt litis eventus, *l. Quod debetur. ff. de Peculio.* hoc totum pendet ex arbitrio boni Viri, inſpectâ qualitate dubij eventûs litis hoc determinantis; & ille, qui conqueritur, ſe enormiter, ſeu ultra medietatem fuiſſe læſum, tenetur hoc probare. Quod quia eſt difficillimum propter incertitudinem victoriæ, præſens Quæſtio adeò controverſa raro in praxi locum habere poteſt.

60 Objicies majoris claritatis gratiâ contra tertiam Concluſionem. Transactio, & res judicata paris ſunt authoritatis, atque æquiparantur, *l. Non minorem. C. h. t.* atqui res judicata nunquam reſcinditur; ergo nec illa. Accedit, quòd eo ipſo, quòd à lite per transactionem receditur, magnum commodum reportetur, eò quòd dubius ſit litis eventus, ut dictum: unde ipſa transactio etiam per inſtrumenta de novo reperta, non reſcinditur, *l. Sub prætextu. C. h. t.* Quinimò *in l. Lucius. §. fin. ff. Ad S. C. Trebellian.* junctâ Gloſsâ *ibid.* dicitur, quòd ſi eſt transactum, non poſſit contraveniri, etiamſi poſteà appareat, quadruplo plus fuiſſe debitum. Taceantur ſimilia. Reſp. imprimis generaliter, hæc & alia hujusmodi procedere, quando quis ſciens ac volens, ob bonum pacis, ſeu incertum litis eventum, ſuper minori ſumma tranſigit; nam *ſcienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus*, juxta Reg. 27. Juris in 6. Secùs, ubi ignoranti ſupervenit deceptio, ſeu læſio ultra dimidium, ut probant rationes Concluſionis.

61 Reſp. ulteriùs ad ſingula in particulari. Et quidem primum non urget: nam *l. Non minorem C. h. t.* procedit de transactione, in qua non intervenit dolus: talis autem ſaltem re ipsâ intervenit, quoties fit læſio ultra dimidium. Ad alterum dicitur, eſſe quidem dubium litis eventum, Concluſionem tamen noſtram loqui in caſu, quando poſteà dignoſcitur, interveniſſe læſionem ultra dimidium habito reſpectu ad incertum litis eventum: unde nihil inde ſequitur contra ipſam. Ad *l. Sub prætextu. C. h. t.* patet ex dictis *num. 54. & 55.* nam etiam in noſtro caſu intervenit dolus, ſi non ex propoſito, ſaltem re ipsâ, ut dictum *num. 58.* Ad *l. Lucius. §. fin. ff. Ad S. C. Trebellian.* reſpondetur, ut ad primum. Aliæ reſponſiones majoris indaginis poſſunt videri apud Fachineum *lo. cit.* & Engel *h. t. n. 14.*

Quæritur III. Quâ ratione valeat, atque obliget transactio facta per Prælatum de rebus Eccleſiæ? Reſp. I. Transactio eſt ſpecies alienationis: unde, ſicut res Eccleſiæ immobiles, vel pretioſæ, absque ſolemnitatibus jure requiſitis alienari nequeunt, ut habetur *in Extravag. Ambitioſæ. de Rebus Eccleſiæ non alien.* ita neque transactio ſuper iisdem facta tenet. Secùs dicendum de mobilibus non pretioſis, ſeu parùm valentibus, aut quæ ſervando ſervari non poſſunt: imò etiā prior pars patitur nōnullam limitationē. Unde 62

Reſp. II. Quamvis Prælatus, ſeu Rector Eccleſiæ, non poſſit tranſigere vel componere ſuper rebus Eccleſiæ immobilibus, ſeu juribus ſpiritualibus in præjudicium Eccleſiæ; ac proinde transactio facta de rebus Eccleſiæ per Prælatum ſine conſenſu Superioris non obliget Succeſſorem: poteſt nihilominùs Rector Eccleſiæ tranſigere ſuper juribus Eccleſiæ in præjudicium ſui ipſius, ita quòd transactio teneat toto tempore, quo Eccleſiam poſſidebit. Ita colligitur *ex c. Veniens. 8 h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 1.* & Fagnanus *num. 2.* cum omnibus. Rationem hujus reddit Pontifex ibidem ſequentibus verbis: *Cùm aliàs transactio inter perſonas facta potiùs, quàm inter Eccleſias videatur: nec pacta inter alios acta alijs obeſſe patiamur.* Sicque transactio, v. g. de ſolvenda duntaxat tertia parte decimarum (de quâ ibidem eſt ſermo) per Rectorem Eccleſiæ cum Monaſterio quodam inita, valet quidem in præjudicium dicti Rectoris, & quamdiu tenebit Eccleſiam, etiamſi Superioris authoritas non interceſſerit; ſed non obligat Succeſſorem, cùm ſit merè perſonalis, ſicque cùm perſona extinguatur. Simile quid habet Concilium Trident. *ſeſſ. 6. cap. 4. de Reformat.* ubi inter alia providè decrevit, ut *Capitula Cathedralium nullis concordijs, quæ tantùm ſuos obligent auctores, non etiam ſucceſſores, tueri ſe poſſint*, quò minùs à ſuis Epiſcopis juxta Canonicas Sanctiones viſitari valeant. 6

Reſp. III. Nihilominùs transactio perſonalis ſuper rebus Eccleſiæ fit realis, & obligat Succeſſores, ſi fuerit per Sedem Apoſtolicā confirmata: dummodò tamen confirmatio non fuerit in formā communi, ſed ex certâ ſcientiâ. Ita deſumitur *ex cit. c. Veniens. h. t.* junctâ Gloſſa *ibid. v. Confirmatam.* & ſequitur Fagnanus *in d. c. Veniens. n. 3. h. t.* citans alios; ac Rota *Deciſ. 2. & 44. part. 4. Recent.* quam allegat Turricellius *De rebus* 6

Eccleſiæ

Eccleſia non alienand. cap. 9. Nā Papa poteſt facere, ut transactio, quæ nulla eſt, ſit aliqua, *arg. c. Cùm Apoſtolica. De his, quæ fiunt à Prælat.* ergo multò magis poteſt efficere, ut ſit alia, nempe ut ex perſonali fiat realis: quia plùs eſt, de nihilo aliquid facere, quàm de aliquo aliud. *arg. c. Revera, de Conſec. diſt. 2.*

TITULUS XXXVII.

De Poſtulando.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*

QUando lis inter partes ſuborta, per pacta vel transactiones nondum fuit ſopita, ſed Judicis ſententia mediante Proceſſu judiciario poſtulatur, & expectatur: ante omnia neceſſe eſt, ut litigaturi idoneos ſibi Advocatos & Procuratores ad cauſam inſtituendam, atque proſequendam inquirant & conſtituant: adeò quidem, ut ſi pars aliqua vel ob inopiam, vel ob potentiam adverſarij, Advocatum habere nequeat, Judex idoneum dare teneatur; ut *cap. 1. de Offic. Judic. & L. 1. §. ait Prætor. ff. h. t.* eſtq; jam alibi dictum. Unde meritò poſt Rubricas de Pactis, & Transactionibus, agitur in hoc & ſequenti Titulo, de Advocatis & Procuratoribus. Proinde ſit

§. I.

De munere, & poteſtate Poſtulandi.

SUMMARIUM.

2. *Poſtulare latè,*
3. *Et ſtrictè, ſeu quantùm ad propoſitum, quid?*
4. *Poſtulantes alio nomine dicuntur Advocati &c.*
5. *Conſulens in loco privato, non poteſt dici Poſtulare.*
6. *Munus poſtulandi eſt publicum, atque honorificum. Et num. ſeqq.*
 Advocati æquiparantur militibus. Ibid.
7. *Procuratoris officium eſt vile, privatum & oneroſum.*
8. *Poſtulare, ſeu Advocatum agere poſſunt omnes, quibus id non reperitur interdictum.*
9. *Succeſſu temporis iſtud eſt reſtrictum ad peritiam Juris habentes.*
10. *Et quid hodiè ſervetur ex Receſſibus Romani Imperij?*
11. & 12. *Aliqui de Jure communi prohibentur in totum poſtulare.*
13. *Aliqui pro alijs non poſſunt poſtulare, benè tamen pro ſe ipſis. Et num. 11.*
14. *Aliqui & pro ſe, & pro conjunctis perſonis poſtulare poſſunt, non verò pro alijs.*
 Conjunctæ perſonæ, quæ dicantur? Ibid.
15. *Clerici in Sacris, vel Beneficiati, in Foro ſæculari poſtulare non poſſunt, niſi &c.*
16. *Benè tamen Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, ſi Beneficium non habeant.*
17. *In Foro Eccleſiaſtico poteſt etiam Clericus in Sacris, aut Beneficium habens, pro alijs patrocinari.*
18. *Dummodò non ſit Sacerdos &c.*
19. *Pro ſe, aut Eccleſia ſua, vel pro miſerabilibus perſonis poſſunt Clerici in Sacris, ac Beneficiati, in Foro ſæculari poſtulare, ſeu Advocatum agere.*
20. *Miſerabiles perſonæ, quæ?*
21. *In cauſis criminalibus, ubi agitur de pœna ſanguinis, Clericus omninò abſtineat à poſtulando.*
22. *Etiam ex parte Rei, & ad hujus defenſionem.*
23. *Clericus non poteſt contra Eccleſiam, in qua Beneficium habet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator exiſtere; alioquin ſpoliatur Beneficio.*
24. *Monachi, alijque Religioſi, non poſſunt Advocatum agere in judicio.*
25. *Niſi pro utilitate ſui Monaſterij, & accedente licentiâ Prælati copulativè.*
26. *Fratres Minores nec poſſunt perſonaliter aſſiſtere Advocatis, dum ipſorum negotia temporalia agitantur in Curijs.*

QUæritur I. Quid, & quale munus ſit Poſtulare? Reſp. I. *Poſtulare* latè loquendo, idem eſt, ac petere aliquid, ſeu animi ſui deſiderium exponere. Atque in hoc largiori ſenſu ly *Poſtulare* non ſolùm in communi modo loquendi frequenter accipitur, ſed etiam ſuperiùs in Titulo, *De Poſtulatione Prælatorum* inſcripto: hæc enim aliud non eſt, quàm

quàm alicujus perſonæ ad Dignitatem Eccleſiaſticam erga Superiorem directa petitio, ut eam diſpenſativè admittere velit. Verùm de *Poſtulando* in hac largiori acceptione impræſentiarum non agitur: unde

3 Reſp. II. Quantùm ad propoſitũ, & ſtrictiùs loquendo, *Poſtulare eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui, in Jure apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere.* Ita habet textus expreſſus *in L. 1. §. Poſtulare. ff. de Poſtulando.* eſtque communis. Ubi ly *deſiderium ſuum, vel amici ſui exponere,* ad Actorem, ſeu ejus Advocatum pertinet: ly autem, *vel alterius deſiderio contradicere*, ſpectat ad Reum, ejusque Advocatum. Vallenſis *h. t. n. 1.*

4 Dicitur etiam, *deſiderium ſuum, vel amici ſui.* Ad indicandum, quòd non ſolùm pro ſe poſſit quis poſtulare, allegando coram Judice rationes, ſive in Jure, ſive in facto conſiſtentes, quæ negotio & cauſæ ſuæ expediant: ſed hoc ipſum etiã præſtare valeat pro alio. Et quidem poſtulantes alieno nomine, ſive pro alio, communiter dicuntur *Advocati, Patroni cauſarum, Oratores, & Cauſidici*: eo quòd in judicio dicant cauſam ſui Clientuli, & pro eodem poſtulent, deſideriũ ipſius exponentes, aut alterius deſiderio cõtradicentes.

5 Et additur, *in Jure*: hoc eſt, in judicio, ſive in loco, in quo ſolet jus reddi, ut explicat Gloſſa *ibid. ℣. In jure.* Et per hoc concluditur, quòd ille, qui duntaxat in loco privato, ut putà in cubiculo, cuipiam conſulit, ſeu cauſam ipſius adjuvat, non poſſit dici *Poſtulare*, ſeu Advocatum agere: quia nimirum hoc non facit in judicio. Unde ulteriùs ſequitur, quòd ille, qui à Jure prohibetur poſtulare, non idcirco prohibeatur conſilium dare.

6 Reſp. III. Munus poſtulandi eſt publicum, atque honorificum, ad quod non admittuntur niſi probi & habiles. Ita communis. Idque patet ex *l. Advocati. 14. C. de. Advocatis diverſ. judicior.* ubi inter alia encomia, Advocati militibus æquiparantur: nam per eos quaſi per milites, vita, ſpes, & patrimonia hominum periclitantium defenduntur: unde *in l. Sancimus, ut Advocatis, & ſeqq. C. eod.* diverſa Advocatis privilegia conceduntur, de quibus Juriſtæ.

7 Hinc Gloſſa *in L. 1. ℣. Certis perſonis. ff. h. t.* notabile ponit diſcrimen inter Advocatum, & Procuratorem. Ait enim, quòd Advocatum eſſe, ſit honor: nam laudabile, vitæque hominum neceſſarium eſt Advocationis officium, quod maximè principalibus præmijs oportet remunerari, *L. Laudabile. C. de Advocatis diverſor. judicũ.* & concordant Jura proximè citata. Econtrà Procuratorem eſſe, eſt onus: quia officium Procuratoris eſt vile & privatum, atque oneroſum, *arg. l. Si quis. 34.* junctâ Gloſſâ *fin. C. de Decurionib. lib. 10.* ubi proin Conſiliarij prohibentur ſub gravibus pœnis, conſtitui ac fieri procuratores, *ne exiſtimationem ſuam ſervili obſecundatione damnent*, ut loquitur textus. Atque ex hoc diſcrimine ſequuntur plures aliæ differentiæ inter utrumque, de quibus infrà *Tit. ſeq. §. 1. n. 7. & ſeqq.*

Quæritur II. Quinam poſtulare, vel Advocatum in Judicio agere prohibeantur? Reſp. I. Poſtulare, ſeu Advocatum agere poſſunt omnes, quibus id in Jure non reperitur interdictum. Ita Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 2.* Speculator *tit. De Advocat. n. 1.* & alij. Nam Edictum de poſtulando prohibitorium eſt, ſicut & illud de Procuratore conſtituendo, *l. Mutus. §. 1. ff. de Procuratorib.* Et illud de Teſtibus *L. 1. ff. de Teſtib.* Ac proinde, quicunque non prohibetur expreſsè, per conſequentiam admittitur, *c. Cùm apud Sedem. 23. de Sponſalib.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Prohibitorium.* 8

Cæterùm licèt antiquitus moris fuerit, ut cuivis de Jure non prohibito, & ſtudiorum ſuorum fiduciam habenti, aut ſaltem factorum peritiâ pollenti, poſtulare & Advocatum agere licuerit, *arg. L. 2. C. de Poſtulando*, junctâ Gloſſâ ibidem, & notat Zoëſius *num. 3. ff. h. t.* Nihilominùs ſucceſſu temporis non alij Advocatorum officio ſociari permiſſi fuerunt, niſi qui de peritia Juris competens Teſtimonium accepiſſent, *l. Nemini. C. de Advocatis diverſor. judicior.* 9

Addit Engel *h. t. n. 8.* quòd hodie de Receſſibus Romani Imperij, & conſuetudine generali omnium fermè majorum Tribunalium, advocare non permittantur, niſi qui gradum ſaltem Licentiatûs in Jure, & ſpecialiter facultatem advocandi à Judice obtinuerint: imò quòd in multis locis etiam Libelli partium non recipiantur, niſi ſint ſubſcripti ab aliquo approbato Advocato. Idque ex eo factum videtur, ne alioquin advocationis officio temerè ſe ingerant, qui juſtitiam cauſæ vel ob imperitiam, vel ob malitiam fortè minùs expendunt, ſicque grave ſuis Clientulis damnum inferre poſſunt. Si tamen aliquis pro ſe, ſeu in propria cauſa poſtulare, atque Advocati vices ſupplere velit, admitti ſolet; ſibi tamen imputet, ſi quid minùs benè exponendo detrimentum patiatur. 10

Reſp. II. Generatim loquendo, de Jure communi quidam in totum poſtulare prohibentur; quidam pro ſe ſolùm poſtulare poſſunt, non verò pro alijs; quidam & pro ſe, & pro alijs, ſed certis duntaxat perſonis, hoc eſt, pro conjunctis, non item pro cæteris poſtulare permittuntur. Ita habetur expreſſum *in can. Infames. 3. q. 7. circa initium, & L. 1. §. 1. ff. h. t.* ubi in progreſſu ſingula membra declarantur. 11

Et quidem imprimis in totum poſtulare prohibentur illi, qui ſunt minores ſeptendecim annis; idq; ob judicij infirmitatem. Item omninò ſurdi, cùm nequeant Judicis verba audire; ſicq; in manifeſto periculo exiſtant, ne nõ audito Decreto ipſius, quaſi non obtemperâſſent, veluti contumaces condemnẽtur. His addi poſſunt amẽtes & furioſi, eò quòd uſũ rationis nõ habeãt. 12

Deinde inter illos, qui pro alijs poſtulare prohibentur, licèt poſſint pro ſeipſis, numerantur fœminæ, ne contra pudicitiam ſexui convenientem alienis cauſis, ac officijs civilibus & publicis, ſeſe immiſceant: niſi forſan mater ſit tutrix in cauſa filij, quia tunc per ſe ipſam poſſet ſtare in judicio, & pro 13

pro filio poſtulare, *arg. cit. can. Infames.* 3. *q.* 7. *& l. Puto autem. ff. h. t.* ac notat Pirhing *h. t. n.* 4. Inſuper pro alijs propter turpitudinis notam poſtulare prohibentur, qui muliebria paſſi ſunt, niſi fortè per vim ſtuprati probentur: item qui capitali crimine, vel calumniæ causâ publico judicio condemnati ſunt: vel qui operas ſuas locaverunt, ut cum beſtijs depugnarent in arena. Textus eſt *in cit. can. Infames. & L.* 1. *ff. h. t.* Huc, ſpectato Jure Canonico, pertinent Excommunicati, *c. Intelleximus.* 7. *de Judicijs*, junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Conveniri.*

Tandem in tertio ordine ponuntur illi, qui ut infames notantur: iſti enim pro ſe, & pro conjunctis duntaxat perſonis poſtulare poſſunt, non autem pro alijs, etiamſi adverſarius eos poſtulare patiatur, *l. Quos prohibet. ff. h. t.* Porrò inter *conjunctas perſonas* numerantur parentes, liberi, fratres, ſorores, uxor, ſocer, ſocrus, gener, nurus, vitricus, noverca, privignus, privigna, patronus, ejúſque liberi; item illi, quorum tutelam, cautionemque quis gerit, ut ſunt pupilli, furioſi, fatui, & hujusmodi, qui recenſentur *in cit. L.* 1. *& ſeqq. ff. eod.*

Quæritur III. Utrùm Clerici poſſint poſtulare, ſeu agere Advocatum ad lites? Reſp. I. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, aut ſaltem Beneficium Eccleſiaſticum habentes, in Foro ſæculari poſtulare, ſeu Advocatum ad lites agere non poſſunt; niſi pro ſe, aut Eccleſia ſua, vel pro miſerabilibus perſonis id fiat. Ita comunis Doctorum; & habetur expreſſum *in cap.* 1. *h. t.* Et meritò: quia nemo militans Deo, debet ſe ſæcularibus negotijs implicare, 2. *Timoth.* 2. *& cap.* 1. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Atqui advocare coram Judice ſæculari eſt negotium ſæculare, *cit. cap.* 1. *Ne Clerici vel Monachi &c.* ergo.

Dicitur imprimis, *Clerici in ſacris conſtituti, aut Beneficium &c.* Nam argumento à ſenſu contrario deſumpto, Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus, ſi Beneficium non habeat, poſtulare, ſeu patrocinari poteſt etiam in Foro ſæculari; nullo enim jure iſtud ei prohibitum reperitur, cùm textus *in cit. cap.* 1. *h. t.* ſolùm loquatur de Clericis, qui conſtituti ſunt in Sacris, aut Beneficij Eccleſiaſtici ſtipendijs ſuſtentantur. Hi ſiquidem partim ratione excellentiæ ſui ſtatûs, ſeu Ordinis ſacri, quem habent, partim ratione Beneficij Eccleſiaſtici, ex quo ſufficienter ſuſtentantur, corã Judice ſæculari advocare prohibentur, & quantùm ad propoſitum æquiparantur; uti liquet ex verbis *cit. cap.* 1. *h. t.* & notant ibidem Gloſſa, Abbas, & Fagnanus *n.* 3. citans alios.

Dicitur ulteriùs, *in Foro ſæculari.* Nam in Foro Eccleſiaſtico poteſt etiam Clericus beneficiatus, aut in Sacris conſtitutus (dummodò non ſit Sacerdos) pro alijs patrocinari: argumento rurſus à ſenſu contrario deſumpto, & notat Abbas *in cit. cap.* 1. *n.* 3. *h. t.* allegans Doctores communiter. Et hoc adeò verum eſt, ut Clericus in Sacris, vel beneficiatus, coram Judice Eccleſiaſtico poſſit etiam pro Laico patrocinari. Fagnanus *ind. cap.* 1. *n.* 7. *h. t.* & Federicus de Senis *Conſil.* 170, id probans ex *c. Per venerabilem. Qui filij ſint legit.* ubi apparet, quòd Archiepiſcopus Arelatenſis fuerit procurator Regis in Audientia Papæ.

Additur notanter, *dummodò non ſit Sacerdos.* Nam quia Sacerdotis eſt officium, nulli nocere, omnibus autem velle prodeſſe; non niſi pro ſe ipſo, vel Eccleſia ſua, vel (ſi neceſſitas immineat) pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus, etiam in Foro Eccleſiaſtico poſtulare poteſt. Textus eſt *in cap. ult. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n.* 5. Fagnanus *n.* 4. citans Doctores communiter. 18

Dicitur tertiò, *niſi pro ſe aut Eccleſia ſua, vel pro miſerabilibus perſonis id fiat.* In his enim tribus caſibus poſſunt Clerici, etiam in Sacris conſtituti, ac beneficiati, in Foro ſæculari poſtulare, ſeu Advocatum agere, ſaltem in cauſis civilibus, vel criminalibus civiliter intentatis: ut putà, quando Clericus ſequens Forum Rei, convenit Laicum coram Judice ſæculari ratione alicujus rei, quam ad ipſum, vel Eccleſiam, vel ad miſerabilem perſonam, quam defendere ex miſericordia & charitate deſiderat, pertinere cognoſcit; vel quando Clericus vult Laicum ratione delicti, ſeu maleficij, in ſe, vel Eccleſiam commiſſi, citra pœnam ſanguinis in Foro ſæculari convenire; prout poteſt juxta *c. Cùm ſit generale. §. de Foro compet. & cap.* 2. *de Homicid. in* 6. 19

Porrò per *Miſerabiles perſonas* generatim loquendo intelliguntur illæ, ſuper quibus natura movetur ad miſerandum: uti ſunt pupilli, viduæ, diuturno morbo fatigati, debiles, aliíque fortunæ injuriâ miſerabiles, *L. un C. Quando Imperator inter pupillos & viduas &c.* Verùmtamen hoc loco inter Miſerabiles perſonas, pro quibus poſtulare cuilibet Clerico permittitur, ſolùm veniunt eæ, quæ ita ſunt miſerabiles, *ut proprias cauſas adminiſtrare non poſſint*; prout loquitur textus *in cit. cap.* 1. *h. t.* Ubi proin Abbas *n.* 1. & Fagnanus *ibid. n.* 18. citans alios, meritò inde concludunt, quòd ponderando allegatum textum, ad hoc, ut Clericus in Sacris, ſeu beneficiatus, poſſit in Foro ſæculari Advocatum agere pro Laicis, non ſufficiat harum miſerabilitas in habitu (dantur enim quandoque viduæ, ac pupilli divites, qui aliunde ſufficiunt ad cauſas ſuas adminiſtrandas) ſed requiratur miſerabilitas in actu; ita videlicet, quòd ipſi per ſe non poſſint cauſam promovere: ſive dein id accidat ob paupertatem, ſive ob aliud impedimentum aut impotentiam, ratione cujus propriâ defenſione carent, ſícque Eccleſiaſtico auxilio indigent, *arg. can. Pervenit. diſt.* 86. *in fine. & can. Defenſionis. diſt.* 87. 20

Notanter verò additur num. 19. in fine, *citra pœnam ſanguinis.* Nam in cauſis criminalibus, ubi venit pœna ſanguinis imponenda, debet Clericus omninò abſtinere à poſtulando pro alijs, *c. Sententiam.* 9. *Ne Clerici vel Monachi &c.* Atque hoc indubitanter tenendum eſt, quando Clericus in cauſa ſanguinis vult eſſe ex parte Actoris: idque ob metum irregularitatis, quam incurreret, ſi ex ſuo conſilio ſequeretur mors, aut mutilatio Rei, *can. Si quis viduam. diſt.* 50. 21

22 Quin etiam tutius eſt, ut Clericus in cauſa ſanguinis omninò non patrocinetur, ne quidem ex parte Rei, atque ad hujus defenſionem; uti notat Gloſſa *in c. Aliquantos. ℣. Ad Sacerdotium. diſt. 51.* & Abbas *in cap. 1. n. 5. h. t.* Ratio eſt: quia facilè poteſt contingere, ut Clericus advocatus vel propter ſuam imperitiam & defectum Practicæ judicialis ſuccumbat, ſicque ex ſua culpa Reus innocens occidatur: vel ut econtrà propter aſtutiam ſuam Reus nocens abſolvatur, & tunc Accuſator in probatione deficiens, pœnam talionis ſuſtinere, & mori cogatur; cujus mortis cauſa ſaltem per quandam conſequentiam Clericus ille fuiſſet, prout ampliùs deducit Gloſſa citata.

23 Reſp. II. Nullus Clericus poteſt contra Eccleſiam, à qua Beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus vel Procurator exiſtere: quòd ſi hoc facere præſumpſerit, tanquam ingratus poterit Beneficio ſuo ſpoliari. Textus eſt *in cap. ult. §. Clericus. h. t.* ubi Gloſſa iſtud extendit ad caſũ, quo Clericus habet Beneficia in pluribus Eccleſijs: quia non poteſt præſtare patrocinium uni contra alteram, ſed debet neutram juvare, vel offendere *arg. can. Denique. 14. q. 5.* vel perſonam Mediatoris aſſumere, ut addit Abbas *in cit. cap. ult. n. 5.* Niſi forſan in una Eccleſia foret Prælatus, & in altera haberet duntaxat Beneficium ſimplex: quia tunc videtur, quòd ratione Prælaturæ poſſit contra aliam ſtare, *arg. can. Infames. §. Item ſi contra patrem. 3. q. 7.* Concordat textus, & Gloſſa *fin. in can. Si qui Presbyteri. 1. q. 7.*

24 Quæritur IV. Utrum Monachi, aliique Religioſi poſſint poſtulare, ſeu Advocatum agere in judicio? Reſp. I. Monachi, aliique Regulares, non poſſunt poſtulare, ſeu officium Advocatorum exercere in judicio, niſi pro utilitate ſui Monaſterij, & accedente ſimul mandato proprij Prælati Regularis. Ita habetur *in cap. 2. h. t.* ubi illud, quod olim *in can. De præſentium. & can. Monachi. 16. q. 1.* quoad propoſitum de Monachis ſtatutum fuerat, etiam ad Canonicos Regulares aliósque Religioſos extenditur: idque ob paritatem rationis, cùm etiam hi profiteantur tria vota ſubſtantialia Religionis.

25 Additur notanter, *accedente ſimul mandato proprij Prælati.* Nam, ut notat Abbas *in cit. cap. 2. n. 2. & 3. h. t.* illa duo, nempe utilitas Monaſterij, & licentia Abbatis, copulativè requiruntur ad hoc, ut poſſit Monachus Advocatum agere in judicio, nedum Eccleſiaſtico, ſed etiam ſæculari: quamvis ſufficere poſſit utilitas Monaſterij ſaltem in conſequentiam emergens; ut ſi tractetur cauſa boni amici, qui Monaſterio utilis exiſtit.

26 Quinimò in Ordine Fratrum Minorum illud habetur ſpeciale, quòd ipſi non ſolùm nequeant eſſe Advocati, etiam de mandato ſuorum Superiorum, ſed inſuper non poſſint perſonaliter aſſiſtere Advocatis & Procuratoribus ad eoſdem inſtigandos, quando ipſorum negotia pro rebus temporalibus agitantur in Curijs; prout liquet *ex Clem. Exivi. §. Proinde. de Verb. ſignif.* Ratio hujus redditur ibidem: quia Fratres Minores nihil habent proprium, ne quidem in communi: atqui *ex talibus aſſiſtentijs in Curijs & inſtigationibus, cùm de rebus agitur in ipſorum commoda convertendis, creduntur veriſimiliter ex his, quæ foris patent (de quibus habent homines foris judicare) in ipſis rebus Fratres aſſiſtentes aliquid quærere tanquam ſuum*, prout argumentatur Pontifex ibidem; ergo nullo modo debent hoc facere, *ut & teſtimonium habeant ab his, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui, ac evitetur per hoc ſcandalum puſillorum,* prout ibidem ſubjungitur.

§. II.

De obligatione Poſtulantium, ſeu Advocatorum.

SUMMARIUM.

27. *Obligatio Poſtulantium, ſeu Advocatorum, generatim quotuplex? Et num. ſeqq.*
28. *Quâ ratione teneantur Advocati attendere ad qualitatem cauſæ?*
Non poſſunt ſuſcipere cauſam certò injuſtam, & deſperatam. Ibid.
29. *Quid agendum Advocato, ſi cauſa Clientis in progreſſu appareat injuſta, quæ ab initio videbatur juſta, vel ſaltem probabilis?*
30. *An tunc poſſit Clientulum inducere ad tranſigendum?*
31. *Advocatus quâ ratione teneatur ſervare modum Advocandi? Et num. ſeqq.*
32. *Tenetur ſervare modeſtiam in advocando, & abſtinere ab injurijs.*
33. *Atque ſervare veritatem; & quâ ratione? Et num. ſeqq.*
Utens falſis pro veris, Falſi crimen incurrit. Ibid.
34. *Bonus Advocatus dicit Clienti:* Si ſic reſpondebis, perdes cauſam: ſi aliter, & contra veritatem, perdes animam.
35. *Non ſubtrahat adverſario ſuæ defenſionis copiam, nec ſuperfluas petat dilationes &c.*
36. *Licèt poſſit occultare ea, quibus impediri poſſet Proceſſus.*
37. *Fidelitatem tenetur Advocatus ſervare; & quâ ratione? Et num. ſeqq.*
38. *Non poteſt prodere inſtrumenta, ſeu documenta ſecreta ſuæ cauſæ parti adverſæ; alioquin dicitur Falſarius.*

39. Ne-

39. *Nequit idem eſſe Advocatus & Judex in eadem inſtantia.*
Et quid ſucceſſivè. Ibid.
40. *Advocatus utrique parti ſimul inſerviens, cenſetur Prævaricator.*
41. *Advocatus tenetur ſervare moderationem in ſalario.*
42. *In moderatione ſalarij, quæ ſint conſideranda?*
43. *Advocatus nequit paciſci de quota litis.*
44. *Cur liceat paciſci de ſalario, & non de quota litis?*
45. *Advocato non licet ullum contractum cum Clientulo ſuo inire.*
Nec Medico cum ſuo infirmo. Ibid.
46. *Alienas lites redimere, non licet Advocatis, nec alijs.*
47. *Et qualiter id prohibitum?*
48. *Excipiuntur hinc actiones liquidæ; nam hæ benè poſſunt vendi.*
49. *Item ceſſio litis per donationem facta.*
Et quid, ſi actio pro parte vendatur, & pro parte donetur? Ibid.
50. *Excipiuntur etiam nonnullæ aliæ ceſſiones litis; & quales?*

27 QUæritur I. Quotuplex generatim ſit obligatio Poſtulantium, ſeu Advocatorum? Reſp. I. Licèt multiplex ſit obligatio Advocatorum, ea nihilominùs cum S. Joanne à Capiſtrano *Tom. 1. Tractatuum, tract. Speculum conſcientiæ, intitulato. §. Reſtat ultimum. n. 29. & ſeqq.* comodè ad quatuor principalia capita revocatur. videlicet, ut Advocati attendant imprimis ad qualitatem cauſæ: deinde ſervent modum advocandi, conſiſtentem in modeſtia, veritate, & fidelitate: tertiò, ut ſervent convenientiam ſalarij: & quartò, ut non paciſcantur de quota litis, nec alium cum ſuo Clientulo contractum ineant. Et de his omnibus ſingillatim loquendo,

28 Reſp. II. Imprimis itaque officium Advocati eſt, attendere ad qualitatem cauſæ. Debet enim bonus Advocatus ante omnia diligenter inſpicere cauſæ ſibi propoſitæ æquitatem, vel probabilitatem, aut ſaltem dubietatem (nam quòd Advocatus cauſæ dubiæ, ſeu controverſæ, patrocinium licitè poſſit aſſumere, cum comuniori aliorum, jam dixi in *Theologia Morali, Tract. 1. Diſtinct. 3. num. 63. & ſeqq.*) & quando talem viderit, eam ſi vult ſuſcipiat. At verò, ſi cauſam ſibi propoſitam cognoverit eſſe certè injuſtam, ſeu penitus deſperatam, aut ex mendacibus allegationibus compoſitam, nullo modo ejus patrocinium ſuſcipiat, ſed omninò renuat. Textus eſt *in l. Rem non novam. §. Advocati. C. de Judicijs.* Accedit ratio: quia Advocatus, qui ſciens prudénsq; cauſæ injuſtæ patrocinatur, agit contra propriã conſcientiam: ſimúlque partim cooperatur peccato alterius, qui injuſtam cauſam urget; partim injuſte lædit oppoſitam partem, quam ſciens habere juſtam cauſam, nihilominùs ſpe forſan lucri temporalis impugnare, & moleſtare non deſinit. Unde etiam tenetur ad reſtitutionem illius damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium pars læſa incurrit. D. Thomas *2. 2. quæſt. 71. art. 3.* & alij.

29 Quòd ſi verò cauſa Clientis à principio videbatur Advocato juſta, vel ſaltem probabilis aut dubia, ſed in progreſſu appareat, eam eſſe injuſtam, tenetur ipſam Advocatus illicò deſerere, atque Clientem ſuum inducere, ut à lite deſiſtat, aut cum adverſario componat absque ejus damno: idque tum per *cit. l. Rem non novam. §. Patroni. C. de Judicijs*; tum per rationes proximè dictas. Non tamen hujusmodi Advocatus debet cauſam alijs prodere, nec aliam partem juvare, aut ſecreta ſuæ cauſæ adverſario revelare (hæc enim omnia pugnant contra fidelitatem, quam ex officio tenetur ſervare ſuo Clientulo) ſed debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, inducere ad cedendum, ſive componendũ ſine adverſarij damno. D. Thomas *cit. q. 71. art. 3. ad 2.* S. Joannes Capiſtranus *loc. cit. num. 29.*

Additur notanter, *ſine adverſarij damno.* Nam, 30
quando Advocatus certò novit injuſtitiam cauſæ, non poteſt Clientulum ſuum, quem novit fovere injuſtam cauſam, inducere ad tranſigendum cum altera parte. Tum quia transactio nõ habet locum, niſi de re dubia, & lite incertâ, qualis in propoſito non ampliùs extaret. Tum quia Advocatus partem ſuam inducens ad transactionem poſt cognitam injuſtitiã cauſæ ſuæ, conſulit ipſi, ut alienum rapiat; ſicque non ſolùm peccat, verùm etiam ad reſtitutionem tenetur: quia dat cauſam damno, quod ex tali transactione (utpote quæ non fit niſi aliquo dato & retento, vel remiſſo) alteri juſtam cauſam foventi emergit. Joannes Bapt. de Caccialupis *Tom. 3. Tractatuum, tract. de Advocatis. quæſt. 4. n. 5.* & alij.

Reſp. III. Ad officium & obligationem Advocati etiam pertinet, ſervare modum Advocandi: alioquin talis à profeſſione Advocatorũ meritò eſt removendus, *can. Infames. §. Arcentur. 3. q. 7. & l. Quiſquis vult. C. h. t.* Conſiſtere autem debet modus advocandi in tribus, videlicet in modeſtia, veritate, & fidelitate ſeu legalitate, ut inquit S. Joannes Capiſtranus *loc. cit. n. 30. & ſeqq.* Ac de his tribus ſingillatim agendo, 31

Quæritur II. Quã ratione Advocatus teneatur ſervare modeſtiam, veritatem, & fidelitatem? Reſp. I. Modeſtiam tenetur Advocatus obſervare, ut non procaciter, nec convitiando, aut vociferando proponat, ſed agat, quod cauſa deſiderat, & ab injurijs & maledicendi temeritate ſe temperet, alioquin enim impediretur honeſtus Juſtitiæ proceſſus. Quinimò, ſi Advocatus *adeò procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patiatur;* uti loquitur textus *in cit. §. Arcentur. & d. l. Quiſquis vult. C. h. t.* Ubi Gloſſa, *℣. Opinionis,* inquit, quòd juxta quoſdã ejusmodi procax Advocatus reddatur ipſo Jure infamis; vel ſaltem (ut Gloſſa tenet) ejus opinio gravetur, & apud bonos & graves Viros imminuatur. 32

Reſp. II. Veritatem tenetur Advocatus ſervare, ut non mentiatur, nec falſa Jura, ſeu falſas Leges aut Gloſſas alleget, neque falſa inſtru- 33
menta,

menta,ſive falſos teſtes, aut falſas rationes,probationéſque adducat. Quinimò ſcienter utens falſis pro veris,Falſi crimen incurrit,*c. Dura ſæpè.& ſeqq. de Crimine falſi,& L.1.ff. Ad Legem Corneliã de Falſis.*

34 Inſuper ad veritatem pertinet, ne Advocatus ſuadeat Clientulo,qualiter reſpondeat articulis, poſitionibus ſeu interrogationibus partis adverſæ, contra cognitam veritatem,ut obtineat. Væ enim talibus.Bonus Advocatus dicet Clientulo ſuo: *Si ſic reſpondebis,perdes cauſam; ſi aliter, & contra veritatem,perdes animam.* Jo. Andreas *in c. Præſentium. de Teſtib. lib. 6.* Caccialupis *cit. tract. de Advocatis. quæſt. 4. n. 13.*

35 Ulteriùs ad veritatem ab Advocatis obſervandam ſpectat,ne adverſario fraudulenter ſuæ defenſionis copiam ſubtrahat: alioquin ipſo facto oſtendit, iniquam à ſe litem foveri, *cit. can. Infames. §.Si quis autem ex litigatoribus. 3.q.7.& l. Providendum. C.h.t.* Item,ne ſuperfluas,& non neceſſarias dilationes petat in gravamen partis, neque ſuperſtitioſis cavillationibus innitatur, *l. Quisquis vult. C. eod. & l. Properandum. §. Illo procul dubio. C. de Judic.*

36 His tamen non obſtantibus licitum eſt Advocato defendenti juſtam cauſam, occultare ea, quibꝰ impediri poſſet Proceſſus: ſicut & in bello juſto licitum eſt ex inſidijs agere,ea quæ agenda ſunt prudenter occultando. Nunquam tamen licet uti aliquâ falſitate. S.Joannes Capiſtranus *loc.cit.n.32.&33.* poſt D.Thom. *2.2.q.71.art.3.ad 3.*

37 Reſp.III. Fidelitatem quoque(quam S.Joannes Capiſtranus etiam *Legalitatem* appellat) tenetur Advocatus ſervare,ut,in quantum juſtitia permittit,cauſam ſui Clientuli foveat,& pro viribus defendat, per diſtinctas allegationes & rationes Jurium ea omnia proponendo in judicio, quæ ad cauſam ſui Clientis ſive de jure, ſive de facto faciunt, nihilque de contingentibus omittendo. Ad hoc enim vi ſui officij, & recepti ſalarij,obligatus exiſtit; ut *d. l. Properandum. §. Illo procul dubio. C. de Judicijs. & l. Advocati. C. de Advocat. diverſor. judicior.* ubi Advocatorum officium paucis deſcribendo dicitur,quòd *Patroni cauſarũ, glorioſæ vocis confiſi munimine,laborantium ſpem,vitam, & poſteros defendunt.* Unde Gelaſius Papa *can. Irreligioſum. diſt. 87.* in ſimili ita ſcribit: *Irreligioſum prorſus & execrabile judicamus, ſi quiſquam vel extraneos, in ſua tuitione ſuſceptos,non omni fide, & totâ animi ſui educaverit ſanctitate.* Ubi Gloſſa, *V. Non omni fide*, inde deſumit argumentum contra perfidos Advocatos, qui plenâ fide Clientulos non defendunt, *arg. §. Notandum. 2. q. 4.*

38 Huc etiam ſpectat alia Fidelitas Advocatorum,in hoc conſiſtens, quòd inſtrumenta ſeu documenta ſecreta cauſæ non prodant parti adverſæ,nec illius argumenta debilia alteri ſuggerant. Quinimò Advocatus aperiens adverſario ſecretum cauſæ ſuæ, aut ſecreta illius inſtrumenta prodens,dicitur Falſarius, *L. 1. §. Is qui depoſita. Ad legem Cornel. de Falſis,* ac notat S. Joannes Capiſtranus *loc. cit. n. 34.* Eſtque puniendus tanquam Falſarius, *l. Si quis aliquid. §. Si quis inſtrumentum. ff. de Pœnis.* Tenetúrque talis ad intereſſe, ſive ad reſarciendum omne damnum parti læſæ illatum, *can. Si quis de Clericis. 12. q. 2.*

39 Inſuper non poteſt idem eſſe Advocatus & Judex in eadem inſtantia,ſive cauſa: debet enim inter utrumque eſſe differentia perſonalis, *l. Quisquis vult. C. h. t.* Ubi Bartolus addit, quòd etiam diverſo tempore is,qui anteà fuit Advocatus, non poſſit poſteà eſſe Judex in eadem cauſa, ſed debeat hanc alteri delegare: nam ratione affectionis, quam haberet ad cauſam à ſe olim jam defenſam, præſumptio ſtaret contra eum. Secùs foret,ſi priùs fuiſſet Judex, & poſteà fieret Advocatus: quia tunc ceſſaret dicta præſumptio, nec ullum jus extat prohibens eum ab Advocatia.

40 Rurſus ex eodem motivo Fidelitatis nulla ratio permittit,ut idem Advocatus ullo modo utrique parti litigantium ſimul inſerviat in eadem inſtantia: neceſſe enim foret,ut vel ſecreta unius partis alteri revelaret, illámque ex proprijs ſuis ſecretis documentis impugnaret; vel neutri parti ſpecialiter aſſiſtendo, cauſam malitioſè protraheret, contra *cit. l. Quisquis vult. C. h. t.* Quinimò talis Advocatus in Jure cenſetur *Prævaricator*, ſaltem impropriè loquendo, *L. 1. C. de Advocat. diverſor. judicior. & L. 1. ff. de Prævaricatorib.* junctâ Gloſſâ *ibid. V. Prævaricator.* Nunc pergendo ad reſidua duo principalia capita obligationis Advocatorum,

41 Quæritur III. Quâ ratione teneatur Advocatus ſervare competentiam in Salario? Reſp.I. Quamvis Advocato liceat vendere juſtũ patrocinium,& Juriſconſulto rectũ conſiliũ; ut inquit D. Auguſtinus relatus *in can. Non licet. 11. q. 3. & can. Non ſanè. 14. q. 5.* Nihilominùs hoc ipſum debet fieri competenter, ſeu cum debita moderatione Salarij, *ut non ad turpe compendium, ſtipémque deformem hæc arripiatur occaſio: nam ſi lucro, pecuniáque capiantur, veluti degeneres inter viliſſimos numerabuntur*; prout loquitur textus *in l. Quisquis vult. C. h. t. & can. Infames. §. Apud Urbem. 3. q. 7.*

42 Reſp.II. In moderatione Salarij quatuor præcipuè ſunt conſideranda, videlicet magnitudo cauſæ, quantitas laboris, facundia Advocati, & conſuetudo Fori, ſeu Regionis: ac juxta hæc quatuor tenetur Advocatus ſervare competentiam in Salario. Ita S. Joannes à Capiſtrano *in cit. Speculo conſcientiæ. §. Reſtat ultimum. num. 35. & 36.* Qui tamen *num. 44. & ſeqq.* rectè hinc excipit miſerabiles, & aliùnde derelictas perſonas: nam his tenetur Advocatus gratìs patrocinari, ne injuſtè graventur, causiſque ſuis ex defectu Advocati cadere cogantur; prout jam ſuprà *tit. 32. De Officio Judicis. §. 3. n. 71.* dictum fuit.

43 Quæritur IV. Utrùm Advocatus poſſit cum ſuo Clientulo paciſci de quota litis; vel alium contractum inire? Reſp. I. Cavendum vel maximè eſt Advocatis, atque hoc ipſum eiſdem in Jure graviſſimè eſt interdictum, ne cum ſuis Clientulis paciſcantur de quota litis (hoc eſt, de certa parte ejus in caſum victoriæ ſibi attribuenda) quinimò tale pactum eſt omninò irritum. Ita communis. Nam propter improbitatem, quâ

quâ uti poſſet Advocatus, talia pacta paſſim in Jure reprobantur; ut *l. Sumptus.* 53. *ff. de Pactis.* & *l. Salarium. ff. Mandati.* ubi pactum de quota litis dicitur eſſe contra bonos mores. *Et l. Si qui. C. h. t.* & *cit. can. Infames. §. Arceantur.* 3. *q.* 7. ubi talia pacta dicuntur tendere in grave damnum Litigatorũ, ac ipſi Advocati ſic paciſcentes cenſentur *Deprædatores*: atq; jubentur à profeſſione Advocatorum arceri; hoc eſt, officio advocationis privari, *l. Si qui advocatorum. C. de Poſtulando.* Ubi Gloſſa *V. Arceantur*, citans alias Leges, inquit, tales ipſo jure arceri à profeſſione advocationis: verùm Farinacius *part.* 3. *Criminal. quæſt.* 106. *n.* 5. & 6. Pirhing *h. t. n.* 21. cum alijs rectiùs cenſent, ad incurrendam ejusmodi pœnam privationis officij requiri ſententiam judicis, ſaltem declaratoriam delicti: prout in ſimili habetur *c. Cùm ſecundùm.* 19. *de Hæretic. in* 6. eſtque ampliùs dictum *Tit.* 2. *De Conſtitutionibus.* §. 10. *n.* 227. & *ſeqq.*

4 Et ſi quæras, cur liceat Advocatis paciſci de ſalario, ac reddendis ſumptibus, *d. l. Sumptus. ff. de Pactis*, & nõ de quota litis? Reſp. Rationem diverſitatis eſſe: quia, ſi licitum foret pactum de quota litis, jam ſpe hujus lucri faciliter invitaretur Advocatus ad calumniandum; ut notat Bartolus *in cit. l. Si qui. C. h. t.* Nam ſi paciſcens de quota litis non obtinuerit victoriam, nihil habebit: multùm autem, ſi eam obtinuerit. Secùs eſt in ſumptibus, & competenti ſalario, utpote quod debetur Advocato fideliter ſervienti, ſive vicerit, ſive non vicerit: ſicque hinc non inducitur tale periculum promovendi calumnioſas lites. Engel *h. t. n.* 10.

5 Reſp. II. Inſuper non licet Advocato ullum contractum, vel ullam pactionem inire cum Clientulo (hoc eſt, cum litigatore illo, quem in propriam receperit fidem) ſicque non poteſt cum ipſo contractum emptionis, venditionis, vel alium celebrare. Textus eſt *in l. Quisquis vult. C. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid. V. Contractum.* & *cit. can. Infames. §. Præterea.* 3. *q.* 7. atque tradit inter alios S. Joannes Capiſtranus *loc. cit. n.* 37. & *ſeqq.* Ratio hujus prohibitionis eſt: quia Clientulus, durante lite contrahens cum Advocato facilè cogeretur omnia dare propter timorem litis, ſicut ægrotus Medico propter timorem mortis, *arg. l. Medicus. ff. de Varijs & extraord. cognition.* Ubi idcircò in ſimili non valet venditio poſſeſſionum, per infirmum Medico facta: quia præſumitur extorta metu mortis, cui ſubjaceret infirmus, ſi in caſu repulſæ à Medico ſibi irato relinqueretur.

46 Quæritur V. Utrùm licitum ſit Advocatis alienas lites redimere? Reſp. I. Generaliter loquẽdò, ac proinde ipſis etiam Advocatis, prohibitũ eſt, alienas lites redimere, ſeu cauſas litigioſas aliorum dato modico pretio emere. Ita commũnis; & patet *ex l. Per diverſas. C. Mandati.* & *cap. ult. de Alienat. judic. mutand. cauſ.* Ratio hujus prohibitionis eſt: quia alioquin Advocati, vel alij litigioſi homines, rebus fortunísque alienis inhiantes, facilè ſuſcitarent intricatas aliorum actiones fortè à principalibus nunquam intentandas: ex quo perturbaretur pax inter homines, & tranquillus ſtatus Reipublicæ, imò & diverſis vexationibus perſonæ Reorum afficerentur.

Unde *in cit. l. Per diverſas.* & *l. Ab Anaſtaſio. C. Mandati*, ad præcavendum hujuſmodi incomodis providè cautum fuit, quòd ſi datâ pecuniâ quis litem redemerit, ſeu ceſſionem ejus in ſemetipſum fieri curaverit, non niſi ad quantitatem numeratæ pecuniæ agere poſſit: ac proinde, ſi Reus debitor ſuccubuerit, non plus teneatur ſolvere emptori litis, quàm is pro pretio dedit venditori, ſive vero ac primævo creditori. 47

Excipiuntur tamen hinc actiones liquidæ, ſeu indubitatæ: quales cenſentur illæ, in quibus adverſarius non negat; alioquin enim per negationem redderentur dubiæ, ut inquit Gloſſa *in l. Per diverſas. C. Mandati.* Siquidem actiones liquidæ quovis modo in alium transferri, imò & vendi poſſunt, *l. Venditor actionis. ff. de Hæredit. & action. vendit.* & *l. Hominis.* & *l. Certi. C. eod.* Gloſſa *in c. Ex parte. V. Sanctiones. h. t.* Engel *tit. Ut lite pendente &c. n.* 5. & alij. Nam in actionibus liquidis ceſſat ratio prohibitionis, *n.* 46. allata. 48

Inſuper excipitur ceſſio litis per donationem facta: hoc eſt, illa, quæ fit non contemplatione pecuniæ, ſed ex mera & pura liberalitate. Textus eſt in *cit. l. Per diverſas. §. fin.* & *l. Ab Anaſtaſio. C. Mandati.* In quo tamen poſteriori loco hinc excluditur quælibet fraus, quæ in tali donatione contingere poſſet: ut, ſi actio pro parte vendatur, & pro parte donetur; aut ſi quidem titulus donationis apponatur, clàm autem detur aliquid nomine pretij: talis enim ſimulata donatio litis nullatenus approbatur, imò in ea locum habent dicta *num.* 47. 49

Tandem excipiuntur nonnullæ aliæ ceſſiones litium: ut ſunt illæ, quas inter cohæredes pro actionibus hæreditarijs fieri contingit; item illæ, quas creditor accipit pro debito ſuo, & quæ inter Legatarios, & Fideicommiſſarios, pro debitis, actionibus, vel rebus ſibi relictis fieri ſolent; tales enim ceſſiones in *cit. l. Per diverſas*, expreſsè excipiuntur, ac fieri permittuntur. Quamquàm hujuſmodi ceſſiones, ſeu alienationes litium, ſolummodò fieri poſſint ante judicium inchoatum: nam ubi iſtud ſemel eſt inchoatum, ſaltem per citationem, & ſufficientem cauſæ inſtructionem parti notificatam, dictæ ceſſiones litium ex alio capite fieri prohibentur; quia videlicet lite pendente nihil eſt innovandum, *cap.* 1. & *ſeqq.* & *Clem.* 2. *Ut lite pendente &c.* 50

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus.

1. *Ratio continuationis Titulorum.*
Procurator dicitur ex parte Actoris; Deſenſor ex parte Rei. Ibid.

1 QUia Procuratores ſimiles ſunt Poſtulatoribus, meritò poſt Titulum *de Poſtulando* ſubjungitur præſens Rubrica *de Procuratoribus.* Quamquàm hæc in Digeſtis Juris Civilis ſimul inſcribatur *de Procuratoribus & Deſenſoribus*: Procurator enim magìs ſtrictè loquendo, dicitur ex parte Actoris; Defenſor ex parte Rei, ut inquit Gloſſa *in L. 1. ℣. Procurator. ff. h. t.* Verùm impræſentiarum Procurator ſumitur largiùs, videlicet tam pro eo, qui datur ad agendum, quàm qui ad defendendum. *arg. cap. 1. h. t. in 6.*

§. I.
De natura & diviſione Procuratorum.

SUMMARIUM.

2. & 3. *Procurator, quid? Et num. ſeqq.*
4. *Procuratoris nomen eſt generale.*
5. *In proprijs rebus nemo dicitur procurator.*
6. *Procurator quomodo differat à Negotiorum geſtore, Tutore, Curatore, &c.*
7. *Et ab Advocato? Et num. ſeqq.*
8. *Procurator adminiſtrat negotia Domini: non ſic Advocatus.*
Procuratoris officium eſt privatum, & vile: & quid in Camera Imperiali? Ibid.
9. *Nemo invitus cogitur eſſe Procurator, benè tamen Advocatus.*
10. *Ille tenetur actione Mandati: non ſic Advocatus.*
11. *Procurator ad lites fit dominus litis poſt ejus conteſtationem; non ſic Advocatus.*
12. *Defactò plerumque Advocati partium, ſimul conſtituuntur harum Procuratores.*
13. *Procuratores ad lites, ſeu judiciales; & Procuratores ad negotia, ſeu extrajudiciales, qui?*
14. *Et quomodo differant? Et num. ſeqq.*
15. *Illi ſolùm poſt viginti quinque annos, hi poſt* 17. *ætatis annum poſſunt deputari: & quæ ratio diſparitatis?*
16. *Procurator generalis, & ſpecialis, quis?*
Simpliciter ad lites conſtitutus, cenſetur generalis. Ibid.
17. *Procurator generalis adjectâ clauſulâ* Cum libera; *& generalis ſimpliciter, quis?*
18. & 19. *Et quæ poteſtas utriusque?*
Procurator Cum libera, *& Filiusfamilias habens liberam peculij adminiſtrationem, an poſſit donare? Num. 18.*
20. *Procurator in rem alienam, & Procurator in rem ſuam, quis?*
21. *Iſte ſolùm impropriè dicitur Procurator.*
22. *Procurator verus, & falſus, quis?*
23. *Procuratores ſimpliciter conſtiuti, &*
24. *Procuratores in ſolidum conſtituti, qui?*

2 QUæritur I. Quid ſit Procurator? Reſp. I. *Procurator* juxta nominis etymologiam idē eſt, ac *pro alio Curator*; nempe pro Domino, cujus loco, & nomine res, ſeu negotia ſua gerit, & adminiſtrat. Uſus quippe Procuratoris (inquit Ulpianus *in L. 1. ff. h. t.*) perquàm neceſſarius eſt, ut, qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint vel agere, vel conveniri.

3 Reſp. II. *Procurator eſt, qui aliena negotia mandato domini adminiſtrat.* Ita habetur *in cit. L. 1. ff. h. t.* & patet bonitas hujus definitionis declarando ſingulas ejus particulas.

4 Et primò quidem dicitur, *Qui.* Nomen quippe *Procuratoris* generale eſt, atque omnes omninò comprehendit, qui aliquam adminiſtrationem rerum alienarum gerunt, ſive dein hoc fiat extra judicium, ſive in judicio. Juxta quod proinde multiplex datur diviſio Procuratorum, proximè declaranda.

Dicitur deinde, *aliena negotia.* Quibus verbis indicatur materia, circa quam Procuratoris officium verſatur: nemo enim in proprijs rebus, ſeu negotijs, procuratorem agit; quia ſicut nulli res ſua ſervire dicitur, *l. In re communi. ff. de Servitut. urban.* ita & nullus res ſuas procurare, ſed potiùs tanquam dominus de ipſis diſponere cenſetur. 5

Dicitur ulteriùs, *mandato domini.* Quia per hoc differt Procurator à Negotiorum geſtore, utpote qui ſine mandato abſentium negotia utiliter gerit, 6

gerit, *L. 2. ff. de Negotijs geſtis*, &§. *1. Inſtit. de Obligat. quæ ex quaſi contract. naſc.* haud obſtante, quòd etiam Negotiorum geſtor ſubinde in Jure vocetur Procurator, *ut l. Si quis. 58. ff. de Solutionib.* Inſuper per dictam particulam Procurator diſtinguitur à Tutore, Curatote, & alijs hujusmodi, qui non mandato domini, ſed publicâ authoritate Legis, vel Magiſtratûs, aut Teſtatoris aliena negotia gerunt: at verò Procurator privato Domini mandato adminiſtrat res illius. Et additur, *adminiſtrat*, ad indicandam differentiam ejus à Poſtulatore, ſeu Advocato. Unde

Quæritur II. Quomodo Procurator differat à Poſtulatore, ſeu Advocato? Reſp. I. Inter Procuratorem, & Poſtulatorem ſeu Advocatum, multiplex eſt diſcrimen. Imprimis enim officiũ Advocati eſt publicum, atque honorificum, & pluribus gaudens privilegijs: at verò officium Procuratoris eſt privatum, vile atque oneroſũ; prout jam dictum *Tit. præced. n. 6. & 7.* Quamquam defactò officium Procuratoris in Camera Imperiali non eſſe vile, ſed honorabile, notet Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 43. n. 6.* eò quòd ibi ſit Conſiſtorium Summi Principis, ſcilicet Imperatoris, & Statuum; ac nullus in numerum Procuratorum recipiatur, niſi ſit Doctor, aut Licentiatus.

Deinde Advocatus ſolumodò exponit in judicio deſiderium ſuum, vel Clientuli ſui, aut alterius deſiderio contradicit; allegando in hunc finem merita cauſæ, ejúsque fundamenta, ſive in jure, ſive in facto conſiſtentia. Procurator econtrà adminiſtrat ipſas res, ac negotia ſui Principalis, ſive Domini, ejúsque perſonam ſuſtinet: &, ſi eſt procurator ad lites, nomine principalis litigantis agit, ſumptúsque litis ſuppeditat, ac pro Principali in judicio comparet, ſententiam excipit, & reliqua dirigit veluti adminiſtrator alterius, hoc eſt, principalis litigantis.

9 Tertiò. Advocatus, utpote gerens officium publicum, & Reipublicæ neceſſarium, poteſt compelli per Judicem ad ſuſcipiendum patrocinium ejus, qui non habet advocatum, *arg. cap. 1. de Officio Judicis. & L. 1. §. Ait Prætor. ff. de Poſtulando.* Et quidem ſub pœna privationis officij, ſi tunc pro altero absque juſta causa poſtulare recuſet, *l. Providendum. C. eod.* Econtrà nemo invitus officium Procuratoris, utpote vile atque oneroſum, ſuſcipere compellitur, *l. Invitus. C. de Procuratorib.*

10 Quartò Obligatio illa, quæ inter dominum & procuratorem conſiſtere ſolet, Mandati actionem parit, *l. Licet in popularibus. §. Ea obligatio. ff. h. t.* Unde ſi Procurator quid fraude vel dolo egerit, aut cum adverſario colluſerit, actione Mandati tenetur, *l. Si procurator. C. h. t. & l. Si procuratorem. 8. ff. Mandati.* Secùs eſt in Advocato: nam is colludens cum adverſario, vel ſecreta ſuæ partis ipſi prodens, tenetur de prævaricatione; ut *L. 1. C. de Advocat. diverſ. judicior. & L. 1. ff. de Prævaricatorib.*

11 Quintò. Procurator ad lites ſeu judicia conſtitutus, per litis conteſtationem fit dominus litis: unde ab ipſo poteſt dari alius procurator, *text. clar. cap. 1. §. Licèt. de Procuratorib. in 6.* atque ampliùs dicetur infrà *§. 5. n. 108. & 109.* Secùs fit in Advocato, *arg. L. 1. C. de Errore Advocat.* Tacentur nonnullæ aliæ differentiæ, de quibus Pirhing. *h. t. n. 2.* & alij.

Notandum tamen cum Zoëſio *h. t. §. n. 1.* & Engel *h. t. n. 2.* quòd hodie plerumque Advocati partium ſoleant ſimul conſtitui Procuratores earum: nam facilius eſt partibus, tum ad parcendum ſumptibus, tum ad alia incomoda evitanda, eundem habere ſimul & Advocatum, & Procuratorem; prout in Camera Spirenſi receptum eſſe, refert Gailus *cit. lib. 1. Practic. Obſervat. 44. n. 8.* inde concludens, quòd quia tales duplici funguntur officio, rectè & inculpatè utriusq; muneris nomine Salaria exigant, & recipiant; per textum notabilem *in l. Ijs Scholaribus. C. de Erogation. militar. annonæ, lib. 12.* 12

Quæritur III. Quæ ſit Procuratorum diviſio, & diſtinctio? Reſp. I. Generatim loquendo, Procuratores vel conſtituuntur ad judicia, vel ad negotia extra judicium pertractanda. Ita comunis. *Procuratores ad judicia*, qui alio nomine vocantur *Procuratores judiciales*, ſunt illi, qui aliorum vices in ſuſtinendis judicijs gerunt, atque in his alieno nomine lites proſequuntur: & de his in præſenti Titulo frequens occurrit mentio. *Procuratores ad negotia* (qui & *Procuratores extrajudiales* appellantur) ſunt illi, quibus negotia extra judicium gerenda demandantur: de quibus *in ff. & Cod. tit. Mandati & contrà*, paſſim agitur. 13

Porrò inter Procuratores ad lites, & Procuratores ad negotia, præter differentiam illam, quæ vi nominis importatur, aliud notabile datur diſcrimen. Siquidem Procurator ad negotia liberè poteſt ſubſtituere alium procuratorem: non item Procurator ad lites, niſi poſt litis conteſtationem, & in certis caſibus; de quibus fit mentio *in cap. 1. h. t. n. 6.* & infrà *§. ſeq. n. 36. & 38.* dicetur. 14

Deinde Procurator ad negotia licite deputatur poſt decimum ſeptimũ ætatis ſuæ añum: ad judicia verò Procurator deputari nequit, niſi ſit major viginti quinque annis, *c. Qui generaliter. §. fin. h. t. in 6. & l. Minor. 51. ff. eod.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Non eſt.* Ratio diſparitatis eſt: tum quia in negotijs regulariter non agitur de tam gravi præjudicio, ſicut in judicialibus; unde ut in his cautiùs agatur, ob majus periculum meritò Jura requirunt majorem ætatem in Procuratore ad judicia, quàm ad negotia; ut inquit Vivianus *in cit. c. Qui generaliter. §. Licèt.* poſt Geminianum *cap. 1. §. Procurator. eod. in 6.* Tum quia minor viginti quinque annis gaudet beneficio reſtitutionis in integrum: unde ne hâc occaſione eluſorium reddatur judicium, ſi fortè minorennis ille Procurator (utpote qui litem fecit ſuam poſt hujus conteſtationem) in cauſa ſuccumberet, ac poſteà peteret reſtitui in integrum, rectè non cenſetur eſſe idoneus Procurator ad lites. 15

Reſp. II. Procurator ulteriùs dividitur in generalem, & ſpecialem. *Generalis* eſt, cui univerſorum bonorum, ſive negotiorum adminiſtratio 16

ſtratio commiſſa eſt, *l. Procurator totorum. ff. h. t. & c. Dilectus.* 11. junctâ Gloſſâ, *℣. Generalis. h. t.* Vel, loquendo de Procuratore generali ad lites, qui ad omnes lites tum præſentes, tum futuras, ſui Principalis proſequendas conſtitutus eſt. Ubi ſciendum cum Abbate *c. Non injuſtè. n. 2. h. t.* & Speculatore *tit. de Procuratore. §. Ratione autem formæ. n. 9.* quòd Procurator ſimpliciter conſtitutus ad lites, non exprimendo præſentes vel futuras, videatur conſtitui ad omnes, tam ad præſentes, quàm futuras: quia non eſt major ratio de his, ac de illis: ſimúlque locutio indefinita æquipollet univerſali. *Procurator ſpecialis* econtrà dicitur, qui ad certum duntaxat negotium, aut litem expediendam datus eſt, *L. 1. §. Procurator. ff. h. t.*

17 Rurſus Procurator generalis ſubdividitur in eum, qui taliter conſtituitur adjectâ clauſulâ *cum Libera*: hoc eſt, cum plena & libera poteſtate adminiſtrandi omnia, quæ Domini ſunt, ut *l. Procurator cui.* 58. *ff. h. t.* Et in eum, qui conſtituitur Procurator generalis ſimpliciter, & ſine tali clauſula: ut fit *in cit. l. Procurator totorum. ff. eod.*

18 Eſt autem notabilis differentia inter utrumque. Nam Procurator generalis *cum Libera*, ſeu cui generaliter libera adminiſtratio rerum commiſſa eſt, poteſt omnia facere, quæ Dominus ipſemet facere poteſt: ac proinde poterit exigere, ſolvere debita creditoribus, aliud pro alio permutare, novare, & alienare. Textus eſt *in cit. l. Procurator cui. & l. ſeq. ff. h. t.* & ampliùs declarant Gloſſa, & Bartolus ibidem: meritò tamen hinc excipientes donationem, *arg. l. Filiusfamilias. ff. de Donationib.* Ubi in ſimili dicitur, quòd filiusfamilias donare non poſſit, etiamſi liberam peculij adminiſtrationem habeat, niſi ex juſta cauſa, vel patris permiſſione id fiat. *Non enim* (inquit textus) *ad hoc ei conceditur libera peculij adminiſtratio, ut perdat.* Idem ergo dicendum in propoſito de Procuratore dato *cum libera.*

19 At verò Procurator generalis ſimpliciter, & ſine *Libera* conſtitutus, nec poteſt tranſigere, *l. Mandato.* 60. *ff. h. t.* Nec pignus remittere, niſi hoc ei ſpecialiter mandatum fuerit, *l. Si conſenſit. §. Mandatum. ff. Quibus modis pignus, vel hypothec. ſolu*: Nec etiam res Domini mobiles, aut imobiles, abſque ſpeciali mandato alienare poteſt; niſi fructus, & alias res, quæ facilè corrumpi poſſunt, *d. l. Procurator totorum. ff. h. t.*

20 Reſp. III. Inſuper Procurator datur vel in rem alienam, vel in rem ſuam. *Procurator datus in rem alienam* eſt ille, qui aliena negotia de mandato Domini adminiſtrat in ejus utilitatem: & talis eſt propriè dictus Procurator, de quo potiſſimùm impræſentiarum agitur. *Procurator in rem ſuam* dicitur, qui alienum negotium de mandato domini gerit, ſed in propriam ſuam utilitatem, ſive commodum. Ut ſi pater filio, vel dominus extraneo cedat actiones ſibi competentes contra ſuos debitores, & eum conſtituat procuratorem in rem ſuam ad exercendas actiones directas: tunc enim actiones directæ ſemper remanent penes Cedentem, ſive penes patrem aut dominum; cùm ejus oſſibus cohæreant affixæ. Actiones verò utiles tranſeunt in Ceſſionarium, id eſt, in illum, cui facta eſt ceſſio actionum, qui proin actiones directas intentat procuratorio nomine, ſeu nomine alieno: ſed quia hoc ipſum fit in ſuam propriam utilitatem ſive comodum, eò quòd actiones utiles ſibi jam fuerint acquiſitæ per ceſſionem, hinc ipſe dicitur *Procurator in rem ſuam.* Gloſſa magna *in cap. 1. h. t. in 6.*

Et de tali Procuratore in rem ſuam, fit ſermo 21 *in cit. cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6. & l. Servum.* 33. *§. fin. & l. Si quis in rem.* 34. *& l. Procuratore in rem.* 55. *ff. h. t.* cum ſimilibus. Verumtamen iſte non adeò propriè, ut prior, dicitur *Procurator*; cùm potiùs propria, quàm aliena tractet negotia, ob utilitatem inde ſibi obvenientem: imò Gloſſa *in L. 1. ℣. Aliena. ff. eod.* inquit, quòd *Procurator in rem ſuam* ſolùm dicatur impropriè, non minùs, ac ſi dicatur homo mortuus.

Reſp. IV. Ulteriùs Procurator dividitur 22 in verum, & falſum. Ille eſt, qui legitimo mandato procuratorio munitus eſt. Falſus procurator econtrà cenſetur, qui vel nullum mandatum habet, vel habet, ſed inſufficiens (ut ſi habeat mandatum generale, ubi requiritur ſpeciale) vel ad cauſam pendentem impertinens, aut jam revocatum. Gloſſa *in cap. Ex parte Decani. ℣. Procurator. de Reſcript.* & Gloſſa *l. Si Procuratori falſo. ff. de Condictione cauſa data.*

Reſp. V. Quando plures ſuper eadem cauſa, 23 prout licitum eſt, conſtituuntur Procuratores, tunc ipſi vel conſtituuntur ſimpliciter, vel in ſolidũ. Patet hoc *ex c. Si duo. h. t. in 6. & l. Pluribus. ff. eod.* Porrò quando plures procuratores ſimul conſtituuntur non adjecto ly, *in ſolidum*, tunc cenſentur eſſe *Procuratores ſimpliciter conſtituti*: adeò, quòd unus ſine alio non debeat admitti, nec negotium ſive cauſam ejusmodi ſolus valeat expedire; ſed neceſſe ſit, ut ſimul interſint, & quisque eorum pro ſua parte concurrat; ut *cit. c. Si duo. h. t. in 6. & c. Cauſam matrimonij*, 16. *de Offic. Delegat. & l. Duo ex tribus. ff. de Re judicat.* Nam forma mandati exactè eſt obſervanda, *c. Cùm dilecta.* 22. *de Reſcript.*

Procuratores in ſolidum conſtituti, dicuntur illi, 24 qui dantur adjectâ hâc clauſulâ *in ſolidum*, hoc eſt, in totum. Et tunc quilibet eorum ſe ſolo poteſt negotium expedire: ita tamen, ut melior ſit conditio ejus, qui primò per litis conteſtationem negotium occupavit, & ipſe ſolus poſtmodùm admittatur, altero penitùs excluſo. Intellige, niſi in conſtitutione talium procuratorum adjectum fuerit, quòd non ſit melior conditio occupantis: tunc enim, ſi prior præ infirmitate, morte vel alio impedimento, aut quia forſan non vult, negotium non proſequatur, nec alium ſubſtituat; poteſt alter ſuſcipere, ac perficere negotium à priore inchoatum. Textus, Gloſſa, & DD. *in cit. c. Si duo. §. 1.*

§. II.

§. II.

De ijs, qui conſtituere, vel conſtitui poſsunt Procuratores.

SUMMARIUM.

25. *Quilibet poteſt conſtituere procuratorem, qui non reperitur prohibitus.*
26. *Idq; exemplificatur.*
27. *Procuratorem ad lites nequit conſtituere Pupillus, vel Minor ſine Tutoris ſeu Curatoris authoritate.*
28. *Quid, ſi ſecùs fiat?*
29. *Filiusfamilias, captus ab hoſtibus, vel bannitus, an conſtituant procuratorem?*
30. *Excommunicati non poſſunt conſtituere procuratorem ad agendum.*
31. *Benè tamen ad defendendum.*
32. *An ſi conveniantur ab alio, teneantur inviti procuratorem conſtituere?*
33. *Procurator judicialis poſt litem conteſtatam poteſt alium ſubſtituere.*
34. *Niſi ſit prohibitus.*
35. *Aut ſpecialis negotij qualitas non videatur id permittere.*
36. *Non verò ante litem conteſtatam, niſi &c.*
37. *Quando Procurator fiat dominus litis in cauſis, ubi ſummariè ac de plano proceditur?*
38. *Procurator extrajudicialis poteſt aliū liberè deputare.*
39. 40. & 41. *Limitatur tamen hoc in certis caſibus.*
42. *Procuratores ad negotia qui poſſint conſtitui?*
43. *Procurator ad lites poteſt conſtitui, qui non reperitur expreſsè prohibitus.*
44. *Etiam Filiusfamilias invito patre.*
45. *Et Laicus in cauſis etiam ſpiritualibus.*
46. *Solvitur inſtantia.*
47. *Plures ſunt perſonæ, quæ per Canones, vel Leges prohibentur conſtitui procuratores.*
48. *Ut Religioſi ſine licentia Prælati.*
49. & 50. *Et Infames, ſaltem ſecundùm Canones.*
51. *Impuberes, ac Minores ſeptendecim annis.*
52. *Fœminæ, exceptis certis caſibus.*
53. *Milites.*
54. *Abſentes Reipublicæ causâ, inviti &c.*
55. *Potentiores, alienarum litium Redemptores, Perſonæ illuſtres &c.*
56. *Procurator debet conſtitui certus; aliàs non valet talis conſtitutio.*
57. *Idq; variè probatur.*
58. *Valet tamen poteſtas data procuratori de ſubſtituendo alio, nullâ certâ perſonâ expreſſâ.*

25 QUæritur I. Quis poſſit, vel non poſſit conſtituere Procuratorem? Reſp. I. Generatim loquendo, quilibet poteſt procuratorem conſtituere, qui non reperitur prohibitus. Ita communis; & habetur *l. Mutus. 43. §. 1. ff. h. t.* Ubi hujus ratio redditur: quia iſtud Edictum eſt prohibitorium: unde eo ipſo, quòd quis ſpecialiter non reperitur prohibitus conſtituere procuratorē, cenſetur hoc facere poſſe; prout jam ſuprà *Tit. præc. §. 1. n. 8.* dictum fuit.

26 Hinc Procuratorem conſtituere poteſt Dominus cæteroquin habilis, ſive ſit præſens, ſive abſens, ſeu per nuntium aut epiſtolam, *L. 1. ff. h. t.* nulla enim certa verborum ſolemnitas hîc deſideratur. Quin etiam mutus, ac ſurdus, eo modo quo fieri poteſt, ut puta nutu, aut ſcribendo, procuratorem dare non prohibetur, *cit. l. Mutus. §. 1. ff. h. t.* Inſuper, quòd Univerſitas Scholariū poſſit ad agendum, & defendendum, procuratorem conſtituere, habetur deciſum *in c. Quia in cauſis. 7. h. t.* & ampliùs declarat Gloſſa *ibid.* ℣. *De jure communi.*

27 Reſp. II. Econtrà Procuratorem ad lites nequit conſtituere Pupillus, vel Minor habens Curatorem, niſi adſit Tutoris ſeu Curatoris authoritas, *l. Neque Tutores. 11. C. h. t.* Et meritò: quia, cùm ipſi perſonam legitimam ſtandi in judicio non habeant, alium ad hoc reddere legitimum nequeunt. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 3.*

Quòd ſi tamen à Minore datus fuerit procurator, & iſte pro Minore illo obtinuerit ſententiam, hæc valebit: ſecùs, ſi contra ipſum lata ſit ſententia, *l. Non eò minus. C. h. t.* Ubi ratio diverſitatis redditur illis verbis: *Minoribus enim ætas in damnis ſubvenire, non in rebus proſperè geſtis obeſſe conſuevit.* 28

Reſp. III. Filiusfamilias non aliter conſtituit Procuratorem, niſi quatenùs ipſe experiri poteſt, *l. Filiusfamilias. 8. ff. h. t.* Zoëſius *n. 8. ff. eod.* & alij. Item capti ab hoſtibus nequeunt dare, vel habere procuratorem: quia, quamdiu ſunt in poteſtate hoſtium, ſui juris non ſunt, nec rerum ſuarum domini, *l. Ab hoſtibus. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Bannitus quoque, cùm amiſſis ſuis bonis cenſeatur mortuus civiliter, nequit dare procuratorem. Vallenſis *cit. §. 3. n. 4. h. t.* Tacentur alij conſimiles. 29

Reſp. IV. Inſuper excomūnicati excommucatione majori non poſſunt conſtituere Procuratorem ad agendum, *arg. cap. ult. h. t.* ac notat Abbas *ibid. n. 1.* cum comūni. Quia enim excomūnicatus ab actione repellitur, ne quis cogatur cum eo comūnicare in animæ ſuæ detrimentum, *c. Exceptionem. 12. de Exception.* conſequenter nec procuratorem conſtituere poteſt ad 30

ad actum hujuſmodi, quem ipſe per ſe facere non poteſt. Nam, *cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti*, ut habet *Reg. 84. Juris in 6.* cum concordantijs.

31 Dicitur in Concluſione, *ad agendum.* Nam ad defendendum, ſeu quando ab alio convenitur, benè poteſt (imò & debet) excomũnicatus procuratorem loco ſui conſtituere: ne alioquin, ſi conveniri non poſſet, nec reſpondere teneretur, ex ſua malitia commodum reportaret. Textus eſt *in c. Intelleximus. 7. de Judicijs.*

32 Additur notanter, *imò & debet* Licèt enim non careat difficultate, imò multum de hoc diſputet Abbas *in cit. c. Intelleximus. n. 5. & ſeqq.* an in tali caſu teneatur excommunicatus, etiam invitus procuratorem conſtituere, contra *c. Querelam. 2. h. t.* vel an poſſit per ſe reſpondere, ut vult Gloſſa ibidem; dictæque Gloſſæ opinionem ipſemet Abbas pluribus firmet rationibus, eámque ſe ſemper tenuiſſe aſſerat: nihilominùs tandem *n. 6.* appellat *veram opinionem*, quòd is compellatur procuratorem conſtituere, cùm textus ibidē dicat de tali excommunicato: *Et debet per alium in judicio reſpondere.* Nam ly, *debet*, ex proprio ſignificato importat neceſſitatem; sícque non ſolùm debitum honeſtatis, ut alij volunt.

33 Quæritur II. Utrùm Procurator poſſit conſtituere, ſeu ſubſtituere alium procuratorem? Reſp. I. Procurator judicialis, ſeu ad judicia datus, poſt litem conteſtatam (quia tunc dominus litis jam eſt effectus) poteſt alium procuratorem ſubſtituere. Ita communis; & habetur expreſſum *in cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6. & l. Nulla. C. eod.* & alibi.

34 Quod tamen intellige cum Gloſſa *in cit. §. Licèt. ℣. Procurator.* quando quis eſt ſimpliciter procurator conſtitutus, vel non expreſsè prohibitus: ſecùs, ſi fuerit conſtitutus duntaxat usque ad litem conteſtatam, & expreſsè prohibitus, ne ultrà procedat; quia tunc debet dominus vel per ſe, vel alium litem cæptam finire.

35 Atque hoc ipſum procedit, quando ſpecialis negotij qualitas non videtur permittere, ut ſubſtituatur alius procurator abſque ſpeciali commiſſione: ut fit in cauſa matrimonij contrahendi, ubi procurator abſque ſpeciali mandato aliū ſubſtituere non poteſt, propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet iminere, periculum, *cap. ult. h. t. in 6.* Idque ob paritatem rationis, & naturalem æquitatem, pariter locum habet in alijs negotijs magni momenti, ſeu ubi de gravi præjudicio agitur: quia tunc in dato procuratore cenſetur electa induſtria perſonæ, *arg. c. Si pro debilitate. 3. in fin. de Offic. Delegat.* sicq; ſubſtitutioni locus non erit. Menochius *de Præſumpt. lib. 2. præſ. 38. n. 3.* Engel *h. t. n. 10.* Layman *lib. 3. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 26. n. 7.*

36 Dicitur notanter in Concluſione, *poſt litem conteſtatam.* Quia tunc Procurator fit dominus litis, ut declarabitur *§. 5. n. 109.* Verùm ante litis conteſtationem nequit Procurator ejusmodi alium ſubſtituere, niſi ſit datus in rem ſuam; vel niſi à Domino acceperit poteſtatem, ſeu mandatum de ſubſtituendo alio, juxta Textum, Gloſſam, & DD. *in cit. cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6.*

37 Porrò in cauſis illis, in quibus proceditur ſummariè & de plano, sícque non requiritur conteſtatio litis, Procurator cenſetur eſſe factus dominus litis, quamprimùm tractari cæptum eſt de meritis cauſæ, ac negotium principale diſcutitur. Barboſa *in cit. cap. 1. §. Licèt. n. 7. h. t. in 6.* citans alios: atq; indubitanter eſſe verum, cenſet Bartolus *in l. Ab executore. §. Procurator. n. 2. ff. de Appellationib.* id probans *ex L. 2. C. de Conſortibus ejusd. litis*, ubi textus inquit: *Poſt cauſam in judicio agitatam.* Et hactenus dicta procedunt de Procuratore judiciali, ſeu ad lites: nunc loquendo de Procuratore extrajudiciali, ſeu ad negotia deputato,

38 Reſp. II. Procurator extrajudicialis, ſeu datus ad negotia, poteſt alium liberè, & quandocunq; voluerit, deputare. Ita habetur expreſſum *in cap. 1. §. Procurator. h. t. in 6.* Et ratio diſparitatis inter Procuratorem ad lites, qui non ita liberè poteſt alium ſubſtituere, & inter Procuratorem ad negotia, hæc eſt: quia in negotijs regulariter non agitur de tam gravi præjudicio, ſicut in judicialibus. Vivianus *in Rationali Juris, in cit. §. Procurator*, poſt Geminianū *ibid.* id confirmans *ex c. Qui generaliter. §. fin. eod. in 6.* ubi major ſeptendecim annis admittitur Procurator ad negotia, non verò ad lites; niſi compleverit vigeſimum quintum ætatis annum.

39 Verùm & iſtud, quòd Procurator ad negotia poſſit alium liberè ſubſtituere, patitur ſuas limitationes. Et quidem imprimis fallit illud in Procuratore ad contrahendum matrimonium deſtinato: hic enim non poteſt alium ſubſtituere, niſi ad hoc habeat ſpeciale mandatum, *cap. ult. h. t. in 6.* éſtque paulò ſuperiùs *num. 35.* additâ quâdam extenſione, jam dictum.

40 Deinde Procurator generalis ad negotia, etſi poſſit unum, vel alterum particulare negotium alteri delegare, non tamen poteſt alium procuratorem cum ſimili poteſtate generali conſtituere. Layman *ad cit. cap. 1. ℣. Procurator. h. t. in 6.* éſtque in ſimili dictum ſuprà *Tit. De Offic. & poteſt. Judic. Delegat. §. 3. n. 56.*

41 Tandem Procurator ſpecialis poteſt quidem regulariter negotium ſibi comiſſum alteri demandare: id tamen fallit, quando perſonæ induſtria electa eſſe cenſetur, *arg. c. Is cui ab Apoſtolica. 12. de Offic. Delegat. in 6.* Layman *in cap. 1. ℣. Procurator. h. t. in 6.* Addit Barboſa *in Collectan. ad d. §. Procurator*, quòd procurator conſtitutus ad vendendum rem aliquam, non poſſit ſubſtituere alium, niſi in mandato explicetur pretium & forma venditionis.

42 Quæritur III. Quis poſſit, vel non poſſit conſtitui Procurator? Reſp. I. Procuratores ad negotia generaliter poſſunt conſtitui omnes illi, qui ſunt habiles & idonei ad negotium ejusmodi peragendum. Engel *h. t. n. 6.*

Reſp.

Reſp II. Loquendo de Procuratoribus ad li-
3 tes, *regulariter qui non prohibetur expreſsè, ad exercendum procuratoris officium, idoneus debet reputari*, ſicque poteſt procurator conſtitui. Textus eſt *in cap.* 1. *§.* 1. *h. t. in* 6. Nam, ut ibidem notat Gloſſa magna, Edictum de procuratoribus eſt prohibitorium, *l. Mutus. §.* 1. *ff. h. t.* Ex quo infertur, quòd quilibet poſſit eſſe procurator, qui non reperitur expreſsè prohibitus. Unde, ut alij minoris difficultatis taceantur,

Infertur primò, quod non tantùm pater, ſed
4 etiam filiusfamilias (ſi cæteroquin habilis ſit) ipſo quoq; patre invito procurator eſſe, & conſtitui poſſit, nedum ad negotia, verùm etiam ad judicia, & tam ad agendum, quàm ad defendendum. Nullo enim Jure hoc ipſi prohibitum eſt: quin potiùs conceſſum, ut *l. Filius familias. §. Ipſe quoque.* junctâ Gloſsâ marginali. *ff. h. t. & c. Qui generaliter. §. Nedum. h. t. in* 6.

5 Infertur ulteriùs, quòd Laicus, etiam in cauſis ſpiritualibus, poſſit eſſe, & admitti procurator ad agendum, & defendendum; prout deciſum habetur *in cit cap.* 1. *h. t. in* 6. eò quòd iſtud non reperiatur per Canones Laicis prohibitum. Unde Gloſſa marginalis *ibid.* poſt Gloſſam *in Clem.* 1. ℣. *Procuratorem. de Renunciat.* Ancharanum, & alios, infert, quòd Laicus poſſit à Clerico conſtitui procurator ad reſignandum Beneficium Eccleſiaſticum; & viciſſim, quòd habens gratiam acceptandi, poſſit acceptare Beneficiũ per Laicũ: quia in talibus juribus, quæ non cadunt in Laicum, ipſe eſt nudus miniſter; jura verò illa ſpiritualia immediatè, ac ſine ceſſione aliqua, tranſeunt in conſtituentem, *arg. l. Poſſeſſio quoque. ff. de Acquirend. poſſeſſ.* & notat Bartolus *ibid.*

6 Nec obſtat *c. Decernimus.* 2. *de Judicijs*, & *c. Maſſana.* 56. *de Electior.* cum ſimilibus, ubi generaliter prohibetur, ne Laici Eccleſiaſtica tractare negotia præſumant. Reſp. enim cum Hoſtienſi *in Summa. h. t. n.* 9. & Viviano *in Rationali Juris Canon. cap.* 1. *h. t. in* 6. in prædictis Canonibus ſolùm prohiberi, quòd Laicus non poſſit tractare Eccleſiaſtica negotia tanquam Principalis, ſeu ut Judex, vel Aſſeſſor, aut præcipiens: non autem, quin in eis intervenire poſſit ut porcurator, cùm ſic nomine alterius nudum exhibeat miniſterium.

47 Reſp. III. Plures tamen ſunt perſonæ, quæ tum per Sacros Canones, tum per Leges Civiles, prohibentur conſtitui Procuratores ad lites. Ita communis, & patet inductione. Sic quippe imprimis de Jure Canonico nequit agere Procuratorem excommunicatus, utpote qui non ſolùm nequit agere, aut procuratorem loco ſui ad agendum conſtituere; ſed etiam non niſi per alium in judicio reſpondere poteſt, *c. Intelleximus.* 7. *de Judicijs.* cum concordantijs, eſtque dictum paulò ſuperiùs *num.* 30. & 32.

Deinde Religioſus non poteſt eſſe Procura-
48 tor ſine licentia ſui Prælati, etiamſi per alium Religioſum ſui, vel alterius Monaſterij fuerit conſtitutus, niſi pro ſuo in eadem lite conſorte. Textus eſt *in Clem. Religioſus. h. t.* Huc addi poſſunt, quæ de Clericis, atque Religioſis, jam *Tit. præced.* §. 1. *n.* 15. & 24. & *ſeqq.* dicta fuerunt: nam ſervatâ proportione etiam in propoſito locum habent.

Tertiò, ſecundùm Canones Infamis nequit 49
eſſe Procurator; ut *can. Infamis.* 3. *q.* 7. junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Nec procurator.* Atque hoc, loquendo de cauſis, ſeu negotijs Eccleſiaſticis, & Clericorum proprijs, procedit non ſolùm de Procuratore ad judicia; uti deſumitur ex *can. Quia Epiſcopus.* 5. *q.* 3. ubi Advocatus, ſeu (ut explicat Gloſſa) Procurator ipſorum, jubetur eſſe non malæ famæ ſuſpectus, ſed bonæ opinionis, & laudabilis artis. Verùm id pariter procedit de Procuratore ad negotia, *arg. can. Indicatum diſt.* 89. ubi dicitur, quòd res Eccleſiaſticæ non niſi Clericis probatis, ſicque bonæ famæ, ſint committendæ ad adminiſtrandum. Concordat *c. Imperatorum. de Jurament. calumn.* junctâ Gloſsâ *fin.* & Abbate *ibid. n.* 9. ubi ex profeſſo hanc quæſtionem examinat.

Additur notanter, *ſecundùm Canones.* Nam 50
ſpectato Jure Civili, Infames non prohibentur eſſe procuratores, §. *fin. Inſtit. de Exceptionib.* eò quòd Procuratoris officium non ſit dignitas, à qua repelluntur Infames, ſed onus, & quidẽ vile. Verùm ſecundùm Canones ſecùs dicendum; ubi tum propter decorem Eccleſiæ, tum ne bona Eccleſiaſtica dilapidentur, Infames prohibentur eſſe procuratores rerum Eccleſiaſticarum, juxta proximè dicta.

Quartò, Impuberes ab omnibus Officijs ci- 51
vilibus debent abſtinere, ſicque officio Procuratoris fungi nequeunt, *l. Fœminæ. ff. de Reg. Jur.* Huc addi poſſunt Minores ſeptemdecim annis, qui nullo modo poſſunt eſſe procuratores ne quidem ad negotia: ac Minores viginti quinque annis, qui nequeunt eſſe procuratores ad judicia, *c. Qui generaliter. §. fin. h. t. in* 6. eſtque jam dictum ſuprà *§. præced. n.* 15.

Quintò, Fæminæ excluduntur ab officio Pro- 52
curatoris, utpote quod eſt virile, atque ultra Sexum muliebrem, *l. Alienam. C. h. t & cit. l. Fœminæ. ff. de Reg. Jur.* Niſi agant pro parentibus, quando iſti aliunde nõ defenduntur, & præ morbo vel ætate ſe ipſos defendere non poſſunt: tunc enim fæminæ pro ipſis in judicio agere, eorumq; procuratores, ſeu procuratrices eſſe valent, *l. Fœminis.* 41. *ff. h. t.* Non item pro filio pupillo, ut notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Habeant.* id probans *ex l. Alienam. C. h. t.* ubi Summarium inquit, quòd mater non poteſt defendere filium pupillum, ſed debet ei Tutorem petere. Intellige, niſi ipſa ſit conſtituta Tutrix filiorum ſuorum, ut *c. Ex parte.* 67. *de Appellat.* Tunc enim, ex quo ei conceſſa eſt adminiſtratio bonorum filij pupilli, etiam pro horum defenſione in judicio ſtare, & procuratoris munere fungi poterit. Jo. Andr. *in cap.* 2. *de Jurejurand. in* 6. Pirhing. *h. t. n.* 24

Sextò, Milites non poſſunt in alienis negotijs 53
eſſe procuratores, *l. Neque fœmina.* 54. *ff h. t.* Idque meritò: ne hâc occaſione Milites abſtrahantur à Caſtris, & omiſſo armorum uſu ad opus ru-

reſtre ſe conferant, *l. Milites noſtros.* 31. *C. de Locato.* Unde cùm ipſi armis, non privatis negotijs occupari debeant, nec pro conjunctis perſonis, ut puta patre, matre, vel uxore, procuratoris vices agere poſſunt, *l. Militem.* 7. *C. h. t.* Poſſunt tamen Milites eſſe procuratores in rem ſuam, vel in proprijs negotijs *l. Qui ſtipendia.* 9. *c. eod.* Sicut & in negotijs ſuæ Cohortis, *l. Filiusfamilias.* §. *Veterani. ff. h. t.*

54 Rurſus, qui Reipublicæ cauſâ abfuturi ſunt, procuratores eſſe nequeunt, *cit. l. Neque fœmina. ff. h. t.* Ubi hoc ipſum aſſeritur de ijs, qui perpetuo morbo detinentur, aut qui Magiſtratum inituri ſunt, aut qui ſunt inviti: quorum ultimum, loquens de invitis, pariter habetur *in c. Querelam.* 2. *h. t.*

55 Ulteriùs Potentiores prohibentur eſſe procuratores ad lites, *L.* 1. *C. Ne liceat potentioribus &c.* Idem dicendum de Redemptoribus alienarum litium, *arg. l. Litem.* 15. *C. h. t.* ac notat Engel *h. t. n.* 6. Accuſati quoque de crimine nequeunt eſſe procuratores alterius, donec probaverint ſuam innocentiam, *l. Reum.* 6. *C. h. t.* Ut taceantur Perſonæ illuſtres, utpote quæ per ſe agere non poſſunt, ſed ſolùm per procuratorem, etiam in proprijs negotijs, *l. Quicunque,* junctâ *Authen. ſeq. C. h. t.* Itē Prodigi, quibus bonorū adminiſtratio à Judice fuit interdicta, & noñulli alij.

56 Quæritur IV. An Procurator non niſi certus conſtitui poſſit? Reſp. I. Procurator debet conſtitui certus, ita quòd aliàs non valeat talis conſtitutio. Ita Gloſſa magna *in cap.* 1. *h. t. in* 6. *circa fin.* Card. Tuſchus *Litt. M. Concl.* 53. inde poſt Petr. de Ancharano *Conſil.* 22. *n.* 7. concludens; quòd ſi quis conſtituit procuratorem Seium, & ipſius Seij hæredes, mandatum non valeat quoad hæredes, quia incerti ſunt: item, quòd non valeat mandatum, per quod omnes talis loci, vel Curiæ, conſtituuntur procuratores, propter incertitudinem; ut voluit Boërius *Deciſ.* 274. *n.* 3. Cardinalis de Luca *in Annot. ad S. Concilium Trident. Diſcurs.* 26. *n.* 31. dicens: *Mandatum certæ perſonæ pro matrimonio contrahendo directum eſſe debet, neque aliter ſufficit*; & alij.

Deſumitur hoc *ex L.* 2. *ff. h. t.* ubi loquendo 57 de abſente in procuratorem conſtituendo, requiruntur hæc duo, nempe quòd *ut certus ſit, qui datus intelligitur, & is ratum habuerit*: atque ampliùs declarat Gloſſa ibidem. Accedit ratio: quia incertitudo vitiat diſpoſitionem, ut inquit Card. Tuſchus *Litt.* I. *Concluſ.* 65. *n.* 1. id probans *ex l. Duo ſunt Titij. ff. de Teſtamentar. tutel.* ubi incertitudo illius perſonæ, quæ datur ſeu conſtituitur Tutor, vitiat dationem. Concordat textus *in l. Tutor incertus. ff. eod.* ubi pariter dicitur, quòd *Tutor incertus teſtamento dari non poteſt*; junctâ Gloſsâ *ibid.* rectè hoc extendente ad procuratorem conſtitutum, ad hæredem inſtitutum, & alias hujusmodi perſonas; prout etiam Executor cuipiam conceſſus, debet eſſe certus, *c. Tibi qui.* 12. *de Reſcript. in* 6. ibi: *Certo executore conceſſo.*

Reſp. II. Quamvis Procurator debeat conſti- 58 tui certus, ut dictum; nihilominùs poteſtas data Procuratori de ſubſtituendo alio valet, licèt ſit incertus is, quem vult ſubſtituere. Ita Gloſſa magna *in cit. cap.* 2. *h. t. in* 6. *ad finem.* Idemque patet *ex d. cap.* 1. *§. Licèt.* ubi approbatur poteſtas cuipiam conceſſa ſubſtituendi alium procuratorem, *etiam certâ non expreſsâ perſonâ.* Ratio eſt: quia, quamvis incertitudo omnimoda vitiet diſpoſitionem; ſecùs tamen eſt, quando poteſt reduci ad certitudinem. Card. Tuſchus *cit. Concl.* 65. *n.* 2. poſt Fulgoſium *Conſil.* 183. Atqui hoc fit in propoſito, dum Procurator habens dictam poteſtatem ſubſtituendi alium, ſubſtituit certam perſonam, v. g. Titium; ergo. Idem patet in ſimili: quia poteſt conſtitui procurator ad eligendum, nullâ certâ perſonâ ſibi expreſsâ, quam eligere debeat, *c. Si quis juſto.* 46. *§. Porrò de Election. in* 6. haud obſtante, quòd Electus debeat eſſe certus, *cap.* 2. *eod. in* 6.

§. III

De cauſis, in quibus poteſt intervenire Procurator.

SUMMARIUM.

59. *Procurator poteſt intervenire in omnibus cauſis, ubi hoc non reperitur prohibitum.*
60. & 61. *Specialiter in cauſis civilibus, tum temporalibus, tum ſpiritualibus.*
62. *Non tamen in cauſis criminalibus criminaliter motis. Et num. ſeqq.*
63. *Saltem, quando venit imponenda pœna capitalis, vel alia major relegatione. Et num. præced.*
64. *Quod limitatur, ſi Reus eſt præſens in judicio, vel incarceratus; & qualiter tunc poſſit intervenire Procurator?*
65. *Ubi ſolùm eſſet imponenda relegatio, vel alia pœna minor, tunc in criminalibus admittitur Procurator. Et num.* 62.
66. *An admittatur Procurator, quando vir accuſat uxorem de crimine adulterij?*
67. *In contrahendo matrimonio, etiam defactò, poteſt intervenire Procurator.*
68. *Dummodò is habeat ſpeciale mandatum de matrimonio contrahendo.*
69. *Et quidem cum certâ, ſeu expreſsâ perſonâ.*

70. Pro-

70. *Procurator ad contrahendum matrimonium datus non poteſt alium ſubſtituere.*

71. *Nec validè contrahit poſt mandatum revocatum, licèt ignoret revocationem.*

Quæritur I. In quibus cauſis poſſit, vel nō poſſit intervenire Procurator? Reſp. I. Generatim loquendo in omnibus negotijs, & cauſis, poteſt intervenire Procurator, in quibus id non reperitur expreſsè prohibitum. Ita Valenſis *h. t.* §. 5. *n.* 1. Sannig. *eod. cap.* 5. *n.* 1. & alij. Ratio eſt: quia Edictum de procuratoribus eſt prohibitorium, *l. Mutus.* 43. *ff. h. t.* ac proinde, quidquid non invenitur prohibitum nominatim, debet intelligi conceſſum, *c. Cùm apud ſedem.* 23. *de Sponſalib.* Verùm deſcendendo ad magis ſpecialia,

Reſp. II. In omnibus cauſis civilibus, tum temporalibus, tum etiam ſpiritualibus interveniſre poteſt Procurator ad lites. Ita Pirhing *h. t. n.* 25. eſtque communis. Ratio eſt: quia non ſolùm nullo jure iſtud reperitur prohibitum, ſed etiam varijs in locis expreſsè conceſſum: ut *L.* 1. *ff. h. t.* ubi de cauſis civilibus generatim dicitur, quòd *uſus Procuratoris perquàm neceſſarius eſt, ut qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, ſaltem per alios poſſint vel agere, vel conveniri.* Concordat Reg. 68. Jur. in 6. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum,* cum ſimilibus.

Atque in ſpecie, quòd Procurator admittatur in cauſis ſpiritualibus (intellige, dummodò nō ſit electa induſtria, & fides perſonæ; ut *cap. ult. Is autem. de offic. Delegat.*) habetur *in cap.* 1. §. 1. *h. t. in* 6. *& c. Is cui ab Apoſtolica.* 12. *de Offic. Delegat. in* 6. Idem de cauſa matrimoniali, patet *ex cap. ult. h. t. in* 6. De cauſa pecuniaria, *l. In pecunijs.* 26. *C. h. t.* De cauſa liberali, ſeu ubi agitur de ſtatu hominis, *l. Servum.* 33. *ff. eod.* Imò, quòd poſſit procurator dari non ſolùm ad lites præſentes, ſed etiam ad futuras, conſtat *ex c. Non injuſtè.* 14. *h. t.* junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Ad futuras.*

Quæritur II. An etiam in cauſis criminalibus poſſit intervenire Procurator? Reſp. I. in cauſis criminalibus criminaliter motis, in quibus agitur de imponenda pœna capitali, vel alia corporali, quæ ſit gravior relegatione, non admittitur procurator nec ad agendum, nec ad defendendū, ſed partes tenentur perſonaliter comparere. Ita Julius Clarus *in Practic. Criminal. lib.* 5. §. *fin. quæſt.* 32. *n.* 1. *& ſeqq.* citans communem; & patet ex *can. In criminalibus.* 5. *q.* 3. *& can. ſi quando.* 2. *q.* 6. junctâ Gloſsâ *ibid.* ℣. *Per exploratores. & c. Veniens.* 15. *de Accuſation.* Idem habetur *in l. Accuſatore.* §. *fin. ff. de Publicis judicijs*: ubi nihilominùs admittitur procurator ad allegandum cauſas abſentiæ, ſeu excuſationes eorum, qui perſonaliter non comparent in judicio. Concordat textus expreſſus *in L. un. ff. An per alium cauſæ appellation. &c.* Et dum hactenus allegata Jura generaliter in cauſis criminalibus videntur excludere procuratorē; ibidem declaratur, hoc duntaxat eſſe intelligendum de illis cauſis criminalibus, ubi venit imponenda pœna capitalis, vel alia major relegatione. Adeò, ut quando agitur de imponenda pœna relegationis, vel alia minore, ut puta de pœna pecuniaria, poſſit intervenire procurator, ut explicat Gloſſa *ibid.* ℣. *Relegationem.* & Julius Clarus *d. quæſt.* 32. *n.* 5. citans plurimos alios, & communem; atque *num.* 6. hoc ipſum aſſerens de caſibus illis, in quibus tantummodò imponitur pœna privationis, ſeu depoſitionis ab Ordine, ſeu Dignitate: *In his enim* (inquit) *pariter poterit Reus per procuratorem ſe defendere; & eſt communis opinio.*

63 Ratio primæ partis Concluſionis eſt: quia alioquin, ubi de pœna capitis agitur, judicium criminale redderetur eluſorium, atq; ſententia Judicis nō facilè poſſet executioni mandari. Nam, ſi Reus per conſtitutum procuratorem reſpondens intelligeret, ſeſe condemnandum ad pœnam capitalem, vel gravem corporalem, v. g. mutilationem, tempeſtivè ſibi fugâ conſuleret: atq; ita ſententia in ipſum ferri, aut executioni mandari non poſſet; cùm abſens criminaliter condemnari (multò minùs capitaliter, vel corporaliter puniri) non poſſit, *l. Abſentem. ff. de Pœnis*: ipſe autem Procurator, utpote innocens, tali pœnæ loco abſentis Rei neutiquam ſubjici valeat. Et eadem ratio militat in Procuratore Accuſatoris: nam, ſi hic deficiens in probatione criminis, videret ſeſe condemnandum ad pœnam Talionis, pariter ſe abſentaret, ſicque etiam pœna Talionis redderetur eluſoria.

64 Limitatur tamē data Concluſio, quando Reus eſt præſens in judicio, vel in carcere conſtitutus. Quia tunc ceſſat proximè allata ratio legis, ne judicium reddatur eluſorium: ac proinde pro Reo poteſt intervenire Procurator; non quidem ad reſpondendū interrogationibus, quæ ei fiunt à Judice ſuper delicto in examine, vel tortura (ad has enim Reus tenetur perſonaliter, ſeu per ſeipſum reſpondere, utpote exactiorem præ cæteris de facto proprio habens notitiam) ſed ad opponendum exceptiones, producendum capitula, & præſtandum alia, quæ pro ipſius Rei defenſione videbuntur opportuna. Bartolus in *l. Accuſatore.* §. *Ad crimen. n.* 10. *ff. de Publicis judic.* Abbas *c. Veniens. n.* 22 *de Accuſat.* Scaccia *de Judic. lib.* 1. *cap.* 101. *n.* 44. Julius Clarus *lib.* 5. *Criminal.* §. *fin. quæſt.* 32. *n.* 16. allegans cōmunem opinionem, quam ſervat conſuetudo, & ſtylus Curiarum.

65 Altera pars Concluſionis ex eo ſuadetur: quia in pœnis levioribus, ſeu in relegatiōe, aliiſq; minoribus, ut puta in pœna pecūiaria, & huiuſmodi, ceſſat ſimiliter allata ratio legis, ne judicium reddatur eluſoriū: ſicq; non immeritò in ipſis admittitur Procurator. Imprimis enim, ubi agitur ad pœnā duntaxat pecuniariam, nihil intereſt Actoris vel Judicis, an Reus perſonaliter compareat, vel per procuratorē ſe defendat; cùm executio ſententiæ condemnatoriæ facienda ſit in bonis, nō autē in perſona Rei. Deinde loquendo de pœna relegationis, hæc ipſo facto impleretur,

tur, ubi Reus ex metu talis pœnæ perpetuò ſe abſentare, atque in exilio vivere compelleretur.

66 Hoc totum ampliùs confirmatur *ex c. Tuæ fraternitati. 5. h. t.* ubi Papa deſuper conſultus reſpondet, quòd ſi vir accuſet uxorem de crimine adulterij coram Judice ſæculari ad infligendam pœnam legalem (quæ antiquitùs fuerat pœna capitis, *l. Quamvis adulterij, C. Ad leg. Jul. de adulter.* junctâ Gloſsâ *fin. ibid.* poſteà verò quoad fæminas commutata eſt in verberationem, ac detruſionem in Monaſterium, juxta *Auth. Sed hodie, C. eod.*) tunc non poſſit intervenire procurator, ſed oporteat, ut vir præſens per ſeipſum accuſet uxorem. Si verò vir velit accuſare uxorem de adulterio coram Judice Eccleſiaſtico in ordine ad obtinendum divortium, ſeu ſeparationē thori & cohabitationis, tunc ſuſtineri poterit, ut per procuratorem accuſet; cùm talis accuſatio ſit quaſi mixta inter civilem & criminalem, prout uberiùs patet ex textu.

67 Quæritur III. An, & quâ ratione in contrahendo matrimonio poſſit intervenire Procurator? Reſp. I. Certum eſt, quòd matrimonium etiam de factò, ſeu poſt Concilium Tridentinū, validè ac licitè contrahatur mediante procuratore ad id legitimè conſtituto. Patet hoc *ex cap. ult. h. t. in 6.* & receptâ praxi Eccleſiæ, paſſim talia matrimonia, præſertim inter Principes & Magnates longè diſtantes celebrata, comprobante. Neque obſtat Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. matrim.* irritans matrimonia clandeſtina: nam matrimonium coram Parocho & teſtibus per procuratorem contractum, nullo modo poteſt dici clandeſtinum, quinimò eſt publicum, ac notum in facie Eccleſiæ.

68 Reſp. II. Nihilominùs in Procuratore ad contrahendum matrimonium conſtituto; ſequentia tria ſunt ſpecialia. Primò, debet is habere ſpeciale mandatum: aliàs non cenſetur idoneus procurator ad matrimonium nomine alterius contrahendum, *text. clar. cit. cap. ult. h. t. in 6.* Unde non ſufficit generale mandatum agendi omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale; quamvìs etiam horum nonnulla exprimantur additâ illâ clauſulâ: nam clauſula hæc includit quidem ſpecialia expreſſis ſimilia, ſed non longè majora, ut eſt matrimonium; prout ampliùs patebit ex dicendis *num. 90. & 92.*

Addit Gloſſa *in cit. cap. ult. ℣. Speciale.* & Barboſa *in Collectan. ibid. n. 2.* & Sanchez *lib. 2. de Matrim. diſp. 11. n. 4.* cum alijs, quos citant, quòd non ſolùm requiratur ſpeciale mandatum ad contrahendum, ſed etiam ſpeciale ad contrahendum cum certa, ſeu expreſſa perſona; adeò, ut non ſufficiat mandatum generale ad contrahendum cum quacunque. Idque probatur *ex l. Generali, ff. de Ritu nuptiar.* ubi dicitur: *Generali mandato quærendi mariti filiæfamilias, non fieri nuptias, rationis eſt: itaque perſonam ejus patri demonſtrari, qui matrimonio conſenſit, ut nuptiæ contrahantur, neceſſe eſt.* 69

Secundò, Procurator ad matrimonium contrahendum conſtitutus non poteſt deputare, ſeu ſubſtituere alium loco ſui, niſi pariter hoc eidem ſpecialiter ac expreſsè ſit commiſſum. Textus, & DD. *in cit. cap ult. h. t. in 6.* Sicque in præſentiarum fallit regula illa, quòd Procurator ad negotia poſſit alium liberè ſubſtituere; ut *cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6.* Ratio hujus ſpecialitatis, eſt arduitas præſentis negotij, ſeu matrimonij contrahendi; magnúmque periculum, quod ex facto tam arduo poſſet imminere, utpote in quo non de rebus externis, ſed de ipſamet contrahentium perſona agitur. 70

Tertiò, Procurator ad matrimonium contrahendum conſtitutus non poteſt illud contrahere poſt mandatum revocatum, quamvis revocatio ipſa ad notitiam ejus non devenerit. Et ſi ſecùs fiat, taliſque procurator revocatus etiam ignoranter contrahat, non tenet matrimoniū; cùm illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere non poteſt. Textus, & DD. *ubi ſuprà.* 71

§. IV.

De Mandato Procuratorio, & poteſtate per illud conceſſa.

SUMMARIUM.

72. *Mandatum procuratorium, quid?*
73. *Quæ debeat continere?*
74. *Etſi communiter detur in ſcriptis, poteſt tamen etiam probari per teſtes.*
75. *Mandatum procuratorium regulariter non præſumitur, ſed eſt probandum ab allegante. Et num. ſeqq.*
76. *Quid juris, ſi Procurator non probet Mandatum?*
77. *Mandatum procuratorium præſumitur, vel inducitur ex patientia Domini ſcientis, & non contradicentis.*
78. *Idem probatur, ſaltem præſumptivè, ex traditione, & productione inſtrumentorum, ſeu jurium.*
79. *In procuratore ad agendum conſtituto, requiritur ſpeciale Mandatum procuratorium.*
80. *Niſi agat pro conjunctis perſonis; & quæ cenſeantur Conjunctæ perſonæ?*
81. *Vel niſi agat pro Conſortibus ejuſdem litis.*
82. *In Procuratore ad defendendum, non requiritur ſpeciale Mandatum; & cur?*
83. *Satisdatio* de judicatum ſolvendo, *quid importet?*

84. *In*

84. *In dubio de Mandato procuratoris ad agendum, tenetur is anteà præſtare cautionem de rato.*
85. *Quid, ſi certum ſit, quòd quis non habeat Mandatum?*
86. *Mandatum generale ad negotia datum, etiam ad judicia ſe extendit.*
87. *Non verò econtrà; & cur?*
88. *Procurator ſimpliciter conſtitutus ad agendum, intelligitur etiam datus ad defendendum.*
89. *In praxi quid circa hoc obſervandum?*
90. *Solvitur inſtantia* ex c. Conſtitutis. h. t. *deſumpta.*
91. *Procurator generaliter conſtitutus ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, quid poſſit. Et num. ſeqq.*
92. *Si aliqua horùm ſunt expreſſa, poteſt exequi etiam cætera.*
93. *Dummodò non ſint graviora expreſſis.*
Poteſtas opponendi crimina in perſonam Electi, aut de Beneficio proviſi, requirit ſpeciale mandatum. Et num. ſeqq.
94. *Secùs dicendum de perſona Eligentium, Judicum, Teſtium &c.*
95. *Caſus plures referuntur, in quibus Procurator procedere nequit abſque ſpeciali mandato. Et n. ſeqq.*
96. *Sic in matrimonio contrahendo debet Procurator habere ſpeciale Mandatum.*
Secùs in cauſis matrimonialibus. Ibid.
97. *Requiritur etiam ſpeciale mandatum in oppoſitione criminum, & appellatione contra electionem &c.*
98. *Item in præſtatione juramenti, ac de veritate dicenda.*
99. *In deferendo juramentum ad deciſionem litis.*
100. *In tranſigendo, ac paciſcendo de rebus Domini ſui.*
101. *In compromiſſio per Procuratorem ineundo.*
102. *In impetratione Reſcripti ad lites.*
103. *Ac in petendo reſtitutionem in integrum.*
104. *Quando videlicet petitur reſtitutio principaliter: ſecùs, ſi ſolùm incidenter.*

2 QUæritur I. Quid ſit, & qualiter probetur Mandatum procuratorium? Reſp. I. *Mandatum procuratorium* dicitur illud, quo quis ad aliena negotia adminiſtranda per eorundem dominum legitimè conſtituitur. Patet hoc ex *L. 1. ff h. t.* eſtque in re communis.

3 Porrò Mandatum procuratorium, ſeu datum ad conſtituendum legitimum Procuratorem, tria potiſſimùm continere debet: primò nomen conſtituentis, & conſtituti: ſecundò mentionem cauſæ comiſſæ in genere, vel in ſpecie: & tertiò, quòd conſtituens ratum habere velit, quod cum procuratore actum fuerit. Textus eſt *in l. Procuratorem. 65. ff. h. t.* ubi iſta tria ſingillatim exprimuntur. Additur tamen in Concluſione, *tria potiſſimùm &c.* Nam ut obſervat ſpeculator *tit. De Procuratore. §. Ut autem. n. 1.* referens exactam formam Mandati procuratorij ad lites, in hoc inſuper exprimendum eſt, quo anno, menſe & die, & in cujus Notarij, teſtiúmque ſubſcriptorum præſentia, quiſpiam fuerit conſtitutus procurator: quamquàm iſta non tam neceſſariò requiri, ac requiruntur priora tria, patere poſſit ex illicò dicendis. Unde

4 Reſp. II. Etſi Mandatum procuratorium comuniter ſoleat dari in ſcriptis; idque meritò fiat ad meliorē videlicet ejus probationē; rectè nihilominùs notat Gloſſa *in cap. 1. ℣. Portitoribus.* & Abbas *ibid. n. 5. h. t.* & Jaſō *in l. Cautio. n. 6. & ſeqq. C. eod.* hanc appellans veram, & magis comunem Doctorum, quòd Mandatum procuratorium non ſolùm poſſit probari per inſtrumentum, ſed etiam per teſtes: quia quantùm ad probandum, parē vim habent teſtes & inſtrumenta; ut *c. Cùm Joannes. 10. de fide inſtrument. & l. In exercendis, C. eod.* Accedit textus *in L. 1. ff. h. t.* ubi dicitur, quòd Procurator poteſt conſtitui per nuntium, ſeu (ut explicat Gloſſa) per nunciationem: unde conſequens eſt, quòd Procurator etiam per teſtes ſufficienter probetur.

Reſp. III. Mandatum procuratorium regulariter non præſumitur, ſed eſt probandum ab allegante. Ita Maſcardus *de Probationibus, Concl.* 1008. *n.* 8. *& ſeqq.* & alij. Siquidem Mandatum procuratorium, utpote deſcendens ex animo conſtituentis procuratorem, eſt quid facti: atqui facta non præſumuntur, eò quòd ex ſui natura ſint incerta; ut *cap. 1. de Conſtit. in 6. & L. 1. C. de Probat.* cum concordantijs. Card. Tuſchus *litt. F. Concl.* 10. *n.* 1. Barboſa *Axiomat.* 93. *n.* 27. *&* 28. & communis. 75

Unde ſequitur, quòd Procuratori incumbat probare, ſe eſſe talem, *l. Actor quod C. de Probat.* Alioquin non prodeſſet actus, vigore aſſerti Mandati factus, *arg. Cùm in jure.* 31. *de Offic. Delegat.* Quin etiam Procurator, qui non probavit Mandatum, tenetur ad expenſas, damna & intereſſe alterius partis, utpote quam injuſtè vexavit. Alexander *Conſil.* 136. *n.* 1. *vol.* 6. citans alios: ac inſuper poteſt puniri pœnâ Falſi, prout deciſum fuiſſe à Dominis Rotæ *Deciſ.* 12. *de Procurat. in antiq.* refert Maſcardus *loc. cit. n.* 7. 76

Additur tamen in Concluſione, *regulariter non præſumitur.* Fallit enim hoc, quando Dominus ſcivit Procuratorem ſuo nomine agere, & non contradixit: quia tunc Dominus ille præſumitur mandâſſe, vel potiùs per talem ejus patientiam inducitur Mandatum, *l. Qui patitur. ff. Mandati.* Abbas *Conſil.* 7. *n.* 4. *vol.* 2. poſt Innocentiū *in c. In Geneſi. de Electiõn.* Jo. Andreas *c. Qui ad agendum. n. 1. de Procurat. in* 6. dicens, quòd ſi quis videt, cauſam ſuam agi ſuo nomine per falſum procuratorem, & non contradicit, fiat ipſi præjudicium: proteſtari enim debuit contra illum; alioquin procurator ille ex ſua voluntate creditur agere, cùm eum poſſet prohibere, & non prohibet, *l. Sæpè. C. de Re judicat.* Rota *Deciſ.* 454. *in novis.* Barbatia *Conſil.* 45. *&* 46. *vol.* 3. pluréſque alij, quos citat Maſcardus *d. Concl.* 1008. *n.* 18. quidquid nonnulli alij contradicant. 77

Atque

78 Atque iſtud ampliatur ad traditionem inſtrumentorum, ſive jurium: nam etiam ex horum productione, ſi ea cuipiam à Domino tradita fuerunt, reſultat probatio Mandati procuratorij ſaltem præſumptivè, *arg. c. Coram dilecto.* 34. §. 1. & tradit ibidem Baldus *n.* 2. & Felinus *n. 9. de Offic. Delegat.* Rota *Deciſ.* 68. *n.* 2. *coram Merlino.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat.* 133. *num.* 4. Maſcardus *Concl.* 1011. *num. 1. &* 3. citans alios; & poſteà *num. 5. ac ſeqq.* hoc ipſum non nihil limitans in perſona domeſtica, vel alia, quæ non fuit conſueta procurare: nam talis præſumitur potiùs habere inſtrumenta illa cuſtodiæ causâ, non autem intuitu Mandati.

79 Quæritur II. Utrùm in Procuratore requiratur ſpeciale Mandatum procuratorium? Reſp. I. In Procuratore ex parte Actoris, ſeu ad agendum conſtituto, requiritur, quòd habeat ſpeciale ac legitimum Mandatum procuratorium à ſuo Principali, de quo conſtare debet; alioquin non eſt audiendus: niſi agat pro conjunctis perſonis, vel conſortibus ejuſdem litis, ſimúlque caveat de rato. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex *cap. 1. b. t.* ubi Abbas *in Summario.* Barboſa *in Collectan. n.* 1. & alij. Ratio eſt: Tũ quia alioquin Principalis non obligaretur, neque teneretur ex eo, quod in judicio contra ipſum fuit agitatum, & concluſum, niſi tali procuratori dediſſet mandatum, *L. 1. C. Quibus res judicata non noceat, & l. Licèt.* 24. *C. h. t.* Quin potiùs ipſemet procurator conveniri deberet, *l. Plautius. 61. ff. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid. in Caſu.* Tum quia, niſi procurator de mandato ſuo legitimè docuerit, conſtare non poteſt; qualem poteſtatem habeat: nam conſtitutus ad agendum in una cauſa, non idcircò poteſt agere in alia cauſa, *c. Conſtitutis.* 12. *h. t.* Tum tandem, quia niſi de mandato procuratorio legitimè conſtaret, poſſet Principalis in lite ſuccumbens proteſtari, negaréque, talem à ſe fuiſſe procuratorem conſtitutum; ſicque ipſum Proceſſum inficiari. Atque ita olim contigiſſe refertur *in cit. cap.* 1. *h. t.* ubi proin Pontifex exinde cautior eſſe præmonitus, noluit poſterioribus ad ſe deſtinatis Portitoribus credere, ne de ipſis ſimiliter, uti de primis diceretur: ſed petivit, inſtructam perſonam cum mandato legaliter facto ſibi transmitti, ut quidquid cum ea factum fuerit, jure ſubſiſtat.

80 Additur notanter primò, *niſi agat pro conjunctis perſonis* &c. Quales *Perſonæ conjunctæ* ſunt Liberi, Parentes, Fratres, Liberti, *l. Sed & eæ perſonæ.* 35. *ff. h. t.* omnéſque Conjuncti uſque ad quartum gradum, *arg. c. Non debet. de Conſanguinit. & affinit.* ac notat Hoſtienſis *in Summa, n.* 13. *h. t.* Nam ad agendum in judicio pro conjunctis perſonis, mandatum non exigitur: tale enim præſumitur ex conjunctione ſanguinis, *cit. l. Sed & eæ perſonæ.* Ac proinde (exceptis illis caſibus, in quibus exigitur ſpeciale mandatum; ut limitat Gloſſa *in l. Exigendi.* ✠. *Non cogitur. C. h. t.*) pro perſona ſibi conjuncta admittitur procurator abſque alio mandato: dumodò de contraria illius voluntate non appareat; ſimúlque ejuſmodi procurator præſtet cautionem de rato, hoc eſt, aſſecurationem faciat, quòd Principalis totum, quidquid eſt gerendum, ſit ratum habiturus. Patet hoc *ex l. Pomponius.* 40. §. *fin. ff. h. t. & c. Nonnulli.* 28. *§. fin. de Reſcript.* ubi proin etiam ad impetrandum Reſcriptum juſtitiæ pro perſonis conjunctis, non requiritur harum mandatum.

Additur ulteriùs, *vel pro Conſortibus ejuſdem litis &c.* Nam, ubi ſunt plures Conſortes ejuſdem litis, ſeu communis negotij, poſſunt ipſi quibusdam abſentibus poſt litem conteſtatam pro ſe invicè agere, ac defendere, etiã abſq; alio mandato: dumodò caveant de rato, ac de judicatum ſolvendo, ſi petatur; ſimúlq; abſentes non ſint inviti, ſeu non contradixerint. Deſumitur hoc totum *ex L. 2. C. de Conſortibus ejusdem litis*, junctâ Gloſſâ, & Bartolo ibidem, cum alijs. 81

Reſp II. In Procuratore tamen ex parte Rei, ſeu ad defendendum (hoc eſt, in Defenſore) non requiritur, quòd comparens pro alio habeat ſpeciale Mandatum; dumodò præſtet ſatisdationem de judicatum ſolvendo. Ita habetur *l. Exigendi. 12. C. h. t. & §. fin. Inſtit. de Satisdationib.* Vallenſis *h. t.* §. 6. *n.* 3. Pirhing *n.* 47. Scaccia *de Judic. lib. 1. cap.* 101. *num.* 44. & alij. Ratio diſparitatis inter hanc, & priorem Concluſionem, eſt: quia defendere, eſt neceſſitatis: agere, voluntatis. Unde & favorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur, *l. Favorabiliores. ff. de Reg. Jur.* ac proinde meritò faciliùs admittitur Procurator ad defendendum, quàm ad agendum. Accedit, quòd hinc publicæ utilitatis interſit, abſentes à quibuscunque defendi, *l. Servum. §. Publicè. ff. h. t.* illinc autem per ſatisdationem de judicatum ſolvendo, à tali procuratore anteà præſtandam, cuivis incommodo abundè provideatur. 82

Quòd ſi pro intelligentia præmiſſorum incidenter quæras, quid importet *Satisdatio de judicatum ſolvendo*? Reſpondetur breviter, eam involvere tres clauſulas; ut dicitur *l. Judicatum. 6. ff. Judicatum ſolvi.* Primò, clauſulam *de re judicata*: hoc eſt, quòd quis promittat, ſive per pignora, ſive per fidejuſſores, ſe ſoluturum in caſum condemnationis, quod per ſententiam pronunciatum fuerit: & hoc importat ipſum nomen. Secundò, clauſulam *de re defendenda*: hoc eſt, quòd ejuſmodi Procurator promittat, defendere cauſam Rei. Tertiò, clauſulam *de dolo malo*, ſcilicet, non committendo; prout ampliùs declarat Gloſſa ibidem. 83

Reſp. III. Si rationabiliter aliquando dubitetur de mandato Procuratoris ad agendum, vel ejus validitate, tunc ipſe tenetur priùs præſtare cautionem de rato (id eſt, aſſecurationem facere, quòd Principalis totum id, quod actum fuerit, ratum habebit) antequàm admittatur. Ita communis; & patet *ex l. Non ſolùm.* 39. §. *Qui alieno.* junctâ Gloſſâ *ibid.* ✠. *Debet. ff. h. t. & L. 1. C. eod.* Idque 84

meritò

meritò ſtatutum fuit, ne ob ſolum dubium ſuper mandato procuratoris exortum, Principalibus non raro longè abſentibus, lites nimiùm protraherentur.

5 Dicitur notanter, *ſi rationabiliter dubitetur.* Nam ſecùs, ſi certum eſt, quòd quis non habeat Mandatum: talis enim nullo modo admittitur ad agendum pro extraneo, licèt velit præſtare cautionem de rato. Gloſſa *loc. cit. ℣. Debet.* & alia Gloſſa *in cap. 1. ℣. Portitoribus. h. t.* Hoſtienſis *in Summa. n. 13. h. t.* inde aſſignans differentiam inter procuratorem conjunctæ perſonæ, & extraneæ: quòd hujus procurator non admittatur etiam cum cautione de rato, quando conſtat eum non habere mandatum; benè tamen procurator perſonæ conjunctæ, idque per Jura hactenùs allegata.

6 Quæritur III. Quam poteſtatem tribuat Mandatum generale procuratori datū? Reſp. I. Mandatum generale ad negotia datum, etiam ad judicia ſe extendit; adeòque Procurator generaliter conſtitutus ad negotia (non addendo judicialia, & extrajudicialia) poteſt etiā agere, & experiri, ſeu defendere in judicio: exceptis caſibus, qui mandatum exigunt ſpeciale. Ita colligitur *ex c. Dilectus.* 11. *h. t.* & clariùs habetur expreſſum *in c. Qui generaliter.* 5. §. 1. *h. t. in 6.* juncto Sumario, Gloſſā, & DD. ibidem. Ratio eſt: quia hoc nomen *Negotia*, eſt genericum ad omnia negotia, etiam judicialia; unde etiam hæc includit, juxta *c. Forus.* 10. *de Verb. ſignif.* ibi: *Negotium multa ſignificat, modò actionem cauſæ, quod eſt jurgium litis &c.*

87 Reſp. II. Econtrà Procurator ad judicia, ſeu ad cauſas judiciales expediendas conſtitutus, nō idcircò cenſetur datus ad negotia extrajudicialia. Ita Layman *in cit. c. Qui generaliter*, & alij. Ratio eſt: tum quia hoc nomen *Judicia*, non eſt ita genericum, ſicut nomen *Negotia*; uti habetur *d. c. Forus. de Verb. ſignif.* Tum quia hæc duo ſunt ſpecies negotiorum diſtinctæ, *cit. c. Qui generaliter. §. Nedum. h. t. in 6.* Atqui mandatum procuratorium ad unam ſpeciem, non eſt extendendum ad aliam, *l. Si procurator.* 10. *C. h. t.*

88 Reſp. III. Procurator ſimpliciter conſtitutus ad agendum, intelligitur etiam datus ad reſpondendum, ſeu defendendum. Ita Gloſſa *in l. Mutus. ℣. Denegetur. ff. h. t.* Abbas *in c. Accedens. n. 5. eod.* Pirhing *h. t. n. 56.* & alij. Ratio eſt: quia Procurator ad agendum non admittitur, niſi promittat defendere Dominum, ac pro eo reſpondere, ſi reconveniatur, *L. un. C. de Satisdando*; ergo etiam poteſtas defendendi, utpote ſine qua nec agere poſſet, videtur ipſi conceſſa, *arg. c. Prudentiam. §. fin. de Offic. Delegat. & L. 2. ff. de Juriſdict. omn. judic. & l. Ad rem mobilem. ff. de Procurat.* Accedit, quòd ſi Procurator conſtitutus ad agendum nolit defendere Dominum, ac pro eo reſpondere, ipſe ab agendo repelli poſſit, & actio ei denegari, *l. Mutus. §. Pœna. ff. h. t.* & notat Gloſſa *in cit. c. Accedens. ℣. Reſpondendum. h. t.* ac proinde Procurator ſimpliciter conſtitutus ad agendum, hoc ipſo per conſequentiam videtur habere mandatum ad reſpondendum.

89 In praxi tamen conſultius eſt, ut conſtituatur Procurator cum expreſſo mandato, plenaque poteſtate ad agendum, & reſpondendum; prout Papa conſuluit *in cit. c. Accedens. h. t.* Quinimò Hoſtienſis *in Summa, h. t. n. 13.* proximè datam Concluſionem negat, aſſerens, verius videri, quod quis in dicto caſu non admittatur ad reſpondendum tanquam Procurator, ſed tanquā Defenſor, conformiter ſuprà dictis *num. 82.*

90 Dices. In *c. Conſtitutis. 12. h. t.* expreſſe habetur, quòd Procurator dimiſſus ſolummodò ad agendum, per tale mandatum procuratorium non videatur ſufficiens ad defendendum; ergo proximè data Concluſio non ſubſiſtit. Reſp. neg. conſequent. Ad *cit. c. Conſtitutis,* dicitur cum Abbate *ibid. n. 7.* quòd ibi fuerit appoſita dictio taxativa, *ſolummodò ad agendum*, quæ excludit id, quod poterat venire in vim conſequentiæ, nempe poteſtas ad defendendum: nam de natura dictionis taxativæ eſt, ponere quod affirmat, & præter id, quod ponit omne aliud excludere. Secùs eſt in caſu datæ noſtræ Concluſionis, ubi ſermo eſt de procuratore ſimpliciter conſtituto ad agendum.

91 Quæritur IV. Quid poſſit Procurator generaliter conſtitutus ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale? Reſp. I. Procurator ſub tali clauſula conſtitutus non poteſt agere illa, quæ exigunt ſpeciale mandatum; niſi quando aliqua horum ſpecificantur: tunc enim vi hujus clauſulæ poterit etiam non expreſſa, dummodò non ſint graviora ſeu majora expreſſis. Ita communis; atque habetur deciſum *in c. Qui ad agendum. 4. h. t. in 6.* illis verbis: *Qui ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, conſtituitur procurator: ex vi generalitatis hujuſmodi ad aliquem articulum, in quo ſpeciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed ſi aliquis, vel aliqui de articulis ſpeciale mandatum exigentibus ſpecificati fuiſſent, adjectâ clauſulâ generali: tunc ad non expreſſos etiam admittitur.*

92 Concordat *l. Non ſolùm. §. fin. & l. Pomponius. §. 1. ff. h. t.* quo utroque in loco procurator prohibetur agere ea, quæ requirunt ſpeciale mandatum, *niſi nominatim ei mandatum ſit.* Atqui *nominatim* illud duntaxat cenſetur exprimi, quod deſignatur expreſſo nomine proprio, vel ſufficienti circumlocutione, quæ habet vim nominis proprij; *arg. c. Licèt ex quadam. 47. §. Teſtes. de Teſtib. & l. Ubi autem. §. 1. ff. de Verb. obligat.* Et conſequenter in Jure clauſula illa, *Exequendi generaliter omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale*, rectè cenſetur nimis generalis; atque inſufficiens ad exequendum ea, quæ ſpeciale mandatum requirunt, ſeu nominatim ſunt mandanda. Niſi forſan aliqua horum ſint ſpecificata, ſeu nominatim expreſſa: quia tunc clauſulâ illâ appoſitâ jam per ſufficientem ſaltem circumlocutionem cætera intelliguntur expreſſa ſeu nominata, dummodò non ſint graviora ſeu majora expreſſis.

93 Additur notanter, *dummodò non ſint graviora &c.* Nam ſub generalitate illius clauſulæ graviora non veniunt vel majora, quàm in ipſo procuratorio ſunt expreſſa; prout declaravit Pontifex *in Clem. 2. h. t.* inde inferens, quòd Procurator habens mandatum jurandi de calumnia, & omnia faciendi, quæ requirunt ſpeciale mandatum; non poſſit in perſonam Electi, aut de Beneficio proviſi, opponere crimina, vel defectus. Siquidē poteſtas opponendi crimina in perſonam Electi, aut de Beneficio proviſi, eſt quid graviſſimum: quia hinc periclitatur fama, & ſtatus illius, contra quem fit oppoſitio; illinc autem conſtituens ad hoc procuratorem, atque in probatione deficiens, graviter venit puniendus; ut *in cap. 1. §. fin. de Election. in 6.*

94 Dicitur, *in perſonam Electi &c.* Nam, quia *in cit. Clem. 2. h. t.* nulla fit mentio Eligentium vel Providentium, Judicum, Teſtium, & his ſimiliū; atque inſuper in his non procedit allata ratio (tales enim dum quandoque contra ipſos excipitur objiciendo delictum, ex hujus probatione non puniuntur, ſed ſolùm repelluntur, *cap. 2. de Ordine cognit. & cap. 1. de Exceptionib.*) Hinc in perſonas hujusmodi, etiam absque ſpeciali mandato, poſſe per procuratorem opponi crimina in forma exceptionis, ſeu ad ipſas repellendas, tenet Gloſſa *in d. Clem. 2. ℣. In perſonam.* & Abbas *ibid. n. 2.* Imola *§. Gloſſa in perſonam.* Pirhing *h. t. n. 63.*

95 Quæritur V. Qui ſint caſus illi, in quibus Procurator procedere nequit absque ſpeciali mandato? Reſp. Horum ſunt plures, quos enumerat Gloſſa *in d. c. Qui ad agendum. ℣. Vel paciſci. h. t. in 6.* & Speculator, ſive Durandus *in Speculo. tit. De Procuratore. §. 1. n. 4.* ubi viginti quatuor tales caſus allegat, quibus nonnulli alios, ſed minùs certos ſuperaddunt. Ex his principaliores, magisque indubitati, ſunt ſequentes.

96 I. Procurator ad contrahendum matrimonium debet habere ſpeciale mandatum: aliàs non cenſetur idoneus, *text. clar. cap. ult. h. t. in 6.* Dicitur notanter, *ad contrahendum matrimonium.* Aliàs enim in cauſis matrimonialibus, puta ad agendum ſuper valore, vel nullitate matrimonij jam contracti, ſufficit mandatum generale ad omnes cauſas motas, & movendas: eò quòd cauſa matrimonialis etiam ſit cauſa aliqua, ac proinde ſub mandato illo generali rectè comprehendatur, cùm contrarium nullo jure reperiatur cautum. Atque ita reſolvit Rota *Deciſ. 25. de Procurat. in novis.* quam citat, & ſequitur Sperellus *Deciſ. 25. Fori Eccleſiaſt. n. 14.* allegans inſuper Bellameram *Deciſ. 5. n. 1.* & Lotterium *de Re Benefic. lib. 2. quæſt. 20. n. 129. & ſeqq.* qui ait, Rotam ſemper amplexam eſſe hanc ſententiā: quidquid in contrarium teneat Gloſſa *c. Qui ad agendum. ℣. Vel paciſci. h. t. in 6.* citans Vincentium, & quidam alij apud Sperellum *cit. Deciſ. 25. num. 1.* in contrarium allegati. Cæterùm quòd Procurator ad contrahendum matrimonium deputatus, nequeat absque ſpeciali mandato ſubſtituere alium, jam dictum eſt ſuprà *num. 35. & 39.*

II. Requiritur ſpeciale mandatum, ut Procurator poſſit opponere crimen, ſeu defectum contra perſonam Electi, ſeu Proviſi, juxta proximè dicta *num. 94.* III. Requiritur ſpeciale mandatum, ut Procurator ad appellandum contra electionem, poſtulationē aut proviſionem alicujus, reputetur idoneus, *c. Procurator. 38. de Election. in 6.* 97

IV. Procurator ad lites non poteſt absque ſpeciali mandato præſtare juramentum calumniæ, *arg. cap. ult. de Jurament. calumn. & Clem. 2.* junctâ Gloſſâ *℣. Jurandúmque. h. t.* V. Atque hoc ipſum eſſe dicendum de juramento de veritate dicenda, deſumitur *ex cit. Clem. 2.* & Gloſſâ *℣. Jurandúmque.* Imola *ibid. §. 1.* 98

VI. Inſuper Procurator absque ſpeciali mandato, vel niſi eidem adminiſtratio cauſæ ſub clauſula *Cum libera* fuerit conceſſa, nequit parti alteri deferre juramentum ac deciſionem litis; prout conſtat *ex c. Qui ad agendum. §. fin. h. t. in 6. & l. Jusjurandum quod. 17. §. fin. & l. Jusjurandum & ad pecunias. 34. §. Defenſor. ff. de Jurejurand.* 99

VII. Non poteſt etiam tranſigere absque ſpeciali mandato, vel dictâ liberâ poteſtate, *cit. c. Qui ad agendum. §. fin. & d. l. Jusjurandum quod. §. fin. ff. de Jurejurand.* Quod tamen limita, niſi ſit datus Procurator in rem ſuam. Similiter nequit Procurator paciſci de rebus Domini, ſeu Principalis, absque ejusdem ſpeciali mandato, vel liberâ poteſtate adminiſtrandi; *cit. c. Qui ad agendum. §. fin. h. t. in 6.* 100

VIII. Requiritur pariter ſpeciale mandatum in Compromiſſo per Procuratorem ineundo, *c. Per tuas. 9. de Arbitris*, junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Generale mandatum*, cum concordantijs per eam adductis. Si tamen arbitrium ab utraque parte receptum fuerit, ſive ratum haberi cœperit, valet, debetque executioni mandari, licèt per generalem duntaxat procuratorem factū fuerit compromiſſum: prout *in cit. c. Per tuas.* habetur deciſum. Tunc enim ex mutuo partium conſenſu, & approbatione, vires ſuas acquirit. 101

IX. Requiritur ſpeciale mandatum in impetratione Reſcripti ad lites: niſi impetrans ſit de conjunctis perſonis, in quibus non exigitur ſpeciale mandatum, *c. Nonnulli. 28. §. Sunt & alij. & c. Ex parte. 33. de Reſcriptis*, eſtque ampliùs dictum *Tit. 3. De Reſcriptis. §. 2. num. 57. & ſeqq.* 102

X. Tandem, & tacendo alios caſus, de quibus Gloſſa, & Speculator, *ubi ſuprà*, requiritur ſpeciale mandatum ad petendam reſtitutionem in integrum, *arg. Coram felicis. 7. De in integrum reſtitut.* ubi Gloſſa, *℣. Mandatum*, & Abbas *num. 4.* & alij. Concordat *l. Illud nullam. §. fin. ff. de Minorib.* 103

Intellige, quando reſtitutio petitur principaliter: ut ſi reſtitutio in integrum per ſe, atque ab ipſa ordiendo, petatur contra contractum, ex quo quis graviter ſeſe læſum deprehendit; vel contra ſententiam, quæ per lapſum decendij jam tranſijt in rem judicatam. Secùs enim dicendum, quando reſtitutio in integrum incidit in cauſam, procuratori 104

tori generaliter commiſſam: ut ſi ea ſit petenda ſuper certo duntaxat articulo ante ſententiam diffinitivam, v.g. ad proponendam exceptionē, vel probationē anteà omiſſam, ex qua quis graviter læderetur; vel incontinenti poſt diffinitivam, aut intra decendium, antequàm ſententia tranſijt in rem judicatam, petatur. Quia tunc reſtitutio incidenter peti poteſt per procuratorem, qui litem fuit conteſtatus, abſque alio ſpeciali mandato. Gloſſa *in c. Suſcitata. ℣. Poſtulavit,* & Abbas *ibid. n. 5. De in integrum reſtitut.* Nam incidenter multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur: quinimò ratione incidentiæ ampliatur jurisdictio; ut *c. Cauſa. 9. eod. & l. Quoties. C. de Judicijs*, ubi Judex poteſt incidenter de cauſa cognoſcere, de qua non poſſet principaliter. Concordat *c. Prudentiam. 21. §. Si verò. de Offic. Deleg.* ubi Delegati eandem jurisdictionem, quam in principali, exercent etiam in acceſſorio.

§. V.
De alijs effectibus Mandati Procuratorij.

SUMMARIUM.

105. *Effectus Mandati procuratorij, qui? Et num. ſeqq.*
106. *Ratum eſt, quod à Procuratore vi mandati agitur. Et num. ſeqq.*
107. *Procurator non præjudicat Domino, ſi extra fines mandati quid egerit.*
108. *Procurator acquirit ſibi actiones &c.*
109. *Fitque poſt litem conteſtatam dominus litis; & cur?*
110. & 111. *Actio mandati directa, ſeu competens Domino contra Procuratorem, ſive Mandatarium, quid importet? Et num. ſeq.*
112. *Procurator an teneatur de leviſſima culpa?*
113. *Actio mandati contraria, quid?*
114. *Procurator quas expenſas repetat à Domino? Et num. 113.*
115. *Spectato Jure Civili, verba ſententiæ ſunt concipienda in perſonam Procuratoris præſentis.*
116. *Dummodò verba ſententiæ rectè in ejus perſonam concipi valeant.*
117. *Secundùm Canones non curatur hæc ſolemnitas Juris Civilis.*
118. *Eſt conſultum, ut ſententia concipiatur in perſonam utriusque, Procuratoris nimirum & Domini.*
119. *Procuratoris generalis negligentia, vel dolus, nocet Domino.*
120. *Procuratoris ſpecialis negligentia, vel dolus, non præjudicat Domino, ſi fines mandati exceſſerit.*
121. *Benè tamen, ſi fines mandati non excedat.*
122. 123. & 124. *Afferuntur varia hujus exempla.*
125. *An etiam confeſſio, aut error Procuratoris noceat Domino?*
126. *Quid dicendum de erroribus Advocatorum?*
127. *Notabilis objectio, ac declaratio Concluſionis. Et num. ſeqq.*
128. *Contra Procuratorem negligentem, aut doloſum, competit Domino Actio mandati directa.*
129. *Et ſi Procurator non eſt ſolvendo, conceditur reſtitutio in integrum Domino petenti.*

105 QUæritur I. Qui ſint effectus Mandati procuratorij? Reſp. I. Præter poteſtatem agendi nomine Principalis, de qua proximè, potiſſimùm ſunt tres Mandati procuratorij effectus, ad quos cæteri commodè reducuntur.

106 Primus eſt: Ut ratum ſit, quod à Procuratore vi mandati agitur. Nam factum Procuratoris vi mandati, cenſetur factum Domini, juxta Reg. 72. Juris in 6. *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum*, cum concordantijs.

107 Additur notanter, *vi mandati.* Quia generaliter loquendo plus non poteſt Procurator, quàm vi mandati ſui fuit expreſſum, ſibique injunctum: ut enim *l. Diligenter. ff. Mandati*, dicitur: *Diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt: nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur: & ſi ſuſceptum non impleverit, tenetur.* Quòd ſi igitur Procurator fines mandati rectè cuſtodierit, & juxta illud proceſſerit, ratum eſt, quod ab eo agitur, factumque ipſius Domino ſuo prodeſt, vel nocet. Si verò extra fines mandati quid egerit, in eo non præjudicat Domino ſuo, *l. Si Procurator. 10. C. h. t.* Idque meritò: Tum, ne quis alieno facto oneretur, *l. In cauſæ. 27. ff. h. t.* Tum quia ejusmodi procurator fines mandati excedens, aliud quid facere cenſetur, quàm ſibi injunctum fuerat, *cit. l. Diligenter.*

Alter Mandati procuratorij effectus eſt, quòd Procurator, dum ipſemet agit, ſeu verba in ſuam perſonam concipiendo contrahit (ſecùs, ſi ut nudus miniſter Domini interveniat, ejúsq; nomine contrahat) actiones atque obligationes ſibi acquirat, quas deinde Domino, ſeu Principali ſuo cedere debet, *arg. d. l. In cauſæ. §. Si ex parte. ff. h. t.* Layman *cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6. & lib. 3. Theolog. Moral. tract. 4. cap. 26. n. 14.* poſt Molinam *Tom. 2. diſp.* 551. & alij. 108

Et hâc ratione Procurator per litis conteſtationem efficitur dominus litis, juxta *cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6.* quando videlicet ipſemet agit, & nō ut nudus miniſter intervenit: quia per litis conteſtationem partes inter ſe quaſi contractum ineunt, ſibique mutuò obligantur, *arg. l. Licèt Prætor. §. Idem ſcribit. ff. de Peculio.* Unde ulteriùs fit, quòd talis Procurator poſteà revocari invitus non poſſit, juxta dicenda *num.* 132. 109

132. *& ſeqq.* Simúlque alium ſuo loco ſubſtituere valeat, ut dictum ſuprà §. 2. *num.* 33. Atque inſuper ſententia condemnatoria non contra Dominum principalem, ſed in ipſummet Procuratorem concipi debeat, ſaltem ſecundùm rigorem Juris Civilis, *L. 1. C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* de quo tamen plura *num. 115. & ſeqq.*

110 Tertius Mandati procuratorij effectus, eſt duplex actio. Una dicitur *Actio mandati directa*, quæ competit Mandatori, ſive Domino principali contra Procuratorem, ſeu Mandatarium, ut hic ipſi rationem reddere debeat omnium, quæ geſſit: ſimúlque ei Procurator reſtituere teneatur, quidquid ex lite conſecutus fuit, ſive juſtè, aut occaſione negotij plauſibiliter geſti debitum ſit; ſive injuſtè, hoc eſt per errorem, aut per injuriam Judicis, id conſecutus fuerit. Textus eſt *in l. Qui proprio. 46. §. Procurator. ff. h. t.*

111 Inſuper ex vi Actionis mandati directæ, quam habet Dominus contra Procuratorem, manet iſte Domino ſuo obligatus ad compenſandum omne damnum atque intereſſe, quod per dolum, culpam aut negligentiam ipſius domino ſuo illatum fuit; prout deſumitur *ex l. Si procurator. 10. & l. Licèt in popularibus. 42. §. Ea obligatio. C. h. t. & l. Si procuratorem. 8. §. fin. ff. Mandati. & l. Procuratorem. C. eod.* In quo poſtremo loco dicitur, quòd procurator tenetur de culpabiliter geſtis, & culpabiliter non geſtis, quæ gerenda ſuſcepit.

112 Accedit textus expreſſus *in l. A procuratore. 13. C. Mandati*, ubi Juris authoritate manifeſtum eſſe dicitur, *à procuratore dolum & omnem culpam, non etiam improviſum caſum, præſtandum eſſe.* Quod quidem Gloſſa *ibid. ℣. Et omnem culpam*, ac alij intelligunt etiam de leviſſima culpa. Rationem dant: tum quia, qui dicit, *omnem culpam*, nullam omiſit. Tum quia, quòd Procurator teneatur de leviſſima culpa, mirum eſſe non debet propter tacitam aſſertionem induſtriæ ſuæ, cùm Procurator propter ſolam induſtriam eligatur; prout *in Additione ad cit. Gloſſam*, argumentantur Cynus, Jac. de Aretio, & Dynus.

113 Altera dicitur *Actio mandati contraria.* Et hæc convenit Procuratori contra Dominum ad repetendas omnes expenſas, quas occaſione mandati ſibi commiſſi, & cujus fines non exceſſit, bonâ fide fecit. Patet hoc *ex cit. l. Qui proprio. §. Item contra. ff. h. t. & c. Cùm pro cauſa. 6. h. t.* In quo poſteriori loco Gloſſa, *℣. Propter hoc.* & Abbas *ibid. num. 5.* & alij, hoc intelligunt, tametſi negotium geſtum non habuerit bonum exitum ſine culpa procuratoris: ut quia in cauſa ſuccubuit, aut aliud negotium bonâ fide, etſi inutiliter, geſſit. Adhuc enim poteſt repetere omnes expenſas, quas fecit occaſione mandati ſibi commiſſi, *l. Etiam ſi. 4. C. Mandati.*

114 Intellige, niſi culpâ ſuâ quædam expenſæ factæ ſint: hoc enim nō repetit procurator, *cit. l. Etiam ſi.* Sicut etiam pœnam, quam ex ſuo delicto præſtitit, is recuperare non debet. *d. l. Qui proprio. §. Item contra. ff. h. t.*

Quæritur II. An, ubi intervenit Procurator, verba ſententiæ condemnatoriæ concipienda ſint in perſonam Procuratoris præſentis, vel Domini abſentis? Reſp. I. Spectato rigore Juris Civilis, ferenda eſt ſententia in perſonam Procuratoris. Patet hoc ex *L. 1. C. de Sent. & interlocut. omn. judic.* ubi hæc obſervantia adeò ſtrictè exigitur, ut ſententia illa dicatur ipſo jure nulla, quæ fuit lata in perſonam Domini, qui in judicio nunquam fuit, & non in perſonam Procuratoris. Accedit ratio: quia Procurator per litis conteſtationem factus eſt dominus litis, *cap. 1. §. Licèt. h. t. in 6.* Atqui ſententia eſt ferenda in dominum litis, non autem in illum, qui judicio nunquam interfuit; ergo. Accedit, quòd ſi Dominus deberet condemnari, fruſtrà Procurator cogeretur cavere de rato, & de judicatum ſolvendo; prout tamen tenetur, conformiter dictis ſuprà *§. 4. n. 79. & ſeqq.* 115

116 Intellige tamen cum Bartolo *in cit. L. 1. n. 1. C. de Sent. & interlocut.* Abbate *in c. Querelam. n. 10. de Electiion.* & alijs, dummodò verba ſententiæ rectè poſſint concipi in perſonam procuratoris. Dantur enim certæ cauſæ, in quibus tenor ſententiæ non patitur, ut verba referantur ad procuratorem, & tunc haud dubiè ea debent concipi in perſonam Domini abſentis: ut fit in cauſis matrimonialibus, ubi non poteſt procurator condemnari ad ducendam uxorē, vel reddendum ei debitum. Item in cauſis Beneficialibus, ubi Clericus eſt privandus Beneficio: tali enim nequit privari Procurator laicus, cùm titulum in eo non habeat. Idem accidit in cauſis criminalibus, ubi venit imponenda pœna relegationis, vel alia corporis afflictiva. Tacentur aliæ hujuſmodi cauſæ, præſertim ſpirituales.

117 Reſp. II. Nihilominùs Eccleſia non multùm curat de illa ſolemnitate Juris Civilis; ut inquit Gloſſa *in c. Suſcitata. ℣. Monaſterium. De in integrum reſtitut.* & Abbas *in cit. c. Querelam. n. 1. de Election.* Unde ſecundùm Canones quandoque fertur ſententia in perſonam Procuratoris; ut *in d. c. Querelam. de Election. & c. Conſtitutus. 6. de Religio. domib. & c. Dilectus. 2. de Capellis Monach.* Quandoque autem ea fertur in perſonam Domini principalis; ut *cit. c. Suſcitata. De in integrum reſtitut. & c. Licèt cauſam. de Probationib. & c. Sopitæ. 14. de Cenſibus.*

118 Cæterùm Gloſſa *in cit. c. Querelam. ℣. Oeconomi. de Elect.* & alia Gloſſa *in d. L. 1. C. de Sentent. & interlocut.* conſulunt, quòd ad evitandum omne periculum, vel dubium, ac ſecundùm conſuetudinem formetur ſententia in perſonam utriusque, Domini videlicet & Procuratoris; prout fit, *in c. Inter dilectos. 6. §. fin. de Fide inſtrument.* ibi: *Procuratorem tuum nomine tuo, & Mediolan. Eccleſiæ, ſententialiter duximus abſolvendum.*

119 Quæritur III. Utrùm negligentia, vel dolus Procuratoris noceat Domino? Reſp. I. Loquendo

do de Procuratore generali omnium rerum, certum eſt, quòd ejus factum, ſive negligentia & dolus noceat Domino. Patet hoc *ex l. Procuratoris. ff. de Tributor. action.* ubi dicitur, *Procuratoris ſcientiam, & dolum nocere debere domino.* Quem textum Gloſſa *ibid.* ℣. *Procuratoris*, & Abbas *in cap. 1. n 16. Ut lite non conteſtatâ &c.* intelligunt de Procuratore generali. Accedit ratio: quia ſibi imputet Dominus, quòd negligentem, aut doloſum procuratorem, præſertim generalem omnium rerum ſuarum, conſtituerit, *l. Cùm mandato. ff. de Minorib.* ipsique non meliùs invigilaverit. Quamquàm per hoc non negetur, quin Actio mandati directa competat Domino contra Procuratorē adeò negligentem, vel doloſū.

120 Reſp. II. Loquendo de Procuratore ſpeciali, ſi is negligentiâ, vel dolo fines mandati exceſſerit, nullum exinde præjudicium Domino infertur. Ita communis; idque patet ex *l. Si procurator. C. h. t.* cujus verba illicò afferentur, & ex dictis ſuprà *n.* 107.

121 Reſp. III. Negligentia, vel factum Procuratoris etiam ſpecialis, qui fines mandati non excedit, præjudicat Domino; quamvis, ſi quid fraude, dolo aut culpâ Procuratoris geſtum fuerit, adversùs eum competat Domino Actio mandati directa ad recuperandum damna, & intereſſe. Ita Gloſſa *fin. in cap. 1. Ut lite non conteſtata &c.* & Abbas *ibid. n.* 15. *& ſeqq.* Bartolus *in L. un. n. 1. & ſeqq. ff. Si quis jus dicenti &c.* Zoëſius *h. t. ff. n.* 22. Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat.* 45. *n.* 1. *& ſeqq.* Engel *h. t. n.* 17. & alij. Patet hoc, præter Jura in progreſſu alleganda, *ex l. Si procurator. C. h. t.* ubi dicitur: *Si procurator ad unam ſpeciem conſtitutus, officium mandati egreſſus eſt, id quod geſſit, nullum Domino præjudicium facere potuit. Quòd ſi plenam poteſtatem agendi habuit, rem judicatam reſcindi non oportet: cùm ſi quid fraude vel dolo egerit, convenire eum more judiciorum non prohibearis.* Hæc ibi. Quem textum Gloſſa marginalis ibidem ait eſſe valde notabilem ad hoc, quod Dominus tenetur ratum habere id, quod factum eſt doloſè per Procuratorem.

122 Confirmatur, & probatur ampliùs Concluſio inductione. Etquidem, quòd negligentia Procuratoris, qualis ſolet conſiſtere in omittendo, in damnum redundet ſui Principalis, clarè colligitur *ex c. Cùm veniſſent, 2. §. Nos igitur. De in integrum reſtitut.* ubi proin Pontifex Monaſteriū cenſet reſtituendum in integrum, ne ex tali procuratoris negligentia graviter lædatur. Sic enim, quando Procurator eſt negligens in producendo teſtes, vel alias probationes intra terminum, nocet Domino: ſicut &, quando is poſt latam ſententiam intra decem dies non appellat. Bartolus *loc. cit. n.* 2.

123 Deinde contumacia Procuratoris, quæ pariter conſiſtit in omittendo, ſeu quando is legitimè citatus in judicio comparere negligit, nocet Domino quoad miſſionem in poſſeſſionem ex primo Decreto; ut *l. Eum qui res. C. h. t. & l. Quoties. C. de Dignitat. lib.* 12. Nocet etiam Domino malitia, ſeu contumacia Procuratoris ſui reſpondere nolentis in cauſa appellationis, ita quòd poſſit procedi in abſentem perinde, ac ſi peremptoriè Dominus fuiſſet citatus, *c. Sæpè contingit. 44. de Appellat.* Ubi Gloſſa ℣. *Reſponſalis*, inde pariter concludit, quòd negligentia, ſive dolus procuratoris, noceat domino. Quinimò, ſi Dominus ratam habeat contumaciam ſui procuratoris, aut eam ſciens non purget, propter eam etiam poterit excommunicari, *cap. 1. §. fin. Ut lite non conteſtata &c.* Sic enim per ſuum conſenſum, alienam culpam facit propriam.

Inſuper, quòd etiam factum Procuratoris præjudicet Domino, niſi fines mandati excedat: deſumitur *ex c. Cùm olim Abbas 32 de Offic. Deleg. & c. Cùm olim. 7. de Cauſa poſſeſſ. & propriet. & cit. l. Si procurator. C. h. t.* cum ſimilibus. Unde impetratio ſuſpecti Judicis per Procuratorem facta, præjudicat Domino; adeò, ut hic eum ampliùs recuſare non valeat, *arg. c. Cùm olim. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.* 124

Rurſus confeſſio, imò & error Procuratoris, nocet Domino; ut *c. Suborta. 21. de Sentent. & re judicat.* & notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Per confeſſionem.* Quod intellige, niſi Dominus illam revocet, probando errorem ſui Procuratoris, *arg. cap. ult. de Confeſſis*, & notat Abbas *in cit. cap.* 1. *n.* 31. *Ut lite non conteſtata.* Aut niſi Procurator ultrò, & abſque ulla neceſſitate, fateatur intentionem Actoris: nam confeſſio voluntariè, ac ſine neceſſitate facta, cenſetur potiùs donatio ſeu renunciatio juris, qualis ſine ſpeciali mandato per procuratorem fieri nequit; ac proinde talis confeſſio non nocet domino, *arg. l. Certum §. Sed an. ff. de Confeſſis* & docet Abbas, *ubi ſuprà num.* 29. Sed de confeſſione Procuratoris plura *Lib.* 2. *Tit.* 18. *De Confeſſis.* §. 4. *n.* 90. *& ſeqq.* 125

Cæterùm loquendo de erroribus Advocatorum, qui non ſunt ſimul Procuratores, Jure certum eſt, quòd error Advocati ſuo Clientulo nō noceat, niſi is præſens fuerit, & incontinenti (hoc eſt, intra triduum) non contradixerit, neque poſt ſententiam appellaverit, *L. ult. C. de Errore Advocat.* Nam ſi præſens erat ſuus Clientulus, nec contradicebat, dicta ab Advocato perinde habenda ſunt, ac ſi ab ipſis Dominis litium dicerentur, *L. 1. C. eod.* 126

Dices. In *L. un. §. Si procurator. ff. Si quis jus dicenti &c.* expreſsè dicitur, *Si procurator tuus, vel Tutor, vel Curator, jus dicenti non obtemperaverit, hoc Edicto ipſe punitur, non dominus, vel pupillus*; ergo contumacia procuratoris non videtur nocere domino. Accedit textus apertus *in l. Ignorantis. 49. ff. h. t.* ibi: *Ignorantis domini conditio deterior per procuratorem fieri non debet.* Atque ut habet Reg. 22. Jur. in 6. *Non debet aliquis alterius odio prægravari.* Quin potiùs peccata ſuos authores tenere debent, *c. Quæſivit. De his quæ fiunt à major. part. Capit.* cum ſimilibus; ergo. Reſp. Textum *in cit. l. un. §. Si procurator.* & alia hujusmodi Jura potiſſimùm velle, quòd negligentia, ſeu dolus Procuratoris, non præjudicet Domino quoad ea, quæ ſunt extrinſeca ſeu non concernentia Proceſſum judicialem, ut puta quoad pœnam ſeu impoſitionem mulctæ, adeò, ut Dominus principalis non ſit puniendus ob culpam à ſuo Pro- 127

Procuratore commiſſam. Non tamen negare, quin negligentia, vel dolus Procuratoris noceat ſuo Domino quoad ea, quæ reſpiciunt Proceſſum judicij; prout volunt Jura *num.* 121. *& ſeqq.* allegata, & poſt Innocentium *in cap.* I. *Ut lite non conteſtata &c.* notant Abbas *ibid. n.* 16. & Bartolus, *ubi ſuprà, num.* 2. qui hanc materiam fuſiùs declarant.

128 Ad *l. Ignorantis*, & alios textus Juris dicitur, hoc ſufficienter ſalvari ex eo: quia contra Procuratorem negligentem, aut fraude, dolo ſeu culpâ ſuâ quid indebitum gerentem, competit Domino principali remedium ordinarium, videlicet Actio Mandati directa ad recuperandum damna, & intereſſe; prout conſtat ex *cit. l. Si procurator.* 10. *C. h. t.* cum concordantijs ſuprà *num.* 110. *&* 111. adductis, & notat Abbas *loc. cit. n.* 21. & Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 44. *n.* 4. cum alijs. Atque ad hoc indicandum notanter *num.* 117. in Concluſione additum fuit: *Quamvis ſi quid fraude, dolo aut culpâ procuratoris* &c.

129 Quòd ſi verò Procurator negligens ſolvendo non ſit, atque ideò Dominus principalis damna & intereſſe ab eo viâ actionis recuperare nequeat; tunc reſtitutio in integrum Domino petenti ex æquitate concedenda eſt, *arg. l. Et eleganter. §. Si dolo. ff. de Dolo malo. & L. ult.* §. 1. *ff. De eo, per quem factum eſt &c.* atque notat Gloſſa *in c. Cùm veniſſet. ℣. Reſtituimus. De in integrum reſtitut.* Abbas *ubi ſuprà, n.* 16. Gailus *cit. Obſervat.* 44. *n.* 6. & alij. Siquidem reſtitutio in integrum ex quacunque juſta cauſa conceditur, *L.* 1. *ff. Ex quibus cauſis majores &c.*

§. VI.

De ceſſatione, ac revocatione officij Procuratoris.

SUMMARIUM.

130. *Quinque potiſſimùm modis finitur officium Procuratoris. Et num. ſeqq.*
I. Revocatione. II. Renunciatione. Ibid.

131. *III. Finitâ inſtantiâ judicij.*
Procurator ſuccumbens tenetur appellare, vel Domino denunciare. Ibid.

132. *IV. Per mortem Domini re integrâ.*

133. *Niſi Dominus pro ſciente & non contradicente Procuratore caverit.*

134. *Quid, ſi Dominus moriatur re non integrâ? Et num.* 132.

135. *V. Per mortem ipſiusmet Procuratoris.*

136. & 137. *Procurator tum judicialis, tum extrajudicialis, re integrâ liberè à Domino revocatur: ſecùs re non integrâ, niſi ſubſit cauſa. Et num. ſeqq.*

138. *Res integra, ſeu Mandatum integrum, quamdiu dicatur?*

139. *Cauſæ juſtæ revocandi Procuratorem re non integrâ, quæ?*

140. *Procurator poteſt revocari dupliciter, expreſsè & tacitè. Et num. ſeqq.*

141. *Prior Procurator an revocetur per conſtitutionem ſecundi?*

142. *Ac per hoc, quòd Dominus ſuperveniens ipſemet cauſam tractet?*

143. *Mutuo conſenſu Domini, & Procuratoris, ceſſat hujus officium.*

144. *Invito Domino non poteſt Procurator poſt ſuſceptũ mandatum ſuo officio renunciare.*

145. *Niſi ſubſit juſta cauſa; & qualis?*

146. *Atque Judicis authoritas accedat.*

130 Quæritur I. Quibus modis generatim finiatur officium Procuratoris? Reſp. Potiſſimùm quinque. I. Revocatione. II. Renunciatione, ſive mutuo conſenſu utriusque Principalis, conſtituentis videlicet, & conſtituti procuratoris: ſed de his duobus modis plura ſpeciatim in progreſſu.

131 III. Expirat officium Procuratoris finitâ inſtantiâ judicij: hoc eſt, poſt latam ſententiam definitivam. Quamvis enim Procurator, contra quem lata eſt ſententia, poſſit & debeat ab ea appellare, vel ſaltem (ſi juſtâ causâ excuſetur) tempeſtivè domino denunciare, ut ipſemet ad beneficium appellationis convolare poſſit: nihilominùs appellationem proſequi non tenetur invitus, ſicque tunc cenſetur expirare officium ipſius. Textus eſt *in c. Non injuſtè.* 14. *h. t. & l. Invitus.* 17. *C. eod.* atque ampliùs declarat Gloſſa ibidem.

132 IV. Ceſſat officium & poteſtas Procuratoris per mortem Domini ipſum conſtituentis, ſi hic moriatur re integrâ: aliàs ſecùs. Et deſumitur hoc ex *§. Rectè. Inſtit. Mandati. & l. Inter cauſas. §.* 1. *ff. Mandati*, ubi dicitur, quòd morte mandantis re integrâ ſolvitur mandatum: ſi tamen propter ignorantiam mortis impletum eſt, quod mandabatur, competit actio utilitatis, ne juſta ignorantia cuipiam damnum afferat.

133 Limitatur iſtud quoad priorẽ partem in caſu, quo Dominus adhuc vivens, ſciente, & non contradicente Procuratore, pro ipſo cavit, ſeu ſatisdedit. Nam talis ſatisdatio facit, ut mandatum etiam

etiã reintegrâ morte domini non finiatur: ſecùs ſi ſit facta pro ignorante, vel contradicente, per textum notabilem *in l. Si defunctus.* 15. *ff. h. t.* & notat Bartolus *ibid.* & Abbas *c. Mandato. n.6. h. t.*

34 Limitatur idem quoad alteram partem in caſu *Clement. ult. h.t.* ubi Pontifex declarat, quòd Procurator à Prælato, vel Rectore, aut quocunque Beneficiario, pro Eccleſia vel Beneficio conſtitutus, per mortem conſtituentis revocetur etiã quoad negotia jam cæpta, ſicque re non exiſtente integrâ. Ratio autem hujus ſpecialitatis eſt: tum quia mortuo Prælato vacat Sedes: atqui Sede vacante nihil debet innovari, *cap. 1. Ne Sede vacante &c.* Tũ quia procurator, ſive in- ſive extra judicium, ſolùm agit pro Domino, ejúsq; nomine, *L. 1. ff. h. t.* atqui in Beneficijs non adeſt poſt mortem Prælati, cujus nomine agat: ſiquidẽ per mortem Prælati extinguitur titulus prælationis quoad effectum; neq; eſt, in quem ſtatim jure hæreditario titulus ejusmodi tranſeat: prout tamen fit in civilibus, ubi proin per hæredem cæpta negotia debent conſummari, ſicque re non integrâ procurator nomine hæredis agere, ſeu adminiſtrare poteſt.

35 V. Procuratoris officium finitur per mortem ipſiusmet Procuratoris: ſive dein res ſit integra, *l. Si quis alicui.* §. *Morte quoque. ff. Mandati*; ſive deſierit eſſe integra. Nam hoc officium non tranſit ad hæredes, cùm videatur eſſe electa induſtria perſonæ. Pirhing *b. t. n. 112.* poſt Weſſenbeciũ. *ff. h. t. n. 11.*

36 Quæritur II. Utrùm Procurator ſemel conſtitutus, liberè poſſit revocari, quibúsque modis ejus revocatio fiat? Reſp. I. Procurator tũ judicialis, tum extrajudicialis, re integrâ liberè à Domino poteſt revocari: non item, poſtquàm res deſivit eſſe integra, ſed tunc ad ejus revocationẽ requiritur juſta & legitima cauſa. Ita in re communis. Et meritò: nam re integrâ nihil intereſt procuratoris, quòd revocetur; benè tamen, ſi res non ampliùs ſit integra: quia tunc aut damnum pateretur ratione jam factarum expenſarum, aut ob ſubſequentem revocationem periculum famæ incurreret.

37 Idipſum probatur inductione. Loquendo ſiquidẽ de Procuratore judiciali, ſeu ad lites conſtituto, textus eſt expreſſus *in c. Quamvis. 2. h. t. in 6.* ubi deciſum habetur, quòd Procurator ante litem conteſtatam, etiam ſine cauſa, liberè à Domino revocari poſſit; non item poſteà ſine cauſa rationabili (nam per conteſtationem litis Procurator fit dominus ejus, *cap. 1. h. t. in 6.*) quamquàm Dominus unà cum eodem Procuratore, ſive ad hunc exſtimulandum, ſive ad ſupplendũ, ſi hic forſan quidpiam omitteret, ſuæ cauſæ adeſſe neutiquam prohibeatur, prout ibidem ſubjungitur. Concordat textus *in l. Poſt litem. 17. ff. h. t.* ubi additur, poſt litem conteſtatam non poſſe mutari procuratorem *niſi cauſâ priùs cognitâ*: adeò, quòd neceſſe ſit, ut Judex de cauſa anteà cognoſcat, & procuratorem revocandum citet, & audiat, num fortè ipſius interſit non revocari mandatum. Engel *h. t. n. 18.* Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 46. n. 9.*

Loquendo autem de Procuratore extrajudiciali, ſeu ad negotia conſtituto, idem patet *ex l. Si procuratorem.* §. *Mandati actio. ff. Mandati. &* §. *Rectè Inſtit. de Mandato.* In quo poſteriori loco Gloſſa notanter inquit, quòd tamdiu *Mandatum* dicatur eſſe *integrum*, quousque cenſeatur intereſſe Mandatarij, ſive Procuratoris: ut puta, ſi mandatâ emptione is arrhas jam dederit, vel ſe obligaverit, aut alia præparamenta fecerit, ſine quibus principale negotium expediri non poteſt. Tunc enim, ſi Procurator, ſive Mandatarius absque ulla cauſa revocaretur, jam hoc ipſo damnum ſuſtinere cogeretur absque ſua culpa; quod iniquum eſt. Concordat alia Gloſſa *in Clem. ult.* ℣. *Pro Eccleſia. h. t.* dicens, quòd dicatur *Res integra*, in judicijs, ante litis conteſtationem; in negotijs, antequàm quis fecerit præparamenta. 138

Porrò cauſæ legitimæ revocandi Procuratorem etiam re non integrâ, recenſentur *in cit. c. Quamvis. 2. h. t. in 6.* videlicet: Si Procurator fiat Domino principali inimicus, vel ſuſpectus; aut ejus adverſario affinitate conjungatur, vel hæres iſtius efficiatur: aut ſi Religionem ingrediatur, ſive in longinquum peregrinetur; ſeu ipſum ægritudine, aut vinculis detineri contingat; ac generaliter, quoties alia rationabilis cauſa ſubeſt, propter quam meritò ſit revocandus. Concordat textus *in l. Procuratoribus, C. h. t.* 139

Reſp. II. Procurator, ipſúmque Mandatum procuratorium poteſt revocari dupliciter, expreſsè videlicet & tacitè. Ita Zoëſius *h. t. ff. n. 20.* & cõmunis. *Expreſsè* quidem revocatur, quando Dominus revocans utitur verbis expreſſis, aut ſcripturâ dictam revocationem clarè exprimente: quodlibet enim horum ſufficit. Quinimò poteſt Dominus revocare mandatum, etiamſi juráſſet non revocare; licet fiat perjurus. Gloſſa *in cap. ult.* ℣. *Revocatus. h. t. in 6.* 140

Tacitè revocatur prior Procurator, per conſtitutionem ſecundi, *l. Si quis cùm. 31.* §. *fin ff. h. t. & c. Non injuſtè. 14. h. t.* Niſi conſtituens exprimat, ſe nolle per hoc revocare primum, *arg. l. Si pluribus. ff. de Legat. I.* ac notat Vivianus *in Rationali, cap. 6. §. 1. h. t. in 6.* 141

Inſuper tacitè cenſetur revocari Procurator, quando eo ſimpliciter conſtituto, poſteà ipſemet Dominus ſupervenit, & cauſam tractat; niſi proteſtetur, ſe nolle eundẽ procuratorẽ revocare, aut ex alijs conjecturis iſtud appareat. Textus eſt *in c. Si quem. 8. h. t. in 6.* Secùs dicendum de illo procuratore, qui non ſimpliciter eſt conſtitutus, ſed ſolùm ſub clauſula, *Quoties dominum abeſſe contigerit*: nam talis manet procurator Domino abſente, licèt Dominus præſens cauſam per ſeipsũ tractaverit; prout ibidem habetur deciſum. Quòd ſi verò Dominus cauſam per ſeipſum nõ tractet, ſed ſolùm eidẽ adeſſe velit, ſive ad extimulandum Procuratorem, ſive ad videndũ, an omnia rectè agantur, non idcircò revocari procuratorẽ, clarè colligitur *ex c. Quamvis. 2. h. t. in 6.* 142

Quæ-

143 Quæritur III. Quâ ratione officium Procuratoris finiatur renunciatione, ſeu mutuo Principalium conſenſu? Reſp. I. Certum eſt, quòd mutuo conſenſu Principalium, videlicet Domini conſtituentis, & Procuratoris conſtituti, ceſſet Mandatum procuratorium, atq; ipſius procuratoris officium. Patet hoc ex *l. Mutari.* 24. *ff. h. t.* junctâ Gloſſâ *ibid.* Tum ex *cap.* 1. *de Reg. Jur.* ibi; *Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Verùm difficultas reſtat, quid juris, ſi alterutra pars ſit invita. Et quidem, quid ſit dicendũ in caſu, quo Procurator eſt invitus, nec vult revocari, patet ex præcedenti Quæſtione: loquendo autem de caſu converſo,

144 Reſp. II. Nequit Procurator ſuſcepto ſemel mandato legitimè conſtitutus, pro ſuo libitu, atque invito Principali conſtituente renunciare; niſi ex juſta cauſa, & accedente Judicis authoritate. Ita communis. Et meritò: quia mandatum ſuſcipere, cuilibet liberum eſt: ſuſceptum autem eſt conſummandum, niſi juſta cauſa intercelſerit, *§. Mandatum. Inſtit. de Mandato.* Concordat textus *in l. Invitus.* 17. *C. h. t.* ubi dicitur, quòd invitus procurationem ſuſcipere nemo cogatur, ſed fidem ſuſceptam implere ſufficiat. Et *l. Filiusfamilias. §. Procuratorem. ff. eod.* ubi Procurator ad litem ſuſcipiendam ritè conſtitutus, cogitur judicium ſuſcipere. Accedit ratio: quia alioquin Dominus cogeretur detrimentum ſuſtinere, ſi Procurator ritè conſtitutus poſſet pro libitu, & absque ulla data cauſa, officium renunciare.

Additur notanter, *niſi ex juſta cauſa.* Nam hâc 145 ſubſiſtente, ac probatâ, poteſt Procurator renunciare ſuo officio, etiam invito Domino principali; petendo videlicet coram Judice exonerationem ab officio ſuo, *l. Filiusfamilias. §. Procuratorem,* unà cum *LL. ſeqq. ff. eod.* Ubi etiam hujusmodi cauſæ enumerantur. Et ſunt imprimis, capitales inimicitiæ inter ipſum Procuratorem, & Dominum ſubortæ. Deinde, ſi Dignitas acceſſerit procuratori, aut ſi Reipublicæ causâ abſuturus ſit, ſeu neceſſariam peregrinationem ſuſcipiat: item ſi infirmitate impediatur, quò minùs ſuſceptum procurationis officium ulteriùs exequatur. & hujusmodi; quæ erunt arbitrio Judicis dijudicanda, eſtque in ſimili dictum ſuprà *num.* 139.

Additur ulteriùs, *& accedente Judicis authoritate.* 146 Quia ubi Dominus principalis ſimplicem Procuratoris renunciationem, in- vel extra judiciũ factam acceptare recuſat: tunc Procurator, cupiens à ſuo officio exonerari, debet à Judice petere citationem ad videndum ſe exonerari; & factâ citatione partis, ſeu Domini conſtituentis legitimam ſuæ renunciationis cauſam allegare, de qua Judex ſaltem ſummariè cognoſcat, eáq; probatâ Procuratorem à ſuo officio exoneret. Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 46. *n.* 2.

§. VII.

De geſtis per falſum ſeu revocatum Procuratorem, ac intimatione ſuæ revocationis.

SUMMARIUM.

147. *Falſi Procuratoris exceptio poteſt ſemper objici, ac per hanc geſta ejus redduntur invalida.*

148. *Idque exemplificatur.*

149. *Secùs, ſi nemo contra ejus geſta excipiat. Et num. ſeqq.*

150. *Ratihabitio confirmat judicium agitatum cum Falſo procuratore.*

151. *Dummodò hic non aliunde fuerit inhabilis ad tale officium.*

152. *Explicatur textus* in l. Licèt verum. ff. de Judicijs. *Et num.* 50.

153. *Dominus appellans à ſententia per Falſum procuratorem reportatâ, cenſetur eam ratihabere.*

154. *Dominus poteſt ratificare proceſſum, ac ſententiam per Falſum procuratorem in ſui favorem obtentam, ſi anteà pars adverſa non exceperit.*

155. *Solvitur inſtantia contra hoc.*

156. *Regulariter valent geſta per procuratorem revocatũ, ſi revocatio eidem nondum fuit intimata.*

157. *Idémque dicendum de mandantibus maleficiũ, v.g. percuſſionem Clerici, in ordine ad incurrendam excommunicationem.*

158. *Fallit iſtud in Procuratore ad contrahendum matrimonium.*

159. & 160. *Ac in nonnullis alijs caſibus.*

161. *Revocatio Procuratoris judicialis poſt litem conteſtatam, debet intimari Judici & adverſario, vel ſaltem alteri eorum. Et num.* 163.

162. *Secùs ante litem conteſtatam.*

163. *Intimatio illa, qualis eſſe debet?*

164. 165. & 166. *Revocatio Procuratoris extrajudicialis, an, & cui fieri debeat?*

167. *Quid, ſi Procurator inquiſitus celet revocationem ſui mandati?*

147 QUæritur I. Utrùm geſta per falſum, ſeu revocatum Procuratorem, ſint valida? Reſp. I. *Falſi procuratoris exceptio non ſolùm ante ſententiam, verùm etiam poſteà poteſt objici, utpote quâ probatâ judicium nullum & nullius momenti controverſiæ reputantur.* Ita loquitur

tur Pontifex *in c. In noſtra. 4. §. fin. h. t.* Unde clarum eſt, quòd geſta Falſi procuratoris, ſeu revocati, per exceptionem partis adverſæ prorſus reddantur invalida. Concordat textus *in l. Licèt in principio. 24. C. h. t.* ubi pariter exceptio Falſi procuratoris reddit judicium retrò nullum, & poteſt quandocunque opponi.

48 Sic *in c. Ex inſinuatione. 3. h. t.* ſententia lata cum procuratore revocato, & de hoc certificato, non præjudicat domino; quinimò ſententia retractatur. Similiter Reſcriptum à procuratore revocato, & de hoc certificato impetratum non valet, neque proceſſus vel ſententia lata per illud: ut *c. In noſtra. 4. h. t. & c. Ex parte Decani. 33. de Reſcriptis.*

49 Dicitur notanter in Concluſione, *Falſi procuratoris exceptio.* Si enim nec Dominus, cuius eſt quaſi procurator, neque Adverſarius ipſius contra hujusmodi procuratorem excipiat, rata erunt geſta per ipſum; idque de communi conſenſu partium. Prout in ſimili Reſcripta juſtitiæ per ſubreptionem, etiam doloſam, non vitiantur ipſo jure, ſed duntaxat ope exceptionis, *arg. c. Si autem. 9. & c. Plerumque. 23. de Reſcript.* eſtque uberiùs dictum ſuprà *Tit. de Reſcriptis. §. 7. n. 170. & 172.*

50 Accedit Textus notabilis *in l. Licèt verum. 56. ff. de Judicijs.* ubi dicitur: *Et ſi quis, cùm procurator non eſſet, litem conteſtatus ſit, deinde ratum dominus habuerit, videtur retrò res in judicium rectè deducta.* Ubi Bartolus in Summario inquit: *Ratihabitio retrotrahitur, & confirmat judicium agitatum per Falſum procuratorem.*

51 Intellige de illo, qui non erat procurator ex defectu mandati, ſeu conſenſûs Domini, poterat tamen eſſe: ſecùs enim, ſi aliunde erat inhabilis ad officium procuratoris exercendum. Licèt enim ratihabitionem retrotrahi, & mandato non ſit dubium comparari, juxta *Reg. 10. Juris in 6.* nihilominùs ea ſupplet ſolùm defectum conſenſûs, non autem alios defectus.

52 Et quamvis olim nonnulli voluerint, memoratam Legem *Licèt verum. ff. de Judicijs* procedere, quando ſententia eſt lata contra eum, qui ratum habebat; ſecùs, ſi in ſuum commodum. Quia tamen textus allegatus generaliter loquitur, dictam doctrinam locum habere in utroque caſu, rectè notat Gloſſa *fin.* & Bartolus *in cit. l. Licèt verum.* atque eſſe communem opinionem, teſtatur Jaſon *l. Licèt. n. 10. C. h. t.*

53 Hinc imprimis, quando Dominus appellat à ſententiâ per Falſum, ſive revocatum procuratorem contra ſe reportatâ, videtur eam habere ratam, *l. Cùm minor. §. Falſus. ff. Rem ratam haberi:* ſicque eam jam ratificat in ſui præjudicium. Gloſſa *fin. in l. Licèt. C. h. t.* Si enim noluiſſet ratificare, non debuiſſet ab ejusmodi ſententia appellare, ſed Falſi procuratoris exceptionem opponere, juxta *c. Ex inſinuatione. & c. In noſtra. b. t.*

Similiter, quòd proceſſum & ſententiam la-
54 tam in favorem Falſi procuratoris, ſicque in commodum ſuum, poſſit Dominus ratificare, ſi anteà pars adverſa non excepit, ſeu non oppoſuit de falſitate mandati, juxta textum citatæ Legis: præter jam allegatos docet, atque in Camera concluſum fuiſſe, refert Gailus *lib. 1. Practic. Obſervat. 47. n. 4.* & Barboſa *ad c. In noſtra. n. 7. h. t.* citans quamplures alios.

Nec obſtat *d. c. In noſtra. h. t. & l. Licèt in principio. 24. C. h. t.* ubi exceptio Falſi procuratoris poteſt quandocunque opponi, eaque probatâ judicium redditur retrò nullum. Reſp. enim cum Jaſone *loc. cit. num. 10* allegata Jura procedere, quando exceptio Falſi procuratoris eſt oppoſita, antequàm Dominus ratificaverat ejus acta: ſecùs, ſi poſteà. Tunc enim ratihabitio retrotrahitur, nec ejusmodi procurator poteſt dici carere mandato, juxta dicta, & Jura *n. 149. & 150.* allegata, quæ hâc ratione facilè cum Juribus in hac objectione citatis concordantur. 155

Quæritur II. Utrùm revocatio procuratoris habeat effectum, atque operetur nullitatem geſtorum, licèt ipſi nondum ſit intimata? Reſp. I. Regulariter loquendo non habet effectum revocatio procuratoris tum judicialis, tum extrajudicialis, ſi eidem necdum eſt intimata; ſed adhuc valent geſta per ipſum. Ita Gloſſa magna *in can. Tibi Domino. diſt. 63.* Felinus *c. Ex parte Decani. n. 7. §. Secunda regula. de Reſcriptis.* Barboſa *in cap. ult. n. 8. h. t. in 6.* & alij. Idque deſumitur *ex cit. c. Ex parte Decani. 33. de Reſcript. & c. Ex inſinuatione. 3. h. t.* ubi ad hoc, ut geſta per revocatum procuratorem non valeant, requiritur, quòd fuerit certificatus de revocatione. Concordat *Clem. un. de Renunciat & l. Si mandâſſem. ff. Mandati*, quo utroque in loco revocatio mandati, ibi de renunciando Beneficio, hîc de emendo fundo anteà dati, non præjudicat, ſi ad notitiam procuratoris non pervenerat. 156

Quinimò hoc ipſum eſt dicendum de mandantibus maleficium: quoniam non ſufficit revocare mandatum de maleficio committendo, niſi etiam notificetur talis revocatio ipſi Mandatario. Felinus *loc. cit. n. 8.* poſt Bartolum *in l. Si pecuniam. §. Si ſervum. ff. de Condiction. ob cauſ.* Unde qui mandavit percuti Clericum, ſed ante factam ab altero percuſſionem pœnituit, incidit in excommunicationem, niſi revocaverit mandatū, ita quòd revocatio pervenerit ad Mandatarium; juxta Gloſſam *fin. c. Mulieres. de Sentent. excomm.* & aliam Gloſſam *in c. Cùm quis ℣. Mandato. eod. in 6.* quæ inquit, quòd quidem talis quoad Deum non teneatur, tamen quoad Eccleſiam excommunicatus ſit. 157

Additur notanter num. 156. *regulariter loquendo.* Nam fallit hoc imprimis in Procuratore ad matrimonium contrahendum conſtituto: qui nulliter contrahit, etiamſi revocationem conſenſûs ſui Principalis penitùs ignoraverit, *cap. ult. h. t. in 6.* 158

Atq; hoc ipſum procedere in alijs hujusmodi actibus, in quibus requiritur conſenſus Domini verus & perſeverans, & nō fictus (ut puta, in cō trahenda cognatione ſpirituali, ſeu cōpaternita- 159

te,per procuratorem ſuo nomine tenentem in Baptiſmo, vel Confirmatione: item in matrimonio ſpirituali, ſeu in procuratore ad accептandum Beneficium conſtituto) tenet Felinus, *ubi ſuprà, n.* 10. *&* 11. Federicus de Senis *Conſil.* 15. Abbas *in c. Veniens. n.* 4. *de Cognat. ſpirit.* & alij.

160 Fallit deinde in caſu limitato per *cit. Clem. un. de Renunciat.* Quamvis enim ibi circa initium dicatur, quòd renunciatio Dignitatis, vel Beneficij facta per procuratorem ad hoc conſtitutū teneat, etiamſi anteà procurator fuerat revocatus, ipſo tamen, & Superiore, cui fiebat ceſſio, eam ignorante: quæ pars juvat ad probationem noſtræ Concluſionis. Illicò tamen ſubjungitur limitatio, illis verbis: *Niſi fortè per ipſos, aut alios malitiosè factum fuerit, quò minùs ad eos, vel eorum alterum ante ceſſionem potuerit revocatio perveniſſe.* In hoc quippe caſu renunciatio Beneficij per procuratorem jam revocatum facta non valet, licèt is ignoraverit revocationem ſui mandati, ne quoquo modo malitijs hominum dictæ revocationis notitiam impedientium indulgeatur, aut hi exinde cōmodum reportent. Barboſa *ad cit. Clem. un. n.* 8. *de Renunciat.* cum alijs. Tacentur aliæ fallentiæ, quarum undecim enumerat Felinus *in c. Ex parte Decani. n.* 9. *& ſeqq. de Reſcript.*

161 Quæritur III. Quibus ſit intimanda revocatio Procuratoris, ut habeat effectum ad inducendam nullitatem geſtorum per ipſum? Reſp. I. Revocatio Procuratoris judicialis poſt litem conteſtatam facta debet intimari Judici, & adverſario, vel ſaltem alteri eorum: alioquin, ſi fiat utroque horum ignorante, non habet effectum, ſed tenet judicium agitatum cum tali procuratore revocato. Ita deſumitur *ex c. In noſtra.* 4. *& c. Mandato.* 13. *h. t. & l. Si procuratorem.* 65. *ff. eod. & L. un. C. de Satisdando.* Accedit ratio: quia, niſi ad invaliditatem geſtorum requireretur, ut revocatio Procuratoris, poſt litem conteſtatam primùm facta, intimaretur Judici, vel adverſario; paſſim poſſet illudi Judici, atque adverſarius decipi, Domino procuratorem ſuum absque eorum præſcitu clàm revocante, & ſub finem judicij, de cujus malo exitu ſibi timeret, falſi procuratoris exceptionem proponente: atqui talibus malitijs hominum non eſt indulgendum; ergo.

162 Dicitur notanter primò, *poſt litem conteſtatam*, ut loquitur *textus in cit. c. Mandato. h. t.* ſive, ut inquit Layman *ibid. num.* 2. poſtquàm ſemel datus procurator Judici, vel parti adverſæ intimatus fuit: quia tunc horum intereſt, ut talis procuratoris revocatio non fiat, niſi hæc ipſis quoque intimetur, ne alioquin fruſtrà fatigentur, aut decipiantur. Secùs eſt ante litem conteſtatam, vel potiùs ante intimationem dati procuratoris, Judici, vel adverſario factam: quia tunc ſufficit, ſi revocatio mandati intimetur procuratori, utpote cū quo ſolo anteà actum fuerat; & Judex vel adverſarius ſibi imputent, ſi ejusmodi procuratorem jam revocatum admittant, & non meliùs ipſius poteſtatem & mandatum examinent, *arg. c. Ex inſinuatione.* 3. *h. t.* ac tenet Gloſſa *in c. Quamvis.* ℣. *Revocari. h. t. in* 6. & Layman *ubi ſuprà, n.* 2.

Dicitur ſecundò, *intimari.* Quia non ſuffi- 163 cit, ut illis quoquo modo aliunde innoteſcat revocatio procuratoris, ſed neceſſe eſt, ut ipſemet revocans ſpecialiter Judici, vel adverſario, per nuntium, aut litteras denunciet ejusmodi revocationem procuratoris, utpote de cujus mandato ipſis anteà fides jam facta fuerat; prout notat Abbas *in d. c. Mandato. n.* 8. *h. t.* citans DD. communiter: & ſequitur Layman *ibid. n.* 1. benè inter alios ſubjungens, quòd quidem conſultum ſit, utrique horum intimare revocationem, habeat tamen effectum revocatio, ſi vel ſoli adverſario fiat.

Reſp. II. Loquendo ſpecialiter de Procura- 164 tore extrajudiciali, quando is datus eſt ad gerendum negotium cum certâ perſonâ deſuper jam certificatâ, ad hoc, ut revocatio ejus operetur nullitatem geſtorum, non ſufficit, quòd ſit intimata ipſi procuratori, ſed debet etiam notificari illi perſonæ: ſecùs eſt, quando quis habuit procuratorium generale, quia tunc ſatis eſt, ipſum procuratorem de revocatione fuiſſe certificatum: niſi vigore talis mandati generalis jam deſcendiſſet ad certam perſonam; tunc enim etiam iſta deſuper debebit certificari. Ita Abbas *in c. Mandato. n.* 7. *h. t.* Felinus *c. Ex parte Decani. n.* 22. *&* 23. *de Reſcript.* citans alios; & favet Gloſſa *in d. c. Mandato.* ℣. *A domino revocatum. h. t.*

Prior pars deſumitur *ex l. Si quis ſervo. & l. Qui hominem.* §. *Si Titium. ff. de Solutionib.* ubi revocatio 165 mandati non nocet debitori, ad cujus notitiam non pervenit, ſed ſolvens tali procuratori revocato liberatur. Concordat textus *in L.* 1. *Sed ego. ff. Quod juſſu*, cum ſimilibus per dictam Gloſſam allegatis. Accedit ratio: quia alioquin multi poſſent decipi, ſi ſola revocatio procuratori intimata ſufficeret ad invaliditatem geſtorum: præſertim, cùm de legitimitate talis procuratoris jam ſemel alijs fides facta fuerit. Unde recurrunt rationes in præcedente Concluſione adductæ.

Altera pars deſumitur *ex c. Ex inſinuatione.* 3. *h.* 166 *t.* ubi ante factam alteri parti fidem, ſeu intimationem de mandato procuratorio, ſufficit revocatio ſoli procuratori intimata ad invalidandū geſta illius. Nec obſtat, quòd ibi ſit ſermo de Procuratore judiciali. Nam, quantùm ad propoſitum, nō eſt faciendum diſcrimen inter Procuratorem ad lites, & ad negotia; ut inquit Abbas *loc. cit. n.* 7. Utrobique ſiquidem militat eadem ratio; videlicet ut adverſarius non decipiatur per legitimam ignorantiam: qualis impræſentiarum nō interveniret, cùm ſingulorū contrahere volentium interſit, cujuslibet procuratoris mandatū, ac poteſtatem priùs diligenter inquirere & examinare, antequàm cū ipſo contrahat.

Quòd ſi verò Procurator inquiſitus celet re- 167 vocationē ſui mandati, ipſe obligabitur decepto, *arg. l. Et eleganter.* §. *penult. ff. de Dolo.* & notat Gloſſa *in c. Quamvis.* ℣. *Revocari. h. t. in* 6.

TITU-

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

SUMMARIUM.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Syndicus, quid?*
3. & 4. *An, & quomodo differat à Procuratore, & Actore Univerſitatis? Et num.* 1.
5. *Religioſi debent habere Syndicum.*
6. *Saltem de honeſtate, licèt non de neceſſitate. Monachus Abbate imperante poteſt eſſe Syndicus in rebus ſui Monaſterij. Ibid.*

PRocuratori ſimilis eſt Syndicus. Quinimò nomen *Procuratoris* generaliter acceptum etiam Syndicum ſub ſe complectitur, *arg. can. Salvator. §. Nomine.* 1. *q.* 3. *& c. Petitio.* 9. *de Procuratorib.* Ideóque viſo de Procuratore, rectè nunc agitur de Syndico. Porrò,

Syndicus (quod eſt nomen græcum, & latinè *Defenſor* ſonat) propriè dicitur ille, qui conſtituitur ab aliqua Univerſitate ſeu Collegio vel Corpore, ad negotia ipſius pertractanda, ac præcipuè ad cauſas illius & lites in judicio proſequendas. Textus, & Gloſſa *in cap. un. ℣. Generaliter. h. t.*

Differt autem à Procuratore Syndicus, quòd ille conſtituatur à privatis; Syndicus autem ab aliqua Univerſitate, ſeu Collegio vel Corpore. Abbas *in cap. un. n.* 2. *h. t.* Differt etiam Syndicus ab Oeconomo, quòd hic in adminiſtratione pecuniæ, aliorúmque negotiorum extrajudicialium; ille verò in litibus proſequendis præcipuè verſetur. Differt inſuper ab Actore Univerſitatis, quòd Actor ad certam cauſam tantùm, Syndicus verò ad omnes cauſas generaliter conſtituatur. Gloſſa *in L.* 1. *℣. Syndicum. ff. Quod cujusque univerſit. nomin.*

Nihilominùs Actorem, & Syndicum, inter ſe frequenter confundunt SS. Canones, & Leges; ut notat Engel *h. t. n.* 2. Quin etiam Eccleſia non multam facit differentiam inter Procuratorem & Syndicum, ubi conſtat de poteſtate tradita; juxta Gloſſam *in c. Suſcitata. ℣. Monaſterium. De in integrum reſtitut.* Idque deſumitur *ex d. c. Petitio. de Procurat.* ubi ijdem, quos Epiſcopus aliò profecturus ſuos conſtituerat Vicarios, modò Procuratores, modò Syndici & Actores ipſius appellantur. Unde pleraque dicta in *Tit. præced. de Procuratoribus*, etiam Syndico applicari poterunt.

Solummodò eſt notandum *ex cap. un. h. t.* quòd, cùm Religioſi ob captandam eò meliùs quietem ſpiritualem, & cœleſtium benedictionū abundantiam, litibus Forenſibus meritò ſint ſubmovendi; ijdem debeant habere Syndicum, 5
qui generaliter cauſas Monaſterii agat & defendat, etiam (ſi oportuerit) conſtituto ipſi congruo ſalario. *Expedit enim pro parvo incommodo*, ſive damno, quod incurrunt dando ſalarium Syndico, *à ſtrepitu cauſarum Servos Dei eſſe quietos;* prout argumentatur Pontifex ibidem.

Atque hoc procedit de honeſtate. Quâ de cauſâ quandoque etiam ab Epiſcopo, & Capitulo, debet Syndicus conſtitui. Gloſſa *in d. cap. un. ℣. Generaliter.* & favet textus *in can. In loco.* 4. *q.* 4. Loquendo enim de neceſſitate, 6
non poſſunt Religioſi compelli ad conſtituendum Syndicum extraneum: imò exigente ſic Monaſterij utilitate, ut puta ſi Monaſterium ſit inops, aut ſi alium idoneum & fidelem virū acquirere nequeat, Abbate imperante poteſt etiā Monachus in cauſis ſui Monaſterij Syndicus cōſtitui, *arg. can. Monachi.* 16. *q.* 1. *& c. Inſuper.* 16. *de Teſtib. & c. Cùm deputati.* 16. *de Judic.* ac notat Abbas *in cit. cap. un. n.* 4. & Layman *ibid. n.* 1. *h. t.*

TITULUS XL.

De ijs, quæ vi mentúsve cauſa fiunt.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*

1 VIſo de illis, quæ ſpontè agimus in-vel extra judicium, ſequitur de his, quæ agimus coacti, & inviti; hoc eſt, vi metúsve causâ. Siquidem Jura conveniens remedium provident adversùs ea, quæ fiunt per metum; & appellatur *Actio quod metûs causâ.* Hinc ſit

§. I.

De vi, ac rebus per violentiam ablatis.

SUMMARIUM.

2. *Vis, quid?*
3. *Vis, ſeu coactio abſolûta, excludit conſenſum. Violentum quid? Ibid.*
4. *Vis eſt multiplex, nimirum Vis compulſiva.*
5. *Vis ablativa.*
6. *Vis expulſiva.*
7. *Vis turbativa, &*
8. *Vis inquietativa, quid; quámque actionem pariant?*
9. *Vis publica, & privata, quid?*
10. *Geſta per vim, ſeu coactionem abſolutam, ipſo jure ſunt irrita.*
11. *Solvitur inſtantia.*
Vis, ſeu Coactio eſt duplex, abſoluta & conditionalis. Ibid.
12. *Si quis in bonis fortunæ vim ſibi illatam conqueratur, tenetur hanc legitimè probare, nec ſufficit ſolum ejus juramentum.*
13. *Probatâ tamen violentiâ ſufficit juramentum damnum paſſi ſuper rebus amiſſis.*
14. *Et cur iſtud in Jure ſpecialiter ita ſtatutum fuerit?*
15. *Juramentum illud; qualiter ſit præſtandum? Et num. 13.*

QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit
2 Vis? Reſp. I. *Vis eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt.* Ita habetur *in L. 2. ff. De eo, quod metûs causâ geſtum eſt.* Et ſenſus eſt: *Vis,* ſeu *Coactio abſoluta*, eſt impetus rei majoris (nam minor, quatenus minor, vim inferre nō poteſt) cui reſiſti nequit. Talis fit per violentam attractionem, vel in loco detentionem, ac hujusmodi: ut ſi quis invitus trahatur in Eccleſiam ad audiendam Miſſam excommunicati; vel ſi Judæus, aut Paganus ſuis veſtibus invitus exuatur, atque ad Fontem portatus baptizetur &c.

3 Quare vis, ſeu coactio abſoluta, conſenſum prorſus excludit; cùm abſolutè coactus *magìs pati, quàm agere convincatur*, ut dicitur *in c. Sacris, 5. h. t.* In eo enim, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit: unde & *Violentum* definitur, non ſolùm eſſe *illud, cujus principium eſt extrà*; ſed inſuper additur, *nihil conferente vim paſſo.*

Reſp. II. Vis eſt multiplex, ut notat Gloſſa
4 *in c. Ad audientiam. ℣. Cauſa. h. t.* videlicet I. *Vis compulſiva*, per quam quis compellitur ad faciendum id, quod non faceret, ſi eſſet penitùs liber: & hæc inducit actionem *Quod metûs causâ.*

5 II. *Vis ablativa*, quæ eſt rerum mobilium, easdem violenter cuipiam rapiendo. Et iſta inducit actionem *Vi bonorum raptorum*; ut habetur §. 1. *Inſtit. de Vi bonor. raptor.* & alibi.

III. *Vis expulſa*, quæ fit, quando quis eijcitur
ex poſſeſſione ſua. Et ſecundùm iſtam induci- 6
tur Interdictum *Unde vi*: éſtque ſolummodò rerum immobilium, vel quæ immobilibus cohærent, *L. 1. ff. de Vi & vi armata*, cum concordantijs.

IV. *Vis turbativa*, per quam quis turbatur in poſſeſſione ſua, eò quòd alter ſe poſſidere con-
tendat. Et hæc in rebus immobilibus inducit 7
Interdictum *Uti poſſidetis*: in rebus mobilibus autem Interdictum *Utrobi*; de quibus extant proprij Tituli in Jure Civili.

V. *Vis inquietativa*, quæ non ſinit alterum re
ſuâ quietè uti, puta arare, ſeu aliquid facere; vel 8
quando alter vult quid ædificare, aut jam ædificavit invito Domino in alieno ſolo. Et hujusmodi vis inducit Interdictum *Quod vi aut clam*; de quo pariter extat proprius Titulus in Jure Civili.

Tacetur *Vis publica*, quæ fit cum armis: & *Vis*
privata, quæ fit ſine armis. Nam & de his extant 9
proprij Tituli in Jure Civili, & fuſiùs tractant Juris Civilis Interpretes.

Quæritur II. An geſta per Vim valeant? Reſp.
I. Ea, quæ per vim ſeu coactionē abſolutā geſta 10
ſunt, ipſo jure irrita exiſtunt. Ita D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. Pirhing. h. t. n. 7. & alij. Ratio eſt: quia deeſt voluntariū, & conſenſus, qui pertinet

ad

ad ſubſtantiam cujuslibet contractûs, ſeu actûs humani; nam vi abſolutâ coactus *magis pati, quàm agere convincitur*, ut jam dictum *c. Sacris. 5. h. t.*

1 Dices. In *c. Abbas. §. fin. h. t.* vis æquiparatur metui, illis verbis: *Quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*: juncto *c. Ad audientiam. h. t. & L. 1. ff. eod.* Ergo, ſicuti geſta ex metu non ſunt ipſo jure nulla, ſed primùm reſcindenda per ſententiam Judicis, ut infrà *num.* 30. dicetur; ita & geſta per vim. Reſp. neg. conſequent. loquendo de vi ſeu coactione abſoluta, de qua procedit Concluſio. Nam, ut Fagnanus *in c. Sacris. n. 2. & ſeqq. h. t.* rectè notat, *Vis, ſeu Coactio* duplex eſt; una *abſoluta*, ſeu præciſa, quæ importat majoris rei impetum, cui reſiſti nô poteſt, ſicque conſenſum prorſus excludit; & de hac loquitur præſens Concluſio. Altera eſt *Vis, ſeu Coactio conditionalis*, atque aliàs dicitur *Vis compulſiva*: & hæc idem eſt, quod metus, ut notat Gloſſa 1. *in l. Nihil conſenſui. ff. de Reg. Jur.* neque prorſus excludit voluntarium, licèt illud extenuet; de qua procedunt Jura in objectione citata.

2 Quæritur III. Quid agendum, ſi cupiam in bonis fortunæ aliquid per vim ablatum fuerit? Reſp. I. Si quis in bonis fortunæ vim ſibi illatam conqueratur, allegans, per violentiam eadem eſſe ablata, tenetur ante omnia vim ſibi factam legitimè probare, neq; ſufficit ſolum juramentum ipſius de vi ſibi illata. Ita communis; atque deſumitur *ex cap. ult. h. t.* junctâ Gloſsâ *ÿ. Per teſtes. & l. Si quando. C. Unde vi.* Ubi ad vim probandam requiritur, quòd de illata violentia vel conſtet per teſtes, vel aliunde ipſa ſit in judicio patefacta; hoc eſt, liquidò probata. Delicta enim debent liquidò probari, hoc eſt, idoneis teſtibus, vel apertiſſimis documentis, & luce clarioribus, *L. ult. C. de Probationib.*

Reſp. II. Quòd ſi quis jam legitimè in judicio probaverit, violentiam ſibi factam, nec tamen ſingula ablata liquidò probare valeat; eò quòd difficile ſit probare, ſingula utenſilia, & alia minuta, ab hoc ſibi ablata fuiſſe: tunc Judex inſpectâ perſonâ, & negotij qualitate, debet damnum illatum taxare, & poſteà damnum paſſo juramentum ſuper rebus amiſſis, earúmque valore deferre, ſtabitúrque ejus juramento uſque ad quantitatem taxatam. Ita habetur expreſſum *in cap. ult. h. t. & l. Si quando. 9. C. Unde vi.* 13

Nec obſtat, quòd alioquin juramentum non ſit deferendum parti, niſi adſit ſemiplena probatio; puta quia habet unum teſtem pro ſe, *ut cap. ult. de Jurejurand. & l. In bonæ. C. de Rebus creditis.* Reſp. enim, iſtud in Jure ſpecialiter ita eſſe ſtatutum, tum ob difficultatem probandi ſingula utenſilia; tum in favorem ſpoliati, & in odium violenti ſpoliatoris. Tum etiam, quia probato ſemel ſpolio ſibi illato, Actor habet optimam præſumptionem pro ſe, ſicque ſtatur ejus juramento; ut notat Gloſſa magna *cit. cap. ult. h. t.* 14

Cæterùm, priusquàm Judex condemnet violentum ſpoliatorem ad reſtituendas res ablatas, debet priùs audito læſo, ejúsque inſpectâ perſonâ (conſiderando videlicet, an fuerit dives, nec ne, & an veriſimile ſit, quòd in eo loco tot res tenuerit, quot prætendit) damnum illatum taxare; ut dicitur in Concluſione. Quo facto Judex defert juramentum Actori læſo, ut nimirũ juret, tantum & non minus ſibi ablatum fuiſſe, quàm taxatum eſt: & poſteà primùm juxta quantitatem ita taxatam, & juratam, condemnabit violentum ſpoliatorem. Pirhing *h. t. n. 9.* 15

§. II.

De Metu, & varijs ipſum concernentibus.

SUMMARIUM.

16. *Metus, quid?*
17. *Dividitur in gravem, & levem.*
18. *Metus gravis, ſeu cadens in virum conſtantem, quis?*
19. *Ad hunc quæ requirantur conditiones?*
20. *Gravia mala, ſufficientia ad inducendum metum gravem, qualia?*
21. *Unde horum gravitas deſumenda?*
22. *Metus juſtus, quis?*
23. *Non cauſat involuntarium ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid.*
24. *Factum ex metu, magis cenſetur voluntarium, quàm involuntarium.*
25. *Metus levis non vitiat contractum.*
26. *Imò nec metus gravis ab intrinſeco proveniens.*
27. *Neque proveniens ab extrinſeco, juſtè tamen incuſſus.*
28. *Vel ſi non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum, ſed ob alium finem.*
Idque exemplificatur. Ibid.
29. *In dubio præſumitur metus ad extorquendum conſenſum incuſſus.*
30. *Contractus, alijque actus ex metu gravi procedentes, regulariter ſunt validi.*
31. *Quamvis tali metu probato ſint reſcindendi per ſententiam Judicis. Et num. ſeqq.*
32. *Beneficio renuncians per metum gravem, poteſt illud repetere.*
Et quid, ſi juramentum circa hoc intervenerit? Ibid.
33. *Electioni de ſe factæ renuncians terrore Laicorum, poteſt jus ſuum in judicio repetere.*
34. *Quodnam remedium juris competat metum paſſis? Et num. ſeqq.*
35. *Actio* Quod metûs causâ *datur illi, qui ex gravi*

gravi metu rem ſuam alteri tradidit &c.

36. *Vi hujus debet fieri reſtitutio integerrima.*

37. *Agens actione* Quod metûs causâ *non tenetur deſignare, quis metum intulerit.*

38. *Actio* Quod metûs causâ *non ſolùm eſt perſonalis, ſed etiam in rem ſcripta.*
Imò & pœnalis; & quomodo? Ibid.

39. *Exceptio* Quod metûs causâ *competit metum paſſis; & quando?*

40. *Aliud remedium, quod his competit, eſt Actio utilis.*

41. *Quomodo res poſſit dici eſſe in bonis ejus, qui eam ex metu alteri tradidit?*

16 QUæritur I. Quid, & quotuplex ſit Metus, & an cauſet involuntarium? Reſp. I. *Metus eſt inſtantis periculi, vel futuri causâ, mentis trepidatio;* ut loquitur textus *in L. 1. ff. De eo quod metûs causâ &c.* Et fit, quando quis propter inſtans, vel futurum periculum, aliquid agit, quod alioquin ſponte non ageret: veluti, ſi ex morbo timens mortem, patiatur ad eam evitandam alicujus membri abſciſſionem; vel ſi ex metu mutilationis incurrendæ, det adverſario ſuo pecuniam; aut ſi quis tempore naufragij proijciat merces in mare, vel ad effugiendum quodcunque periculum aliquid aliud faciat, quòd aliàs non faceret, nullâ tamen coactione abſolutâ interveniente.

17 Reſp. II. Metus ut ſic rectè dividitur in gravem & levem. Ita communis; atque inter alia deſumitur ex *c. Cùm dilectus. 6. h. t. & l. Metum autem. ff. eod.* ubi utrumque membrum paucis verbis exprimendo, dicitur: *Metum autem non vani hominis, ſed qui meritò & in hominem conſtantiſſimum cadat.*

18 Reſp. III. *Metus gravis* (qui & *Metus cadens in conſtantem virum* appellatur) eſt ille, quem vir conſtans, & fortis, prudenter & rationabiliter concipit. Ita in re communis; & patet ex citata *l. Metum autem. & c. Ad audientiam. 4. h. t.* ubi Metus gravis cenſetur ille, *qui potuerit & debuerit cadere in virum conſtantem.*

19 Atque ad hujusmodi Metum gravem, ut notat Doctor ſubtilis *in 4. diſt. 29. quæſt. un.* duæ potiſſimùm requiruntur conditiones. Prima eſt, quòd malum, de quo timetur, ſit grave in ſe, & non ſolùm in vana æſtimatione metuentis: ut eſt metus mortis, & ſimilium, de quibus *num. ſeqq.* Secunda conditio, ad metum gravem requiſita, eſt, quòd ejusmodi grave malum certò immineat: hoc eſt, ut non levi æſtimatione, ſed certitudinaliter, ſaltem certitudine morali, ſeu ſufficiente in actibus humanis, judicetur eventurum. Quòd ſi alterutra harum conditionum deficiat, cenſebitur *Metus levis*, prout deſumitur ex *c. Cùm dilectus. 6. h. t.* cum ſimilibus. Fatendũ tamen, quòd Sperellus *Deciſ. 79. Fori Eccleſiaſt. n. 43.* citans Rotam *in Venetiarum matrimonij. 29. Novembr. 1604. coram Penia*, & Sanchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 1. n. 12. & ſeqq.* ad Metum gravem tres alias requirant conditiones, nimirum; Tertiò, ut metum incutiens, potens ſit minas exequi. Quartò, ut ſolitus fuerit, minas executioni mãdare. Quintò, ut is, qui timet, nõ poſſit aliâ ratione occurrere malo illi, quod timetur. Verùm hæ tres poſteriores conditiones commodè reducuntur ad ſecundam, utpote quam duntaxat declarant: nemo enim poteſt prudenter æſtimare malum certitudinaliter eventurum, quando ſcit, minitantem illud aut inferre non poſſe, aut non ſolere; aut ſcit, aliâ ratione ſe poſſe malum illud absque incõmodo evitare: prout obſervat idẽ Sperellus *cit. n. 43.* poſt Coninck *de Sacramentis. tit. de Matrimonio metu contracto, diſp. 28. dub. 2. n. 23.*

Cæterùm inter gravia mala, quæ ſufficiunt ad inducendum metum gravem, ſeu cadentem in virum conſtantem, ut exinde poſſit ſequi Actio *Quod metûs causâ* (nam quòd *pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*, certum eſt, atque deciſum *in c. Sacris. 5. h. t.* eò quòd peccatum ſit omnium malorum graviſſimum, propter offenſam Dei, utpote infiniti Boni, quam cõtinet) Inter gravia, inquam, illa mala, connumeratur timor mortis *cap. 1. h. t. & l. Continet. ff. eod.* Deinde cruciatus corporis, intellige gravis, ut puta mutilationis, carceris, aut verberum terror, *cit. c. Cùm dilectus. 6. h. t. & d. l. Continet.* cum ſimilibus. Item metus ſervitutis, *l. Ego puto ff. eod.* Item metus ſtupri inferendi, *l. Iſti quidem. ff. eod.* & metus amiſſionis patrimonij, vel confiſcationis bonorum, *c. Abbas. 2. h. t. & can. Presbyteros. diſt. 50.* Sicut & gravis metus Regis, *c. Ad audientiam. 4. h. t.* vel alicujus Potentis, *L. ult. C. eod.* & hujusmodi. 20

Rectè tamen notat Gloſſa *in cit. c. Cùm dilectus. ℣. Metum mortis. h. t.* arbitrio Judicis eſſe relinquendum, quando potentia hominis, puta Regis, aut alterius Potentis, ſit juſta cauſa metûs. Siquidem gravitas illius mali, ex quo inducitur Metus gravis, ſeu cadens in conſtantem virum, attendi debet ex natura mali in ſe, non autem ex vana & non fundata æſtimatione patientis, ſeu metuentis; utpote qui poſſet alioquin leviſſimum malum, tanquam grave apprehendere. 21

Porrò Metum gravum, ſeu cadentem in conſtantem virum, alio nomine Doctores appellant *Metum juſtum.* Intellige, juſtum, id eſt, ſufficientem: vel juſtum, quantùm ad ſe; licèt injuſtum, quantùm ad inferentem: ut explicat Gloſſa *1. in l. Metus autem. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Et talis *Metus juſtus* cenſetur ille, per quem aliquis eligit minus malum ad evitandum majus malum; prout deſumitur ex *l. Metum. 5. ff. h. t.* ibi: *Metum accipiendum Labeo ait, non quemlibet timorem, ſed majoris mali.* 22

Reſp. IV. Metus etiam gravis non cauſat involuntarium ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid; ac proinde id, quod metu fit, eſt ſimpliciter & abſolutè voluntarium, involuntariũ autẽ tantùm ſecundùm quid. Ita communis tum Theologorum, tum Canoniſtarum. Idque inter 23

ter alia deſumitur ex *c. Sacris.* 5.*h. t.* ubi dicitur, quòd quidem *metus attenuet culpam, tamen non eam prorſus excludat.* Extenuat enim, propter involuntariũ ſecundùm quid: nõ tamen prorſus excludit, propter voluntarium ſimpliciter. Unde illud vulgatũ: *Coacta voluntas, eſt voluntas*, arg. can. Meritò. 15. q. 1. & ampliùs declarat Gloſſa *ibid.* ℣. *Vult.* Nam, ſi quis metu mortis compellitur Idolis ſacrificare, licèt contra voluntatem ſuam id facere dicatur, eò quòd nõ per ſe ipſum appetendo ſacrificet: adhuc tamen ſimpliciter vult facere, ſeu ſacrificare; quia vult vivere, hâcque ratione (quamvis illicitè, & malè) vitam conſervare, prout in ſimili argumentatur D. Auguſtinus *in cit. can. Meritò*, 15. *q.* 1. relatus.

4 Quinimò, quod per metum fit, magis cenſetur atque exiſtit voluntarium, quàm involuntariũ. Eſt enim voluntarium ſimpliciter, in quantùm videlicet principiũ ejus eſt ad intrà: liberè enim hîc & nunc aſſumitur veluti medium impeditivum majoris mali, quod timetur; ut patet in projiciente merces in mare tempore naufragij. Involuntarium autem duntaxat ſecundùm quid, id eſt, prout conſideratur extra hunc caſum periculi; ſicque eſt involuntarium duntaxat ſub conditione, ſi videlicet tale periculum, tantique mali metus non immineret.

5 Quæritur II. An, & qualis Metus invalidet contractus? Reſp. I. Certum eſt, quòd metus levis, utpote non cadens in virum conſtantem, nõ invalidet contractus, *text. clar. c. Cùm dilectus.* 6. *h. t. & l. Metum autem. ff. De eo quod metûs causâ &c.* Verùm loquendo de metu gravi, ſeu cadente in virum conſtantem, paſſim fatentur Jura, per ipſum vitiari contractus, ita ut vel ipſo jure ſint irriti, vel ſaltem per ſententiam judicis reſcindendi; prout magis in progreſſu dicetur, declarando priùs, de quali metu gravi iſtud ſit intelligendum. Unde

5 Reſp. II. Metus gravis ab intrinſeco proveniens (hoc eſt, non incuſſus à cauſa libera exteriore, puta, ab alio homine; ſed intrinſecùs ab ipſomet metuente ſuſceptus vel ex propria paſſione, vel ex cauſa naturali: ut eſt metus mortis imminentis ob morbum, naufragium, beſtias &c. item metus inferni, ac hujusmodi) non invalidat contractus. Ita Covarruvias *de Matrimonio, part.* 2. *cap.* 3. *§.* 4. *n.* 26. *& ſeqq.* Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. diſp.* 12. *n.* 4. *& ſeqq.* citans alios, idque exemplificans de eo, qui metu præſentaneæ mortis, vel timore inferni contrahit matrimonium cum concubina. Idipſum deſumitur ex *c. Sicut nobis.* 17. *de Regularib.* ubi votum Religionis, emiſſum à conſtituto in læthali infirmitate, cenſetur validum, ſervarique jubetur: idẽ ergo dicendum de contractibus ex metu gravi ab intrinſeco proveniente celebratis.

7 Reſp. III. Inſuper metus gravis de extrinſeco proveniens, juſtè tamen incuſſus, contractũ non invalidat. Ita Abbas *in c. Cùm dilectus. n.* 11. *h. t.* iſtud exemplificans in Judice juſtè minitante. Covarruvias *cit.* §. 4. *n.* 20. Sanchez *d. lib.* 4. *diſp.* 13. *n.* 3. citans plurimos alios; quamvis loquendo præſertim de matrimonio, nonnulli oppoſitum teneant. Ratio Concluſionis eſt: quia metus juſtè incuſſus, non infert cuipiam injuriam: quin potiùs, cùm ob prævìam v. g. promiſſionem, vel aliquod delictum is juſtè incutiatur, *hunc ſibi metum ipſe* delinquens *infert*; prout dicitur in *l. Si mulier.* §. 1. *ff. De eo quod metûs causâ &c.* Accedit, quòd matrimonium anteà promiſſum, ſi contrahatur metu excomunicationis per Judicem infligendæ, validum exiſtat, *c. Ex litteris*, 10. *de Sponſalib.* haud obſtante, quòd pœna major in Eccleſia non ſit, quàm excommunicatio, *can. Corripiantur.* 24. *q.* 3. Similiter qui aliquid promiſit metu accuſationis contra ipſum inſtituendæ, vel inſtitutæ, tenetur ſtare promiſſis, nec poteſt petere reſciſſionem promiſſionis ob prætextum metûs ſui, *l. Accuſationis. C. De ijs quæ vi metûsve causâ &c.* Atque idem dicendum de ſimilibus.

Reſp. IV. Ulteriùs metus quantumcunque gravis, ſi non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum, ſed ob alium finem ſive juſtè, ſive injuſtè illatus fuit, non añullat matrimoniũ, neque alios contractus reſcindit. Ita Sperellus *Deciſ.* 6. *Fori Eccleſiaſt. n.* 4. & Sanchez *lib.* 4. *de Matrim. diſp.* 12. *num.* 3. *& ſeqq.* allegantes communem, & certiſſimam Doctorum ſententiam. Sic, ubi quis ratione debitorum detruſus eſt in carcerem, & poſteà ut carceris ſqualorem effugiat, conſenſit in matrimonium, validè contrahit: quia tunc metus ex ſqualore carceris proveniens, non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum matrimonialem, ſed matrimonium ab incarcerato propter debita, ſponte eligitur veluti medium aptum effugiendi carcerem. Abbas in *c. Cùm locum. n.* 9. & Jo. Andreas *ibid. num.* 2. *de Sponſalib.* Sanchez *cit. diſp.* 12. *n.* 6. cum alijs. Similiter loquendo de metu injuſtè incuſſo, quando pater in ultionem injuriæ ſtricto gladio vult occidere adoleſcentẽ impudicè repertũ cum ſua filia; iſte verò precibus impetret, ut ſibi parcatur, præſtitâ promiſſione, quòd ad compenſationem injuriæ velit filiam ejus accipere in uxorem, validùm erit matrimonium exinde contractum. Licèt enim pater injuſtè adoleſcenti metum incuſſerit, volendo ipſum privatâ authoritate occidere; hoc tamen ſolùm fecit in ultionem injuriæ, non verò (ut ſupponitur) ad extorquendũ conſenſum matrimonialem: ac proinde, cùm juvenis ille non coactus matrimonium inire, ſuâ ſponte iſtud obtulerit veluti medium ſervandi propriam vitam, & illatam injuriã reſarciendi, memoratus metus non oberit valori matrimonij. Sperellus *cit. Deciſ.* 6. *n.* 1. *&* 5. Reginaldus *lib.* 31. *Praxis Fori Pœnit. cap.* 13. *num.* 79. Barboſa *in c. Veniens. il* 2. *num.* 4. *de Sponſalib.* citans alios. 28

Solùm adde, quòd quantùm attinet ad praxin Fori externi, in dubio præſumatur, metũ fuiſſe incuſſum ad extorquendũ conſenſum. Sperellus *cit. Deciſ.* 6. *n.* 10. Ubi etiã notat, quòd iſta ſententia ſpeculativa difficillimè reducatur ad praxin, cùm propemodùm ſit impoſſibile probare in judicio, patrem puellæ non ad extorquendũ con- 29

conſenſum matrimonialem, ſed ad ultionem duntaxat injuriæ, adoleſcenti illi mortem minitatū fuiſſe. Verùm in priori caſu, loquente de incarcerato ob debitū, praxis foret expeditior.

30 Quæritur III. Qualiter contractus, aliíque actus ex metu gravi, atque ad extorquendum conſenſum injuſtè incuſſo procedentes, invalidentur? Reſp. I. Contractus, pacta, transactiones, renunciationes, & conſimiles actus, non obſtante metu gravi, ex quo fiunt, regulariter ſunt validi tam pro Foro externo, quàm conſcientiæ; quamvis geſta ex tali metu, eoque probato, per ſententiam Judicis ſint reſcindenda. Ita Gloſſa cōmuniter recepta *in c. Abbas. 2. ℣. Coactus. h. t.* Et quidem prior pars probatur ex Juribus mox citandis, quibus metum paſſis ſubvenitur authoritate Judicis per actionem *Quod metûs causâ;* ſicque ſupponitur, talia geſta anteà eſſe valida, donec reſcindantur. Acceditratio: quia, quod ex metu fit, eſt ſimpliciter voluntarium; ac verum eſt dicere, *Coacta voluntas, eſt voluntas.* Et conſequenter tenent ea, quæ per metum fiunt; ſaltem regulariter loquendo, ac ubi Jus ſpecialiter aliud non diſpoſuit: quod additur propter dicenda *in §. ſeq. num. 44. & ſeqq.*

31 Altera pars patet ex *d. c. Abbas. 2. §. fin. & c. Ad audientiam. 4. h t.* ubi ea, quæ vi metúsve causâ fiunt, de jure in irritum revocanda eſſe, decernitur. Idem habetur *L. 1. ff. h. t.* ibi: *Ait Prætor, quod metûs causâ geſtum erit, ratum non habebo.* Et hoc dictum ampliùs in progreſſu ibidem explicatur, atque repetitur, *l. Si mulier. §. 1. ff. eod.* Inſuper in *l. Metum autem præſentem. 9. §. Sed Prætor ff. eod.* ſubjungitur, quòd in negotijs ex metu gravi, atque præſenti geſtis, ut reſcindi poſſint, *ſive perfecta ſive imperfecta res ſit, & actio & exceptio detur*; de quibus paulò inferiùs plura.

32 Eadem pars Concluſionis probatur inductione. Sic enim, qui per metum gravem renunciavit Beneficio Eccleſiaſtico, illudque abjuravit, poteſt id repetere in judicio, ac reſtituitur; ut eſt caſus *in c. Abbas. 2 & c. Ad audientiam. 4. h. t.* Nec obſtat juramentum, quo quis Beneficium ſe reſignaturum forſan juravit, vel illud abjuravit. Reſp. enim *cum cit. c. Ad audientiam. h. t.* quòd virtute hujus juramenti quis *non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodò teneatur*: ſicque illud non obſtat repetitioni poſtmodùm faciendæ. Quòd ſi verò quis juràſſet etiam non repetere, tunc quidem non poſſet ampliùs repetere propter religionem juramenti, quod ſemper eſt ſervandum, ſi ſervari poteſt absque peccato: nihilominùs poſſet is hoc denunciare Papæ, ab eòque impetrare abſolutionem à juramento; *arg. c. Si verò. 8. de Jurejurand.* junctâ Gloſsâ *in cit. c. Ad audientiam. ℣. Reſignandum. h. t.* & concordant dicta ſuperiùs *Tit. 9. De Renunciatione.* §. 1. n. 3.

33 Similiter, ſi quis electioni de ſe factæ terrore Laicorum renunciet, hâc renunciatione nō obſtante poteſt in judicio repetere Prælaturam, ſive regimen, ad quod electus fuerat, eique præfici; niſi fortè renunciatio illa juramento, vel fide interpoſitâ ſit confirmata, quòd ſcilicet non reciperet Prælaturam illam; prout habetur deciſum *in c. Ad aures. 3. h. t.* & ampliùs explicat Gloſſa *fin. ibid.* Tacentur ſimilia.

Quæritur IV. Quodnam remedium Juris 34
competat metum paſſis? Reſp. I Metum paſſis competit de Jure tum actio *Quod metûs causâ*, tum exceptio hujusmodi. Patet hoc *ex cit. l. Metum autem præſentem. 9. §. Sed quod Prætor. ff. h. t.* ubi expreſſum habetur; quòd metu interveniente, *ſive perfecta, ſive imperfecta res ſit, & actio & exceptio detur.* Et quidem

Actio *Quod metûs causâ* datur ei, qui ex gravi me-
tu coactus, rem ſuam alteri tradidit, aut præſti- 35
tâ cautione dare promiſit, vel quodcunque jus ſuum ipſi remiſit, ut Judicis authoritate in priſtinum ſtatum reponatur, ſeu res tradita cum integritate ſibi reſtituatur. Deſumitur hoc *ex cit. §. Sed quod Prætor.* Concordat *d. c. Abbas. 2. h t.* ubi Pontifex illi, qui ex gravi metu coactus renunciavit ſuo Beneficio, jubet præter ipſum Beneficium *cum integritate reſtitui univerſa.* Et addit hujus rationem illis verbis ſuprà jam adductis: *Quia, quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.*

Et notantur dicitur, *cum integritate reſtitui univerſa.* 36
Quia, ut rectè notat Panormitanus *in cit. c. Abbas. n. 3.* per actionem *Quod metûs causâ* debet fieri integerrima reſtitutio eorum, quæ quis perdidit per metum: adeò, ut debeat haberi reſpectus non tantùm ad bona exiſtentia, quæ metum paſſus alteri tradidit; ſed etiam ad damna illata, & intereſſe ceſſans ratione illius metûs. Debet enim res reſtitui cum fructibus, & omni
causâ *l. Si cum exceptione. §. Labeo ait. ff eod.* 37
His adde ex *cit. l. Si cum exceptione. §. In hac actione, ff h. t.* quòd is, qui agit hâc actione, non aſtringatur ad deſignandum, quis ei metum intulerit (hoc enim probare foret difficillimum, cùm talia ſæpiùs fiant de nocte, aut in multitudine hominum; ſicque metus, ut ibi dicitur, cenſeatur habere in ſe ignorantiam) ſed ſufficiat probare, metum ſibi eſſe illatum, atque ex tali re per metum traditâ commodum ſenſiſſe illum, qui convenitur; licèt is metum non intulerit, & crimine careat.

Atque ideò actio *Quod metûs causâ* non ſolùm 38
eſt *perſonalis*, quatenus poteſt dirigi in perſonam illius, qui metum intulit: ſed etiam eſt *Actio in rem ſcripta;* quia datur adversùs quemcunque, qui ex metu illato ſenſit commodum, licèt ipſe metum non intulerit. Mynſinger *lib. 4. Inſtit. §. Quadrupli. n. 2. de Actionib.* Inſuper actio *Quod metûs causâ* eſt pœnalis: quia, ſi intra annum (eumque utilem) inſtituatur contra eum, qui metum gravem injuſtè intulit, aut contra rei per metum traditæ poſſeſſorem, & is reſtituere cunctatus fuerit, tunc ipſe in quadruplum condemnandus erit: alioquin verò in ſimplum duntaxat condemnatur. Layman *in cit. c. Abbas. n. 5. h. t.* & patet *ex d. l. Si cum exceptione. §. Si quis non reſtituat. & ſeqq. ff. h. t.*

Alte-

39 Alterum remedium, quod metum paſſis de jure competit, eſt Exceptio *Quod metûs cauſâ.* Et hæc quidem vel maximè competit in negotijs imperfectis; hoc eſt in illis, ubi nondum facta eſt executio, v. g. rei traditio: ut puta, ſi quid ex metu gravi promiſſum fuit, ſed nondum traditum; quia, ubi promiſſum tale exigitur, poteſt opponi dicta exceptio. Quin etiam interdum ea competit in negotijs perfectis: ut ſi ex metu gravi dedi tibi centum, aliunde autem tibi debeam centum, quando tu iſta centum à me exigis, poſſum tibi opponere exceptionem de alijs centum ex gravi metu tibi jam datis. Patet hoc totum *ex d. l. Metum autem præſentem. §. Sed quod Prætor. ff. eod.*

40 Aliud, atque tertium remedium, addit Hoſtienſis *in Summa. h. t. n. 7.* quod eſt *Rei vindicatio*; ſive (ut Abbas *in c. Ad audientiam. n. 1. h. t.* loquitur) *Actio utilis*, ſi metum paſſus dominus eſt illius rei, *arg. cit. l. Metum autem præſentem. §. Volenti. & §. Licèt etiam. ff. h. t.* Ibi quippe dicitur, quòd, quando res per metum tradita in bonis ejus eſt, qui vim paſſus fuit, volenti detur *actio in rem* (intellige de actione utili, ut explicat Gloſſa *℣. In rem.* & Bartolus *ibid.*) licet tunc ceſſet actio pœnalis.

41 Et ſi petas, quomodo res poſſit dici eſſe in bonis ejus, qui eam alteri ex metu jam tradidit, ſicque dominium in alterum validè transtulit. Reſp. cum Gloſſa *in cit. §. Licèt etiam. ℣. In bonis ejus*, id verificari fictione juris: nam, ut *l. Nemo. ff de Reſtitut. in integrum* dicitur: *Nemo videtur re excluſus, quem Prætor in integrum ſe reſtituturum pollicetur.*

§. III.

De nonnullis caſibus, in quibus Metus vel non excuſat, vel irritat actum ipſo jure.

SUMMARIUM.

42. *Si culpâ ſuâ quis incidit in metum, non competit ipſi remedium Juris* Quod metûs cauſâ.
43. *Hoc ipſum non competit ei, qui ex metu non eſt damnificatus.*
Quid, ſi creditor vim adhibeat debitori, ut ſolvat? Ibid.
44. *Matrimonium ex gravi metu injuſtè incuſſo contractum, ipſo jure eſt nullum.*
45. *Idem, juxta probabiliorem ſententiam, dicendum de Sponſalibus; adeò, ut non inducant impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, ſi ex tali metu fiant. Et num. ſeq.*
46. *Impoſſibile dicitur, quod fieri non poteſt de Jure communi, ſed ſolùm ex diſpenſatione Papæ.*
47. *Quo jure metus gravis irritet matrimonium, variant Doctores. Et num ſeqq.*
Afferuntur rationes refundentium hoc in ſolum Jus Eccleſiaſticum. Ibid.
48. 49. & 50. *Ponitur, ac multipliciter probatur ſententia, aſſerens, metum gravem Jure naturæ dirimere matrimonium.*
51. 52. 53. & 54. *Solvuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.*
55. *Metus ſufficiens ad reſcindendos cæteros contractus, ſufficit etiam ad irritandum ipſo jure matrimonium &c.*
56. *Plures caſus referuntur, in quibus metus irritat actum ipſo jure. Et num. ſeqq.*
57. *Ut Profeſſio religioſa.*
58. *Et quodlibet Votum per metum emiſſum.*
Niſi poſteà ceſſante metu ratificetur. Ibid.
59. *Juramentum tamen metu gravi extortum, eſt validum; & quæ diſparitas?*
60. *Promiſſio, ac traditio rerum Eccleſiaſticarum metu extorta, ipſo jure non tenet.*
Idem dicendum de juramento deſuper facto. Ibid.
61. *Solvitur inſtantia.*
62. *Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ ex metu gravi, non valet.*
63. & 64. *Et quid de juriſdictione per metum gravem extorta. Et num. 73.*
65. *Abſolutio à Cenſuris, harumque revocatio metu extorta, ipſo jure eſt nulla, eámque extorquens excommunicatur.*
66. *Idque locum habet etiam in excommunicatione minori: ſecùs in irregularitate.*
67. *Idémque procedit etiam in excommunicatione injuſta, non autem in invalida.*
68. *Exemplificatur idipſum in revocatione Cenſuræ per metum extorta.*
69. *Authoritas Tutoris metu extorta, nulla eſt.*
70. *Solvitur inſtantia.*
71. *An valeat Teſtamentum metu factum, aut ubi teſtes inviti ex gravi metu detenti fuerunt?*
72. & 73. *Sententia per metum lata, num valeat?*
74. *Utrùm valeat conſtitutio Procuratoris, ſi fiat ex gravi metu?*
75. *Omnes actus illi metu extorti ipſo jure non valent, qui ſine peccato ſervari non poſſunt.*

42 QUæritur I. Quando metus non excuſet, ſeu non faciat actum reſcindi per ſententiam judicis? Reſp. I. Quamvis geſta per metum regulariter teneant, ſed reſcindenda veniant authoritate judicis, & per actionem *Quod metûs cauſâ*, ut proximè dictum: id tamen quoad poſteriorem partem fallit imprimis, ſi culpâ ſuâ quis incidit in metum; quia talis

talis metus non excuſat, neq; competit aliquod remedium ex ſua culpa metum paſſo. Ita Gloſſa magna *in cap. 2.* & Abbas *ibid. n. 7. h. t.* cum communi; atque deſumitur ex *l. Si mulier. 21. §. 1. ff. h. t.* ubi dicitur, quòd ſi Liberta contra Patronum ſuum ingratitudinem commiſerit, atque idcircò, ne iterum ab eo in ſervitutem redigatur, quidpiam ei promiſerit, aut dederit, ipſi non ſubveniatur per Edictum *Quod metûs causâ*, additâ illâ notabili ratione: *Quia hunc ſibi metum ipſa infert*, comittendo videlicet ingratitudinem contra Patronum. Ubi proin Gloſſa generaliter notat, non ſuccurri ei, qui ſe in neceſſitatem poſuit, *arg. l. Si fidejuſſor. §. Si neceſſaria. ff. Qui ſatisdare cogantur.*

Fallit inſuper dicta poſterior pars Concluſionis, quando metus ab intrinſeco proveniebat: vel quando metus ab extrinſeco quidem, juſtè tamen, vel ſaltem non ad extorquendum conſenſum incutiebatur; prout jam dictum fuit ſuprà *§. præc. n. 26. & ſeqq.*

43 Reſp. II. Actio *Quod metûs causâ* etiam illi non competit, qui ex metu damnificatus non eſt. Ita habetur *in l. Sed & partus. 12. §. Quæri poterit. ff. h. t.* & notat Bartolus *in Summario. ibid.* Layman *in principio. h. t. n. 2* & communis. Sic, quando creditor vim adhibuit debitori ſuo, ut ei debitū ſolveret, actione *Quod metûs causâ* non tenetur. Nam hæc actio damnum exigit: atqui per vim repetens, quòd ſibi debebatur, damnum non intulit; prout argumentatur Julianus *in cit. §. Quæri poterit*: rectè tamen concedens, quòd talis ob vim adhibitam incidat in Legem Juliam de vi, & conſequenter jus crediti amittat. Nunc quantùm ad alteram partem propoſiti Paragraphi,

44 Quæritur II. Utrùm matrimonium gravi metu contractum ſit invalidum, & quo jure? Reſp. I. Matrimonium ex gravi metu injuſtè incuſſo contractum, ipſo jure nullum eſt, atque invalidum. Ita textus *in c. Cùm locum. 14. & c. Veniens. 15.* junctâ Gloſſâ *℣. In virum conſtantem. & c. Conſultationi. 28 de Sponſalib. & matrim.* eſtque certa, & communis Doctorum. Siquidem contracturus matrimonium *plenâ debet ſecuritate gaudere, ne per timorem dicat ſibi placere quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptijs provenire*; ut loquitur Pontifex *in cit. c. Cùm locum de Sponſalib.*

45 Et hoc ipſum Abbas *in c. Ex litteris. n. 2. de Deſponſat. impuber.* & communior atque probabilior Doctorum quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 19. n. 2. & 3.* contra nonnullos alios, extendit ad Sponſalia de futuro, ex metu gravi, atque injuſto contracta; quòd nimirum & ipſa ſint irrita ipſo jure, ſicque non inducant impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis. Tum quia connexorum idem eſt judicium, *arg. c. Tranſlato. de Conſtit.* cum ſimilibus: unde etiam *l. Oratio. ff. de Sponſalib.* in ſimili habetur, quòd prohibitis in perſona Senatorum nuptijs, etiam ſponſalia ipſo jure prohibita cenſeantur. Tum quia Sponſalia metu contracta, ſi ſemel valerent, hoc ipſo inducerent damnum irreparabile, videlicet impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis: hoc enim non poſſet ampliùs per ſententiam Judicis reſcindi, prout reſcinduntur alia ex cæteris contractibus metu celebratis emergentia. Atqui illud non videtur dicendum, quia *quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*; adeò, ut *cum integritate* reſtituantur univerſa, *c. Abbas. 2. §. fin. h. t.* cum ſimilibus, eſtque jam dictum ſuprà *num. 33.*

46 Nec juvat dicere, impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis poſſe tolli per diſpenſationem Papalem, ac proinde illinc non ſequi damnum irreparabile. Nam contrà eſt: quia damnum ſubortum ex geſtis ob metum gravem, debet poſſe tolli *de jure*, ſeu per ſententiam Judicis geſta illa cæteroquin valida annullantis, & in irritum revocantis, *cit. c. Abbas*, cum concordantijs. Deinde, quod fieri non poteſt de Jure communi, ſed fit tantùm ex diſpenſatione Papæ, cenſetur impoſſibile; ut notant Gloſſa *in l. Continuus. §. Cùm quis. ℣. Relictæ. ff. de Verb. obligat.* id probans *ex l. Apud Julianum. §. fin. ff. de Legat. I.* Bartolus *in d. l. Apud Julianum. §. Conſtat.* Dynus *in c. Semel Deo dicatum. n. 2. de Reg. Jur. in 6.* aſſerens, id *quod unius ſolius* (puta, Summi Pontificis) *poteſtati ſubjicitur, impoſſibile de jure reputari.* Fagnanus *c. De illis. n. 42. de Deſponſat. impub.* poſt Innocentium *in c. Paſtoralis. de Cauſa poſſeſſ. & propriet.* & alios: ſicque (tacendo nunc expenſas in difficiliori acceſſu ad Sedem Apoſtolicam faciendas) adhuc damnum illud cenſetur irreparabile; præſertim, cùm Papa non ſoleat diſpenſare absque alia gravi & juſta cauſa. Confirmatur eadē ſententia: quia *in c. Ex litteris. 11. de Deſponſat. impuber.* Sponſalia impuberum de præſenti (qualia olim habebant vim Sponſalium de futuro) cenſentur irrita, & nullius obligationis, eò quòd fuerint contracta ex gravi metu; idem ergo dicendum de ipſis Sponſalibus, ex gravi & injuſtè incuſſo metu contractis.

47 Reſp. II. Quo jure metus gravis, ſimúlque injuſtè incuſſus, irritet matrimonium, duplex eſt Doctorum ſententia, quibusdam aſſerentibus, ipſo Jure naturali ac Divino irritum eſſe tale matrimonium; alijs econtrà id refundentibus in ſolum Jus Eccleſiaſticum: uti videre eſt apud Sanchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 14.* per totum, & alios Doctores. Ratio hujus poſterioris ſententiæ eſſe poteſt. Quia, quantùm eſt de Jure naturæ, *Coacta voluntas, eſt voluntas*, ut habet vulgatum Canoniſtarum; ſimúlque matrimonium metu initum, eſt ſimpliciter voluntarium. Deinde, quando metus juſtè eſt incuſſus, non irritat de Jure naturæ matrimonium, ut omnes fatentur; ergo neque injuſtè incuſſus illud irritat de Jure naturæ, & conſequenter id provenit ex ſolo Jure Eccleſiaſtico. Accedit, quòd juramentum metu gravi extortum, ſit validum: ut *c. Si verò. 8. & c. Verùm. 15. de Jurejurand.* Imò & ad valorem quoque Baptiſmi ſufficiat voluntas gravi metu coacta, *c. Majores.*

§. *Item.*

§. Item quæritur. de Baptiſmo. & can. de Judæis. diſt. 45. Ergo ſimiliter ad valorem matrimonij ſufficeret voluntas coacta, quantùm eſt ex natura rei, & niſi Eccleſia oppoſitum ſtatuiſſet, inhabilitando videlicet perſonas metu gravi coactas ad ſic contrahendum. Et hanc ſententiam amplectitur Sanchez *cit. lib. 4. de Matrim. diſp. 14. n. 2.* allegans pro ipſa plures alios Authores.

48 Oppoſitam ſententiam, videlicet metum gravem & injuſtè incuſſum, Jure naturæ dirimere matrimonium, tenet Scotus *in 4. diſt. 29. q. un. §. De ſecundo.* D. Thomas *in 4. diſt. 29. quæſt. un. art.* 3. & D. Bonaventura *ead. diſt.* 29. *quæſt. 1. n.* 5. Covarruvias *part. 2. de Matrim. cap.* 3. *§. 5. n* 6. aliique plures tum Theologi, tum Juriſtæ. Probat id Doctor ſubtilis inter alia ex primæva matrimonij inſtitutione: nam Deus contractum matrimonialem inſtituit ſummè liberum, juxta illud Geneſ. 2. *Adhærebit uxori ſuæ*: atqui non adhæret quis illi, quod invitè tenet. Et hanc plenam libertatem Jure naturæ requiri ad contrahendum matrimonium, videntur jam olim agnoviſſe parentes, & fratres Rebeccæ, *Geneſ. 24.* dum ſervo Abrahæ hanc pro Iſaac uxorem petenti, dixerunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.* Idipſum deſumitur ex fine matrimonij, qui eſt proles legitimè procreanda, & educanda, unde naſcitur indiſſolubilitas matrimonij, ſicque exigitur plena libertas ad illud contrahendum: ſolent enim matrimonia coacta frequenter difficiles habere exitus. *Quod enim quis non eligit, nec optat, profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit*, ut eſt textus notabilis *in c. Præſens.* 20. *quæſt. 3.*

49 Accedit, quòd nullibi reperiatur, Eccleſiam edidiſſe novam Conſtitutionem irritantem matrimonia metu gravi contracta, ſed tantùm declaraſſe, ea quæ taliter erant contracta, fuiſſe irrita. Nam textus *n. 44.* citati, loquuntur de matrimonijs jam contractis, & declarant eadem, utpote gravi metu contracta, invalida extitiſſe; ergo jam antea fuerunt invalida, videlicet ex ipſo Jure naturæ: alioquin enim Eccleſia non potuiſſet ea ampliùs irritare, ſi ſemel valida fuiſſent.

50 Quinimò, quòd matrimonium metu gravi contractum de Jure naturæ ſit invalidum, ſatis probat ratio Pontificis *in c. Cùm locum. 14. de Sponſalib.* allata, quæ ſic ſonat: *Cùm locum non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intercedit:* atqui ſine conſenſu matrimonium Jure naturæ eſt nullum; ergo. Deinde coactio irritat Matrimonium Jure naturæ: atqui Pontifex ibidem æquiparat metũ gravem coactioni, illis verbis: *Metus vel coactio.* Tandem, quòd contracturus matrimonium *plenâ debeat ſecuritate gaudere*, probat Pontifex ibidem non ex Conſtitutione quâdam Eccleſiaſticâ, ſed ex ratione lumine naturali notâ; videlicet, *Ne per timorem dicat ſibi placere quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptijs provenire.* Hæc Pontifex *in cit. c. Cùm locum*, paulò poſt verba ſuperiùs relata; & conſequenter invaliditas matrimonij ex gravi metu contracti non oritur præciſe ex Conſtitutione Eccleſiaſticâ, ſed ex ipſo Jure naturali, ac Divino, poſtmodùm per Eccleſiam explicato, ac declarato.

51 Ad rationes prioris ſententiæ, & ad primam earum reſpondetur, dictum illud, *Coacta voluntas eſt voluntas*, procedere regulariter: ac præſertim in contractibus civilibus, ubi per reſciſſionem actûs authoritate Judicis factam, totum damnum facilè eſt reparabile. Secùs dicendum in Matrimonio, imò & in Sponſalibus, utpote ſi ſemel valerent, perpetuò inducentibus impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis. Neque urget, quòd geſtum ex metu cenſeatur ſimpliciter voluntarium: quia ad matrimonium non ſufficit quodcunque voluntarium, ſed requiritur plena ſecuritas, & omnino liber conſenſus; hoc eſt, nullo gravi metu extortus: idque de Jure naturæ, ut dictum in probationibus noſtræ ſententiæ.

52 Ad alterum reſpondetur cum Doctore Subtili *loc. cit.* negando conſequentiam, & paritatem inter metum injuſtè, & juſtè incuſſum. Nam hoc ipſo, quòd is injuſtè, ſeu cùm injuria alterius incutiatur, Deus, ceu ſupremus Dominus, non ratificat contractum matrimonialem ex metu gravi, aut injuſte incuſſo procedentem, ut patet ex dictis: ſecùs dicendum, ſi metus abſque injuria alterius, ſeu juſtè incutiatur. Atque hoc ultimum pariter procedit, ſi ſermo ſit de alijs contractibus, in quibus Deus aliud non ordinavit.

53 Ad inſtantiam de juramento factam rurſus negatur conſequentia, & paritas: tum ob rationem proximè dictam, tum etiam ob majorem reverentiam religionis juramenti, juxta dicenda *n. 59.* Adde, quòd matrimonium metu gravi contractum non firmetur juramento, *arg. c. Significavit. 2. De eo, qui duxit in matrimonium &c.* & notat Gloſſa *ibid. ℣. Tanta vis.* & Abbas *n.* 5. Atqui, ſi matrimonium metu gravi contractum, eſſet nullum ſolo Jure Eccleſiaſtico, firmaretur juramento, *arg. c. Cùm contingat.* 28. *de Jurejurand.* cum concordantijs; ergo ſignum eſt, quòd ſit nullum, non præciſè ex Jure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, ac Divino.

54 Ad ultimum reſpondet Scotus, *ubi ſuprà, in ſolutione ad primum principale*, iterùm negando conſequentiam, & paritatem inter Baptiſmum & Matrimonium. Tum quia in Baptiſmo efficitur melior conditio baptizati; non ſic matrimonio aſtricti. Tum quia voluntas Superioris, ſive Dei, ratificat aliquem fieri filium Eccleſiæ per conſenſum coactum: non ſic autem in matrimonio, juxta hactenus dicta.

55 Quæritur III. Quinam alij actus, ſive contractus, ſint ipſo jure irriti ob metum gravem, atque injuſte incuſſum? Ubi prænotandum cum Covarruvia *de Matrimonio, part. 2. cap. 3. §. 6. n. 4. &* 5. Sanchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 6. num.* 1. & alijs, eundem metum, qui ſufficit ad reſcindendos cæteros contractus, ſufficere pariter ad irritandum ipſo jure matrimonium, alióſque contractus, qui ob ejuſmodi gravem metum ipſo jure cenſentur irriti, ac nullius roboris. Quo prænotato,

56 Reſp. I. Licèt regulariter teneant ea, quæ per metum fiunt, ut ſuprà *n.* 26. dictum: attamen hoc ipſum fallit in certis caſibus, à Jure ſpecialiter expreſſis, quorum ſex allegat Gloſſa *in c. Abbas.* ℣. *Coactus. h. t.* eóſque ſequentibus verſiculis complectitur.

Tutor, judicium, dos, Sacrum, copula, votum:
Hæc ſex vi facta, de jure ſcias fore nulla.
Cætera jus patitur, ſed poſteà reſtituuntur.

57 Ubi per ly, *Copula*, intelligitur Matrimonium, unàcum Sponſalibus juxta ſententiam probabiliorem, de quibus jam dictum: nunc loquendo de cæteris,

Reſp. II. Matrimonium ſpirituale, ſeu Profeſſio religioſa, pariter ipſo jure (Eccleſiaſtico tamen) invalida eſt, ſi fiat ex metu gravi, & injuſtè incuſſo. Ita communis; atque in allatis verſiculis indicatur per ly *Votum*, eſtque expreſsè deciſum *in cap.* 1. *h. t.*

58 Et hoc ipſum Gloſſa *in cit. c. Abbas.* ℣. *Coactus*, & Panormitanus *ibid. num.* 11. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 29. *num.* 5. Zoëſius *h. t. num.* 7. Sannig *eod. cap.* 4. *n.* 4. aliique communiter, extendunt ad quodlibet Votum per metum emiſſum; idque colligitur à pari *ex d. cap.* 1. *h. t.* Accedit, quòd oporteat, ut *liberum ſit arbitrium in vovendo*, juxta *c. Licèt.* 6. *de Voto.* Nam *voluntarium ſibi militem eligit Chriſtus*, prout dicitur *can. Non eſt.* 15. *q.* 1. Et hinc meritò Eccleſia votum metu extortũ ita irritavit, ut nulla ex eo oriatur obligatio. Pirhing *h. t. n.* 25. & 27. cum alijs. Intellige, niſi Profeſſio religioſa, vel aliud votum metu cogente emiſſum, poſteà ceſſante metu expreſsè, vel tacitè ratificetur. Tunc enim propter ſubſequentẽ ratihabitionem, ſeu liberum novũ conſenſũ, convaleſceret, per textũ *in cit. cap.* 1. *h. t.*

59 Nec datæ Concluſioni obſtat, quòd juramentum metu gravi extortum ſit validum, *c. Ad aures* 3. *h. t.* & *c. Si verò.* 8. *de Jurejurand.* Reſp. enim cum Abbate *in cit. c. Si verò. n.* 10. *in fine.* diſparitatem eſſe: quia, cùm frequenter juramentum interveniat in actibus hominum, aliter Eccleſia ſtatuit circa ipſum, ne detur materia allegandi metum, ſicque pejerandi; ſimúlque, ut habeatur in majori reverentia religio juramenti, probato metu debet peti abſolutio ab ipſo. Hæc autem ratio non militat in voto, utpote quod rarò emittitur.

60 Reſp. III. Promiſſio, ac traditio rerum Eccleſiaſticarum gravi metu extorta, ſicut & juramentum tali metu factum de rebus Eccleſiæ vel tradendis, vel non repetendis, ipſo jure non tenet. Ita habetur *can. Si quandoque.* 15. *q.* 6. juncto *c. Pervenit.* 2. *de Jurejurand.* atque indicatur in ſuprà allatis verſiculis per ly, *Sacrum.* Accedit ratio: quia, cùm alienatio rerum Eccleſiæ ſine ſolemnitatibus à Jure requiſitis non valeat, multò magis ea non valet, ſi extorta ſit per metum gravem, atque injuſtè incuſſum. Et idem dicendum de juramento deſuper facto: tum quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, juxta *Reg.* 42. *Juris in* 6. Tũ quia tale juramentum nequit ſervari abſque peccato, alienando videlicet aliquid in præjudicium Eccleſiæ; ſicque non obligat.

61 Nec obſtat, quòd *in cit. c. Pervenit. de Jurejurand.* abſolutio à tali juramento per Papam data fuerit. Reſp. enim, hanc eſſe datam ſolummodò de facto, & ad cautelam. Niſi cum Gloſſa ibidem ly *abſolvimus*, velis exponere pro, *id eſt, abſolutum eſſe oſtendimus.*

62 Reſp. IV. Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ ex gravi metu, eſt ipſo jure nullus. Patet hoc *ex l. Si mulier. ff. h. t.* ibi: *Si dos metu promiſſa ſit, non puta naſci obligationem.* Ubi Summarium ait: *Contractus dotis factus metu, eſt ipſo jure nullus.* Et meritò: quia dos eſt acceſſoria ad matrimonium: atqui matrimonium metu gravi contractum, ipſo jure eſt irritum; ergo & promiſſio dotis. Atque hoc in dictis verſiculis denotatur per ly, *Dos.*

63 Reſp. V. Jurisdictio per metum gravem obtenta, ſeu extorta non tenet. Ita inſinuatur in dictis Gloſſæ verſiculis per ly, *Judicium.* Idque deſumitur *ex L.* 2. *ff. de Judicijs*; ubi cum promiſſum fuiſſet, quòd error litigatorum non prorogget jurisdictionem; ſubditur, hoc ipſum eſſe dicendum de gravi metu, illis verbis: *Aut, ſi cum reſtitiſſet quivis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulſus eſt, nulla jurisdictio eſt:* ſcilicet ipſo jure nulla, ſicut nec Dos per metum promiſſa, ut explicat Gloſſa *ibid.* ℣. *Nulla.*

64 Quamvis autem *in cit. L.* 2. ex profeſſo ſit ſermo de jurisdictione prorogata; nihilominus Abbas *in cap.* 2. *num.* 12. *h. t.* laudat Gloſſam ibidem id generaliter intelligentem, conſideratâ ratione textûs: quia enim metus impedit prorogationem jurisdictionis, fortiùs debet impedire translationem ejus. Fatendum tamen, quòd de hoc caſu non pauci Doctores dubitent, atque contrarium teneant: ut Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 36. *n.* 13. Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. & jure, cap.* 17. *n.* 37. Pirhing *h. t. n.* 33. & quidam alij.

65 Huc adde, & quidem indubitatè, abſolutionem à Cenſuris, ſeu à ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis vel interdicti, ejúſque revocationem, vi aut metu extortam. Hæc enim non ſolùm ipſo jure nulla eſt, ſed etiam taliter extorquens, ipſo facto excommunicationem incurrit: prout habetur expreſſum *in cap. un. h. t. in* 6. & ampliùs declarant Gloſſa, atque DD. ibidem.

66 Et hæc Conſtitutio pariter locum habet in abſolutione ab excommunicatione minori, per vim aut metum gravem extorta: quia verba illius Canonis loquuntur generaliter de excommunicatione. Suarez *diſp.* 7. *de Cenſuris. ſect.* 6. *num.* 13. cum communi. Secùs dicendum de diſpenſatione ab Irregularitate, per ſimilem metum extorta: quia de irregularitate ibidem nulla fit mentio; ſicque valet ejuſmodi diſpenſatio, licèt ratione metûs poſtmodum ipſa ſit irritanda. Pirhing *h. t. n.* 31. poſt Lugonem *tom.* 2. *de juſtit. & jur. diſp.* 22. *ſect.* 7. *n.* 129.

In-

7 Inſuper dicta Conſtitutio locum habet in excommunicatione injuſta. Humiliter enim debet abſolutio peti, non per metum extorqueri: quia ſententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta fuerit, timenda eſt, *can. Sententia*, 11. *q.* 3. & notat Gloſſa *in cit. cap. un. ℣. Excommunicationis. h. t. in 6.* poſt Jo. Monachum, Archidiaconum, & alios. Secùs dicendum, quando ſententia Cenſuræ non ſolùm injuſtè, ſed etiam invalide lata fuit, v. g. ob defectum jurisdictionis: quia verba dictæ Conſtitutionis pœnalis debent intelligi cum effectu, *arg. can Hæc autem verba, de Pœnit. diſt.* 1. junctâ Gloſſâ ibidem: ſed quando Cenſura eſt invalida, idem eſt, ac ſi nulla fuiſſet lata; ergo. Suarez *diſp.* 23. *de Cenſur. ſect.* 4. *n.* 12. Pirhing *d. num.* 31.

8 Et quia in eadem Conſtitutione fit expreſſa mentio de revocatione Cenſuræ per metum extorta: hinc ipſa etiam locum habet tunc, quando Cenſura lata eſt intra certum tempus incurrenda, ſi præcepto non pareatur, & quis per illatum metum ante lapſum illius temporis compellat Judicem Eccleſiaſticum ad ejus revocationem. Idémque dicendum, quando Dominus temporalis gravi metu compellit Superiorem Eccleſiaſticum ad relaxandum Interdictum loci: nam & talis revocatio Cenſuræ, aut relaxatio Interdicti, ipſo jure nulla eſt; ſicque iſtud adhuc ligat, & compellens incurrit excommunicationem. Suarez *cit. diſp.* 7. *n.* 13. Barboſa *ad cap. un. n.* 3. *h. t. in* 6. & alij.

9 Reſp. VI. Authoritas Tutoris per metum extorta, nulla eſt. Ita Gloſſa *ubi ſuprà*, iſtud denotans in ſæpè dictis verſiculis per ly, *Tutor.* Idémque deſumitur *ex L.* 1. §. *fin. ff. de Authorit. tutorum.* ibi: *Tutor, ſi invitus retentus ſit per vim, non valet quod agitur: neque enim præſentia corporis ſufficit ad authoritatem*; hoc eſt, ut geſta per Tutorem valeant. Accedit ratio: quia ad talium valorem etiam Tutoris conſenſus requiritur: atqui talis abeſt, ubi Tutor eſt invitus, ac per vim retentus; ergo.

0 Si dicas, hanc Legem ſolummodò loqui de Tutore invito, ac per vim retento: atqui aliud eſt vis ſeu violentia, aliud metus; & geſta per metum cæteroquin cenſentur ſufficienter voluntaria, ut regulariter teneant. Reſp. quòd hoc ipſum ſit dicendum de Tutore ex gravi metu procedente, eſt ſpeciale in Tutore, ſicut & in Dote; ut inquit Gloſſa *in d. L.* 1. ℣. *Non valet*: idque favore pupilli, ne cæteroquin huic quoquo modo præjudicetur. Nam, quòd in ſimili ob favorem matrimonij metus gravis, & coactio æquiparentur, textus eſt *in c. Cùm locum.* 14. *de Sponſalib.* ubi dicitur: *Cùm locum non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intercedit.*

Præter hoſce caſus in dictis Gloſſæ verſiculis comprehenſos, addit Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 6. & Abbas Panormit. *in cap.* 2. *n.* 16. *eod.* quoſdam alios, in quibus pariter geſta per metum nõ tenere, nonnulli volunt. Eorum unus eſt in Teſtamento: nam, quando quis per metum cadentem in virum conſtantem facit teſtamentũ, aut ubi teſtes inviti ad ejus confectionem pari metu fuerunt detenti, ajunt illud non valere, *arg. l. Qui teſtamento.* 20. §. *fin. ff. de Teſtament.* ubi dicitur: *Sed ſi detenti ſint inviti ibi teſtes, putant non valere.* 71

Alius caſus eſt in pronunciatione ſententiæ: nam quòd ſententia per metũ lata non teneat, tradit Hoſtienſis ibide, id probans *ex can. Injuſtum.* 11. *q.* 3. Verùm Gloſſa *in d. can. Injuſtum.* ℣. *Non valeat.* & Archidiaconus *ibid. n.* 2. & 3. & plures alij docent, quòd ejusmodi ſententia per metum lata teneat, niſi elidatur per exceptionem. 72

Nec obſtant dicta *n.* 63. & 64. Reſp. enim cum Panormitano *loc. cit. n.* 17. quamvis metus gravis, ſi intervenit in jurisdictione conferenda, vel proroganda, vitiet actum ipſo facto, ut ibidem oſtenſum fuit. Secùs tamen eſſe, quando is intervenit in jurisdictione exercenda: tunc enim regulariter (ſeu ubi aliud ſpecialiter non exprimitur, prout expreſſum habetur in caſu *cap. un. h. t. in* 6.) metus non vitiat ipſo jure. Stat enim regula, quòd illa, quæ metu fiunt, teneant, niſi in caſibus ſpecialiter exceptis. 73

Tertius caſus eſt in conſtitutione Procuratoris: hanc enim non tenere, ſi per metum quis conſtituat procuratorem, voluit Hoſtienſis *loc. cit.* id probans *ex c. Accedens.* 10. *de Procuratoribus.* Verùm iſtud textus ille clarè nõ probat: & commodè poteſt ſalvari, quòd quidem conſtitutio procuratoris, præſertim in caſu matrimoniali, plenâ debeat libertate gaudere, & ſi per metum extorta fuerit, ſit reſcindenda: non tamen, quòd ipſo jure ſit invalida. Unde caſus iſte magis eſt dubitabilis, ſicut & nonnulli alij à quibusdam relati, quos proinde placuit præterire. 74

Tandem generaliter eſt notandum, quòd omnes actus illi metu extorti, ipſo jure ſint invalidi, qui ſine peccato ſervari non poſſunt. Verumtamen iſtud non provenit ratione metûs injuſtè incuſſi, ſed ratione peccati: nemo enim poteſt obligari ad peccandum, *cap. ult. de Pactis.* Etiamſi juramentum interceſſiſſet: quia *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*, juxtà Reg. 58. Juris in 6. cum ſimilibus. 75

§. IV.

De probatione, ac duratione Metûs; ubi & de Metu reverentiali.

SUMMARIUM.

76. *Metus regulariter non præſumitur, ſed ab allegante eſt probandus.*
77. *Metus eſt probationis difficilis.*
78. *Nec niſi conjecturis, & indicijs probari poteſt. Et num. præc.*
79. *Quisnam hîc & nunc ſit juſtus metus, Judicis arbitrio relinquitur.*
80. *Idémque dicendum de conjecturis, harúmque vi probandi.*
81. *Metus illatus quibus conjecturis in ſpecie probetur? Et num. ſeqq.*
82. *Metus præſumitur, quando quis contraxit in carcere ſeu vinculis conſtitutus.*
83. *Vel ſi in aliqua domo, etiam privatâ, detinebatur clauſus.*
84. *Aut quando probantur minæ Potentis &c.*
85. *Idq; exemplificatur.*
86. *Alia conjectura metûs illati eſt, quando quis anteà jure ſuo fuit ſpoliatus, & deinde ipſi renunciat.*
87. *Aut quando probatur, præceſſiſſe inter alios tractatum de cogendo aliquem per metum.*
88. *Vel quando contrahens tempore contractûs lacrymabatur.*
    Seu præter morem dignoſcebatur pallor in vultu ejus &c. Ibid.
89. *Metus probatur etiam ex depoſitione teſtium. Et num. ſeqq.*
    Magis eſt credendum duobus teſtibus de metu atteſtantibus unà cum exiſtente conjecturâ, quàm mille negantibus, ſeu deponentibus de ſpontanea voluntate; & cur? Et num. ſeqq.
90. *Teſtes debent reddere rationem ſui dicti.*
91. *Quid, ſi deponentes de ſpontanea voluntate allegant pro ſe conjecturas?*
92. *Metus quandoque poteſt probari juramento.*
93. & 94. *Metus reverentialis, quid?*
95. *Se ſolo non ſufficit ad irritandos contractus.*
96. *Idque probatur.*
97. & 98. *Ac ſolvuntur inſtantiæ.*
99. *Secùs, ſi metui reverentiali accedant ſævitia, vel graves minæ. Et num. 95.*
100. *Solvitúrque inſtantia contra hoc.*
101. *Vel importunæ ſeu inſtantiſſimæ preces eidem conjungantur.*
102. *Metus ſemel illatus tamdiu præſumitur durare, quamdiu durat ratio illius.*
103. *Præſumitur autem ceſsâſſe, ſeu purgari ex contrarijs indicijs, ex quibus præſumebatur illatus.*
104. *Sic purgatur metus mulieris, invitè contrahentis, per longam ſpontaneam cohabitationem cum marito ſuo.*
105. *Item metus tempore promiſſionis interveniens per ſpontaneam ſolutionem rei promiſſæ.*
106. *Solvitur inſtantia.*
107. *Metus non præſumitur interveniſſe, quando adhibebatur præſentia conſanguineorum vel amicorum.*
    Limitatur hoc ipſum. Ibid.

76 QUæritur I. Quid generatim ſit ſentiendum de probatione Metûs? Reſp. I. Regulariter loquendo Metus non præſumitur, ſed ab allegante eſt probandus. Ita Menochius *lib. 3. de Præſumptionib. præſ. 126. n. 1.* Maſcardus *de Probationibus, Concl. 1056. n. 1. & 2. & Concl. 1057. n. 1. & ſeqq.* allegans plurimos alios cum communi. Idque patet *ex l. Cùm te non ſolùm. ff. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c. & L. 1. §. Quæ exonerandæ. ff. Quarum rerum actio &c.* ubi expreſsè requiritur probatio metûs per allegantem facienda. Accedit ratio: quià ſi præſumeretur metus, præſumeretur delictum; nam impræſentiarum ſermo eſt de metu injuſtè incuſſo: atqui delictum non præſumitur, donec probetur, *can. In cunctis. 11. q. 3. & can. Nullum ante. 30. q. 5. & l. Meritò. ff. Pro Socio*, cum concordantijs; ergo.

77 Reſp. II. Metus eſt difficilis probationis, nec niſi conjecturis atque indicijs probari poteſt. Ita Sperellus *Deciſ. 5. Fori Eccleſiaſt. n. 69.* Maſcardus *cit. Concl. 1057. n. 2. & 6.* Alexander *Conſil. 98. n. 6. lib. 3.* Menochius *de Arbitrar. Judic. caſu. 136. n. 1.* poſt Baldum *in l. Si quis hoc genus. C. de Epiſc. & Cleric.* ac alios. Ratio prioris partis eſt: quia metus conſiſtit in mente: neq; enim aliud eſt, quàm *inſtantis periculi, vel futuri causâ, mentis trepidatio*, prout definitur *L. 1. ff. De eo, quod metûs causâ &c.* Et quia geſtum ex metu, eſt ſimpliciter voluntariũ, & involuntarium duntaxat ſecundùm quid; hinc colligere licet, quàm ſit difficile diſcernere metum à ſpontanea voluntate.

Atq; ex his patet poſterior pars Concluſionis. 78
Quia enim ipſummet metum, ſeu interiorem mentis trepidationem, ſenſibus corporeis percipere non licet; conſequens eſt, eundem non niſi conjecturis, ſeu quibusdam indicijs exteriùs apparentibus, pro Foro externo probari poſſe. Solùm adverte, quòd metus debeat probari per indicia propinqua, non autem per remota, & extrinſeca, ut inquit Jaſon *in l. Interpoſitas, num. 4. C. de Transact.*

Reſp.

9 Reſp. III. Quiſnam hîc & nunc ſit juſtus metus, ſeu ad reſcindendum vel irritandum actum ſufficiens, Judicis arbitrio eſt relinquendum. Ita Sperellus *cit. Deciſ.* 5. *n.* 72. *&* 73. cum alijs, atteſtans de communi. Idque deſumitur ex *l. Metus autem.* 3. *ff. Ex quibus cauſis majores &c.* ubi loquendo de juſto metu, dicitur: *Non ſufficit quolibet errore adductũ timuiſſe, ſed hujus rei diſquiſitio Judicis eſt.* Quin etiam qualitas perſonarum attendenda videtur: minor enim metus ſufficit in fœmina, quàm in viro, *arg. can. Indignantur.* 32. *q.* 6. & notat Gloſſa *in c. Cùm locum.* ℣. *Metus. de Sponſalib.* & Jaſon *cit. n.* 4.

0 Quinimò inter ipſa indicia, ſeu conjecturas, multiplex ſolet eſſe variatio; ſicque earum etiam qualitas, viſque probandi, meritò Judicis relinquitur diſquiſitioni & arbitrio: eò præſertim, quia certum quid de hoc in Jure non reperitur diffinitum, imò nec poſſent in particulari exprimi omnes caſus. Gloſſa *in c. Cùm dilectus.* ℣. *Metum mortis. h. t.* Menochius *de Arbitrar. Judic. Caſu* 136. *n.* 2. Maſcardus *cit. Concl.* 1057. *num.* 12. allegans communem.

1 Quæritur II. Quibus probationibus, ſeu conjecturis in ſpecie, Metus illatus probetur? Reſp. I. Ejuſmodi probationes, ſeu conjecturas eiſe plures; adeò, ut Menochius *de Præſumptionibus. lib.* 3. *præſumpt.* 126. *Concl.* 1056. *&* 1057. ac alij, nonnullas alias addiderunt. Juvat præcipuas earum exempli gratiâ huc adducere.

2 Imprimis enim prudens Judex probabilem eſſe conjecturam metûs illati procul dubio cenſebit, iſtámque præſumet, quando metum allegans probat, ſe fuiſſe incarceratum, atque ibidem contraxiſſe: ipſa enim vincula ſatis ſuperq; arguunt, per metum fuiſſe geſta omnia, quæ in vinculis acta fuerunt; atque idcircò viribus carere. Menochius *de Arbitr. Judic. Caſu.* 136. *n.* 3. *& ſeqq.* poſt Decium *Conſil.* 691. *n.* 5. Bartolum, & alios. Idémque patet *ex l. Qui in carcerem. ff. De eo, quod metûs cauſâ &c.* ubi dicitur: *Qui in carcerem quem detruſit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc cauſam factum eſt, nullius momenti exiſtit.*

3 Atque hoc ampliatur ad eum caſum, quo quis in aliqua domo etiam privata detinetur clauſus, & vinculis aſtrictus: nam etiam tunc, quidquid vinculatus agit, præſumitur metu actum, ſicque iſtud erit invalidum. Maſcardus *cit. Concl.* 1056. *n.* 45. citans alios. Idq; apertè habetur *in l. Succurritur. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* ubi vinculorũ appellatio latiùs accipienda dicitur, ut inclusi quoque in aliqua parte domûs, veluti latumijs, vinctorum numero habeantur; cùm nihil interſit, parietibus, an compedibus quis teneatur.

84 Reſp. II. Metus etiam præſumitur ex eo, quòd probentur minæ Potentis, qui veriſimiliter illas executurus eſt, vel aliàs exequi conſuevit: dummodò minæ illæ fuerint de gravi malo inferendo, ut puta mortis, *cap.* 1. *h. t.* amiſſionis bonorum, ſeu patrimonij, *cap.* 2. *eod.* aut hujuſmodi. Abbas *in cap.* 1. *num.* 3 *de Offic. Delegat.* Menochius *cit. Caſ.* 136. *n.* 11. poſt Bellameram *Conſil.* 9. *col.* 5. & alios; atque concordant dicta ſuperiùs §. 2. *num.* 19. *&* 20.

Sic quòd metus juſtus probetur ex evaginatione gladij, præſertim in loco ſolitario cum minitatione transverberationis facta, textus eſt *in cit. cap.* 1. & notat Abbas *ibid. n.* 1 *h. t.* Similiter. probatur metus illatus, quando ad oſtium domûs, in qua celebratur contractus, extant viri armati, qui facilè poſſent vim inferre. Menochius *de Præſumptionibus, lib.* 3. *præſumpt.* 4. *num.* 8, *& præſumpt.* 126. *n.* 27. poſt Cæpolam *Conſil.* 2. *n.* 5. & Corneum *Conſil.* 41. *n* 11. *lib.* 2. Inſuper conjectura juſti metûs eſt, ſi Clericus terrore Laicorum renunciet Beneficio Eccleſiaſtico, aut hujúſmodi; uti deſumitur *ex c. Ad aures.* 3. *h. t.* Solent enim Laici oppidò Clericis eſſe infeſti, *can. Laicus.* 2. *q.* 7. *& c. Clericis. de Immunitat. Eccleſ. in* 6. ſicque citiùs minas ſuas erga Clericos præſumuntur completuri. Idem dicendum de ſimilibus. 85

Reſp. III. Inter alias metûs incuſſi conjecturas etiam connumeratur ea, quando quis anteà jure ſuo, v. g. Beneficio Eccleſiaſtico ſpoliatus fuit, & deinde abſque alia cauſa illi renunciat: præſumitur enim talis renunciatio facta ex metu, *c. Super hoc* 5. *de Renunciat.* Siquidem nemo præſumitur velle jactare ſuum, *l. Cùm de indebito.* §. 1. *ff. de Probat.* Menochius *d præſumpt.* 126. *n.* 20. Maſcardus *cit. Concl.* 1056. *n.* 42. poſt Cravettam *Conſil.* 49. *n.* 4. & alios. 86

Idem dicendum, quando probatur, præceſſiſſe inter alios tractatum de cogendo aliquem per metum ad contrahendum, v. g. ad ineundum matrimonium: quia præſumitur metus, ſi poſteà ſequatur contractus. Maſcardus *loc. cit. n.* 44. Aut, quando metum allegans, poſt actum, vel contractum à ſe celebratum illicò aufugit: nam etiam tunc præſumitur metus, *arg. can. Conſtat multos.* 1. *q.* 1. junctâ Gloſſâ ℣. *Si ſtatim & c. Ad id.* 21. *de Sponſalib.* argumento à ſenſu contrario deſumpto. Maſcardus *cit. Concl.* 1056. *n.* 46. Sperellus *Deciſ.* 5. *Fori Eccleſiaſt. n.* 59. allegans alios. Siquidem per conſequentia probantur præcedentia, & econtrà, *can. Quod autem.* 22. *q.* 2. junctâ Gloſſâ ℣. *Ut exitus*, cum ſimilibus. 87

Præſumitur etiam metus, quando is, qui contraxit, vel contractui conſenſit, tempore celebrati contractûs lacrymabatur, niſi forſan alia cauſa illius fletûs intervenerit. Menochius *cit. lib.* 3. *præſumpt.* 4. *n* 11. *& præſumpt.* 126. *n.* 17. Vel quando in contrahente præter morem dignoſcebatur pallor in vultu, ſeu vox tremula, vel inſolita alteratio, aut hujuſmodi: talia enim judicia multùm juvant ad excutiendã veritatẽ, metúmque dignoſcendum, *l. De minore.* §. *Tormenta. ff. de Quæſtionib.* ac notatur *in c. Afferte. de Præſumption.* Sperellus *cit. Deciſ.* 5. *n.* 54. *&* 56. poſt Rotam *Deciſ.* 643. *n.* 13 *part.* 1. *Recent.* Maſcardus *cit. Concl.* 1056. *n.* 47. & alij. 88

Reſp. IV. Inſuper metus probatur ex depoſitione teſtium: adeò quidem, ut magis ſit credendum duobus teſtibus de metu atteſtantibus unà 89

cum

cum exiſtente conjectura, quàm mille negantibus, ſeu deponentibus de libera ſive ſpontanea voluntate. Ita Innocentius *in c. Super hoc. de Renunciat.* Jaſon *in l. Interpoſitas. n. 5. C. de Transaction.* Alexander *Conſil. 156. n. 3. vol. 5.* Menochius *cit. lib. 3. præſumpt. 126. n. 31.* Maſcardus *de Probation. Concl. 1058. n. 1.* allegans plurimos alios. Accedit ratio: quia deponentes ſuper ſpontanea voluntate, deponunt de actu interno ac inviſibili, ſolíque Deo cognito: alij verò deponentes de metu unàcũ exiſtente conjectura, atteſtantur de minis, verberibus, vel ſimilibus illati metûs indicijs, quæ ſenſu corporis percipiuntur. Atqui hoc eſt multò facilius, ſimúlque accommodatum conditioni naturæ humanæ, cujus eſt judicare ſolùm de externis, non autem de internis & occultis.

90 Additur notanter, *unà cum exiſtente conjectura.* Nam teſtes debent reddere rationem ſui dicti, *c. Cùm cauſam.* junctâ Gloſſâ *℣. De cauſis. de Teſtib.* Et alioquin, ſi ſimpliciter deponerent ſuper metu, non allegatis actibus ſeu indicijs externis metum inducentibus, pariter ejusmodi teſtes deponerent de actu merè interno, qualis eſt metus, utpote in mentis trepidatione conſiſtens: unde ipſis tunc non foret magìs credendum. Maſcardus *loc. cit. n. 4.* Menohius *n. 32.* & alij.

91 Fallit inſuper data Concluſio, quando pro deponentibus ſuper ſpontanea voluntate adeſſent præſumptiones & conjecturæ, vel ab ipſis adducerentur certæ circumſtantiæ, ex quibus deprehendi poſſet, actum fuiſſe liberæ voluntatis, ac neutiquam metu extortum. Tunc enim horum depoſitio præferretur; prout ampliùs declarat Jaſon *in cit. n. 5.* Maſcardus, *ubi ſuprà. n. 8. & 9.* poſt Antonium de Butrio *in c. Super hoc. de Renunciat.* Cæpolam *Conſil. Civil. 2. n. 14.* & plures alios.

92 Tandem, ut plura ſimilia indicia prudentis Judicis arbitrio diſcutienda taceantur, metus quandoque poteſt probari per juramentum: ut *c. Statutum. §. Cùm verò ejuſdem. 11. de Reſcript. in 6.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Saltem. & ſeq.* Quamquàm iſtud eſſe ſingulare in caſu illius Decretalis, nonnulli velint apud Maſcardum *loc. cit. Concl. 1057. num. 8.*

93 Quæritur III. Quid ſit Metus reverentialis, & an ſufficiat ad invalidandos contractus? Reſp. I. Per *Metum rereverentialem* hoc loco non intelligitur metus ille, ſeu verecundia, quæ naturaliter ineſt filijs reſpectu parentum, uxori reſpectu mariti, inferioribus reſpectu Superiorum, aliorúmve, quibus debetur reverentia: nam certum videtur, talem naturalem verecundiam non ſufficere ad invalidandos contractus exinde celebratos. Sic quippe valent ſponſalia per parentes pro filijs præſentibus, & tacentibus contracta. *cap. un. §. Porrò. de Deſponſat. impuber. in 6.* haud obſtante, quòd filij maximam debeant reverentiam parentibus. Similiter, quòd ex ſola reverentia Superioribus ſeu Majoribus debita, non ritè præſumatur metus ad reſciſſionem contractuum ſufficiens, patet ex *l. Ad invidiam. C. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c.* ubi dicitur, ex ſola Senatoria Dignitate ejus, cum quo quis contraxit, non præſumi metum ſibi allatum.

Itaque *Metus reverentialis* in propoſito cenſetur ille, quo inferior cæteroquin invitus, & quaſi coactus, ex reverentia Superioris conſentit in contractum aliquem, non audens præ pudore ac reverentia contradicere, timendo, ne Superiorem illum offendat. Sic fieret, quando filius animo prorſus repugnante, verè tamen conſentit in matrimonium ſibi à patre oblatum, non audens præ pudore ac filiali reverentia contradicere, ne patrem offendat: aut ſi uxor, cæteroquin non conſenſura, conſentiat in alienationem rei dotalis, timendo, ne alioquin maritum ſuum offendat: quod ipſum poteſt locum habere in Clerico reſpectu Epiſcopi, in Cive reſpectu Magiſtratûs vel Principis ſui, & generaliter in omnibus illis, qui jure aliquo ſubjectionis alteri ſubſunt. Atque ad hujusmodi Metum reverentialem quandoque accedunt graves minæ, vel etiam ſævitia parentum, ſeu Superiorum: ut dum horum imperio junguntur verbera, mala tractatio, aſperitas vultûs, aut diu duratura indignatio parentum, vel conſimilis perſonæ, à qua plurimùm pendet fortuna alterius. Quandoque verò concurrunt frequentes ac importunæ preces, vel blanditiæ parentum, aut Superiorum, quæ inſtanter ac ſæpiùs inculcatæ, validè ſolent urgere, vexare, quin & ſubjectos quandoque propemodùm opprimere. 94

Reſp. II. Etſi ſola reverentia erga Parentes, alióſque Majores, ſeu Metus reverentialis ſe ſolo non ſufficiat ad irritandum, v. g. matrimoniũ à filijs celebratum, vel reſcindendum alium contractum: ſecùs tamen eſt dicendum, quando ſimul acceſſerunt ſævitia, vel graves minæ parentum, aut Majorum reſpectu filiorum ſeu ſubditorum, niſi obtemperaverint, vel ſaltem preces importunæ & inſtantiſſimæ. Ita Bartolus *in L. 1. §. Quæ oneranda. ff. Quarum rerum actio. &c. & l. Ad invidiam. C. De ijs quæ vi metúsve causâ &c.* Inocentius *in c. Cauſam matrimonij.* & Abbas *ibid. n. 5. de Offic. Delegat.* & rurſus Abbas *in c. Cùm contingat. num. 1. de Jurejurand.* Covarruvias *de Matrimonio, part. 2. cap. 3. §. 6. n. 4.* Maſcardus *de Probationibus, Concl. 1056. n. 17.* Menochius *lib. 3. de Præſumptionibus, præſumpt. 127. n. 1. & 5. ac ſeqq.* Sanchez *lib. 4. de Matrimon. diſp. 6. & 7.* & plurimi alij ab iſtis citati: quamvìs non pauci à Maſcardo *loc. cit. n. 15.* & Sanchez *d. diſp. 6. n. 4. & ſeqq.* relati, quoad priorem partem oppoſitum teneant, volentes, quòd ex reverentia parentibus ſive Superioribus debita præſumatur, contractũ inde ſequentem proceſſiſſe ex metu cadente in virum conſtantem, qualis reſcindit, vel etiam ipſo jure irritat contractum. 95

Prior pars Concluſionis, ſeu quòd ſola reverentia erga parentes ſeu Majores non ſufficiat ad reſcindendos, vel irritandos contractus: probatur imprimis *ex cit. l. Ad invidiam. C. De ijs quæ vi metúsve causâ &c.* éſtque jam dictum *num. 93.* 96

Accedit

Accedit *cap. 2. de Pactis in 6.* ubi dicitur, quòd valeat renunciatio dotis à filia in favorem patris facta, ſi fuit juramento firmata, & tamen ibi concurrit reverentia paterna; ergo ex hac ſola non benè præſumitur metus invalidans contractus. Similiter *in l. Si patre cogente. ff. de Ritu nuptiar.* expreſſiùs iſtud decernitur, illis verbis: *Si patre cogente* filiusfamilias *ducat uxorem, quam non duceret, ſi ſui arbitrij eſſet, contraxit tamen matrimonium.* Ubi Additio ad Gloſſam, explicans ly *Cogitur*, inquit, *Quando propter reverentiam patris filius conſentit: non autem intelligas, quòd interceſſerit verus metus, quia tunc matrimonium eſſet nullum*; & conſequenter ſola reverentia non inducit verum metum. Concordant Jura *n. 99.* alleganda, quibus dicitur, metum reverentialem minis conjunctum invalidare contractus: nam, argumento à ſenſu contrario deſumpto, inde colligitur, ſecùs eſſe dicendum ceſſantibus minis.

7 Nec dicas. In *l. Velle. ff. de Reg. Jur.* dicitur: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris vel domini.* Et quod plus eſt, in *L. 1. §. Quæ onerandæ ff. Quarum rerum actio &c.* reſcinditur promiſſio Liberti ſuo Domino facta, *Si liquidò appareat, Libertum metu ſolo, vel nimiâ patroni reverentiâ ita ſe ſubjeciſſe*, hoc eſt, promiſiſſe, ut loquitur textus. Reſp. enim ad primum, cum Gloſſa *un. ad cit. l. Velle*, Regulam illam procedere quoad incurrendam pœnam: nam patre, vel domino imperante, ut delinquat in aliquo, quod tamen non continet atrocitatem facinoris, non creditur filius aut ſervus velle quoad ſuam pœnam: namque parére neceſſe habuit, & ideò ſibi ignoſcitur, *l. Ad ea quæ. ff. de Reg. Jur.*

8 Ad alterum textum reſpondetur, ibi ſub ly *nimiâ patroni reverentiâ*, intelligi metum reverentialem non quemcunque, ſed minis à patrono intentatis conjunctum: prout indicat additum ly *nimia*, id eſt, ſuperexcedens reverentia; qualis intervenit, ubi aliud malum timetur. Nec obſtat, quòd immediatè anteà fiat ibidem mentio de metu, ſicque altera particula videatur ſuperflua, ſi ſit intelligenda de aliquo metu. Reſp. enim, quòd particula illa, *vel nimiâ patroni reverentiâ*, ſtet declarativè, majoriſque claritatis gratiâ ſubjungatur verbis illis immediatè præcedentibus, *metu ſolo*; ſicque non cenſeatur ſuperflua. Sanchez *cit. lib. 4. diſp. 6. n. 16.*

9 Altera pars, ſeu quòd accedente ſævitiâ, vel gravibus minis parentum, aut Superiorum aliquid imperantium, metus reverentialis ſufficiat ad irritandos, vel reſcindendos contractus filiorum, ſive ſubditorum exinde celebratos; patet *ex c. Cauſam matrimonij. 16. de Offic. Delegat.* ubi habetur, conſenſum mulieris à viro ſuo verberibus, & flagellis affectæ, nullius eſſe momenti. Concordat *c. Cùm virum. 12. de Regularib.* ubi dicitur, quòd *puellæ* in ætate nubili conſtitutæ, *quæ coactæ parentum imperio, virginitatis habitum ſuſceperunt, ipſum poſſint ſine prævaricatione deſerere.* Idipſum probatur *ex l. Si per impreſſionem. C. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c.* Item *ex c. Ex litteris. 13. de Deſpon-ſat. impuber.* ubi non obligatur puella, quæ *nolens & invita, minis parentum impulſa*, quidpiam egit, cum ſimilibus.

Quòd ſi contra hoc obijcias textum *in l. Metum non jactationibus. C. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c.* ubi dicitur: *Metum non jactationibus tantùm, vel conteſtationibus, ſed atrocitate facti probari convenit*: ut proinde neque ſufficere videatur metus reverentialis etiam conjunctus minis, ad reſcindendos contractus. Reſp. cum Gloſſa & Bartolo *ibid.* Si ly, *jactationibus tantùm*, velimus accipere ex parte minitantis, ſeu metum inferentis, inde ſolùm ſequi, quòd ex ſolis minis non probetur metus, ſed ultrà requiratur, quòd perſona illa, quæ jactavit ſe damnum illaturam, ſit potens exequi minas, ſimúlque has conſueverit exequi, & veriſimiliter ſit executura; ut jam dictum fuit ſuprà *§. 2. n. 19.* Si autem ly *Jactationibus tantùm*, accipiatur ex parte metum paſſi, tunc exinde tantummodò ſequitur, metum non probari ex eo ſolùm, quòd is jactaverit, ſeu exclamaverit coram alijs, ſibi metum fuiſſe illatum, niſi alia ſigna concurrerint. Ex his autem nihil ſequitur contra Concluſionem. 100

Tertia tandem pars, loquens de importunis precibus (per has intelligendo non quaſcunque preces, ſed eas ſolùm, quæ ſunt inſtantiſſimæ, ſæpiúſque repetitæ) ſimúlque conjunctis metui reverentiali, probatur ex eo. Siquidem ex una parte ejuſmodi importunitas parentū, vel Majorum iterū iterúmq; petentium, valdè urget, vexat, quin & ſubjectos quandoq; opprimit: prout deſumitur *ex Judic. cap. 16.* ubi tale quid etiam ipſimet fortiſſimo Samſoni contigiſſe legitur, illis verbis: *Cùmque moleſta eſſet ei* Dalila ſuis importunis precibus, *& per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem uſque laſſata eſt.* Unde in *Extravag. Execrabilis. Joan. 22. §. 1.* notatur, quòd quandoque aliqua à Romanis Pontificibus *improbitas importuna petentium non tam obtinuiſſe, quàm extorſiſſe noſcuntur &c.* Ubi Gloſſa *V. Quàm extorſiſſe*, inquit: *Scilicet ab invito per talem importunitatem.* Ex altera verò parte reverentia Majoribus petentibus debita, timórque ipſos offendendi, haud leviter inſtat: ergo non immeritò ambæ hujuſmodi cauſæ in ſimul conjunctæ, cenſentur efficere metum cadentem in virum conſtantem; nam & cæteroquin, *Quæ non proſunt ſingula, multa juvant*, prout patet ex *l. Inſtrumenta. C. de Probation.* junctâ Gloſsâ ibidem. 101

Quæritur IV. Quamdiu metus ſemel illatus durare præſumatur? Reſp. I. Quando eadem cauſa & ratio illati metûs perdurat, etiam metus illatus durare præſumitur. Ita Bartolus in *L. 2. §. Quæro quid ſi parum. C. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c.* ubi hoc exemplificat de Tyranno cogente me ad promittendum: nam toto tempore ſuæ tyrannidis inſtat metus, & donec ſum in loco, ubi is exercet tyrannidem. Maſcardus *de Probationibus, Concl. 1056. n. 36. & ſeqq.* ac Menochius *de Præſumpt. lib. 3. præſumpt. 4. n. 22. & præſumpt. 126. n. 28.* 102

n. 28. plura hujus exempla adducentes, & alij. Idque argumento à ſenſu contrario deſumpto, probatur ex illo vulgato: *Ceſſante cauſa ceſſat effectus*, c. Cùm ceſſante. 60. de Appellat.

103 Reſp. II. Metus ſemel in contractu interveniens præſumitur ceſsâſſe, ſeu purgari ex contrarijs indicijs ſeu conjecturis, ex quibus præſumebatur fuiſſe illatus. Ita Menochius *cit. præſumpt.* 126. *n.* 33. *& ſeqq.* Idque declaratur exemplis.

104 Sic imprimis muliere per longam moram ſponte cohabitante ſuo marito, cenſetur convaleſcere matrimonium, ac metus purgari: haud obſtante, quòd ab initio invita, & renitens contraxiſſet. Textus eſt in *c. Ad id.* 21. *de Sponſalibus.* Unde verſiculi illi:

Effuge cùm poteris, ne conſenſiſſe puteris:
Nam ſi perſtiteris, illius uxor eris.

105 Deinde, quòd per ſpontaneam ſolutionem rei promiſſæ purgetur vitium metûs adhibiti tempore promiſſionis, legitur expreſſum *in L. 2. C. De ijs, quæ vi metúsve causâ &c.* Unde quoties ille, qui metum allegat, ſponte ſolvit, aut obſervat, quod promiſit, vel ſibi reciprocè promiſſū exigit, metum purgâſſe præſumitur. Menochius *cit. præſumpt.* 126. *n.* 35. citans alios.

Nec obſtat textus *in l. Ex ea ſtipulatione. ff. de Condiction. ob turpem cauſ.* ubi repetitur pecunia metu ſoluta. Reſp. enim cum Bartolò *in cit. L. 2. C. De ijs, quæ vi metúsve &c.* ibi adhibitū fuiſſe metum etiam in ſolvendo, ac proinde meritò repeti pecuniam jam ſolutam: hîc autem, ſeu *in cit. L. 2.* metum interveniſſe in promittendo tantùm. 106

Tertiò metus purgatur, vel potiùs nunquam interveniſſe præſumitur, quando adhibebatur præſentia conſanguineorum, vel amicorum: ut *l. Transactionem*, ac notat Bartolus *ibid. C. de Transaction.* Felinus in *c. Cauſam matrimonij. n. 6. de Offic. Delegat.* Maſcardus *cit. Concl.* 1056. *n.* 23. allegans alios. Ubi tamen *n.* 24. *&* 27. iſtud limitandum cenſet, quando vel amicorum præſentia non ſufficeret ad reſiſtendum potentiæ metum inferentis, vel quando intervenit enormis læſio: de quo, aliiſq; noñullis huc ſpectantibus, plura citatus Author unà cum alijs, quos copioſè allegat. 107

TITULUS XLI.

De in integrum Reſtitutione.

1. *Ratio ordinis Rubricarum.*

1 Quia Titulo præcedenti viſum eſt de quadam Reſtitutione ſpeciali, quæ videlicet datur *metûs causâ*: ſubnectitur jam Rubrica de Reſtitutione quadam generali, per quam ſubvenitur Minorennibus, ipsiſque Eccleſijs, Jure ſpeciali; majorennibus verò ex clauſula generali, juſtâ ſcilicet causâ ſuggerente, juxta *L. 1. ff. Ex quibus cauſis majores*, & notat Gloſſa *ad Rubricam hujus Tituli.*

§. I.

De natura, requiſitis, ac forma petendæ Reſtitutionis in integrum.

SUMMARIUM.

2. *Reſtituere in integrum generatim, &*
3. *Reſtitutio in integrum ſtrictiùs accepta, quid?*
4. *Hæc eſt extraordinarium Juris remedium, ac introducta in ſubſidium.*
Non competit habenti actionem. Ibid.
5. *Secùs, ſi quis ſolam exceptionem habeat.*
6. *Regula illa*, Habenti remedium ordinarium non eſt tribuendum extraordinarium, *limitatur, niſi extraordinarium ſit pinguius.*
7. *Exemplificatur hoc in Minore, vel Eccleſia ultra dimidium læſâ in venditione.*
8. *Ad reſtitutionem in integrum requiritur I. Læſio gravis. Et num. ſeqq.*
9. & 10. De minimis non curat Prætor, *declaratur. Et num. ſeqq.*
11. *II. Quòd læſio illa gravis acciderit dolo adverſarij, vel ſuâ facilitate &c. ex actu cum ipſo geſto.*
12. *Idq; per læſum ritè probetur.*
13. *III. Juſta cauſa.*
14. *IV. Quòd actus, ſeu contractus ille fuerit validus.*
15. *Et quid in dubio, num contractus ille ſit validus?*

16. For-

16. *Forma petendæ, & faciendæ Reſtitutionis in integrũ, quæ? Et num. ſeqq.*
17. *Hæc non petitur jure actionis, ſed implorato officio Judicis competentis.*
18. *Et qualis hîc ſit Judex competens? Et num. ſeqq.*
19. *Judex minor non poteſt reſtituere contra ſententiam majoris.*
20. *Reſtitutio in integrum debet fieri citato adverſario.*
21. *Alia declarantur. Remiſſivè.*

2 QUæritur I. Quid ſit Reſtitutio in integrum, & quale remedium juris? Reſp. I. *Reſtituere in integrum* generatim loquendo idem eſt, ac in priſtinum ſtatum reponere. Textus eſt in *L. 1. C. de Sententiam paſſis,* ibi: *Ut autem ſcias, quid ſit in integrum reſtituere, honoribus & ordini tuo, & omnibus cæteris te reſtituo.* Concordat *l. Quòd ſi minor. §. Reſtitutio. ff. de Minorib.* In propoſito tamen Reſtituere in integrum nonnihil ſtrictiùs accipitur; nec aliud eſt, quàm reducere aliquem in eum ſtatum, in quo fuit ante læſionem. Unde

3 Reſp. II. *Reſtitutio in integrum* ſtrictiùs accepta, & prout hoc loco accipitur, eſt extraordinariũ juris remedium, quo graviter læſus ex naturali æquitate per officium Judicis reducitur in eum ſtatum, ſive jus, in quo fuerat ante læſionem. Ita in re communis; atque deſumitur *ex c. Auditis.* junctâ Gloſſâ *fin. h. t. & L. 1. ac ſeqq. ff. eod.* & patebunt ſingulæ particulæ declarando conditiones ad Reſtitutionem in integrum requiſitas, de quibus proximè dicetur.

4 Reſp. III. Reſtitutio in integrum rectè appellatur, atque eſt *extraordinarium Juris remedium,* utpote introducta in ſubſidium, ſeu quando nulla ordinaria actio ſuppetit. Ita communis; & habetur expreſſum *l. In cauſæ cognitione etiam. 17. §. 1. ff. de Minorib.* Ubi dicitur, quòd in cauſæ cognitione, utrùm reſtitutio ſit concedenda, etiã hoc ſit attendendum, *num fortè aliqua actio poſſit competere citra in integrum reſtitutionem: nam ſi communi auxilio, & mero jure munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium* Reſtitutionis in integrum.

5 Dicitur notanter, *aliqua actio.* Nam, ſi quis ſolam exceptionem de Jure communi habeat, non verò actionem, eâ non obſtante dabitur ipſi reſtitutio in integrum. Gloſſa *in cit. l. In cauſæ. ℣. Competere,* ac notat Bartolus *ibid. n. 2.* id ulteriùs probans *ex l. Si minor. §. Minores. ff. eod.* ubi Gloſſa finalis iſtud ampliùs declarat.

6 Deinde regula illa, quòd habenti remedium ordinarium non debeat tribui extraordinariũ, debet intelligi, ac limitari, niſi remedium iſtud extraordinarium ſit pinguius ordinario: aliàs eſt ſecùs dicendum, per ea, quæ notantur *in c. Ex parte. 12. de Reſcript. & cap. 1. h. t. in 6.* Abbas Panormit. *in cit. c. Ex parte. n. 9. & c. Cùm dilecti. n. 5. de Emption.* & Engel *h. t. n. 2.* & Jo. Mauritius Bolanus *Tom. 5. Tractatuum, tract. de Reſtitut. in integrum. cap. 12. n. 7.* cum alijs.

7 Hinc idem Abbas *d. n. 5.* & Covarruvias *lib. 1. Variar. Reſolut. cap. 3. num. 11. verſ. Tertiò.* citans alios, & Engel *h. t. n. 2.* notanter inferunt, quòd Minor, vel Eccleſia in venditione ultra dimidium læſa, poſſit omiſſo ordinario remedio (*ex L. 2. C. de Reſcindend. vendit.* ultra dimidium læſis competente) petere remedium extraordinarium Reſtitutionis in integrum; cùm hoc ſit pinguius. Et hoc partim ex eo, quia petens reſtitutionem in integrum, neceſſe non habet probare læſionem ultra dimidium; quæ eſt difficilis probationis, & requiritur in alio ordinario remedio. Partim, quia Reus conventus *ex cit. L. 2.* habet electionem vel ſupplendi pretium, vel rem reſtituendi: non ſic in reſtitutione in integrum, ubi quis præcisè cogitur rem reſtituere.

Quæritur II. Quæ requirantur ad Reſtitutionem in integrum? Reſp. I. Ut læſus ex aliquo actu, vel contractu, in integrũm reſtitui debeat, requiritur imprimis, ut læſio illa ſit gravis ſeu notabilis, juxta arbitrium boni viri, ſeu diſcreti Judicis. Ita Gloſſa *in cap. 1. ℣. Detrimentum. h. t.* id probans *ex cap. penult. De rebus Eccleſ. non alienand. & l. Si ex cauſa judicati. §. 1. ff. de Minorib.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 3. n. 11.* & alij communiter: quamquàm læſio iſta non tantùm ſit intelligenda de damno præſenti, ſed etiam de periculo ejus. 8

Quòd ſi autem læſio foret minima, vel ſaltem ſpectatis omnibus circumſtantijs modica arbitrio Judicis, tunc iſtud extraordinarium remedium non eſt concedendum; per textum notabilem *in l. Scio illud. ff. de Reſtitut. in integr.* junctâ Gloſſâ, & DD. ibidem, inde inferentibus, quòd in his, quæ contra Jus commune conceduntur, de minimis non curatur. Unde illud vulgatum: *De minimis non curat Prætor,* ut notatur *cit. l. Scio illud. & l. Res bona. ff. de Contrahend. emption.* cum ſimilibus. 9

Dices. In *l. Si proprietarius. ff. de Damno infecto,* Judex ordinat, ſicque curat, ſi vel *minimum damnum detur.* Similiter *in §. Gallinarum. Inſtit. de Rerum diviſion.* detinens anſeres alterius animô lucrandi, *furtum committere intelligitur.* Item *in l. Quinque pedum. C. Finium regundorum,* etiam pro modica occupatione, & pro vili ceſpite terræ, redditur judicium Finium regundorum; ergo etiam de modica læſione curat Prætor, ſicque poteſt concedere reſtitutionem in integrum. Reſp. cum Gloſſa *in cit. l. Scio illud. ℣. Summam,* & Bartolo ibidem, quòd in his, quæ conceduntur ſecundùm Jus commune, curatur de minimis, ut probant allatæ inſtantiæ: ſecùs in his, quæ contra Jus commune ex ſpeciali privilegio permittuntur, ut accidit in Reſtitutione in integrum. Alioquin enim, ſi hæc pro rebus minimis, ut putà, pro læſione unius quadrantis, concedenda foret, non ſufficerent mille Judices in quavis Civitate his reſtitutionibus concedendis; ut loquitur Covarruvias *cit. cap. 3. num. 11. verſ. Ego ſanè.* 10

11 Reſp. II. Inſuper ad Reſtitutionem in integrū requiritur, quòd læſio illa gravis acciderit dolo adverſarij, vel inconſultâ facilitate læſi, aut negligentiâ ſui procuratoris, ex actu vel contractu cum adverſario geſto; idque vel manifeſtè conſtet, vel ſaltem in judicio per læſum ritè probetur. Ita deſumitur *ex cap. 1. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 2.* & Sannig *h. t. cap. 2. n. 4.* & alij. Idque clarè habetur *in l. Verùm. 12. §. Sciendum eſt. ff. de Minorib.* ubi dicitur, *non paſſim minoribus ſubventri, ſed causâ cognitâ, ſi capti eſſe probentur,* vel ſui facilitate, vel dolo adverſarij, ut explicat Gloſſa ibidem. Quòd ſi igitur caſu fortuito grave damnum evenerit, ut puta, ſi res empta incendio perijt, vel animal mortuum fuit, reſtitutioni locus non eſt; prout *in cit §. Sciendum eſt,* pluribus exemplificatur.

Additur notanter in Concluſione, *per læſum*
12 *ritè probetur.* Tum quia, licet ex ſola affirmatione Eccleſiæ, vel Minoris reſtitutionem in integrum poſtulantis, examinentur cauſæ reſtitutionis: nō tamen conceditur ipſamet reſtitutio, niſi læſione gravi anteà probatâ. Tum quia onus probandi talem læſionem (ubi de hac aliunde non conſtat) incumbit ipſi Eccleſiæ, vel Minori reſtitutionem petenti. Textus, & Gloſſa *fin. in Clem. un. h. t.* Speculator *h. t. §. Quis autem. n. 15.* & alij.

Reſp. III. Rurſus ad concedendam Reſtitu-
13 tionem in integrum requiritur juſta cauſa. Patet hoc *ex c. Auditis. 3. h t.* ubi Pontifex de Eccleſijs læſis loquens, inquit: *Æquitate penſatâ utramque reſtituimus*: atqui æquitas importat juſtam cauſam; ergo. Idem patet *ex L. 1. ac ſeqq. ff. de Reſtitut. in integr.* ubi enumerando cauſas generales hujus reſtitutionis dicitur, quòd per eam Prætor *hominibus vel lapſis* ſui facultate (ut explicat Gloſſa ibidem) *vel circumſcriptis adverſarij dolo ſubvenit: ſive metu, ſive calliditate, ſive ætate, ſive abſentiâ inciderunt in captionem ſive per ſtatûs mutationem, ſive per juſtum errorem.* Hæc ibi. Concordat textus *in L. 1. & ſeqq. ff. Ex quibus cauſis majores &c.*

Reſp. IV. Ad concedendam Reſtitutionem
14 in integrum etiam requiritur, quòd actus, ſeu contractus ille, ex quo gravis læſio ſequitur, de jure fuerit validus. Patet hoc ex *l. In cauſæ cognitione etiam. §. 1. & 2. ff. h. t.* Ubi iſtud exemplificatur exemplo Pupilli ſine authoritate Curatoris cum aliquo contrahentis; ac exemplo Minoris Curatorem habentis, qui abſque hujus authoritate bona ſua alienat, ſicque circumvenitur: nam quia tales contractus ipſo jure ſunt invalidi, ideò ceſſant partes Judicis, neque locus eſt reſtitutioni in integrum. Et *generaliter* (ſubdit textus ibidem) *probandum eſt, ubi contractus non valet pro certo Prætorem ſe non debere interponere.* Accedit ratio: quia in integrum reſtitutio eſt remedium extraordinarium, & introductum in ſubſidium; ac proinde non concurrit cum ordinario.

Intellige, niſi probabiliter dubitetur, num
15 contractus ille ipſo jure ſit invalidus. Siquidem ſtante tali dubio poteſt alternative utrumque remedium in libello accumulari; videlicet, ut vel Judex contractum pronunciet eſſe invalidum, vel graviter læſo beneficium reſtitutionis in integrum indulgeat; prout habetur caſus *in c. Conſtitutus. 8. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 9.* poſt Innocentium. Unde regula illa, quòd, *ubi competit remedium ordinarium, non datur extraordinarium,* procedit, quando certum eſt de remedio ordinario: ſecùs, ubi de eò probabiliter dubitatur; tunc enim poteſt utrumque ſub disjunctione intentari. Abbas *loc. cit. n. 9. & in c. Ex parte. 12. num. 9. de Reſcript.* ubi nonnullas alias hujus regulæ limitationes ponit.

Quæritur III. Quâ formâ Reſtitutio in integrum peti, ac fieri debeat? Reſp. I. Forma petendæ 16, ac faciendæ Reſtitutionis in integrum, eſt, ut intra legitimum tempus (de quo infrà) implorato officio Judicis competentis, proponatur petitio; atque citato etiam Adverſario, coram Judice illo cauſa petitæ reſtitutionis legitimè probetur, ab eóque cognoſcatur, ſicque eâ juſta cognitâ reſtitutio in integrum fiat. Ita Zoeſius *h. t. n. 6 & 7.* Pirhing *eod. n. 69.* Weſſenbecius *in Paratitlis. ff. h. t. num. ult.* & alij; paténtque ſingula ex diverſis Juribus. Et quidem

Dicitur primò, *implorato officio Judicis.* Quia reſtitutio in integrum non petitur jure actionis, 17
ſed per officium Judicis competentis, *l. Quòd ſi minor. §. fin. ff. de Minorib.* Nam Eccleſia vel Minor ex contractu, vel ſententiâ graviter læſus, implorat officium nobile Judicis ad concedendā ſibi reſtitutionem in integrum ex naturali duntaxat æquitate: non autem prætendendo propriè jus aliquod, eò quòd actus ſive contractus, unde gravis læſio eidem obtigit, cæteroquin omnes legitimas conditiones habeat, ac de jure validus exiſtat, uti ſupponitur conformiter dictis *num. 14.*

Et additur, *competentis.* Quia reſtitutio in integrum eſt petenda ſolummodò coram Judice 18
competente: qualis eſt Judex competens illius, in cujus præjudicium petitur reſtitutio. Nam generale eſt, quòd Actor forum Rei ſequatur, *c. Si Clericus. 5. & c. Cùm ſit generale. 8. de Foro compet.* Idque etiam obtinere in agitanda cauſa reſtitutionis in integrum, patet *ex l. Quoniam. 2. C. Ubi & apud quem cognitio in integrum &c.* juncto Summario, & DD. ibidem. Abbas *in c. Conſtitutus. n. 1. & 2. h. t.* Engel *eod. n. 7.* & communis.

Intellige, dummodò Judex ille ſit major altero, contra cujus ſententiam reſtitutio in integrum 19
imploratur. Nam Judex minor, ſeu inferior, non poteſt reſtituere contra ſententiam Judicis majoris, *l. Minor autem. ff. de Minorib.* Siquidem minori non eſt juriſdictio in majorem; adeóque conveniens non eſt, ut per illum hujus ſententia reſcindatur, prout argumentatur Zoëſius *h. t. n. 6.*

Dicitur ulteriùs, *citato etiam Adverſario.* Iſte enim comprimis citandus eſt, ne cauſa, quæ ipſum 20
tangit, eodem inconſulto temerè mutetur. Unde providè *l. In cauſa cognitione verſabitur. §. Cauſa. ff. de Minorib.* ſtatuitur, quod præſentibus adverſarijs, niſi per contumaciam ſe abſentent,

ſentent, in integrum reſtitutiones ſint perpendendæ. Quinimò, quòd reſtitutio conceſſa non citatis illis, quorum intereſt, in eorum præjudicium nihil valeat, textus eſt *in l. Etiam ſi patre. §. fin. ff. eod.*

21 Cæteræ particulæ patent ex illis, quæ proximè dicta ſunt de requiſitis ad Reſtitutionem in integrum. Quòd autem iſta poſſit peti vel principaliter, vel incidenter, & an etiam à Procuratore peti valeat, jam dictum eſt *Tit. 38. De Procuratoribus. §. 4. n. 103. & 104.*

***

§. II.

Quibus competat beneficium Reſtitutionis in integrum?

SUMMARIUM.

22. *Minorennibus competit beneficium reſtitutionis in integrum.*
23. *Etiamſi contractus ſit factus cum conſenſu Patris, Tutoris &c.*
24. *Minor ætas, qualiter computanda?*
25. *Dantur plures caſus, in quibus Minores non gaudent reſtitutione in integrum, Et num. ſeqq.*
26. *Uti, ſi Minor anteà impetravit veniam ætatis.*
27. *Vel ſi major effectus ratum habuerit, quòd anteà geſſerat.*
28. *Aut illud juramento ſpontè præſtito confirmârit.*
29. *Secùs, ſi juramentum dolo adverſarij extortum fuerit.*
30. *Minor fallaciter ſe majorem aſſerens, nequit petere reſtitutionem: ſecùs, ſi id fiat per errorem.*
31. *Aliæ limitationes. Remiſſivè.*
32. *Beneficio reſtitutionis in integrum gaudent Eccleſiæ, Monaſteria &c.*
33. *Non verò perſonæ Eccleſiaſticæ in ſuis bonis patrimonialibus: & quæ ratio diſparitatis?*
34. Eodem privilegio gaudent bona Clericorũ & Eccleſiarum, *quomodo intelligendum?*
35. *Beneficium reſtitutionis in integrum, competit quibusvis Locis pijs.*
36. *Sicut & Reipublicæ graviter læſæ.*
37. *Et Principi, ac Univerſitati Civitatis, Caſtri &c.*
38. *Imò & Collegijs, ſeu Univerſitatibus Studioſorum.*
39. *Semel judicialiter denegatum, non eſt in alio judicio concedendum.*
40. *Niſi nova cauſa emergat.*
41. *Poteſt tamen Eccleſia, vel Minor, reſtitui ad Jus appellandi à ſententia denegatæ reſtitutionis.*
42. *Minor læſus poteſt contra alium Minorem petere reſtitutionem in integrum.*
43. *Sicut & Eccleſia contra aliam Eccleſiam.*
44. & 45. Privilegiatus contra pariter Privilegiatum non utitur privilegio. *Declaratur. Et num. ſeqq.*
46. *Una Eccleſia præſcribit contra aliam non niſi quadraginta annis; & cur?*
47. *Inter duos privilegiatos reſpectu ejusdem cauſæ præfertur, qui habet potentius privilegium.*
48. *Et quid, ſi privilegia exiſtant paris potentiæ?*
49. *Majorennibus etiam competit reſtitutio in integrum ex clauſula generali; hoc eſt juſtâ causâ interveniente.*
50. 51. & 52. *Cauſæ juſtæ reſtituendi Majores, enumerantur.*
53. 54. & 55. *Differentia multiplex inter reſtitutionem in integrum competentem Minoribus, & Majoribus, aſſignatur.*

22 Quæritur I. Utrùm Minorennibus competat beneficium reſtitutionis in integrum? Reſp. I. Reſtitutio in integrũ Jure communi cumprimis conceditur ætate minoribus (id eſt, ijs, qui viginti quinque annos nondum compleverunt) ſi ex actu ſive contractu notabiliter læſi, vel decepti ſunt. Ita habetur *in c. Conſtitutus. 8. h. t. ac L. 1. & tot. Tit. de Minoribus viginti quinque annis*, cum concordantijs. Cujus ſaluberrimæ conſtitutionis *in cit. L. 1.* affertur ſequens ratio: *Nam cùm inter omnes conſtet, fragile eſſe & infirmum hujusmodi ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorúmque inſidijs expóſitum, auxilium eis Prætor hoc Edicto pollicetur &c.*

23 Conceditur autem hoc beneficium reſtitutionis in integrum Minoribus utriusque ſexûs, ac etiamſi contractus, ex quo graviter læderentur, factus ſit cum conſenſu Patris, Tutoris, vel Curatoris. Textus, & DD. *in L. 1. ff. de Filiofamil. minore. & L. 3. §. Sed utrùm. ff. de Minoribus.* & clariſſimè *L. 2. C. Si Tutor vel Curator intervenerit*, cum ſimilibus.

24 Cæterùm hujusmodi *Minor ætas*, ſeu tempus viginti quinque annorum, eſt inſpicienda de momento in momentum, ac dies biſſextilis cum præcedenti computatur pro uno, adeóq; graviter læſus ultimâ die vigeſimi quinti anni, nondum à momento in momentum completâ poteſt petere reſtitutionem in integrum; *text. clar. l. Denique Divus. 3. §. Minorem. ff. de Minoribus.* Siquidem in materia odioſa (qualis eſt, non

amplius

ampliùs gaudere beneficio reſtitutionis in integrum) dies à Jure requiſitus, debet eſſe completus de momento in momentum: quamvìs in materia favorabili ſecùs ſit, utpote in qua dies inchoata habetur pro completa; prout cum communiori notat Fagnanus *in c. Ad noſtram. n. 31. de Regularib.*

25 Reſp. II. Dantur nihilominùs plures caſus, in quibus Minorennes, ſeu ætate minores, non gaudent beneficio reſtitutionis in integrum. Ita communis; & probatur inductione.

26 Imprimis enim Minor non gaudet beneficio reſtitutionis in integrum, ſi, antequàm contraxerat, ætatis veniam impetravit à Principe: nam ea, quæ poſteà geſſit, rata & firma manent, neq; adversùs ea conceditur reſtitutio, *L. 1. C. De ijs, qui veniam ætatis impetrârunt.* Accedit ratio: tum quia talis fictione juris natu major reputatur. Tum quia alioquin illi, qui cum talibus contrahunt, authoritate Principis decepti eſſe viderentur.

27 Deinde Minor non gaudet beneficio reſtitutionis in integrum, ſi major effectus ratum habuerit, quod in minorennitate geſſerat, *L. 1. & 2. C. Si major factus ratum habuerit.* Et meritò: tū quia talis cenſetur juri ſuo renunciâſſe: tum quia propter ejusmodi ratihabitionem ſubſequentem, videntur omnia in majorennitate geſta.

28 Tertiò hoc ipſum accidit, quando Minor, pubertate jam adeptâ, contractum à ſe factum juramento ſponte præſtito confirmavit, *Auth. Sacramenta puberum. C. Si adverſus venditionem &c.* Tunc enim juramentum ſpontè præſtitum, firmat ejusmodi contractum; & quia non vergit in æternæ ſalutis diſpendium, nec in alterius detrimentum redundat, omnino ſervari debet, *c. Quamvìs pactum, de Pactis in 6.* cum ſimilibus.

29 Et additur, *ſpontè præſtito.* Nam, quòd juramentum dolo adverſarij extortum non impediat reſtitutionem in integrum; deſumitur *ex c. Cùm contingat. 28. de Jurejurand. & c. Licet. eod. in 6.* ac tradit Covarruvias *in c. Quamvis pactum, in 6. part. 3. §. 4. n. 3.* citans alios.

30 Quartò, ſi Minor fallaciter ſeſe majorem aſſerat, eo animo, ut alium ad contrahendum ſecum inducat, qui alioquin contracturus non fuiſſet, non poteſt poſteà petere reſtitutionem, *L. 2. & 3. C. Si minor ſe majorem dixerit &c.* Secùs eſt, ſi id fiat per errorem: nam probatâ ætate minori poteſt petere reſtitutionem in integrum, *L. 1. & 3. C. eod.* Ratio diſparitatis eſt: quia errantibus, ſeu deceptis, non etiam fallentibus Minoribus, Jura ſubveniunt, *cit. L. 2. C. eod.*

31 Tacentur nonnullæ aliæ limitationes, quas addit Card. Tuſchus *Litt. R. Concl. 28. num. 117. & ſeqq.* ubi poſt alios notat, quòd non detur Minori reſtitutio in integrum adverſùs judicatum, niſi conſtet de injuſtitia judicati, & de læſione minoris. Item, quòd reſtitutio in integrum non detur Filio etiam minori adversùs patrem. His addi poſſunt cauſæ illæ, de quibus infrà §. 4. ex profeſſo dicetur.

Quæritur II. Utrùm beneficio reſtitutionis in integrum gaudeant Eccleſiæ, Clauſtra, aliáq; pia Loca unà cum Republica, & Univerſitatibus? Reſp. I. Certū eſt, atque inter Doctores indubitatum, quòd beneficium reſtitutionis competat Eccleſijs, Clauſtris ſeu Monaſterijs, aliiſq; pijs Locis. Prior pars de Eccleſijs habetur expreſſa *in cap. 1. & ſeqq. h. t.* Nā Eccleſia jure minoris debet ſemper illæſa ſervari, *cit. cap. 1.* Cùm fungatur jure minoris, *c. Auditis. 3. h. t.* & ampliùs declarat Gloſſa *ibid. ℣. Jure minoris*, inter alia obſervans, quòd licèt Eccleſia fungatur jure minoris, non tamen fungatur jure pupilli: quia contra pupillarem ætatē non currit præſcriptio, *l. Sicut in rem. C. de Præſcription. 30. annor.* benè tamen contra Eccleſiam, *c. Illud autem. 8. & ſeqq. de Præſcription.* 32

33 Intellige tamen datam Concluſionem, quando Eccleſia in proprijs bonis, ſeu juribus graviter eſt læſa. Nam, ſi non Eccleſia, ſed ſolùm perſonæ Eccleſiaſticæ in ſuis patrimonialibus bonis lædantur, non competit eis beneficium reſtitutionis in integrum. Gloſſa *in Clem. un. ℣. Eccleſia, h. t.* Speculator *Tit. de Reſtitutione in integrum. §. Qualiter. n. 7.* Abbas *c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. n. 7.* & Felinus *ibid. n. 10. de Conſtitut.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 4. n. 2. & 3.* Fagnanus *in c. Conſuetudinis. n. 30. de Conſuetud.* id extendens ad redditus Eccleſiarum Clericis debitos; & alij. Ratio diſparitatis inter hujusmodi bona eſt: quia bona Eccleſiarum ſunt conſtituta ad cultum Divinum, & ad ſubveniendum pauperibus: bona verò Clericorum patrimonialia ad quoscunque uſus pro voto ipſorum Clericorum deſtinantur, & tandem ad conſanguineos, ſeu hæredes eorum liberè tranſeunt: unde ceſſat in his favor Religionis, qui datur reſpectu Eccleſiæ.

34 Dices. Eodem privilegio gaudent bona Clericorū, & Eccleſiarū; *ut can. Similiter. 16. q. 1. & c. Non minus. 4. de Immunitat. Eccleſiar. & Clem. ult. eod.* cum ſimilibus; ac docet Gloſſa *in c. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ. ℣. Perſonis. de Conſtitut.* & Gloſſa *fin. in cap. ult. de Vita & honeſtat. Clericor.* Reſp. cum Abbate *cit. num. 7.* & alijs, *ubi ſuprà*, hoc dictum Gloſſæ ſolùm procedere in caſibus à Jure ſpecialiter expreſſis; ut eſt privilegium Fori, immunitas à ſolvendis novis collectis Laicorum, & hujusmodi: non autem univerſaliter. Unde in ſimili quòd res patrimoniales Clericorum præſcribantur, ſicut res Laicorum; tradit Gloſſa *in can. Poſſeſſiones. 16. q. 4.* id probans *ex c. Sanctorum. de Præſcriptionib.* ubi hoc ipſum tenet Abbas *num. 6.* cum alijs.

Altera pars Concluſionis, ſeu quòd beneficiū reſtitutionis in integrum competat quibusdam Locis pijs, puta Collegijs Clericorum, Clauſtris Religioſorum, Hoſpitalibus Epiſcopi authoritate fundatis, quin & Confraternitatibus & Congregationibus, ad pietatem Religioníſq; augmentum inſtitutis, eſt communis. Eámque in ſpecie tradunt Abbas *in cap. Ex litteris. num. 2. de Conſuetud. & cap. 1. n. 15. h. t.* Maranta *part. 6 Speculi Aurei. §. De Appellatione. n. 90.* hinc excipien- 35

tes-

tes Collegia non pia. Sannig *h.t. cap. 3. num. 3.* iſtud poſt Laymanum *in c. Eccleſia. n. 3. eod. in 6.* extendens ad Eccleſiam nondū extructam, attamen jam inchoatam; aliique paſſim. Idem probatur *ex cit. c. Ex litteris. 2. de Conſuetud.* ubi Clauſtra, Eccleſiæ & quælibet Loca religioſa, quoad favorabilia æquiparantur. Idipſum clariùs patet *ex l. Omnia privilegia. 33. C. de Epiſcop. & Cleric.* ubi omnia privilegia Eccleſijs conceſſa, expreſsè extenduntur ad alia pia Loca.

36 Reſp. II. Inſuper beneficium reſtitutionis in integrum competit Reipublicæ, ſi graviter lædatur. Textus eſt in *l. Reſpublica. C. Quibus ex cauſis majores &c.* ibi: *Reſpublica minorum jure uti ſolet: ideóque auxilium reſtitutionis implorare poteſt.* Concordat textus *in l. Rempublicam. C. de Jure Reipubl. c. lib. 11.* ubi dicitur: *Rempublicam ut pupillam, extra ordinem juvari, moris eſt.*

37 Atq; hoc ipſum extendunt Doctores ad Principem, veluti caput Reipublicæ. Deinde ad Univerſitatem alicujus Civitatis, Caſtri & Villæ, quæ propter multitudinem hominum regitur per Syndicos, & Adminiſtratores: ſecùs, ubi pauci ſunt homines; puta, ſex vel decem, qui ſinguli reguntur per ſe ipſos. Bartolus *in d. l. Reſpublica. C. Quibus ex cauſis majores &c.* Maranta *loc. cit. n. 97.* & alij. Nam eadem ratio militat in his, ac in Republica: partim, quia tales Univerſitates æquè reguntur per alios, ſicut Minores reguntur per Tutores, & Curatores; ſicque æquum eſt, ut iſtorum privilegio gaudeant, prout Bartolus loquitur *loc. cit.* Partim, quia in illis multi ſunt pupilli, viduæ, aliæque perſonæ miſerabiles, quarū causâ & contemplatione meritò concedenda eſt reſtitutio Univerſitatibus; ut argumentatur Maranta, *ubi ſuprà.*

38 Et ob ſimilem rationem Abbas, *in d. cap. 1. n. 15. h. t.* & poſt ipſum alij docent, etiam Collegijs Scholarium, ſeu Univerſitatibus Studiorū, competere beneficium reſtitutionis in integrū: quia videlicet in ipſis ſunt multi minores viginti quinque annis; unde reſpectu horum debent audiri, ac reſtitui.

39 Quæritur III. An ſemel denegatum reſtitutionis beneficium, adhuc Eccleſiæ vel Minori concedi debeat? Reſp. I. Reſtitutio in integrum ſemel Eccleſiæ aut Minori judicialiter denegata, ulterius in alio judicio non eſt concedenda; niſi nova cauſa emergat. Textus eſt *in cap. ult. h. t. & L. 1. & ſeqq. C. Si ſæpiùs in integrū reſtitutio poſtuletur.* Accedit ratio: quia, quando Eccleſia vel Minor petijt reſtitutionem in integrum, & repulſam tulit, ſententia lata ſuper dictâ reſtitutione denegatâ tranſijt in rem judicatam, niſi intra decendium appellatum ſit; ergo hoc ipſo non ampliùs debet audiri, neque impoſterùm eidem ſuper tali cauſa reſtitutio concedi: nam res judicata, pro veritate accipitur, *c. Cùm inter. 13. de Sent. & re judicat. & l. Res judicata. ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus.

40 Additur notanter, *niſi nova cauſa emergat.* Ut fit, quando poſt ſententiam latam ſuper denegatâ reſtitutione, nova inſtrumenta reperiuntur, aut aliæ novæ probationes, ſeu defenſiones anteà ignoratæ oſtenduntur: tunc enim ex tali nova cauſa poteſt Eccleſia, vel Minor, ſuper eodem negotio in integrum reſtitui, per Jura allegata. Accedit ratio: tū quia, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. De ætate. §. Ex cauſa ff. de Interrogator. action.* Tum quia oſtenſis novis inſtrumentis, probationibus ſeu defenſionibus, Eccleſia ſatis probat, ſe per ſententiam denegatæ reſtitutionis graviter eſſe læſam; ſicque meritò adversùs eam poteſt implorare reſtitutionem in integrum.

Reſp. II. Non obſtante, quòd Eccleſiæ, vel Minori, reſtitutio ſemel denegata non ulteriùs concedatur, niſi ex nova cauſa, ut dictum: nihilominùs, quando ipſa omiſit intra decendium appellare ab ejusmodi ſententia denegatæ reſtitutionis, poteſt reſtitui ad jus appellandi à dicta ſententia. Textus eſt *in cit. cap. ult. h. t. & L. 1. C. Si ſæpiùs in integrum &c.* Nam aliud eſt, poſt reſtitutionem ſententialiter denegatam rurſus reſtitui ad totam cauſam; aliud, reſtitui duntaxat ad jus appellandi. Ibi enim, ſi concederetur reſtitutio, perinde foret, ac ſi non eſſet lata ſententia: ſecùs in poſteriori caſu; quia ſalva manet ſententia, licèt appellatione ſuſpendatur: & ſi talis reſtitutus non proſequatur appellationem intra terminum juris, confirmatur prior ſententia. Vivianus *in Rationali Juris, cap. Beneficio. 10. h. t.* 41

Quæritur IV. An Eccleſia, vel Minor, contra aliam Eccleſiam vel Minorem, poſſit petere reſtitutionem in integrum? Reſp. affirmativè. Et quidem, quòd Minor, qui certat de damno vitando, reſtituatur contra alium Minorem lucrum capientem (ſecùs, ſi ambo fuiſſent capti) eſt textus clarus *in l. Verùm. 11. §. Item quæritur. ff. de Minoribus.* Concordat textus *in L. ult. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* ubi in ſimili dicitur, quòd abſens Reipublicæ causâ reſtituendus ſit contra alium pariter Reipublicæ causâ abſentem, ſi aliquid damni juſtè ſequitur, ſeu inde ſecutum eſſe probatur. 42

Quòd autem Eccleſia graviter læſa reſtituatur contra aliam Eccleſiam, patet *ex c. Cùm veniſſet. 2. h. t.* ubi in facti contingentia talis reſtitutio Eccleſiæ contra aliam, ſeu Monaſterij contra Epiſcopum, conceſſa legitur. Quinimò, quod plus eſt, *in c. Auditis. 3. eod.* utraque Eccleſia, quæ neceſſariam probationem (ut aſſerebat) omiſerat, ſimul reſtituta eſt: quamquàm hæc reſtitutio non tam contra aliam Eccleſiam facta fuerit, quàm contra negligentiam ſuorum Procuratorum, ex qua gravem utraque timebat jacturam; licèt indirectè, & per conſequentiam quandam, dicta reſtitutio etiam contra alteram Eccleſiam hinc inde intentaretur, dum corrigebatur negligentia proprij Procuratoris, quæ cæteroquin prodeſſe potuiſſet alteri Eccleſiæ, cum quo litigabat. 43

Dices. Privilegiatus contra pariter privilegiatum non utitur privilegio, *l. Aſſiduis. C. Qui potiores in pignore habeantur,* & cum communi Doctorum tradit Abbas *in c. In præſentia. num. 37. de Probationib.* 44

nib. Caſſatis quippe mutuò privilegijs, utuntur Jure communi; ergo. Reſp. cum Abbate *cit. n. 37. & ſeq.* Engel *h. t. n. 6.* & alijs, regulam illam procedere, ſi utriusque par ſit cauſa: aliàs verò ſecùs eſſe, ut *l. Verùm. §. fin. ff. de Minoribus*; ubi Summarium ſic habet: *Si ſint duo privilegiati pari privilegio, præfertur ille, qui certat de damno vitando: ſed ſi uterque certat de hoc, eſt potior cauſa Rei: ſed ſi ſint privilegiati diſpari privilegio, privilegium potentioris præponitur.*

45 Hæc ad propoſitum applicando, negatur conſequentia. Nam, quamvìs utraque Eccleſia ſit privilegiata in genere, ut gaudeat beneficio reſtitutionis in integrum, ſi graviter lædatur: nihilominùs in caſu ſpeciali, quo Eccleſia B. graviter fuit læſa ab Eccleſia A. ſola Eccleſia B. ſpecialiter eſt privilegiata ad petendam reſtitutionem in integrum; hæc enim ſolùm conceditur graviter læſis, non autem lædentibus. Atqui noti juris eſt, quòd privilegium ſpeciale deroget generali, juxta Reg. 34. Juris in 6. *Generi per ſpeciem derogatur*, cum concordantijs. Quinimò in tali caſu, re penitùs inſpectâ, non concurrit privilegiatus contra pariter privilegiatum: nam Eccleſia A. non habet privilegium, ut poſſit alteram lædere; ſed ſoli Eccleſiæ B. competit privilegium, ut ob gravem læſionem, quam alioquin pateretur, poſſit uti beneficio reſtitutionis adversùs alteram Eccleſiam, à qua læderetur.

46 Simile quid contingit in caſu præſumptionis unius Eccleſiæ contra aliam: quamvìs enim utraque Eccleſia gaudeat privilegio, quòd non niſi quadraginta annis contra eam poſſit præſcribi, *c. Illud autem. 8. de Præſcriptionib.* cum ſimilibus; ſicque in genere ambæ Eccleſiæ ſint æqualiter privilegiatæ: in caſu tamen ſpeciali, quo una Eccleſia contra alteram intentat præſcriptionem, hæc quidem eſt privilegiata, ut non niſi quadraginta annis contra ipſam valeat præſcriptio; non item altera Eccleſia eſt privilegiata, ut poſſit minori tempore contra alteram præſcribere. Unde pariter, re accuratiùs conſideratâ, in præfato caſu non concurrit privilegiatus contra pariter privilegiatum.

47 Si verò detur caſus, quòd inter duos privilegium habentes, reverà uterque privilegiatus exiſtat reſpectu ejusdem cauſæ, quæ agitatur, tunc præfertur, qui habet privilegium potentius. Idque poteſt multipliciter contingere: ut primò, ſi unus certet de damno vitando, alter verò de lucro capiendo; tunc enim præfertur ille, qui certat de damno vitando, *cit. l. Verum. §. fin. ff. de Minorib.* Secundò, ſi cauſæ concedendi privilegium ex parte altera ſint favorabiles, *arg. l. Privilegia. ff. de Privileg. creditor.* ibi: *Privilegia non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſa.*

48 Quòd ſi tandem cauſæ privilegij ſint omninò æquales, ipſaque privilegia paris exiſtant potentiæ, tunc quando concurrunt ambo reſpectu tertij, pariter admittuntur, haud obſtante, quòd unum privilegium ſit antiquius altero, *cit. l. Privilegia. ff. de Privileg. creditor.* Verùm inter ipſos potior eſt conditio poſſidentis, *c. In pari cauſa. 65. de Reg. Jur. in 6.* Bartolus *in Auth. Quas actiones. §. Venio ad quæſtiones. C. de Sacroſanct. Eccleſ.* Covarruvias *in c. Poſſeſſor. part. 2. §. 2. n. 4.* citans alios.

Quæritur V. Utrùm Majorennibus quandoque competat beneficium reſtitutionis in integrum, & quando? Reſp. I. Etiam Majorennibus (hoc eſt, illis, qui ætate ſunt majores viginti quinque annis completis) quandoque competit beneficium reſtitutionis in integrum; ſed ex clauſula generali ſolùm, hoc eſt, ſi juſta cauſa eam concedendi intervenerit. Patet *id ex L. 1. cum ſeqq. ff. Ex quibus cauſis majores in integrum reſtituantur.* junctò toto *Tit. C. eod.* 49

Reſp. II. Cauſæ juſtæ reſtituendi Majorennes, ſeu majores viginti quinque annis, ſunt variæ, atque referuntur in Jure Civili locis citatis. Ex his eſt. I. Si quis Reipublicæ causâ ſine dolo malo abfuerit, *L. 1. & 4. & ſeqq. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Idque rationabiliter extenditur ad omnem caſum, quo quis vel teſtimonij ferendi gratiâ evocatus, aut ob proſequendam appellationem peregrinari coactus fuit: imò generaliter, quotiescunque quis ex neceſſitate, non ex voluntate abfuit, *l. Sed & ſi per Prætorem. 27. §. fin. ff. eod.* 50

II. Si quis in vinculis, ſervitute, hoſtiúmve poteſtate conſtitutus fuit, *cit. L. 1. & L. 9. cum ſeqq. ff. eod.* III. Gaudent hoc privilegio Legati Municipiorum, *L. 8. ff. eod.* IV. Milites quoque, utpote qui à ſignis ſine periculo diſcedere non poſſunt, *L. 7. & l. Milites. 47. ff. eod.* 51

Tandem Prætor *in cit. L. 1. ff. eod.* ponit generalem clauſulam, per quam ex cauſa juſti erroris, vel circumventionis, aut ignorantiæ, vel hujusmodi, penſatâ æquitate, quoslibet graviter læſos ſeſe reſtituturum pollicetur, illis verbis: *Item ſi qua alia juſta mihi cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam.* Sic probatâ causâ fraudulentæ circumventionis conceditur Majoribus reſtitutio in integrum, *c. Ex litteris. 4. h. t.* Similiter Ruſticis, & alijs hujusmodi, qui jura ignorant, neque alios conſulere poſſunt, atq; idcircò graviter læduntur, ex clauſula generali datur reſtitutio in integrum. Alexander *Conſil. 14. n. 14. vol. 2.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei. §. De Appellatione. n. 91. & ſeqq.* Idémque dicendum, quotiescunq; præter enormem læſionem intervenit, atq; interveniſſe probatur alia juſta cauſa petendi reſtitutionẽ in integrum. Abbas *in cit. c. Ex litteris. n. 5. h. t.* 52

Reſp. III. Nihilominùs eſt notabilis differentia inter reſtitutionem in integrum, quæ competit Minoribus vel Eccleſijs, & eam, quæ quandoque indulgetur Majoribus. Imprimis enim Minoribus viginti quinque annis, ſicut & Eccleſijs, ſubvenitur per in integrum reſtitutionem jure ſpeciali: Majoribus verò ex clauſula generali, *Si qua alia juſta cauſa eſſe videbitur,* de qua fit mentio in *d. L. 1. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* ac notat Gloſſa, & Abbas *ad Rubric. h. t.* 53

De-

54 Deinde reſpectu Minoris, vel Eccleſiæ, ſufficit probare, gravem læſionem ex actu vel contractu ſibi accidiſſe, etiamſi non probetur alia cauſa petendi reſtitutionem. Quinimò licèt pateat, læſionem illam contigiſſe ex ſua facilitate, vel proprij procuratoris negligentia; ut *c. Cùm veniſſet. 2. & c. Auditis. 3. h. t.* Econtrà reſpectu Majoris requiritur ulteriùs, quòd ſubſit juſta cauſa petendi reſtitutionem, & quòd illa probetur; ut *c. Ex literis. 4. h. t.* & notat Abbas *ibid. n. 5.* & communis. Ratio diſparitatis eſt; quia Minori graviter læſo, ex æquitate, atq; officio Judicis, ſuccurritur propter ætatis, ac judicij imbecillitatem, Eccleſiæ ob favorem Religionis, ac Reipublicæ propter favorem publicum; ac proinde hæ cauſæ, utpote ſemper ſubſiſtentes, non indigent ulteriori probatione. At verò in Majoribus, præter gravem læſionem, requiritur alia juſta cauſa concedendi reſtitutionem in integrum; v. g. abſentia Reipublicæ causâ, detentio in vinculis, captivitas, circumventio ſibi facta, & hujuſmodi. *Non enim negligentibus ſubvenitur, ſed neceſſitate rerum impeditis,* prout habetur, *l. Non enim. ff. Ex quibus cauſis majores &c.* Cùm igitur tales cauſæ non præſumantur, neq; generaliter inſint, meritò anteà probari debent, ut reſtitutio in integrum Majoribus concedi valeat.

55 Accedit alia differentia: nam reſtitutio in integrum nunquam conceditur Majoribus, quando ordinarium appellationis remedium intentare poſſunt. Secùs dicendum de Eccleſia, & Minoribus: his enim petentibus conceditur reſtitutio, tametſi appellare poſſint, eò quòd pinguiùs ipſis provideatur per remedium reſtitutionis in integrum, quàm per appellationem. Illâ enim obtentâ non coguntur novam inſtantiam inchoare, neque novum Judicem, fortè remotum, adire; prout debet fieri in appellatione. Abbas *c. Tum ex litteris. num. 18. h. t.* Layman *c. Ex litteris. n. 4. eod.*

§. III.

De tempore petendæ Reſtitutionis in integrum.

SUMMARIUM.

56. *Reſtitutio in integrum defactò poteſt peti intra quadriennium.*
57. *Tempus continuum, & utile, quod?*
58. *Tempus utile eſt multiplex.*
59. *Tempus quadriennij pro petenda reſtitutione conceſſi, uno reſpectu eſt continuum, alio utile: idque declaratur. Et num. ſeqq.*
60. *Quadriennium ejuſmodi in Minoribus incipit currere à prima die vigeſimi ſexti anni inchoati.*
61. *Exceptis Minoribus, qui veniam ætatis impetrârunt.*
62. *In Majoribus, & Eccleſijs, quando quadriennium illud currere incipiat?*
63. *Non currit ignoranti.*
64. *Eccleſia poſt quadriennium, an poſſit aliquando petere reſtitutionem in integrum? Et num. ſeqq.*
65. *Eccleſiæ competit reſtitutionis remedium contra contractus, & contra ſententiam tum interlocutoriam, tum diffinitivam.*
66. *Sed poſt lapſum quadriennij non admittitur ad illud, niſi ob probatam colluſionem, fraudem, vel aliam rationabilem cauſam. Et num. 64.*
67. *Ut ſi læſio ſit valdè enormis.*
68. *Aut Prælatus malè alienans, tanto tempore ſupervixerit.*
69. *Vel Eccleſia læſa multas interim habuerit mutationes Prælatorum.*
70. & 71. Eccleſia jure Minoris debet ſemper illæſa ſervari, *quomodo intelligendum?*
72. *Tripliciter poteſt Eccleſia lædi, in ſententia, in contractu, & in lapſu temporis.*
73. *Eccleſia poteſt petere reſtitutionem etiam adversùs lapſum temporis.*
74. *Tum judicialis, tum extrajudicialis.*
75. *Dempto lapſu quadriennij ad petendam reſtitutionem conceſſi.*
76. *Cauſa reſtitutionis adversùs lapſum temporis, finiri debet intra quadriennium.*
77. *Idemq; dicendum de qualibet reſtitutione in integrũ.*
78. *Quamvis hoc de conſuetudine non ſervetur.*
79. *Ac etiam limitatur, quando non per Eccleſiam, ſed per Judicem, vel Adverſarium ſtat, quò minùs tam citò terminetur.*
80. *Reſtitutio in integrum adversùs lapſum temporis, ad quantum tempus ſit concedenda? Et num. ſeqq.*
81. *Duplex tempus in propoſito eſt diſtinguendum, nempe Tempus intra quod, & Tempus ad quod.*

56 QUæritur I. Utrùm reſtitutio in integrum ſit petenda intra quadriennium, ac tempus iſtud ſit utile, vel continuum? Reſp. I. Ad petendam reſtitutionem in integrum defactò conceditur quadriennium. Ita rejectis antiquioribus Legibus, annum utilem concedentibus, ac nonnullis inutilibus locorum differentijs, habetur expreſsè ſtatutum *in L. ult. C. de Temporibus in integrum reſtitutionis.* Concordat *c. Eccleſia. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd Eccleſia poſt quadriennium non admittitur ad petendum reſtitutionem contra ſententiam, vel contractum; niſi prævaricationis, vel fraudis commentum erga Eccleſiam factum, vel alia rationabilis cauſa iſtud

iſtud ſuadeat. Et hoc eſt indubitatum: nunc loquendo de altera parte propoſitæ quæſtionis,

57 Notandum eſt cum Gloſſa communiter recepta *in Clem. un. ℣. Continuum. h. t.* & aliâ Gloſſâ *in L. ult. ℣. Supervacuam. C. de Temporib. in integrum reſtitut.* quòd in Jure diſtinguatur duplex Tempus; continuum videlicet, & utile. *Tempus continuum* dicitur, quod ſemper ſeu continuè currit, diebus feriatis & non feriatis, in præſentia & abſentia, ſive ſit copia judicis, ſive non, *arg. L. ult. C. de Præſcript. longi tempor.* Econtrà *Tempus utile* (ut ipſum nomen importat) dicitur illud, quod utiliter præterfluit, ſeu quo datur facultas utendi. Unde hujusmodi *Tempus. utile* non currit diebus feriatis, nec diebus abſentiæ, neq; diebus, quibus non eſt agendi copia, *arg. c. Quia diverſitatem. 5. de Conceſſion. Præbend. & l. Annus. ff. de Calumniatorib.*

58 Porrò Tempus utile adhuc eſt multiplex quia quoddam eſt continuò utile; quoddam utile quoad ſui principium tantùm, non verò quoad progreſſum: quandoque eſt continuum uno reſpectu, ut veniant dies feriati; & nō alio, quia non currit juſtè impedito. His prænotatis

59 Reſp. II. Prædictum tempus quadriennij pro petenda reſtitutione, Eccleſijs & Minoribus, atque probatâ juſtâ causâ Majoribus conceſſum, uno reſpectu eſt continuum, quatenus nimirum currit diebus feriatis, & non feriatis; alio autem reſpectu eſt utile, quia non currit juſtè impedito, ac proinde tempus ababſentiæ, vel alterius juſti impedimenti ab eo ſubtrahendum. Ita Gloſſa *in cit. l. ult. ℣. Supervacuam.* & Bartolus *ibid. ſ. Et breviter. C. de Temporib. in integrum reſtitut.* Pirhing *h. t. n. 50.* & alij proximè citandi, cum communi. Idque apertè deſumitur *ex d. L. ult. C. de Temp. in integr. reſtitut.* dum ibidem à principio pro petenda reſtitutione in integrum conceditur *quadriennium continuum tantummodò*: & tamen circa finem tempus abſentiæ Reipublicæ causâ, aut alterius juſti impedimenti, hinc excipiendum, ſeu in dicto quadriennio non computandum, aſſeritur. Ex hoc quippe ſequitur, tempus iſtud quadriennij ex uno reſpectu eſſe continuum, ex altero autem utile: cùm non currat juſtè impedito, licèt currat diebus tam feriatis, quàm non feriatis. Sequitur ulteriùs, quòd tempus, quo ſive per dolum adverſarij, ſive ex alio legitimo impedimento, ut puta ob abſentiam Reipublicæ causâ, non poterat peti reſtitutio in integrum, poſteà debeat ſuppleri, addendo videlicet tantum temporis quadriennio cæteroquin continuo, quanto duravit ejusmodi impedimentum.

60 Quæritur II. A quo tempore currere incipiat quadriennium, pro petenda in integrum reſtitutione conceſſum? Reſp. I. In Minoribus (qui non ſolùm toto tempore minorennitatis poſſunt petere reſtitutionem in integrum, ſed etiam poſteà per continuum quadriennium) incipit currere dictum quadriennium à primo die vigeſimi ſexti anni inchoati, ceſſante tamen alio legitimo impedimento. Ita textus expreſſus *in cit. L. ult. de Temporib. in integrum reſtitution.* eſtque communis.

61 Excipe tamen Minores; qui veniam ætatis impetrarunt: nam in his computatur dictum quadriennium à die, quo venia ætatis obtenta, & intimata fuit, *L. 1. C. De ijs, qui veniam ætatis impetrârunt.* Quod intellige juxta proximè dicta, ceſſante videlicet alio legitimo impedimento.

62 Reſp. II. In reſtitutione Majorennium, ſicut & Eccleſiarum, præfatum tempus quadriennij incipit currere à tempore, quo læſio contigit, ſimúlque ceſſavit juſta causa abſentiæ, vel aliud legitimum impedimentum. Ita Gloſſa *in Clem. un. ℣. A tempore.* & Barboſa *ibid. n. 5. h. t.* citans alios; idque probans *ex cit. L. ult. C. de Temporib. in integrum reſtitut.* ubi ſancitur, quòd tam in Minorum, quàm in Majorum reſtitutionibus, pro anno utili, qui antiquitùs concedebatur, de facto detur quadriennium continuum: & quòd iſtud debeat numerari à die, ex quo annus utilis currebat. Sicque clarè habetur, quòd ſicut olim annus, utpote utilis, ita nunc quadriennium iſtud à principio ſit utile: ac proinde poſt læſionem primùm currere incipiat ceſſante juſtâ causâ abſentiæ, alióque legitimo impedimento petendi reſtitutionem, licèt poſteà ſit continuum, modo ſuprà declarato. Concordat loquendo de Eccleſijs *cap. 1. h. t. in 6.* proximè allegandum.

63 Atque ex hoc, quòd dictum tempus quadriennij à principio ſit utile; poſteà verò continuum, notabiliter inferunt Doctores (ut Alexander *Conſil. 84. n. 3. vol. 1.* poſt Baldum *in l. Falſa C. de Fide inſtrument.* & Card. Tuſchus *Litt. R. Concluſ. 198. n. 9. & 16.* Engel *h. t. n. 11.* Sannig *eod. cap. 5. n. 3* aliique plures) quòd quadriennium iſtud, conceſſum ad petendam reſtitutionem in integrum, non currat ignoranti; ſed incipiat primùm currere à die ſcientiæ de læſione. Et meritò: nam tempore ignorantiæ factæ læſionis nequit læſus ſe defendere, aut Beneficium reſtitutionis petere: *quia qui neſcit, is videtur experiendi poteſtatem non habere*, ut dicitur in *l. Annus. ff. de Calumniat.* Nec obſtant nonnulla Jura, quæ quadriennium iſtud à die læſionis eſſe computandum aſſerunt. Nam procedunt, quando dies læſionis, & dies ſcientiæ ejus coincidunt; aliàs ſecùs.

64 Quæritur III. Utrùm Eccleſia poſt quadriennium poſſit aliquando petere reſtitutionem in integrum? Reſp. I. Eccleſia etiam poſt elapſum quadriennium, à die factæ & cognitæ gravis læſionis computandum, non admittitur ad petendum beneficium reſtitutionis in integrum; niſi causa rationabilis aliud ſuadeat. Ita habetur deciſum *in cap. 1. h. t. in 6.* ſequentibus verbis: *Eccleſia, quæ ad retractandam ſententiam, vel contractum, per beneficium reſtitutionis in integrum, poſtulat ſe admitti; ſi quadriennij ſpatium poſt ſit elapſum, & negligenter omiſerit; non eſt ad beneficium*

ficium hujuſmodi admittenda: Niſi prævaricationis, vel fraudis manifeſtæ probetur ſuper hoc interveniſſe commentum: aut alia rationabilis cauſa ſubſit, quæ Superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum. Hæc ibi. Ex quo textu tam aperto,

65 Infertur primò, quòd Eccleſiæ, aliiſque pijs Locis, intra quadriennium competat remedium reſtitutionis in integrum, non ſolùm contra contractus, ſed etiam contra ſententiam tum interlocutoriam, tum etiam diffinitivam, adversùs ſe judicialiter latam, ſi ex poſt facto, ſive per inſtrumenta de novo reperta, ſive per alias legitimas probationes conſtet, Eccleſiam per hanc fuiſſe graviter læſam. Patet enim illud ex *cit. cap. 1. h. t. in 6.* argumento à ſenſu contrario deſumpto; & tradit ibidem Barboſa *in Collectan. n. 2. & 9.* aſſerens, eſſe communem, & indubitatam Concluſionem. Concordat *c. Cùm veniſſent. 2. & c. Auditis. 3. h. t. & Clem. un. eod.*

66 Infertur ſecundò, quòd poſt lapſum quadriennij Eccleſia non ampliùs admittatur ad petendũ dictum beneficium reſtitutionis: niſi in tali ſententia, ſive contractu, prævaricationis ſeu colluſionis, aut alterius fraudis cōmentum (hoc eſt, occultam machinationem, ſeu deceptionem) interveniſſe, probetur per Eccleſiam, ſive per Prælatos, Rectores, aut Adminiſtratores ipſius (nam qui dolum allegat, tenetur eum probare, cùm non præſumatur, *l. Meritò autem. ff. Pro ſocio*) vel niſi alia rationabilis cauſa ſubſit, quæ moveat Judicem ad concedendam reſtitutionem poſt elapſum jam quadriennium. Quod ultimum ut meliùs intelligatur,

67 Reſp. II. Cauſæ rationabiles, quæ præter vitium prævaricationis reſpectu ſententiæ, aut fraudis in contractu commiſſæ, debeant Judicem movere ad concedendam Eccleſijs, aliiſque pijs Locis, reſtitutionem in integrum poſt lapſum quadriennij, ſunt plures; potiſſimùm autem ſequentes. I. Si læſio fuerit valdè enormis: quia, quòd propter enormiſſimam læſionem poſſit Eccleſia etiam poſt quadriennium in integrum reſtitui; tenet Gloſſa *fin. in cit. cap. 1. h. t. in 6.* quam approbat Abbas *in c. Requiſivit. n. 2. h. t.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 3. n. 11.* citans alios quamplures. Idque deſumitur *ex c. Ad Eccleſiam. 11. de Rebus Eccleſ. non alienand.* ubi talis in integrum reſtitutio, ob enorme diſpendium, poſt multos annos cuipiam Monaſterio facta legitur.

68 II. Quando Prælatus malè alienans, ſeu contractu à ſe celebrato graviter lædens Eccleſiam tanto tempore ſupervixit. Gloſſa *fin. cit. cap. 1. h. t. in 6.* & Barboſa *ibid. n. 44.* Abbas *in cit. c. Requiſivit. n. 2.* & Fagnanus *ibid. n. 14.* & alij. Nam, ex quo Lex veroſimiliter præſumit, quòd Prælatus malè contrahens non ſit venturus contra id, quod temerè egit: idcircò quadriennium iſtud non currit Eccleſiæ, quamdiu vivit Prælatus, à quo læſa eſt; per textũ notabile *in can. Si Sacerdotes. 16. q. 3.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. Non ex die. & ℣. Moriendo*, ſicque non mirum eſt, quòd Eccleſia juſtam cauſam habeat petendi beneficium reſtitutionis, etiam poſt lapſum quadriennij à die læſionis computati.

69 III. Quando interim Eccleſia læſa multas habuit mutationes Prælatorum. Ex his enim præſumitur juſta ignorantia eorum, quæ à Prædeceſſoribus malè geſta fuerunt: ſicque vel ſubeſt rationabilis cauſa, quæ Superiorem movere debeat ad concedendum Eccleſiæ reſtitutionis beneficium poſt quadriennium, ut vult Gloſſa *fin. cit. cap. 1. h. t. in 6.* Vel ob tam multas, & repentinas mutationes, ac præſumptam juſtam ignorantiam læſionis, tempus ejuſmodi non eſt computandum in quadriennio Eccleſiæ conceſſo ad petendam reſtitutionem; ut tenet Barboſa *in d. cap. 1. n. 45. h. t. num. 6.* citans plures alios.

70 Dices. In *c. Requiſivit. 1. h. t.* habetur, quòd *Eccleſia jure minoris debeat ſemper illæſa ſervari*: atqui Minor toto tempore minorennitatis gaudet beneficio reſtitutionis in integrum; ergo etiam eodem ſemper gaudebit Eccleſia læſa, & non tantùm per quadriennium, ut vult proximè data Concluſio. Reſp. cum Gloſſa *in cit. c. Requiſivit. ℣. Jure minoris.* & Abbate *ibid. n. 16.* ac Barboſa *in Clem. un. n. 12. h. t.* & alijs, Majorem eſſe intelligendam, quòd Eccleſia fungatur jure Minoris, qui factus eſt major, quia, ſicut Minor, poſtquàm exceſſit vigeſimum quintum ætatis annum, adhuc petit reſtitutionem in integrum uſque ad quadriennium; ita & Eccleſia eam petere poteſt usque ad quadriennium à tempore cognitæ læſionis. Non autem, quòd ſicut Minor tempore minorennitatis ſemper poteſt petere reſtitutionẽ; ita & Eccleſia (etiam ceſſante aliâ extraordinariâ rationabili causâ) ſemper & abſque ulla temporis limitatione, ipſam petere poſſit: hoc enim eſt falſum, atque *in cap. 1. h. t. in 6.* expreſsè rejectum, reprobando in ſimul contrariam Goffredi, & aliorum quorundam antiquorum ſententiam, ut notat Gloſſa *hic ℣. Admittenda.*

71 Neq; obſtat, quòd Eccleſia debeat *ſemper* illæſa ſervari. Nam ly *ſemper* nõ notat tempus, quod computatur à ſua læſione, in perpetuum (oppoſitum enim determinatur tum *in L. ult. C. de Temporib. in integrum reſtitut.* tum *in cit. cap. 1. h. t. in 6.*) ſed ſolùm vult, quòd Eccleſia graviter læſa intra quadriennium, ſemper ſit reſtituenda, quandocunque & quotieſcunque læditur. Per quod Eccleſia differt à Minore, qui non ſemper reſtituitur, ſed ſolùm uſque ad viginti novem annos ætatis ſuæ: econtrà Eccleſia non habet tale determinatum, ſeu à Jure definitum tempus: ſed ſemper ſive quocunque tandem tempore lædatur, eſt reſtituenda intra quadriennium. Siquidem favor Religionis, ob quam Eccleſiæ beneficium conceditur reſtitutionis, ſemper durat: non ſic fragilitas judicij in Minoribus, poſtquàm effecti ſunt majores.

72 Quæritur IV. An, & qualiter locum habeat Reſtitutio in integrum, quando Eccleſia graviter ſe læſam aſſerit per lapſum temporis? Tripliciter enim poteſt accidere læſio Eccleſiæ, videlicet in

in ſententia, & in contractu (de quibus duobus modis proximè eſt dictum) & in lapſu temporis: ut ſi Eccleſia intra decendium non appellavit à ſententia contra ſe lata; aut ſi intra terminum peremptorium, à Judice ſtatutum, teſtes & probationes neceſſarias non produxit, ſicque in cauſa ſuccubuit; vel ſi intra annum, aut ſaltem biennium, appellationem non fuerit proſecuta, juxta *c. Cùm ſit Romana. 5. de Appellation.* & hujuſmodi. Quo prænotato,

73 Reſp. I. Eccleſia poteſt petere reſtitutionem in integrum adversùs lapſum temporis, in quo graviter læſa fuit. Textus eſt *in Clem. un. h. t.* illis verbis: *Ab Eccleſia adversùs lapſum temporis, in quo ſe læſam aſſerit, in integrum reſtitutio peti poteſt.*

74 Et quia textus hic loquitur indiſtinctè, idcircò prædicta Clementina procedit non ſolùm in reſtitutione adversùs lapſum temporis judicialis, ſed etiam extrajudicialis; prout notat Gloſſa *in Caſu cit. Clement.* & habetur in ſimili caſus in *c. Conſtitutus. 8. h. t.* junctâ Gloſſâ ℣. *Conſuetudinem*: ubi talis reſtitutio conceditur Minoribus adversùs lapſum unius anni, & diei, intra quem jure Retractûs potuiſſent pretio oblato emere quampiam rem avitam, ſed omiſerant intra annum hoc facere: reſtituuntur enim in integrum quoad iſtud jus emendi, ſive ut poſteà oblato pretio poſſint rem illam retrahere, & recuperare, ſi alioquin graviter læderentur.

75 Fallit tamen Concluſio in lapſu ipſiusmet quadriennij, ad petendam reſtitutionem conceſſi. Quia adversùs lapſum dicti quadriennij nunquam conceditur reſtitutio: alioquin enim daretur reſtitutio ad implorandam reſtitutionem, & ſic proceſſus in infinitum. Gloſſa *fin. in l. Interdum. ff. de Minorib.* Barboſa *in Clem. un. num. 2. h. t.* cum alijs.

76 Reſp. II. *Cauſa reſtitutionis adversùs lapſum temporis, finiri debet intra quadriennium continuum à tempore læſionis, etiamſi minus quadriennio tempus læſionis exiſtat.* Ita textus expreſſus *in cit. Clem. un. h. t.* Unde, quòd quadriennium reſtitutionis adversùs lapſum temporis conceſſum, non ſolùm ſtatuatur ad inchoandam, ſed etiam ad finiendam litem reſtitutionis; rectè notat Gloſſa *ibid.* ℣. *Finiri.* & Barboſa, ubi ſuprà, *num. 3.* citans alios.

77 Quinimò Abbas *in d. Clem. un. n. 6. h. t.* & Maſcardus *de Probationib. Concl. 1282. n. 1.* generaliter docent, quòd quælibet reſtitutio in integrum intra quadriennium peti, & finiri debeat, *arg. cap. 1. h. t. in 6.* junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Quadriennij ſpatium.* & favet textus notabilis *in L. ult. C. de Temporib. in integrum reſtit.*

Verùm de conſuetudine hoc non procedere, ſed hujusmodi quadriennij tempus ſolummodò ad implorandum reſtitutionis beneficiū obſervari, idq; tam de Foro Civili, quàm Eccleſiaſtico, refert Barboſa *lo. cit. n. 4.* poſt Rebuffum *tom. 2. ad Leges Galliæ, art. 2. Gloſſ. 1. n. 4. & ſeqq.* & alios. 78

Loquendo etiam de rigore Juris, data Concluſio patitur limitationem, quando non per Eccleſiam, ſed vel per Judicem, vel per adverſarium ſtat, quò minùs intra quadrieñium cauſa reſtitutionis terminetur, *arg. l. Petendæ. in fin. C. de Temporib. in integr. reſtitut.* ac notat Gloſſa locis proximè citatis. Sic quando per appellationem adverſaſarij cauſa reſtitutionis protelatur, non imputatur iſtud Eccleſiæ, neque huic præjudicat, ſicut nec Minori, *l. Intra utile. ff. de Minorib.* 79

Reſp. III. Nihilominùs, quando conceditur Reſtitutio in integrum adversùs lapſum temporis, tunc iſta datur ſolummodò ad tantum tempus, quantum ſe læſam eſſe Eccleſia probabit, & nō ad longius. Textus eſt expreſſus *in cit. Clem. un. h. t.* Et meritò: quia reſtitutio eſt alicujus in priſtinum ſtatum, ſeu jus ſuum, repoſitio, *l. Quod ſi minor. §. Reſtitutio. ff. de Minorib.* Atqui hoc non fieret, ſi quis ex reſtitutione obtineret plus de tempore, quàm fuerat tempus læſionis; ſic enim foret in lucro is, qui reſtituitur, ac melior redderetur conditio ipſius; ergo. 80

Unde Gloſſa *in d. Clem.* ℣. *Si minus.* & Abbas *ibid. n. 2. h. t.* duplex quoad propoſitum diſtinguunt tempus. Unum appellant *Tempus intra quod*; eſtque illud, intra quod petenda eſt reſtitutio: atque hoc defactò ſemper eſt uniforme, videlicet quadriennium, in quacunque reſtitutione. Alterum vocant *Tempus ad quod*; eſtq; illud, ad quod læſis ex lapſu temporis datur reſtitutio: atque hoc non eſt uniforme, ſed variatur juxta diverſitatem læſionis; quia non fit reſtitutio, niſi ad tantum tempus, quantum Eccleſia ſe læſam eſſe probabit, juxta ſæpè dictam *Clem. un. h. t.* Unde ſi ob neglectam à ſuo Procuratore appellationem lædatur Eccleſia in decendio, reſtituitur ad decendium; ſi ob non factas ab eo probationes, ſeu non adductos teſtes intra terminum peremptorium, v. g. unius trimeſtris, reſtituitur ad trimeſtre; & ſic loquendo de alijs. 81

§. IV.

De cauſis, in quibus Reſtitutio in integrum locum habet, vel non habet.

SUMMARIUM.

82. *Regula, quòd Minor, & Eccleſia graviter læſa in integrum reſtituatur, plures patitur fallentias.*

83. *Clericus minorennis in renunciatione Beneficij graviter læſus reſtituitur, quando hoc alteri nondum eſt collatum.*

84. *Mi-*

84. *Minor in Beneficialibus habetur loco Majoris; & quomodo?*
85. *Probabilius eſt, ejusmodi Minori competere reſtitutionem in integrum, licèt Beneficium jam fuerit alteri collatum.*
86. *Idq; probatur.*
87. *Solvuntur inſtantiæ. Et num. ſeqq.*
88. *An Clericus ille indigeat novâ collatione Beneficij, ad quod reſtituitur?*
89. *Minor adversùs profeſſionem Religioſam nunquam reſtituitur.*
90. *Benè tamen, ut, ſi allegaverit nullitatem ejus, poſt quinquennium poſſit audiri.*
91. *Reſtitutio hæc adversùs lapſum quinquennij à ſolo Papa poteſt concedi.*
92. *Solvitur inſtantia.*
93. *Reſtitutio in integrum non competit Minori contra ſubſtantiam Matrimonij.*
94. *Benè tamen quoad ejus accidentalia. Et num. ſeqq. Ut ſi lædatur circa dotem immoderatam promiſſam. Ibid.*
95. *Vel ſi ex ſententia matrimoniali ſe graviter læſum probaverit.*
96. *Minor reſtituitur contra propriam confeſſionem incautè factam.*
97. *Ut ſi incautè confeſſus ſit, ſe cum aliqua contraxiſſe Sponſalia &c.*
98. *Imò etiam reſtituitur Minor adversùs confeſſionem delicti.*
99. *Solvitur notabilis inſtantia.*
100. *Hoc ultimum limitatur.*
101. *Adversùs delictum dolo commiſſum Minor non reſtituitur.*
102. *Benè tamen, ſi deliquerit ſolummodò per culpam.*
103. *Imò & in priori caſu reſtituitur, ut habeatur pro confeſſo.*
104. *Inſuper Minor non reſtituitur contra òmiſſam, vel remiſſam executionem pœnarum.*

82 ETſi regula ſit, quòd minor viginti quinque annis, ſicut & Eccleſia graviter læſa, in integrum reſtitui debeat, ſive talis læſio oriatur ex ſententia contra ipſam lata, ſive ex contractu cæteroquin validè celebrato, ſive ex lapſu temporis, prout hactenus ſatis declaratum eſt. Nihilominùs hæc ipſa regula plures patitur fallentias, quarum aliquæ habentur clarè in Jure expreſſæ; ut ſunt illæ, de quibus *ſuprà §. 2. num. 25. & ſeqq.* jam dictum: nonnullæ autem non adeò expreſsè in Jure deciduntur, ſed etiamnum inter Doctores controvertuntur. Ac de iſtis potiſſimùm loquendo,

83 Quæritur I. Utrùm Clerico minorenni in renunciatione Beneficij Eccleſiaſtici graviter læſo, danda ſit reſtitutio in integrum? Reſp. I. Quando Beneficium necdum fuit alteri collatum, Minor talis eſt reſtituendus. Ita Gloſſa *c. Ex parte, 14. ℣. Quamvìs minor.* & Abbas *ibid. n. 14. & 15. de Reſtitut. ſpoliat.* Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 5. n. 1. & ſeqq.* Zoëſius *h. t. n. 4.* Engel *num. 21.* & alij, nonnullis tamen exceptis. Ratio eſt: quia Jus generaliter vult, Minores graviter læſos eſſe reſtituendos: atqui ab hac regula nullibi reperitur excepta læſio Minoribus contingens in renunciatione Beneficij; ergo ſtandum regulæ, præſertim cùm etiam hîc urgeat infirmitas ætatis, & immaturitas judicij. Accedit, quòd alioquin Clericus minor, qui ex levitate quâdam renunciavit Beneficio, unde vivebat, cogeretur mendicare in deſpectum Ordinis Clericalis, niſi reſtitutione in integrum juvari poſſet.

84 Dices. Minor in Beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus cauſis, habetur loco Majoris; ut *cap. ult. de Judicijs. in 6.* ubi is in dictis cauſis vel per ſe, vel per procuratorem agere poteſt, ac ſi major viginti quinque annis eſſet; ergo non reſtituitur. Reſp. neg. conſequent. Nam, quòd Minor in Beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus cauſis, ad inſtar majorennis poſſit ſtare in judicio, hoc in ejus gratiam & favorem introductum fuit. Atqui conceſſio unius favoris, non debet cauſare detrimentum alterius; quia, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum*, juxta Reg. *61.* Juris in *6.* ergo per hoc non privatur remedio reſtitutionis in integrum quoad cauſas Beneficiales, cùm idcircò non deſinat eſſe minorennis.

Reſp. II. Etiamſi Beneficium alteri jam fuerit 85 collatum, adhuc probabilius eſt, Clerico minori competere reſtitutionem in integrum, quando ex tali reſignatione arbitrio Epiſcopi graviter læſus fuit. Ita Vincentius *in c. Ex litteris. & c. Conſtitutus. De in integrum reſtitut.* Covarruvias *cit. cap. 5. n. 3.* allegans plures alios. Zoëſius *h. t. n. 5.* citans inſuper Gomeſium *ad Reg. De Triennali poſſeſſ. quæſt. 15.* & Molinam *de Juſt. & jur. diſp. 573. verſ. Utrùm autem.* Engel *h. t. n. 22.* contra Gloſſam *in cit. c. Ex parte. ℣. Quamvìs minor.* Abbatem *ibid. num. 14. & 18. de Reſtitut. ſpoliat.* ac plures alios: hi enim diſtinguunt inter Beneficium poſt renunciationem Minoris alteri collatum, vel non collatum; & volunt, ad iſtud competere iſti reſtitutionem in integrum, non verò ad illud, ob rationes locò objectionum afferendas.

Ratio fundamentalis noſtræ Concluſionis eſt 86 eadem, quæ ſuprà *num. 83.* allata fuit: quia videlicet nullibi reperitur Jure cautum, quòd minorenni in ſpiritualibus, ſeu Beneficij reſignatione graviter capto, non debeat ſubveniri; & alioquin is mendicare cogeretur. Accedit, quòd fortiùs in iſtis ſpiritualibus, quàm in alijs, ſubveniendum ſit graviter deceptis, ac læſis: tum quia in rebus Eccleſiaſticis majus periculum eſt, quàm in alijs; ſicque in eis cautiùs eſt agendum, *can. Quieſcamus. diſt. 42.* cum ſimilibus. Tum quia vel maximè per Eccleſiam non ſunt tolerandæ fraudes, atque deceptiones in ſpiritualibus: unde & *in c. Cùm univerſorum. 8. de Rerum permutat.* ſubvenit Eccleſia ſimplicitati illius, qui in permutatione Beneficij ſui graviter deceptus, ac læſus fuit; reſtituendo videlicet ipſum ad Beneficium priſtinum, etiam alteri

teri jam collatum, & amoto quolibet ejus detentore.

87 Dices. In *l. Quòd ſi minor. §. Scævola. ff. de Minorib & L. ult. C. de Repudiand. hæredit.* dicitur, Minorem, qui juvenili levitate ductus repudiavit hæreditatem, aut omiſit bonorum poſſeſſionem, eſſe quidem reſtituendum, ſi omnia ſint integra; ſecùs verò, ſi diſtractâ hæreditate res non ampliùs ſit integra: idem ergò dicendum in propoſito. Reſp. neg. conſequent. Quamvìs enim Lex iſta quoad priorem partem ſuam confirmet primam noſtram Concluſionem *num.* 83. poſitam, argumento à minori ad majus deſumpto; poſteriorem tamen Concluſionem non enervat. Siquidem in *d. §. Scævola. & cit. L. ult.* ſermo eſt de caſu, quo agitur de lucro captando, ſive de acquirenda hæreditate, quam utpote repudiatam Minor nunquam habuit: non etiam de damno vitando, de quo loquitur noſtra Concluſio, & ratione cujus ob gravem læſionem ſolet concedi reſtitutio in integrum.

88 Urgebis. Per reſignationem Beneficij, præſertim ſi hoc alteri jam à Superiore fuit collatum, extinctus eſt titulus, ac omne jus, quod Clericus minorennis anteà in illo habuit; ergo non poteſt ampliùs ad illud reſtitui. Probatur conſequentia. Quia Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonicâ obtineri, juxta *Reg. 1. Juris in 6.* atqui hoc fieret, ſi poſſet reſtitui. Vel certè opus foret novâ collatione, non autem ſufficeret ſola reſtitutio in integrum; ergo. Reſp. negando conſequentiam, cum minori ſuæ probationis. Nam hoc ipſo, quòd Clericus minorennis reſtituatur in integrum, recuperat priſtinum titulum, ac omne jus ſuum, quod anteà habuit: reſtitutio enim, eſt in priſtinum ſtatum repoſitio. Unde talis nec caret titulo, nec indiget nova collatione: neque enim curandum eſt, qualiter conferatur jus, an per formalem collationem, an per reſtitutionem in integrum. Abbas *in cit. c. Ex parte. n. 14. & 18. de Reſtitut. ſpoliat.*

89 Quæritur II. Utrùm adversùs Profeſſionem Religioſam detur Reſtitutio in integrum? Reſp. Minor adversùs Profeſſionem Religioſam nunquam reſtituitur: benè tamen, ut, ſi allegaverit nullitatem ejus, poſt lapſum quinquennij adhuc audiri, & cauſas dictæ nullitatis in judicio proponere poſſit. Prima pars deſumitur *ex can. Conſtituit. 20. q. 3.* junctâ Gloſſâ *fin. ibid.* eámque tradit Speculator *tit. de Reſtitut. in integrum. §. Qualiter. n. 6.* Abbas *cit. c. Ex parte. n. 16.* Fagnanus *in c. Significatum. n. 36. de Regularib.* éſtque communis. Accedit ratio: quia reſtitutio in integrum non conceditur, niſi læſo, ut dictum *§. 1. num. 8. & ſeqq.* Atqui per profeſſionem Religioſam nemo læditur, neque decipitur; eò, quòd profitens Religionem ſerviat ei, cui ſervire regnare eſt; ut canit Eccleſia *in Miſſa pro Pace*: & cum ditiore contrahat Sponſo, *arg. can. Sicut bonum. 27. q. 1.* Simúlque ſaluti animæ ſuæ magis conſulat, *can. Nunquam. de Conſec. diſt. 5.*

90 Altera pars probatur ex eo: quia juxta Conciliũ Trident. *Seſſ. 25. cap. 19. de Regularib.* Regularis reclamans contra ſuam Profeſſionem, dum ipſam aſſerit eſſe invalidã ob defectum conſenſûs, ætatis, aut aliâ de causâ, ſervatis ſervandis auditur intra quinqueñium. Quòd ſi verò legitimè intra quinqueñium impeditus fuit ad reclamandũ, allegatis cauſis hujus juſti impedimenti poteſt reſtitui in integrum, ut poſt elapſum quinqueñium adhuc audiri, & cauſas nullitatis Profeſſionis ſuæ in judicio proponere valeat. Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 34. num. 22.* Portel *in Dubijs Regularium. V. Profeſſio. n. 45.* Fagnanus in *c. Perlatum. n. 33. & 38. De ijs quæ vi metúsve cauſâ*, & communis.

91 Circa quod tamen rectè notat idem Fagnanus *in c. Conſuluit. n. 35. Qui Clerici vel voventes &c.* quòd hæc facultas reſtituendi in integrum adversùs lapſum quinqueñij alijs non competat, niſi Summo Pontifici; ut etiam de Stylo obſervatur. Siquidem, ut quis poſſit audiri poſt quinquennium, debet adire Romæ Sacram Congregationem Concilij Tridentini, ſeu alteram Regularium negotijs Præpoſitam, quæ priùs cognitis ſaltem ſummariè nullitatibus deducendis, & juſto impedimento reclamandi intra quinquennium, reſtitutionẽ illius concedere ſolet; prout non ſemel fieri ſe vidiſſe, teſtatur Barboſa *in Collectan. ad cit. cap. 19. Concilij Trident. num. 9.*

92 Nec obſtat, quòd Conciliũ Trident. *cit. cap. 19.* decreverit, Regularem, qui contra ſuam Profeſſionem reclamat, non eſſe audiendum, *niſi intra quinquennium tantùm à die Profeſſionis.* Reſp. enim, quòd aliud ſit, allegare cauſas nullitatis Profeſſionis; aliud allegare cauſas, ob quas non potuit intra quinquennium reclamare. Illud poſt quinquennium non licet, niſi per beneficium reſtitutionis authoritate Pontificiâ quis in priſtinum ſtatum reponatur: benè tamen iſtud.

93 Quæritur III. Utrùm Reſtitutio in integrum competat adversùs matrimonium? Reſp. Quoad ſubſtantiam matrimonij non competit Minorenni reſtitutio in integrum; benè tamen quoad ejus accidentalia. Ita Covarruvias *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 5. num. 8. §. Rurſus.* Engel *cit. n. 23* & alij. Ratio prioris partis eſt: quia matrimonium validè contractum inducit vinculum perpetuũ, atque ex Divina inſtitutione indiſſolubile; ſicq; non obſtante quâcunque læſione, reſtitutioni in integrum locus non eſt, etiamſi minoreñis contraxerit cum vetula exdentata; prout exemplificat Speculator *tit. De Reſtitut. in integrum. §. Qualiter, num. 5.*

94 Altera pars patet *ex L. un. C. Si adversùs dotem reſtitutio petatur*: ubi habetur, quòd Minor, ac hæres ipſius, reſtitui in integrum poſſit, ac debeat, ſi circa dotem immoderatam promiſſam in contractu matrimonij graviter læſus fuit, ut corrigatur exceſſus ipſius: atqui dos eſt quid accidentale, & acceſſorium matrimonij; ergo.

De-

95 Deinde, quòd Minor, ſi ex ſententia matrimoniali graviter ſe læſum probaverit, reſtitui poſſit in integrum adversùs dictam ſententiam, patet ex *c. Ex litteris. 4.* & Gloſſâ *ibid. ℣. Ad plenum. h. t.* ubi in favorem matrimonij talis reſtitutio facta legitur. Accedunt illicò dicenda de confeſſione Matrimonij, & Sponſalium, per minorennem temerè facta: unde

96 Quæritur IV. Utrùm Minor reſtituatur contra propriam confeſſionem? Reſp. Quando Minor ex actu propriæ confeſſionis graviter læditur, ut puta in judicio falſum incautè confitendo, poteſt eidem ſubveniri per reſtitutionem in integrum. Ita comunis; idq; patet ex *l. Certum. §. In pupillo. ff. de Confeſſis,* ubi textus generaliter inquit: *Minorem à ſua confeſſione reſtituemus.* Concordat *cap. 2. h. t. in 6.* ubi habetur, quòd Eccleſia graviter læſa adversùs confeſſionem à ſe in judicio factam, beneficium reſtitutionis in integrum infra quadriennium, à tempore ipſius confeſſionis computandum, petere valeat. Imò, quòd petens reſtitutionem adversùs confeſſionem ſuam, non teneatur probare pro læſione falſitatem ejus, rectè poſt Gloſſam *ibid. ℣. Confeſſionem,* & alios, notat Maſcardus *Concl. 1281. de Probationibus, n. 24.*

97 Sic imprimis fit, quando Minor incautè, ſeu falsò in judicio confitetur, ſe cum aliqua contraxiſſe Sponſalia, vel Matrimonium, de quo aliunde non conſtat, neque adeſt ſemiplena probatio. Siquidem ob favorem Matrimonij, & ne quis invitus cogatur ducere, quam odit, poteſt petere reſtitutionem in integrum adversùs talem confeſſionem; ut notat Alexander *Conſil. 80. n. 1. vol. 7.* & Covarruvias *cit. cap. 5. n. 8.*

98 Inſuper, quòd etiam adversùs confeſſionem delicti, quod aliter non eſt probatum, Minor ſit reſtituendus in integrum, ubi ſe probat graviter ex ea læſum eſſe; tenet Jaſon *in l. Nam poſteà. §. Verùm. n. 7. ff. de Jurejurand.* citans Angelum *in d. l. Certum. §. In pupillo. ff. de Confeſſis.* Idem docet Alexander *Conſil. 115. n. 6. vol. 3.* Zoëſius *h. t. ff. n. 27.* & alij paſſim: quamvis oppoſitam ſententiā judicet veriorem Fachineus *lib. 1. Controverſ. Jur. cap. 72.*

99 Quòd ſi opponas. Vel minor ille confeſſus eſt veritatem, vel falſitatem. Si primū: Non poteſt peti, nec concedi reſtitutio, ne veritas impugnetur. Si ſecundum: Probatâ tali falſitate, ſeu errore, aliunde non nocet confeſſio, juxta *cit. cap. 2. §. fin. h. t. in 6.* ergo nunquā eſt recurrendum ad extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum. Reſp. neg. conſequent. Quia, licèt confeſſio illa (uti ſupponitur) ſit falſa, ſeu facta per errorem; facilè tamen contingere poteſt, quòd falſitas ejus, ſeu error comiſſus, in Foro externo probari nō poſſit, quamvis valeat probari læſio exinde conſurgens: unde expedit, reſtitutionem in integrum adversùs ejusmodi confeſſionem petere, atq; concedere. Gloſſa *in cit cap. 2. h. t. in 6.*

100 Fatendum tamen, non deeſſe Doctores, qui volunt, Minorem non aliter eſſe reſtituendum contra propriam confeſſionem, niſi priùs docuerit, ſaltem mediantibus gravibus præſumptionibus, confeſſionem ex errore proceſſiſſe, aut ex metu, vel alio gravi reſpectu, ſeu ex juvenili præcipitantiâ ipſum dixiſſe falſum, *arg. l. Verùm. 11. §. Sciendum eſt. ff. de Minorib.* ubi Minoribus per reſtitutionem in integrum non paſſim ſubvenitur, ſed tum demum, *ſi causâ cognitâ capti eſſe probentur.* Accedit, quòd Minorem indiſtinctè ac generaliter reſtituere adversùs confeſſionē, etiam veram, aliud non foret, quàm ei dare occaſionem mentiendi, litémq; protelandi: quod utique rationi, & æquitati non eſt conſentaneū. Engel *h. t. n. 26.* & favet Fachineus *cit. lib. 1. Controverſiar. Juris, cap. 72. in fine.*

Quæritur V. Utrùm Minor in delictis ſit 101
reſtituendus? Reſp. I. Adversùs delictum dolo comiſſum, & pœnam ſive corporalem, ſive pecuniariam ex eo debitam, Minor non reſtituitur: niſi ut habeatur pro confeſſo, vel transacto. Ita deſumitur *ex l. Si ex cauſæ. §. Nunc videndum. ff. de Minorib.* ac notat Bartolus *ibid. in Summario.* Zoeſius *h. t. ff. n. 27.* & alij. Concordat textus *in L. 1. C. Si adversùs delictum &c.* ubi hujus ratio redditur: quia videlicet *malorum mores infirmitas animi non excuſat*; hoc ipſo, quòd ſint doli capaces, atque ex dolo delinquant. Secùs, ſi quis ætate ſit infans, aut proximus infantiæ; talis enim non cenſetur dolo delinquere, *arg. l. Infans. ff. Ad Leg. Cornel. de Sicarijs*; & notat Julius Clarus *lib. 5. Practicæ Criminal. §. fin. quæſt. 60. n. 2.*

Dicitur notanter, *adversùs delictum dolo commiſ-* 102
ſum. Ut ſi furtum commiſerit, aut circa rem depoſitam, vel commodatam, vel alium contractum quid doli fecerit, ſeu damnum injuriâ dederit, aut adulterium perpetrârit: tunc enim Minori non ſubvenitur per reſtitutionem, prout *cit. §. Nunc videndum. & ſeqq.* exemplificatur. Quòd ſi verò Minor deliquerit ſolumodò per culpam (hoc eſt omittendo quid de debita diligentia, non autem quid mali committendo) tunc is reſtituitur, *arg. cit. L. 1. C. Si adversùs delictum &c.* ac notat Gloſſa *ibid. in caſu*, & Julius Clarus *d. quæſt. 60. n. 4.* citans communem. Et refertur talis facta reſtitutio *in L. ult. C. eod.* ubi mater ætate minor, quæ filijs tutorem non petierat, reſtituitur, ne privetur ſucceſſione filij morientis in ætate pupillari.

Additur verò, *niſi, ut habeatur pro confeſſo &c.* 103
Quod procedit in illis caſibus, in quibus pœna creſcit propter inficiationem; puta, quòd negans, & convictus teneatur actione dupli, vel quadrupli, ubi confeſſus, vel tranſigens, in ſimplo conveniretur. Hoc enim modo Minor reſtituitur, ut poſt factam anteà negationem habeatur pro confeſſo, vel transacto; ſicque non teneatur niſi ad ſimplum, ſi civiliter convenitur, licèt dolo deliquerit. Textus, Gloſſa & Bartolus *in cit. §. Nunc videndum.*

Reſp. II. Inſuper Minor non reſtituitur con- 104
tra omiſſam, vel remiſſam executionem pœnarū; hoc eſt, quando per ipſum intra tempus à

Jure

Jure ſtatutum omiſſa fuit, vel etiam penitùs remiſſa executio pœnarũ, alteri in ipſum peccanti debitarum. Ita Zoëſius *h.t. ff. n.* 29. & habetur expreſſũ *in l. Auxilium. §.1. ff. de Minorib.* Ubi iſtud exemplificando, ſubjungitur, quòd *injuriarum judicium ſemel omiſſum* (ſive pacto, aut diſſimulatione, ſive anni curſu, ut explicat Gloſſa) *repeti non poteſt* per auxilium reſtitutionis in integrum: & ſimiliter, quòd Minor non ſit reſtituendus, ſi intra ſexaginta dies omiſerit accuſare mulierem adulterij, jure mariti. Accedit ratio: quia hujusmodi res non ad rem familiarem, ſed potiùs ad ultionem pertinet, *l. Sepulchri. 6. ff. de Sepulchro violat.*

§. V.

De effectibus Reſtitutionis in integrum.

SUMMARIUM.

105. *Reſtitutio in integrum poteſt tripliciter conſiderari.*
106. *Beneficium reſtitutionis in integrum, etiam obtinendæ, eſt tranſitorium ad hæredes, & Succeſſores univerſales.*
107. *Et cur non extinguatur cum perſona?* *Eſt magìs reale, quàm perſonale. Ibid.*
108. *Datur tamen aliquod beneficium reſtitutionis in integrum, quod non tranſit ad hæredes.*
109. *Poteſt beneficium reſtitutionis cedi alijs.*
110. *Reſtitutio in integrum obtinenda, ſed nondum petita, an poſſeſſorem rei per eam avocabilis conſtituat in mala fide, adeò, ut hic fructus reſtituere teneatur? Et num. ſeqq.*
111. *Ponitur ſententia affirmativa.*
112. & 113. *Sententia negativa præfertur, & variè probatur.*
114. *Quid, ſi intervenit dolus?*
115. *Solvitur, & retorquetur inſtantia* ex l. In cauſæ. §. Interdum. ff. de Minorib. *pro priori ſententiâ militans.*
116. *Effectus reſtitutionis petitæ, ſed nondum obtentæ, eſt, quòd ſuſpendat executionem ſententiæ. Et num. ſeqq.*
117. *Reſtitutio in integrum quoad effectum ſuſpendendi executionem ſententiæ, æquiparatur appellationi.*
118. *An id procedat etiam poſt petitam ab adverſario executionem ſententiæ?*
119. *Quid, ſi quæſtio ſuper reſtitutione in integrum, altiorem requirat indaginem?*
120. *Aut ſententiæ executio non ampliùs ſit revocabilis?*
121. *Reſtitutionis obtentæ effectus principalis eſt, quòd per eam unusquisque integrum jus ſuum recipiat.* *Etiam iſtud intelligendo de eo, contra quem impetratur. Ibid.*
122. *Minor poſt obtentam reſtitutionem tenetur reddere, quidquid ad eum pervénit.*
123. *Sicut & Eccleſia refundere ſumptus, quos Laici in meliorandis ejus poſſeſſionibus fecerunt.*
124. *Obtentâ per Eccleſiam reſtitutione adversùs transactionem, vel ſententiam, reſtituitur etiam adverſarius ejus ad veterem actionem.*
125. *Dummodò hæc priori ſit connexa.*
126. *Utrùm obtentâ in integrum reſtitutione, v. g. fundi, etiam fructus ejus ſint reſtituendi? Et num. ſeqq.*
127. *Refertur, & probatur ſententia affirmativa.*
128. & 129. *Sententia negativa cum ſuis rationibus adducitur.*
130. *Fructus ex contractu gratuito percepti, ſunt reſtituendi.*
131. *Sicut & fructus poſt petitam ab altera parte reſtitutionem percepti.*
132. *Non item fructus anteà per triennalem poſſeſſionem præſcripti.*
133. *Neque fructus ultimo triennio percepti, ſed jam conſumpti.*
134. & 135. *Quid dicendum de hiſce fructibus nondum conſumptis?*
136. *Reſtitutio in integrum conceſſa Minori, an etiam proſit Majori communem cauſam cum eo habenti?*
137. *Saltem, quando hæc eſt individua.*

105 QUantùm ad effectus reſtitutionis in integrum eſt prænotandum, quòd dicta Reſtitutio poſſit tripliciter conſiderari. I. Ut obtinenda, ſed nondũ petita. II. Ut petita, ſed nondum obtenta. III. Ut jam obtenta. Ne igitur confuſè præſens examinetur Paragraphus, cùm confuſio ſit mater erroris, noverca lucis, nutrix rixarum: operæ pretium eſt, de ſingulis ejus conſiderationibus ſpeciales proponere Quæſtiones; unde

Quæritur I. Quos effectus habeat Reſtitutio obtinenda, ſed nondum petita? Reſp. I. Hujusmodi Reſtitutio cumprimis habet illum effectum, quòd Beneficium reſtitutionis in integrũ ſit tranſitorium ad hæredes, & alios Succeſſores univerſales. Ita Jo. Andreas *in c. Privilegium. n.* 1. & Dynus *ibid. n.* 2. & 5. *de Reg. Jur. in* 6. Menochius *lib.* 1. *Conſil.* 33. *n.* 45. Nicolaus Noalis *de Tranſmiſſione, caſu.* 44. *num.* 1. & *ſeqq.* Jo. Mauritius Bolanus *tom.* 5. *Tractatuum, tract. De Reſti-* 106

Reſtitut. in integrum. cap. 15. n. 1. aſſerens hanc eſſe firmiſſimam Juriſtarum regulam. Patet id ipſum *ex l. Non ſolùm. 6. ff. de Reſtitut. in integr.* ac notat Bartolus *ibid. in Summario.* Idque procedit, etiamſi reſtitutio ex capite minorennitatis competat, & hæres ſive alius ſucceſſor univerſalis ſit majorennis; ut *l. Minor autem. §. fin. ff. de Minorib.* Ubi Ulpianus diſſertis verbis profitetur: *Non ſolùm autem minoribus, verùm ſucceſſoribus quoque minorum, datur in integrum reſtitutio, etſi ſint ipſi majores.* Accedit ratio datæ Concluſionis: quia ipſius Minoris quodammodò intereſt, ut poſt mortem ejus competat hæredibus reſtitutio in integrum ex gravi læſione ſibi factâ; ne alioquin tantò pauperiorem relinquat hæreditatem, quam vix aliquis velit adire.

107 Nec obſtat, quòd beneficium reſtitutionis videatur eſſe perſonale, atque ob imbecillitatem judicij Minoribus conceſſum; privilegium autem perſonale extinguatur cum perſona, juxta *Reg. 7. Juris in 6.* Reſp. enim cum Jo. Andrea, Dyno, Noalis, *ubi ſuprà,* & alijs, dictam Regulam procedere, quando perſona eſt cauſa proxima privilegij concedendi; tunc enim iſtud extinguitur cum perſona: ſecùs, quando perſona, ſeu reſpectus perſonalitatis, eſt ſolùm cauſa remota privilegij, & alia datur cauſa proxima & immediata ipſius. Sic autem fit in propoſito: nam cauſa proxima beneficij reſtitutionis in integrũ nõ eſt perſona Minoris (conceditur enim etiã Eccleſijs, imò quandoq; & Majorẽnibus) ſed gravis læſio bonis ipſius illata: unde hâc non probatâ nõ habet locum reſtitutionis beneficium, etſi conſtet de ætate, ejúsque imbecillitate; perſona quippe Minoris eſt ſolùm cauſa remota illius. Addit Bolanus, *ubi ſuprà, cap. 13. n. 2. & 3.* beneficium reſtitutionis poſſe dici mixtum, ſeu partim reale, partim perſonale, etſi magìs ſit reale, ob rationem proximè allatam: unde non mirum, quòd non extinguatur cum perſona, ſed tranſeat ad hæredes, ſicut tranſeunt alia jura realia.

108 Per hoc tamen negatur, quin detur aliqua reſtitutio in integrum competens ex cauſa merè perſonali, ſicq; ad ſucceſſores non ſit transmiſſibilis: ut eſt privilegium, ac reſtitutio in integrum quoad illud, quòd Pupillus in bonis Tutorum præferatur omnibus creditoribus perſonalibus, *l. Ex pluribus. 43. ff. de Adminiſtrat. tutor.* junctâ Gloſſâ, *℣. Privilegium pupilli:* nam hujus perſona (ut ſubdit textus) *meruit præcipuum favorem.* Idémq; fit in alijs caſibus, in quibus beneficium reſtitutionis competit adversùs aliquod jus non transmiſſibile, ſive conceſſum ex cauſa non transmiſſibili; puta, quia ex ſpeciali favore perſonæ jus illud conceſſum eſt, tunc enim extinguitur cum perſona. Nicol. Noalis *cit. Caſu. 44. n. 23. & Caſu 23. n. 2.* ubi enumerat plura talia jura, ſeu privilegia non transmiſſibilia ad hæredes, eò quòd præſtentur perſonæ, ſicque cum ea extinguantur.

109 Reſp. II. Alius effectus Reſtitutionis in integrũ obtinendæ, ſed nondũ petitæ, eſt, quòd alijs cedi poſſit. Ita Bolanus, *ubi ſuprà. c. 17.* & alij. Ratio eſt: quia reſtitutio in integrũ vel competit ratione doli comiſſi, aut ex actione *Quod metûs causâ;* & tunc patet, quòd per ceſſionẽ in alterũ transferri poſſit, ad inſtar aliarum actionũ, *L. ult. C. de Hæreditate vel Actione venditâ,* junctâ Gloſſâ *fin. ibid.* Vel ea competit ex beneficio ætatis, ut Minorennibus: & etiam hanc reſtitutionis ſpeciem poſſe cedi, colligitur ex *l. Quod ſi minor. §. 1. ff. de Minorib.* ubi Minor negotia Maioris gerens, ac læſus, vel eſt reſtituendus, vel ſi hoc facere recuſaverit, compellendus, ut illi Maiori cedat auxilium reſtitutionis in integrum; & conſequenter hæc poteſt cedi. Concordat textus *in l. Si minori 26. ff. de Adminiſtrat. tutor.* & ibi Gloſſa, *℣. Provocantes.*

110 Quæritur II. Utrùm Reſtitutio obtinenda, ſed nondum petita, etiam hunc operetur effectum, ut illum, qui ſcit, rem per reſtitutionis beneficium à ſe avocabilem eſſe, conſtituat in mala fide; adeò, ut veluti poſſeſſor malæ fidei omnes fructus, non tantùm extantes, verùm etiam conſumptos, reſtituere teneatur, juxta *l. Certum. C. de Rei vendicat.*

111 Reſp. I. In hujus quæſtionis reſolutione variant Doctores, atque in duas extremas abeunt ſententias; uti videre eſt apud Covarruviam *lib. 1. Var. Reſolut. cap. 3. n. 5.* & alios. Et quidem affirmativam ſententiam tenet Imola *in c. Apoſtolicæ, de Donationib.* Felinus *in c. De quarta. n. 34. de Præſcriptionib.* per textum *in l. In cauſæ. §. Interdum. ff. de Minorib.* Verùm his non obſtantibus,

112 Reſp. II. Secluſo quocunque dolo, ſeu deceptione ſcienter commiſsâ, ex hoc ſolùm, quòd quis ſciat, rem per reſtitutionem in integrum avocari poſſe, non cenſetur is in mala fide conſtitui; adeóque fructus percipiendo, ſuos facere non impeditur. Ita Abbas *in c. Quia plerique n. 28.* poſt Innocentium *ibid. de Immunitat. Eccleſiar.* Covarruvias *cit. cap. 3. n. 5.* Engel *h. t. n. 20.* & alij. Ratio eſt: quia contractus bonâ fide (uti ſupponitur) cum Eccleſia vel Minore initus, de jure valet; ergo ita contrahens cum Eccleſia vel Minore, hoc ipſo non impeditur fructus perceptos facere ſuos, neque tenetur contractum ipſemet reſcindere, donec ſequatur per officiũ Judicis reſtitutio in integrum. Probatur conſequentia: tum quia ita contrahens ignorat, utrùm reverà Eccleſia, vel Minor, gravem inde læſionem patiatur (hæc enim primùm eſt probanda) & non potiùs velit inſiſtere facto contractui. Tum quia alioquin ſequeretur, neminem eſſe tutum in conſcientia ob contractum cum Eccleſia vel Minore celebratum, qui poteſt aliquando reſcindi per in integrum reſtitutionem: atqui hoc eſt nimis durum dicere; ergo.

113 Accedit, quòd Jus utrumque poſt lapſum quadriennij deneget locum petendæ reſtitutioni in integrum; atqui hoc non fieret, præſertim per SS. Canones, ſi poſſeſſor ex vi ſolius reſtitutionis in integrum, quæ peti poteſt, teneretur in conſcientia contractum reſcindere, fru-

ctúsque perceptos reſtituere; ſic enim Jus ipſum foveret malam fidem poſſeſſoris. Confirmatur: quia emptor, qui ſcit rem per retrovenditionem eſſe à ſe avocabilem, non idcircò cenſetur in mala fide conſtitutus; idem ergo à ſimili dicendum in propoſito, donec Eccleſia vel Minor jure ſuo utatur, ac reſtitutionem urgeat.

114 Additur notanter num. 112. *Secluſo quocunque dolo &c.* Quia, ubi dolo, vel fraude quâdam interveniente, quis cum Eccleſia vel Minore contraxit, eúmque circumveniendo graviter læſit, ſícque ſciat rem per reſtitutionem in integrum à ſe eſſe avocabilem: quis dubitet, eum eſſe malæ fidei poſſeſſorem, nec fructus poſſe facere ſuos, ſed in Foro conſcientiæ, & non exſpectatâ Judicis ſententiâ, teneri tam ad ipſius rei, quàm fructuum ex ea perceptorum omnimodam reſtitutionem, non minùs, ac fur tenetur rem furtivam unàcum fructibus reſtituere? Verùm hoc non accidit ſolummodò ex capite reſtitutionis obtinendæ per alterum, ſed ratione injuſtæ læſionis, ſcienter ac dolosè in alterum commiſſæ, quæ Jure naturali, atque Divino, ex motivo Juſtitiæ obligat ad reſtitutionem.

115 Et de tali gravi læſione, ſcienter ac dolosè in Minorem commiſſâ, procedit textus *l. In cauſæ. §. Interdum. ff. de Minorib.* pro oppoſita ſententia *num. 111.* allegatus. Quinimò textus ille poteſt retorqueri: ait enim, ſi Minor fundum vendiderit, & tradiderit, & emptor rurſus hunc alienaverit; ſi quidem ſequens emptor ſcienter emerit, ſemper reſtitutionem adversùs eum faciendam: ſecùs, ſi ignoranter, niſi prior emptor non eſſet ſolvendo. Sic quippe JurisConſultus apertè diſtinguit inter bonam, & malam fidem poſſeſſoris, uti notat Covarruvias *cit. cap. 3. n. 2. §. Unde conſtat.*

116 Quæritur III. Quis ſit effectus Reſtitutionis in integrum petitæ, ſed nondum obtentæ? Reſp. Petitio reſtitutionis contra ſententiam, regulariter ſuſpendit executionem latæ ſententiæ. Ita Gloſſa *in c. Suſcitata. 6. ℣. Penſata.* & Abbas *ibid. n. 8. h. t.* cum communi. Idque habetur deciſum *L. un. C. In integrum reſtitutione poſtulatâ, ne quid novi fiat*: quia (ſubjungit Nigrum) omnia in ſuo ſtatu eſſe debere, donec res finiatur, perſpicui juris eſt.

117 Accedit ratio: quia Reſtitutio in integrum quoad effectum ſuſpendendi executionem ſententiæ, æquiparatur appellationi; ut *l. Si cauſæ. 32. C. de Transactionib.* ubi dicitur: *Si causâ cognitâ, prolata ſententia appellationis, vel in integrum reſtitutionis, ſolemnitate ſuſpenſa non eſt &c.* Et l. Præſes. ff. de Minorib. ibi: *Quod enim appellatio majoribus interpoſita præſtat, hoc beneficio ætatis conſequuntur minores.* Atqui appellatio ſuſpendit executionem latæ ſententiæ; ergo idem operatur petitio reſtitutionis in integrum.

118 Et hoc procedere videtur non ſolùm, quando reſtitutio principaliter petitur per viam actionis, ut omnes admittunt; ſed etiam, quando priùs per adverſarium petita fuit executio ſententiæ, & tunc primùm poſtulatur in integrum reſtitutio, & quaſi per modum exceptionis proponitur. Nam Jura allegata abſolutè & generaliter dicunt, per in integrum reſtitutionem impediri executionem ſententiæ: nec etiam per hoc, quòd priùs petita fuit executio, mutatur natura reſtitutionis in integrum; neque ea proponitur ad modum exceptionis, ſed ut extraordinarium Juris remedium aptum natum ad ſuſpendendam executionem nondum factam. Fachinæus *lib. 12. Controverſiarum Juris, cap. 19.* aſſerens, hanc eſſe communiorem ſententiam, etſi non pauci oppoſitum teneant.

Dicitur notanter num. 116. *regulariter.* Nam fallit hoc, quando quæſtio ſuper concedenda reſtitutione in integrum altiorem requirit indaginem, ſimúlque ex conjecturis præſumi poteſt, quòd ea malitiosè tantùm, ad ſuſpendendam videlicet executionem ſententiæ, petatur. Tunc enim fit executio ſententiæ; ita tamen, ut idonea cautio præſtetur reſtitutionem petenti, quòd ſi in cauſa prævaluerit, univerſa unàcum fructibus medio tempore perceptis ipſi reſtituantur. Textus, & DD. *in cit. c. Suſcitata. 6. h. t.* 119

Intellige, niſi forſan ſententiæ executio non ſit ampliùs revocabilis: ut puta, quia vi latæ ſententiæ condemnatus deberet cum infamia relegari, aut in carcerem conjici. Tunc enim executio ſententiæ per petitionem reſtitutionis in integrum ſemper ſuſpenditur, argumento à ſenſu contrario deſumpto *ex cit. c. Suſcitata.* quia videlicet tunc idoneæ cautioni locus nullus ſuppetit. Layman *in d. c. Suſcitata. n. 4.* poſt Baldum *in L. un. C. de Reſtitut. in integr.* 120

Quæritur IV. Quis ſit effectus Reſtitutionis obtentæ? Reſp. Principalis effectus reſtitutionis obtentæ eſt, quòd per eam *unusquisque integrum jus ſuum recipiat*; prout loquitur textus *in l. Quòd ſi minor. §. Reſtitutio. ff. de Minorib.* Ita videlicet, ut non tantùm is, qui eam impetravit, verùm etiã ille, contra quem impetrata fuit, in priſtinũ ſtatum ſuum reponatur; imò etiam ad tertiam perſonam effectus ille ſeſe extendat. Textus, Gloſſa, & DD. *in L. un. C. de Reputationibus.* Nam ſicut juris ratio poſtulat, ut qui reſtituitur, in damno non moretur; ita ſimiliter poſtulat, ne lucrum ex ea quærere præſumat. Leges enim ſubveniunt Minoribus, ne damnum patiantur: non autem, ut cum alterius damno locupletentur. 121

Infertur proinde, quòd Minor (ſicut & Eccleſia) poſt obtentam reſtitutionem in integrum, quidquid anteà ad eum pervenit vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu, hoc debeat reſtituere, *cit. L. un. C. de Reputationib.* Dummodò inde locupletior factus ſit; prout limitat Gloſſa *ibid. ℣. Reſtituere.* & Bartolus *in cit. L. un.* id probans ex *l. Quòd ſi minor. §. Reſtitutio. ff. de Minorib.* 122

Infertur ſecundò, quòd ſi Eccleſia, quæ poſſeſſionibus in Laicos alienatis graviter læſa fuit, impetra- 123

petraverit reſtitutionem in integrum; ipſa præ-
ter pretium à principio ſibi datum, teneatur Lai-
cis illis refundere omnes ſumptus, quos illi bo-
nâ fide fecerunt in dictis poſſeſſionibus, quando
eas ſuo labore, atque expenſis, reddiderunt me-
liores: alioquin enim Eccleſia moraretur in lu-
cro, ipſi autem Laici ſuis impendijs ac laboribus
fraudarentur. Textus, & Gloſſa *fin. in cap.* 1. *h. t.*
Quinimò, quòd conceſſâ jam reſtitutione Eccle-
ſiæ, poſſint ejuſmodi Laici retinere rem, donec
priùs ſibi ſatisfiat tâ de pretio, quàm pro ſump-
tibus & labore, notat Innocentius, & Abbas *in*
cit. cap. 1. *n.* 3. *h. t.*

24 Infertur tertiò, quòd obtentâ per Eccleſiam
vel Minorem reſtitutione adversùs transactio-
nem, vel diviſionem, aut ſententiam, etiam ad-
verſarius ejus reſtituatur ad veterem actionem,
etiamſi hæc per transactionem jam fuiſſet extin-
cta: prout liquet *ex L.* 1. *& 2. C. Si adversùs trans-*
actionem &c. cum ſimilibus.

25 Hoc tamen intellige de actione tali, quæ con-
nexa eſt alteri, ad quam Eccleſia vel Minor re-
ſtituitur; aliàs ſecùs. Sic reſtituta actione Tute-
læ, non reſtituitur contraria, *l. Cùm minor. ff. de Mi-*
norib. juncto Sumario *ibid.* quia non ſunt actio-
nes connexæ ad invicem, cùm poſſit actio Tu-
telæ directa competere Minori, ut tamen nulla
competat contraria Tutori, & econtrà. Simili-
ter, quando per reſtitutionem unum capitulum
ſententiæ reſcinditur, cætera remanent firma, ni-
ſi illi ſint coñexa, *l. Etiamſi patre. §. Ex cauſa. ff. eod.*

26 Quæritur V. Utrùm obtentâ in integrum re-
ſtitutione, v.g. fundi, non tantùm ipſa res prin-
cipalis, verùm etiam fructus ejus ſint reſtituen-
di? Reſp. I. In reſolutione hujus Quæſtionis va-
riant Doctores.

27 Affirmativam quippe ſententiam tenent Ab-
bas *in cap.* 1. *num.* 4. *h. t.* Covarruvias *lib.* 1. *Var.*
Reſolut. cap. 3. *n.* 1. *& ſeqq.* Engel *h. t. n.* 18. *&* 19.
& alij. Probatúrq; hæc ſententia *ex l. Quòd ſi minor.*
§. Reſtitutio. ff. de Minorib. ubi dicitur: *Si in fundo*
vendendo (Minor) *circumſcriptus reſtituitur, jubeat*
Prætor emptorem fundum cum fructibus reddere, & pre-
tium recipere. Concordat textus in *l. Patri pro filio.*
§. Si pecuniam. ff. eod. ubi in ſimili caſu habetur,
quòd *emptor juberi debebit prædia cum fructibus reſti-*
tuere: etiam, quos percipere potuit, ut addit Gloſ-
ſa *ibid.* ℣. *Cùm fructibus.* Confirmatur hoc ipſum
ex Jure Canonico: nam *in cap.* 1. *h. t. & cap. penult.*
de Rebus Eccleſ. non alienand. fructus ex poſſeſſioni-
nibus Eccleſiæ reſtitutis percepti, relinquuntur
Laicis ſolummodò *pro expenſis, & labore ſuo*, quo
poſſeſſiones illas coluerunt, aut reddiderunt
meliores; ergo cæteri fructus ſunt reſtituendi,
argumento à ſenſu contrario deſumpto.

28 Negativam econtrà ſententiâ tenent Layman
in cap. 1. *n.* 8. *h. t.* poſt Molinam *tract.* 2. *de Juſtit.*
tom. 2. *diſp.* 575. Leſſius *lib.* 2. *de Juſtit. & jure. cap.*
17. *dub.* 10. loquens pro Foro conſcientiæ, ac de
rebus contractu oneroſo alienatis, ut puta de
prædio vendito, & poſtmodùm reſtituto: nam
ſi res Minoris, aut Eccleſiæ ſit alienata contractu
gratuito, v. g. donatione, ultrò fatetur, rem cum
fructibus ex eâ perceptis, deductis tamen expen-
ſis, eſſe reſtituendam. Pirhing *h. t. n.* 71. *& ſeqq.* &
nonnulli alij.

Rationem dant: quia fructus ex fundo per- 129
cepti pertinent ad ejus dominum: atqui emptor
poſt perſolutum juſtum pretium, factus eſt do-
minus fundi; ergo. Accedit, quòd in caſu, ubi
fundus juſto pretio fuit emptus, nulla quoad fru-
ctus perceptos videatur læſio facta: nam ſicut
emptor ex fundo, ita venditor ex pretio, nego-
tiando videlicet cum data pecunia, potuit lucrũ
facere; quòd ſi non fecerit, ſuæ negligentiæ im-
putet: Confirmatur: quia *in cit. cap. penult. de Rebus*
Eccleſ. non alienand. omnes fructus fuerunt relicti
Laico emptori; ergo. Nec juvat dicere, fructus
illos eſſe relictos pro ſolo labore. Nam contrà
eſt; quia fructus illi fuerunt tam pingues, quòd
longè exceſſerint ſumptus laboris; utpote qui
pro primo jam anno attigerant ſum̃am capita-
lis ipſius pretij, pro fundo vendito perſoluti. Ta-
centur aliæ rationes.

Reſp. II. In hac ſententiarum varietate, ac pro 130
praxi, cumprimis eſt diſtinguendum inter fru-
ctus ex contractu gratuito, v.g. donatione; &
ex contractu oneroſo perceptos. Illi enim juxta
utramque ſententiam ſunt reſtituendi, eò quòd
Minor, aut Eccleſia, non tantùm ex gratuita alie-
natione ipſius rei, ſed etiam fructuum ejus, gra-
vem ſentiat læſionem. De alijs verò reſtat du-
bium, præſertim ubi à principio juſtum pretium
fuit perſolutum pro re illa (nam ſi ſecùs, ex parte
interveniret contractus gratuitus, ſicque urge-
ret allata ratio, ſaltem juxta proportionem pre-
tij diminuti) ac de iſtis loquendo,

Diſtinguendum eſt ſecundò inter fructus poſt 131
petitam ab altera parte reſtitutionem perceptos,
& inter eos, qui jã anteà fuerant percepti. Priores
enim fructus eſſe reſtituendos, ad minimũ con-
vincunt Jura *n.* 127 allata. Accedit alia ratio: quia
inchoato reſtitutionis proceſſu poſſeſſor reſpe-
ctu rei, ex qua fructus percipit, cenſetur fictione
juris eſſe in mala fide, *arg. l. Sed etſi. §. Etiamſi an-*
te. ff. de Petition. hæredit. Atqui malæ fidei poſſeſſor,
ſicut & quilibet poſt litis conteſtationem, tene-
tur omnes fructus reſtituere, *l. Certum eſt. C. de*
Rei vendicat. ergo. Verùm de fructibus anteà per-
ceptis denuò urget præſens Quæſtio: atque de
his loquendo,

Diſtinguendum eſt tertiò, utrùm fructus illi, 132
bonâ fide (uti ſupponitur) percepti, jam per tri-
ennalem poſſeſſionem fuerint præſcripti, nec
ne. Si primum, concordant Doctores, quòd
non ampliùs ſint reſtituendi: nam bona mobi-
lia privatorum, imò & Eccleſiarum (juxta ſen-
tentiam probabiliorem) cum titulo, & bonâ fi-
de, triennali poſſeſſione uſucapiuntur, *L. un. C.*
de Uſucapion. transform. & Auth. Quas actiones. C. de
Sacroſanct. Eccleſ. ac ſuo loco ampliùs dicetur. Si
poſterius, adhuc remaneat Quæſtio, ſed iterùm

Diſtinguendum eſt quartò, utrùm fructus illi 133
intra triennium ultimum percepti, jam ſint con-
ſumpti, nec ne. Si primum: non ſunt reſtituendi;
ut *l. Sed & loci. §. Poſt litem. ff. Finium regund. & §. Si*

quis à non domino. Inſtitut. de Rerum diviſ. Præſertim, ſi poſſeſſor ipſorum exinde non fuit factus locupletior, §. *Et ſi hæreditas. Inſtitut. de Offic. Judic.* & *l. Item veniunt. ff. Eos autem. ff. de Petition. hæredit.* & alibi.

134 Si ſecundum, videtur, ſententiam affirmativam, & *n.* 127. relatam, eſſe probabiliorem, Jurique magis conformem. Neque obſtant rationes *n.* 129. in contrarium allatæ. Non prima: quia, licèt emptor perſoluto pretio factus ſit dominus fundi, ac fructuum ejus jam perceptorũ: non tamen acquiſivit dominium horum irrevocabile, ſed duntaxat revocabile per reſtitutionem in integrum, ſicut & ipſius fundi. Ad alteram negatur aſſumptum: nam ipſa privatio fructuum, foret magna læſio. Ad probationem ejus dicitur, pecuniam de ſe eſſe ſterilem, ac infrugiferam; Eccleſiæ autem non convenire, ut ſe negotiationibus ſæcularibus implicet. Ad ultimã negatur conſequentia, cum ſua probatione: nam quòd *in cit. cap. penult. de Rebus Eccleſ. non alien.* fructus pro labore relicti fuerint Laico poſſeſſori, textus expreſsè loquitur; unde non expedit, nodum in Scirpo quærere.

135 Per hæc tamen non negatur, quin ſi nemo ſeſe opponat, atque fructus ante petitam in integrum reſtitutionem ultimo triennio perceptos, & necdum conſumptos, judicialiter non exigat; poſſint ijdem pro Foro conſcientiæ retineri, juxta probabilitatem poſterioris opinionis, *num.* 128. adductæ.

Quæritur VI. Utrùm reſtitutio in integrum habeat etiam hunc effectum, ut conceſſa Minori proſit etiam Majori cõmunem cauſam cum eo habenti? Reſp. I. Quando res, ſeu cauſa communis ambobus eſt dividua, tunc reſtitutio, quæ competit Minori, nõ prodeſt Majori. Textus eſt *in L. un. C. Si in communi eadémque cauſâ &c.* Ubi hujus exemplũ ponitur in tranſactione, quæ facta erat ſuper re dividua, ſeu partes ab invicẽ ſeparabiles habente, Minórq; gravẽ inde læſionem patiens impetravit reſtitutionẽ pro parte ſua dimidia: nõ enim idcircò reſtituitur Major pro altera parte dimidia ſibi competente. Ratio eſt: quia beneficiũ reſtitutionis in integrum conceditur Minoribus ob imbecillitatem judicij, ſeu fragilitatem conſilij hujuſmodi ætatis, *L. 1. ff. de Minorib. 25. annis*: atqui hæc ratio ceſſat in Majoribus; ergo. 136

Reſp. II. Quòd ſi verò res, ſive cauſa cõmunis utrique ſit individua, tunc reſtitutio conceſſa Minori prodeſt etiam Majori conſorti. Ita Gloſſa *fin. in cit. L. un. C. Si in communi &c.* & Bartolus ibidem, pro hoc allegans *l. Si communem. ff. Quemadmodum ſervitutes amittantur,* ubi in individuis retinet quis per ſocium, quod per ſe non poteſt. Gloſſa *in cap. ult. de Jurepatronat. in* 6. in ſimili docens, quòd ratione communionis privilegium Clerici tranſeat in Laicum: nam magis dignum trahit ad ſe minùs dignum, *c. Quod in dubijs. de Conſecrat. Eccleſ.* Nicolaus Moronus *Tractatuum tom. 11. part. 1. tract. de Fide, treuga, & pace, quæſt. 37. num. 2. & ſeqq.* citans alios. 137

TITULUS XLII.

De Alienatione judicij mutandi causâ facta.

SUMMARIUM.

1. *Ratio continuationis Rubricarum.*
2. *Alienatio judicij mutandi causâ, quid?*
3. *Edictum de prohibita alienatione judicij mutandi causâ, cur introductum?*
4. *Et qualis actio contra ſic Alienantem oriatur?*
5. *Et quæ contra Emptorem?*
6. *Ut Actio in factum contra alienantem competat, tria requiruntur.*
7. *I. Ut alienatio ſit facta causâ mutandi judicij futuri, & non ejus, quod jam eſt.*
8. *II. Ut hæc dolo malo ſit facta.*
9. *Et unde hoc colligatur?*
10. *III. Ut interſit Actoris, alienationem non eſſe factam.*
11. *Edictum de prohibita alienatione judicij mutandi causâ, etiam habet locum in Actore, qui actionem alteri hâc ratione cedit.*
12. *Corollarium inde deductum.*
13. *Per Reſcriptum Apoſtolicum contra alienantem impetratum, convenitur is, in quem facta eſt alienatio judicij mutandi causâ.*
14. *Solvitur inſtantia.*
15. *Quid de ceſſione, ac emptione Litium, in Jure Canonico ſtatuatur?*

1 POſt remedium Reſtitutionis in integrum, quo ſubvenitur graviter læſis, tum Minoribus, & Eccleſijs, tum etiam Majoribus ex clauſula generali, juſtâ videlicet ſuggerente causâ: ſubjungitur nunc aliud remedium, per quod providetur illis, in quorum præjudicium facta eſt alienatio rei cujuſpiam, causâ futuri judicij mutandi. Hinc

Quæritur I. Alienatio judicij mutandi causâ, quid ſit, & qualis actio, quibúſque concurrentibus requiſitis ex ea competat? Reſp. I. *Alienatio judicij* 2

dicij mutandi cauſâ eſt ea, quæ fit metu litis impendentis, dolo malo in alium potentiorem, aut alterius Fori, transferendo rem illam, ſuper qua quiſpiam litem ſibi movendam ſuſpicatur, ut ſic Actori litem duriorem conſtituat. Ita in re communis; & patebunt ſingula ex dicendis in progreſſu. Licèt enim hæc definitio ſolùm conveniat illi Alienationi, quæ fit per Reum conveniendum, utpote quæ eſt communior: facilè tamen ea poteſt accommodari etiam alteri, quæ fit per Actorem, juxta dicenda *num. 11.*

3 Reſp. II. Edictum de prohibita alienatione mutandi judicij cauſâ, de quo *in ff. & C. h. t.* fuit ex æquitate introductum, ad providendũ damnificatis ex dolo alienantis rem ſuam cauſâ futuri judicij mutandi. Quia enim olim ante judicium cæptum, ſive antequàm res cenſeretur litigioſa, omnibus liberum fuerat, rem ſuam in alium transferre; ex hoc autem nonnulli anſam arripiebant, ex dolo alienandi rem illam, de qua ſibi litem movendam timebant, transferendo ipſam in potentiorem, vel in ſubſidium alieni Fori, ut ſic vel litem penitus ſubterfugerent, vel ſaltem difficiliorem litem futuro Actori conſtituerent. Hinc Prætor ſequendo naturalem æquitatem, ac talibus fraudibus obviando, indixit, quòd taliter læſus poſſit actionem intentare tam contra ſic dolosè alienantem, quàm contra talis rei alienatæ emptorem, ut, quem maluerit, valeat convenire; prout liquet *ex L. un. C. h. t.* & notat Gloſſa *penult. in cap.* 1. *h. t.*

4 Et quidem contra ſic dolosè Alienantem, competit Actori læſo *Actio in factum ad intereſſe*: hoc eſt, ut læſus hâc actione tantum Judicis arbitrio ab alienante conſequatur, quantum ejus interfuit rem alienatam non fuiſſe, ſeu alium adverſarium non habuiſſe; fortè, quia ob diſtantiam ſubſtituti adverſarij quaſdam majores impenſas fecerat, vel aliam incommoditatem ſive damnum rerum ſuarum paſſus erat: debet enim reſtitui in integrum, acſi alienatio facta non fuiſſet. Textus, & DD. *in L. 1. & L.* 3. §. *Ex quibus. ff. h. t.* Gloſſa *loc. cit.* Engel *h. t. n.* 2. Pirhing *eod. num.* 1. & alij.

5 Porrò contra Emptorem, ſive contra eum, in quem ejusmodi alienatio facta fuit, competit Actori læſo *Rei vindicatio*, vi cujus poteſt contra eum agere ad rem illam recuperandam; ut *cap. 1.* juncta Gloſſâ *penult. h. t. & L. un. C. de Alienatione judicij mutandi cauſâ.*

6 Reſp. III. Nihilominùs, ut dicta *Actio in factum* contra Alienantem competat, tria ad ejusmodi alienationem requiruntur. Ita Gloſſa tum *in cap.* 1. *v. Commutationem. h. t.* tum *in L. un. v. Reſtitutio. C. de Alienation. judicij mutandi cauſâ,* & alij. Idque probatur inductione. Et quidem

7 I. Requiritur, ut alienatio facta ſit cauſâ mutandi judicij futuri, & non ejus, quod jam eſt. Patet hoc *ex l. Ex hoc edicto.* §. *Ait Prætor. ff. h. t.* Accedit ratio: quia alienatio rei litigioſæ, eſt ipſo jure nulla, *L. 2. & ſeqq. C. de Litigioſis*: ubi etiam variæ pœnæ contra alienantes, & ementes rem litigioſam, habentur ſtatutæ; ac proinde rei litigioſæ alienatio non indiget præſentis Tituli remedio.

II. Requiritur, ut dolo malo ſit facta talis rei alienatio, *L. 1. ff. h. t.* Unde ſi quis ſine dolo alienet rem cauſâ mutandi judiciũ, aut econtrà dolo malo interveniente rem alienet ſine cauſa tamen mutandi judicium, hæc Actio locum non habet. Textus eſt *in l. Item ſi res.* 4. *ff. h. t.* Et idem à fortiori dicendum, ſi quis ex neceſſitate, aut aliâ juſtâ cauſâ alienet, *l. Non ſolùm. §. Si quis. ff. eod.* Inſuper, ſi alienans paratus eſt defendere, acſi poſſideret, hâc actione non tenetur, *l. Quia etiam. §. fin. ff. eod.* 8

Cenſetur autem dolo malo eſſe facta alienatio cauſâ judicij mutandi; vel ratione loci: ut quia res translata eſt in perſonam extraneam, ſeu alterius Provinciæ, jurisdictionis, aut Fori. Vel ratione perſonæ, ſi nimirum fiat alienatio in aliam perſonam, ſub eodem quidem Judice conſtitutam, ſed potentiorem, & quæ divexatura ſit Adverſarium. Vel denique, ſi alio quovis modo per talem alienationem durior, ſive deterior fiat conditio Adverſarij; prout deſumitur ex *L. 1. & 2. & 3. ff. h. t.* 9

III. Requiritur, ut interſit Actoris, alienationem non eſſe factam: fortè, quia nonnullas expenſas nunc facere tenetur in conſecutione rei alienatæ, quas alioquin facere non debuiſſet; vel quia aliam quandam incommoditatem ab Adverſario ſubſtituto, utpote potentiore, aut magìs remoto, cogitur pati, vel quodcunque damnum etiam extrinſecum ſuſtinere. Textus, & DD. *in L. 1. & l. Quia etiam. §. Ex quibus. ff. eod.* Unde illi, cujus nihil intereſt, alienationem eſſe factã, eò quòd rem alienatam æquè bene poſſit acquirere ab illo tertio, in quem alienata fuit, præſens Actio non competit. 1

Quæritur II. Utrùm Edictum de alienatione judicij mutandi cauſâ, etiam locum habeat in Actore, qui actionem ſuam judicij mutandi cauſâ dolosè alteri ceſſit? Reſp. affirmativè; ut tenet Abbas *cap. 1. n. 6. h. t.* Bartolus *in l. Cùm miles. ff. eod.* id probans per textum ibidem. Pirhing *h. t. n. 1.* & alij. Probatur hoc imprimis ex *cap. 2. h. t.* quod loquitur de Actore cedente actionem ſuam in alium, ut puta, in Clericum, & tamen ponitur ſub hac Rubrica; ergo idem dicendum eſt de Actore, qui per dolum cedit alteri actionẽ in præjudicium Rei (ſervatâ tamen proportione) quod de alienatione judicij mutandi cauſâ proximè declaratum eſt de Reo. Accedit, quòd præſens Rubrica loquatur generaliter *de Alienatione judicij mutandi cauſâ factâ,* non diſtinguens, an hæc fiat per Reum, vel per Actorem; ſicq; Nigrum ſub ea contentum, procedit indiſtinctè de utroque. 1

Infertur proinde, quòd Actor, in quem malitiosè facta eſt ceſſio actionis, vel poſſit exceptione repelli, dicente Reo: Nolo tibi reſpondere, quia tibi malitiosè facta eſt ceſſio actionis, ſed primus cedens, ſi vult, agere compellatur; per textum *in cit. l. Cùm miles. ff. h. t.* juncto Sum- 1

 mario

mario ibidem. Vel, ſi Reus reſpondere velit contra Actorem ceſſionarium (quod eſt in optione Rei) poſſit agere ad intereſſe contra cedentem quoad ea, in quibus hic fecit conditionem ſuam deteriorem; cedendo videlicet actionem ſuam alteri, forſan potentiori, aut magìs diſtantem Judicem accedendo judicij mutandi causâ. Cùm enim Edictum iſtud habeat locum etiam in Actore, malitiosè jura cedente alteri, ut dictum; ergo pariter Reus poteſt agere ad intereſſe contra Actorem, ſicut Actor contra Reum, malitiosè rem ſuam transferentem in alium judicij mutandi causâ. Abbas, *ubi ſuprà, n. 6.*

13 Quæritur III. Quidnam Jure Canonico circa Alienationem judicij mutandi causâ ſpecialiter ſtatutum habeatur? Reſp. Duplicem haberi ſpecialem deciſionem per duo diſtincta Capitula. Primò enim *in cap. 1. h. t.* ſtatuitur, quòd is, in quem facta eſt alienatio rei causâ mutandi judicij, conveniatur per Reſcriptum Apoſtolicum impetratum contra alienantem.

14 Nec obſtat, quòd Reſcripta juſtitiæ non extendantur ad perſonas, de quibus in ipſis non fit mentio, *c. Sedes.* 15. *de Reſcriptis.* Neque etiam juriſdictio delegata ad alias perſonas in Reſcripto non expreſſas prorogari valeat, *cap. P. & G.* 40. *de Offic. delegat.* & alibi. Reſp. enim cum Gloſſa magna *in cit. cap.* 1. *h. t.* id eſſe ſpeciale in præſenti caſu, beneficio hujus Decretalis: aliàs autem verum eſſe, quòd Reſcripta non extendantur ad perſonas in ipſis non expreſſas. Cæterùm ratio ſpecialitatis, cur ita in propoſito ſtatutum fuerit, eſt odium illorum, qui ita dolosè, & fraudulenter faciunt alienationem judicij mutandi causâ. Siquidem fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, *cit. c. Sedes. & c. Ex tenore.* 16. *de Reſcript.* cum ſimilibus.

Deinde *in cap. 2. h. t.* approbantur Leges Civi-
les (*Legitimæ Sanctiones* appellatæ) quibus prohi- 15
bentur ceſſiones, ac emptiones litium, *L. penult. & ult. C. Mandati*; eò quòd hujuſmodi redemptiones litium ex fonte cupiditatis videantur procedere. Præſertim verò Clericis inhibetur ſub cenſuris Eccleſiaſticis, ne causâ mutandi judicium, ſeu adverſarios ad Eccleſiaſticum Forum pertrahendi, Laicorũ actiones ſibi cedi faciant, aut etiã hujuſmodi ceſſionem recipiant. Verùm quod attinet ad ceſſionem, ac emptionem litiũ, videantur dicta ſuperiùs. *Tit.* 37. *de Poſtulando.* §. 2. *num.* 46. *& ſeqq.* ubi de hoc jam actum fuit.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

1. *Ratio ordinis Rubricarum.*

1 POſtquàm hactenus de præparatorijs Judiciorum viſum eſt, meritò de ipſis Judicijs videndum eſſet. Nihilominùs Compilator Juris Canonici pro fine Libri primi Decretalium, & antequàm in ſecundo agat de Judicijs, præmittendum cenſuit Titulum *de Arbitris*: tum ut imitaretur ordinem Juris Civilis, tam in Digeſtis, quàm Codice, priùs agentis de Arbitris, ac de Judicijs. Tũ quia ſuperiùs de officijs diverſorum Judicum, variiſque eorum officium concernentibus actũ fuit; ſicque nunc tractatur de Arbitris, cùm & hi ad inſtar Judicum ad ſedandas controverſias aſſumantur. Tum tandem, quia per arbitria non raro lites terminantur, atque ita ſopiuntur, ut in Judicio contendere non ſit neceſſe.

§. I.

De natura & diviſione Arbitrorum, horũmque differentijs ab Arbitratore & Judice.

SUMMARIUM.

2. *Arbitri vocabulum, varias habet acceptiones.*
3. *Arbiter generatim, quid?*
4. *Et quomodo differat à Compoſitore amicabili?*
5. & 6. *Arbiter ſtrictè, quid? Et num. ſeqq.*
7. *Suſcipit partes Judicis.*
8. *Arbiter quomodo differat ab Arbitratore? Et num. ſeqq.*
Ille aſſumitur ſuper lite, hic ſuper contractu. Ibid.
9. *Arbiter procedit Juris ordine ſervato, non Arbitrator &c.*

10. *Illius*

10. *Illius ſententiæ, etiam iniquæ, ſtandum eſt; hujus autem ſententia reducitur ad arbitrium boni viri.*
11. *Nemo poteſt eſſe Arbiter in re ſua, benè tamen Arbitrator.*
12. *Illius ſententia dicitur* Arbitrium, *ſive* Laudum: *hujus* Arbitramentum.
13. *Arbitrorum duplex eſt genus.*
14. *Arbitri juris, ſeu neceſſarij; &*
15. *Arbitri voluntarij, ſeu compromiſſarij, qui?*
16. *Multiplex inter hos eſt differentia. Et num. ſeqq.*
17. *A ſententia Arbitrorum juris poteſt appellari; non item Compromiſſariorum: & cur?*
18. *Illi habent quandam juriſdictionem.*
19. *Iſti duntaxat notionem.*
20. *Arbitri juris compelli poſſunt ad ſuſcipiendum munus; non ſic compromiſſarij.*
21. *Arbiter, in quibus differat à Judice? Et num. ſeqq. Juriſdictio Arbitrorum juris, an ſit ordinaria, an delegata. Ibid. Et num.* 18.
22. & 23. *Arbitria ſunt redacta ad formam Judiciorum; & quomodo?*
24. 25. 26. 27. 28. & 29. *Multiplex diſcrimen inter Arbitrum, & Judicem, aſſignatur.*
30. *Laudum Arbitri non infamat, benè tamen ſententia Judicis.*
31. *Aliæ differentiæ inter Arbitrum, & Judicem. Remiſſivè.*

2 QUæritur I. Quid ſit Arbiter, & in quo differat ab Arbitratore? Ubi prænotandum, varias eſſe dicti vocabuli acceptiones. Nam quandoque *Arbiter* ponitur pro teſte; ut *Geneſ. cap. 39.* ibi: *Accidit, ut Joſeph operis quidpiam abſque Arbitris faceret.* Interdum quis dicitur *ſuæ rei moderator & Arbiter*, quatenus de ea pro ſuo arbitrio, ſeu libitu, diſponere valet; ut *l. In re mandata. 21. ff. Mandati.* Dicitur etiam quis Arbiter, ſeu diſpoſitor rerum alienarum, *l. Quis tam. C. de Decurionib. lib.* 10. Aliquando Arbiter accipitur pro Judice; ut *l. Quisquis. C. de Poſtulando*, ibi: *Non idem in eodem judicio ſit advocatus, & judex; quoniam aliquem inter arbitros, & patronos oportet eſſe delectum.* Verùm dimiſſis hujusmodi acceptionibus, utpote ad propoſitum noſtrum non attinentibus,

3 Reſp. I. Generatim loquendo, *Arbiter* idem eſt, ac vir bonus, ad aliquod negotium æſtimandum, & terminandum electus. Ita Vallenſis *h. t. §. 1. n. 2.* Engel *eod. n. 1.* & alij. Siquidem *Arbitri* nomen eſt derivatum ab *arbitrando*; id eſt, æſtimando: ſicque in tam lata, atque generali acceptione, etiam convenit Arbitratori, & amicabili Compoſitori.

4 Porrò Compoſitor amicabilis differt ab Arbitratore, ut genus à ſua ſpecie. Nam omnis Arbitrator poteſt dici Compoſitor amicabilis, non econtrà: ſic enim, qui ſua ſpontè, & abſque prævio in ipſum facto compromiſſo, diſcordantes inter ſe componit, & pacificat, rectè dicitur Compoſitor amicabilis; non verò Arbiter, vel Arbitrator, idque defectu compromiſſi. Joannes Baptiſta *Tom. 3. Tractatuum. tract. de Arbitris, cap. 4. n. 1.*

5 Reſp. II. *Arbiter* propriè ac ſtrictè acceptus, & quantùm ad propoſitum, eſt perſona idonea, ſive ex Legis præſcripto, ſive ex partium conventione electa, ut circa controverſiam exortã ſuum judicium pronunciet. Ita Pirhing *h. t. n. 1.* Sannig *eod. tit. cap. 1.* éſtque in re communis.

6 Dicitur primò, *perſona idonea*: quia non quilibet eſt habilis ad officium Arbitri ſubeundum, ut infrà §. 2. *n. 39. & ſeqq.* dicetur. Et additur, *ſive ex Legis præſcripto &c.* ad inſinuandum duplex genus Arbitrorum, quorum aliqui eliguntur ex Legis præſcripto, alij verò ex privata partium conventione; prout ampliùs proximè declarabitur.

Dicitur ulteriùs, *ut circa controverſiam exortam ſuum judicium pronunciet.* Nam Arbiter propriè eſt, *qui Judicis partes ſuſcipit, finémque ſe ſuâ ſententiâ controverſijs impoſiturum promittit*, ut eſt textus notabilis *in l. Idem Pomponius. §. Recepiſſe. ff. de Receptis Arbitris*: haud obſtante, quòd adhuc nonnullæ differentiæ inter Arbitrum & Judicem exiſtent, de quibus infra *num. 23. & ſeqq.* agetur. Non enim Arbiter in citato textu dicitur *Judex*, ſed duntaxat *Judicis partes ſuſcipere*: ad inſtar videlicet Judicis judicium ſuum pronunciando circa exortam controverſiam, ſive litem quandam. 7

Reſp. II. Arbiter differt multipliciter ab Arbitratore. Imprimis enim Arbiter aſſumitur ſuper lite, ſive ad cognoſcendum circa controverſiam ſuper re litigioſa exortam, *arg. l. Non diſtinguemus. §. Quæſitum eſt. ff eod.* Unde etiam ad ſimilitudinem judicij dat ſententiam, ſive arbitrium ſuum, *L. 1. ff. eod.* éſtque proximè dictum. Arbitrator verò ſemper ſumitur ſuper contractu: nã, ubi conſtat de contractu, v. g. ſocietatis, tranſactionis, emptionis &c. Arbitrator aſſumitur, ut videat, quid æquum ſit, ut unus det alteri ex cauſa talis contractûs; vel ut æſtimet pretia rerum aut operarum, ſicque ſuper contractu diſcordantes pacificet cuilibet tribuendo portionem ſuam, quæ ipſum contingit. Abbas *in c. Quintavallis. num. 8. de Jurejurand.* Speculator *tit. de Arbitris. §. Arbiter. num. 3.* Bartolus *in L. 1. §. Et poſt operis novi. num. 1. ff. de Operis novi nunciat.* Et quamvis Arbitrator quandoque in litibus, citra formam judicialem definiendis, videatur locum habere, *arg. Auth. Si verò contigerit*, junctâ Gloſſâ *ꝟ. Compoſitionem. C. de Judicijs*: tamen re verâ etiam tunc intervenit contractus, ſaltem finiendus, ut loquitur Abbas *loc. cit.* Cùm arbitrator ille aſſumatur ſuper contractu tranſactionis ineundæ, imò ipſum arbitramentum ſit quædam tranſactio. Gloſſa notabilis *in Auth. Ut differentes judices. ꝟ. Conventum. Collat.* 9. Joan. Baptiſta *cit. Tom. 3. Tractatuum, tract. de Arbitris, cap. 2. num. 2.* cum alijs. 8

Diſ-

9 Differt ſecundò Arbiter ab Arbitratore, quòd ille debeat procedere Juris ordine ſervato; ſuſcipit enim in ſe partes Judicis. Arbitrator econtrà non tenetur ſervare Juris ordinem, ſed extrajudicialiter, atq; ex æquo & bono rem componit. Inſuper officium Arbitratoris regulariter omnes ſuſcipere poſſunt; non item officium Arbitri: nam ab hoc, propter ſolemnitatem judiciariam ab Arbitris obſervandam, repelluntur fœminæ, & quidem alij, de quibus infrà §.2. *n.* 39 *&* 41.

10 Rurſus ſententiæ Arbitri compromiſſarij ſtandum eſt, ſive æqua ſit, ſive iniqua, *l. Diem proferre. §. Stari. ff. h.t.* Sibi enim imputet, qui eum elegit. Sententia verò Arbitratoris propter quãcunque gravem læſionem, quam pars læſa probaverit, reducitur ad arbitrium boni viri, *l. Societatem. §. Arbitrorum. & L. ſeqq. ff. Pro ſocio. & c. Veniens. 16. de Jurejurand.* cum concordantijs, per Speculatorem *cit. num.* 3. adductis.

11 Differunt ulteriùs: quia non poteſt quis eſſe Arbiter in re ſua, *l. Si de re. ff. h.t.* Benè tamen poteſt quis eſſe Arbitrator in propria re, ſeu offenſa, dummodò juſtè arbitretur; alioquin enim itur ad arbitrium boni viri, *l. Si cum ea. C. de Dotis promiſſion.* Speculator *tit. de Arbitris. §. Poteſt eſſe. n. 7.* Abbas *in d. c. Quintavallis, n.* 10. *de Jurejurand.*

12 Differunt tandem, ut taceantur plures aliæ differentiæ, quarum viginti duæ afferuntur ab Abbate *in cit. c. Quintavallis, num. 8. & ſeqq.* Quia ſententia Arbitri propriè dicti, ſeu Juris ordine ſervato procedentis, proprio nomine dicitur *Arbitrium*, ſive *Laudum*: econtrà ſententia Arbitratoris ſolet appellari *Arbitramentum*.

13 Quæritur II. Quotuplex ſit genus Arbitrorum, quæque inter hos differentia? Reſp. I. Arbitrorum duplex eſt genus, videlicet Arbitrorum juris, ſeu neceſſariorum; & Arbitrorum voluntariorum, ſeu compromiſſariorum. Textus eſt *in l. Societatem. 77. ff. Pro ſocio.* eſtque communis. Et quidem

14 *Arbitri juris* (qui & *neceſſarij* appellantur) ſunt illi, qui ex neceſſitate, ſeu ex præſcripto Legis, à Judice vel à partibus conſtituendi ſunt; de quibus in Jure varia exempla habentur; ut *c. Suſpicionis. 39. de Offic. Delegat. & c. De arbitris. 11. eod. in* 6. ubi ad cauſam recuſationis Judicis ſuſpecti dijudicandam jubentur arbitri eligi. Itẽ, ſi diverſi Judices ſuper revocatione Litterarum Apoſtolicarum diſcordant, arbitri à partibus eligi debent, qui de hoc puncto cognoſcant, *c. Paſtoralis. 14. de Reſcriptis.* Similiter, ſi Epiſcopus cum Clerico ſubdito controverſiam habeat, ea per arbitros utriusque partis conſenſu electos terminanda eſt, *can. Si Clericus. 11. q. 1.* Tacentur alia hujusmodi exempla, de quibus ſuo loco.

15 *Arbitri voluntarij*, ſeu *compromiſſarij*, econtrà dicuntur illi, qui ex libera partium conventione, ſeu compromiſſo conſtituuntur. Unde & *voluntarij* appellantur, quia ex nulla Juris neceſſitate, ſed ex privatâ duntaxat partium voluntate aſſumuntur: *Compromiſſarij* verò, quia ex concordi partium compromiſſo eliguntur.

16 Reſp. II. Inter Arbitros juris ſeu neceſſarios, & inter voluntarios ſive compromiſſarios, multiplex eſt diſcrimen. Gloſſa *in c. Suſpicionis. 39. ℣. Ad quos omnia.* & Abbas *ibid. n. 7. ac ſeqq. de Offic. Delegat.* & communis; idque patet inductione. Siquidem, ut taceatur illa differentia, quæ ex definitione utriusque habetur, videlicet, quòd illi neceſſariò, ſeu ex Legis coactione; hi verò ex mera partium conventione, ſeu libera harum voluntate aſſumantur.

17 Differunt imprimis: quia à dicto, ſive ſententia Arbitrorum juris, ſeu neceſſariorum poteſt appellari; ut *c. Ab arbitris. 11. de Offic. Delegat. in 6.* junctâ Gloſſâ *fin. ibid.* Econtrà à dicto Arbitrorũ compromiſſariorum non appellatur; *L. 1. C. h. t.* ibi: *Ex ſententia arbitri ex compromiſſo jure perfecto aditi, appellari non poteſt.* Concordat *can. à Judicibus. 2. q. 6.* & Gloſſa proximè citata, ſic concordans jura juribus. Et meritò: quia illi neceſſitate Legis, ſeu Judicis coacti, tenentur in arbitros compromittere; unde æquum eſt, ut ab eorum ſententia appellare poſſint, quando in ſeſe gravatos ſentiunt. Secus eſt in Arbitris compromiſſionis, utpote qui non neceſſitate, ſed merâ compromittentium voluntate aſſumuntur; unde ſibi imputet, qui omiſſo Judice competenti voluit adire Arbitrum, ſi dein læſus fuit.

18 Deinde differunt: quia Arbitri juris, ſeu neceſſarij, habent jurisdictionem, & quandam coërcitionem: nam à Lege datur ipſis poteſtas ad expedienda omnia, quæ ſunt neceſſaria ad cauſam definiendam; ut citare partes, teſtes compellere, eósq; examinare, ac punire, ſi ſint inobedientes, *cit. c. Suſpicionis. de Offic. Delegat.* Ubi Gloſſa *℣. Ad quos omnia,* horum Arbitrorum jurisdictionem appellat *quaſi ordinariam*: quæ dictio *quaſi* minuit, & indicat, dictam Arbitrorum neceſſariorum jurisdictionem non eſſe merè ordinariam, cùm hanc ipſi non habeant, niſi in certo caſu: nec merè delegatam, quia Princeps eos non elegit, ſed conſenſus partium Jure ſic volente: ac proinde eſſe quaſi mixtam ex utraque. Quamvis magis ipſorum jurisdictio videatur accedere ad delegatam, quàm ad ordinariam, *arg. cit. c. Suſpicionis. de Offic. Delegat. & c. Ab arbitris. eod in* 6. utpote quæ duo Capitula tractant de iſtis Arbitris juris, & tamen ſunt collocata ſub *Tit. de Officio Delegati*, & non ſub *Tit. de Officio Ordinarij*: valet enim argumentum à ſituatione Rubricæ, ut dictum *in Proœmio, §. 6. n.* 103. *& ſeqq.* Abbas *in cap. ult. n. 21. & 22. de Sentent. & re judicat.* citans Jo. Andream.

19 Econtrà Arbitri voluntarij, ſeu compromiſſarij, nullam habent jurisdictionem, neque coërcitionem, ſed tantùm cognitionem, ſeu notionẽ quandam, *l. Aut Prætor. ff. de Re judicat.* ac notat Abbas *in c. Cùm dilectus. n. 3. h. t.* Hi enim totam poteſtatem à partibus compromittentibus accipiunt: privati autem non poſſunt conferre jurisdictionem, *l. Privatorum. C. de Jurisdiction. omn. judic.* Unde Arbitri compromiſſarij nõ poſſunt teſtes compellere ad comparandum, nec eos delinquen-

quentes punire, neque partibus coram ſe litigantibus imperare, aut eorum contumaciam punire, niſi quatenus ipſæ per compromiſſum ſpontè ſe obligârunt. Gloſſa *in d. c. Cùm dilectus.* ℣. *Niſi de his. h. t.*

20 Tertiò differunt: quia Arbitri juris compelli poſſunt ad ſuſcipiendum hoc munus, etiam in virtute obedientiæ, *c. Cùm ſpeciali.* 61. *de Appellat.* ac notat Gloſſa *in c. Suſpicionis.* ℣. *Ad quos omnia. de Offic. Delegat.* Sed Arbitri compromiſſarij non poſſunt compelli ad acceptandum munus iſtud, *l. Labeo.* 3. §. *Tametſi. ff. h. t.* ubi expreſsè dicitur, quòd ab initio nemo cogitur arbitrium ſuſcipere (*quoniam hæc res libera & abſoluta eſt, & extra neceſſitatem jurisdictionis poſita*) quamvis poſt ſuſceptũ compromiſſũ cogatur quis illud explicare. Ratio diverſitatis eſt: quia priores aſſumuntur ex neceſſitate Legis, habéntque jurisdictionem: nõ ſic poſteriores. Tacentur aliæ differentiæ, de quibus Gloſſa *in cit. c. Cùm dilectus.* ℣. *Niſi de his, eod.* & alij.

21 Quæritur III. An, & in quibus Arbiter differat à Judice? Reſp. I. Quamvìs Arbiter, præſertim neceſſarius, non multùm differat à Judice, propriè tamen non eſt Judex, nec ordinarius, nec delegatus, ſed ad ſimilitudinem Delegati. Ita Gloſſa *in c. Suſpicionis.* ℣. *Ad quos omnia, de Offic. Delegat.* dicens, quòd jurisdictio Arbitrorum juris ſit *quaſi ordinaria*: ſicque indicat, quòd non ſit mera ordinaria; nam dictio, *Quaſi*, minuit. Abbas *in d. c. Suſpicionis. num.* 9. Card. Tuſchus *Litt. A. Concl.* 457. *n.* 7. poſt Baldum *Conſil.* 90. *lib.* 1. & concordant dicta ſuperiùs *num.* 18.

22 Cæterùm, quòd Arbiter non multùm differat à Judice, probatur ex eo: quia arbitria ſunt redacta ad formam judiciorum, *L.* 1. *ff. h. t.* & conſequenter inter Arbitrum & Judicem nec eſt identitas, nec magna differentia. Accedit, quòd Arbiter juris, ſeu neceſſarius, ad inſtar Judicis, habeat jurisdictionem, & coërcitionem quandam, *cit. c. Suſpicionis*, junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Ad quos omnia.* Poſsítque ab eo appellari, non minùs, ac à Judice, *c. Ab arbitris. de Offic. Delegat. in* 6. Quinimò, quòd arbitria & judicia ſint ſimilia in omnibus, in quibus diſſimilitudo non reperitur expreſſa, notat Speculator *tit. de Arbitris.* §. *Differt. n.* 15.

23 Reſp. II. Quamvis arbitria ſint redacta ad formam, ſeu ſimilitudinem judiciorum, *cit. L.* 1. *ff. h. t.* id tamen non procedit quoad omnia, ſed ſolùm tunc, ubi aliud non reperitur ſpecialiter expreſſum. Ita Gloſſa *in cit. L.* 1. *ff.* & Abbas *in c. Cùm dilectus. num.* 2. *& ſeqq. h. t.* & alij paſſim, id probantes ex pluribus differentijs, quæ dantur inter Judicem, & Arbitrum; ſicque ulteriùs probant, hunc propriè non eſſe judicem ordinarium, nec delegatum.

24 Primò ſiquidem Arbiter compromiſſarius non habet jurisdictionem, ſed quandam notionem duntaxat, *l. Ait Prætor. ff. de Re judicat. & l. Privatorũ. C. de Jurisdict. omn. judic.* eſtq; dictum ſuprà *n.* 19. Et licet Arbiter juris, ſeu neceſſarius, quandam habeat jurisdictionem, ut proximè dictum: nihilominùs hanc non habet niſi in certo articulo, ſuper quo eligitur. Secùs eſt in Judice, prout aliunde liquet.

25 II. Judex poteſt ſententiam ſuam executioni mandare, *c. Quærenti.* 26. *de Offic. Delegat.* cum ſimilibus. Econtrà arbiter ſuum arbitrium, ſive Laudum, exequi non poteſt; ſed pro executione ejus recurrendum eſt ad Judicem ordinariũ ipſius Rei, *l. Cùm anteà. C. h. t.* & firmat Baldus *ibid.* & Abbas *in c. Pertuas. n.* 1. *h. t.* Speculator *loc. cit. n.* 3. Gailus *lib.* 1. *Practic. Obſervat.* 1. *n.* 6. citans alios.

26 III. Arbiter compromiſſarius (ſecùs in neceſſario, ſeu Arbitro juris, *cit. c. Suſpicionis. de Offic. Delegat.*) non poteſt punire contumaces, nec teſtes cogere, eò quòd jurisdictionem non habeat; niſi in compromiſſo hoc actum fuerit. Gloſſa *in c. Cùm dilectus.* ℣. *Niſi de his.* & Abbas *ibid. n.* 12. *h. t.* Judex econtrà poteſt utrumque.

27 IV. Judex poteſt dari invitus, *l. Munerum.* 18. §. *Judicandi. ff. de Minorib.* cum concordantijs ibidem per Gloſſam adductis. Non ſic Arbiter compromiſſarius: quia nemo invitus cogitur arbitrium ſuſcipere, licèt illud ſemel ſuſceptum cogatur explicare, *l. Labeo* 3. §. *Tametſi. ff. h. t.*

28 V. Judicium redditur etiam in invitum, *l. Inter ſtipulantem.* §. *Si Stichum. ff. de Verbor. obligat.* Secùs dicendum eſt de arbitrio, *arg. cit. c. Labeo.* §. *Tametſi. ff. h. t.* Nam, ſicut nemo cogitur eſſe Arbiter compromiſſarius, ita & hunc non tenetur admittere invitus.

29 VI. Reconventio non habet locum coram Arbitro, utpote qui non poteſt judicare, niſi de his tantùm, ſuper quibus in ipſum extitit compromiſſum: benè tamen coram Judice locum habet reconventio. Textus, & DD. *in c. Cùm dilectus.* 6. *h. t.*

30 VII. Laudum arbitri non infamat condemnatum: quia non per omnia, ſententia eſt, *l. Quid ergo.* §. *Ex promiſſo. ff. De ijs qui notantur infamia*: junctâ Gloſſâ *ibid.* ℣. *Non infamat.* Sententia verò Judicis ſuper delicto famoſo lata infamat, *L.* 1. *& ſeqq. ff. eod.* cum ſimilibus.

31 VIII. A ſententia Judicis conceſſum eſt appellare, *tot. Tit. de Appellat.* non item à ſententia, ſeu Laudo Arbitri compromiſſarij, utpote merâ voluntate propriâ à partibus electi; eſtque dictum ſuprà *n.* 17. Tacenter aliæ complures differentiæ, de quibus Speculator *in cit. tit. de Arbitris.* §. *Differt.* & alij paſſim.

§. II.

De illis, qui compromittere in Arbitros, vel Arbitri eſſe poſſunt.

SUMMARIUM.

32. *Generatim loquendo poſſunt compromittere in arbitros, qui habent liberam rerum adminiſtrationem: aliàs ſecùs.*
33. & 34. *Idq; declaratur exemplis.*
35. *Quando tamen compromiſſum celebratur in forma alienationem inducente,*
36. *In ſpecie compromittere in arbitros nequit Pupillus, Minor habens Tutorem, ſervus.*
37. *Quid de Religioſo, & Clerico?*
38. *Arbitri eſſe poſſunt omnes, qui non reperiuntur prohibiti.*
Edictum de arbitris eſt prohibitorium. Ibid.
39. *Arbiter eſſe nequit Furioſus, Mutus, Surdus, Pupillus, Minor viginti annis.*
40. *Quid de Religioſo?*
41. *Fœmina non poteſt eſſe Arbitrix.*
42. *Exceptis certis caſibus.*
43. *Benè tamen Arbitratrix.*
44. *Laicus in cauſa ſpirituali, an poſſit eſſe arbiter?*
45. *Et quid de cauſis civilibus Clericorum?*
46. *Differentia inter prorogationem jurisdictionis Laici in Clericum, & inter compromiſſum hujus in ipſum.*
47. *In Judicem poteſt compromitti tanquam in arbitrum.*
48. *Solvitur notabilis inſtantia* ex l. Sed etſi. ff. h. t.
49. *Poteſt compromitti in unum, duos, vel plures arbitros.*
50. *Conſultius tamen eſt, ut impari numero aſſumantur.*
51. *Et tunc ſtatur ſententiæ majoris partis concordantis.*
52. & 53. *Quid, ſi ipſi omnes diſcordent in taxanda aliqua quantitate?*
54. *An valeat compromiſſum, taliter in duos factum, ut, ſi ipſi diſcordent, adjungant ſibi tertium?*
55. *Saltem, quando poſteà concordant in adjungendo illo tertio?*
56. 57. & 58. *Ponuntur, ac explicantur Jura in contrarium militantia.*
Arbiter, an poſſit vices ſuas alteri delegare? n. 57.

32 QUæritur I. Qui poſſint compromittere in Arbitros? Reſp. I. Generatim loquendo, illi poſſunt compromittere in Arbitros, qui habent liberam rerum adminiſtrationem: qui autem alienare, ſeu liberè de re diſponere nequeunt, nec circa eã compromittere in arbitros poſſunt, quando celebratur compromiſſum in forma, quæ alienationem inducat. Ita deſumitur ex *c. Cùm tempore*, ubi Abbas *num.* 3. & Barboſa *in Collectan. n.* 2. *h. t.* Pirhing *h. t. n.* 10. & alij. Nam hoc ipſo, quòd ex tali compromiſſo poſſit ſequi alienatio, ſicut hæc ſupponitur eſſe prohibita & invalida, ita & illud; juxta Reg. 84. Juris in 6. *Cùm quid unâ via prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.*

33 Sic *in cit c. Cùm tempore. h. t.* habetur, quòd Abbas cum Conventu poſſit quidem compromittere in arbitrum circa ea, de quibus diſponere poſſunt: non tamen circa illa, quæ concernunt libertatem, ſeu exemptionem ipſius Monaſterij; cùm huic, etſi ſpontè velint, de jure nequeant ſine licentia Summi Pontificis renunciare.

34 Similiter *in l. Non ſolùm. C. de Prædijs Minor.* ſicut non poſſunt per venditionem prædia pupillorum alienari, ita nec ſuper eis poteſt tranſigi. Atqui compromiſſum æquiparatur tranſactioni, *c. Per tuas. 9. h. t.* ibi: *Compromittere poſſet, vel tranſigere ſuper eo*; ergo.

35 Additur notanter num. 32. *Quando compromiſſum celebratur in forma, quæ alienationem inducat.* Nã ſecùs dicendum, ſi alienatio rei prohibitæ inde non inducatur, ſed pars ſuccumbens ſolummodò teneatur ſolvere pecuniam alteri parti: quia valet tale compromiſſum (dummodò aliud non obſtet) licèt res ipſa alienari non poſſet. Abbas *in cit. c. Cùm tempore. n.* 3. *h. t.*

Reſp. II. In ſpecie loquendo, compromittere nequit Pupillus ſine Tutoris authoritate, niſi fidejuſſerit, à quo pœna peti poſſit, *l. Si pupillus. 40. ff. h. t.* Idem dicendum de Minore habente Curatorem, *l. Labeo*, junctâ Gloſſâ, *ÿ. Commiſſæ. ff. h. t.* Tertiò, compromiſſum à Servo factum non tenet, *l. Non diſtinguemus. §. Si ſervus. ff. eod.* Neque Procurator poteſt compromittere ſine ſpeciali mandato Domini, *c. Per tuas.* & Abbas *ibid. n.* 2. *h. t.* 36

Inſuper Religioſus nequit compromittere in arbitrum abſque licentia ſui Superioris, quamvis habeat adminiſtrationem. Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 7. Ubi inter alia hoc ipſum docet de Clerico quoad perpetuum præjudicium faciendum Eccleſiæ, cui præeſt; licèt quoad modicum damnum, ut puta de fructibus, ſeu in quantùm donare poſſet, ſicut & quoad bona ſua patrimonialia indiſtinctè, teneat ejus compromiſſum. Tacentur alij, de quibus idem Hoſtienſis *n.* 6. & 7. ac Pirhing *h. t. n.* 11. 37

Quæritur II. Qui poſſint, vel non poſſint eſſe Arbitri? Reſp. I. Generatim loquendo omnes poſſunt eſſe Arbitri, qui non reperiuntur ſpecialiter 38

liter prohibiti. Deſumitur hoc *ex l. Labeo. 3. §. fin. & ſeqq. ff. h. t.* Ubi ſubjungitur, quòd poſſint in Arbitros aſſumi cujuſcunque Dignitatis perſonæ. Item filiusfamilias. *l. Sed et. & l. Quin etiam. ff. eod.* Et tã Ingenuus, quàm Libertinus, ſive integræ famæ ſit, ſive infamis: non tamen Servus, *l. Pædius. 7. ff. eod.* Concordat textus *in can. Infames. §. Cognitores. 7. quæſt. 3.* Nam Edictum de arbitris eſt prohibitorium, certarum videlicet perſonarum; ſicut & Edictum de judicibus, *l. Cùm prætor. 12. ff. de Judicijs.* eò quòd arbitria ad ſimilitudinem judiciorum ſint redacta, *L. 1. ff. h. t.* Unde quicunque non prohibetur expreſse, per conſequentiam admittitur, *cit. l. Cùm prætor. & c. Cùm apud. 23.* junctâ Gloſſâ, *℣. Prohibitorium. de Sponſalib.*

39 Reſp. II. Loquendo magìs in ſpecie, Furioſus, Mutus aut Surdus, ſicut & Pupillus, non poteſt eſſe Arbiter compromiſſarius, *l. Sed etſi. 9. ff. h. t.* Idémque dicendum de minore viginti annis, *l. Cùm lege. 46. ff. eod.* Niſi forſan talis ſit, qui de jure communi, aut conſuetudine habeat jurisdictionem, ſeu poteſtatem judicandi: quia tunc validè poterit in ipſum compromitti. Gloſſa *in d. l. Sed etſi.* citans Bartolum; & habetur ſimile *in c. Dilecti. 4. h. t.* Porrò in majorem viginti annis poteſt quidem compromitti: ſi tamen is ſit minor viginti annis, & temerè compromiſſum acceptando, ſeu arbitrium pronunciando læſus fuerit, reſtituitur in integrum, *cit. l. Cùm lege. §. fin. ff. h. t.*

40 Reſp. III. Religioſus privatus nequit eſſe Arbiter compromiſſarius, niſi id expoſcat ſui Monaſterij utilitas, & Prælati conſenſus accedat. Ita Durandus *tit. de Arbitris. §. Sequitur. n. 29. & 30.* Engel *h. t. n. 6.* Sannig *eod. cap. 2. n. 3.* & alij. Deſumitur hoc *ex can. De præſentium. & can. Monachi. 16. q. 1.* eſtque in ſimili jam dictum ſuprà *Tit. 38. De Procuratoribus. §. 2. n. 48.*

41 Reſp. IV. Fæminæ non poſſunt eſſe arbitri, ſeu arbitrices. Textus, & DD. *in L. ult. C. h. t.* ubi iſtud intelligitur de quibusvis mulieribus, licèt ſummæ atque optimæ opinionis conſtitutæ ſint. Ipſæ enim ab omnibus civilibus, & publicis officijs remotæ ſunt, *l. Fæminæ. 2. ff. de Regul. Juris.* Et cùm arbitria ſint redacta ad inſtar judiciorum, ſicut mulier non poteſt judicare, ita nec arbitrari.

42 Intellige, niſi Mulier ſit talis, quæ in majori dignitate conſtituta habet poteſtatem judicandi, *c. Vereor. 8. q. 1. & c. Dilecti. 4.* & Abbas *ibid. n. 1. h. t.* Vel niſi terræ conſuetudo, utpote derogans Juri communi, aliud teneat, *d. c. Dilecti. h. t.* Durandus *cit. tit. de Arbitris. §. Poteſt. n. 1.* Engel *h. t. n. 6.* & alij.

43 InſuperConcluſio eſt intelligenda de arbitrio propriè dicto; ſecùs eſt in arbitramento. Quia compromiſſum in mulierem, tanquam in arbitratricem, ſeu amicabilem compoſitricem, benè poteſt mulier acceptare, ſicque partes pro bono & æquo componere. Caſus eſt *in c. Quintavallis. 23. de Jurejurand.* & notat Abbas *in cit. c. Dilecti. n. 2. h. t.* Durandus, *ubi ſuprà*, & alij. Siquidem coram arbitratore non eſt judicium, ſed proceditur extrajudicialiter; ac proinde hîc ceſſat ratio in Concluſione allata.

Quæritur III. Utrùm Laicus in cauſa ſpirituali, & Judex reſpectu cauſæ coram eo agitatæ, poſſit eſſe Arbiter? Reſp. I. In cauſa ſpirituali nequit Laicus eſſe arbiter principaliter, *c. Contingit. 8. h. t.* & DD. *ibid.* Niſi accedente authoritate, ſeu juſſu Papæ ſolius; ut limitat Gloſſa *in c. Decernimus. ℣. Non præſumant. de Judicijs.* & Abbas *in cit. c. Contingat. n. 1. & 3. h. t.* Poteſt tamen accedente authoritate Judicis Eccleſiaſtici Laicus conjunctim cum Clerico aſſumi ad arbitrandũ de jure ſpirituali; valétque Laudum ab ipſis prolatum. Textus eſt *in c. Per tuas. 9.* & tradit Barboſa *ibid. n. 3. h. t.* Covarruvias *cap. 34 Practicar. Quæſtion. n. 1.* & alij ab his copiosè citati. 44

Dicitur notanter, *in cauſa ſpirituali.* Nam, quòd in cauſis civilibus Clericorum, ſeu ſuper rebus temporalibus ipſorum, poſſit compromitti in Laicos etiam à Clericis; notat Vallenſis *h. t. §. 3. n. 3.* id probans *ex c. Dilecti. 4 h. t* Ubi Abbas *num. 8.* poſt Hoſtienſem, & Jo. Andream, addit, iſtud fieri poſſe etiam ſine authoritate Superioris Eccleſiaſtici; ut colligitur *ex c. Contingit. 8.* argumento à ſenſu contrario deſumpto, & *ex c. Expoſita. 11. h. t.* 45

Nec obſtat, quòd Clericus non poſſit prorogare jurisdictionem Laici in ſe, *c. Significaſti. 18. de Foro competent.* Reſp. enim, diſparitatē eſſe: quia in prorogatione Clericus ſubjiceret ſe jurisdictioni Laici; quod præjudicat privilegio Clericali, ac ne quidem authoritate Epiſcopi fieri poteſt, per textum, & DD. *in cit. c. Significaſti.* Secùs fit in compromiſſo in Laicum ut arbitrum: quia Arbiter non habet jurisdictionem, ſed notionem quandam, *l. Ait prætor. ff. de Re judicat.* ac proinde Clericus compromittens in arbitrum, non ſe ſubjicit jurisdictioni Laici contra privilegium Fori Eccleſiaſtici. 46

Reſp. II. Poteſt in Judicem compromitti tanquam in arbitrum, etiam reſpectu cauſæ coram ipſo agitatæ; dummodò id fiat à partibus ſponte, & non jubente eodem Judice. Ita Gloſſa *in c. Cùm tempore. ℣. Magdeburgenſ.* & Abbas *ibid. n. 1. h. t.* id colligentes ex caſu dicti Capituli. Vallenſis *h. t. §. 3. n. 4.* Sannig *eod. cap. 2. num. 2.* & plures alij; quamvìs nonnulli oppoſitum teneant, ſaltem loquendo de Jure Civili. Concluſio hæc, quæ procedit tam de Judice ordinario, quàm delegato, deſumitur *ex c. Cauſam quæ. 8. de Elect. & cit. c. Cùm tempore. h. t.* & adhuc clariùs *ex c. Cùm olim. 7. h. t. & c. Litteras. 14. de Præſumptionib.* ubi tales caſus referuntur, ſicque Concluſionem, ſaltem ſpectato Jure Canonico, reddunt propemodùm indubitatam, quam etiam tuetur Pirhing *lib. 1. tit. 43. §. 2. n. 13.* 47

Dices. In *l. Sed etſi. 9. §. 2. ff. h. t.* dicitur: *Si quis judex ſit, arbitrium recipere ejus rei, de qua judex eſt, inve ſe compromitti debere, prohibetur Lege Juliâ &c.* Reſp. Iſtud eſſe quidem præcipuum fundamentum eorum, qui vel abſolutè docent, non poſſe in Judicem compromitti ut in arbitrum, ſed ſolùm 48

lùm ut in arbitratorem; ut Gloſſa *in d. l. Sed etſi.* ℣. *Invé ſe. ff. h. t.* vel ſaltem volunt, aliud quoad propoſitum eſſe de Jure Canonico, & aliud de Jure Civili. Illinc nihilominus ſolummodò haberi, quòd Judex non poſſit jubere partibus, ut in ſe compromittant; prout etiam limitat altera pars noſtræ Concluſionis: non autem, quin partes ſpontè poſſint ejus arbitrio ſeſe ſubmittere, atque Judex illud in ſe recipere & exequi. Quia enim clarum eſt, ſpectato Jure Canonico poſſe à partibus ſpontè compromitti in Judicem ut in arbitrum, fortè pro faciliori celeriorique expeditione cauſæ: hinc in citato textu ly, *inve ſe*, intelligendum eſt, non disjunctivè, ſed copulativè; ut hac ratione Jus Civile dubium, declaretur per Jus Canonicum certum, conformiter dictis in Prooemio §. 13. *num.* 125. *& ſeqq.* Nam, quòd in Jure ſæpiùs copulativa reſolvatur in disjunctivam, & disjunctiva in copulativam, textus eſt *in l. Sæpè. ff. de Verb. ſignif. & l. Cùm quidam. C. eod.* Abbas *in cit. c. Cùm tempore. n. 5. & 6. h. t.*

49 Quæritur IV. In quot Arbitros compromitti poſſit, & debeat? Reſp. I. Etſi ritè compromittatur in unum, vel plures, pari vel impari numero; Nihilominùs conſultius eſt, ut impari numero aſſumantur, eiſque diſcordantibus ſtetur arbitrio plurium. Ita Gloſſa *in cap. 1.* ℣. *Unus.* & Abbas *ibid. num. 2. h. t.* Vallenſis §. 4. *n.* 1. & communis. Et quidem prima pars patet *ex cap. 2. & c. Innotuit.* 12. *h. t. & l. Item ſi unus.* §. *Si in duos. ff. eod.* ubi apertè legitur, poſſe in duos arbitros compromitti, & olim ita compromiſſum fuiſſe.

50 Altera pars conſtat *ex d. cap. 1. h. t.* ubi non quidem præcipiendo, ſed conſulendo dicitur, quòd in arbitrum *aut unus eligatur, aut tres.* Quamquàm hoc ſolùm ponatur exemplificandi causâ numerum diſparem, & nihil impediat, ſi quinque aut plures aſſumantur arbitri. Ideò autem hi eliguntur in diſpari numero, quia homines ſunt faciles ad diſſentiendum; ſicque ipſis in pari numero electis, & diſcordantibus ſæpè contingeret, nihil ab ipſis concludi: ſecùs, ubi eliguntur in impari numero. Siquidem

51 Reſp. II. Quando plures Arbitri in impari numero, v. g. tres eliguntur, ſtatur ſententiæ majoris partis concordantis, *text. clar. cap. 1. h. t. & cap. 1. eod. in 6.* In quo poſteriori loco proin infertur, quòd ſi ex tribus arbitris duo condemnent Titium in decem, & unus in quinque, debeat ſententia prævalere duorum, qui eum condemnant in decem.

52 Quòd ſi ipſi omnes inter ſe diſcordent in taxanda aliqua quantitate pecuniaria (ut ſi unus Reum condemnet, aut rem æſtimet quindecim, alter decem, tertius quinque) obtinebit minima quantitas pronunciata. Textus eſt *in cit. cap. 1. h. t. in 6.* additâ eâ ratione: quia in minima parte omnes exiſtunt concordes; plus enim ſemper in ſe continet, quod minus eſt, juxta *Reg. 35. Juris in 6.* cum concordantijs.

53 Nec obſtat, quòd ille, qui condemnat, v. g. in quindecim, expreſſe proteſtetur, quòd nolit conſentire in minorem ſummam, v. g. in quinque. Adhuc enim tenet ſententia in quinque: nam proteſtatio impoſſibilis, ſeu contraria actui nihil operatur, *arg. l. Cùm in plures. §. Locator. ff. Locati.* Barboſa *Axiomat. 194. n. 1.*

54 Reſp. III. Nihilominùs, quando in duos taliter fuit compromiſſum, ut ſi ipſi ad invicem diſcordent, tertium aliquem incertum, ſeu primùm ab ipſis nominandum, ſibi adjungant, tale compromiſſum, & ſecutum inde Laudum non valet: ſecùs, ſi ipſis tribuatur poteſtas aſſociandi ſibi tertium certum, puta Sempronium. Textus eſt *in c. Innotuit. 12. h. t.* junctâ Gloſſâ *fin.* & Abbate *ibid. n. 8.* & DD. communiter. Idem jam antehàc Legali proviſione fuerat ſtatutum *in l. Item ſi unus. §. Si in duos. ff. h. t.* Accedit ratio hìc allegata: quia arbitri illi ſemel diſcordantes poſſent etiam diſcordare in aſſumendo tertio (niſi hic jam anteà eſſet determinatus, v. g. Sempronius) adeóque, ne lites diutiùs protraherentur, ac diſcordiæ ex diſcordijs naſcerentur, ſicque negotium indeciſum maneret, Lex voluit, ſtatim à principio tale compromiſſum viribus carere.

55 Nec obſtat, quòd duo arbitri illi, quibus in caſu diſcordiæ data eſt poteſtas ſibi aſſociandi tertium incertum, poſtmodùm conveniant in aſſumptione tertij, ſicque videatur ceſſare dicta ratio diſcordiæ. Non obſtat, inquam: quia *in cit. c. Innotuit. h. t.* duo Arbitri, habentes poteſtatem aſſociandi ſibi tertium incertum, concorditer iſtum elegerunt; & tamen compromiſſum, ac Laudum inde ſecutum pronunciatur invalidum. Lex enim ideò voluit, à principio non valere tale compromiſſum, quia *& in aſſumendo* tertio incerto *poſſunt diſſentire*, ſicque dicta abſurda evenire: atqui hæc ratio æquè militat, ſive poſteà conſentiant, ſive diſſentiant; ſemper enim verum eſt dicere, quòd potuerint diſſentire. Quia igitur, quod ab initio non tenet, poſteà non convaleſcit, *l. Quod in initio ff. de Reg. Jur.* cum ſimilibus: tale compromiſſum, à principio jam invalidum, Jure ſic diſponente ob allatam rationem, poſteà non poteſt convaleſcere, quantumvis duo illi Arbitri conſentiant in aſſociando tertio incerto. Gloſſa *fin. in cit. c. Innotuit.* & Abbas *ibid. n. 8. h. t.* ubi addit, contrariam opinionem Gloſſæ in *d. l. Item ſi unus. ff. h. t.* & paucorum aliorum, indubitanter non eſſe veram. Bartolus *in d. §. Si in duos.* Speculator *tit. de Arbitris. §. fin. n. 20.* ℣. *Sed pone in eligendo*, & alij.

56 Dices. *In c. Cùm à nobis.* 13. *h. t.* dicitur, quòd valeat compromiſſum factum in unũ, aut plures, ut ipſi vel per ſe cauſam diffiniant, vel per alios, quos ipſi elegerint; ergo etiam arbiter incertus poteſt aſſumi. Confirmatur hoc ipſum *ex cit. l. Item ſi unus. §. Principaliter. ff. h. t.* ubi ſic ſtatuitur: *Uſitatum eſt, etiam in duos compromitti; & debet Prætor cogere arbitros, ſi non conſentiant, tertiam perſonam certam eligere, cujus authoritati pareatur;* ergo. Reſp. In concordandis hiſce juribus ſatis variare Doctores; uti videre eſt apud Gloſſam locis citatis, diverſas ſolutiones afferentem.

Cæte-

57 Cæteris tamen dimiſſis melior videtur reſponſio poſterior Gloſſæ *in d. c. Cùm à nobis.* & Abbatis *ibid. n. 1.* ideò valere compromiſſum ibi factũ: quia ex eo non poterat ſequi diſſenſio illa, ob quam Jura invalidant compromiſſum in perſonâ incertam factũ. Hìc enim compromittebatur in arbitrũ, ut vel per ſe, vel per alium à ſe eligendum, diffiniat: quidquid autem horũ fiat, diſcordia nulla poteſt ſequi; cùm nec arbiter à ſe, nec ab ipſo electus poſſit à ſe diſcordare: ſicq; generaliter ceſſante causâ diſſenſionis, ac periculi litium differendarũ, de qua in contrarijs Juribus, meritò tale compromiſsũ approbatur. Et licèt Arbiter nõ poſſit regulariter vices ſuas alteri delegare, *l. Non diſtinguemus. §. Quæſitum. ff. h. t.* id tamen limitandum eſt, ſicut & limitatur ibidem, *niſi ad hoc compromiſſũ ſit*, atq; per compromittentes talis poteſtas concorditer ipſi conceſſa fuerit.

Ad textum allegatum *ex l. Item ſi unus. § Principaliter. ff. eod.* reſpondetur, dictum arbitrium à principio fuiſſe validum, eò quòd ſimpliciter in duos compromiſſum fuerit, quod licet: unde non mirum, quòd ex poſtfactò etiam teneat compromiſſum, quamvìs per Judicem cogatur eligi tertius, ut aliorum duorum arbitrorum diſſenſio tollatur. Secùs eſt in prioribus contrarijs Juribus: ibi enim non ſimpliciter compromittitur in duos, ſed ſub conditione, ut ſi diſſenſerint, eligant tertium incertum. Nam hac ratione compromittentes in totum receſſerunt à Judicis authoritate, ſéque expoſuerunt periculo novæ diſſenſionis, ob quam, & emergentia inde incommoda, ejuſmodi compromiſſum jam ab initio ſuo per Jura fuit caſſatum. 58

***

§. III.

De poteſtate Arbitrorum, causíſque ſuper quibus in eos compromitti poteſt.

SUMMARIUM.

59. *Tanta eſt poteſtas Arbitrorum, quanta ipſis in compromiſſo eſt attributa.*
60. *Coram Arbitro compromiſſario non valet reconventio.*
61. *An iſta locum habeat coram Arbitro juris? Et num. præc.*
62. *Arbiter per ſeipſum debet dicere ſententiam.*
63. *Et juxta formam in compromiſſo præſcriptam.*
64. *Arbiter poteſt pronunciare de ijs, quæ ſunt connexa cum cauſa principali. Et num. ſeqq.*
65. *Sic poteſt ſtatuere diem ſolutioni faciendæ, & cognoſcere incidenter de cauſa reſtitutionis in integrum.*
66. *Ac pronunciare ſuper qualitate rerum in compromiſſo expreſſarum.*
67. *Item pronunciare de fructibus perceptis ex re, de qua compromiſſum eſt.*
68. *Et condemnare contumacem ad ſolvendas alteri parti expenſas.*
69. *De omnibus cauſis, quæ expreſſè non prohibentur; poteſt compromitti in Arbitros.*
70. *Non verò de illis, quæ ob gravitatem exigunt majores Judices. Unde*
71. *Nequit compromitti in arbitros, de cauſa reſtitutionis in integrum.*
72. *Nec de cauſa matrimoniali.*
73. *Nec de cauſa liberali.*
74. *Saltem ſtrictè ſumptâ: ſecùs, ubi agitur de ſubjectione unius Eccleſiæ ad aliam.*
75. *Neque de cauſa criminali.*
76. *Sicut nec de cauſis Papæ ſpecialiter reſervatis.*
77. *Neque de cauſis Beneficialibus.*
78. *Exempti non poſſunt compromittere in præjudicium exemptionis.*
79. *Super cauſis liquidis, ac re judicata, non poteſt compromitti in arbitros.*
80. *Explicatur* c. Expoſita. h. t.
81. *Quid, ſi renuncietur rei judicatæ?*

59 QUæritur I. Qualis ſit poteſtas Arbitrorum? Reſp. I. Tanta eſt poteſtas Arbitrorum, quanta ipſis à partibus, vel Judice, in compromiſſo attributa fuit; adeò, ut fines compromiſſi excedere non poſſint. Textus eſt *in l. Non diſtinguemus. §. De officio. ff. h. t.* ubi proin Bartolus *in Summario*, inquit, *Arbiter nihil poteſt ultra id, quod eſt ſibi in compromiſſo conceſſum.* Concordat textus *in c. Cùm dilectus. 6. h. t.*

Sic coram Arbitro compromiſſario non poteſt fieri reconventio: quia videlicet nihil poteſt ultra id, quod ſibi in compromiſſo conceſſum eſt, *cit. c. Cùm dilectus. h. t.* Ubi Abbas *num. 7.* poſt Speculatorem *tit. de Recuſatione. §. fin. n. 22.* hoc ipſum intelligit de Arbitris juris, ſeu neceſſarijs, quando iſti aſſumuntur ſuper certo duntaxat articulo, v. g. an Judex ſit ſuſpectus; *ut c. Suſpicionis. 39. de Offic. Delegat.* Alioquin enim, ſi coram his locum haberet reconventio, articulus ille plus æquo prolongaretur, contra *c. Legitima. 2. de Appellat. in 6.* 60

61 . Quòd ſi verò Arbitri juris ſint electi ad totam cauſam (uti fit, quando Epiſcopus contra Clericum ſubditum vult movere litem, *can. Si Clericus.* 11. *q.* 1.) tunc benè locum habet reconventio coram eis: quia tales Arbitri eliguntur ad totam cauſam, ſicut Legati; ſimúlque habent juriſdictionem ad inſtar Judicis delegati, juxta dicta ſuperiùs §. *1. n. 21. & 22.* atque ampliùs declarat Abbas *cit. c. Cùm dilectus. n.* 7. *h. t.* & ſequitur Pirhing *eod. n. 51.*

62 Deinde Arbiter debet per ſe ipſum dicere ſententiam, per quam lis finiatur; nec poteſt per alium dicendam delegare, niſi hoc ſibi ſpecialiter fuerit commiſſum, *d. l. Non diſtinguemus.* §. *Quæſitum,* & Bartolus *in Summario ibid. ff. h. t.* Gloſſa *in cit. c. Cùm dilectus. h. t.* Cenſetur enim compromiſſum eſſe factum in hanc certam perſonam ex ſpeciali confidentia erga ipſam; & alioquin, ſi poſſent arbitria transferri in alios, contingeret quandoque hoc fieri in inimicos compromittentium.

63 Rurſus Arbiter cogitur dicere ſententiam, juxta formam ſibi in compromiſſo præſcriptam: alioquin non valet, nec videtur dicta ſententia, ſi forma compromiſſi non ſit ſervata, *l. Quid tamen.* § 1. *ff. h. t.* & ibi Bartolus *in Summario.* Exemplum hujus affertur inferiùs §. *5. n. 102.* idémque dicendum de ſimilibus.

64 Reſp. II. Poteſt nihilominùs Arbiter cognoſcere, ac pronunciare de illis, quæ ſunt neceſſariò connexa, ſeu cohærentia cum cauſa principali, ita ut hæc ſine illis commodè expediri non poſſit, quamvis in compromiſſo ſpecialiter non ſint expreſſa. Ita Gloſſa *fin. in d. c. Cùm dilectus.* 5. & Abbas *ibid. n.* 10. *h. t.* cum communi. Idque deſumitur *ex c. Præterea.* 5. *& c. Prudentiam.* 21. *§. Sexta de Offic. Delegat.* ubi commiſsâ cauſâ principali, etiam acceſſorium committi videtur, licet ſpeciatim non ſit expreſſum.

65 Idem declaratur inductione. Sic quippe Arbiter electus poteſt ſtatuere diem ſolutioni faciendæ, *l. Quid tamen.* §. *Si arbiter. & l. Si cùm dies.* §. *fin. & l. Celſus. ff. h. t.* Deinde, quamvis Arbiter non poſſit cognoſcere principaliter de cauſa reſtitutionis in integrum, poteſt tamen de hac cognoſcere incidenter, ſive quando ea incidit in negotio, ſuper quo compromiſſum fuit, *c. Cauſa.* 9. *De in integr. reſtitut.*

66 Rurſus, quando dubium oritur de qualitate rerum in compromiſſo expreſſarum, poteſt Arbiter de iſta qualitate cognoſcere, & pronunciare, an veniat in compromiſſo: alioquin enim non poſſet commodè decîdi cauſa principalis, cùm cognitio dictæ qualitatis ſit præparatorium aliquod ad diffinitionem ipſius cauſæ compromiſſæ. Abbas *cit. n.* 10.

67 Inſuper poteſt Arbiter pronunciare ſuper fructibus perceptis ex re, de qua compromiſſum extitit: veniunt enim acceſſoriè ad cauſam principaliter commiſſam, ipſíque cohærent. Gloſſa *in d. l. Non diſtinguemus. §. De Officio. ℣. Cautum eſt. ff. h. t.* iſtud inter alia probans ex *l. Ad rem mobilem. & l. Ad legatum. ff. de Procuratorib.* Pirhing *h. t. n. 49.*

68 Et quamvis Arbiter compromiſſarius (ſecùs in neceſſario) non poſſit punire contumaciam litigatoris, nec teſtes cogere, niſi in compromiſſo iſtud ſpecialiter cautum fuerit; ut dictum ſuprà §. 1. *n.* 19. Poteſt tamen condemnare contumacem ad ſolvendas expenſas, quas ob ſuam contumaciam pars altera fecit: hoc enim ſpectat ad intereſſe partis alterius comparentis. Abbas *in cit. c. Cùm dilectus. n. 12. h. t.* id probans *ex d. l. Non diſtinguemus. §. Item non eſt cogendus. ff. eod.* Tacentur ſimilia plura.

69 Quæritur II. De quibus cauſis poſſit compromitti in Arbitros? Reſp. I. Regula eſt, quòd de omnibus cauſis, quæ expreſsè non prohibentur, poſſit in Arbitros compromitti. Ita Speculator *h. t. §. Reſtat. n.* 3. Hoſtienſis *in Summa. h. t. n.* 5. Pirhing *eod. n.* 25. Nam, ut jam ſuprà *num.* 38. dictum eſt, Edictum de Arbitris eſt prohibitorium, certarum videlicet cauſarum, in quas compromitti nequit; & quarum plures enumerantur *in l. Non diſtinguemus. §. Julianus. & §. De liberali. ff. h. t.*

70 Reſp. II. Cauſæ illæ, quæ ob ſui gravitatem, ac præjudicij periculum majores Judices exigunt, compromitti in Arbitros non poſſunt. Ita deſumitur *ex c. Cauſa. 9. De in integrum reſtitut.* ubi quatuor cauſæ illicò enumerandæ, ſpecificantur, hoc addito, quòd in ipſis, *cùm majores Judices exigant, arbiter nequit aſſumi.*

71 Sic imprimis nequit aſſumi Arbiter in cauſa reſtitutionis in integrum, niſi coram ipſo mota ſit incidenter. Hæc enim ſolummodò coram Judicibus ordinarijs adminiſtrationem habentibus, vel eorum Delegatis tractari, & finiri poteſt; ac proinde non ab Arbitris (cùm hi juriſdictionem non habeant, ſed notionem duntaxat) niſi coram eis mota ſit incidenter. Textus eſt *in cit. c. Cauſa. De in integrum reſtitut.* ac notat Abbas *ibid. num.* 4. & communis.

72 Deinde non poteſt aſſumi Arbiter in cauſa matrimoniali; ſive, quando agitur de matrimonio carnali contra ejus vinculum, *cit. c. Cauſa.* junctâ Gloſſâ *ibid. ℣. In matrimoniali.* Sicut nec ſuper ea poteſt fieri transactio, *cap. ult. de Transaction.* eſtque dictum ſuprà *cit. Tit. 37. de Transactionibus.* §. 2. *num.* 19. *& ſeqq.* Etenim cauſæ matrimoniales, propter conjugij Sacramentum, exigunt diſcretos & majores Judices: unde ſpectato Jure communi ſolus Epiſcopus de ipſis cognoſcit; ut *c. Accedentibus. 12. de Exceſſib. Prælat.* ac noviſſimè decrevit Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 20. de Reformat.*

73 Tertiò Arbiter aſſumi nequit in cauſa liberali, *cit. c. Cauſa. De in integr. reſtitut. & l. Non diſtinguemus. §. De liberali. ff. h. t.* In quo poſteriori loco hujus ratio redditur, illis verbis: *Quia favor libertatis eſt, ut majores Judices habere debeat.* Atque hoc procedit, ſive de ingenuitate (hoc eſt, an aliquis ſit ſervus, vel ingenuus) ſive de libertinitate quæſtio ſit, ac etiamſi ex fidei commiſſo

miſſo libertas deberi dicatur; prout ibidem textus ſubjungit.

74 Cærerùm dicta procedunt de cauſa liberali ſtrictè ſumpta, ſive ubi quæritur, an aliquis ſit ſervus vel liber, ingenuus, aut libertinus. Secùs, ubi agitur ſolùm de ſubjectione unius Eccleſiæ ad aliã: iſta enim nõ eſt propriè cauſa liberalis, quia oportet neceſſariò, ut Eccleſia ſit alicui ſubjecta, ne ſit acephala, hoc eſt, ſine capite, *can. Nulla. diſt.* 93. cum ſimilibus; ac proin in ea ſolùm controvertitur, cui ſit ſubjecta. Et ideò hujusmodi cauſa non eſt graviſſimi præjudicij, ſicuti eſt cauſa ſtrictè liberalis: sicque ſuper ſubjectione Eccleſiæ poteſt fieri compromiſſum in arbitros; ut *c. Cùm olim.* 18. *de Præſcript. & c. Cùm tempore.* 5. *h.t.* Abbas *in cit. c. Cauſa. n.* 4. *De in integr. reſtitut.* & alij.

75 Quartò non poteſt compromitti in Arbitros in cauſa criminali; ut *in d. c. Cauſa. & d. l. Non diſtinguemus. §. Julianus.* Quod tamen intellige de cauſa criminali criminaliter intentata: hæc enim requirit majores Judices, ac imperium habentes; quorum publicâ authoritate vindicanda ſunt condignè crimina, non autem privatorum arbitrio remittenda. Zoëſius *h. t. n.* 7. Secùs dicendum eſt de cauſa criminali civiliter intentata; quia ſuper iſta benè poteſt aſſumi arbiter; ut eſt caſus *in c. Veniens.* 16. *& c. Quintavallis.* 23. *de Jurejurand.* Abbas *cit. n.* 4. Hoſtienſis, & alij.

76 Quæritur III. An præter memoratas quatuor cauſas dentur aliæ, in quibus nequit intervenire Arbiter? Reſp. affirmativè. Sic quippe in omnibus cauſis majoribus, & Papæ ſpecialiter reſervatis, Arbiter intervenire non poteſt, quantumcunque partes velint, & conſentiant; prout rectè notat Abbas *in cit. c. Cauſa. n.* 4. *De in integr. reſtitut.* ponderando rationem illius Capituli, & *n.* 70. allatam, videlicet, *Cùm majores Judices exigant.* Porrò, quæ ſint cauſæ Summo Pontifici ſpecialiter reſervatæ, enumerat Gloſſa *in cap.* 1. *ỹ. Pertineant. de Tranſlat. Epiſc.*

77 Similiter in cauſis Beneficialibus, ſeu ſuper Beneficijs Eccleſiaſticis conferendis, nõ valet compromiſſum in arbitros, niſi accedat authoritas Superioris, aut in ipſummet Ordinarium veluti in arbitrum compromittatur; ut *c. Ex parte.* 10. *h. t.* Tum, ne vitioſus detur ingreſſus ad Beneficia, quæ non niſi canonicâ inſtitutione obtineri debent, juxta *Reg.* 1. *Jur. in* 6. Tum quia ad Ordinarium, non verò ad inferiores, pertinet cognoſcere de titulo Canonico, & idoneitate Beneficiati. Vallenſis *h. t. §.* 5. *n.* 2. Engel *eod. n.* 4. Sannig *cap.* 4. *n.* 5. & alij.

Inſuper Exempti, ac Sedi Apoſtolicæ imẽdiatè ſubjecti, absque ejusdem authoritate, ſeu licentia, nequeunt compromittere in præjudiciũ exemptionis. Ratio eſt: quia hoc vergeret potiùs in præjudicium ipſius Romani Pontificis, tollendo jus ejus, quod ſibi in Exemptos reſervavit, quàm ipſorum Exemptorum, *c. Cùm tempore.* 5. *§. fin. h. t.* 78

Tandem, ut nonnulli alij caſus taceantur, de quibus tractat Speculator *h. t. §. Reſtat*, non poteſt fieri compromiſſum in arbitros ſuper cauſis puris, ac liquidis; ut puta ſuper illis, quæ per ſententiam legitimè latam deciſæ fuerunt, jamque tranſierunt in rem judicatã. Gloſſa *in c. Expoſita. ỹ. Cum parte altera. h. t.* & Innocentius, & Jo. Andreas *ibid. n.* 3. Pirhing *eod. n.* 31. Sannig *cap.* 4. *n.* 7. & alij. Nam tranſactio, ſive compoſitio, fieri debet de re dubia, & lite incertâ, *L.* 1. *ff de Tranſactionib.* Atqui compromiſſũ æquiparatur tranſactioni, *c. Per tuas. h. t.* imò eſt quædam tranſactio. Barboſa *c. Expoſita. n.* 6. poſt Gloſſam *ubi ſuprà. h. t.* 79 80

Nec obſtat, quòd in *cit. c. Expoſita.* 11. *h. t.* legatur, compromiſſum eſſe factum in Ducem Venetorum, tanquam arbitrum, poſt ſententiam latam. Reſp. enim, dictum compromiſſum fuiſſe factum, non ſuper ſententia dudum jam lata; ſed ſuper quibusdã diſcordijs, quæ poſtmodùm hinc inde videbantur exortæ (ut loquitur textus) hoc eſt, ut mediante illo Duce quidam deſiſterent ab injurijs, quas faciebant Epiſcopatibus ibidem nominatis, ut inquit Gloſſa *loc. cit.* Quinimò, cùm Dux exceſſiſſet fines compromiſſi, & contra ſententiam olim latam quidpiam pronunciare, eámque immutare auſus fuiſſet, totum hoc ibidem in irritum revocatur.

Cæterùm id, quod proximè dictum eſt, videlicet compromiſſum in arbitros fieri non poſſe ſuper re judicatâ, limitari debet, niſi expreſsè rei judicatæ renunciatum fuerit; quilibet enim juri ſuo renunciare poteſt, *c. Si diligenti. de Foro competent.* Barboſa *in d. c. Expoſita. n.* 3. poſt Surdum *Deciſ.* 185. *n.* 12. & alios. 81

§. IV.

De effectibus compromiſsi in Arbitros, & Laudi per hos pronunciati.

S U M M A R I U M.

82. *Compromiſſum in arbitros vel ſit ſimpliciter, vel cum appoſitione pœnæ.*

83. *Quando compromiſſum ſimpliciter factum eſt, & Laudum necdum receptum, aut homologatum, datur ex eo Actio ad intereſſe.*

84. *Solvitur inſtantia.*

85. *Quid per* Intereſſe *hîc intelligatur?*

86. *Quando Laudum eſt receptum, vel homologatum; datur ex eo Actio in factum, & Exceptio.*

87. *Si pœna in compromiſſo appoſita fuit, ſub ea ſtandum eſt Laudo per arbitros pronunciato.*

88. *Pœnâ tamen ſolutâ non compellitur pars nolens ſtare Laudo.*

89. &

89. & 90. *Niſi fuerit appoſitum juramentum.*
91. *Aut niſi adjecta ſit clauſula*, Rato manente pacto.
92. *Si plura capitula contineantur in compromiſſo, & Laudo, violans unum an committat pœnam in ſolidum?*
93. *Intra tempus ab Arbitro præfixum committitur pœna, ſi non detur, quod jubetur.*
94. *Ceſſante tamen juſto impedimento.*
95. *Quid, ſi certum tempus ab arbitro non fuerit præfixum?*

82 Eſt hîc prænotandum, quòd compromiſſũ in arbitros, vel fiat ſimpliciter & abſolutè, nullâ appoſitâ pœnâ; vel adjectâ aliquâ pœnâ ſolvendâ ab eo, qui arbitrium ſive Laudum non erit ſervaturus. Et rurſus, quando nulla fuit appoſita pœna, ſed ſimpliciter partes compromiſerant ſtare arbitrio, quòd aut hoc à partibus jam fuerit receptum, ſive expreſsè; utputa ſubſcriptione, ſeu verbis, quòd non diſpliceat arbitrium factum, *l. Cùm anteà. C. h. t.* ſive tacitè; hoc eſt, taciturnitate decem dierum illud roborando, quod vocant *homologari*, per textum *in l. Ne in arbitris. §. fin. C. eod.* Aut nondum ita fuerit receptum, alterutrâ parte contra arbitrium illud reclamante. Quo prænotato,

83 Quæritur I. Quis ſit effectus, atque obligatio Compromiſſi in Arbitros ſimpliciter facti abſque appoſitione pœnæ, & Laudi per hos pronunciati? Reſp. I. Quando compromiſſum ſimpliciter factum eſt nullâ adjectâ pœnâ, & Laudum nondum â partibus fuit receptum expreſsè, nec tacitè lapſu decem dierum homologatum: tunc ex eo datur Actio ad intereſſe. Ita Gloſſa *in cit. c. Per tuas. ℣. Ratum haberi.* & Abbas *ibid. n. 10. h. t.* Pirhing *eod. n. 61.* & alij. Idque deſumitur tum *ex cit. c. Per tuas.* tum *ex l. Diem proferre. §. fin. ff. eod.* junctâ Gloſsâ *ult. ibid.*

84 Nec obſtat, quòd hîc videatur intervenire nudum pactum; ex pacto nudo autem non detur actio, *l. Juris gentium. §. Sed cùm nullæ. ff. de Pactis.* Reſp. enim, ſpectato Jure Canonico etiam ex pacto nudo oriri actionem; ut jam dictum ſuperiùs *Tit. 35. De Pactis. §. 1. n. 31. & ſeqq.* ubi *num. 37.* additum fuit, ſecundùm hodiernos mores hoc ipſum procedere in Foro Civili. Deinde inſiſtendo rigori Juris Civilis, data Concluſio eſt intelligenda de compromiſſo per ſtipulationem veſtito.

85 Cæterùm per *Intereſſe* hoc loco non intelligitur ipſa res petita, nec æſtimatio ipſius; ſed expenſæ in tali lite motâ factæ, aut faciendæ. Abbas *ibid. n. 17.* Ac proinde pars à Laudo reſiliens, tenetur alteram partem ſervare indemnem, ſolvendo eidem, quanti ejus intereſt arbitrium ſervatum eſſe.

86 Reſp. II. Quòd ſi autem compromiſſo in Arbitros abſolutè, ac ſine adjectione pœnæ facto, poſteà arbitrium, ſive Laudum per ipſos pronunciatum, à partibus expreſsè receptum fuit, aut ſaltem lapſu decem dierum homologatum, ſeu tacitè approbatum: tunc iſtud indiſtinctè ratum haberi debet; datúrque ex eo tum Actio in factum ad petendam coram ordinario Judice executionem Laudi, tum etiam Exceptio. Patet hoc *ex L. 4. & L. penult. C. h. t.* atque *ex cit. c. Per tuas. h. t.* ubi Gloſſa, *℣. Ratum haberi.* & Abbas *num. 8.* Zoëſius *num. 28. ff. h. t.* & alij paſſim.

Quæritur II. Quis ſit effectus compromiſſi in Arbitros cum appoſitione pœnæ facti, & Laudi per eos pronunciati? Reſp. I. Quando pœna in compromiſſo appoſita fuit, tunc ſub eadem pœna ſententiæ per Arbitrum latæ ſtandum eſt à compromittentibus; adeóque is, qui arbitrio, ſive Laudo ejusmodi ſtare recuſat, pœnam committit, atque ad hanc perſolvendam actio inſtitui, ipſéque compelli poteſt. Ita certa, & communis DD. atque conſtat tum *ex cit. c. Per tuas. h. t.* tum *ex l. Ex compromiſſo. 2. & l. Diem proferre. §. Stari. ff. eod.* Quo poſteriori in loco additur, ſtari debere ſententiæ arbitri, *ſive æqua, ſive inqua ſit*, metu pœnæ, ut explicat Bartolus *ibid. in Summario*: ſibi enim imputet, qui compromiſit in talem arbitrum. Concordat textus *in L. 1. C. h. t.* additâ illâ ratione: quia *ob hoc invicem pœna promittitur, ut metu ejus à placitis non recedatur.* 87

Reſp. II. Nihilominùs pœnâ ejusmodi ſemel ſolutâ, pars nolens arbitrio ſeu Laudo ſtare non compellitur: niſi fuerit appoſitum juramentum de ſervando eo; aut niſi adjecta ſit clauſula, *Rato manente pacto*, ſive arbitrio. Hæc Concluſio quoad primam partem, nimirum quòd ſolutâ pœnâ quis Laudo ſtare non compellatur, eſt deciſa *in Auth. Decernit jus. C. eod.* ubi expreſsè dicitur, quòd *præſtitâ pœnâ liceat à judicatis*, ſeu à ſententia arbitri, *recedere.* Concordat textus *in L. 2. ff. h. t. & L. 1. C. eod.* Atque idcircò Gloſſa *fin. in c. Dilecti.* & Abbas *ibid. num. 17. h. t.* rectè notat, quòd ſolutâ pœnâ appoſitâ in compromiſſo, non poſſit agi, ut ſtetur ſententiæ. Et Engel *h. t. num. 15.* inquit, quòd ſi pœna compromiſſo fuerit adjecta, tunc compromiſſum fiat conditionatum, ſeu alternativum; ut videlicet ſtetur compromiſſo, vel ſolvatur pœna, prout condemnatus elegerit. 88

Additur notanter in Concluſione, *niſi fuerit appoſitum juramentum de ſervando arbitrio.* Quia tunc ejusmodi Laudum, ratione appoſiti juramenti, ſervari debet, eò quòd hujus obſervantia non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, neque in alterius præjudicium, *c. Quamvis 2. de Pactis in 6.* cum ſimilibus. Gloſſa *in c. Non ſine. ℣. Sacramentum.* & Abbas *ibid. num. 8. h. t.* Molina *tract. 5. diſp. 35. num. 20.* Quamvìs Innocentius *in c. Per tuas. num. 3.* & Layman *ibid. n. 14. h. t.* velint, quòd ſi quis compromiſſum cum pœna violatori adjecta juramento confirmârit, ſatisfaciat, ſi pœnam ſolvat; dumodò non fuerit intentio jurantis, 89

tis, ſeſe obligandi ſpecificè tam ad ſervandum arbitrium, quàm ad ſolvendam pœnā, ſi id non ſervaverit; prout dictam ſuam ſententiam limitat Layman *cit. n.* 14. Verùm à priori ſententia nō videtur recedendum, tum ob rationem allatam: tum quia juramentum habet vim clauſulæ, *Rato manente pacto*; ut notat Abbas *in c. Per tuas. n. 14. h.t.* poſt Baldum. Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 300. *n.* 4. Barboſa *Clauſul.* 128. *n.* 3. cum alijs.

9 Nec obſtat, quòd *in cit. Auth. Decernit jus. h. t.* prohibeatur, fieri compromiſſum cū juramento; atque ſubjungatur, quòd præſtitâ pœnâ *liceat à judicatis recedere.* Reſp. enim, inde ſolùm ſequi, quòd ex tali juramento de Jure Civili defactò nulla detur actio: ſecùs tamen dicendum de Jure Canonico. Siquidem *in c. Non ſine. & c. Pervenit. & c. Cùm tempore. & c. Per tuas. h. t.* intervenit juramentum in compromiſſo, nec tamen Papa illud reprobat, imò mandat, tale juramentum ſervari: nam ob reverentiā Numinis omne juramentum promiſſorium eſt ſervandum, quod ſine peccato ſervari poteſt. Abbas *cit. num.* 8. *& c. Per tuas. n.* 13. *h. t.* Layman, *ubi ſuprà, n.* 11. citans communem contra Bartolum *in d. Auth. Decernit jus.*

9 Additur ulteriùs in data *n.* 88. Concluſione, *aut niſi adjecta ſit clauſula, Rato manente pacto*, ſeu compromiſſo; ita videlicet, ut non obſtante præſtatione pœnæ, adhuc ſententia arbitrorum rata maneat. Quia, ubi in compromiſſo dicta clauſula fuit appoſita, contraveniens non ſolùm pœnam ſolvere, ſed inſuper ſententiam Arbitri obſervare compellitur. Tunc enim in effectu duplex compromiſſum intervenire cenſetur: unum pœnale, ſeu obligans ad præſtationem pœnæ, ſi non ſervetur: alterum ſimplex, ſeu purum, vi cujus haud obſtante ſolutione pœnæ, agi poteſt ad obtinendam obſervantiam, atque executionem Laudi. Gloſſa *in c. Dilecti.* ℣. *Per pœnam, in fine.* & Abbas *ibid. n.* 17. Card. Tuſchus *Litt. C. Concl.* 300. *n.* 2. Maranta *in Speculo Aureo, part.* 6. *§. de Appellatione. n.* 263. Barboſa *Clauſula* 128. *num.* 5. *& ſeqq.* Pirhing *h. t. n.* 69. & alij.

9 Reſp. III. Quòd ſi plura capitula contineantur in compromiſſo, & Laudo deſuper pronunciato, atque alterutra pars veniat contra unum duntaxat capitulum; non idcircò committitur pœna in ſolidum, ſed debetur pro parte correſpondente tantùm. Ita Speculator *tit. de Arbitro. §. Sequitur. n.* 39. id limitans, niſi in compromiſſo expreſſum fuerit, quòd etiam pro uno ſolo capitulo violato tota pœna committatur, ac debeatur. Alioquin enim, quot ſunt capitula, tot ſunt partialia compromiſſa; ut *l. Quod dicitur. 86. ff. de Verbor. obligat.* ac proinde, ſicut veniens contra omnia, committit pœnam in totum; ita veniens contra partem, pro parte duntaxat pœnam committit.

Quæritur III. Intra quantum tempus cōmittatur pœna, ſi non detur id, quod Arbiter dari juſſerit? Reſp. I. Quando ab Arbitro certum tempus ſolutioni eſt præfixum, ut putà, quòd fiat ſolutio intra Calendas Septembris currentis anni, tunc pœna cōmittitur, ſi ceſſante legitimo impedimento intra diem præfixum ſolutio facta non fuerit; haud obſtante, quòd poſteà ſolutio offeratur: quoniam ſemper verum eſt dicere, quòd ante dictas Calendas ſolutio facta nō fuerit. Si tamen pars altera poſt lapſum illius termini ſolutionem oblatam acceperit, ulteriùs pœnā petere non poterit: quia ſponte ſolutionē illam acceptando, cenſetur juri ſuo renunciâſſe. Textus, Gloſſa, Bartolus, & DD. *in l. Celſus ait. ff. h. t.* 93

Additur notanter, *ceſſante juſto impedimento.* Quia ſi vel per creditorem ſtet, vel adversâ valetudine, aut aliâ juſtâ ex causâ quis impediatur, quò minùs intra tempus præfixum ſolvat, pœnam non cōmittit; dummodò poſteà, quamprimùm poterit, ſolvat, *d. l. Celſus ait. §. Idem ait. & l. Arbiter Calendis. ff. eod.* Quòd ſi verò etiam poſteà non ſolvat, pœnam incurrit: duo enim talis Arbitri præcepta eſſe noſcuntur; unum, quòd ſolvat; alterum, quòd intra Calendas ſolvat. Licèt ergo condemnatus pœnam non committat ex eo, quòd intra Calendas non ſolverit, quoniam per eum non ſtetit; tamen ex altera parte cōmittit pœnam, eò quòd non ſolverit; ſicque poſterior mora nocet eidem, *d. §. Idem ait*, junctâ Gloſſâ, & Bartolo ibidem, cum alijs. 94

Reſp. II. Quòd ſi verò ſolutioni per Arbitrum indictæ certa dies præfixa non fuerit, tunc pro ea præſtanda conceditur modicum tempus, & arbitrio boni viri, ſive Judicis taxandum. Textus, & Gloſſa *in l. Si cùm dies. §. fin. ff. h. t.* Concordat textus *in l. Quod dicimus. ff. de Solutionib.* ubi dicitur, quòd ly, *debere ſtatim ſolvere, cum aliquo temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet.* Et tale temperamentum, ſive modicum tempus, in actione reali, cenſetur eſſe ſpatium decem dierum; ut *l. Promiſſor. §. Si ſine die. ff. de Conſtituta pecunia*: in actione perſonali autem, ſpatium quatuor menſium, *c. Quærenti. 26. de Offic. Delegat.* ubi Gloſſa, ℣. *Quadrimeſtre*, plura de hoc. 95

§. V.

De remedijs contra injuſtum Laudum competentibus, ac ceſſatione poteſtatis Arbitrorum.

SUMMARIUM.

96. *Contra injuſtum Laudum nonnulla competunt remedia juris.*

97. *I. Quando Laudum continet manifeſtam iniquitatem, vel eſt ipſo jure nullum, vel officio Judicis retractandum.*

98. *II. Contra illud competit exceptio doli.*

99. *III. Si quis per Laudum læſus eſt ultra dimidium juſti pretij, poteſt intentare Remedium,* L. 2. C. de Reſcindend. vendit.
100. *Poteſtas Arbitrorum finitur per pronunciationem ſententiæ, ſive Laudi.*
101. *Arbiter non poteſt exequi ſuam ſententiam, neque hanc immutare, ſi fuit diffinitiva; ſecùs, ſi interlocutoria.*
102. *Si compromiſſum habeat plures articulos, & Arbiter ſuper uno articulo pronunciaverit, an hanc ſententiam poſteà mutare valeat?*
103. *Arbitrorum poteſtas finitur tum morte ipſorum.*
104. *Tum morte alterius compromittentium.*
105. *Ac lapſu termini in compromiſſo expreſſi, niſi diem protulerit.*
106. *Compromiſſum finitur recuſatione Arbitri ſuſpecti.*
107. *Sicut & interitu rei, de qua compromittebatur. Limitatur tamen hoc.*
108. *Alijs tribus modis expirat poteſtas Arbitrorum, nempe*
109. *Acceptilatione,*
110. *Judicio, &*
111. *Pacto.*

96 Quæritur I. Utrùm contra injuſtum Laudum arbitri aliquod Juris remedium competat. Reſp. Competere. Nam, præterquàm, quòd à ſententia Arbitri Juris, ſive neceſſarij, appellare liceat (etſi ſecùs ſit in Arbitro voluntario, ſeu compromiſſario, ut dictum ſuprà *§. 1. n.* 17.) etiam contra hujus ſententiam, dum vel notoria eſt ejus injuſtitia, vel nimiùm gravis ac enormis inde læſio inducitur, nonnulla competunt remedia Juris. In quibus proinde caſibus fallit illud, quod *in l. Diem proferre. §. Stari. ff. h. t.* habetur; videlicet, quòd ſententiæ Arbitri ſtari debeat, *ſive æqua, ſive iniqua ſit.*

97 Primò enim, quando Laudum continet manifeſtam, ac evidentem iniquitatem; tunc vel ipſo jure eſt nullum, ſi videlicet inducit peccatum per partes non remiſſibile, v. g. ſimoniam, uſuram, aut hujusmodi; ut *c. Non ſine.* 2. junctâ Gloſſâ *℣. Quinque marchas,* & DD. *ibid. h. t.* Vel ſaltē, ubi continet peccatū per partes remiſſibile, v. g. inferens præjudicium pecuniarium, notorium tamen, ex officio Judicis retractari debet. Abbas *in cit. c. Non ſine. n. 14.* poſt Gloſſam *can. A judicibus. 2. q. 6.* & Hoſtienſem: qui addit, quòd arbitrium eo ipſo, quòd enormiter lædit partem, contineat peccatum. Concordat Archidiaconus *in cit. c. A judicibus. num. 4.* id probans *ex c. Expoſita. 11. h. t. & c. Cauſam quæ. 8. de Electiōn.* Fulgoſius *Conſil. 180. §. Manet itaque.* citans inſuſuper Bernardum, Jo. Andream, & alios, etiam in Foro Civili id eſſe ſervandum firmantes; dummodò intra decem dies reclametur.

98 Secundò contra injuſtum arbitrium, ſeu Laudum, competit exceptio doli: ut ſi quis Arbitrū pecuniâ corruperit, vel adverſarium callidè circumvenerit, & hujusmodi, *l. Ita demum. ff. h. t.* Vel, ſi arbiter efficiatur inimicus partis: quia etiam tunc contra petitorem pœnæ, obſtat exceptio doli, *l. Non diſtinguemus. §. Cùm quidam. ff. eod.* Idem dicendum, quando per ſordes, vel per gratiam, arbitratum fuit, *l. Arbitrorum. 3. C. h. t.* & Gloſſa *in c. Non ſine. ℣. Faventes. h. t.* Idémque procedit, quando iniquitas arbitrij eſt notoria & manifeſta, ac nihilominùs pars altera petit executionem ipſius: repellitur enim exceptione doli, per Jura allegata. Nam petens executionem arbitrij notoriè doloſi, hoc ipſo dolum facere præſumitur, *arg. cap. 2. de Præſumptionib.* Abbas *in d. c. Non ſine. n. 14. h. t.* Engel *eod. num. 7.* Maranta *part. 6. Speculi Aurei. §. de Appellatione. n. 266.* addens, quòd talis exceptio doli, oriens ex manifeſta iniquitate, impediat executionem Laudi etiam poſt decem dies.

Tertiò, ſi compromittens per arbitrium, ſive Laudum ab Arbitro pronunciatum, læſus fuit ultra dimidium juſti pretij, poteſt is intentare Remedium, *L. 2. C. de Reſcind. vendition.* Maranta *in cit. Speculo Aureo. part. 4. diſtinct. 14. n. 8.* poſt Philipp. Decium *Conſil. 60.* ubi arguit de compromiſſo ad transactionem. Pirhing *h. t. n. 97.* citans plures alios. 99

Quæritur II. Quibus modis finiatur compromiſſum, ac poteſtas Arbitrorum? Reſp. I. Compromiſſum, ac poteſtas Arbitrorum, finitur imprimis per pronunciationem ſententiæ, ſive Laudi ſuper totâ causâ compromiſſo comprehensâ prolati. Textus eſt *in l. Dicere autem.* (aliàs, *Qualem autem.*) *ff. h. t.* junctâ Gloſſâ, *℣. A tota,* & communi Doctorum. 100

Unde, quando ſemel Arbiter de tota controverſia pronunciavit damnando, vel abſolvendo, non poteſt ſuam ſententiam exequi, ſed debet ejus executionem relinquere Judici ordinario Rei, *l. Cùm anteà. C. h. t.* éſtque dictum ſuprà *§. 1. n. 25.* Neq; ampliùs valet ſententiam ſuā immutare, *c. Expoſita. 11. h. t.* Adeò, ut nec eam corrigere poſſit, quamvìs erraverit, *cit. l. Dicere autem. & l. Quia arbiter. ff. eod.* ubi & hujus ratio redditur: quia jam functus eſt officio ſuo, ſícque arbiter eſſe deſivit. Quamquàm ibidem hoc ipſum rectè explicetur de ſententia diffinitiva arbitri, quâ condemnat, vel abſolvit: quia ſententiam interlocutoriam bene poteſt mutare; ut putà, ſi juſſerit litigatores Calendis adeſſe, poteſt hunc diem mutare jubendo, ut adſint Idibus. 101

Additur notanter in Concluſione, *ſuper tota cauſa.* Nam ſi compromiſſum habeat plures articulos, ſive controverſias, eſt diſtinguendum, quomodo illud factum fuerit. Si enim compromittebatur, ut arbiter de omnibus ſimul pronunciaret, ſententia ſuper uno articulo lata non tenet, cùm non ſit ſervata forma compromiſſi; ſicque ea poteſt mutari. Quòd ſi autem compromittebatur, ut de ſingulis ſeparatim poſſet pronunciare, tunc cenſentur plura eſſe compromiſſa; & dictâ ſenten- 102

ſententiâ ſuper uno articulo, ea ampliùs mutari non poteſt: quia (quantùm ad illam controverſiam) deſijt eſſe Arbiter. Textus eſt *in l. Quid tamen. §. 1. ff. h. t.*

103 Reſp. II. Finitur etiam officium ac poteſtas Arbitrorum, tum morte ipſorum; vel, ſi plures fuerint, alicujus ipſorum, niſi ſecùs in compromiſſo actum fuerit: tum morte alterius compromittentium. Ita communis. Et quidem, quòd morte Arbitrorum, vel alicujus ipſorum, expiret, textus eſt *in c. Uno Delegatorum, 42. de Offic. Delegat.* ubi dicitur: *Uno Delegatorum, vel Arbitrorum, rebus humanis exempto, eorum officium expiravit: niſi aliud in delegatione, aut compromiſſo fuiſſet expreſſũ*: videlicet, ut uno eorum defuncto, vel impedito, alij procedere poſſent. Accedit ratio ibidem per Gloſſam allata: quia in plures arbitros ſimpliciter datos (hoc eſt, niſi ſecùs expreſſum fuerit) cenſetur compromiſſum, ut omnes judicent, *l. Item ſi unus. §. Item ſi plures. & l. Si in tres. ff. h. t.* Atqui uno eorum mortuo, forma talis compromiſſi non poteſt ampliùs ſervari; ergo illud evaneſcit, ſicut & poteſtas arbitrorum ſuperſtitum.

104 Altera pars, ſeu quòd morte alterius litigantium expiret compromiſſum, habetur *c. Ex parte. 10. h. t.* Accedit ratio: quia compromiſſum non tranſit ad hæredes, niſi id fuerit expreſsũ, *l. Diem proferre. §. Si hæredes. ff. h. t.* Pendet enim tota vis compromiſſi ex voluntate compromittentium: hi autem plerumque compromittunt in arbitros ex ſingulari amicitia, & fiducia, quam erga ipſos habent. Quia igitur in hæredibus, veluti minùs notis, hæc ratio deficit, meritò Jura cenſuerunt, compromiſſum morte alterius compromittentiũ (niſi ſecùs ſit expreſſum) expirare; ſicque cauſam viâ ordinariâ per Judices eſſe expediendam.

105 Reſp. III. Compromiſſum, & poteſtas Arbitrorum, expirat etiam lapſu termini, ſeu diei in compromiſſo expreſſi. Patet hoc *ex l. Si cùm dies. §. 1. ff. h. t.* Ubi tamen hoc limitatur, dummodò nihil in compromiſſo de die proferenda cautum fuerit: nam ſi de hoc anteà cavebatur; ac ipſe Arbiter ante finitum priùs tempus diem protulit, manſit arbiter, ſicque poteſtas ejus non expiravit; prout ibidem habetur, junctâ Gloſſâ, *℣. Protulit.*

Reſp IV. Finitur etiam compromiſſum recuſatione Arbitri ſuſpecti; ut *l. Sed & ſi in ſervum. §. fin. & l. Non diſtinguemus. §. Cùm quidam, ff. h. t.* 106

Expirat etiam compromiſſum, & poteſtas Arbitrorum, interitu rei, de qua compromittebatur, & arbitrium ferendum eſſet, *d. l. Non diſtinguemus. §. Item non eſt. ff. h. t.* Ubi tamen hoc ipſum limitatur, niſi in tali caſu aliquid litigantiũ interſit; ut putà, propter fructus & partus, prout explicat Gloſſa ibidem: quia non obſtante interitu rei principalis, ſaltem de his Arbiter pronunciare poſſet. 107

Reſp. V. Alijs tribus, atque *in cit. l. Non diſtinguemus. §. Summa rei. ff. h. t.* enumeratis modis, ſolvitur compromiſſum, ſicque expirat poteſtas Arbitrorum: videlicet Acceptilatione, Judicio, & Pacto. Et quidem 108

Acceptilatione finitur compromiſſum, & poteſtas Arbitrorum, quando uni compromittentium acceptolata eſt pœna compromiſſi: quia & alteri ea videtur acceptolata, *l. Pomponius. ff. h. t.* junctâ Gloſſâ *un. ibid.* 109

Judicio autem ceſſat compromiſſum, & poteſtas Arbitrorum, quando unus compromittentium ab Arbitris receſſit, & coram ordinario Judice rem, de qua compromiſſum erat, in judiciũ deduxit. Etſi enim talis contra compromiſſum agat, ſicq; incidat in pœnam compromiſſo appoſitam: nihilominùs poſtmodùm cauſa coram eodem ordinario Judice proſequenda eſt, ſicque finitur poteſtas Arbitri. Textus eſt *in l. Si quis rem. ff. h. t.* 110

Pacto tandem ſolvitur compromiſſum, atque ceſſat poteſtas Arbitri, quando inter partes compromittentes ſuper negotio principali, de quo compromiſſum fuerat, poſteà tranſactum eſt, *cit. l. Non diſtinguemus. §. Itẽ non eſt. ff. eod.* Vel, quando partes inter ſe conveniunt, ut à compromiſſo recedatur: quia enim mutuo compromittentium conſenſu fit compromiſſum in Arbitros, ita eodem etiam diſſolvitur, *cap. 1. de Reg. Juris.* 111

Atque hæc in Primum Librum Decretalium dicta ſufficiant, cedántque ad Laudem perennem Omnipotentis DEI, omnis Juſtitiæ Fontis & Originis.

INDEX ALPHABETICUS
RERUM ET VERBORUM.

Littera P. *denotat Procemium.* T. *Titulum.* N. *Numerum.* F. *Folium.*

A.

A Dictio quando ſtet excluſivè, vel incluſivè? T. 9. n. 74. F. 348.

Abbas poteſt eligi in Epiſcopum. T. 5. n. 53. F. 267. Inter Abbates perpetuos, & Eccleſiam, contrahitur quaſi conjugium ſpirituale. T. 6. n. 111. F. 286. Abbates perpetui, aliique Superiores Regulares, an ſint eligendi ſecundùm formam *in c. Quia propter. de Electſion.* præſcriptam? Tit. 6. num. 336. & ſeqq. Fol. 322. In electione Abbatum perpetuorum poteſt indubitanter procedi per viam compromiſſi. num. 349. Abbates ex privilegio Papæ poſſunt conferre Ordines minores. T. 13. n. 14. & 15. F. 410. Hæc poteſtas non eſt annexa Jure Divino Benedictioni Abbatiali. n. 16. Utrùm etiam poſſint conferre Ordines Sacros? n. 17. 18. & ſeqq. Abbatiæ præficiendus debet eſſe, vel intra annum fieri Presbyter. T. 14. n. 12 F. 414. Antiquitùs tamen Abbates poterant eſſe non Presbyteri. n. 13. Idem ob neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiæ, etiam hodie poteſt fieri diſpenſativè. n. 14. Et an in tali caſu poſſit diſpenſare Epiſcopus? n. 15. Abbas benedictus poteſt conferre Ordines minores etiam ſubditis Epiſcopi de hujus Licentia. T. 29. n. 87. F. 479. Abbates an cogantur venire ad Synodū? T. 31. n. 102. F. 512.

Abbatiſſa, an ſit eligenda à duabus partibus Monialium? T. 6. num. 150. F. 293. Abbatiſſa nequit excommunicare propter inobedientiam ſibi ſubjectas, nec Clericos ſtrictè ſuſpendere. T. 33. n. 37. F. 537. Poteſt tamen implorare officium Superioris, ut ipſe tales excommunicet, aut ſuſpendat. n. 37.

Abrogatio legis, quid, & quomodo differat à derogatione, & irritatione legis? T. 2. n. 484. & 485. F. 172.

Abſentes an, & quando ſint vocandi ad electiones? T. 6. n. 118. & ſeqq. F. 288. Quoad hoc eſt attendenda conſuetudo locorum. n. 118. & 119. Abſens, qui ſcit vacationem Eccleſiæ, & diem electionis, ulteriùs non eſt neceſſariò citandus. n. 117. Si abſentes commodè vocari non poſſint, putà, ob periculum ex mora iminens Eccleſiæ, poſſunt, & debent alij procedere ad electionem. n. 119.

Abſolutio à cenſuris ad cautelam, quid operetur? T. 3. n. 53. F. 191. Abſolutio ab excommunicatione primùm ſuperveniens, non convalidat Reſcriptum ab excommunicato impetratum. n. 54. & 55. Abſolutio à cenſuris metu extorta, ipſo jure eſt nulla, eámque extorquens excommunicatur. T. 40. n. 65. & ſeqq. F. 604.

Acceptatio populi, an requiratur ad Legem humanam? T. 2. n. 136. & ſeqq. F. 114. Quid agendum, ſi juſta habeatur cauſa non acceptandi legem? n. 143. Populus non acceptando legem ritè publicatam peccat, poteſtque puniri. n. 147. Niſi quis è populo juſtâ de causâ excuſetur. n. 148. & ſeqq.

Acceſſus minoris partis ad majorem, an in electionibus valeat? T. 6. n. 302. & ſeqq. F. 316.

Actio, quid, & quomodo differat ab Imploratione officij Judicis? T. 32. n. 29. & ſeqq. F. 526. Actiones bonæ fidei ſunt ſeptendecim, & quales? T. 35. n. 124. & 125. F. 556. In actionibus bonæ fidei veniunt uſuræ, & fructus à tempore moræ; ſecùs in actionibus ſtricti juris. num. 130. & 131. Vide infrà ℣. *Contractus bonæ fidei.* Actiones liquidæ benè poſſunt vendi. T. 37. n. 48. F. 573. Actio mandati directa, ſeu competens Domino contra Procuratorem, ſive Mandatarium, quid importet? T. 38. n. 110. & 111. & 128. F. 588. Actio Mandati contraria, quid? n. 113.

Actio *quod metus cauſa* datur illi, qui ex gravi metu rem ſuam alteri tradidit. T. 40. num. 35. F. 600. Vi hujus debet fieri integerrima reſtitutio. n. 36. Agens hac actione non tenetur deſignare, quis metum intulerit. n. 37. Actio *quod metus cauſa*, non ſolùm eſt perſonalis, ſed etiam in rem ſcripta. n. 38. Imò & pœnalis. Ibid.

Actus meræ facultatis, qui? T. 4. n. 130. F. 247. Actuum frequentia, an, & qualis requiratur ad inducendam conſuetudinem? n. 116. & ſeqq. & n. 95. Et quales actus ad eam inducendam requirantur? n. 125. & ſeqq.

Advocati, alio nomine vocantur *Poſtulantes, Patroni cauſarum*, &c. T. 37. num. 4. F. 568. Advocati æquiparantur militibus. n. 6. Advocatum eſſe eſt honoris. n. 7. Advocatum in judicio agere, qui poſſint, vel prohibeantur? n. 8. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Poſtulare.* Advocatum ad lites agere, num poſſint Clerici? n. 15. & ſeqq. Vel Monachi, aliique Religioſi. n. 24. & ſeqq. Advocatorū obligatio generatim quotuplex? T. 37. n. 27. F. 571. Advocati quâ ratione te-

ncantur attendere ad qualitatem cauſæ ? n.28. Non poſſunt ſuſcipere cauſam certò injuſtam, & deſperatam. Ibid. Quid agendum Advocato, ſi cauſa Clientis in progreſſu appareat injuſta, quæ ab initio videbatur juſta, vel ſaltem probabilis? n. 29. An tunc poſſit Clientulum inducere ad tranſigendum ? n. 30. Advocatus quâ ratione teneatur ſervare modum advocandi? n.31. & 32. Atque ſervare veritatem ? n.33. & ſeqq. Advocatus utens falſis pro veris, Falſi crimen incurrit. n. 33. Bonus Advocatus Clienti dicit: *Si ſic reſpondebis, perdes cauſam; ſi aliter, & contra veritatem, perdes animam.* n.34. Non ſubtrahat adverſario ſuæ defenſionis copiam, nec ſuperfluas petat dilationes &c. n. 35. Licèt poſſit occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus. n. 36. Advocatus tenetur ſervare fidelitatem; & quâ ratione ? n. 31. & ſeqq. Non poteſt prodere inſtrumenta, ſeu documenta ſecreta ſuæ cauſæ parti adverſæ; alioquin dicitur Falſarius. n. 38. Nequit idem eſſe Advocatus, & Judex, in eadem inſtantia & cauſa. n. 39. Et quid ſucceſſivè ? ibid. Advocatus utrique parti ſimul inſerviens, cenſetur Prævaricator. n. 40. Tenetur ſervare moderationem in ſalario, & qualiter? n. 41. & 42. Advocatus nequit paciſci de quota litis. n.43. Cur liceat paciſci de ſalario, & non de quota litis ? n.44. Advocato non licet ullum contractum cum Clientulo ſuo inire. n. 45. Nec poteſt alienas lites redimere. n. 46. Et qualiter id prohibitum ? n. 47. & ſeqq. Advocatus qualiter differat à Procuratore? T. 37. n. 7. F. 568. & T. 38. n. 7. & ſeqq. F. 575. Advocatus ut quis ſit, poteſt compelli. cit. Tit. 38. n. 9. Defactò plerumque Advocati partium ſimul conſtituuntur harum Procuratores. n. 12. Advocatorum confeſſio, ſeu error, an noceat ſuo Clientulo ? T. 38. n. 126. F. 589.

Advocatum idoneum tenetur Judex parti litiganti providere, ſi ea talem non habet. T. 32. num. 69. F. 532. Taliſque Advocatus poteſt eſſe domeſticus, ſive familiaris Judicis. num. 70. Advocatus ille non tenetur gratis præſtare officium ſuum. num. 71. Dummodò clientulus ille non ſit omnino pauper. num. 72. Ea, quæ ab Advocatis minùs benè dicta fuerunt, an Judex ſupplere poſſit, ac debeat? n. 73.

Æquitas, quid? T. 2. n. 418. F. 161. *In omnibus cauſis potior debet eſſe ratio æquitatis, quàm ſtricti juris,* declaratur. num. 415. & 416. Deficiente æquitate ſcriptâ, locus eſt æquitati non ſcriptæ. n. 417.

Ætas in eligendis, atque promovendis ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica, qualis requiratur. T. 6. n. 210. & ſeqq. F. 303. Certum eſt, in talibus requiri ætatis maturitatem, & cur? n. 210. Ætas quatuordecim annorum, ſaltem inchoatorum, defactò requiritur pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo. n. 211. Et viginti quinque anni pro Eccleſia Parochiali. n. 212. Adeò, ut diſpenſatus ad Ordines, non ſit diſpenſatus ad Beneficium Parochiale. num. 213. Ad Decanatum requiritur ætas viginti quinque añorum, ſaltem inchoatorum. n. 216. Ad Dignitates & Perſonatus, quibus animarũ cura non ſubeſt, qualis ætas requiratur? num. 214. & 215. Et quæ, ſi talibus animarum cura ſubeſt? n. 216. In Epiſcopis requiritur ætas triginta annorum completorum. num. 217. Ætas in promovendis ad Ordines, qualis requiratur? T. 11. n. 63. F. 382. Ætas in præficiendis, ſeu promovendis ad Eccleſias, Prælaturas, aliáque Beneficia Eccleſiaſtica, qualis requiratur ? T. 14. n. 6. F. 413. & T. 6. n. 210. & ſeqq. F. 303.

Alienatio judicij mutandi causâ, quid? T. 42. n. 2. F. 628. Edictum de prohibita alienatione judicij mutandi causâ, cur introductum? n. 3. Et qualis actio contra ſic alienantem oriatur? n. 4. Et quæ contra emptorem? n. 5. Ut actio in factũ contra alienantem competat, tria requiruntur; quæ? n. 6. & 7. & ſeqq. Edictum de prohibita alienatione judicij mutandi causâ, etiam habet locum in Actore, qui actionem alteri hâc ratione cedit. n. 11. & 12. Per Reſcriptum Apoſtolicum contra alienantem impetratum convenitur is, in quem facta eſt alienatio judicij mutandi causâ. n. 13. Solvitur inſtantia. n. 14.

Alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, cur dicatur; non tamen, *Aliud*? T. 1. n. 12. F. 50.

Almaricus, quis fuerit? T. 1. n. 229. F. 88. Ejus errores, qui? n. 228. & 230.

Altaria non ſunt reconſecranda, in quibus Schiſmatici, vel degradati Sacerdotes celebrârunt. T. 16. n. 30. F. 423.

Animam rationalem eſſe verè, ac per ſe humani Corporis formam, eſt definitum in Concilio Generali Viennenſi. T. 1. n. 233. F. 89. Quid juvet ad Fidem hoc diſquirere atque in Concilio generali definire? n. 234.

Annus, quot dies habeat? T. 11. n. 64. F. 382. An pro initio ſequentis añi debeat addi unus dies? Ibid. Annus naturalis, & annus Eccleſiaſticus, quis? cit. T. 11. n. 145. F. 346. Sufficit uterque pro interſtitijs Ordinum. Ibid.

Apoſtatæ Regulares ſubſunt juriſdictioni Epiſcoporum. T. 31. n. 120. F. 515.

Apoſtoli, cur confecerint *Symbolum Apoſtolorum* dictum? T. 1. n. 57. & 58. F. 59. Apoſtoli, quos Symboli articulos ſinguli poſuerint? num. 59. & 60. Apoſtolorum in locum ſucceſſerunt Epiſcopi. T. 2. n. 80. F. 103. Et quomodò? T. 31. n. 76. F. 509. Epiſcopalis juriſdictio fuit à Chriſto immediatè collata D. Petro, cæteríſque Apoſtolis. n. 70. Sed cum diſcrimine; & quali? n. 71.

Appellatio à delegato, & ſubdelegato, an, & ad quem fieri poſſit? T. 29. n. 155. F. 490. Et quid de Delegato Papæ dato cum clauſula, *appellatione remota*? n. 156. A mero Executore ſententiæ nequit appellari, niſi modum excedat. n. 157. Vide infrà ℣. *A Judice Delegato.*

Arbiter generatim, quid? T. 43. n. 2. & 3. F. 631. Et quomodo differat à Compoſitore amicabili? n. 4. Arbiter ſtrictè, quid? n. 5. & 6. & ſeqq. Suſcipit partes judicis. n. 7. Arbiter differt multipliciter ab Arbitratore; & quomodo? n. 8. & ſeqq. Arbiter procedit juris ordine ſervato, non Arbitrator. n. 9. Illius ſententia dicitur *Arbitrium*, ſive *Laudum*; hujus *Arbitramentum*. n. 12.

Arbitrorum duplex eſt genus, nempe Arbitri juris, ſeu neceſſarij, & Arbitri voluntarij, ſeu Compromiſſarij, qui? T. 43. n. 13. & 14. & 15. F. 632. Multiplex inter hos eſt differentia. n. 16. & ſeqq. A ſententia Arbitrorum juris poteſt appellari, non item Compromiſſariorum; & cur? n. 17. Illi habent quandam jurisdictionem. n. 18. Iſti duntaxat notionem. n. 19. Arbitri juris compelli poſſunt ad ſuſcipiendum munus; non ſic compromiſſarij. n. 20. Jurisdictio Arbitrorum juris an ſit ordinaria, vel delegata? n. 18. & 21. Arbitria ſunt redacta ad formam judiciorum; & quomodo? n. 22. & 23. Arbiter an, & in quibus differat à Judice? n. 21. 24. 25. & ſeqq. Laudum Arbitri non infamat, benè tamen ſententia Judicis. n. 30. Qui poſſint compromittere in Arbitros, nec ne? n. 32. & ſeqq.

Arbitri qui poſſint, vel non poſſint eſſe? T. 43. n. 38. & ſeqq. F. 634. Edictum de Arbitris eſt prohibitorium, unde Arbitri eſſe poſſunt, qui non reperiuntur prohibiti. n. 38. Arbiter eſſe nequit furioſus, mutus, ſurdus, Pupillus, & minor viginti annis, niſi habeat poteſtatem judicandi. n. 39. Quid de Religioſo? n. 40. Fæmina non poteſt eſſe Arbitrix. n. 41. Exceptis certis caſibus. n. 42. Benè tamen Arbitratrix. n. 63. Laicus in cauſa ſpirituali an poſſit eſſe Arbiter? n. 44. Et quid de cauſis civilibus Clericorum? n. 45. Differentia inter prorogationem jurisdictionis Laici in Clericum, & inter compromiſſum hujus in ipſum. n. 46. In Judicem poteſt compromitti, tanquam in Arbitrum. n. 47. Solvitur inſtantia. n. 48. Poteſt compromitti in unum, duos, vel plures Arbitros. n. 49. Conſultiùs tamen eſt, ut impari numero aſſumantur. n. 50. Et tunc ſtatur ſententiæ majoris partis concordantis. n. 51. Si ipſi omnes diſcordent in taxanda aliqua quantitate, obtinebit minima quantitas pronunciata. n. 52. & 53. An valeat compromiſſum taliter in duos Arbitros factum, ut, ſi ipſi diſcordent, adjungant ſibi tertium? n. 54. 55. & ſeqq. Arbiter an poſſit vices ſuas alteri delegare? n. 57.

Arbitrorum poteſtas, qualis? T. 43. n. 59. & ſeq. F. 627. Hæc tanta eſt, quanta ipſis à partibus attribuitur. n. 59. Coram Arbitro compromiſſario non valet reconventio. n. 60. An ſaltem coram Arbitro juris locum habeat reconventio? n. 60. & 61. Arbiter per ſeipſum debet dicere ſententiam. n. 62. Et juxta formam in compromiſſo præſcriptam. n. 63. Arbiter poteſt pronunciare de ijs, quæ ſunt connexa cum cauſa principali. n. 64. & ſeqq. Idque varie exemplificatur. n. 65. 66. 67. & 68. In Arbitros poteſt compromitti de omnibus cauſis, quæ expreſsè non prohibentur. n. 69. Non verò de illis, quæ ob gravitatem exigunt majores Judices. n. 70. Prout fit in cauſa reſtitutionis in integrum. n. 71. In cauſa matrimoniali. n. 72. In cauſa liberali, ſaltem ſtrictè ſumpta. n. 73. & 74. Et cauſa criminali. num. 75. Nequit etiam compromitti in Arbitros de cauſis Papæ ſpecialiter reſervatis. n. 76. Nec de cauſis Beneficialibus. n. 77. Neque in præjudicium exemptionis absque licentia Sedis Apoſtolicæ. n. 78. Neque ſuper cauſis liquidis, ac re judicata. num. 79. & 80. Niſi expreſsè rei judicatæ renunciatum fuerit. n. 81. Compromiſſi in Arbitros, & Laudi per hos pronunciati, qui ſint effectus? n. 83. & ſeqq. Contra injuſtum Laudum Arbitri; an, & quale Juris remedium competat? n. 96. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Compromiſſum in Arbitros* & ℣. *Laudum*.

Arbitrorum compromiſſum, ac poteſtas, quibus modis finiatur? T. 43. n. 100. F. 642. Ea finitur imprimis per pronunciationem ſententiæ, ſive Laudi. n. 100. Arbiter non poteſt exequi ſuam ſententiam, neque hanc immutare, ſi fuerit diffinitiva; ſecùs, ſi interlocutaria. n. 101. Et quid, ſi compromiſſum habeat plures articulos, & Arbiter ſuper uno articulo pronunciaverit? n. 102. Arbitrorum poteſtas finitur tum morte ipſorum. n. 103. Tum morte alterius Compromittentium. n. 104. Pro lapſu termini in compromiſſo expreſſi, niſi fuerit prolatus. n. 105. Compromiſſum finitur recuſatione Arbitri ſuſpecti. n. 106. Sicut & interitu rei, de qua compromittebatur; Limitatur tamen hoc. n. 107. Alijs tribus modis expirat poteſtas Arbitrorum. n. 108. Nempe acceptilatione. n. 109. Judicio. n. 110. & pacto. n. 111.

Archidiaconus, quis, & unde ſic dicatur, quódque olim ejus officium? T. 23. n. 1. F. 448. Archidiaconi dignitas, quantùm eſt de Jure Communi, quæ? num. 3. Appellatur *Oculus Epiſcopi*. Ibid. Antefertur Archipresbytero. n. 4. Archidiaconi Officium de Jure Communi, quale? n. 5. & ſeqq. Eſt Vicarius natus, & perpetuus Epiſcopi. n. 6. Et quomodo differat à Vicario Generali Epiſcopi? n. 7. Archidiaconus judicat cauſas minores Eccleſiaſticas. n. 8. Non tamen poteſt cenſuras ferre, nec cauſas arduas expedire ſine Epiſcopo. n. 9. Nec dare litteras Dimiſſorias, neque diſpenſare, neque viſitare Monaſteria. n. 10. Neque cognoſcere cauſas Concubinatûs Clericorum. n. 11. Neque cauſas matrimoniales, & Criminales. n. 12. Alicubi tamen ex ſpeciali commiſſione Epiſcoporum Archidiaconi de cauſis matrimonialibus in prima inſtantia judicant. n. 13. & ſeqq. Archidiaconi eſt, curam gerere ſuper Clero &c. n. 17.

n. 17. Viſitare Eccleſias, ſeu Parochias, & quâ ratione? n. 18. Ad Archidiaconum pertinet examinare, ac Epiſcopo ſiſtere Ordinandos. n. 19. Item examinare Beneficiandos, eóſque, & Abbates inſtituere &c. n. 20. Item Miniſtrare Epiſcopo; & in quibus? n. 21. Quoad præmiſſa ſunt attendendæ Conſuetudines, & Statuta particularia ſingularum Eccleſiarum. n. 22. Antiqua inter Archidiaconum, & Archipresbyterum diſtinctio, quæ? T. 24. n. 8. Fol. 451.

Archiepiſcopi an poſſint facere novas Conſtitutiones totam Provinciam obligantes? T. 2. n. 69. & 74. & ſeqq. F. 101. Non poſſunt quidquam ſtatuere contra Sacros Canones, etiam cum Concilio Provinciali. n. 75. & ſeqq. Archiepiſcopus ante receptum Pallium quæ poſſit exercere, nec ne? T. 8. n. 8. & 9. F. 336. Archiepiſcopus utitur Pallio ſolùm in Eccleſijs ſuæ Provinciæ, non extrà. n. 11. & 12. Solvitur inſtantia. n. 13. An poſſit uti Pallio in Proceſſionibus, aut Synodo? n. 14. Vel in Eccleſijs exemptis ſuæ Provinciæ? n. 15. Quibus diebus Archiepiſcopus poſſit uti Pallio? n. 16. Archiepiſcopus tam in ſua, quàm in aliena Diœceſi poteſt celebrare ſine Pallio, & Sandalijs. n. 17. & 18. An poſſit alteri ſuum Pallium commodare? n. 19. Archiepiſcopus translatus debet obtinere novum Pallium. n. 20. Sepelitur tunc cum utroque Pallio, & quomodo? n. 21.

Archiepiſcopus exercet jurisdictionem in Epiſcopum Suffraganeum, non autem in ſubditos ejus. T. 10. n. 11. F. 364. Poteſtas Epiſcopi propter ejus negligentiam, an univerſaliter devolvatur ad Archiepiſcopum? n. 9. & ſeqq. Probabilius eſt, eam non devolvi, niſi in caſibus à Jure expreſſis. n. 12. & ſeqq. Enumerantur caſus illi, in quibus Jure ſic diſponente per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi. n. 17. & ſeqq. Archiepiſcopus non ſupplet impotentiam Epiſcopi. n. 35. & ſeqq. Archiepiſcopus an differat à Metropolitano? T. 11. n. 29. F. 375.

Archiepiſcopus, unde ſic dicatur? T. 31. n. 32. F. 503. Appellatur alio nomine *Metropolitanus*, & cur? Ibid. Poteſt dari Archiepiſcopus, qui non ſit propriè Metropolitanus. n. 33. Epiſcopi Metropolitano ſubjecti, dicuntur ſuffraganei ipſius; & cur? n. 34. Archiepiſcopus habet jurisdictionem in Suffraganeos ſuos, poteſtque ipſis præcipere &c. n. 35. Ac in eosdem proferre Cenſuram, ſpectato Jure antiquo. n. 36. Defactò quoad cauſas criminales Epiſcoporum eſt obſervandum Decretum Concilij Tridentini. n. 37. Archiepiſcopus an defactò cognoſcat de cauſis civilibus Suffraganei, per proprium ſubditum coram eo conventi? n. 38. Et quid, ſi ſuffraganeus proprium Subditum coram ipſo convenire velit? n. 39. Archiepiſcopus non habet jurisdictionem in Subditos ſui Suffraganei præter caſus in Jure expreſſos. n. 40. & 41. & ſeqq. Archiepiſcopus eſt Judex ordinarius totius Provinciæ; & quomodo? n. 42. Enumerantur octodecim caſus, in quibus Archiepiſcopus habet exercitium jurisdictionis in ſubditos ſui Suffraganei. n. 43. & ſeqq. I. Quando cauſa ad eum per appellationem defertur. n. 44. II. Quando viſitat Provinciam. n. 45. Etſi tunc in eos nequeat exercere jurisdictionem Fori contentioſi, niſi in duobus caſibus, & quibus? n. 46. Archiepiſcopus quando poſſit viſitare Provinciam? n. 47. III. Ad ſupplendam negligentiam ſuffraganei. n. 48. IV. Propter Officium varium, ſeu diſcrepantiam in Divinis Officijs; & quomodo? n. 49. V. Ratione Fori; & in quo ſenſu? n. 50. VI. In Cauſa criminali, ubi Epiſcopus crimen Eccleſiaſticum impoſuit Clerico, vel Laico ſubdito. n. 51. VII. Quando ſubditus ſuffraganei peccat in Diœceſi Archiepiſcopi. n. 52. VIII. Si ſubditus ſuffraganei non vult ejus mandatis parére, poſtquàm ab Archiepiſcopo fuit abſolutus ab excommunicatione. n. 53. IX. Ratione rei ſitæ in Diœceſi Archiepiſcopi. n. 54. X. Quando ſuffraganeus remittit cauſam ad Metropolitanum per relationem, ſeu conſultationem. n. 55. XI. Si Canonici tumidi ceſſant à Divinis in Eccleſia Cathedrali. num. 56. XII. Quando notoriũ eſt, ſententiam Epiſcopi eſſe injuſtam, & Metropolitanus aditur pro ejus emendatione. n. 57. XIII. Archiepiſcopus concedit Indulgentias per totam Provinciam. n. 58. XIV. Eccleſiâ ſuffraganei vacante, cuſtodit Archiepiſcopus bona ejus in defectum Canonicorum. n. 59. XV. Si habet ſpeciale privilegium Papæ. n. 60. XVI. Aut per legitimam conſuetudinem obtinuit ampliorem jurisdictionem in ſubditos Suffraganei. n. 61. XVII. Quando Epiſcopus facit permutationem cum Capitulo ſuo. num. 62. XVIII. Et quando Suffraganeus, qui recuſatur ut ſuſpectus, remittit cauſam ad Metropolitanum. n. 63.

Archipresbyter, unde ſic dicatur? T. 24 n. 1. F. 450. Archipresbyter, quis? n. 2. Vocatur alio nomine *Decanus*. n. 3. Et ſubeſt Archidiacono. n. 4. & T. 23. n. 4. F. 449. Archipresbyter duplex, videlicet urbanus, & ruralis, quis? T. 24. n. 5. & 6. F. 451. Archipresbyteri urbani officium explicatur. n. 7. & ſeqq. Antiqua inter Archipresbyterum & Archidiaconum diſtinctio, quæ? n. 8. Circa officium Archipresbyteri urbani, ſeu Decani Cathedralis, oportet attendere particulares conſtitutiones, & conſuetudines ſingularum Eccleſiarum. n. 9. Archipresbyteri, ſeu Decani ruralis officium quale? n. 10. Nequit is majora negotia, & quæ indigent ſtrepitu judicij, expedire. n. 11.

Arctati ratione Beneficij accepti, & recipiendi, qui? T. 11. n. 121. & 122. F. 391.

Argenti appellatione, etiam argentum fabrefactum comprehenditur, non autem marmor effigiatum nomine marmoris; & cur? T. 2. n. 403. & 404. F. 159.

Argu-

Argumentum à ſuperfluitate verborum vitanda eſt fortiſſimum. P. n. 115. & ſeqq. F. 23. Argumentum à ſenſu contrario eſt validum. T. 2. n. 406. F. 160. Dummodò exinde non ſequatur abſurdum. n. 407. Nec Jurium correctio. n. 408. Simúlque argumentum deſumatur ex cauſativis diſpoſitionis. n. 409.

Articuli Symboli Apoſtolorum, quot? T. 1. n. 61. & ſeqq. F. 59. Qui à ſingulis Apoſtolis fuerint poſiti? n. 59. & 60. *Articuli fidei* nomine quid intelligatur? n. 62. Articulus Fidei ſumitur tripliciter. n. 63. Articuli Fidei an ſucceſſu temporis creverint? n. 68. & ſeqq. An novum Articulum Fidei poſſit facere Eccleſia, vel Papa? n. 72.

Auditores Rotæ. Vide infrà ℣. *Rota Romana.*

Authenticorum liber ſeu Novellæ Conſtitutiones poſtremo loco per Juſtinianum ſunt editæ, earúmque præſtantia. P. n. 167. F. 32. A quo nonnullæ Authenticæ Conſtitutiones Codici hodie uſitato fuerint inſertæ? n. 168. Et ſic inſertæ an probent? n. 169.

Authoris proteſtatio, ſcripta ſua Judicio S. M. Eccleſiæ ſubmittentis, utiliter libris apponitur. T. 1. n. 215. & ſeqq. F. 86. Authorum ſcribentium de vita & miraculis nondum Beatificatorum, alia proteſtatio. n. 216. Hujusque utilitas. n. 217. Authore damnato ejus quoque libri cenſentur damnati. n. 220. & ſeqq. Authorum damnatorum ſcripta, quâ ratione citari poſſint? n. 221. & 222. Eorum libri rectè jubentur comburi. n. 223. Damnato libro non idcircò cenſetur damnatus Author. n. 224.

B.

Baculo cur Papa non utatur? T. 15. n. 5. F. 418. Hiſtoria memorabilis de S. Martiale, ac ejus Collega à mortuis reſuſcitato, per tactum baculi S. Petri Apoſtoli. Ibid. Myſtica ſignificatio Baculi Paſtoralis, quo utuntur Epiſcopi. n. 5. & 6.

Baldachini uſum tenentur Regulares, etiam exempti, concedere Epiſcopo in ſuis Eccleſijs. T. 31. n. 161. F. 521.

Baptiſmi Sacramentum declaratur, & varij errores Hæreticorum circa hoc. T. 1. n. 137. & ſeqq. F. 73. Errores Hæreticorum circa materiam Baptiſmi. n. 138. Qui rejiciuntur. n. 139. Errores circa formam Baptiſmi. n. 140. & 141. Errores circa cauſam efficientem principalem, & ſecundariam Sacramenti Baptiſmi. n. 142. & ſeqq. S. Cypriani, & Concilij Carthaginenſis opinio circa valorem Baptiſmi à non Baptizato, vel Hæretico collati. n. 143. Errores circa cauſam finalem Sacramenti Baptiſmi. n. 145. Pernicioſa Hæreſis negantium, parvulos eſſe Baptizandos, eáque multoties condemnata. n. 146. Baptiſmi Sacramentum cur ſit irreiterabile, & Pœnitentiæ Sacramentum iterabile? n. 148. Baptiſma eſſe unicum, definitur in Concilio Generali Viennenſi. T. 1. n. 235. F. 89. Per illud confertur gratia informans, ſeu ſanctificans. Ibid. Sine Baptiſmo Sacramentum Ordinis non recipitur. T. 11. n. 59. F. 381.

Bella ſunt Juri naturali contraria, quomodo? P. n. 22. F. 5. Tempore Belli, quæ perſonæ debeant gaudere ſecuritate? T. 34. n. 12. & 13. F. 539. Sævire in fæminas, & pueros, ſemper fœdum habitum fuit. n. 12. Innocentes in bello occidere, an liceat? n. 14. Hoſtem fallere ſtratagemate aliquo, eſt laudabile. n. 15. Fidem tamen ipſi datam violare non licet. n. 15. & 16.

Beneficium in communi, quid, & quomodo dividatur? T. 2. n. 445. F. 165. In beneficijs pleniſſima eſt interpretatio facienda. n. 444. & 446. Fallit hoc in Reſcriptis, ad Beneficia Eccleſiaſtica. n. 447. Beneficium, quid? T. 3. n. 18. F. 185. Et quomodo differat à Privilegio? n. 19. In beneficijs ſtrictè ſumptis fit ampliſſima interpretatio. T. 3. n. 127. & 130. F. 203. Secùs in Reſcriptis ad Beneficia Eccleſiaſtica. n. 126. & 128. & ſeq.

Beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, qui teneantur emittere Profeſſionem fidei? T. 1. n. 157. & ſeqq. F. 77. Vide infrà. ℣. *Fidei profeſſio.* Taciturnitas Beneficij Eccleſiaſtici præhabiti quantumvìs modici, vitiat Reſcriptum ad Beneficium novum obtinendum; & cur? T. 3. n. 192. & 193. F. 214. Vide infrà ℣. *Reſcriptorum ſubreptio.* Proviſio de ſecundo Beneficio, Motu proprio Papæ facta, valet etiam non factâ mentione de præhabitis Beneficijs. num. 203. Idem dicendum de Beneficio collato per Legatum Sedis Apoſtolicæ. n. 204. Non tamen poteſt tunc proviſus utrumque Beneficium ſimul retinere, ſed tenetur eligere, quod maluerit. Ibid.

Beneficium Eccleſiaſticum quodcunque nequit obtineri ante decimum quartum ætatis an̄um, ſaltem inchoatum. T. 6. n. 211. F. 303. Ad Beneficium Parochiale obtinendum requiruntur vigintiquinque anni. n. 212. & 213. Ad Dignitates, & alia Beneficia obtinenda, qualis ætas requiratur? n. 214. & ſeqq. In promovendis ad Beneficia Eccleſiaſtica, qualis litterarū ſcientia requiratur? n. 205. Et quæ aliæ qualitates? n. 204. & 218. & ſeqq. usq; ad n. 234. Beneficia Eccleſiaſtica intra quod tempus ſint conferenda? cit. T. 6. n. 278. usque ad n. 282. F. 313.

Beneficium ingredientis Religionem an poſſit alteri conferri? T. 9. n. 25. & 26. F. 341. Ante ſuſceptionem habitûs Religioſi poteſt quis renunciare Beneficio ſuo non ſervatâ formâ Decreti Tridentini *Seſſ. 25. cap. 16. de Regular.* Non autem poſteà. n. 28. & ſeqq. Poteſt quis ex novo titulo redire ad Beneficium anteâ reſignatum. n. 41. Sed tunc ultimum locum tenebit præ alijs. n. 42. Regulariter quilibet Clericus Beneficiarius poteſt renunciare ſuo Beneficio. cit. T. 9. n. 43. & ſeqq. F. 345. Nequit tamen Clericus reſignare Beneficium, niſi aliunde habeat, unde ſuſtentetur. n. 46. Nec illud Beneficium;

ficium, ad cujus titulum fuit ordinatus, niſi &c. n. 47. Intelligendo hoc de reſignatione voluntaria. n. 48. Beneficium litigioſum, quid? n. 56. Et an poſſit alteri reſignari? n. 55. & 57. & ſeq. Beneficium reſervatum poteſt quidem ſimpliciter dimitti, non tamen alteri reſignari. n. 59. Idémque dicendum de Beneficio unito. n. 60. Et de Beneficio patronato, atque electivo ſine conſenſu Patroni, vel eligentium. n. 61. & 62. Beneficiorum permutatio an ſit licita? n. 82. & ſeqq. Et qualiter inſtituenda? n. 90. & ſeqq. Vacatio Beneficij per mortem vel per renuntiationem, an differat? T. 7. n. 60. F. 334. Vide infrà ℣. *Permutatio beneficiorum.* & ℣. *Renunciatio.* & ℣. *Renuntiare.*

Beneficia Eccleſiaſtica non ſunt Hæreditario jure, vel ſpeciem Hæreditariæ ſucceſſionis referente, transferenda. T. 9. n. 111. F. 354. Quando Epiſcopus, aut Capitulum Cathedrale, negligit intra debitum tempus conferre Beneficia, ad quem tunc devolvatur poteſtas ea conferendi? T. 10. n. 22. F. 365. Collatio Beneficij facta poſt debitum tempus non valet. n. 23. Etiamſi primo die poſt illud fiat. n. 24. Niſi de patientia toleretur. n. 25. Beneficia tempore ſuæ legationis vacantia, an, & quæ legatus à latere conferre poſſit? T. 30. n. 31. & ſeqq. F. 496. Ratione Beneficij in ejus Diæceſi obtenti, an, & quibus concurrentibus poſſit quis ab Epiſcopo illo ordinari? T. 11. n. 80. & ſeqq. F. 385. In præficiendis, ſeu promovendis ad Beneficia Eccleſiaſtica, quæ qualitates requirantur? T. 14. n. 2. & ſeqq. F. 413. Vide infrà ℣. *Præficiendi.* Si Papa reſcribit pro nō habente debitas qualitates, an, & quando talis ſit inſtituendus in Beneficio? n. 4. Quando Eccleſia diſpenſativè conceditur Minorenni, debet ipſa interim non per laicos, ſed Clericos regi. n. 5. Ad Beneficium obtinendum quis poſſit diſpenſare cum illegitimis? T. 17. n. 8. & ſeqq. F. 427. Vide infrà ℣. *Illegitimorum* Filius, etiam legitimus Sacerdotis, nequit immediatè ſuccedere in Beneficio paterno. n. 33. & ſeqq. An ab immediata ſucceſſione in Beneficijs etiam excludantur conſanguinei prioris Beneficiarij? n. 37. & 38. Ac pater reſpectu filij ſui legitimi? n. 39. Et nepotes reſpectu avi? n. 40.

Beneficijs in Eccleſiaſticis quilibet ſuo officio per ſe fungi debet. T. 28. n. 6. & 7. F. 454. Aliqua tamen poſſunt expediri per Vicarios. n. 7. Pacta circa Beneficia Eccleſiaſtica, quæ ſpecialiter in Jure prohibeantur? T. 35. n. 69. & ſeqq. F. 549. Vide infrà ℣. *Pactum pro obtinenda* &c. Transactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico an ſit licita? T. 36. n. 36. & 39. F. 563. Quomodo ſuper Beneficio Eccleſiaſtico poſſit fieri amicabilis compoſitio? n. 40. & 41. & ſeqq. Beneficio ſpoliatur Clericus, ſi contra Eccleſiam, in qua Beneficium habet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator exiſtat. T. 37. n. 23. F. 570. Beneficio renuntians per metum gravem, poteſt illud repetere. T. 40. n. 32. F. 600. Et quid, ſi juramentum circa hoc intervenerit? Ibid. Clericus minorennis in renuntiatione Beneficij graviter læſus, an reſtituatur in integrum? T. 41. n. 53. & ſeqq. F. 621. An Clericus ille indigeat novâ Collatione Beneficij, ad quod reſtituitur? n. 88.

Beneficiarij Clerici debitam Fidei profeſſionem omittentes, qualiter peccent? T. 1. n. 188. & 189. F. 82. Et qualiter fructus non faciant ſuos? n. 190. & ſeqq. Clerici beneficiarij omittentes recitationem Horarum Canonicarum, tenentur reſtituere fructus Beneficij ante ſententiam declaratoriam judicis, & cur? T. 2. n 235. ac ſeqq. F. 131. Beneficiarius non eſt dominus poſſeſſionum ſuæ Eccleſiæ, ſed adminiſtrator, & quaſi uſufructuarius. T. 7. n. 51. F. 333. Clericus beneficiarius nequit propriâ authoritate, ac ſine conſenſu Superioris, Beneficium reſignare. T. 9. n. 13. & ſeqq F. 340. An ſaltem ex cauſa ingrediendi Religionem id fieri poſſit? n. 21. & ſeqq. Vide infra ℣. *Renuntiari.* An quilibet Clericus poſſit renuntiare ſuo Beneficio? cit. T. 9. n. 43. & ſeqq. F. 345. Clericus intruſus, aut non habens titulum Canonicum in Beneficio, nequit illud reſignare. n. 49. Nec promotus ad ſecundum beneficium incompatibile cum priori, vel matrimonium contrahens &c. n. 50. Neque criminoſus, ſi ipſo jure privatus eſt Beneficio; alias ſecùs. n. 51. & ſeqq. Conſecutus Eccleſiam Parochialem nondū Sacerdos, an eam poſſit reſignare, durante anno? n. 66. Quid juris de Beneficiarijs reſignantibus causâ infirmitatis, ſeu ante mortem. n. 67. & ſeqq. Clericus reſignans Beneficium, an poſſit percipere fructus ejus; & quales? T. 9. n. 120. & ſeqq. F. 360. Melius eſt, paucos habere dignos Altaris miniſtros, quàm multos inutiles. T. 14. n. 2. F. 413.

Bigamia, & Polygamia, quid? T. 21. n. 1. F. 441. Bigamus, Trigamus, &c. quis; & undè ſic dicatur? n. 3. Bigamia inducit irregularitatem. n. 4. & ſeqq. Quæ deſcendit ex traditione Apoſtolica. n. 5. Bigamia eſt triplex. n. 7. & ſeq. Bigamia vera, quæ? n. 8. Hæc inducit irregularitatem, etiam contracta ante Baptiſmum. n. 9. & ſeqq Bigamia interpretativa, quæ? n. 12. Incurritur etiam ab eo, qui ignoranter cognovit uxorem adulteram, vel duxit corruptam. n. 13. & 14. Etiamſi mulier per vim fuiſſet cognita ab alio. Ibid. Bigamia ſimilitudinaria, quæ? n. 15. Fornicans cum pluribus non incurrit Bigamiam. n. 17. & ſeq. Irregularitas Bigamiæ non inducitur propter crimen, ſed propter defectum ſacramenti; & cur? n. 6. & 18. An efficiatur bigamus, qui à ſe ſolo defloratam duxit in uxorem? n. 21. Bigami omni privilegio Clericali ſunt privati; & quomodo? n. 24. & ſeqq. Quid ſi matrimonium cum vidua, vel cum ſecunda contractum, exiſtat invalidum? n. 26. Dicta pœna privationis omnis privilegij Clericalis, habet ſolummodò locum in Clericis Minoriſtis, n. 27.

n. 27. Papa poteſt diſpenſare in omni Bigamia. n. 28. Solvuntur contraria. n. 29. & 30. Etiam Epiſcopus poteſt diſpenſare in Bigamia occulta proveniente ex delicto. n. 31. Non autem in vera, vel interpretativa Bigamia notoria. n. 32. & ſeqq. Quid dicendum de Bigamia ſimilitudinaria? n. 38. & 39.

Breve Apoſtolicum, quid, & cur ſic dicatur? T. 2. n. 16. F. 92. Brevia Apoſtolica etiam vocantur Conſtitutiones Apoſtolicæ. cit. T. 2. n. 15. F. 92. Habent eandem vim, ac Bullæ. n. 18. Differunt tamen in pluribus alijs, & quibus? n. 19. & 20 Brevia Pœnitentiariæ, quæ? n. 21.

Bulla, quid, & quomodo fiat? T. 2. n. 17. F. 92. Bullæ etiam vocantur Conſtitutiones Apoſtolicæ. n. 15. Bullæ in quo differant à Brevibus Apoſtolicis? n. 16. & ſeqq. Ratio, cur multæ Bullæ Pontificiæ in varijs Regionibus non obligent. T. 2. n. 134. F. 113. Vide infrà ℣. *Conſtitutio.* & ℣. *Reſcriptum.* Bullæ Pontificiæ ob raſuram non facilè ſolent reijci; & cur? T. 3. n. 229. F. 220.

C.

Calix conſecratus, ſi poſteà deauretur, an indigeat novâ conſecratione? T. 16. n. 31. & ſeqq. F. 423. Sententia negativa eſt probabilis. n. 31. Probabilius tamen eſt, quòd Calix per deaurationem amittat conſecrationem; atque ideò ſit reconſecrandus n. 32. & 33. Solvuntur contraria. n. 34. & 35.

Campanæ Sabbato Sancto pulſari nequeunt ante Eccleſiam cathedralem, vel majorem. T. 31. n. 160. F. 520. Quid agendum, ſi Regulares citiùs abſolvant Actum ſolemnem illius diei? n. 163.

Canon, quid? P. n. 37. F. 8 Sacrorum Canonum primi Collectores, qui? P. n. 55. F. 11. Canon largè, & ſtrictè, quid? T. 2. n. 7. & 8. F. 91. Canones ſi deficiant, poſſunt in cauſis Eccleſiaſticis allegari Leges. T. 2. n. 321. F. 145. Id practicârunt ipſimet Summi Pontifices. Ibid.

Canonicatus, & Portiones Eccleſiarum Cathedralium, habent annexum Ordinem ſacrum. T. 14. n. 19. F. 414. Secùs dicendum de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum. n. 20. Vide ſuprà ℣. *Beneficia.*

Canoniſta, an ſit præferendus Theologo in promotione ad Dignitates Eccleſiaſticas? P. n. 44. & ſeqq. F. 9. Sententia S. Joannis Capiſtrani circa hoc. n. 46. Canoniſta præfertur Theologo in caſu Vicarij Capitularis, per Capitulum Sede Epiſcopali vacante conſtituendi. T. 28. n. 73. F. 461.

Capitulares vocati, & electioni intereſſe nolentes, cenſentur ſe feciſſe alienos. T. 6. n. 197. & ſeqq. F. 300. Nec ordinariè compelli poſſunt, ut interſint electioni. n. 168. Quid juris, ſi cæpto electionis tractatu aliqui Vocales egrediantur, & redire nolint? n. 200. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Electio.*

Capitulum Cathedrale, an habeat poteſtatem ferendi ſtatuta? T. 2. n. 84. & ſeqq. F. 104. Nequit vivente Epiſcopo facere Statuta obligantia Diœceſin. n. 84. Neque talia Statuta, queîs Papa derogare nequeat. n. 85. Aut, quæ ſunt Juri communi contraria. Ibid. Quod exemplificatur in pluribus. n. 86. Poteſt tamen condere Statuta de his, quæ tangunt ſua negotia, aut proprios Capitulares. n. 87. Ad horum tamen valorem requiruntur quatuor conditiones, & quæ? n. 88. Capitulum Cathedrale Sede vacante poteſt facere Statuta obligantia totam Diœceſin, etiam in tempus futuri Epiſcopi, donec revocentur. n. 89. & 90. Solvuntur objectiones. n. 90. & ſeqq. Poteſt etiam tollere leges ab Anteceſſoribus latas. n. 92. & 93.

Capitulum Sede vacante habet poteſtatem diſpenſandi in illis caſibus, in quibus jure ordinario diſpenſat Epiſcopus. T. 2. n. 475. & 476. F. 170. An poſſit admittere reſignationes Beneficiorum, aut eorum permutationem. T. 9. n. 7. F. 339. Aut Beneficia conferre. Ibid. Capitulum Sede vacante, an poſſit concedere Litteras Dimiſſorias? T. 11. n. 120. & ſeqq. F. 391. Vide infrà ℣. *Dimiſſoriæ litteræ.* An poſſit diſpenſare in Interſtitijs? T. 11. n. 155. F. 397. Poteſt diſpenſare cum illegitimis, ſicut Epiſcopus. T. 17. n. 15. F. 427. Capitulum Sede vacante tenetur hodie Vicarium Capitularem conſtituere T. 28. n. 70. & 71. F. 461. Intra quod tempus, & qualem, teneatur eligere? n. 72. & ſeqq. An Vicarium à ſe conſtitutum poſſit revocare ad libitum? n. 110. & 111. Nequit abſque Vicario Capitulari eligere Viſitatorem ad viſitandam Diœceſin, aut Vicario abſente alium ſubſtituere. n. 112. Vide infrà ℣. *Vicarium Capitularem.* Capitulum Sede vacante venit nomine Ordinarij. T. 31. n. 13. F. 501. Capitulum Cathedrale quomodo ſuppleat impotentiam Epiſcopi excommunicati, capti ab hoſtibus, vel lapſi in amentiam &c. T. 10. n. 35. & 37. & ſeqq. F. 367.

Capitula poſſunt tollere Statuta à ſe condita. T. 2. n. 533. & ſeqq. F. 181. Quid, ſi hæc ſint jurata? n. 534. & ſeqq. An poſſint tollere ſtatuta per Summum Pontificem confirmata. n. 540. & ſeqq.

Capituli major pars, quæ? T. 6. n. 138. F. 292. Ad hanc ſufficit exceſſus unius medij voti ultra medietatem. n. 139. Non tamen computantur vota ſingularia data extra Collegium, & cur? n. 140. Sanior pars Capituli, quæ? n. 142. Major pars numero, præſumitur etiam ſanior. n. 143. Sed contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium. n. 144. Ad electionem validam requiritur, ut ſit facta ſimul à majori, & ſaniori parte Capituli. n. 145. & ſeqq. Quid juris, quando numerus, vel ſanioritas multùm excedit, vel parùm duntaxat? n. 148.

Cardinalium Collegium non poteſt Sede Papali vacante

vacante condere leges; & cur ſecùs in Capitulo Cathedrali Sede vacante? T. 2. n. 91. F. 106. Cardinales S. R. E. an poſſint eligi in Epiſcopum, vel debeant poſtulari? T. 5. n. 44. & ſeq. F. 265. Cardinales ſunt Epiſcopis majores quoad officium, non quoad dignitatem Ordinis Epiſcopalis. n. 49. & 51. Cardinales habent alas ligatas. n. 50. & 44. Habent in Eccleſijs ſui Tituli jurisdictionem quaſi Epiſcopalem. n. 51. & 44. Ad Cardinalatum inhabilis eſt illegitimus, etiamſi per ſubſequens Matrimonium legitimetur, aut diſpenſetur. T. 17. n. 7. F. 426.

Caſtitas major requiritur in uxore Clerici, quàm in Clerico; & cur? T. 21. n. 20. F. 444.

Catechumeni poſſunt ſalvari; & quomodo ipſi ſint in Eccleſia? T. 1. n. 128. & 129. F. 71. An obſtringantur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? T. 2. n. 278. & ſeqq. F. 139.

Cathedraticum, quid, & unde ſic dicatur? T. 31. n. 94. F. 511. Pertinet ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum. Ibid.

Cauſæ majores Eccleſiæ, & Papæ ſpecialiter reſervatæ, quæ? T. 7. n. 3. F. 325. In cauſa denegatæ juſtitiæ ſupplet Archiepiſcopus negligentiam Epiſcopi. T. 10. n. 29. F. 366. Quæ ad hoc requirantur? n. 30. Et an ſufficiat, quòd ſemel denegata ſit juſtitia? n. 31. Quid juris in cauſa protractæ juſtitiæ? n. 32. & 33. Cauſæ, ſeu negotia, quænam delegari poſſint? T. 29. n. 74. & ſeqq. F. 478. Utrùm etiam cauſæ meri, & mixti Imperij, poſſint delegari? n. 78. & ſeqq. Cauſa eadem an poſſit pluribus ſimul delegari? n. 111. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Delegari* & ℣. *Delegari pluribus.*

Cauſa motiva, & impulſiva, reſpectu obtinendi Reſcripti, quæ? T. 3. n. 183. F. 212. Si circa eam contingat ſubreptio, an, & quando vitientur Reſcripta? n. 182. & ſeqq. Cauſa impulſiva movet ad concedendum effectum; quomodo? n. 190. & 191. Quænam ex pluribus cauſis allegatis ſit cenſenda motiva, & quæ ſolùm impulſiva? n. 195. & 196. Vide infrà ℣. *Reſcriptorum ſubreptio.*

Cauſæ civiles mercedum, & miſerabilium Perſonarum, quæ? T. 31. n. 164. F. 521. Poſſunt in his Regulares debitores extra Conventum degentes conveniri coram Ordinarijs. n. 163.

Charitativum ſubſidium ſpectat ad Legem Diœceſanam Epiſcopi. T. 31. n. 104. F. 512. An ad iſtud præſtandum teneantur Monaſteria? Ibid.

Chirographũ reddens debitori ſuo, cenſetur, tacitè debitum remittere; ſecùs, ſi reddat ei pignus, & cur? T. 35. n. 13. F. 542.

Chriſma, quid, & ubi adhibeatur? T. 16. n. 25. F. 422. Chriſma, an ſit de eſſentia Sacramenti Confirmationis? n. 20. & 21. ac ſeqq. Quid agendum, ſi in conferendo Confirmationis Sacramento per errorem non Chriſma, ſed Oleum adhibeatur? n. 19. & ſeqq. An ſit iterandum Sacramentum extremæ Unctionis, ſi per errorem Chriſma pro Oleo infirmorum adhibeatur? n. 24. & 28. ac ſeqq.

Chriſtiani Catholici, qui? T. 1. n. 42. F. 56. Chriſtiani in ſervitutem Turcicam abducti, à nobis reputantur liberi. T. 18. n. 12. F. 432. Defactò capti in bello inter Chriſtianos geſto, non ampliùs efficiuntur ſervi, & cur? n. 10.

Chriſtus à tota Trinitate cõmuniter eſt incarnatus. T. 1. n 13. & ſeq. F. 50. Chriſtus Jeſus idem ipſe Sacerdos eſt ſacrificium. cit. T. 1. n. 130. & ſeqq. F. 72. Chriſtus in ultima Cœna ſeipſum comedit. Ibid. Eſt Sacerdos. n 131. Et principalis offerens novæ Legis ſacrificium. n. 132. Chriſto adhuc viventi lanceâ latus fuit apertum. n. 232. Et reprobatur opinio contraria, & cur? Ibid.

Claudus an valeat ordinari. T. 20. n. 15. F. 438.

Clauſula illa, *Aliâ etiam declaratione non ſecutâ*, quid operetur? T. 2. n. 227. & 229. F. 129. Referuntur Jura, in quibus ea apponitur. n. 229. Ea rarò locum habet. n. 237. & 238. Clauſula illa, *Vires nolumus obtinere, Nullam obtineat firmitatem* &c. quando importet nullitatem ipſo jure? T. 3. n. 94. F. 198. Sub clauſula, *Et quidam alij*, in Reſcripto juſtitiæ qui comprehendantur? T. 3. n. 122. F. 202. Clauſula illa, *Si ita eſt, Si preces veritate nitantur*, in Reſcriptis vel apponitur, vel ſubintelligitur? n. 141. Idem dicendum de clauſula *Salvo jure alterius*? n. 142. Clauſula *Non aliter*, denotat formam ſubſtantialem in Reſcriptis. n. 151. Clauſula, *Nullâ obſtante conſuetudine contrariâ*, quid operetur? T. 4. n. 53. & 54. F. 234. & n. 184. ac ſeqq. F. 256. Clauſula *Tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus*, & Clauſula, *Etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus*, quid importet? T. 29. n. 36. & ſeqq. F. 472.

Clerici Beneficiarij, quinam teneantur facere profeſſionem Fidei? T. 1. n. 156. & 157. & ſeqq. F. 77. Clerici Beneficiarij debitam Fidei profeſſionem facere omittentes, qualiter peccent? cit. T. 1. n. 188. & 189. F. 82. Qualiter ipſi fructus non faciant ſuos? n. 190. An hæc pœna procedat de Diſtributionibus quotidianis? n. 191. & 192. Pœna iſta non procedit de fructibus primorum duorum menſium, ſed de fructibus poſteà primùm decurrendis. n. 193. Et hoc, etiamſi poſteà Beneficiarius emittat profeſſionem Fidei n. 194. An Beneficiarius non faciens debitam Fidei profeſſionem, teneatur reſtituere fructus ſui Beneficij ante omnem Judicis ſententiam? n. 195. & ſeqq. Clericis Beneficiarijs omittentibus profeſſionem Fidei, non ſuffragatur poſſeſſio Beneficij; & qualiter? n. 199. & ſeqq. Nec defenduntur Regulâ, *De Annali Poſſeſſore* &c. n. 101. & ſeqq. Quibus teneatur applicare fructus Beneficij ob intermiſſam Fidei profeſſionem nõ acquiſitos? n. 205. & ſeqq. Omittentes Horas Canonicas tenentur ad reſtitutionem fructuum ante ſententiam declaratoriam Judicis. T. 1. n. 235. & ſeqq. F. 131.

Clerici an obligentur Legibus Civilibus, & Statutis ſæcularibus? T. 2. n. 290. & ſeqq F. 141.

Præſertim, quæ nominatim diſponunt de Eccleſijs, rebúsque Eccleſiaſticis? n. 290. & 291. Etiam in earundem commodum, & favorem? n. 292 & ſeqq. Clerici an teneantur legibus, & Statutis Laicorum, quæ aliquid generaliter præcipiunt, aut prohibent, nec Statui Clericali præjudicant? n. 300. & ſeqq. Statutum ſæculare taxans juſtum pretium frumenti &c. obligat Clericos, & quâ ratione? n. 304. Quid dicendum de Edicto prohibente extractionem frumenti è Regno, & hujusmodi? n. 305 & 306. Clerici an poſſint compelli ad talium Statutorum ſæcularium obſervantiam; & à quo? n. 309. Conſilium optimum, exemplo S. Caroli Borromæi in talibus caſibus practicandũ. n. 310 Differentia inter Statutum Laicorum, quod ſpecificè diſponit de Clericis ſeu Eccleſijs, & quod generaliter procedit. n. 311.

Clerici ſunt membra Reipublicæ, ſpecialiter tamen privilegiata. T. 2. n. 313. & 317. F. 145. Ad Clericos extenduntur Leges ſæculares de contractibus, ſi ſint favorabiles: ſecùs, ſi ſunt præjudiciales. n. 315. & ſeqq. Hæc diſtinctio declaratur exemplo Pupilli, ac Servi. n. 316. Ad Clericos extenduntur Leges Corpori Juris Civilis inſertæ, diſponentes circa contractus &c. ſi ſacris Canonibus non contrarientur. n. 320. An pariter extendantur ad Clericos Statuta inferiorum Laicorum circa contractus, n. 322. Sententia negativa eſt communis, ac tenenda. n. 324. ac ſeqq. Dantur nihilominùs certi caſus, in quibus Statuta Laicorum extenduntur ad Clericos, vel hos afficiunt. n. 328. Et qui ſint illi caſus? n. 329. usque ad n. 350. Clericus quando agit contra Laicum in Foro Civili, debet ſervare in præparatorijs judicij Statuta Laicorum. cit. T. 2. n. 335. F. 149. Tale tamen Statutum non afficit Clericum directè, ſed ſolùm indirectè. n. 336. Clericus, ſi vult uti Statutò Laicali pro ſe, tenetur illud etiam admittere contra ſe. n. 337. & ſeqq. Clericus, etiam volens, non poteſt in Judicem Laicum conſentire. n. 315. Clericus quandoque habendus eſt jure Laici. n. 341. Ut accidit in Clerico negotiatore, vel ſi non alio jure paſcere poteſt, niſi Civico. Ibid. Clericus an teneatur Statuto Laicali irritante contractum factũ absque certa ſolemnitate? n. 342. & ſeqq.

Clericus non Epiſcopus ut exerceat ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, nequit conſuetudine etiã immemoriali acquiri. T. 4. n. 81. F. 239. Benè tamen poteſt hoc fieri ex conceſſione Papæ; & quæ ratio diſparitatis? n. 82. Omnes Clerici Epiſcopis inferiores poſſunt eligi. T. 5. n. 52. & ſeqq. F. 266. Clericus magis tenetur obedire Epiſcopo, quàm Principi ſæculari contrarium præcipienti. T. 33. n 33. F. 537 Majoritas inter Clericos conſideratur ex quinque cauſis; & quibus? n. 3. & ſeqq.

Clerici utrùm poſſint poſtulare, ſeu agere Advocatum ad lites? T. 37. n 15. & ſeqq. F. 569. Saltem pro Foro Eccleſiæ? n. 17. Et quid, ſi quis ſit Sacerdos? n. 18. & 19. Clerici pro ſe, aut Eccleſia ſua, & pro miſerabilibus perſonis, poſſunt Advocatum agere etiam in Foro ſæculari. n. 19. In cauſis criminalibus tamen, ubi agitur de pœna ſanguinis, Clericus omnino abſtineat à poſtulando. n. 21. Etiam ex parte Rei & ad hujus defenſionem. n. 22. Clericus non poteſt contra Eccleſiam, in qua Beneficium habet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator exiſtere; alioquin ſpoliatur Beneficio. n. 23.

Clerici in ſuis bonis patrimonialibus nõ gaudent Beneficio reſtitutionis in integrũ, bene tamen Eccleſia; & quæ ratio diſparitatis? T. 41. n. 32. & 33. F. 614. *Eodem privilegio gaudent bona Clericorum & Eccleſiarum*: quomodo intelligendum? n. 34. Vide infrà. ℣. *Reſtituere in integrum.* Clerico minorenni in renuntiatione Beneficij Eccleſiaſtici graviter læſo, an danda ſit reſtitutio in integrum? n. 83. & ſeqq. Clericus ille an indigeat novâ collatione Beneficij, ad quod reſtituitur? n. 88.

Clerici peregrini non ſunt admittendi ad Divina celebranda ſine Commendatitijs ſui Ordinarij. T. 22. n. 3. F. 447. Explicatur *cap. I. De Cleric. peregrin.* requirens ad hoc quinque Epiſcoporum ſigilla. n. 4. Si Clericus caſualiter amiſit litteras Teſtimoniales, non ſufficit ſola oblatio juramenti de ſua ordinatione n. 5. Quomodo in tali caſu probanda ſit ordinatio Clerici? n. 6. & 7. Titulus 22. *De Clericis peregrinis,* quâ ratione differat à Titulo penultimo Libri ſecundi Decretalium, qui inſcribitur, *De Clericis peregrinantibus*? n. 1.

Clerus non comprehenditur nomine Populi, in materia odioſa. T. 2. n. 318. F. 147.

Coactio duplex, abſoluta, & conditionalis. T. 40. n. 11. F. 597. Geſta per coactionem abſolutam, ipſo Jure ſunt irrita. n. 10. & 3.

Collatio Beneficij, & Proviſio, an ſint idem? T. 3. n. 97. F. 198. & T. 6. n. 16. & ſeqq. F. 272. Collatio libera Beneficij, quæ? cit. T. 6. n 22. & 24. F. 273. Collatio generatim dividitur in liberam, & neceſſariam. n. 23. Cur hæc dicatur neceſſaria, & prior libera? n. 24. Collatio libera quodammodò eſt donatio. Ibid. In quo hæc differat ab Electione? n. 25. Collatio Beneficij ad quem devolvatur, quando Epiſcopus, aut Capitulum Cathedrale, negligit illud intra debitum tempus conferre? T. 10. n. 22. F. 365. Non valet collatio Beneficij facta poſt debitum tempus. n. 23. Etiamſi primo die poſt illud fiat. n. 24. Niſi de patientia tolleretur; & cur non valeat? n. 25. Collatio Beneficiorum, an, & qualiter per Legatum à Latere fieri poſſit? T. 30. n. 31. & ſeqq. F. 496.

Collatio votorum poſt publicationem Scrutinij eſt facienda; & quomodo? T. 6. n. 130. F. 290. Collatio illa debet eſſe numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum. n. 131. Et quâ ratione fiat hæc triplex collatio? n. 132. In electione unanimi fit ſola collatio numeri, zeli, & meriti; & quomodo? n. 134. Idem dicen-

dicendum, ſi quis à duplo majori parte eſt electus. n. 135. In electionibus Regularium fit ſola collatio numeri ad numerum; & cur? n. 136. & 137. Vide infrà ℣. *Scrutatores* & ℣. *Vota*. In electionibus quando vota dantur per ſchedulas, an, & quomodo poſſit fieri collatio zeli ad zelum? T. 6. n. 334. & 335. F. 322.
Commiſſio gratioſa, ſeu facultas in favorem tertij conceſſa, quando cenſeatur continere gratiam factam, vel faciendam? T. 3. n. 253. F. 224.
Commodum qui ſentit, debet ſentire & onus: Limitatur. T. 2. n. 312. F. 145.
Compoſitio amicabilis, quæ, & quomodo differat à Tranſactione? T. 36. n. 13. & 14. F. 559. Compoſitio amicabilis, quomodo poſſit fieri ſuper Beneficio Eccleſiaſtico? cit. T. 36 n. 40. & ſeqq. F. 563. Compoſitor amicabilis, quomodo differat ab Arbitro? T. 43. n. 4. F. 631.
Compromiſſarius datus ad eligendum, poteſt poſtulare. T. 5. n. 28. F. 263. Compromiſſarij in electionibus, quales eſſe debeant? T. 6. n 69. & ſeqq. F. 279. An neceſſariò debeant eſſe de gremio Capituli? n. 69. Non poſſunt eſſe Laici. n. 70. Compromittentes tenentur recipere electum à Compromiſſarijs cæteroquin idoneum. T. 6. n. 85. F. 282. Si Compromiſſarius elegit indignum, poteſtas eligendi revertitur in Compromittentes. n. 88. Niſi hi ratam habuerint talem electionem indigni. n. 89. Et ad quem tunc devolvatur poteſtas eligendi? n. 90. Compromiſſarius eligens ſcienter indignum in Epiſcopum, quas pœnas incurrat? n. 91. & 92. Quid juris, ſi compromiſſarius negligat eligere intra tempus à Jure ſtatutum? n. 93. & ſeqq. Diſparitas inter talem Compromiſſarij negligentiam, & electionem indigni. n. 95. Quando Compromiſſarius elegit idoneum, ſed is conſentire renuit, jus eligendi redit ad Compromittentes. n. 96. Unus Compromiſſarius nequit eligere ſeipſum. n. 97. Etiamſi judicet ſe cæteris digniorē. n. 98. Compromiſſarij ſi ſint plures, poſſunt eligere unum ex ſeipſis. n. 99. & ſeqq. Compromiſſarius à medietate aliorum Compromiſſariorum electus, & electioni de ſe factæ conſentiens, cenſetur ritè electus. n. 101. & ſeqq. Nec talis eligit ſeipſum. n. 102. Solvuntur inſtantiæ. n. 103. & 105. & ſeqq.
Compromiſſum, ſeu poteſtas eligendi data Compromiſſarijs, an, & quâ ratione revocari valeat? T. 6. n. 79. & ſeqq. F. 281. Poteſt illud re integrâ liberè revocari: ſecùs, ſi res non ampliùs ſit integra. n. 79. & 80. Res integra in propoſito, quamdiu ſit? n. 82. Compromiſſum nequit revocari à paucioribus. n. 83. Compromittentes tenentur recipere electum à Compromiſſarijs. n. 85. Dummodo ſervata fuerit forma Compromiſſi. n. 86. Simúlque electus exiſtat idoneus. n. 87. & ſeqq. In Compromiſſo conſenſus electi auget numerum votorum. n. 103. & ſeqq. Forma eligendi per Compromiſſum, & quaſi Inſpirationem, an ſit ſublata quoad Regulares per Concil m Tridentinum? T. 6. n. 347. & ſeqq. F 324. Vide infrà ℣. *Electio per compromiſſum.*
Compromiſſum in Arbitros vel fit ſimpliciter, vel cum adjectione pœnæ. T 43. n. 82. F. 640. Quis ſit effectus Compromiſſi in arbitros ſimpliciter facti, & Laudi per hos pronuntiati? n. 83. & ſeqq. Quis ſit effectus Compromiſſi in arbitros cum appoſitione pœnæ facti, & Laudi per eos pronuntiati? n. 87 & ſeqq. Compromiſſum in arbitros, quibus modis finiatur? n. 110. & ſeqq.
Conceſſio ſpecialis eſt fortior, quàm generalis: declaratur. T. 2. n. 311. F. 145. *Conceſſum intelligitur, quod expreſsè non prohibetur.* T 3. n. 33. F. 188. Et *Prohibitum intelligitur, quod non reperitur conceſſum*: Concordantur hæ Regulæ. n. 34.
Concilium Generale abſolutè poſitum, & Concilium Lateranenſe, quale? P n. 112. F. 22 In Decreta Concilij Tridentini prohibitum eſt, Gloſſas, ullúmve interpretationis genus edere. P. n. 124. F. 25. Sed hoc ſpecialiter conceſſum eſt Sacræ Congregationi Cardinalium; & quâ ratione? n. 125. & ſeqq. Concilium Generale Viennenſe quando celebratum, & quæ in ipſo fuerint definita? T. 1. n. 231. & ſeqq. F. 88. Concilium Generatim, quid? T. 2. n. 60. F 98. & 99. Concilium Generale, Provinciale, Epiſcopale, ſeu Synodus Diœceſana, quid? n. 61. Concilium Generale poteſt facere Conſtitutiones totam Eccleſiam obligantes. n. 62. Dummodò acceſſerit confirmatio Summi Pontificis. n. 63. Cur Concilium Generale convocetur à Papa? n. 64. & 65. Concilium Generale non eſt ſupra Papam. n. 66. Concilia particularia poſſunt facere novas Conſtitutiones, quæ tamen ſolùm obligant ſubditos proprij territorij. n. 67. Unde quædam Decreta Conciliorum particularium habeant vim Legis univerſalis? n. 68.
Concilij Generalis Decretis, an derogetur abſque expreſſa ejus mentione? T. 2. n 519. & ſeqq. F. 178. Refertur ſententia negativa, præſertim ſi Concilium Generale ſit noviſſimum. n. 519. & ſeqq. Sententia hæc generaliter prolata non ſubſiſtit. n. 522. & ſeqq. Per poſterius Decretum Concilij Generalis derogatur priori directè contrario, nullâ factâ ejus mentione. n. 523. Idipſum patet ex praxi Concilij Tridentini. n. 524. Etiam per Conſtitutiones Pontificias, derogatur prioribus Decretis Concilij Generalis directè contrarijs, abſque expreſſa mentione Concilij. n. 525. & 526. Secus dicendum de Reſcriptis. n. 527. Diſparitas inter Reſcripta, & Conſtitutiones Pontificias quoad hoc. n. 527. & 528. Pro derogatione Concilij Tridentini ſufficit clauſula generalis abſque ſpeciali ejus mentione; & cur? n. 529. & ſeqq. Stylus Curiæ Romanæ cur in conceſſionibus vel confirmationibus privilegiorum

apponat clauſulam illam: *Quatenus Decretis Concilij Tridentini non adverſantur?* n. 530. Concilio Tridentino nec ſolet, nec oportet, ſpecialiter derogare. n. 531. & 532.

Concordata Germaniæ, quid diſponant circa præſentationē Reſcriptorum ad Beneficia? T. 3. n. 68 F. 193. Per Concordata Germaniæ confirmatio Epiſcoporum reſervatur Summo Pontifici. T. 6. n. 322. F. 320.

Conditio appoſita ſuſpendit effectum conceſſionis Pontificiæ. T. 3. n. 75. F. 194. Conditio eſt ſervanda in forma ſpecificata. T. 9. n. 147. F. 260.

Confeſſarij quomodolibet exempti, ſollicitantes in Confeſſione, ſubſunt InquiſitoribusHæreticæ pravitatis, & locorum Ordinarijs. T. 31. n. 151. F. 519.

Confirmatio ſuæ electionis eſt per Electum poſt præſtitum conſenſum petenda intra bimeſtre. T. 6. n. 319. F. 319. Et intra menſem tenetur Electus iter arripere ad Sedem Apoſtolicam, ſi ad hanc ſpectet confirmatio. n. 320. Spectato Jure communi confirmatio electionis pertinet ad immediatum Superiorem. n. 321. Tamen per Concordata Germaniæ confirmatio Epiſcoporum reſervatur Summo Pontifici. n. 322. Quæ ſint obſervanda ante confirmationē concedendam? n. 323. Confirmanti incumbit, qualitates Electi, atque Proceſſum electionis anteà diligenter explorare. Ibid. Si electus habeat electionis ſuæ Adverſarium, is ante confirmationem nominatim vocabitur; aliàs Generale Edictum in Eccleſia proponatur. n. 324.

Confirmationis Sacramentū poteſt ex conceſſione Papæ conferri per ſimplicem Sacerdotem. T. 4. n. 82. F. 239. & T. 13. n. 22. F. 411. Quid agendum, ſi in conferendo Confirmationis Sacramento per errorem non Chriſma, ſed oleum adhibeatur? T. 16. n. 19. & ſeqq. F. 422. Refertur ſententia eorum, qui aſſerunt, Chriſma non eſſe de eſſentia Sacramenti Confirmationis. n. 20. Oppoſita aliorum ſententia declaratur, & probatur. n. 21. & 22.

Conſervator, quis? T. 29. n. 168. F. 491. Conſervatorem dat ſolus Papa, non Legatus ipſius. n. 169. Et quibus modis Papa eum concedere ſoleat? n. 170. Regulares ex privilegio Pontificio poſſunt eligere Conſervatorem. Ibid. Officium, & poteſtas Conſervatorum, quæ? n. 171. Solùm defendunt ſibi commiſſos à manifeſtis injurijs; & quæ pœna ſecùs facientium? n. 172. Quid juris, ſi citatus objiciat, injuriam non eſſe manifeſtam, aut non factam? n. 173. Quæ requirantur, ut quis Conſervator deputari valeat? 174.

Conſenſus Electi, auget numerum votorum in Compromiſſo. T. 6. n. 103. F. 284. An idem dicendum in alijs Electionibus? n. 104. & ſeqq. Præſertim Papæ? n. 149. Conſenſus Principis reſpectu inducendæ conſuetudinis poteſt triplex diſtingui; nimirum expreſſus, tacitus, & legalis. T. 4. n. 138. F. 248. Ad conſuetudinem ſufficit conſenſus legalis, ſeu juridicus Principis. n. 139. Conſuetudo ſumit vires ſuas non à ſubditis, ſed ab authoritate ſeu conſenſu Legislatoris. n. 140.

Conſilium reverentiæ, ſeu cui neceſſariò parendum eſt, quid? T. 2. n. 160. F. 118. Conſilium perfectionis; & Conſilium reverentiæ diſtinguuntur. Ibid. Lex Conſilij regulariter non eſt obligatoria? n. 128. Fallit hoc in tribus caſibus. n. 159.

Conſtantinopolis capta eſt à Turcis in Ferijs Pentecoſtalibus. T. 1. n. 38. F. 55.

Conſtitutio, unde ſic dicatur? T. 2. n. 2. F. 90. Conſtitutio ſtrictè accepta. n. 3. Et large, quid? n. 5. Conſtitutio, & Lex, ferè ſumuntur pro eodem. n. 3. Magis tamen uſitate differunt; & in quo? n. 4. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ varijs nominibus appellantur. n. 6. & ſeqq. Conſtitutiones Apoſtolicæ vocantur etiam Bullæ, & Brevia Apoſtolica. n. 15. & ſeqq. Conſtitutiones Papales de novo edendæ debent promulgari, & qualiter? T. 2. n. 110. & ſeqq. F. 109. Conſtitutiones Papales an obligent primùm poſt duos menſes factæ publicationis? n. 115. & 116. Conſtitutio Pontificia Romæ promulgata, an illicò obliget pro toto mundo abſque publicatione in Diœceſibus? T. 2. n. 117. F. 110. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Promulgatio.* Ad Conſtitutionem an requiratur acceptatio Populi? T. 2. n. 136. & ſeqq. F. 114. Conſtitutiones merè pœnales an dentur? T. 2. n. 197. & 199. ac ſeqq. F. 124. Vide infrà ℣. *Lex pœnalis.*

Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, ſeu ſacris Canonibus, quinam generatim obligentur? T. 2. n. 263. & ſeqq. F. 136. Conſtitutionibus Pontificijs obligantur omnes Chriſti Fideles. n. 263. Conſtitutiones autem inferiorum Prælatorum obligant tantùm ſubditos proprij territorij. n. 264. Neque iſtis adſtringuntur ſubditi actu non exiſtentes intra territorium Legislatoris. n. 265. Conſtitutionibus Eccleſiaſticis obligantur etiam hæretici. n. 274. & ſeqq. Secùs dicendum de Paganis, & Catechumenis. n. 278 & ſeqq. Solvuntur contraria. n. 280. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Leges obligant.* Conſtitutionum revocatio, derogatio, ſeu correctio. Vide infrà ℣. *Legis abrogatio.* & ℣. *Jurium correctio.*

Conſubſtantialitatis Filij cum Patre, quæ ratio? T. 1. n. 9. F. 49. *Conſubſtantiales*, quid ſignificet? cit. T. 1. n. 91. F. 65. Hoc nomen jam fuit uſitatum ante Concilium Nicænum. ibid.

Conſuetudine longævâ poteſt ex Lege humana mixta, fieri purè pœnalis? T. 2. n. 206. F. 125. Conſuetudo, & Statutum non differunt, niſi ſicut tacitum & expreſſum. cit. T. 2. n. 318. F. 147 Conſuetudo cōmuniter inducta in loco tam per Clericos, quàm per Laicos, obligat utroſque. n. 327. & 330. Quid, ſi alia conſuetudo vigeat inter Clericos, & alia inter Laicos. n. 331. Conſuetudo legitimè præſcripta tribuit jurisdictionem cit. T. 2. n. 471. F. 170.

Conſue-

Conſuetudo,unde ſic dicatur? T. 4. n. 2. F. 228. Sumitur tripliciter. n. 3. 4. & 5. Conſuetudinis nomen abſolutè poſitum, de quâ intelligatur? n. 5. Conſuetudo pro jure accepta, quid? n. 6. Dividitur variè juxta quatuor cauſarum genera. n. 7. & ſeqq. Conſuetudo ſecundùm legem, præter legem, & contra legem, quid? n. 8. & ſeqq. Cur contra Canones valeat Conſuetudo, non autem Lex inferioris? n. 11. Conſuetudo Canonica, & Civilis, quæ? n. 12. An detur Conſuetudo mixta? n. 13. Conſuetudo generaliſſima, generalis, & ſpecialis; quæ? n. 14. & ſeqq. Specialis prævalet generali. n. 16. Conſuetudo ſpecialiſſima, quæ? n. 17. Non facit jus, ſed præſumptionem inducit. Ibid. Conſuetudo judicialis, & extrajudicialis, qualis? n. 18.

Conſuetudo, quâ ratione differat à Legibus, & Statutis? T. 4. n. 19. & ſeqq. F. 230. Atque à Traditionibus. n. 22. Et à Præſcriptione. n. 23. & ſeqq. Conſuetudo nequit induci à particularibus perſonis, benè tamen Præſcriptio. n. 23. Ex illa acquiritur publico, ex hac privato. n. 24. Conſuetudo fit cum æquali damno, vel lucro omnium: Præſcriptio cum damno unius, & lucro alterius. Ibid. Ad conſuetudinem non requiritur Titulus. n. 25. & 142. ac ſeqq. Conſuetudo eſt favorabilis, Præſcriptio odioſa. n. 26. Et qualis conſuetudo ſit favorabilis? n. 27. *Acquiſibilia privilegio, ſunt acquiſibilia conſuetudine*, quomodo intelligendum? cit. T. 4. n. 65. F. 237.

Conſuetudinis conditiones generatim, quæ? T. 4. n. 29. F. 232. Conſuetudo quænam cenſeatur rationabilis, & quæ irrationabilis? n. 31. & ſeqq. usque ad n. 44. Conſuetudo eſt irrationabilis, quæ Juri naturali, aut Divino adverſatur. n. 36. Aut à Jure Canonico reprobatur. n. 37. Vel peccandi licentiam, vel occaſionem præbet. n. 38. Aut Bono communi pernicioſa eſt. n. 39. Lex, & contraria Conſuetudo poſſunt ſimul eſſe rationabiles ex diverſo reſpectu. n. 40. An hæc, vel illa in particulari Conſuetudo ſit rationabilis, nec ne, Judicis arbitrio relinquitur. n. 41. Ad hoc dijudicandum quid Judex attendere debeat? n. 42. & n. 87. In dubio præſumitur conſuetudo rationabilis. n. 43.

Conſuetudini poteſt Jus tribus modis reſiſtere. T. 4. n. 44. & ſeqq F. 233. Si Jus reprobat conſuetudinem ut corruptelam, cenſetur ipſa irrationabilis, ac nullo tempore induci poteſt. n. 45. Niſi nova ſuperveniat cauſa tollens iniquitatem, quæ priùs ei ineſſe videbatur. n. 46. Si conſuetudo contra legem ſimpliciter prohibeatur induci, an poſteà induci poſſit? n. 47. & ſeqq. Saltem tempore immemoriali. n. 49. Clauſula prohibitoria inducendæ conſuetudinis nequit referri ad ſolos Judices. n. 51. Lex derogatoria conſuetudinis ſub clauſula, *Nullâ obſtante conſuetudine*, tollit conſuetudines præſentes, non futuras. n. 53. & ſeqq.

Conſuetudines irrationabiles in particulari, & à Jure reprobatæ, referuntur. T. 4. n. 56 & ſeq. F. 235. Conſuetudo, per quam rumpitur Nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ, non valet. n. 56. Solvitur inſtantia. n. 58. Conſuetudo, per quam impeditur correctio morum, non valet. n. 59. & 60. Nec valet conſuetudo, etiam immemorialis, adversùs libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam. n. 61. & ſeqq. An ſaltem conſuetudo immemorialis, conjuncta cum fama Privilegij Apoſtolici, valeat contra immunitatem Eccleſiaſticam? n. 66. & 67. Conſuetudo habendi in eadem Eccleſia duas Dignitates, Perſonatus, vel Officia perpetua una cum Canonicatu, absque Diſpenſatione Papæ non valet. n. 68. Bene tamen de habendo uno eorum præter Canonicatum. n. 69 Conſuetudo anſam peccandi, vel bona ſua diſſipandi, præbens, non valet. n. 71. Referuntur tales pravæ conſuetudines. n. 72. & ſeqq. Conſuetudo, ut homicida puniatur ſolùm pecuniariter, nō valet. n. 74. Conſuetudo appellandi à Vicario generali ad Epiſcopum non valet, & cur? n. 75. Quomodo iſtud ſit intelligendum? n. 76. & ſeqq. Generaliter non valet conſuetudo, quæ eſt contra ſubſtantiam actûs, vel rei, de qua agitur. n. 79. Reprobatur conſuetudo impediens, ne Legati Sedis Apoſtolicæ recipiantur in Provincijs; & quæ pœnæ contravenientium? n. 80. Item conſuetudo, ut Clericus non Epiſcopus exerceat ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. n. 81. Cur hoc fieri poſſit ex conceſſione Papæ, non item ex conſuetudine etiam immemoriali? n. 82. Non valet conſuetudo, ut Prælatus immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, poſſit absque ejus licentia Eccleſiam ſuam dimittere. n. 83. Omnes conſuetudines, quæ grave damnū inferunt Eccleſijs, aut Perſonis Eccleſiaſticis, irritæ ſunt. n. 84. Idque probatur, ſimul & declaratur. n. 85. & ſeqq Conſuetudo gravoſa Eccleſijs, quæ? n. 86. Modus competens defendendi ſe contra conſuetudinē antiquā. n. 88.

Conſuetudo, in quo ſenſu dicatur præſcripta? T. 4. n. 90. F. 241. Conſuetudo præter legem, quo tempore inducatur? n. 91. Ut conſuetudo contra legē præſertim Civilem inducatur, quantum temporis requiratur? n. 92. & ſeqq. Conſuetudo contra legem quando dicatur induci viâ conniventiæ, vel viâ præſcriptionis? n. 92. & ſeqq. Conſuetudo non ſic valet, ut rationem vincat, aut legem; quomodo intelligendum? n. 97. & 98. & ſeq. Ut conſuetudo contra Legem Civilem inducatur viâ præſcriptionis, requiritur, & ſufficit decennium. n. 95. Afferuntur, & ſolvuntur notabiles objectiones contra hoc. n. 97. & ſeqq Conſuetudo illa, an debeat eſſe inveterata? n. 101. An decennium etiam ſufficiat ad inducendam conſuetudinem contra Canones, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas? cit. T. 4. n. 102. & ſeqq. F. 243. Refertur ſententia diſtinguentium inter Conſtitutiones Eccleſiaſticas uſu receptas, & non receptas; ejúsque ratio. n. 102. & 103. & ſeq. Ponitur

altera

altera ſententia, requirens utrobique ſpatium quadraginta annorum, ejúſque ratio. n. 104. Tertia ſententia docet, ſufficere decennium, ejúſque ratio. n. 105. & 106. Solvuntur rationes in oppoſitum. n. 107. Diſparitas inter præſcriptionem bonorum immobilium Eccleſiæ, & inter conſuetudinem contrariam legi. n. 108. Hæc tertia ſententia non habet locum, ubi agitur de præjudicio tertij. n. 105. & 109.

Conſuetudo per quos poſſit, vel non poſſit induci? T. 4. n. 110. & ſeqq. F. 245. Poteſt ſolummodò induci à Familia perfecta. n. 111. & ſeq. Ea per mulieres nequit induci. n. 113. Ex conſuetudine an obligentur Moniales ad recitandum Breviarium? n. 114. Ad conſuetudinem requiritur aliqua actuum frequentia. n. 116. Et quot horum ſufficiant? n. 120. & ſeqq. An ſufficiat ad eam unus actus ſucceſſivus, & continuatus? n. 117. & 118. ac ſeqq. Vel ſaltem ſufficiant duo actus. n. 120. & ſeqq. In dubio iſtud relinquitur arbitrio Judicis. n. 122. & n. 95. In criminibus duo actus inducunt conſuetudinem, quomodo? n. 124.

Conſuetudo debet induci ex certa ſcientia, & non per errorem; idquè exemplificatur? T. 4. n. 126. F. 125. Actus ad conſuetudinem inducendam requiſiti, debent eſſe voluntarij. n. 125. Non autem vi, aut ex metu gravi eliciti. n. 127. Simúlque debent eſſe uniformes. n. 128. Publicéque frequentati quaſi ex obligatione. n. 129. & ſeqq. Ac debent eſſe frequentati à majori parte Communitatis. n. 131. & 132. Conſuetudo non debet eſſe interrupta. n. 133. Et quibus modis cenſeatur interrumpi? n. 134. & 135. Ad inducendam conſuetudinem an requiratur ſcientia, & conſenſus Principis? cit. T. 4. n. 136. & ſeqq. usque ad n. 145. F. 248. Ad conſuetudinem ſufficit conſenſus legalis, ſeu juridicus Principis. n. 139. Qui & requiritur. n. 140. & ſeqq. Conſuetudo ſumit vires ſuas non à ſubditis, ſed ab Authoritate, ſeu conſenſu Legislatoris. n. 140. Ad inducendam conſuetunē contra legem, an requiratur bona fides? cit. T. 4. n. 142. & ſeqq. F. 249. Conſuetudines Hæreticorum contra ſtatum Eccleſiæ Catholicæ ſunt irrationabiles, ac invalidæ. n. 145. & ſeqq. An ad conſuetudinem requiratur, ut ſit obtenta in judicio contradictorio? n. 145. & ſeqq.

Conſuetudinis quot generatim ſint effectus? T. 4. n. 149. F. 251. Horum ſunt quatuor, & qui? n. 149. & 150. Conſuetudo dupliciter poteſt interpretari legē, videlicet authenticè, & probabiliter. n. 151. Conſuetudo rationabilis poteſt abrogare legem, ejúſque obligationem. n. 154. Imò & pœnam legis manente ejus obligatione ad culpam, & econtrà. n. 155. & ſeqq. Habet vim obligandi etiā pro Foro conſcientiæ. n. 158. & 159. Conſuetudo unius loci non obligat alium locum. n. 160. Eſt ſtricti juris, ſi eſt odioſa; ſecùs, ſi favorabilis. n. 161. & 162. Ad conſuetudinem vicinarum Eccleſiarū, Civitatum &c. eſt recurrendum, & quando? n. 163. & 164. Si diverſa eſt conſuetudo vicinarum Eccleſiarum, attenditur magis rationabilis. n. 165. & 166. Conſuetudo S. R. Eccleſiæ utrùm ſit neceſſariò obſervanda. n. 166. Conſuetudo diuturna, ſed mala, an nullum penitùs habeat effectum? T. 4. n. 167. & ſeqq. F. 253. Hæc præſtat probabilem cauſam dubitandi de validitate juris &c. dummodò non ſit evidenter mala. n. 167. Et excuſat à pœna temporali, ſeu Fori exterioris, licèt non à pœna æterna. n. 168. & 169.

Conſuetudo eſt difficilis probationis; & cur? T. 4. n. 170. F. 254. Cui incumbat onus probandi conſuetudinem? n. 171. Conſuetudo notoria non indiget probatione. n. 172. Conſuetudo probatur pluribus modis; & quibus? n. 173. & ſeqq. Binus actus in Judicio, ſeu gemina ſententia conformis, inducit conſuetudinem. n. 176. & ſeqq. Teſtes ut probent conſuetudinem, quæ conjunctim deponere debeant? n. 179. Præſertim loquendo de conſuetudine immemoriali? n. 180. Et cujus ætatis hi teſtes eſſe debeant? Ibid.

Conſuetudo ritè introducta, an, & quibus modis denuò abrogari poſſit? T. 4. n. 181. & ſeqq. F. 250. Lex poſterior generalis abrogat conſuetudinem priorem generalem, licèt nullam hujus faciat mentionem. n. 182. Secùs dicendum de conſuetudinibus particularibus locorum. n. 183. His ſufficienter derogatur per clauſulam generalem, *Nullâ obſtante conſuetudine*. n. 184. An per clauſulam illam generalem, *Non obſtante quacunque conſuetudine*, etiam derogetur Conſuetudini futuræ, ſeu impoſterum introducendæ? n. 185. & ſeqq. Utrùm per dictam clauſulam cenſeatur ſublata conſuetudo immemorialis? n. 188. & ſeqq. Quando Lex nova reprobat conſuetudinem veluti irrationabilem, etiam tollitur im̃emorialis. n. 190. Idem dicendum in nonnullis alijs caſibus. n. 191. & 192. Conſuetudo poteſt abrogari per contrariam conſuetudinem. n. 194. Et quæ ad hoc requirantur? n. 195. Quantúmque tempus? n. 196. & ſeqq.

Contractus propriè dictus, quid? T. 35. n. 91. F. 552. Et qualem importet ultrò citróque obligationem? n. 92. Contractus variè dividitur. n. 93. & ſeqq. Contractus verus, ſeu explicitus, ac formalis; & quaſi contractus, quid? n. 93. & 94. Contractus oneroſi, & contractus gratuiti ſeu lucrativi, qui? n. 95. Contractus perficiuntur quatuor modis. n. 97. videlicet Re. n. 98. Verbis. n. 99. & 100. Litteris, ſeu Scriptura. n. 101. Et conſenſu. n. 102. Contractuum ſubſtantialia, naturalia, accidentalia & ſolemnia, quæ? n. 103. & ſeqq. *Contractus non redduntur in invitum*, quomodo intelligendum? T. 32. n. 68. F. 532.

Contractus nominati, & innominati, qui? T. 35. n. 107. & 108. F. 554. Contractuum innominatorum quatuor ſunt ſpecies. n. 108. Permutatio eſt contractus innominatus; & cur? n. 109.

Solvitur

Solvitur notabilis inſtantia. n. 110. Inter contractus nominatos, & innominatos, quæ ſint differentiæ? n. 111. & ſeqq. In his licet pœnitere; & quâ ratione? n. 112. & 113. De Jure Canonico tamē non licet pœnitere in contractibus iñominatis. n. 114. Imò & in Foro Civili ſecundùm hodiernos mores in contractu iñominato non habet locum pœnitentia. n. 115.

Contractus bonæ fidei, & Contractus ſtricti Juris, qui? T. 35. n. 118. & 119. & feqq. F. 556. Hujus diviſionis origo, & ratio, quæ? n. 121. & 122. Solvitur inſtantia. n. 123. Contractus, & Actiones bonæ fidei, ſunt ſeptemdecim. n. 124. Et quales? n. 125. & 126. Differentiæ inter Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, quæ? n. 127. & ſeqq. Quâ ratione omnis contractus poſſit dici bonæ fidei? n. 128. & 129. Allata diviſio in contractus bonæ fidei, & ſtricti juris, an etiam de Jure Canonico procedat? n. 133. Ponitur ſententia affirmativa. n. 134. Solvuntúrque contraria. n. 135. & 136. Contractus, alijque actus ex metu gravi procedentes, regulariter ſunt validi. T. 40. n. 30. F. 600. Quamvis tali metu probato ſint reſcindendi per ſententiam Judicis; idque exemplificatur. n. 31. & ſeqq. Dantur tamen plures, qui ipſo jure ſunt invalidi; & quales? n. 44. 45. & 55. & ſeqq.

Contrarietas apparens Jurium, eſt concilianda. P. n. 203. F. 41. Salvâ tamen verborum proprietate. n. 204. Contrarietas in eadem Compilatione Juris non eſt admittenda. n. 205. & ſeqq. Niſi poſterior Canon expreſsè deroget priori. n. 207. Ubi eſt manifeſta Jurium contrarietas, ſtandum eſt poſteriori decisioni. n. 211. & ſeqq. Et quid obſervandum circa manifeſtas contrarietates Juris Canonici, & Civilis? n. 217. & ſeqq.

Conventualiter vivere Regulares, quid? T. 31. n. 113. F. 514.

Corpore vitiati, qui? T. 20. n. 3. F. 436. Debilitas corporis, n. 4. Mutilatio, n. 5. Et deformitas corporis, in quo conſiſtant? n. 6. Per membrum, quid propriè intelligatur? n. 5. Corpore vitiati non ſunt ordinandi, nec ad Clericalem Tonſuram promovendi. n. 7. Et quid, ſi vitium corporis poſt ſuſceptos Ordines ſuperveniat? n. 8. & 12. Ubi vitium corporis vel impedit exercitium Ordinis, vel notabilem cauſat deformitatem, inducitur irregularitas, & prohibetur quis ordinari. n. 9. Vide infra *℣. Ordinari quando poſſint, & ℣. Irregulares*: In dubio de gravitate vitij corporalis pertinet ad Epiſcopum id dijudicare. n. 20. Etiam reſpectu Religioſorum ab ipſo ordinandorum. n. 21. Et quid de Religioſis jam ordinatis? n. 22. Solvitur inſtantia ex *Levitic. cap. 21.* deſumpta. n. 23. & 24. Cum corpore vitiatis regulariter diſpenſat ſolus Papa; & quidem non facilè, quando deformitas eſt gravis. n. 36. Nec ſolet Papa directè diſpenſare cum corpore vitiatis. n. 37. An aliquando cum ipſis etiam diſpenſet Epiſcopus? n. 38.

Correctio Jurium eſt odioſa. P. n. 202. F. 41. Nec præſumenda. T. 2. n. 419. F. 162. Correctio Jurium non eſt inducenda per tacitos, & ſubauditos intellectus; idque variè exemplificatur. cit. T. 2. n. 500. & ſeqq. uſque ad n. 518. F. 175. Correctio Juris cenſetur favorabilis, quando per eam reditur ad Jus commune antiquum. n. 509.

Correlativorum idem eſt judicium, eadémque diſciplina. T. 2. n. 514. F. 177. Dummodò in ipſis militet eadem ratio. n. 515.

Corrigens diſpoſitio, quæ? T. 2. n. 423. F. 162.

Creaturæ irrationales, in quo ſenſu ſint capaces Legis? P. n. 11. F. 3.

Crimen. In criminibus duo actus inducunt conſuetudinem; & quomodo? T. 4. n. 124. & n. 121. F. 247. An ſit licitum tranſigere ſuper crimine, dando videlicet adverſario ſuo pecuniam, ut ab accuſatione ejus deſiſtat? T. 36. n. 30. F. 562. Et quid ſpectato Jure Canonico? n. 34. & 35.

Cuſtos, quis, & quod ejus officium? T. 27. n. 6. F. 452.

D.

Debilitas corporis, in quo conſiſtat? T. 20. n. 4. F. 436. Debilitati, qui? Ibid.

Decanus alio nomine appellatur *Archipresbyter.* T. 24. n. 3. F. 451. Decani urbani officium, quale? n. 7. & ſeqq. Decani ruralis officium, quale? n. 10. Ad Decanatum requiritur ætas viginti quinque annorum, ſaltem inchoatorum. T. 6. n. 216. F. 303. Decanus vel debet actu eſſe Presbyter, vel intra annum Presbyter fieri. T. 14. n. 12. F. 414.

Decennium vocatur in Jure Longum tempus. T. 4. n. 91. & 96 F. 242.

Deciſiones Rotæ. Vide infrà *℣. Rota Romana.*

Declaratio legis jam ab initio cenſetur legi infuiſſe. P. n. 132. F. 26.

Declarationes Cardinalium, quæ? P. n. 124. F. 25. Eſt prohibitum in Decreta Concilij Tridentini Gloſſas, ullúmve interpretationis genus edere Ibid. Præter Sacram Congregationem Cardinalium. n. 125. Declarationes Cardinalium fidem non faciunt, niſi afferantur in forma authentica. n. 126. Nec tamen fruſtrà allegantur in libris; & cur? n. 127. & 128. Declarationes Cardinalium Sac. Concilij Tritendini Interpretum, quam vim obligandi habeant? n. 129. & 130. & ſeqq. Declarationes Cardinalium quæ ſoleant publicari, vel non? n. 134. & 135. Recipiuntur reverenter à Rota Romana. n. 136. Quando ſint applicabiles ad alios caſus particulares? n. 137.

Decretalis Epiſtola, quæ? T. 2. n. 10. F. 91. Vocatur alio nomine *Reſcriptum.* Ibid.

Decretum, quid? T. 2. n. 9. F. 91. Sumitur pluribus modis. Ibid.

Decretum Gratiani, quando compilatū? P. n. 56. F. 11. Ejus emendatio ſub Gregorio XIII. facta. n. 55. Quomodo dividatur? n. 59. Decretum Gratiani, an, & quando Authoritatem,

vimque obligandi habeat? P. n. 63. & ſeqq. F. 13. Leges Civiles in Decretum Gratiani relatæ, an per hoc cenſeantur Canonizatæ? n. 68. Emendationem Decreti Gratiani confirmavit Gregorius XIII. non verò omnia in ipſo contenta. n. 70. Contenta in Decreto Gratiani revocantur ad ſuam primævam Authoritatē. n. 73. Sex generatim in Decreto Gratiani continentur, quæ? n. 74. & ſeqq. Cur nonnulla Capitula Decreti Gratiani inſcribantur, *Palea?* n. 83. & ſeqq.

Defenſor dicitur ex parte Rei, Procurator ex parte Actoris. T. 38 n. 1. F. 574.

Deformitas corporis, & deformes, qui? T. 20. n. 6. F. 437.

Degere extra clauſtra, qui Religioſi cenſeantur? T. 31. n. 112. & ſeqq. F. 514.

Delegari generatim poſſunt omnes cauſæ, quæ ad juriſdictionem Delegantis pertinent. T. 29. n. 74. F. 478. Niſi ſpecialiter ſint exceptæ. n. 75. Aut in eis fuerit electa induſtria Perſonæ. n. 74. & 75. Delegari an poſſint cauſæ meri, & mixti Imperij? n. 78. & ſeqq. Etiam ea, quæ ſunt poteſtatis Ordinis, delegari valent, dummodò is, cui fit delegatio, habeat Ordinem competentem. n. 84 & ſeqq.

Delegatio perſonalis finitur morte Delegati. T. 29. n. 126. F. 486. Secùs dicendum in delegatione reali. n. 127. In dubio an cenſeatur delegatio eſſe perſonalis, vel realis. n. 128. Delegationem quis poſſit revocare? n. 136. usque ad n. 143. Revocatio factæ delegationis non anteà ſortitur effectum, donec ſit Delegato intimata. n. 141. Niſi Princeps aliud expreſsè declaret. n. 142. Vel præjudicium tertio ſequatur. n. 143.

Delegatus Papæ eſt major quolibet Ordinario quoad cauſam ſibi commiſſam. T. 29. n. 1. F. 467. Delegatus Papæ poteſt & totam cauſam, & partem ejus ſubdelegare. cit. T. 29. n. 76. F. 478. Notabilis differentia inter hunc duplicem ſubdelegandi modum. n. 77. Delegatus, ſeu datus per litteras invalidas, habet poteſtatē cognoſcendi in dubio, an ipſe ſit Judex, nec ne? cit. T. 29. n. 133. F. 187. An talis de Conſenſu partium poſſit in cauſa procedere? n. 134.

Delictum Prælati non debet in Monaſterij detrimentum redundare. T. 1. n. 227. F. 87.

Derogatio Legis, quid, & quomodo differat ab Abrogatione, & Irritatione legis? T. 2. n. 484. & 485. F. 172.

Deus eſt unus, verus & æternus &c. T. 1. n. 84. & ſeqq. F. 64. Homines in Sacra Scriptura quandoque vocantur Dij; & quomodo? n. 84. Diabolus vocatur Deus hujus ſæculi; quomodo? n. 95. Prioritas Originis in Divinis, quid importet? n. 93. Deus eſt Creator omnium viſibilium, & inviſibilium. n. 95. & ſeqq. Quomodo creaverit omnia ſimul? n. 97. Deus dicitur pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus &c. T. 1. n. 120. & ſeqq. F. 69. & 70. Idque ob communicationem Idiomatum; & cur? n. 121. & ſeqq.

Diabolus vocatur Deus hujus ſæculi. T. 1. n. 95. F. 66. Diaboli lapſus oſtenditur. n. 98. & 99. Diaboli non ſunt ex natura ſua mali, ſed à Deo creati boni. Ibid. Cur ſolius hominis lapſi, non item diaboli, ſeu Angelorum peccantium redemptio facta fuerit? T. 1. n. 103. & ſeqq. F. 67.

Diaconiſſæ, quæ? T. 11. n. 58. F. 381.

Dictio *Vel circa*, quantum temporis importet? T. 9. n. 64. F. 347. Dictio A, quando ſtet excluſivè, vel incluſive? n. 74.

Diei Feſtivi nomine, quo poſſunt conferri Ordines minores, ac virtute Privilegiorum etiam majores, an comprehendatur Feſtum duplex? T. 11. n. 52. F. 380. Notabilis declaratio Sacræ Congregationis quoad hoc n. 55. Dies Feſtos ab Ordinarijs præceptos tenentur Regulares, etiam exempti, ſervare; & quâ ratione? T. 31. n. 127. F. 516.

Diffinitor in Ordine Fratrum Minorum, qui non vult convenire in Diffinitorio, eſt privatus officio ſuo; neque fit ſubrogatio alterius Patris. T. 6. n. 199. F. 300.

Dignus, & Dignior reſpectu Beneficij Eccleſiaſtici, qui? T. 6. n. 235. F. 306. Major dignitas eligendi unde menſuranda? n. 236. Non niſi digni eligendi ſunt ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica. n. 237. Peccant mortaliter, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles judicaverint, ad Eccleſias promovent. n. 238. & 239. Ac procedit iſtud non ſolùm in Epiſcopis, ſed etiam in habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. n. 240. Imò & in promovendis ad Eccleſias Parochiales. n. 241. & ſeqq. Saltem quando promovetur quis ad Beneficium omiſſo notabiliter digniori; ſecùs, ſi exceſſus ſit modicus. n. 246. Et quid dicendum de Beneficijs ſimplicibus? n. 247. *Dignus, Dignior*, hæc verba in Concilio Tridentino ſunt idem. n. 245. Eligentium indignum, quæ ſint pœnæ à Jure ſtatutæ? T. 6. n. 251. & ſeqq. uſque ad n. 268. Vide infrà *V. Eligentes.*

Dimiſſoriæ litteræ, quid, & cur ſic dicantur? T. 11. n. 109. F. 390. Appellantur etiam *Reverendæ*. Ibid. Dimiſſoriæ differunt à Commendatitijs, ſeu Teſtimonialibus, & Formatis. n. 112. In litteris Dimiſſorijs, quæ exprimenda? n. 114. & ſeqq. An ad eas requiratur prævium examen, & approbatio Ordinandi? n. 115. Et legitima cauſa concedendi, hæcque in ipſis exprimi debeat? n. 116. An etiam debeat inſeri diſpenſatio in Interſtitijs? n. 117. Dimiſſorias concedere, quinam poſſint, vel non poſſint? n. 118. & ſeqq. Quilibet Epiſcopus poteſt eàs concedere. n. 118. & n. 119. Qui poteſt ordinare, poteſt & Dimiſſorias ad Ordines dare. n. 118. Capitulum Sede vacante nequit de factò intra annum concedere Dimiſſorias, niſi Arctatis; benè tamen antiquitus. n. 120. Arctati ratione Beneficij recepti, vel recipiendi, qui? n. 121. & n. 122. An poſſint dare Dimiſſorias vocato ad Beneficium, ſi nondum habeat primam Tonſuram? n. 123. Aut illi, cui quis

vult

vult reſignare Beneficium? n. 124. An Capitulum Sede vacante poſſit Arctatis dare Dimiſſorias per ſeipſum; vel ſolùm per ſuum Vicarium? n. 125. Dimiſſorias an concedere poſſit Vicarius Generalis Epiſcopi? n. 126. & n. 127. Prælati inferiores, Capitula, & Abbates nequeunt dare Dimiſſorias Subditis ſuis Sæcularibus. n. 128. Et revocata ſunt quoad hoc omnia Privilegia, & conſuetudines in contrarium. n. 129. Quid de Prælatis non exiſtentibus intra fines alicujus Diœceſis? n. 130. & 131. Prælati Regulares poſſunt concedere ſuis ſubditis Regularibus Dimiſſorias ad Ordines. n. 132. & ſeqq. Refertur Decretum Clementis VIII. quoad hoc. n. 133. Eas tamen ſolummodò concedunt ad Diœceſanum loci. n. 135. Niſi habeant privilegium, ut à quocunq; Epiſcopo ordinari valeant. n. 136. Aut niſi Diœceſanus loci ſit abſens, vel Ordinationes non habiturus. n. 137. Litteræ Dimiſſoriæ, an expirent morte concedentis? n. 138. & ſeqq. Eas tunc non expirare, oſtenditur. n. 139. & 140. Idémque dicendum de Dimiſſorijs à Capitulo Sede vacante conceſſis. n. 141. Niſi has novus Epiſcopus, ut poteſt, revocaverit. n. 142.

Diœceſani nomine, quis veniat? T. 31. n. 3. & 4. F. 500. Ob identitatem rationis hoc nomen quandoque extenditur ad alium Ordinarium. n. 5.

Diœceſis nomine in materia ſtrictæ interpretationis non comprehenditur Civitas Epiſcopalis. T. 3. n. 124. F. 202.

Diſciplina Eccleſiaſtica, quæ? T. 4. n. 57. F. 236. Cur appelletur *Nervus diſciplinæ Eccleſiaſticæ*? Ibid.

Diſpenſatio, quid? T, 2. n. 449. F. 166. Facta ſine cauſa, diſſipatio eſt, non diſpenſatio. n. 450. Diſpenſatio eſt vulnus Juris, ac proin ſtrictè accipienda. n. 451. Solvitur notabilis objectio. n. 454. Poteſtas diſpenſandi econtrà eſt favorabilis, & late interpretanda. n. 452. & T. 17. n. 28. F. 429. Dummodò hæc nulli ſit præjudicialis, niſi concedenti. cit. T. 2. n. 453. F. 167. Papa, vel Epiſcopus, quando poſſit diſpenſare? Vide infra ℣. *Papa*. & ℣. *Epiſcopus*. Poteſtas diſpenſandi data eſt in ædificationem, non in deſtructionem. n. 461. Diſpenſatio in Lege Superioris invalida eſt, ſi fiat abſque juſta cauſa. n. 478. Quid, ſi fiat in Lege propria? n. 479. & 480.

Diſpenſationes conceſſæ circa unum duntaxat actum, propriè non ſunt privilegia; & cur? T. 3. n. 30. F. 187. Si pro impetratione diſpenſationis plures allegentur cauſæ motivæ, quarũ una duntaxat eſt vera, altera falſa, an valeat diſpenſatio? cit. T. 3. n. 188. F. 213. Vide infrà ℣. *Reſcriptum*. Diſpenſatus ad Ordines ante legitimam ætatem, non eſt diſpenſatus ad Beneficium parochiale. T. 6. n. 213. F. 303. Diſpenſationem denegante Epiſcopo, quando eſt debita, poteſt diſpenſare Archiepiſcopus. T. 10. n. 20. F. 365. Diſpenſatio cum illegitimis, eſt ſtrictæ interpretationis. T. 17. n. 16. & ſeqq. F. 427. Inferuntur complura Corollaria. n. 18. & ſeqq. Vide ℣. *Illegitimorum*.

Dolus ex propoſito, & Dolus re ipsâ, in Jure æquiparantur. T. 36. n. 58. F. 566.

Dogma, quid? T. 2. n. 10. F. 91. Dogmata Fidei, quæ? Ibid.

Domicilium verum conſtituitur animo, & facto ſimul, & quomodo? T. 11. n. 96. F. 387. Ratione domicilij efficitur quis ſubditus Epiſcopi quoad receptionem Ordinum. n. 94. & 97. Ad hoc tamẽ non ſufficit quaſi domicilium. n 95. Ut de factò ratione domicilij quis ordinari valeat, quæ omnia requirantur? n. 97.

Donatio ultra quingentos ſolidos, à Laico facta cuipiam Clerico, an valeat abſque inſinuatione Judicis? T. 2. n. 345. & 346. F. 151. Donatio facta determinatæ Eccleſiæ, an poſſit à quolibet acceptari? T. 35. n. 57. F. 547.

E.

Eccleſia non utitur gladio materiali, ſed ſpirituali. P. n. 199. F. 40. Eccleſia an poſſit facere novum Articulum Fidei? T. 1. n. 72. & ſeqq. F. 61. Vel facere aſſertionem quandam Catholicam, aut hæreticam, quæ anteà talis non erat? n. 74. Eccleſia univerſalis Fidelium eſt una, extra quam nemo ſalvatur. T. 1. n. 127. & ſeqq. F. 71. Eccleſia Arcæ Noë comparatur. Ibid. Ut quis ſimpliciter & fructuosè ſit in Eccleſia, quæ conditiones requirantur? T. 2. n. 276. F. 138.

Eccleſia, cur cenſeatur offendi per electionem indigni? T. 6. n. 264. F. 311. Modi generales providendi Eccleſijs, qui? cit. T. 6. n. 9. F. 271. Poteſt quis eſſe ſuſpenſus à Beneficijs in una, & non in altera Eccleſia. n. 265. Eccleſiæ Cathedrales, vel Regulares, non debent vacare ulta tres menſes. T. 6. n. 278. F. 313. Tres illi menſes ſunt computandi non à die vacationis, ſed à notitia hujus. n. 279. Nec currunt legitimè impeditis. Ibid. Idipſum probabiliter extenditur ad Eccleſiarum Collegiatarum Prælatos. n. 280. In alijs Prælaturis, & Beneficijs Eccleſiaſticis ſufficit, ſi eorundem collatio fiat intra ſex menſes. n. 281. In Eccleſiaſticis Dignitatibus regulariter non eſt licitum deſcendere. T. 7. n. 7. & 8. F. 326. Ad Eccleſiarum Collegiatarum Canonicatus, qualis ætas ſufficiat? T. 14. n. 19. & 20. F. 415. Et qualiter aſſumptus ad Regimen Eccleſiæ Parochialis Collegiatæ, aut hujus Præpoſitus, vel Decanus, ſi intra annum non promoveatur ad Sacerdotium, incurrat privationem Beneficij? n. 27. & 32. Eccleſia, ſi diſpenſativè concedatur Minorenni, debet ipſa interim non per Laicos, ſed per Clericos regi. T. 14. n. 5. F. 413. Eccleſia Parochialis. Vide infrà ℣. *Parochus*.

Eccleſia graviter læſa in transactione, poteſt petere reſtitutionem in integrum. T. 36. n. 53. F. 565. Eccleſiæ, Monaſteria &c. gaudent Beneficio reſtitutionis in integrum, non verò Perſonæ

ſonæ Eccleſiaſticæ in ſuis bonis patrimonialibus; & quæ ratio diſparitatis? T. 41. n. 32. 33. & 34. F. 614. Una Eccleſia poteſt petere reſtitutionem in integrum contra aliam Eccleſiam. n. 43. Solvitur notabilis inſtantia. n. 44. Una Eccleſia præſcribit contra aliam nonniſi quadraginta annis; & cur? n. 46. *Eccleſia jure Minoris debet ſemper illæſa ſervari*, quomodo intelligendum? n. 70. & 71. Eccleſia poſt quadriennium, an poſſit aliquando petere reſtitutionem in integrum? n. 64. & ſeqq. Eccleſia poteſt petere reſtitutionem etiam adversùs lapſum temporis. n. 73. & ſeqq. Dempto lapſu quadriennij ad petendam reſtitutionem conceſſi. n. 75. Vide infrà ℣. *Reſtituere in integrum.*

Edicta Magiſtratuum idem ſunt, ac Edicta Prætorum. P. n. 178. F. 33 Edictum prohibitorium, & Edictum permiſſorium, quid, & unde ſic dicantur? T. 3 n. 35. F. 188.

Electio, quid, & quomodo differat à poſtulatione ſolemni? T. 5. n. 10. & ſeqq. F. 260 Electio, & Poſtulatio, quoad jus ſuffragandi æquiparantur. n. 27. & ſeqq. Electio eſt nomen verbale T. 6. n. 2. F. 270. Quid generatim ſignicet? Ibid. Accipitur dupliciter. n. 3. Electio propriè dicta, quid? n. 4. & ſeqq. Cur dicatur *Canonica vocatio?* n. 5. Electio activa, & paſſiva, quæ? n. 7. & n. 2. Electio differt in pluribus à Nominatione. n. 11. & ſeqq. Quomodo ea differat à ſimplici Petitione, Proviſione, & præſentatione? n. 15. & ſeqq. Et à Collatione Beneficij? n. 25. Electio potentius jus confert, quàm præſentatio. n. 21.

Electio, quale jus tribuat Electo reſpectu Prælaturæ? T. 6. n. 26. & ſeqq. F. 174. Per eam acquiritur Electo jus petendi confirmationem. n. 26. Et ad hanc dandam poteſt Superior compelli. n. 27. Fallit hoc in Papa. n. 28. Electio an tribuat jus in re, vel ad rem, reſpectu Prælaturæ? n. 29. & ſeqq.

Electionis Præparatoria, quænam ſint? T. 6. n. 55. & ſeqq. F. 278. Vide infrà ℣. *Præparatoria.* Electionis forma, quid, & quotuplex ſit? n. 61. & ſeqq. Eſt triplex, nempe Forma Scrutinij, Compromiſſi, & Inſpirationis. n. 62. Electio per Sortes reprobatur. n. 63. Electio per inſpirationem, & quaſi inſpirationem, quæ? n. 64. & 65. Hæc debet eſſe abſque vitio celebrata; & quomodo? n. 66. Electio ad clamorem populi, non eſt confirmanda. n. 67. Electio quandoque accipitur latiſſimè, prout etiam comprehendit ſub ſe Præſentationem. cit. T. 6. n. 175. F. 297.

Electio per Compromiſſum, quid? T. 6. n. 68. F. 279. Ad Compromiſſum requiritur conſenſus omnium Vocalium. n. 71. & ſeqq. Compromiſſum aliud abſolutum, aliud limitatū, quid? n. 72. & 73. Compromiſſum limitatum, magis ſpecialiter loquendo, quale? n. 74. Et quando vi hujus ſit valida electio? n. 75. & ſeqq. Forma Compromiſſi limitati, quomodo differat ab electione per Scrutinium? n. 77. Per tale Compromiſſum limitatum fiunt electiones Superiorum Majorum in Ordine Fratrum Minorum. n. 78. Vide ſuprà ℣. *Compromiſſum.* Forma eligendi per Compromiſſum, & quaſi inſpirationem, an ſit ſublata quoad Regulares per Concilium Tridentinum? T. 6. n. 347. & ſeqq. F. 324. In electionibus Epiſcoporum, & Abbatum perpetuorum, poteſt indubitanter procedi per viam Compromiſſi. n. 349. Quid dicendum de electionibus Cæterorum Prælatorum Regularium? n. 350. & 351.

Electio per formam Scrutinij, quæ? T. 6. n. 108. F. 286. Circa hanc referuntur verba *c. Quia propter. de Electíon.* & quæ obligatio ejusdem? n 108 & ſeqq. Plura, non tamen omnia ibidem comprehenſa, ſunt de ſubſtantia talis electionis. n. 109. & ſeqq. Diſpoſitio *c. Quia propter.* eod. in quorum electionibus ſit neceſſariò obſervanda? n. 110. & ſeqq. Electio juxta dictum *c. Quia propter*, debet fieri omnibus capitulariter præſentibus. n. 113. Poſſunt tamen Capitulares, ut dent ſingillatim, ac ſecretò vota ſua, interim ad locum contiguum recedere. n. 114. Ad electionem quinam omnes vocari debeant? cit. T. 6. n. 115. & ſeqq. F. 287. Ex contemptu unius an electio reddatur irrita, vel duntaxat irritanda? n. 115. Electioni plus obeſt contemptus unius, quàm contradictio multorum. Ibid. Enumerantur plures, qui de jure non debent intereſſe electioni, ſicque non neceſſariò ad eam vocandi ſunt. n. 116. Quid dicendum de illis, qui electioni intereſſe nolunt? n. 117. Abſentes an, & quando ſint vocandi ad electiones? n. 118. & ſeqq. Si abſentes cōmodè vocari non poſſunt, an alij ad electionem procedere poſſint, & debeant? n. 119. Electio nequit fieri, niſi adſint duæ partes Vocandorum; & qui in his computentur? n. 120. Scrutatores pro electione celebranda qualiter conſtitui debeant? n. 121. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Scrutatores.* In electione præter Scrutatores poſſunt adhiberi Teſtes, & Notarii. n. 126.

Electio à majori parte Capituli facta tenet, etſi foret exceſſus unius medij voti. T. 6. n. 139. F. 292. Electio à minori parte Capituli celebrata, per ſubſequentem conſenſum aliorum ratificari non poteſt. n. 141. Quæ cenſeatur major pars Capituli? n. 131. Et quæ ſanior? n. 142. Vide ſuprà ℣. *Capituli major pars.* Utrùm ad electionem validam requiratur, ut ſit facta ſimul à majori, & Saniori parte Capituli? n. 145. & ſeqq. An in omni prorſus electione requirantur, & ſufficiant vota majora? n. 149. & ſeqq. Electio Summi Pontificis debet fieri à duabus partibus Cardinalium præſentium. n. 149. Nec in hiſce duabus partibus ſuffragium electi numeratur. Ibid. Quid dicendum de electione Abbatiſſæ? n. 150. De conſuetudine valet alicubi electio celebrata per vota majora Comparatione partis minoris. n. 151. In concurſu Electionis cum Poſtulatione, qualis numerus votorum ſufficiat ad ejus valorem? n. 153. & ſeqq. Explicatur

cap.

cap. Scriptum eſt. de Election. n. 155. & 157. & ſeqq. Electioni de ſe factæ renuntians terrore Laicorum, poteſt jus ſuum in judicio repetere. T. 40. n. 33. F. 600.

Electio Prælatorum, ſeu jus eos eligendi, pertinet ad Capitulum &c. cujus Prælatus eſt eligendus. T. 6. n. 159. F. 295. Poteſt tamen privilegio, aut conſuetudine, Clericis extraneis acquiri. n. 160. Imò & per Electores ipſis communicari. n. 161. & ſeqq. Accedente tamē unanimi Conſenſu omnium Capitularium. n. 162. Quinā cenſeantur inhabiles ad eligendum? n. 164. uſque ad n. 180. In eligendis, ac promovendis ad Prælaturas, & Beneficia Eccleſiaſtica, quæ qualitates requirantur? cit. T. 6. n. 204. & ſeqq. F. 302. Aliqui prohibentur eligere à natura, alij à Lege; & qui? n. 164. & ſeqq. Ante ſententiam declaratoriam ſuper crimine admiſſo, & contractâ privatione Vocis, nemo eſt privandus poſſeſſione juris eligendi. n. 171. Si privatus voce activâ eligat nullo reclamante, valida eſt electio. Ibid. Quid juris, ſi per Capitulum fiat proteſtatio de non admittendis inhabilibus, & poſteà quis Vocalium convincatur fuiſſe inhabilis? Ibid. Eligere nequeunt, qui non ſunt præſentes capitulariter, in loco, ubi fit electio. n. 176. Eligere an poſſint necdū conſtituti in Ordine Sacro? n. 177. & 178. In Electionis negotio an poſſit conſtitui Procurator, & qualiter? n. 181. Vide infrà ℣. *Procurator.*

Electione debito tempore, ac loco inſtitutâ, ſi aliqui Vocales adeſſe nolint, cenſentur quaſi non eſſent de Capitulo, & tota eligendi poteſtas reſidet in alijs. T. 6. n. 197. F. 300. Idem dicendum, ſi cæpto electionis Tractatu aliqui Vocales egrediantur, & redire nolint. n. 200. & ſeqq. aut ſi remaneant quidem, ſed votare nolint. n. 201. Quid, ſi major pars Capitularium fuerit egreſſa? n. 202. Schedulam vacuam mittens in urnam Votorum, cenſetur juri ſuo renuntiaſſe. n. 203.

Electio digni omiſſo digniore, an ſit licita? T. 6. n. 135. & ſeqq. F. 306. Vel ſaltem valida? n. 248. Vide ſuprà ℣. *Dignus.* Electione caſſatâ vitio perſonæ, idem iterum eligi non poteſt, ne quidem in alia Eccleſia. cit. T. 6. n. 229. & ſeqq. F. 305. Secùs, ſi electio vitio formæ, vel Corporis caſſata fuit. n. 229. & n. 231. Quid dicendum in dubio, num electio caſſata fuerit vitio formæ vel perſonæ? n. 232. Per electionem indigni cur cenſeatur Eccleſia offendi? cit T. 6. n. 264. F. 311. Electio ſi fiat non ſervatâ formâ Scrutinij, *in cap. Quia propter. de Elect.* præſcriptâ, eſt ipſo jure irrita. n. 269. Et de quorum Prælatorum electione iſtud procedat? n. 270. Idipſum limitatur ulteriùs. n. 270. & 271. Quid agendum, quando adſunt pauci Electores, v. g. duo, vel tres tantùm? n. 271. & ſeqq. Electio novi Prælati in Eccleſijs Cathedralibus, & Regularibus, debet fieri intra Trimeſtre. n. 278. Trimeſtre iſtud eſt computandum non à die vacationis, ſed notitiæ. n. 279. Etiam Prælati Eccleſiarum Collegiatarum ſunt intra trimeſtre eligendi. n. 280. In alijs Prælaturis, ac Beneficijs, ſufficit electionem, ſeu collationem fieri intra ſex menſes. n. 281. Si electio non ſortiatur effectum, eò quòd Electus non conſentiat &c. habent Electores integrum tempus ad novam electionem. n. 282.

Electio eſt duplex, alia privata, & alia communis ſeu Capitularis. T. 6. n. 283. & 284. F. 314. Electionis cōmunis ſeu Capitularis publicatio, quæ? n. 287. Quibúſque verbis fieri ſoleat? n. 288. Electio clandeſtina, quæ? n. 289. In electionibus an liceat variare, ſeu à dato ſemel ſuffragio recedere? n. 290. uſque ad n. 301. Ac præſertim in electionibus Monialium. n. 300. Et quid de electione Summi Pontificis? n. 301. In electionibus an valeat acceſſus minoris partis ad majorem? n. 302. uſque ad n. 309.

Electio eſt intimanda Electo, ejúſque conſenſus petendus, quàm citiùs cōmodè fieri poteſt. T. 6. n. 310. F. 318. Et ſi Eligentes neglexerint infra octo dies id facere, puniuntur; & quomodo? n. 311. Eorum tamen negligentia non præjudicat Electo. n. 312. Electus tenetur præſtare conſenſum intra menſem; alioquin perdit jus ſuum. n. 313. Quid juris, ſi Electus nequeat conſentire abſque ſuperioris ſui licentia? n. 314. & 318. Religioſi nequeunt cōſentire electioni de ſe factæ extra Monaſterium abſq; obtenta licentia ſui Superioris. n. 315. Vide infrà ℣. *Religioſus.* Electus poſt datum conſenſum tenetur petere confirmationem ſuæ Electionis intra trimeſtre. T. 6. n. 319. F. 319. Et intra menſem iter arripere ad Sedem Apoſtolicam, ſi ad hanc ſpectat confirmatio. n. 320. Vide ſuprà ℣. *Confirmatio electionis.* Quid agendum, ſi Electus habeat, vel non habeat ſuæ electionis adverſarium? n. 324. Quæ ſit forma appellandi ab electione? n. 325. Pœnæ appellantium ad Sedem Apoſtolicam, & in probatione deficientium, ſi quid oppoſuerint contra formam electionis. n. 326. Vel contra perſonam Electi. n. 327.

Electio Superiorum Regularium, qualiter juxta Decretum Concilij Tridentini *Seſſ. 25. cap. 6. de Regul.* ſit facienda? T. 6. n. 328. F. 321. An per Decretum Concilij Tridentini ſit abrogata Decretalis *Quia propter. de Elect.* quoad electiones Regularium? n. 329. & ſeqq. In electionibus Regularium vota eligentium debent eſſe ſecreta; & quomodo? n. 331. & n. 343. & ſeqq. An in electione Miniſtrorum Provincialium Ordinis Minorum poſſit fieri aliqua collatio zeli, & meriti? n. 334. & 335. An Regulares in ſuis electionibus teneantur obſervare formam *cap. Quia propter. de Elect.* cit. T. 6. n. 336. & ſeqq. F. 322. Affirmatur de Abbatibus perpetuis. n. 336. Ac de Prælatis Eccleſiarum Regularium habentium juriſdictionem Ordinariam, & generalem. n. 337. Secluſo tamen ſpeciali Privilegio, vel conſuetudine le-

gitimè præſcriptâ. n. 338. Nihilominùs Regulares in electionibus non tenentur obſervare apices juris. n. 339. Ad alias Regularium electiones ſufficit conſenſus majoris partis collegialiter præſtitus. n. 340. Ac poſſunt eæ fieri etiam per globulos. n. 340. & 341. & ſeq. Quomodo fiant electiones Superiorum in Ordine Fratrum Minorum? n. 341. Ac præſertim Commiſſariorum Provincialium, Prominiſtrorum & Cuſtodum, extra Capitulum eligendorum? n. 342.

Electiones Regularium, juxta Concilium Tridentinum, debent fieri per vota ſecreta. T. 6. n. 343. F. 323. Et quidem ſub pœna nullitatis electionis, & inhabilitatis &c. n. 344. Adeò, ut electio ſit nulla, ſi vel unus Electorum votum ſuum publicet permittente Capitulo. n. 345. Secùs, ſi id fiat inſcio, vel non conſentiente Capitulo. n. 346. Electio per compromiſſum, & quaſi inſpirationem, an ſit ſublata quoad Regulares virtute Decreti Tridentini? n. 347. & ſeqq.

Electus ante obtentam confirmationem liberè poteſt renuntiare Prælaturæ in manibus eligentium. T. 6. n. 34. F. 275. Electus ſi moriatur ante confirmationem, non per mortem ejus, ſed prioris, vacat Prælatura. n. 33. Electis ante obtentam Confirmationem prohibita eſt adminiſtratio; & qualis? n. 36. & ſeqq. Nec valet conſuetudo adminiſtrandi ante obtentam confirmationem. n. 38. Non tamen prohibentur fieri Præparatoria, neque ſimplex Inſtallatio. n. 39. Electus, ſi ante confirmationem ſe adminiſtrationi immiſcere præſumpſerit, privatur jure ex electione ſibi quæſito. cit. T. 6. n. 40. & ſeqq. F. 276. Caſſantúrque omnia ab ipſo geſta, & ipſe redditur ineligibilis ad Præ- laturam. n. 42. Etiamſi ante electionem fuiſſet Procurator, vel Oeconomus Eccleſiæ. n. 43. Secùs, ſi quidem ſe Oeconomum fieri procuravit, ſed non adminiſtravit. n. 44. Dantur nihilominùs certi caſus, in quibus poteſt Electus adminiſtrare ante obtentam confirmationẽ; & qui ſint illi? n. 45. & ſeqq. Electi in concordia, qui dicantur? n. 49. Electus in concordia ſimúlque valdè remotus à Curia, poteſt adminiſtrare ante ſuam confirmationem. n. 48. An hæc conceſſio adhuc ſit in vigore? n. 50. & 51. Geſta per Electũ in concordia ante ſuam confirmationem an valeant, ſi ipſe ob defectum aliquem poſteà repellatur? n. 52. Electus in Summum Pontificem poteſt adminiſtrare ante ſuam coronationem. n. 53. Sicut & Romanus Imperator. n. 54. Electus contra formam *cap. Quia propter. de Elect.* eſt tutus in conſcientia, ſi nemo ſeſe opponat electioni. cit. T. 6. n. 275. F. 313. Poteſtas opponendi crimina in perſonam Electi, aut de Beneficio proviſi, requirit ſpeciale mandatum ex parte Procuratoris. T. 38. n. 93. F. 586.

Eligendorum qualitates, quæ? T. 6. n. 204. & ſeqq. F. 302. Hujuſmodi qualitates generatim ſunt tres, ætatis maturitas, gravitas morum, & litterarum ſcientia. n. 204. In eligendis ad Prælaturas, qualis litterarum ſcientia requiratur? n. 205. & ſeqq. Qualis in eligendis requiratur ætas? n. 210. & ſeqq. Quænam aliæ qualitates, præſertim concernentes gravitatẽ morum, requirantur ex parte Eligendorum? n. 218. & ſeqq. Horum ſunt plures; nempe Thorus legitimus. n. 218. Status Clericalis. n. 219. Ordo ſacer, & qualis? n. 220. Abſentia cenſuræ, atque irregularitatis. n. 221. & 222. Vera Fides. n. 223. & ſeqq. Ut quis non ſit infamis. n. 226. & ſeqq. Utque non ſit privatus voce paſſivâ. n. 228. Eligendorum aliæ qualitates. Remiſſivè. n. 234. An poſſit licitè eligi dignus omiſſo digniore? n. 235. & 237. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Dignus.* Rejectus ab electione, an denuò poſſit elegi? cit. T. 6. n. 229. & ſeqq. F. 305. Eligendus debet eſſe de gremio Capituli, ſaltem de honeſtate. n. 233.

Eligentes mortaliter peccant, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magìs utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent. T. 6. n. 238. & ſeqq. F. 307. Eligentes indignum, an, & quâ ratione priventur jure eligendi? n. 251. Hanc pœnam privationis juris eligendi non incurrunt, niſi etiam ſequatur Communis electio indigni. n. 257. Et incurritur tantùm pro una vice. n. 258. & ſeqq. Poſt electionem indigni à majori parte Capitularium factam, poteſt minor pars eligere alium dignum; & quomodo? n. 260. Eligentes indignum poſſunt repelli ab alijs ab actu novæ Electionis per viam exceptionis. n. 261. Eligentes indignum, an, & qualiter incurrant pœnam ſuſpenſionis à Beneficijs? n. 262. & ſeqq. usque ad n. 268. Quæ ſit pœna eorum, qui eligunt Prælatum in Eccleſia viduata non ſervatâ formâ *in cap. Quia propter. de Elect.* præſcriptâ? n. 269. usque ad n. 277. Quæ ſit pœna non eligentium intra tempus à Jure præfixum? n. 278. & ſeqq. Electores poſt publicatum Scrutinium non poſſunt variare, benè tamen anteà. cit. T. 6. n. 290. usque ad n. 302. F. 315. Vide infrà ℣. *Scrutinium.*

Epicheia, quid? T. 2. n. 378. F. 156. Et quomodo differat ab interpretatione legis? n. 379. Eſt quandoque locus Epicheiæ. n. 380. & 381.

Epiſcopatu non datur major Ordo in Eccleſia. T. 5. n. 49. F. 266. Epiſcopatus eſt Ordo propriè dictus. T. 11. n. 26. F. 375. Reducitur juxta Theologos ad Ordinem Sacerdotij n. 26. & 27. Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt; & quomodo? n. 28. Epiſcopatus confertur die Dominico, vel Natalitio Apoſtolorum. n. 34. Epiſcopatus an poſſit eodem die recipi cum Sacerdotio? T. 11. n. 165. F. 398. Epiſcopatûs renuntiatio poteſt dupliciter fieri; nempe quoad locum tantùm, & quoad locũ & dignitatem ſimul. T. 13. n. 2. F. 309. Ad Epiſcopatum ut quis eligi poſſit, debet ipſe ſaltem eſſe Subdiaconus. T. 14. n. 10. F. 414. Ac ſucceſſivè receptis alijs Ordinibus, intra trimeſtre

poſt

poſt obtentam confirmationem conſecrari. n. 11. Reſpondetur ad Jura, quæ Sex menſes præſcribunt. Ibid. Epiſcopatus inſtituit Eccleſia Romana. T. 31. n. 74. F. 509.

Epiſcopus an poſſit per Procuratorem emittere profeſſionem Fidei? T. 1. n. 186. & 187. F. 81. Epiſcopi habent poteſtatem faciendi nova ſtatuta pro ſuis ſubditis. T. 2. n. 69. & ſeqq. F. 101. Statuta eorum an ſint perpetua, vel expirent morte Conditoris? n. 70. Poteſtas condendi Statuta competit etiam Epiſcopo confirmato, licèt nondum conſecrato. n. 71. Poteſt ea Epiſcopus regulariter ferre ſine conſenſu Capituli. n. 72. Exceptis certis caſibus; & quibus? n. 73. Epiſcopus an poſſit in ſua Diœceſi, quod poteſt Papa in toto Mundo? n. 77. & 78. Epiſcopi poteſtas eſt à Deo; & quomodo? n. 79. Epiſcopi ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum. n. 80. Epiſcopi cur non poſſint condere leges contra Jus Canonicum, ſicuti Principes S.R.I. contra Jus Civile? n. 81. 82. & ſeq. Cautela pro Epiſcopis cupientibus, ut Clerici ſtatutis Principum Sæcularium ſe conforment. T. 2. n. 310. F. 144. & n. 333. & ſeqq. Epiſcopi ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum; & quomodo? T. 31. n. 76. F. 509.

Epiſcopus diſpenſare quoad Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Decreta Conciliorum Generalium, regulariter nequit. T. 2. n. 463. & ſeq. F. 168. Epiſcopi ſunt Canonum magiſtri, & cuſtodes. n. 464. Epiſcopus poteſt abſolvere ab excommunicatione, ubi hoc ei non reperitur prohibitum; non autem diſpenſare. n. 465. Dantur nihilominùs caſus, in quibus poſſunt Epiſcopi diſpenſare circa Sacros Canones &c. n. 463. & 466. & ſeqq. Uti, quando ipſis id expreſsè conceditur, vel ſaltem in Canone ſimpliciter dicitur, poſſe diſpenſari. n. 467. & ſeq. Item ob cauſam magnæ neceſſitatis, ſitque periculum in mora &c. n. 470. Et vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ. n. 471. Et in caſibus frequenter occurrentibus. n. 472. Et ſi materia ſit levis. n. 473. Et quoties dubium eſt, an caſus indigeat diſpenſatione. n. 474. Poteſtas diſpenſandi in dictis caſibus conceſſa Epiſcopis, eſt ordinaria. n. 475. Ac proin Sede vacante competit Capitulo. n. 475. & 476. Caſus ſpecifici, in quibus ex conceſſione Juris Communis poſſunt diſpenſare Epiſcopi, ſunt multi. n. 477. Epiſcopus ſcienter promovens inhabilem, an cenſeatur ipſo facto diſpenſare cum inhabili, v. g. ad Ordines ſuſcipiendos? n. 483.

Epiſcopi an debeant ad alium Epiſcopatum poſtulari, vel eligi? T. 5. n. 37. & ſeqq. F. 264. Et quid de Epiſcopis Titularibus? n. 40. Epiſcopi Titulares, qui? Ibid. Appellantur etiam *Suffraganei*; & cur? Ibid. Sunt ad alium Epiſcopatum poſtulandi, non eligendi. n. 41. & ſeqq. Sunt veri Epiſcopi. n. 41. Habéntque votum deciſivum in Concilio Generali. n. 42. Qualiter careant Clero, & Populo Chriſtiano? n. 43.

Epiſcopi Titulares nequeunt ordinare ſuum Familiarem. T. 11. n. 103. F. 388.

Epiſcopi olim dicebantur Presbyteri. T. 6. n. 6. F. 271. In Epiſcopis exoptanda eſt ſcientia eminens. cit. T. 6. n. 207. F. 301 Sed competens, ſeu ſufficiens toleranda. n. 208. In Epiſcopum nullus poteſt eligi, niſi qui jam compleverit trigeſimum annum ætatis. n. 217. Neque poſtulari ante vigeſimum Septimum ætatis annum. T. 5. n. 58. F. 267. Epiſcopi electi confirmatio, ſpectato Jure communi, pertinet ad Archi-Epiſcopum. T. 6. n. 321. F. 319. Tamen per Concordata Germaniæ reſervatur Summo Pontifici. n. 322. Legati à Latere poſſunt ex officio ſuo confirmare electiones Epiſcoporum; & quid juxta Concordata Germaniæ? T. 30. n. 39. F. 497.

Epiſcoporum translatio ſolâ authoritate Papæ fit. T. 7. n. 3. F. 325. Ea connumeratur inter majores Eccleſiæ cauſas. Ibid. Epiſcopus propriâ authoritate de ſua Eccleſia tranſiens ad aliam, carebit utrâque. n. 4. Non quidem ipſo jure, ſed per ſententiam. n 5. Etiamſi ſit confirmatus duntaxat. n. 6. Epiſcopi translatio regulariter fit à minore ad majorem Eccleſiam. n. 7. Fallit hoc ob cauſas peculiares. n. 8. Cauſæ transferendi Epiſcopos generatim ſunt duæ. n. 9. Videlicet, cauſa utilitatis. n. 10. Et cauſa neceſſitatis. n. 11. Ob hanc etiam fit translatio Sedium Epiſcopaliū. Ibid. Effectus translationis Epiſcopi, quales? n. 12.

Epiſcopus eſt verus Sponſus Eccleſiæ ſuæ. T. 7. n. 18. F. 327. Conjugium ſpirituale Epiſcopi cum Eccleſia, quando cenſeatur initiatum, ratum & conſummatum? Ibid. Papa poſt Chriſtum eſt Sponſus Eccleſiæ univerſalis: alij Epiſcopi ſunt Sponſi Eccleſiarum particularium. n. 33.

Epiſcopus invitus, an ab una Eccleſia ad aliam poſſit per Papam transferri? T. 7. n. 19. & ſeqq. F. 328. Epiſcopus confirmatus, & nondum conſecratus, nequit transferri invitus. n. 19. Major difficultas eſt de Epiſcopo conſecrato, de qua referuntur tres ſententiæ. n. 20. usque ad n. 33. Papa quando intelligatur transferre Epiſcopum ex cauſa publica, vel potiùs ob favorem perſonæ? n. 25. Epiſcopus nolens conſentire translationi per Papam factæ, poteſt abſolvi à vinculo prioris Eccleſiæ, non tamen invitus alteri alligari. n. 30. & ſeqq. Epiſcopus translatus contrahit novum ſpirituale conjugium cum Eccleſia, ad quam transfertur. n. 32. & ſeqq.

Epiſcopo translato in Curia ſeu Conſiſtorio Papæ, an incontinenti cenſeatur prior Sedes Epiſcopalis vacare? T. 7. n. 34. & ſeqq. F. 330. Affirmatur, quando Epiſcopus transfertur ſciens, & volens. n. 35. & ſeqq. Ac refertur Decretum Sacræ Congregationis deſuper emanatū. n. 36. Idémque probatur rationibus. n. 37. & 38. Ac ſolvuntur contraria. n. 39. & 40. Diſparitas quoad Epiſcopum translatum, & Epi-

ſcopum noviter ordinatum circa vacationem præhabitorum Beneficiorum. n. 40. Si transfertur Epiſcopus abſens, & ignorans, non vacat prior Eccleſia ante præſtitum à Tranſlato conſenſum. n. 41. Niſi ſecùs exprimatur. n. 42. Aut niſi tranſlatio fiat ob publicam cauſam, & non favore perſonæ ? n. 43.

Epiſcopus tranſlatus an ſecum poſſit aſportare fructus prioris Epiſcopatus ac res ex ipſis emptas ? T. 7. n. 44. & ſeqq. F. 332. Poteſt is ſecum deferre fructus jam perceptos. n. 47. Ac bona mobilia acquiſita in priori Eccleſia ſeu ex ejus fructibus comparata; dummodò hoc nondum deſtinâſſet illi Eccleſiæ. n. 48. & 49. Tenetur tamen relinquere fundos prioris Eccleſiæ benè inſtructos. n. 50. Ac in locum demortuorum animalium, vel arborum, alia ſubſtituere. Ibid. Epiſcopus non eſt Dominus poſſeſſionum ſuæ Eccleſiæ, ſed adminiſtrator, & quaſi uſufructuarius. n. 51. Solvuntur contraria. n. 52. & ſeqq. Fructus pendentes, & inexacti, an pertineant ad Epiſcopum tranſlatum pro rata temporis? n. 55. & ſeqq. Quid cenſendum de Conſtitutione Julij: *Cùm ſicut* ? n. 46. & n. 53. & 54. & 57. ac ſeqq.

Epiſcopus nequit renunciare Epiſcopatui ex cauſa ingrediendi Religionem. T. 9. n. 21 F 341. Sex ſunt cauſæ reſignandi Epiſcopatum. n. 35.

Epiſcopi poteſtas an, & quando propter ſuam negligentiam devolvatur ad Archiepiſcopum? T. 10. n. 9. & ſeqq. F. 362. Enumerantur plures caſus, in quibus, Jure ſic diſponente, per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi. n. 17. & ſeqq. Epiſcopi exempti negligentia ſuppletur ſolùm per Papam. n. 34. Per quem ſuppleatur impotentia Epiſcopi excommunicati? n. 35. & 36. Vel ab hoſtibus capti ? n. 37. Aut in amentiam lapſi &c. n. 38. & ſeqq. Epiſcopi tenentur ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere. cit. T. 10. n. 40. F. 368. Et Epiſcopo negligente notoria crimina emendare, eadem Archiepiſcopus liberè corrigit, ac punit. n. 21. Vide ſuprà ℣. *Archiepiſcopus*, & infrà ℣. *Negligentia*

Epiſcopi ſubditus quoad Ordines recipiendos, quatuor modis quis cenſetur; & quibus? T. 11. n. 78. & ſeqq. F. 385. Vide infrà ℣. *Ordinari.* Epiſcopus quilibet poteſt ſuis ſubditis concedere Litteras Dimiſſorias. cit. T. 11. n. 118. F. 391. Etiam ille, qui poteſt ordinare Clericum ratione triennalis Familiaritatis &c. n. 119. Epiſcopus quando cenſeatur in remotis agere? T. 11. n. 127. F. 392. Epiſcopus ordinans alienum ſubditum cum Dimiſſorijs, non poteſt cum eo diſpenſare quoad Interſtitia. n. 153. Sed iſtud ſpectat ad Epiſcopum reſpectu ſuorum ſubditorum. n. 154. Vide infrà ℣. *Interſtitia.*

Epiſcopus ſcienter quempiam ordinans ante legitimam ætatem, ſuſpenditur à collatione omnium Ordinum. T. 11. n. 174. & 177. F. 400. Non autem ab alio actu Ordinum. n. 175. Nec eſt ipſo jure ſuſpenſus, ſed per ſententiam ſuſpendendus. n. 176. Epiſcopus conferens infanti primam Tonſuram, eſt ſuſpenſus duntaxat à collatione Clericalis Tonſuræ; & cur? n. 178. Epiſcopus ordinans quempiam extra Tempora abſq; diſpenſatione, cui pœnæ ſubjaceat? n. 181. Num à ſuſpenſione illa, quam Ordinatus extra Tempora defacto ipſo jure incurrit, poſſit Epiſcopus abſolvere? n. 183. & 184. Epiſcopus ſuſpenſus à collatione certi Ordinis, poteſt conferre minorem, non autem majorem Ordinem. n. 182. Quæ ſint pœnæ Epiſcopi ordinantis alienum ſubditum? n. 185. Epiſcopus conferens cuipiam Ordinem ſacrũ non habenti Titulum ſuſtentationis, tenetur eidem providere de alimentis, donec Beneficium conſequatur. n. 191. Et quid, ſi talis Epiſcopus moriatur, vel plures ordinaverint eundem abſque Titulo? n. 192. Fallit iſtud in nonnullis caſibus. n. 193. & 194. Pœna Epiſcopi ordinantis aliquem ſine Titulo cum pacto, ne alimenta exigat, & ſic Ordinati, quæ? n. 196. Quæ ſit pœna Epiſcopi conferentis cuipiam duos ſacros Ordines eodem die? n. 205.

Epiſcopus poteſt dupliciter renunciare Epiſcopatui. T. 13. n. 2. F. 409. Epiſcopus ſimpliciter renuncians, an in dubio cenſeatur renunciâſſe loco tantùm, vel loco & dignitati ſimul? n. 3. Qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, poteſt conferre Ordines etiam majores. n. 4. Dummodò ſit rogatus ab alio Epiſcopo. n. 5. Renuncians Epiſcopatui quoad locum & dignitatem ſimul, nequit licitè Ordines ſacros conferre. n. 6. Benè tamen Ordines minores de licentia alterius Epiſcopi. n. 7. Quid juris, ſi quis ordinetur ab Epiſcopo excommunicato? n. 8. & ſeqq.

Epiſcopus an poſſit diſpenſare, ut præficiendus Abbatiæ non ſit Presbyter? T. 14. n. 15. F. 414. Epiſcopus diſpenſat cum illegitimis quoad Ordines minores, ac Beneficiũ ſimplex. T. 17. n. 9. & ſeqq. F. 427. An etiam diſpenſet quoad Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum? n. 11. & ſeqq. Non poteſt Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare quoad pluralitatem Beneficiorum ſimplicium. n. 14. Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum illegitimis virtute Concilij Tridentini, quando eorum illegitimitas eſt occulta? n. 23. & ſeqq. Epiſcopus an aliquando poſſit diſpenſare cum corpore vitiatis, & contractâ inde irregularitate? T. 20. n. 36. & 38. F. 440.

Epiſcopus poteſt Generalem Vicarium conſtituere etiam abſq; conſenſu Capituli. T. 28. n. 64. F. 460. Ac ordinariè tenetur eum conſtituere. n. 65. & 66. Poteſt etiam binos Vicarios Generales conſtituere. n. 67. Non tamen eligere Laicum in Vicarium Generalem. n. 68. & 69.

Epiſcopus, ſi procedat *tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus*, utitur juriſdictione delegatâ, non ordinariâ. T. 29. n. 35. & 36. F. 472. Epiſcopus procedens *etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delega-*

Delegatus, an cenſeatur uti Jurisdictione ordinariâ, vel Delegatâ? n. 37. & 38. Epiſcopus poteſt delegare cauſam ſimplici Clerico, cæteroquin idoneo. T. 29. n. 72. & 73. F. 477. Epiſcopus non poteſt Laico delegare cauſam ſpiritualem, nec criminalem Clericorum. cit. T. 29. n. 88. F. 479. Et probabiliùs nec cauſam civilem, ſeu temporalem Clericorum. n. 89. Solvuntur contraria. n. 90. & 91.

Epiſcopi nomine veniunt Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ. T. 31. n. 16. F. 501. Limitatur hoc in odioſis, & materiâ correctoriâ. n. 17. Appellatione Epiſcopi propriè non venit, niſi in Epiſcopum conſecratus. n. 18. Non item electus in Epiſcopum, & confirmatus. n. 19. Niſi loquendo in illis, quæ ſpectant duntaxat ad jurisdictionem. n. 20. Epiſcoporum appellatione quoad concernentia eorum jurisdictionem, aliquando veniunt ſoli Epiſcopi. n. 21. & 22. & ſeqq. Aliquando etiam inferiores Prælati, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes. n. 25. Idque exemplificatur. n. 25. & 26. Epiſcopi nomine an veniat Vicarius Generalis, ac Delegatus Epiſcopi? n. 27. Epiſcopi nomen eſt antiquiſſimum, & idem ſignificat ac *Superintendens*. n. 64.

Epiſcopi poteſtas generatim eſt duplex, nempe poteſtas Ordinis, & poteſtas Jurisdictionis; & in quo conſiſtant? T. 31. n. 65. & 66. F. 507. Epiſcopi non ſolùm habent Jurisdictionem Ordinariam, ſed etiam Imperium mixtum, & merum. n. 67. Poteſtas Ordinis confertur Epiſcopis immediatè à Deo. n. 68. An idem dicendum ſit de poteſtate Jurisdictionis? n. 68. 69. & ſeqq. Jurisdictio Epiſcopalis ſecundùm ſe, ac in generali, eſt inſtituta à Chriſto. n. 70. Et ab eodem immediatè collata Divo Petro, cæteriſque Apoſtolis. n. 71. Sed cum diſcrimine; & quali? n. 72. Epiſcoporum jurisdictio, prout reſpicit has vel illas perſonas, ſeu Eccleſias &c. imẽdiatè provenit à Papa. n. 73. 74. & ſeqq. Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi, quod Papa in tota Eccleſia; & quomodo? n. 77. Epiſcopus debet juſtam cenſuram, quam inferior Ordinarius in ſibi ſubjectum tulit, obſervare, nec eam ſine hujus præſcitu relaxare; & cur? n. 78. & 79. Quid, ſi ſubditus Inferioris conqueratur Epiſcopo, ſe injuſtè excommunicatum fuiſſe? n. 80. An valeat abſolutio per Epiſcopum data irrequiſito Ordinario inferiore? n. 81. Epiſcopi poteſtas ad quæ in ſpecie ſe extendat? Remiſſivè. n. 82.

Epiſcoporum jura ſpectant vel ad Legem Diæceſanam, vel ad Legem Jurisdictionis. T. 31. n. 83. F. 510. Quæ ſunt valdè diverſa. n. 84. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Lex Diæceſana, & Lex jurisdictionis.* Epiſcopis olim fuerunt ſubjecta omnia Monaſteria, omnéſque Monachi. n. 107. Hodie tamen plerique Ordines Regulares ſunt exempti. n. 108. Exceptis certis caſibus, in quibus Regulares exempti ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum; & cur? n. 109. Ejusmodi caſus quot enumerentur à Doctoribus? n. 110. & ſeqq. usque ad n. 142. Epiſcoporum jurisdictioni ſubſunt Apoſtatæ, & Ejecti à Religionibus. n. 120. Epiſcopus componit controverſias omnes de præcedentia in Proceſſionibus inter Regulares. n. 130. Epiſcopis ſubjiciuntur Regulares in omnibus, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. n. 131. Epiſcopi habent jurisdictionem ſuper Regulares, quomodolibet exemptos, in concernentibus Curam animarum, quam exercent. n. 132. & ſeqq. Epiſcopi poſſunt prohibere, ne Sæculares, vel Religioſi, privatis in domibus Miſſas celebrent. n. 135. Ex juſta tamen cauſa poſſunt id concedere. n. 136. & ſeqq. Epiſcopi tenentur Clauſuram Sanctimonialium reſtituere, aut ubi inviolata eſt, conſervare. n. 141. & 142. Vide infrà ℣. *Regulares*.

Error latinitatis manifeſtus vitiat Reſcriptum. T. 3. n. 212. & ſeqq. F. 217. Idque ob præſumptionem falſificationis. n. 213. Dummodò non ſit omnino levis. n. 214. Nec aliunde pateat de veritate litterarum Apoſtolicarum. n. 215. In Teſtamentis, & aliis Inſtrumentis, error latinitatis non præjudicat. n. 216. Et quæ ratio diſparitatis inter hæc, & Reſcripta Apoſtolica? n. 217. Error communis jus tribuit; idque exemplificatur. T. 3. n. 234. & 261. F. 221.

Etiam. Hæc particula eſt augmentativa, & implicativa præcedentium. T. 29. n. 37. F. 472.

Euchariſtiam poteſt ſolus Sacerdos conficere. T. 1. n. 136. F. 73. Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandum proponere, an liceat Regularibus? T. 31. n. 138. & 139. F. 517.

Exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis. T. 2. n. 405. F. 159. Quod exceptione repelli poteſt, habetur pro inutili. T. 3. n. 91. & 93. F. 197. Exceptio *quod metus cauſa* competit metum paſſis; & quando? T. 40. n. 39. F. 601.

Excõmunicatus an poſſit impetrare Reſcriptum? T. 3. n. 39. & ſeqq. F. 189. Excommunicatos non intendit Concilium Conſtantienſe in aliquo relevare. n. 50. & 51. Abſolutio ab excommunicatione primùm ſuperveniens, non convalidat Reſcriptum ab excommunicato impetratum. n. 54. & 55. Vide infrà ℣. *Reſcriptum impetrare*.

Excõmunicati excommunicatione majori prohibentur eligere. T. 6. n. 167. & ſeqq. F. 296. An, quando unus fuit excommunicatus, & eligit cum aliis, vitietur tota electio. n. 168. Quid de hoc dicendum, de facto poſt Extravag. *Ad evitanda*? n. 169. Excommunicatus excommunicatione minori non prohibetur eligere, licèt eligi non poſſit. n. 167. Excommunicatus excommunicatione majori nequit eligi ad Beneficium Eccleſiaſticum. cit. T. 6. n. 221. F. 304. Neque iſtud eidem conferri. Ibid. Et quid de excommunicato excommunicatione minori? n. 222.

Excõmunicatum ſi Epiſcopus non vult abſolve-

re cùm deberet, poteſt ipſum abſolvere Metropolitanus. T. 10. n. 19. & 20. F. 365. Quid juris, ſi quis ordinatur ab Epiſcopo excommunicato? T. 13. n 8. & ſeqq. F. 410. Ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici, qualiter poſſit abſolvere Legatus à Latere? T. 30. n. 28. F. 496. An is etiam ab alijs excommunicationibus Papæ reſervatis poſſit abſolvere? n. 29. Et quid dicendum de Legato Miſſo, ac Nato? n. 30. Excommunicati non poſſunt conſtituere procuratorem ad agendũ. T. 38. n. 30. F. 577. Benè tamen ad defendendum. n. 31. An ſi conveniantur ab alio, teneantur inviti procuratorem conſtituere? n. 32.

Exempla regulam non aſtringunt, ſed declarant, T. 19. n. 6. F. 435. *Non exemplis, ſed legibus judicandum eſt*, declaratur. T. 4 n. 100. F. 243.

Exorbitans diſpoſitio, quæ? T. 2. n. 473. F. 162. Leges exorbitantes à Jure communi, ſunt ſtrictæ interpretationis. n. 421. Fallit in certis caſibus. n. 422. & ſeqq.

Exploratio voluntatis Puellarum Deo dicandarum debet fieri per Epiſcopum, vel alium ab eo deputatum. T. 31. n. 157. F. 527. Exploratio hæc, quomodo, & de quibus facienda ſit? Ibid. Et an binâ vice fieri debeat? n. 158.

Extenſio legis, duplex: una propriè dicta, ſeu extenſiva. T. 2. n. 371. F. 155. Altera comprehenſiva ſeu incluſiva, & impropriè dicta. n. 372. Extenſio in correctorijs Jurium, an, & quando locum habeat? T. 2. n. 500. & ſeqq. & n. 508. & ſeqq. F. 175.

Extravagantes Communes, unde obligent? P. n. 87. & 91. F. 19.

F.

Factum alienum promitti non poteſt, benè tamẽ res aliena legari; & cur? T. 35. n. 62. & 63. F. 547.

Familiarium nomine, qui intelligantur? T. 11. n. 99. F. 388. Quæ requirantur, ut Epiſcopus Familiarem ſuum, ſibi cæteroquin non ſubditum, ordinare valeat? n. 90. 98. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Ordinari*.

Feſtos dies ab Ordinarijs præceptos tenentur Regulares etiam exempti obſervare; & quâ ratione? T. 31. n. 27. F. 516. Vide ſuprà ℣. *Diei Feſtivi*.

Feudorum Libri, unde ſumpſerint initium? P. n. 170. F. 32.

Fictio juris, quid? T. 2. n. 176. F. 121. Fictionis juris plura referuntur exempla. n. 170. & ſeqq. Fictio juris differt à Præſumptione juris multipliciter. n. 181. & ſeqq. Leges in Fictione juris fundatæ, an etiam locum habeant in Foro conſcientiæ? n. 185. & ſeqq. Regulæ circa Fictionẽ juris attendendæ, quæ? n. 187. & ſeqq. Fictio juris idem operatur in caſu ficto, quod veritas in caſu vero. n. 181. Intelligendo hoc ſecundùm ſpecialitatem in Jure expreſſam, non quoad alia. n. 189. & ſeqq. Fictio non eſt tantæ potentiæ, quantæ veritas. n. 190. Fictio juris non debet plus operari in caſu ficto, quàm veritas in caſu vero. n. 191. & 192. Fictio non habet locum, niſi in caſibus à Jure expreſſis. n. 193. & 194. Nec ipſa habet locum in Statutis. n. 195. Fictio non trahitur ad illa, quæ ſunt impoſſibilia ſecundùm naturam. n. 196.

Fideles, quomodo dicantur unum, ſicut Perſonæ Divinæ? T. 1. n. 11. F. 49.

Fides habet plures in Jure acceptiones. T. 1. n. 39. & ſeqq. F. 55. Accipitur ſubinde pro collectione Articulorum Fide Divinâ credendorum. n. 41. Et ſic ſumitur in Rubrica Tituli primi *De Summa Trinitate, & Fide Catholica*. n. 42. Fides Catholica, cur ſic appelletur? n. 43. Fidei definitio ab Apoſtolo *Hebræor. cap.* 11. tradita, an ſit bona? cit. T. 1. n. 44. & ſeqq. F. 56. Fidei duplex munus. n. 47. & ſeqq. Fides eſt credere, quod non vides. n. 48. Fides, & Spes in quibus differant? n. 49. Fides Divina ſecernitur à Fide humana, Opinione, Suſpicione, atque ſcientia; & quomodo? n. 50. Alia Fidei tum habitualis, tum actualis definitio. n. 51. Fidei Symbolum. Vide infrà ℣. *Symbolum*. Fidei Articuli. Vide ſuprà ℣. *Articuli Fidei*.

Fides eadem fuit Patrum Veteris teſtamenti, & noſtra. T. 1. n. 69. & ſeqq. F. 61. Myſteria Fidei quomodo ſucceſſive magìs fuerint explicata, declaratur exemplis. n. 75. & 76. fidei confeſſio, qualis eſſe debeat? n. 83. Fidei aſſenſus, confeſſio & profeſſio differunt. cit. T. 1. n. 151. F. 76.

Fidei profeſſio, à quibus fieri debeat? T. 1. n. 152. & ſeqq. F. 76. Tenentur eam emittere baptizandi. n. 152. Hæretici ad unitatem Eccleſiæ redeuntes. n. 153. Sacris Ordinibus initiandi. n. 154. Promoti ad Epiſcopatum. n. 156. Ac promoti ad Canonicatus, & Dignitates Cathedralium Eccleſiarum, vel ad quæcunque beneficia curam animarum habentia. n. 157. Etiamſi profeſſionem Fidei in adeptione alterius Beneficij jam emiſiſſent. n. 158. Aut eam feciſſent in hoc ipſo Beneficio, quod poſteà dimiſerunt, ac denuo acquiſiverunt. n. 159. Item proviſi de Monaſterijs, Conventibus &c. Ordinum Regularium. n. 160. Et an hoc ſit uſu receptum? n. 161. Sicut & Doctores, Magiſtri, Regentes Univerſitatum, vel Gymnaſiorum, ac Scholares ad Gradum promovendi. n. 162. Non tamen tenentur emittere profeſſionem Fidei, qui promoti ſunt ad Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, vel Beneficia non curata. cit. T. 1. n. 163. & ſeqq. F. 78. Nec eam facere tenentur Conadjutores Canonicorum Cathedraliũ, Portionarij, Vicarij temporales &c. n. 166. Profeſſionem Fidei coram quibus facere teneantur Proviſi de Canonicatibus Cathedralibus? n. 167. Præſertim Sede Epiſcopali vacante? n. 168. Coram quo eam facere teneantur Proviſi de Beneficijs curatis? n. 169. An ſufficiat hanc facere coram Vicario Generali, etiam Epiſcopo non impedito? n. 170.

n. 170. Et ubi hæc fieri debeat Sede Epiſcopali vacante? n. 171.
Fidei profeſſio, quo tempore ſit facienda? T. 1. n. 172. & ſeqq. F. 79. Debet ea fieri à Promotis intra duos menſes à tempore adeptæ poſſeſſionis Beneficij. n. 172. Quid juris, ſi per Promotum ſtet, quò minùs accipiat poſſeſſionem? n. 173. Requiritur ad id poſſeſſio pacifica. n. 174. Promotus non faciens profeſſionem Fidei intra bimeſtre, tenetur eam poſteà, quamprimùm poterit, emittere. n. 175. & ſeqq. Sufficit, ſi Promoti eam emittant ex alio titulo. n. 178. Tenentur ultrò ſe offerre ad ipſam faciendam. n. 179. Et probare, ſe eam emiſiſſe. n. 180. Fidei profeſſio an poſſit fieri per Procuratorem. n. 181. & ſeqq.
Fidei profeſſionem omittentibus Clericis beneficiarijs, quæ pœnæ generatim ſint impoſitæ. T. 1. n. 188. & ſeqq. F. 82. Eam omittentes peccant mortaliter. n. 188. & 189. Et qualiter fructus non faciant ſuos? n. 190. & ſeqq. An iſtos in conſcientia teneantur reſtituere ante ſententiam Judicis? n. 195. Omittentibus debitam Fidei profeſſionem nō ſuffragatur poſſeſſio, & qualiter? n. 199. & ſeqq. Cui applicandi ſint fructus Beneficij, ob intermiſſam Fidei profeſſionem à Beneficiario non acquiſiti? n. 205. Vide ſuprà ℣. *Clericus beneficiarius.*
Filiæ pactum, quòd dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat, an valeat? T. 35. n. 80. & ſeqq. F. 550.
Filius in Divinis an debeat dici, *Semper naſcitur*, vel potiùs, *Semper natus eſt*? T. 1. n. 88. & ſeqq. F. 65.
Filius naturalis, quis? T. 17. n. 2. F. 426. Manzer, Nothus, & Spurius, quis? Ibid. Filius familias habens liberam peculij adminiſtrationem, an poſſit donare? T. 38. n. 18. F. 576.
Filij Presbyterorum ante Sacerdotium ex juſtis nuptijs procreati, an poſſint ordinari? T. 17. n. 5. F. 426. Imò nonnulli horum ad Summum Pontificatum fuerunt aſſumpti. Ibid. Filius Sacerdotis Græci licitè ordinatur, ſecùs de Latinis; & cur? n. 6. Filius illegitimus nequit in Eccleſia, ubi pater ejus Beneficium habet, vel habuit, quodcumque Beneficium obtinere. n. 30. Ne quidem ſimplex, ex diſpenſatione Epiſcopi? n. 13. Imò nec etiam poteſt in tali Eccleſia, Sacriſtam, Muſicum, aut alium Miniſtrum agere. n. 31. Etiamſi fuerit illegitimè natus ante Clericatum parentis. n. 32. Vide infrà ℣. *Illegitimorum.* Filius etiam legitimus Sacerdotis nequit immediatè ſuccedere in Beneficio paterno. n. 33. Benè tamen mediatè. n. 34. Poteſt etiam aliud diſſimile Beneficium habere in Eccleſia, in qua pater miniſtrat. n. 35. Solus Papa diſpenſat, ut filius immediatè ſuccedat patri in Beneficio. n. 36. Filiorum appellatione, an contineantur Nepotes? n. 41.
Fæminæ prohibentur pro alijs poſtulare, licèt poſſint pro ſeipſis. T. 37. n. 13. F. 568. Fæminæ excluduntur ab officio Procuratoris, exceptis certis caſibus. T. 38. n. 52. F. 579. Fæmina non poteſt eſſe arbitrix. T. 43. n. 41. F. 635. Exceptis certis caſibus. n. 42. Benè tamen arbitratrix. n. 43. Per fæminas an poſſit induci conſuetudo? T. 4. n. 113. 114. & 115. F. 246.
Forum ſortiri, & legibus ligari, paria ſunt. T. 2. n. 307. F. 144.
Fratres Minores, alijque Religioſi communicationem privilegiorum habentes, an poſſint ordinari extra Tempora à jure ſtatuta? T. 11. n. 40. & ſeqq. usque ad n. 51. F. 376. Fratres Minores communicant in privilegijs aliorum Ordinum, tum conceſſis, tum concedendis. n. 45. Fratres Minores non poſſunt perſonaliter aſſiſtere Advocatis, dum ipſorum negotia temporalia agitantur in Curijs. T. 37. n. 26. F. 570. Fratres Prædicatores præcedunt Fratribus Minoribus; cur? P. n. 110. F. 22.
Fructus beneficij Beneficiarius non facit ſuos, ſi omittat debitam Fidei profeſſionem. T. 1. n. 190. & ſeqq. F. 82. Vide ſuprà ℣. *Clerici beneficiarij.* Fructus tales Beneficij, cui ſint applicandi? n. 205. & ſeqq. Fructus taliter amiſſos non poteſt condonare Ordinarius loci. n. 207. Sed oportet recurrere ad Papam. n. 208. Fructus prioris Epiſcopatus, an Epiſcopus translatus poſſit ſecum aſportare? T. 7. n. 44. & ſeqq. F. 332. Fructus pendentes, & tempore factæ translationis Epiſcopi adhuc inexacti, an pro rata temporis pertineant ad Epiſcopum translatum? n. 55. & ſeqq. Clericus reſignans Beneficium lucratur omnes fructus ejus ante reſignationem perfectam maturatos &c. T. 9. n. 150. F. 360. Limitatur iſtud in fructibus Menſæ Capitularis adhuc indiviſis annorum præcedentium. n. 151. Poſt reſignationem jam perfectam nequit reſignans percipere fructus Beneficij. n. 152. Et ſi ſecùs attentaverit, tenetur ad reſtitutionem. n. 153. Cui talis reſtitutio ſit facienda? n. 154.
Fructus pendentes Beneficij, an pro rata temporis ſint dividendi inter Reſignantem & Reſignatarium? T. 9. n. 155. & ſeqq. F. 361. Spectato Jure communi fructus illi non ſunt dividendi, ſed debentur Eccleſiæ, aut Succeſſori. n. 156. In praxi tamen oportet attendere ad ſpecialem locorum conſuetudinem. n. 157. Ad evitandas lites poteſt inter Reſignantem & Reſignatarium anteà fieri liquitatio certæ portionis fructuum. n. 159. Neque tale pactum cenſetur ſimoniacum; & cur? n. 160. Fructuum nomine, qui intelligantur? n. 161. Corollarium de pretio ſeminis, atque impenſarum, per Succeſſorem ſolvendo. n. 162. De diviſione fructuum inter hæredes Defuncti, & inter Succeſſorem in Beneficio, quid dicendum? n. 163. Congrua portio de fructibus Beneficij, quâ ratione debeat aſſignari Vicario perpetuo? T. 28. n. 37. 38. & 39. F. 457.

 G. Gloſſa

G.

Gloſſa,quantæ ſit authoritatis?P. n. 146. & ſeqq. F. 29. Ejus authoritas eſt magna. n. 147. Non tamen habet vim legis. n. 148. & ſeqq. Quam opinionem ex pluribus allegatis præſumatur approbare? n. 151.

Gratia Papalis, an perficiatur ex ſola Signatura? T. 3. n. 74. F. 194. Gratiam factam, & Gratiam faciendam,quæ Reſcripta cenſeantur continere? T. 3. n. 253. & ſeqq. F. 224. Gratia facta non expirat morte concedentis, etiam re integrâ. n. 252. Secùs dicendum de Gratia facienda. n. 251. & 252. Vide infrà ℣. *Reſcripta gratiæ.*

Gratiani Decretum. Vide ſurpà ℣. *Decretum Gratiani.* Gratiani dicta cujus ſint authoritatis? P. n. 79. F. 16. Nonnulli ejus errores referuntur. n. 80. & ſeqq.

Græcorum objectiones contra Proceſſionē Spiritûs Sancti à Filio, diſſolvuntur. T. 1. n. 27. & ſeqq. F. 153. Græcorum ſtatus ante & poſt ſchiſma. n. 38.

Guardiani Fratrum Minorum cenſentur eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica,ſicque poſſunt eſſe Delegati Papæ. T. 29. n. 70. F. 476.

H.

Hæres cenſetur eſſe eadem perſona cum Teſtatore. T. 3. n. 134. F. 204.

Hæretici obligantur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis. T. 2. n. 274. & ſeqq. F. 138. Solvuntur contraria. n. 275. & ſeqq. Hæretici an, & qualiter cenſeantur eſſe extra Eccleſiam? n. 276. Ac ſe habeant ut membra abſciſſa? n. 276. & 277. Hæretici an Reſcriptum impetrare valeant? T. 3. n. 38. F. 189. Hæreticorum conſuetudines contra Statum Eccleſiæ Catholicæ ſunt irrationabiles, ac invalidæ. T. 4. n. 147. F. 250. Hæretici ſunt ineligibiles ad Beneficia Eccleſiaſtica. T. 6. n. 224. F. 305.

Hierarchia. Sicut in Cæleſti Hierarchia, ita & in Eccleſiaſtica dantur gradus, & ordines miniſtrantium. T. 33. n. 1. F. 534.

Homo poteſt quadrupliciter conſiderari,ſicque utitur diverſo jure. P. n. 29. F. 6. Homines in Sacra Scriptura quandoque vocantur Dij; quomodo? T. 1. n. 84. F. 64. Lapſus primi hominis oſtenditur. T. 1. n. 98. F. 66. Cur ſolius hominis lapſi redemptio facta fuerit,non item Angelorum peccantium? n. 103. & ſeqq. Omnes homines, etiam Infideles, ſunt oves Chriſti. T. 2. n. 286. & 287. F. 140. Homines liberi, qui? T. 18. n. 1. F. 431. Ingenui, & Libertini, qui? Ibid.

Horas Canonicas ſi Clerici beneficiarij omittant, quomodo teneantur reſtituere fructus Beneficij? T. 2. n. 235. F. 131.

Hoſtem fallere ſtratagemate, eſt laudabile; fidem tamē illi datam violare non licet. T. 34. n. 15. & 16. F. 539. Si facto publico violatur per hoſtem pax, illicò altera pars poteſt arma reaſſumere. n. 17. Secùs, ſi ea violetur facto duntaxat privato. n. 17. & ſeq.

I.

Idoneitas Ordinandorum, vel aſſumendorum ad aliquam Dignitatem, ſeu Officium, in dubio non præſumitur, ſed eſt probanda. T. 12. n. 6. & 8. ac ſeqq. F. 406.

Jejunium requiſitum ad hoc, ut Epiſcopus continuato jejunio poſſit perficere Ordinationem die Dominico, an debeat eſſe naturale, vel ſufficiat Eccleſiaſticum? T. 11. n. 37. & ſeqq. F. 377.

Ignorantiam allegans, qui elegit indignum, cogitur eam probare. T. 6. n. 254. F. 310. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur*: declaratur. n. 255. Ignorantia illa quomodo probari poſſit? n. 256.

Illegitimorum plures ſunt ſpecies. T. 17. n. 2. F. 426. Nempe Filius naturalis, Manzer, Nothus, & Spurius, quis? Ibid. Natus menſe ſeptimo matrimonij, aut undecimo pòſt, an cenſeatur legitimus? n. 3. Omnes illegitimi prohibentur ordinari; & hujus ratio. n. 4. & ſeqq. Quid de Filijs Presbyterorum? n. 4. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Filij Presbyterorum.* Illegitimus, ſi Religionem ingrediatur, poteſt ordinari; non verò ad Prælaturam aſſumi. n. 7. Eſt inhabilis ad Cardinalatum, etiamſi per ſubſequens matrimonium legitimetur, aut diſpenſetur. Ibid. Quis poſſit cum illegitimis diſpenſare ad Ordines, atque Beneficia Eccleſiaſtica. n. 8. uſque ad n. 15. Diſpenſatio cum illegitimis eſt ſtrictæ interpretationis. n. 16. Unde illegitimus ſimpliciter diſpenſatus ad Beneficium, non poteſt obtinere niſi unicum. n. 18. Simúlque ſimplex tantumòdò, non curatum. n. 19. Ac ſimpliciter diſpenſatus ad Ordines, cenſetur duntaxat diſpenſatus ad minores: ſecùs, ſi diſpenſetur ad Ordines Sacros. n. 20. Illegitimus diſpenſatus ad Ordines, non cenſetur diſpenſatus ad Beneficium, etiā ſimplex. n. 21. Et quid de diſpenſato ad Ordines Sacros? n. 22. Cum illegitimis diſpenſat Epiſcopus quoad Ordines minores, ac Beneficium ſimplex. n. 9. Non item quoad Ordines majores, Beneficia curata, Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium &c. n. 9. & ſeqq. Et quid de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum? n. 11. & ſeqq. Utrùm Epiſcopus poſſit diſpenſare cum illegitimis virtute Concilij Tridentini, quando eorum illegitimitas eſt occulta? n. 23. & ſeqq. Sententia affirmativa, veluti probabilior, pluribus propugnatur. n. 26. & ſeqq. Natus ex matrimonio bonâ fide contracto, ſed invalido, non eſt illegitimus. n. 26. & 29. Filius illegitimus Sacerdotis nequit in Eccleſia, ubi pater ejus Beneficium habet, vel habuit, quodcunque Beneficium, vel Miniſterium obtinere. n. 31. & 32.

Imunitati Eccleſiaſticæ poteſt Papa ex parte derogare. T. 4. n. 64. F. 237. Contra eam tamen

men non valet conſuetudo, etiam immemorialis. n. 61. & ſeqq. An item conſuetudo immemorialis, conjuncta cum fama privilegij Apoſtolici, valeat contra Immunitatem Eccleſiaſticam? n. 66. & 67.

Imperator cenſetur omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui habere. P. n. 213. & ſeqq. F. 42. Imperator Jura Pontificatûs arripere non debet. n. 218. In Imperatorem dectus ſtatim adminiſtrat. T. 6. n. 54. F. 277.

Imperium, quid, & quotuplex? T. 29. n. 19. F. 470. Imperium mixtum. n. 20. Et Imperium merum, quod? n. 21 Tres ſunt gradus Imperij meri. n. 22. Alia Jurisdictionis ſimplicis, & Imperij mixti, ac meri, definitio. n. 23. De Jure Canonico, an detur Imperium merum? n. 25. Et quæ ad iſtud ſpectent? n. 26.

Impoſitio manûs, ſi prætermittatur in Ordinatione Diaconi, vel Sacerdotis, eſt cautè ſupplenda. T. 16. n. 10. & ſeqq. F. 421. Et quâ ratione ea ſit ſupplenda? n. 15. & 17. ac ſeq. Vide infrà ℣. *Sacramenta.*

Impoſſibile dicitur, quod fieri non poteſt de Jure Communi, ſed ſolùm ex diſpenſatione Papæ. T. 40. n. 46. F. 602.

Impuberes naturâ prohibentur eligere. T. 6. n. 165. F. 296. Nec ſunt ad electionem vocandi. n. 116. Nec poſſunt obtinere Beneficium Eccleſiaſticum. cit. T. 6. n. 211. F. 303. Nec eſſe Judices delegati. T. 29. n. 66. F. 476. Nec paciſci. T. 35. n. 41. F. 545. Nec eſſe procuratores. T. 38. n. 51. F. 579.

Incarnatio poteſt accipi dupliciter. T. 1. n. 17 F. 51. Diſparitas inter Incarnationem Verbi, & opera SS. Trinitatis ad extra n. 18.

Indefinita locutio æquipollet univerſali. T. 2. n. 400. F. 159. Et quomodo hæc regula ſit intelligenda? n. 401. & ſeqq.

Indulgentias concedit Archiepiſcopus per totam Provinciam. T. 31. n. 58. F. 506. Indulgentias novas ſine ordinarij licentia nequeunt publicare Regulares. n. 145.

Induſtria perſonæ Delegati, quando cenſeatur electa? T. 29. n. 60. & 75. F. 475.

Infames repelluntur à Prælaturis, & Dignitatibus Eccleſiaſticis. T. 6. n. 226. F. 305. Infamia nō contrahitur ob crimina occulta, ſed ſolùm ob publica. n. 227. Infames an poſſint conſtitui procuratores? T. 38. n. 49. & 50. F. 579.

Inferior nequit tollere legem Superioris. T. 2. n. 75. F. 102. Benè tamen eam adjuvare per pœnæ adjectionem. n. 76.

Infirmorum vota, an, & quomodo in electione ſint exquirenda? T. 6. n. 191. & ſeqq. F. 299. Vide infrà ℣. *Vota.*

In integrum reſtituere, quid? T. 41. n. 2. & 3. F. 611. Vide infrà ℣. *Reſtituere in integrum.*

Inobedientia eſt duplex, generalis nimirum, & ſpecialis. T. 33. n. 12. F. 535. Inobediens Decretis Epiſcoporum, vel Prælatorum Eccleſiaſticorum, excōmunicari debet. n. 34. Dummodò inobedientia ſit notabilis, & conjuncta cum contumacia. n. 35. Non obediens Canonicis Inſtitutis incurrit infamiam; & qualem? n. 31.

Inſtrumentum Notarij, in cujus uno Capitulo reperitur falſitas, an reprobetur in totum, etiam quoad Capitula ſeparata? T. 3. n. 171. & n. 180. F. 212. Inſtrumentis, v. g. Teſtamentis, error latinitatis non præjudicat. cit. T. 3. n. 216. F. 218. Diſparitas inter Inſtrumenta Notariorum, & Reſcripta Apoſtolica. n. 217. Error in nomine, vel pronomine, non vitiat Inſtrumenta, ſi conſtet de corpore. n. 218. Secùs, ſi per talem errorem diſpoſitio reddatur incerta. n. 219. Quid, ſi Inſtrumentum, in quo raſura exiſtit, adhuc clauſum exhibeatur Ordinario? n. 229. Aut reperiatur penes adverſarium? n. 230. Aut corroboretur per vivam vocem teſtium? n. 231. Prætextu Inſtrumentorum de novo repertorum, non poteſt reſcindi Transactio. T. 36. n. 48. F. 564.

Interdictum, prout ſumitur pro Conſtitutione Eccleſiaſtica, quid? T. 2. n. 13. F. 91. Interdicti perſonaliter prohibentur eligere, ſi ſunt denuntiati. T. 6. n. 171. F. 296.

Interpretatio generatim, quid? T. 2. n. 351. F. 152. Alia fit per modum declarationis, alia per modum ſuppletionis. n. 351. & ſeqq. Interpretatio per modum declarationis, dicitur litteralis; nec eſt propria interpretatio. n. 352. Interpretatio per modum ſuppletionis, quid? n. 353. Hæc eſt propria interpretatio. Ibid. Afferuntur quædam hujus exempla n. 354. Conceſsâ poteſtate interpretandi Statuta, qualis concedatur? n. 355. Clauſula, quòd ſtatuta non recipiant interpretationē, quid operetur? n. 357. Interpretatio ex parte cauſæ efficientis, quomodo dividatur? n. 357. & ſeqq. Interpretatio neceſſaria, ſeu authentica, quæ? n. 359. Interpretatio generalis ſcripta. n. 360. Et generalis non ſcripta. n. 361. Interpretatio neceſſaria & particularis, quæ? n. 362. Et cur ſic dicatur? n. 363. Interpretatio non neceſſaria, ſeu probabilis ac doctrinalis, quæ? n. 364. Interpretationis ex parte cauſæ formalis ſunt quinque ſpecies. n. 365. & ſeqq. Nempe, Interpretatio translativa. n. 366. Declarativa, ſeu verborum expoſitiva. n. 367. Correctiva, n. 368. Reſtrictiva. n. 369. Et Extenſiva; quid? n. 370.

Interpretatio authentica legis, an debeat publicari ſolemniter, ut obliget? T. 2. n. 373. & ſeqq. F. 155. Mera legis declaratio non eſt publicanda, benè tamen Interpretatio legis propriè dicta; & cur? n. 374. & 376. Interpretatio legis quomodo differat ab Epicheia? n. 379. Regulæ in legum interpretatione obſervandæ declarantur. T. 2. à n. 383. usque ad n. 445. F. 157. & ſeqq. Legislator majori cum libertate interpretatur legem, quàm inferior. n. 382. Vide infrà ℣. *Legum interpretatio.* Interpretatio Reſcriptorum, & privilegiorum, qualiter fiat? T. 3. n. 119. & 130. & ſeqq. F. 202.

202. Vide infrà ℣. *Reſcriptorum interpretatio*, & ℣. *Privilegia*.

Interſtitia temporum, quibus conferendi ſunt Ordines, quæ,& cur à Jure ſtatuta? T. 11. n. 143. & ſeqq. F. 395. Nulla certa ſtatuuntur pro Ordinibus minoribus. n. 143. Pro alijs requiritur annus. n. 144. Naturalis, vel ſaltem Eccleſiaſticus. n. 145. Textus notabilis Conſtitutionis Innocentij XII. circa ipſa. n. 147. In Interſtitijs Ordinum ex quibus cauſis poſſit diſpenſari? n. 148. & ſeqq. Requiritur major cauſa in diſpenſatione quorundam Interſtitiorum, ac aliorum. n. 149. Et cur? n. 150. Eccleſiæ utilitas, vel neceſſitas, ut in Interſtitijs diſpenſetur, quando cenſeatur adeſſe? n. 151. & 152. Cujus ſit diſpenſare in Interſtitijs? n. 153. & ſeqq. Epiſcopus ordinans alienum ſubditum cum Litteris Dimiſſorijs non poteſt cum eo diſpenſare quoad Interſtitia. n. 153. Sed diſpenſare in iſtis ſpectat ad Epiſcopum reſpectu ſuorum ſubditorum. n. 154. An eadem poteſtas competat Vicario Generali, atque Capitulo Sede vacante? n. 155. In Interſtitijs diſpenſat Epiſcopus, vel expreſsè, vel tacitè; & quomodo? n. 156. Poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu Regularium, an ſpectet ad Epiſcopum, vel Prælatum Regularem? n. 157. & ſeqq. De quibus Regularibus hæc quæſtio procedat? Ibid. Oſtenditur, dictam poteſtatem pertinere ad Epiſcopum; & quomodo? n. 158. Niſi quando Prælati Regulares ſuis ſubditis conferunt Ordines minores. n. 159. Contra Ordinantem, & Ordinatum non ſervatis temporum Interſtitijs, nullæ ſunt pœnæ in Jure ſtatutæ. n. 203. Peccat tamen uterque, ac ſubjacet pœnæ arbitrariæ. n. 204.

Inveteratum, quid? T. 4. n. 101. F. 243.

Joachim Abbatis error circa Trinitatem Perſonarum Divinarum damnatur. T. 1. n. 8. & ſeqq. F. 49. Solvitur ejus inſtantia. n 10. & 11. Joachim Abbas, quis fuerit? T. 1. n. 209. F. 84. Ejus vaticinia, præſertim de S. P. N. Franciſco, & Ordine ipſius. Ibid. Cur is ſcripſerit contra Petrum Lombardum, vulgo *Magiſtrum Sententiarum*? n. 210. & 211. Joachimi Abbatis errores, qui? n. 212. & 213. Ipſe non fuit hæreticus, quamvis libellus ipſius damnatus fuerit, & cur? n. 214. Cur error Joachim Abbatis, & damnatio libri ſui, nihil obfuerit Monaſterio Florenſi? n. 225. & ſeqq.

Irregulares, an, & quando prohibeantur eligere? T. 6. n. 172. F. 297. Irregularitas inducitur, & prohibetur quis ordinari, ubi vitium corporis vel impedit exercitium corporis, vel notabilem cauſat deformitatem. T. 20. n. 9. & ſeqq. F. 437. Vide ſuprà ℣. *Corpore vitiati*. Irregularis eſt Leproſus, Paralyticus, Arreptitius &c. n. 19. Mutilans ſeipſum, aut ſui mutilationem ſine juſta cauſa procurans, fit irrregularis. n. 25. Licèt ſolam partem digiti ſibi abſciderit. n. 26. Haud obſtante, quòd alioquin defectus digiti nō inducat irregularitatem, n. 27. Nihilominùs habens ſex digitos, poteſt unum reſecare. n. 28. Irregularitas incurritur, quamvis culpa abſcindentis ibi membrum, vel partem ejus, non ſit notori. n. 29. Aut ex zelo indiſcreto, v. g. animo ſedandi libidinem, quis ſeipſum mutilaverit. n. 30. Caſtratus in infantia, vel ex juſta cauſa faciens ſe mutilari, non fit irregularis. n. 31. Dans operam rei illicitæ, ac ex ſe periculoſæ, ſcitâ ſui mutilatione fit irregularis. n. 32. & 33. Secùs, ſi actio illa prava non eſt ex ſe pericuoſa, ſeu inductiva mutilationis. n. 34. An ſit irregularis, qui deprehenſus in adulterio, ſicque mutilatus amiſit virilia? n. 35. Quis poſſit diſpenſare ſuper irregularitate orta ex vitio corporis? n. 36. & ſeqq.

Irregularitas Bigamiæ oritur ex defectu Sacramenti; & cur? T. 21. n. 6. & 18. F. 442. Bigamia vera inducit irregularitatē, etiam contracta ante Baptiſmum. n. 9. Solvuntur Jura in contrarium militantia. n. 10. Homicidium commiſſum ante Baptiſmum non cauſat irregularitatem, benè tamen Bigamia; & quæ, & cur? n. 11. Diſparitas inter irregularitatem ex occiſione hominis, & ex Bigamia provenientem. n. 14. Irregularitas bigamiæ non inducitur propter crimen, ſed propter defectum Sacramenti. n. 18. & n. 6. Quis poſſit diſpenſare in irregularitate bigamiæ? n. 21. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Bigamia*.

Irritatio actûs alia explicita, alia implicita. T. 2. n. 243. F. 132. Irritandum quandoque dicitur id, quod ipſo jure eſt irritum. T. 4. n. 58. F. 236. & T. 2. n. 252. F. 134. Irritatio legis, quid, & quomodo differat ab abrogatione, & derogatione legis? cit. T. 2. n. 484. & 485. F. 172. Vide infrà ℣. *Lex abrogans*.

Judæi, an obſtringantur Conſtitutionibus Eccleſiaſticis? T. 2. n. 278. & ſeqq. F. 139. Quâ ratione in Jure Canonico habeatur integer Titulus *de Judæis*? n. 280. Judæorum Talmut, cur per Papam juſſus fuerit comburi? n. 286. & 288.

Judex, quis? T. 32. n. 2. & ſeqq. F. 522. Debet eſſe vir bonus. n. 5. Ac juris, & æqui peritus, & quomodo? n. 6. Qui prohibeantur eſſe Judices? n. 3. Acta Judicis illegitimi ob communem errorem ſuſtinentur. n. 4. In Judice, quæ requirantur? n. 7. Quæque ejus judicium pervertant? n. 8. Judex debet abſtinere à receptione munerum. n. 9. Teneturque ad reſtitutionem receptorum. n. 10. Et facit litem ſuam. n. 21. Non tamen prohibetur Judex recipere eſculenta & poculenta ultrò oblata, quæ paucis diebus abſumi poſſunt. n. 12. & ſeqq. Judex, an pro ſuo labore poſſit exigere ſportulas? n. 17. & ſeqq. Judicis officium eſt latiſſimum; communiter tamen duplex ejus genus diſtingui ſolet. n. 24. Judicis officium nobile, & mercenarium, quid? T. 29. n. 24. F. 470. & T. 32. n. 25. & 26. F. 525. Et qualiter exerceatur? cit. T. 32. n. 27. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Officium Judicis*. Judex eſt fatuus, qui ultra petita

petita judicat. cit. T. 32. n. 26. F. 525. Judex habet poteſtatem cognoſcendi in dubio, an ipſe ſit judex competens, nec ne. T. 29. n. 133. F. 487. & n. 173. F. 492. Judex ſemper debet judicare ex æquo & bono, quomodo? T. 35. n. 129. F. 557. Judex in quibus differat ab Arbitro? T. 43. n. 21. 22. & 24. & ſeqq. F. 633.

Judex tenetur in conſcientia judicare juxta præſcriptum Legum. T. 2. n. 152. F. 117. Ac tenetur etiam in judicando procedere ſecundùm Leges in præſumptione fundatas n. 163. & ſeq. Judex regulariter tenetur judicare ſecundùm allegata & probata. T. 32. n. 32. F. 527. Solvitur inſtantia. n. 33. An Judex debeat judicare ſecundùm allegata & probata, etiam contra propriam ſcientiam, eſt celebris quæſtio. n. 34. & ſeqq. Quando Judex non habet omnino certam ſcientiam, tenetur eam deponere, ac procedere ſecundùm allegata & probata. n. 35. Licèt habeat certam ſcientiam contra Reum, Actore non probante, debet eum abſolvere. n. 36. Si verò habeat certam ſcientiam pro Reo, qui tamen ſecundùm allegata & probata oſtenditur nocens, imprimis tenetur omnia media tentare pro liberatione ejus. n. 37. Et quæ ſint ejuſmodi media &c. n. 38. & 50. His deficientibus tres extant diverſæ Doctorum ſententiæ. n. 40. & ſeqq. Tertia, & cæteris probabilior ſententia diſtinguit inter cauſas civiles, & criminales majores. n. 46. & ſeqq. Ex eo, quòd Judex ſit perſona publica, non ſequitur, eum teneri condemnare Reum contra propriam ſcientiam. n. 49.

Judex non poteſt judicare ſecundùm ſententiam minùs probabilem relictâ probabiliori. T. 32. n. 52. F. 530. Nec inter duas æque probabiles pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius. n. 53. Neque tunc judicare in favorem amici, totum jus eidem adjudicando. n. 54. In arbitrariis utile eſt, habere judicem gratioſum. n. 55. Quid agendum judici, quando utraque litigantium pars videtur habere cauſam æquè probabilem? n. 56. & ſeqq. Judex debet cuncta rimari. n. 56. Judex ex opinionibus diſcrepantibus tenetur eam eligere, cui ſuus intellectus magis conſentit. n. 58. Nec debet cauſam ad Superiorem referre, ſed ipſemet eam decidere. n. 59. Ubi probationes utrobique ſunt æquales, favendum eſt Reo, & poſſeſſori, demptis cauſis favorabilibus. n. 60. Quid, ſi uterque litigans perſonam Rei, vel poſſeſſoris ſuſtineat? n. 61. In caſu multùm intricato poteſt judex conſulere partibus, ut ſe amicabiliter componant. n. 62. Regulariter tamen litigantes ad componendum compellere nequit. n. 63. & 64. Secùs ex gravi cauſa. n. 65. Judicis eſt conari, ut quàm citiùs fieri poteſt, controverſiæ litigantium finiantur. n. 66. Judicis eſt, providere parti litiganti idoneum advocatum, ſi quæ talem non habet. n. 69. Judex poteſt, ac debet ſupplere ea, quæ ſunt de jure, & ab Advocatis minùs benè dicta; non verò illa, quæ ſunt de facto. n. 53. Idque probatur, ſimúlque exemplificatur. n. 74. 75. & 76.

Judex delegatus, quis, quibúsque aliis nominibus appelletur? T. 29. n. 27. F. 471. Et quomodo differat à Vicario? n. 28. Judicum delegatorum variæ ſunt ſpecies. n. 30. & ſeqq. Delegatus ad univerſitatem cauſarum, & Delegatus ad cauſam particularem, quis? n. 31. Et quæ differentiæ utriusque? n. 32. Delegati ab homine. n. 33. Et Delegati à jure, qui? n. 34. Et cur horum jurisdictio ſit delegata, non ordinaria? n. 35. Quid importet clauſula, *Tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus?* n. 36. Et clauſula, *Etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus?* n. 37. & n. ſeq. In dubio, an tunc cenſeatur Epiſcopus uti jurisdictione ordinariâ, vel delegatâ? n. 38. Delegati alii ſunt ratione Dignitatis, alii ratione perſonæ; & quæ differentia inter eos? n. 39. Tandem alij ſunt Delegati, alij Subdelegati. n. 40.

Judex delegatus multipliciter differt ab Ordinario. T. 29. n. 41. & ſeqq. F. 472. Judex ordinarius exequitur jurisdictionem jure proprio: Delegatus jure alieno. n. 42. Ordinarius poteſt delegare jurisdictionem ſuam: non ſic Delegatus &c. n. 43. Citatus ab ordinario, ſi dubitet de jure citantis, tenetur venire, privilegium, ſi quod habet, allegaturus: ſecùs in Delegato, donec ſe legitimaverit. n. 44. Ordinarius poteſt ſententiam à ſe latam exequi: ſecùs in Delegato inferioris à Principe. n. 45. Refertur contraria Gloſſæ opinio quoad ſecundum membrum. n. 46 Delegatus Papæ poteſt per ſeipſum exequi ſententiam &c. n. 47. Alii etiam Delegati ante ſententiam poſſunt partes citare, & contumaces punire. n. 48. Ac probabiliter, ſpectato Jure Canonico, ſententiam exequi, licet ſecùs ſit de Jure Civili. n. 49. Jurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis? benè tamen delegata, re integrâ. n. 50. & 51 Jurisdictio ordinaria eſt favorabilis: delegata verò odioſa. n. 52. Judex ordinarius nequit ut ſuſpectus tam facilè recuſari, ſicut Delegatus; & cur? n. 53. Jurisdictio ordinaria eſt cuipiam naturalis; delegata verò accidentalis, & ſuperinducta. Ibid. Appellatione *Magiſtratûs* non venit Delegatus, ſed tantùm Ordinarius. n. 54.

Judex delegatus, an habeat poteſtatem ſubdelegandi? T. 29. n. 57. & ſeqq. F. 475. Affirmatur iſtud de Delegato Principis: ſecùs de Delegato inferioris, niſi ſit Delegatus ad univerſitatem cauſarum. n. 57. & 58. Et quæ ratio diſparitatis inter Delegatum Principis, & inferioris? n. 59. Delegatus Papæ nequit ſubdelegare cauſas graves, ſeu in quibus cenſetur electa induſtria perſonæ ipſius. n. 60. Et quando cenſeatur electa induſtria perſonæ ex parte Delegati? n. 60. & 75. Nec poteſt malitioſè ſe exonerare à diſcuſſione cauſæ. n. 6·. Iſtud tamen de eo non eſt præſumendum. Ibid. De-

legatum

legatum ad univerſitatē cauſarum poſſe ſubdelegare, probatur. n. 61. & 63. Ipſe non eſt propriè Ordinarius, huic tamen æquiparatur. n. 63. Delegatus ad cauſam particularem inferioris à Principe, nequit ſubdelegare articulum jurisdictionalem. n. 64. Benè tamen articulum non jurisdictionalem. n. 65.

Judices Delegati, qui generatim poſſint eſſe? T. 29. n. 66. & ſeqq. F. 476. An cauſa poſſit delegari non ſubdito? n. 67. & 68. Vel invito? n. 68. & 69. Delegandus à Papa, vel ſubdelegandus, debet eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica &c. n. 70. An talis poſſit eſſe Vicarius Generalis Epiſcopi, Prior Conventualis, & Guardianus Fratrum Minorum? Ibid. Vicarius Foraneus Epiſcopi, vel Prior Clauſtralis, nequeunt eſſe Delegati Sedis Apoſtolicæ. n. 71. Benè tamen Delegati Epiſcopi. n. 72. Et quæ ſit ratio diſparitatis quoad hoc inter Delegatum Papæ, & Epiſcopi? n. 73.

Judicis Delegati officium, quale? T. 29. n. 94. & 95. ac ſeqq. F. 481. Judex Delegatus non debet procedere ante factam ſibi præſentationem Litterarum Delegatoriarum. n. 94. Et an validetur Proceſſus anteà factus per ipſum, ſi poſteà ſuperveniant illæ litteræ? n. 96. Delegatus, præſertim Papæ debet coram Ordinario Litteras ſuæ delegationis præſentare. n. 97. Poteſtque Ordinarius eas ex officio petere, & alioquin Delegato impunè reſiſtere. n. 98. Delegatio, an ſolùm probari poſſit per litteras? n. 97. & 99. Delegatus formam mandati diligenter obſervare debet. n. 100. Atque probationes neceſſarias, legitimásq; defenſiones admittere &c. n. 101. Et ſi eſt Delegatus Papæ, ſententiam ſuam exequi. n. 102. Quam poteſt exequi vel per ſe, vel per alium, & usque ad annum. n. 103. Sententiam Delegati Apoſtolici tenetur Judex ordinarius ad ejus mandatum exequi n. 104. Etiamſi ſententiam Delegati ſciat eſſe injuſtam. n. 105. Atque hoc ampliùs declaratur. n. 106. 107. & 108. Quid, ſi Delegatus Papæ jubeat Clericum in poſſeſſionem Beneficii induci, quem Ordinarius ſcit non fuiſſe canonicè inſtitutum? n. 109. Delegatus inferioris, an poſſit ſententiam ſuam exequi, & quidem usque ad annum? n. 110.

Judicibus pluribus delegari ſimul poteſt eadem cauſa. T. 29. n. 111. & ſeqq. Solvitur inſtantia. n. 112. & ſeqq. Quid, ſi pluribus Delegatis detur jurisdictio in ſolidum? n. 114. Ex pluribus Delegatis ille præſumitur cæteris dignior, qui prior in Reſcripto nominatur. n. 115. Si pluribus eadem cauſa ſimpliciter delegetur, nequit unus ſine alio procedere. n. 116. Idque magis declaratur, ſimulque limitatur. n. 117. & 118. Quid juris, quando cauſa pluribus delegatur cum clauſula, *Quòd ſi omnes intereſſe nequeant, duo eam cognoſcant*? n. 119. & ſeqq. Præſertim, ſi tunc unus, cùm poſſit, intereſſe nolit? n. 120. Solvuntur contraria. n. 121. & 122. Delegatus, cùm poſſit, intereſſe nolens, à quo ſit redarguendus? n. 123. Quid, ſi plures delegentur cum clauſula, *Ut omnes, aut duo, aut unus eorum mandatum exequatur?* n. 124.

Judicis Delegati officium, & poteſtas quibus modis generatim ceſſet? T. 29. n. 125. F. 486. Quando ejus officium, ipſaque delegatio exſpiret morte Delegati? n. 126. & ſeqq. Et morte Delegantis? n. 129. Judex Delegatus, ſi interloquendo pronuntiet, nullam ſibi reſpectu talis cauſæ jurisdictionem competere, finitur omnis ejus jurisdictio, licèt hanc reverà habuiſſet. n. 130. Dummodò hoc fiat nemine appellante. n. 131. Nec poteſt eam absque nova commiſſione reaſſumere, etiamſi partes de novo in ipſum conſentiant. n. 132. Judex cæteroquin incompetens, ſeu datus per Litteras invalidas, habet poteſtatem cognoſcendi in dubio, an ipſe ſit judex, nec ne. n. 133. Delegatus virtute Reſcripti ſubreptitii, an de conſenſu partium poſſit in cauſa procedere? n. 134. Judicis Delegati officium expirat per revocationem ejus. n. 135. Et quomodò is revocari poſſit? n. 136. usque ad n. 143. Delegati jurisdictio ceſſat lapſu temporis præfixi. n. 144. Et quomodò illud ſit computandum? n. 145. Et an partes communi conſenſu terminum illum poſſint prorogare. n. 146. Ceſſat inſuper jurisdictio Delegati finito negotio, ad quod judex datus fuit. n. 147. Judicis Delegati officium, an, & quomodo ceſſet recuſatione? n. 148. & ſeqq. Cauſa recuſationis Judicis Delegati regulariter debet tractari per Arbitros. n. 152. Exceptis tribus caſibus, & quibus? n. 153. Judicis Delegati officium ceſſat nonnullis aliis modis. n. 154.

A Judice Delegato, vel Subdelegato, an poſſit appellari? T. 29. n. 155. & ſeqq. F. 490. Præſertim à Delegato Papæ cum clauſula, *appellatione remota*? n. 156. Et ſubdelegato per ipſum. Ibid. Ad quem ſit appellandum à Delegato, vel Subdelegato? n. 158. & ſeqq. Quando Judex ordinarius cauſam delegavit, ſemper appellatur à Delegato ad Delegantem. n. 158. Sicut & à Subdelegato appellatur ad Delegatum Papæ ſubdelegantem non in totum. n. 159. & ſeqq. Secùs, quando Delegans Papæ ſubdelegavit cauſam in totum; quia tunc non appellatur ad ipſum, ſed ad Papam. n. 163. Dantur etiam tres caſus, in quibus à ſubdelegato non appellatur ad Delegatum Papæ, licèt hic ſubdelegâſſet non in totum. n. 164. Et quales ſint hi? n. 165. & ſeqq.

Judex Eccleſiaſticus poteſt ſupplere negligentiā Judicis ſæcularis. T. 10. n. 44. F. 368. Non tamen econtrà. n. 45. & ſeqq. Judicūm Eccleſiaſticorum eſt, diſcordantes ad pacem reducere. T. 34. n. 2. F. 538.

Judex ordinarius, quis? T. 29. n. 29. & n. 11. F. 471. Judex ordinarius quâ ratione differat à Delegato? n. 41. & ſeqq. Vide ℣. *Judex Delegatus multipliciter.* Judex ordinarius poteſt regulariter cauſam ad ſe pertinentem alteri delegare.

legare, cit. T. 29. n. 55. F. 474. Non tamen totam ſuam juriſdictionem. n. 56. Judicis officium, & poteſtas judicis, differunt; & quomodo? T. 299. n. 4. F. 481. Judex ordinarius tenetur ſententiam Delegati Apoſtolici ad ejus mandatū exequi, poteſtque ab eo ad hoc compelli. n. 104. Et quid, ſi ſententiam Delegati ſciat eſſe injuſtam? n. 105. & ſeqq.

Judicium contradictorium, quid? T. 4. n. 146. F. 150.

Juramentum etiam metu gravi extortum, eſt validum, licèt ſecùs ſit in Voto; & quæ diſparitas? T. 40. n. 58. & 59. F. 604. Sponte ad jurandum ſe offerens, reddit ſe ſuſpectum. T. 22. n. 5. F. 447.

Juriſdictio, quid? T. 29. n. 2. & 3. F. 468. Dicitur poteſtas publica. n. 4. Et poteſtas juriſdictionis. n. 5. Juriſdictio generatim qualiter dividatur? n. 7. & ſeqq. Juriſdictio Eccleſiaſtica, & juriſdictio Civilis; ſeu politica, quæ? n. 7. Juriſdictio contentioſa, & voluntaria, quid, & in quo differant? n. 8. & 9. & T. 10. n. 7. F. 363. Juriſdictio ordinaria, & delegata, quæ? cit. T. 29. num. 11. & 12. F. 469. Juriſdictio mandata, an differat à delegata? n. 13. & ſeqq. Et in quo propriè loquendo? n. 14. & 15. Sed largiùs loquendo quandoque confunduntur. n. 17. Juriſdictio mandata proprie accepta, coincidit cum delegata ad univerſitatem cauſarum. n. 16. Juriſdictio ſimplex, ac Imperium mixtum, & merum, quid? n. 18. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Imperium.* Juriſdictio baſſa, ſeu inferior; & juriſdictio alta, ſeu criminalis, quæ? n. 20. & 21. Alia juriſdictionis ſimplicis, & Imperii definitio. n. 23. Juriſdictionis Epiſcopalis poteſtas, in quo conſiſtat? T. 31. n. 66. F. 567. An hæc competat Epiſcopis immediatè à Deo? n. 68. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Epiſcopi poteſtas.*

Juriſdictio tribuitur vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ. T. 2. n. 471. F. 170. Juriſdictio Vicarii Generalis, an ſit ordinaria, vel delegata, non eſt tantùm quæſtio de nomine, & cur? T. 28. n. 90. F. 464. Concluditur, quòd Is habeat juriſdictionem ordinariam. n. 91. & ſeqq. Juriſdictio, quæ penes Epiſcopum eſt primariò & principaliter, in Vicario Generali ipſius exiſtit ſecundariò & acceſſoriè. n. 98. Non ſemper, qui vices gerit alterius, delegatâ juriſdictione uti cenſetur. n. 99. Juriſdictio principaliter reſidet penes Capitulum Sede vacante, exercitium tamen ejus exiſtit penes Vicarium Capitularem. n. 111. Juriſdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis: bene tamen delegata, re integrâ. T. 29. n. 50. & 51. F. 471. Juriſdictio ordinaria eſt favorabilis: delegata verò eſt odioſa, & ſtricte interpretanda. n. 52. Iuriſdictio ordinaria eſt cuipiam naturalis; delegata verò accidentalis, & ſuperinducta. n. 53. Iuriſdictio, licèt ſit indiviſibilis in ſe, eſt tamen diviſibilis quoad exercitium. cit. T. 29. n. 113. F. 483. Iuriſdictio per metum gravem extorta, an ſit valida? T. 40. n. 63. & 64. & 73. F. 604.

Juris vocabulum, unde derivetur? P. n. 2. & ſeqq. F. 1. Variæ Iuris acceptiones referuntur, Ibid. n. 5. & 6. Ius, an differat à Lege? n. 7. Dividitur in æternum, naturale, & poſitivum. n. 8. Ius poſitivum, quòd? n. 17. Et in quibus differat à Jure naturali? n. 19. *Jure naturali omnia ſunt communia,* quomodo intelligendum? n. 20. & ſeqq. Bella, & ſervitutes ſunt Iuri naturali contrariæ, quomodo? n. 22. Ius poſitivum dividitur in Divinum, & humanum. P. n. 23. F. 5. Divinum ſubdividitur in Legem veterem, & novam. n. 24. Non omnia præcepta quæ condiderunt Apoſtoli, ſunt Iuris Divini. n. 26. & 27. Ius poſitivum humanum ſubdividitur in Ius Gentium, Civile, & Eccleſiaſticum. n. 28. Ius Gentium, quid? n. 30. Eſt duplex. n. 31. & ſeqq. Non conſtituit diſtinctam ſpeciem inter Ius naturale, & poſitivum humanum. n. 34. & ſeqq. Ius Gentium propriè dictum, quâ ratione differat à Civili? n. 35. *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi:* declaratur. T. 2. n. 246. & ſeqq. F. 133.

Ius Canonicum, quid? P. n. 36. & ſeqq. F. 7. Dicitur etiam Eccleſiaſticum. n. 38. Et Divinum; cur? n. 39. & 40. Finis Iuris Canonci, qualis? n. 41. Ejus magna excellentia ſuper Ius Civile. n. 42. & 191. Non tamen eſt excellentius Sacroſanctâ Theologiâ. n. 43. Jus Canonicum quomodo dividatur? n. 47. Et ex quibus conſtituatur? n. 50. Ius Canonicum, à quo, vel quibus ſuam originem deſumpſerit? n. 51. & ſeqq. Corporis Iuris Canonici partes univerſim ſunt ſex, quæ? n. 58. Et quomodo ſubdividantur? n. 59. & ſeqq. Liber ſeptimus Decretalium, qualis? n. 61. & 62. Ius Canonicum comprehendit ſub ſe Decretum Gratiani; & cur? n. 71. & ſeqq. Iuris Canonici convenientiæ, & differentiæ à Iure Civili quoad omnia quatuor cauſarum genera. cit. P. n. 180. & ſeqq. F. 34. Speciales ejus differentiæ à Jure Civili ſunt plures. n. 192. Harum referuntur quinquaginta. n. 193. & ſeqq. Iuris Canonici finis primarius, ac ultimatus, qualis? n. 183. & ſeqq. Ius Canonicum comprehenditur ſub Theologia. P. n. 231. F. 45. Iuris Canonici duplex fundamentū. T. 1. n. 1. F. 47. Diviſio materiarum Iuris Canonici in quinque Libros Decretalium. n. 2.

Ius Civile, quid? P. n. 154. F. 30. Abſolutè prolatum intelligitur de Romano. n. 155. Jus Civile commune, & particulare ſeu municipale, quid? n. 156. Dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum. n. 157. Ius non ſcriptum, ſeu conſuetudinarium. n. 158. & Ius ſcriptum, quid? n. 159. An ſcriptura ſit de ejus eſſentia? Ibid. Ius Civile dividitur in publicum, & privatum. n. 160. Et quid? n. 161. & ſeqq. Ius publicum aliud antiquum, aliud hodiernum. n. 162. Ius privatum, quomodo differat à Privilegio? n. 163. Qomodo omne Ius dicatur publicum? n. 164. Jus Civile quibus partibus conſtet? n. 165. & ſeqq. Quo ordine, & tempore, ſinguli Libri Iuris Civilis evulgati fuerint? n. 166. &

166. & ſeqq. Alia diviſio partium Juris Civilis in Leges, Plebiſcita, Senatus-Conſulta &c. n. 171. & ſeqq. In quo ſtatu Populi Romani iſta fuerint edita? n. 172. Jus honorarium, quod? cit. P. n. 178. F. 33. Jus Civile qualem finem reſpiciat? n. 183. & ſeqq. Ad audiendum Jus Civile Religioſis eſt prohibitum, ne è Clauſtris exeant; & ſub quibus pœnis? P. n. 228. F. 45. Et in quo ſenſu? n. 230. & ſeqq.

Jus Civile, in quibus generatim conveniat, & differat à Canonico? P. n. 180. F. 34 Iuris utriusque convenientia, & differentia, deſumitur ex omnibns quatuor cauſarum generibus. Ibid. Nempe, quoad cauſam finalem. n. 181. & ſeqq. Et quoad cauſam efficientem. n. 186. & 187. Et quoad cauſam materialem. n. 188. & ſeqq. Et quoad cauſam formalem. n. 191. In quibus caſibus in ſpecie Ius Civile differat à Canonico n. 192. Referuntur quinquaginta differentiæ ſpeciales inter utrumque Jus. P. n. 193. & ſeqq. F. 37. Ius utrumque orditur à SS. Trinitate, & Fide Catholica. T. 1. n. 3. F. 48. Iuris præcepta ſunt tria. T. 2. n. 26. F. 93. Cur hæc dicantur Iuris præcepta? n. 27. Parū eſt Jura condere, niſi ſint qui ea tueantur. T. 5. n. 1. F. 259.

Jura juribus, quantùm fieri poteſt, ſunt concordanda. P. n. 201. F. 40. Jurium correctio eſt odioſa. n. 202. Apparens Jurium contrarietas eſt concilianda. n. 203. & ſeqq. Ubi eſt manifeſta Jurium contrarietas, ſtandum eſt poſteriori deciſioni. n. 211. & ſeqq. Quid ſit obſervandum circa manifeſtas contrarietates Iuris Canonici, & Civilis? n. 217. & ſeqq. Ubi verſatur periculum animarum, Ius Canonicum in omni Foro, ac etiam in Terris Imperij, eſt obſervandum. n. 219. Idem dicendum de Iuramentis, Contractu Matrimoniali, & hujusmodi. n. 220. & ſeqq.

Jurium correctio non eſt inducenda per tacitos, & ſubauditos intellectus, T. 2. n. 500. & ſeqq. F. 75. Nec à ſenſu contrario. n. 502. Nec ex ratione ſimilitudinis. n. 503. Nec etiam à majoritate rationis. n. 505. Num ſaltem ex identitate rationis fiat extenſio in correctoriis Iurium? n. 506. & 507. Regula illa, quòd in correctoriis Jurium non fiat extenſio ultra expreſſa, fallit in certis caſibus. n. 508. Et qui ſint caſus illi? n. 509. uſq; ad n. 518. Omnis receſſus à Iure communi, eſt odioſus. T. 3. n. 133. F. 203.

Juris utriusque confœderatio inter ſe, qualis? P. n. 224. & ſeqq. F. 44. Caſus in Jure Civili dubius, ſed in Canonico clarè deciſus, procedit quoq; in Foro Civili, & econtra. n. 225. & ſeqq.

Jure ſuo quilibet renuntiare poteſt, quomodo intelligendum? T. 9. n. 15. F. 340. Poteſt quis renuntiare juri ſuo, ſeu favori privato, non obſtante confirmatione Principis. T. 2. n. 545. F. 182 Qui juri ſuo ſemel renuntiat, non poteſt poſtea ad illud redire. T. 9. n. 39. F. 343.

L.

Læſio ultra dimidium aliter æſtimatur in venditione, aliter in tranſactione. T. 36. n. 59. F. 566. Ob læſionem ultra dimidium an poſſit reſcindi tranſactio? n. 52. & ſeqq.

Lana tincta non continetur ſub lana indefinitè legata; & cur? T. 2. n. 401. & ſeqq. F. 159.

Laici ſæculares nullo modo eligere poſſunt quoad Prælaturas Eccleſiaſticas. T. 6. n. 174. F. 297. Ne quidem cum Clericis. Ibid. Solvitur inſtantia ex *cap. Querelam. de Elect.* n. 177. Laicus eſt incapax omnis juris Eccleſiaſtici. cit. T. 6. n. 219. F. 304. Nec poteſt eligi ad Prælaturas, bene tamen poſtulari. Ibid. Laicus in Vicarium Generalem Epiſcopi nequit eligi. T. 28. n. 68. F. 461. Poteſt tamen eſſe Aſſeſſor Judicij Eccleſiaſtici. n. 69. Laico cuipiam an poſſint delegari cauſæ Eccleſiaſticæ, vel criminales, aut ſaltem civiles Clericorum? T 29. n. 88. & ſeqq. F. 479. Nequit Epiſcopus id facere. Ibid. Benè tamē Papa. n 92. & 93. Laicus an poſſit conſtitui Procurator ad agendū, & defendendum in cauſis ſpiritualibus? T. 38. n. 45. & 46. F. 579. Laicus an poſſit eſſe Arbiter in cauſa ſpirituali? T. 43. n. 44. F. 635. Et quid de cauſis civilibus Clericorum? n. 45. Differentia inter prorogationē jurisdictionis Laici in Clericū, & inter compromiſſum hujus in ipſum. n. 46.

Laudum dicitur ſententia Arbitri propriè dicti. T. 43. n. 12. F. 623. Laudum Arbitri non infamat. n. 30. A Laudo Arbitri compromiſſarij non licet appellare. n. 31. Laudi per Arbitros pronuntiati, quis ſit effectus? cit. T. 43. n. 83. & 87. & ſeqq. F. 640. Si compromiſſum in Arbitros eſt ſimpliciter factum, & Laudum per eos pronuntiatum nondum à partibus expreſsè receptum fuit, nec homologatum lapſu decem dierum, tunc ex Laudo datur actio ad Intereſſe, n. 83. & 84. Et quid per *Intereſſe* hîc intelligatur? n. 85. Alioquin Laudum indiſtinctè ratum haberi debet &c. n. 86. Quòd ſi verò compromiſſum factū eſt cum appoſitione pœnæ, tunc ſub ea ſtandum eſt Laudo per Arbitros pronuntiato. n. 87. Pœnâ tamen ſolutâ non tenetur pars nolens ſtare Laudo. n. 88. Niſi fuerit appoſitum juramentum. n. 89. & 90. Vel clauſula, *Rato manente Pacto*. n. 91. Non committitur pœna in ſolidum, quando quis ex una ſolùm parte venit contra Laudum habens plura capitula. n. 92. Intra quantum tempus committatur pœna, ſi non detur id, quod Arbiter dari juſſit? n. 93. & ſeqq. Utrùm contra injuſtum Laudum Arbitri aliquod Juris remedium competat; & quale? n. 96. 97. & ſeqq.

Legati, unde ſic dicantur? T. 30. n. 2. F. 493. Vocantur alio nomine *Oratores*, ſeu *Ambaſſiatores*. Ibid. Legati judices, qui? n. 3. Legati Apoſtolici alij ſunt judices, alij non. n. 4. Legatus Papæ, in quo differat ab ejus Delegato? n. 5. Legati judices Sedis Apoſtolicæ ſunt in triplici differentia. n. 6. & ſeqq. Legati à Latere, n. 7. Legati miſſi, ſeu Nuntij Apoſtolici. n. 8. & 9. Et Legati nati, qui, & cur ſic appellentur? n. 10. Horū poſteriorum aliqui enumerantur. n 10. Legati Sedis Apoſtolicæ habent omnes jurisdictionem

dictionem ordinariam. n. 11. & ſeqq. Legati à Latere habent ſe ad inſtar Proconſulum: cæteri ad inſtar Præſidum. n. 12. Nomine *Legatorum Sedis Apoſtolicæ* ſimpliciter poſito, veniunt quicunque Legati ejusdem. n. 13. Officium omnium dictorum Legatorum generatim, quod? n. 14. & ſeqq. Poſſunt iidem condere Statuta perpetua. n. 15. Et cauſas ſuorum Provincialium audire, ac terminare. n. 16. Etiam per ſimplicem querelam ad ipſos delatas. n. 17. Quod tamē intellige juxta limitationem Concilij Tridentini. n. 18. Legati nequeunt ſe intromittere cauſis per Papam ſpecialiter alteri delegatis. n. 19. Poſſunt tamen cauſas delegare. n. 20. Et ſi quis eſt Legatus in pluribus locis, poteſt negotia unius loci in alio expedire. n. 21. Non tamen debet partes invitas extra ſuam Provinciam trahere in aliam ad judiciū. n. 22. Nullus ipſorum, inconſulto Pontifice, poteſt tractare majores cauſas Eccleſiæ. n. 23. Sunt devotè recipiendi, honorificè tractandi, ac in ſuis neceſſitatibus adjuvandi. n. 24. Nec valet conſuetudo in contrarium. T. 4. n. 80. F. 239.

Legati à Latere habent plura ſpecialia. T. 30. n. 25. & ſeqq. F. 496. Poſſunt in ſua Provincia, quidquid poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi. num. 25. Præſente Legato à Latere, cæteri Legati deponunt ſua Inſignia, ac ſuſpenditur exercitium poteſtatis ipſorum. n. 26. Cardinali aſſerenti, ſe eſſe Legatum Sedis Apoſtolicæ, creditur abſque exhibitis Litteris: ſecùs eſt in aliis. n. 27. Legatus à Latere poteſt abſolvere quoscunque excommunicatos ob percuſſionem; etiam enormem, imò & cædem Clerici, ac undecunq; venientes. n. 28. An etiam ab aliis excommunicationibus Papæ reſervatis poſſit abſolvere? n. 29. Et quid dicendum de Legato Miſſo, ac Nato? n. 30.

Legatus à Latere poteſt conferre Beneficia tempore ſuæ Legationis vacantia. T. 30. n. 31. F. 496. Ac etiam devoluta ad Sedem Apoſtolicam. n. 32. Poteſtque ea impoſterum vacatura ſuæ reſervare collationi; & qualiter? n. 33. Nonnullis tamen exceptis; & quibus? n. 34. Non tamen poteſt conferre Beneficia Papæ reſervata. n. 35. Nec vacantia in Curia. Ibid. An poſſit conferre Beneficia Juris-Patronatus? n. 36. Aut litigioſa? n. 37. Vel vacantia in menſibus alternis, ubi vigent Concordata? n. 37.

Legatus à Latere poteſt Prælatis exemptis, ſi eligantur in Epiſcopos, concedere licentiam deſerendi Monaſterium. T. 30. n. 38. F. 497. Item poteſt confirmare electiones Epiſcoporum, & Abbatum exemptorum. n. 39. Et quid in Germania juxta Concordata? Ibid. Legati non Cardinales nequeunt confirmare ejusmodi electiones, nec Beneficia conferre. n. 40. An Nuntii Apoſtolici cum poteſtate Legati à Latere miſſi, eandem cum his poteſtatem habeant? n. 41. & 42.

Legati Sedis Apoſtolicæ officium, quibus modis finiatur? T. 30. n. 44. & ſeqq. F. 498. An id finiatur per egreſſum Legati è Provincia ſua? n. 45. Ceſſat illud relatione negotii ad Papam. n. 46.

Legiſlator, utrùm teneatur propriis legibus? T. 2. n. 266. & ſeqq. F. 137. Legiſlator, ejúsque ſucceſſor, majori cum libertate interpretatur legem, quàm inferior. T. 2. n. 382. F. 157.

Legiſta ſine Canonibus, parum valet, Canoniſta ſine Legibus nihil. P. n. 126. F. 45.

Legitimus, an cenſeatur natus menſe ſeptimo matrimonii, aut undecimo pòſt? T. 17. n. 3. F. 426. Vide ſuprà ℣. *Illegitimorum.* Natus ex matrimonio bonâ fide contracto, ſed invalido, non eſt illegitimus. n. 26. & 29.

Lex, an differat à Jure? P. n. 7. F. 2. Lex æterna dupliciter ſumitur; & quomodo? n. 9. & ſeqq. Legis in quo ſenſu ſint capaces creaturæ irrationales? n. 11. A Lege æterna derivantur aliæ Leges. n. 13. & ſeqq. Lex naturalis, quæ? n. 15. Lex Divina vetus, & nova, quæ? n. 24. & ſeqq. In Lege Evangelica, quæ præcepta immediatè obligent ex Jure Divino? n. 25. & ſeqq. Leges Civiles in Decretum Gratiani relatæ, an per hoc cenſeantur canonizatæ? P. n. 68. & 78. F. 15. & 16. Legis declaratio jam ab initio cenſetur Legi inſuiſſe. P. n. 132. F. 26. Publicatio requiritur in Legis editione, non item in Legis declaratione. n. 133. & ſeqq. Lex, prout contradiſtinguitur à cæteris partibus Juris Civilis, quid & quomodo olim condita? P. n. 173. F. 33. Aliæ Legis definitiones declarantur. n. 174. Lex abrogata non ſuperfluit in Jure. P. n. 208. F. 41. An, & quando poſſit allegari? n. 209. Præſertim ob ſui rationem? n. 210. Lex poſterior revocat priorem directè contrariam, etiam non factâ ejus mentione. n. 212. Leges non dedignantur Sacros Canones imitari. P. n. 227. F. 45.

Lex, & Conſtitutio ferè ſumuntur pro eodem. T. 2. n. 3. F. 90. Magìs tamen uſitatè differunt; & in quo? n. 4. Lex unde ſic dicatur? cit. T. 2. n. 22. F. 93. Lex generatim accepta quid? n. 23. Legum utilitas commendatur. n. 24. Cur Lex ſit prodita? n. 25. & ſeqq. Conditiones Legis, quæ? n. 28. Lex debet eſſe recta agendorum ratio. n. 29. Ad eam requiritur legitima authoritas in ferente. n. 30. Ac debita promulgatio. n. 31. Et ut feratur cum voluntate perpetuò obligandi. n. 32. Lex debet eſſe perpetua. n. 33. Et quomodo? n. 34. Conditiones Legis per Iſidorum relatæ, declarantur. n. 35. & ſeqq. Lex debet eſſe honeſta, juſta. n. 36. Secundùm naturam, ſecundùm patriæ conſuetudinem. n. 37. Loco, temporique conveniens. n. 38. Neceſſaria, & utilis. n. 39. Nec ſuperfluè ponitur alterutra harum dictionum. n. 40. Manifeſta quoque. n. 41. Nullo privato commodo, ſed pro cōmuni civium utilitate conſcripta. n. 42. Lex differt à ſimplici Præcepto in pluribus. n. 43. & ſeqq. Lex immediatè

ditatè afficit locum, ſive territorium Legiſlatoris, Præceptum verò perſonas. n. 43. Lex durat poſt mortem Legiſlatoris, non item Præceptum ſimplex. n. 45. Lex Superioris non poteſt tolli per inferiorem. cit. T. 2. n. 75. F. 102. Benè tamen ab hoc adjuvari per pœnæ adjectionem. n. 76. Leges Municipales poſſunt Principes S.R.J. condere contra Jus commune Civile. cit. T. 2. n. 81. F. 103. Poteſtas condendi Leges Civiles, penes quos ſit? n. 100. & ſeqq.

Lege Evangelicâ introductâ, ceſſavit Lex vetus, ſeu Moſaica, ejusque obligatio. T. 2. n. 47. F. 97. In Lege Evangelica nullum continetur præceptum, quod non ſit Juris naturalis, præter præcepta Fidei, & Sacramentum. n. 48.

Lex ut obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus promulgatio. T. 2. n. 105. & ſeqq. F. 108. Vide infrà ℣. *Promulgatio.* Leges nominatim de præteritis caventes, quomodo obligent? n. 108. Lex, quando cenſeatur acceptari, vel eſſe uſu recepta? T. 2. n. 135. F. 114. Utrùm ad Legem humanam requiratur acceptatio populi? n. 136. & ſeqq. *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*: declaratur. n. 139. & 140. F. 114. Leges non cenſentur eſſe conditionales, licèt contrario uſu abrogari poſſint; & cur? n. 141. Leges nullâ aliâ de causâ obligant, quàm quòd judicio populi ſint recepta; quomodo hoc verificetur? n. 142. Vide ſuprà ℣. *Acceptatio.*

Leges humanæ cæteroquin juſtæ, an obligent in conſcientia? T. 2. n. 152. F. 117. & ſeqq. Obligant Judices in conſcientia ad judicandum juxta earum præſcriptum. n. 152. Et dum abſolutè præcipiunt, vel prohibent, regulariter obligant ſubditos in conſcientia. n. 153. & ſeqq. Leges Principum Sæcularium, præſertim Gentilium, unde habeant obligare in conſcientia? n. 155. & ſeqq. Lex conſilij regulariter non eſt obligatoria. n. 158. Fallit hoc in tribus caſibus n. 159.

Lex in præſumptione fundata, quid? T. 2. n. 162. F. 118. Secundùm Leges in præſumptione fundatas tenentur Judices in judicando procedere. n. 163. & ſeqq. Præſumptio cedit veritati, quomodo? n. 164. & 170. Legis præſumptio habetur pro veritate. n. 164. Leges in præſumptione fundatæ non ſunt injuſtæ, licèt præſumptio quandoque fallat. n. 165. Leges fundatæ in præſumptione, quæ à parte rei verificatur, obligant ſubditos in conſcientia. n. 166. & ſeqq. An idem dicendum, ſi id, quod lex præſumit, hîc & nunc non ſubſit? n. 168. Sententia affirmativa refertur, ejúsque rationes. n. 168. & 169. Sententia negativa præfertur. n. 170. & ſeqq. Hæc procedit ſolùm ſecluſo ſcandalo. n. 166. & 174. Leges in præſumptione à parte rei non ſubſiſtente fundatæ, nequeunt obſervari, etiam ratione ſcandali, quando ex earum obſervantia reſultat peccatum. n. 175. Leges in fictione juris fundatæ, an locum habeant non ſolùm in Foro externo, ſed etiam in Foro conſcientiæ? T. 2. n. 185. & ſeqq. F. 122. Vide ſuprà ℣. *Fictio juris.*

Lex pœnalis quid, & quomodo differat à Lege morali? T. 2. n. 197. F. 124. Lex mixta, quæ? n. 198. Leges merè pœnales, quæ? Ibid. Dantur Leges merè pœnales. n. 161. & 199. & ſeqq. In transgreſſione Legis merè pœnalis non intervenit culpa Theologica, benè tamen legalis, ſeu politica. n. 201. & 202. Per accidens tamen ſæpius etiam intervenit cupla Theologica. n. 203. Unde dignoſcendum, quòd Lex aliqua ſit merè pœnalis? n. 204. & ſeqq. Per conſuetudinem longævam poteſt ex Lege humana mixta, fieri purè pœnalis. n. 206. Unde colligi poſſit, quòd Lex contineat pœnam, v.g. excommunicationis latæ, vel ferendæ ſententiæ? cit. Tit. 2. n. 207. & 208. & ſeqq. F. 125. Leges, ſeu Conſtitutiones pœnam ferendæ ſententiæ continentes, quâ ratione obligent? cit. T. 2. n. 221. F. 128. & ſeqq. Tum ante ſententiam Judicis? n. 221. & 222. Tum poſt ſententiam judicis? n. 223. & ſeqq. Leges pœnam latæ ſententiæ continentes, quomodo obligent? n. 226. & ſeqq. Lex ipſo facto imponens privationem Beneficij, privat Reum titulo, non poſſeſſione ejus. n. 234. Vide infrà ℣. *Pœna.*

Lex irritans declaratur. T. 2. n. 239. F. 131. Ea poteſt irritare quosdam contractus, alióſque actus humanos, ita ut nullius ſint robris. n. 239. & ſeqq. Idque dupliciter, videlicet ipſo jure. n. 240. Vel per ſententiam judicis. n. 241. Regulæ ad dignoſcendum, an Lex ipſo jure irritet contractum, vel per ſententiam. n. 242. Legum irritantium obligatio, atq; effectus qui? n. 244. & ſeqq. Si Lex contractum non ipſo jure irritet, ſed irritandum decernat, valet, donec per ſententiam judicis reſcindatur. n. 245. Notabilis objectio, *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*, ponitur, atque explicatur n. 246. & ſeqq. Si Lex ipſo jure irritet contractus, electiones &c. nulla iſtis tribuitur actio in Foro externo, imò hi jam ab initio fuerunt invalidi. n. 251. Quomodo nihilominùs dicantur irritandi per ſententiam judicis? n. 252. Quid dicendum pro Foro conſcientiæ? n. 253. & ſeqq. Si contractus, vel electio &c. non pleniſſimè, ſed civiliter tantùm ipſo jure infirmetur, ſimúlque nemo ſe opponat, tunc in conſcientia tutus eſt, qui virtute talis actûs aliquid poſſidet. n. 255. Exemplificatur, atque probatur hoc. n. 256. 257. & ſeqq. Differentia inter Legem actûs ipſo jure irritantem, & inter Legem actûs irritantem ſecutâ ſententiâ judicis. n. 260.

Leges obligant tantùm ſubditos proprij territorij. T. 2. n. 264. F. 136. Neque iſtis adſtringuntur ſubditi, actu non exiſtentes intra territorium Legiſlatoris. n. 265. Utrùm Legiſlator teneatur proprijs legibus? n. 266. & ſeqq. Legibus à Republica, vel Capitulo latis, obligantur ſinguli

guli de taliCommunitate,etiamSenatores,Canonici. n. 266. Leges aliæ ſunt, quæ in Principem non cadunt; aliæ, quæ Principem æquè, ac ſubditos decent. n. 267. Iſtis poſterioribus Legislator non tenetur quoad vim coactivam, benè tamen quoad vim directivam. n. 268. & ſeqq. Vis directiva,& coactiva legum,quid? n. 269. Legi Divinæ eſt Papa ſubjectus. n. 273. Vide ſuprà ℣. *Conſtitutionibus Eccleſiaſticis.*

Leges Civiles an obligent Clericos? T. 2. n. 290. & ſeqq. F. 141. Leges Juris Civilis, quæ diſponunt de Eccleſiis, Epiſcopis & Clericis, ex ſe non obligant. n. 295. Niſi approbentur ab Eccleſia. n. 296. Et quomodo fiat talis approbatio? n. 297. Non tamen idcircò ſunt inutiles,imò juvant ad plura. n. 298. & 299 Leges ſæculares de contractibus &c. ſi ſint favorabiles, extenduntur ad Clericos, ſecùs, ſi præjudiciales. cit. T. 2. n. 315. & ſeqq. F. 146. Lex Clericis præjudicialis, & non præjudicialis, quæ? n. 319. Leges JurisCivilis circa contractus,& alias profanas cauſas generaliter latæ, ſi Sacris Canonibus non contrarientur, extenduntur ad Clericos. n. 320. & ſeqq. An hoc ipſum procedat de ſtatutis inferiorum Laicorum? n. 322. & ſeqq. Diſparitas inter Leges Juris Civilis, & ſtatuta particularia locorum. n. 325. Vide ſuprà ℣. *Clerici an obligentur.*

Legum interpretatio, quid, & quotuplex ſit? T. 2. n. 351. & 357. & ſeqq. F. 152. Legis extenſio duplex, una propriè dicta, ſeu extenſiva. n. 371. Altera comprehenſiva, ſeu incluſiva, & impropriè dicta. n. 372. Legum interpretatio majori cum libertate fit per Legislatorem,quàm per inferiorem. cit. T. 2. n. 382. F. 157. Regulæ pro Legum interpretatione deſervientes,præcipuè inferioribus, declarantur. n. 383. & ſeqq. usque ad n. 447. Interpretatio potiùs menti, quàm verbis legis convenire debet. n. 386. Mens legis, unde colligatur? n. 387. Ratio legis, eſt anima legis. n. 388. A verbis legis non eſt recedendum, niſi manifeſtum ſit, aliud ſenſiſſe Legislatorem. n. 389. Vide ſuprà ℣. *Interpretatio.*

Lex limitatoria, dum certum caſum à Lege excipit,cenſetur hanc declarare, atque confirmare in reliquis. T. 2. n. 405. F. 159. Nō cenſetur plus de priori lege mutatum, quàm eſt expreſſum in poſteriori. cit. Tit. 2. n. 419. F. 161. Lex nova generaliter loquens, diſtinguitur ſecundùm Leges antiquas ſpeciales. n. 420. Leges exorbitantes à Jure commũni ſunt ſtrictæ interpretationis,nec producendæ ad conſequentiam. n. 421. Limitatur in æquiparatis. n. 422. Et ob identitatē rationis in lege expreſſæ, & in nonnullis aliis caſibus. n. 424. & ſeqq. Lex pœnalis,& omnis alia odioſa, in dubio eſt ſtrictè interpretanda. n. 427. Secùs, ſi verba ejus ſint clara n. 428. Lex odioſa extenditur nihilominùs ob identitatem rationis in lege expreſſæ. n. 429. Et declaratur hoc exemplis. n. 430. Et idem eſt, quando unica tantùm ratio legis aſſeri poteſt. n. 431. & 432. Verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu. n. 433 Niſi ſint caſus excepti. n. 434. Leges favorabiles ampliori interpretatione ſunt adjuvandæ. n. 435. Idque declaratur. n. 436. & ſeqq. Leges pœnales cur non cenſeantur favorabiles, licet reſpiciant bonum commune? n. 442 In iſtis debet ſeparari favor ab odio; idque exemplificatur. n. 443. Quid agendum, ſi Lex partim ſit favorabilis, partim odioſa. n. 438. & ſeqq.

Legis abrogatio, derogatio, & irritatio, quid; & quomodo differant? T. 2. n. 484. & 485. F. 172. Leges ſemel latæ poſſunt denuò revocari. n. 486. & ſeqq. Etiamſi habeant clauſulam: *Hac in perpetuum valiturâ Conſtitutione.* n. 487. Non tamen ſunt revocandæ absque juſta cauſa. n. 488. & ſeqq. Juſtæ cauſæ mutandi leges,quæ? n. 489. & 490. Lex prior quando cenſeatur revocari per poſteriorem? cit. T. 2. n. 491. & ſeqq. F. 173. Poſterior tollit priorem ſibi directè contrariam, etiam non factâ hujus mentione. n. 491. Aliàs, ſi non ſit directè contraria,oportet jura juribus concordare. n. 492. Etiam verba impropriando. n 494. Imò & per ſenſum ſubauditum ad concordiam revocando. n. 495. Lex generalis poſterior non tollit legem ſpecialem priorem, ſed per hanc diſtinguitur. n. 496. & 497. Lex nova generaliter lata non tollit conſuetudines, & ſtatuta particularia locorum. n. 498. Niſi id exprimat; & quomodo hoc fiat? n. 499. Vide ſuprà ℣. *Jurium correctio.* Inter Leges & Reſcripta, quæ ſit convenientia, & differentia? T. 3. n. 1. F. 184.

Lex inferioris cur nō valeat contra SacrosCanones, benè tamen conſuetudo? T. 4. n. 11. F. 229. & n. 140. F. 249. A legibus quâ ratione differat conſuetudo? T. 4. n. 19. & ſeqq. F. 230. Lex tribus modis poteſt reſiſtere conſuetudini. cit. T. 4. n. 44. F. 233. Nempe hanc reprobando tanquam irrationabilem,& corruptelam. n. 45. & 46. Vel ſimpliciter prohibendo, conſuetudinem contra legem induci; & an tunc valeat conſuetudo de novo inducta contra ejusmodi legem? n. 47. & ſeqq. Vel derogando conſuetudini ſub clauſula, *Conſuetudine contrariâ quâlibet non obſtante*; & quas conſuetudines tunc tollat? n. 53 & ſeqq. Lex, & contraria conſuetudo, poſſunt ſimul eſſe rationabiles ex diverſo reſpectu. n. 40.

Lex poſterior generalis abrogat conſuetudinem priorem generalem, licèt nullam hujus faciat mentionem. T. 4. n. 182. F. 256. Secùs dicendum de conſuetudinibus particularibus locorum. n. 183. Vide ſuprà ℣. *Conſuetudo ritè introducta.*

Lex Diœceſana, & Lex jurisdictionis, ſunt valdè diverſæ; adeoque res judicata in una non obſtat agenti in altera. T. 31. n. 84. F. 510. Ad Legem Diœceſanam, & Legem jurisdictionis, ſpectant omnia jura Epiſcopalia. n. 83. & ſeqq Quæ *in dando* conſiſtunt, ſpectant ad legem

juriſdictionis. n. 90. Quæ conſiſtunt *in recipiendo*, pertinent ad Legem Diœceſanam. n. 91. Hæc opinio graviter impugnatur, ſed defenditur. n. 92. 93. & 94. Lex Diœceſana, & Lex jurisdictionis, quomodo ſint interpretandæ? n. 90. & ſeqq. Quænam ſint illa, quæ ſpecialiter pertinent ad Legem Diœceſanam Epiſcoporum? n. 95. & ſeqq. A Lege Diœceſana regulariter ſunt exempta omnia Monaſteria. n. 85. & 86. Non verò Capellæ, ſeu Parochiæ Sæculares ipſis incorporatæ. n. 87. Aſſerens, aliquid pertinere ad Legem Diœceſanam, tenetur hoc probare. n. 106. A Lege jurisdictionis Monaſteria non ſunt exempta, niſi ſpeciali privilegio ſint munita. n. 85. & 88. & ſeqq.

Liberi homines, & Libertini, qui? T. 18. num. 1. F. 431.

Libri Decretalium, Clementinarum, & extravagantes, habent indubiam authoritatem legis. P. n. 87. & ſeqq. F. 18. Cur ſolis Doctoribus Bononiæ commorantibus fuerint transmiſſi? n. 88. Libri Canonici, unde ſint tales? T. 1. n. 73. F. 61. Libri Auctorum damnatorum rectè jubentur comburi. cit. T. 1. n. 223. F. 87. Libro damnato, non idcircò cenſetur damnatus Author. n. 224 & 225. Damnato tamen Authore, ejus quoq; libri cenſentur damnati; & quomodo? n. 120. & ſeqq.

Libros edere non poſſunt Regulares absque examinatione, & approbatione Ordinarij. T. 31. n. 143. F. 518. Quid dicendum de Lectionibus, Diſputationibus, vel Concionibus? n. 144.

Lites execrari, bonarum mentium eſt. T. 34. n. 2. F. 538. Incertus eſt litis eventus. Ibid. In litibus, ſeu controverſijs cauſarum, quæ mala oriantur juxta S. Ivonem? n. 3. Lites alienas redimere non licet Advocatis, nec alijs. T. 37. n. 46. & ſeq. F. 573. Et qualiter id prohibitum? n. 47. Excipiuntur hinc actiones liquidæ. n. 48. Item ceſſio litis per donationem facta. n. 49. Et nonnullæ aliæ ceſſiones litium; & quales? n. 50. Quid de ceſſione, ac emptione litium, in Jure Canonico ſtatuatur? T. 42. n. 15. F. 630.

Litigioſa res, quæ? T. 9. n. 56. F. 346.

Litteræ Beneficiales. quæ? T. 3. n. 29. F. 187. Litteræ Apoſtolicæ per quamcunque abraſionem ab impetrante factam redduntur falſæ, & radens Falſarius. T. 3. n. 226. F. 220. Vide infrà ℣. *Reſcriptum.*

Litteræ Dimiſſoriæ, quid? T. 11. n. 109. F. 390. Differunt à Comendatitijs, ſeu Teſtimonialibus Litteris, & Formatis. n. 112. Per *Formatas* quæ Litteræ intelligantur? n. 113. Vide ſuprà ℣. *Dimiſſoriæ litteræ.*

Lucra non facere, & quæſita perdere, non eſt par ratio. T. 2. n. 235. F. 131.

M.

Magiſtratuum Edicta, quæ? P. n. 178. F. 33. Magiſtratûs appellatione non venit Iudex delegatus, ſed tantùm ordinarius. T. 29. n. 54. F. 474.

Majoribus, ſeu Majorenibus, competit reſtitutio in intregrum ex clauſula generali; hoc eſt, juſtâ causâ interveniente. T. 41. n. 49. F. 616. Cauſæ juſtæ reſtituendi Majores, quæ? n. 50. 51. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Reſtituere in integrum.*

Majoritas, quid? T. 33. n. 2. F. 534. Majoritas inter Clericos conſideratur ex quinque cauſis; & quibus? n. 3. & ſeqq.

Mandata qualificata, quæ? T. 1. n. 175. F. 79. Mandatum, quid? T. 2. n. 12. F. 91. Mandatum jurisdictionis, & Mandatum ab homine, quid, & an exſpiret morte Mandantis? T. 2. n. 46. F. 96. Mandatum generatim ſumptum, quid? T. 3. n. 20. F. 186. Mandatum Apoſtolicum, ſeu Mandatum de providendo, quid? n. 21. & n. 29.

Mandatum procuratorium, quid? T. 38. n. 72. F. 583. Quæ debeat continere? n. 73. Etſi communiter detur in ſcriptis, poteſt tamen etiam probari per teſtes. n. 74. Mandatum procuratorium regulariter non præſumitur, ſed eſt probandum ab allegante. n. 75. & ſeqq. Quid juris, ſi procurator non probet Mandatum? n. 76. Mandatum procuratorium præſumitur, vel inducitur ex patientia Domini ſcientis, & non contradicentis. n. 77. Idem probatur, ſaltem præſumptivè, ex traditione, & productione Inſtrumentorum, ſeu jurium. n. 78. Utrùm in procuratore requiratur ſpeciale Mandatum procuratorium? n. 79. & ſeqq. Iſtud in procuratore ex parte Actoris, ſeu ad agendū conſtituto requiritur. n. 79. Niſi agat pro conjunctis perſonis. n. 80. Vel pro Conſortibus ejusdem litis. n. 81. In procuratore tamen ex parte Rei, ſeu ad defendendum, id non requiritur; dumodò præſtet ſatisdationem de Judicatum ſolvendo. n. 82. & 83. Quid juris, ſi rationalibiliter dubitetur de Mandato procuratoris ad agendum, vel ejus validitate? n. 84. & 85. Mandatum procuratorium generale ad negotia datum, etiam ad Judicia ſe extendit. n. 86. Non verò econtrà; & cur? n. 87. Mandatum generale procuratori datum, quam poteſtatem tribuat? n. 86. & ſeqq. Quid poſſit procurator generaliter conſtitutus ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale? n. 91. & ſeqq In quibus caſibus nequeat procedere procurator absque ſpeciali mandato? n. 95. & ſeqq.

Mandati procuratorij effectus, quales? T. 38. n. 105. F. 587. Ratum eſt, quòd à procuratore agitur vi Mandati. n. 106. & 107. Mandati fines diligenter ſunt cuſtodiendi. n. 107. Actio mandati directa, quid importet? n. 110. & 111. Actio mandati contraria, quid? n. 113. Mandatum integrum, ſeu res integra, quamdiu dicatur? n. 138. Mandatum procuratorium poteſt revocari dupliciter, expreſsè, & tacitè. n. 140. 141. & 142. Vide infrà ℣. *Procurator.* Mandatum de maleficio comittendo, v. g. de percutiendo Clerico, ut revocetur, debet talis

revo-

revocatio notificari ipſi Mandatario. T. 38. n. 157. F. 193.
Marmor effigiatũ non comprehenditur nomine marmoris; & cur? T. 2. n. 403. & 404. F. 159.
Materiæ nomine, quando comprehendatur materiatum? T. 2. n. 404. F. 159. Materia quænam cenſeatur favorabilis, & quæ odioſa? T. 2. n. 437. & ſeqq. F. 164.
Matrimonium, an, & qualiter de factò poſſit contrahi per Procuratorem? T. 38. n. 67. & ſeqq. F. 582.
Matrimoniales cauſæ ad ſolum Epiſcopum pertinent dijudicandæ. T. 23. n. 12. F. 449. Ex ſpeciali tamen commiſſione Epiſcopi poteſt inferior cauſarum Matrimonialium cognitionem habere. n. 13. Et ſic Archidiaconi de cauſis matrimonialibus in prima inſtantia alicubi judicant. n. 14. Idem poteſt contingere ex præſcriptione, conſuetudine, aut privilegio. n. 15. & 16. In matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed affectus attenditur. T. 21. n. 16. F. 443. Super matrimonio an poſſit fieri transactio, vel ſaltem amicabilis compoſitio? T. 36. n. 19. & 20. Et quid de Sponſalibus? n. 21. Matrimonium ex gravi metu injuſte incuſſo contractum, ipſo jure eſt nullum. T. 40. n. 44 F. 602. Quo jure metus gravis irritet matrimonium, variant Doctores. n. 47. Probatur ſententia aſſerens, metum gravem Jure naturæ dirimere matrimonium. n. 48. & ſeqq. Solvuntur contraria. n. 51. & ſeqq. Metus ſufficiens ad reſcindendos cæteros contractus, ſufficit etiam ad irritandum ipſo jure matrimonium n. 55.
Maximè eſt dictio implicativa; & quid importet? T. 1. n. 226. F. 87.
Medicus non poteſt ullum contractum cum ſuo infirmo inire T. 37. n. 45. F. 573.
Membrum, quid propriè ſit? T. 20. n. 5. F. 437.
Metropolitanus, an differat ab Archiepiſcopo? T. 11. n. 29. F. 375. Archiepiſcopus alio nomine appellatur *Metropolitanus*; & cur? T. 31. n. 32. F. 503. Poteſt dari Archiepiſcopus, qui non ſit propriè Metropolitanus. n. 33. Epiſcopi Metropolitano ſubjecti dicuntur *Suffraganei* ipſius; & cur? n. 34. Vide ſuprà *v. Archiepiſcopus.*
Metus, quid? T. 40. n. 16. F. 598. Dividitur in gravem & levem. n. 17. Metus gravis ſeu cadens in virum conſtantem, quis? n. 18. Ad hunc quæ requirantur conditiones? n. 19. Gravia mala, ſufficientia ad inducendum metum gravem, qualia? n. 20. Et unde horum gravitas deſumenda? n. 21. Metus juſtus, quis? n. 22. Non cauſat involuntarium ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid? n. 23. Factum ex metu magis cenſetur voluntarium, quàm involuntarium. n. 24. An, & qualis metus invalidet contractus? n. 25. & ſeqq. Metus levis non vitiat contractum n. 25. Imò nec metus gravis ab intrinſeco proveniens. n. 26. Neque proveniens ab extrinſeco, juſtè tamen incuſſus. n. 27. Vel ſi non fuit incuſſus ad extorquendum conſenſum, ſed ob alium finem. n. 28. In dubio præſumitur metus ad extorquendum conſenſum incuſſus. n. 29. Contractus aliique actus ex metu gravi procedentes, regulariter ſunt validi. n. 30. Quamvis tali metu probato ſint reſcindendi per ſententiam Judicis. n. 31. Idque exemplificatur. n. 32. & 33.
Metum paſſis quodnam Juris remedium competat? T. 40. n. 34. & ſeqq. F. 600. Actio *quod metus cauſa*, quibus, & qualiter detur? n. 35. & ſeqq. Exceptio *quod metus cauſa* competit metum paſſis; & quando? n. 39. Metum paſſis competit etiam Actio utilis. n. 40. Quomodo res poſſit dici eſſe in bonis ejus, qui eam ex metu alteri tradidit? n. 41. Si quis ſuâ culpâ incidit in metum, non competit ipſi remediũ juris *quod metus cauſa.* n. 42. Hoc ipſum non competit ei, qui ex metu non eſt damnificatus. n. 43.
Metus gravis, ac injuſtè incuſſus, reddit matrimonium ipſo jure invalidum. T. 40. n. 44. F. 602. Idemq; juxta probabiliorem ſententiam dicendum de Sponſalibus. n. 45. Quo jure metus gravis irritet matrimoniũ variant Doctores. n. 47. & ſeqq. Probatur ſententia, aſſerens, metum gravem jure naturæ dirimere matrimonium. n. 48. 49. & 50. Solvuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. n. 51. 52. & ſeqq. Metus ſufficiens ad reſcindendos cæteros contractus, ſufficit etiam ad irritandum ipſo jure matrimonium. n. 55. Plures alij actus, ſive contractus, ſunt ipſo jure irriti ob metum gravem, atque injuſtè incuſſum. n. 55. 56. & ſeqq. uſque ad n. 75. Uti Profeſſio religioſa. n. 57. Votum per metum emiſſum. n. 58. Secùs in juramento. n. 591. Et quæ diſparitas? Ibid. Promiſſio, & traditio rerum Eccleſiaſticarum, metu gravi extorta. n. 60 & 61. Contractus dotis promiſſæ, vel ſolutæ. n. 62. Juriſdictio per metum gravem extorta. n. 63. & ſeqq. Abſolutio à cenſuris, harúmque revocatio, metu extorta. n. 65. & ſeqq. Authoritas Tutoris metu extorta. n. 69. & 70. An valeat teſtamentum metu factum? n. 71. Vel ſententia per metum lata? n. 72. & 73. Ac conſtitutio procuratoris, ſi fiat ex gravi metu. n. 74. Omnes actus illi metu extorti ipſo jure non valent, qui ſine peccato ſervari non poſſunt. n. 75.
Metus qualiter probetur? T. 40. n. 76. & ſeqq. F. 606. Metus regulariter non præſumitur, ſed ab allegante eſt probandus. n. 76. Eſtque difficilis probationis. n. 77. Nec niſi conjecturis, & indiciis, probari poteſt. n. 77. & 78. Quisnam hîc & nunc ſit juſtus metus, Judicis arbitrio relinquitur. n. 79. & 80. Metus illatus quibus conjecturis in ſpecie probetur? n. 81. & ſeqq. Metus præſumitur, quando quis contraxit in carcere, ſeu vinculis conſtitutus. n. 82. Vel ſi in aliqua domo, etiam privata, detinebatur clauſus. n. 83. Aut quando probantur mi-

næ

næ potentis &c. n. 84. & 85. Aut quando quis anteà jure ſuo fuit ſpoliatus, & deinde ipſi renuntiat. num. 86. Aut ſi probetur, præceſſiſſe in alios tractatum de cogendo aliquem per metum. num. 87. Vel quando contrahens tempore contractûs lacrymabatur, ſeu præter morem dignoſcebatur pallor in vultu ejus &c. n. 88. Metus probatur etiam ex depoſitione teſtium; & qualiter? n. 89. 90. & 91. Metus quandoque poteſt probari juramento. n 92.

Metus reverentialis, quid? T. 40. n. 93. & 94. F. 608. Se ſolo non ſufficit ad irritandos contractus. n. 95. 96. & ſeqq. Secùs, ſi metui reverentiali accedant ſævitia, vel graves minæ. n. 95. 99. & 100. Vel importunæ, ſeu inſtantiſſimæ preces eidem conjungantur. n. 101.

Metus ſemel illatus tamdiu præſumitur durare, quamdiu durat ratio illius. T. 40. n. 102. F. 609. Præſumitur autem ceſsâſſe, ſeu purgari ex contrarijs indicijs, ex quibus præſumebatur illatus. n. 103. Sic purgatur metus mulieris invitè contrahentis, per longam ſpontaneam cohabitationem cum Marito ſuo. n. 104. Item metus tempore promiſſionis interveniens, per ſpontaneam ſolutionem rei promiſſæ. n. 605. & 106. Metus non præſumitur interveniſſe, quando adhibebatur præſentia Conſanguineorum, ſeu Amicorum. num. 7. Limitatur hoc ipſum. Ibid.

Minima. *De minimis non curat prætor*, declaratur. T. 41. n. 9. & 10. F. 611.

Minores, ſeu Minorennes habentes Curatorem ſine hujus authoritate non poſſunt paciſci circa alienationem bonorum ſuorum. T. 35. n. 42. F. 545. Benè tamen circa concernentia propriam perſonam. n. 43. Sicque concordantur Iura Iuribus. n 44. & 45. Minor graviter læſus in transactione, poteſt petere reſtitutionem in integrum. T. 36. n. 53. F. 565. Minorennibus competit beneficium reſtitutionis in integrum. T. 41. n. 22. & ſeqq. F. 613. Etiamſi contractus ſit factus cum conſenſu Patris, Tutoris &c. n. 23. Qualiter minor ætas ſit computanda? n. 24. Dantur tamen plures caſus, in quibus Minor non reſtituitur in integrum. n. 25. & ſeqq. Ut ſi impetravit veniam ætatis. n. 25. Vel ſi major effectus ratum habuit, quod anteà geſſerat. num. 27. Aut illud juramento ſponte præſtito confirmavit. n. 28. & 29. Vel fallaciter ſe majorem aſſeruit, &c. n. 30. & 31. Minor læſus poteſt contra alium Minorem petere reſtitutionem in integrum. n. 42. Solvitur notabilis inſtantia. n. 44. 45. & ſeqq. Differentia multiplex inter reſtitutionem in integrum competentem Minoribus, & Majoribus. n. 53. & ſeqq. Minoribus currere incipit quadriennium, pro petenda reſtitutione in integrum conceſſum, à prima die vigeſimi ſexti anni inchoati. n. 60. & 61.

Minorennis Clericus, in renuntiatione Beneficij Eccleſiaſtici graviter læſus, an ſit reſtituendus in integrum? T. 41. n. 83. & ſeqq. F. 621 Minor in Beneficialibus habetur loco Majoris; & quomodo? n. 84. Clericus ille minorennis, an indigeat novâ collatione Beneficij, ad quod reſtituitur? n. 88 Minor adversùs Profeſſionem religioſam nunquam reſtituitur. n. 89. Benè tamen, ut ſi allegaverit nullitatem ejus, poſt quinquennium audiri poſſit. n. 90. & ſeqq. Minori non competit reſtitutio in integrum contra ſubſtantiam matrimonij. n. 93. Benè tamen quoad ejùs accidentalia, putà, ſi lædatur circa dotem immoderatam promiſſam. n. 94. Vel ſi ex ſententia matrimoniali ſe graviter læſum probaverit. n. 95. Minor reſtituitur contra propriam confeſſionem incautè factam. n. 96. Ut ſi incautè confeſſus ſit, ſe cum aliqua contraxiſſe ſponſalia. n. 97. Imò etiam reſtituitur Minor adversùs confeſſionem delicti. n. 98. Solvitur notabilis inſtantia. n. 99. Hoc ultimum limitatur. n. 100. Adversùs delictum dolo commiſſum Minor non reſtituitur. n. 101. Benè tamen, ſi deliquerit ſolumodò per culpam. n. 102. Imò & in priori caſu reſtituitur, ut habeatur pro confeſſo. n. 103. Inſuper Minor non reſtituitur contra omiſſam, vel remiſſam executionem pœnarum. n. 104. Reſtitutio in integrum conceſſa Minori, an etiam profit Majori communem cauſam cum eo habenti? T. 41. n. 136. F. 628. Saltem quando hæc eſt individua? n. 137.

Miſerabilium in perſonarum cauſis ſervatur Jus Canonicum in utroque Foro. P. n. 221. F. 43. Miſerabiles perſonæ, quæ? T. 37. n. 20. F. 569. Pro miſerabilibus perſonis poſſunt etiam Clerici in Sacris advocatum agere. n. 19.

Miſſa ſolennis an ſit de forma validitatis electionis? T. 6. num. 59. F. 278. In Miſſa quale Symbolum cantetur? T. 1. n. 65. F. 60. Et cur cantetur? n. 80. Miſſas privatis in domibus celebrare, poſſunt Epiſcopi prohibere. T. 31. n. 135. F. 517. Ex juſta tamen cauſa id concedere. n. 136. Et tacentibus Epiſcopis Regulares celebrare cum Altari portali. n. 137.

Monachus, ubicunque degat de licentia Abbatis, fingitur degere intra Clauſtrum. T. 31. n. 114. F. 515. Vide infrà ℣. *Regulares. &* ℣. *Religioſi.*

Monaſteria omnia regulariter ſunt exempta à lege Diæceſana. T. 3. n. 85. & 86. F. 510. Non verò Capellæ, ſeu Parochiæ ſæculares ipſis incorporatæ. n. 87. Monaſteria tamen à lege juriſdictionis non ſunt exempta, niſi ſpeciali privilegio ſint munita. n. 85. 88. & 89. Monaſteria an teneantur ad quartam Decimationum? n. 97. Et ad quartam Funeralium? n. 99. & 100. Et ad tertiam Oblationum? num. 101. Vel ad Charitativum ſubſidium Epiſcopo præſtandum? n. 104. Et ad procurationes tempore viſitationis? n. 105. Monaſteria omnia, ſpectato Jure communi, fuerunt ſubjecta Epiſcopis, in quorum Diœceſibus erant. num. 107. Et quid de facto? n. 108. & ſeqq. Monaſteria de cætero erigi nō poſſunt ſine licentia Epiſcopi. n. 125.

n. 115. Neque poſthàc recipi, niſi in ipſis duodecim Religioſi competenter ſuſtentari valeant. &c. n. 124.

Moniales an obligentur ex conſuetudine ad recitandum Breviarium? T. 4. n. 114. F. 246. Vel an conſuetudine poſſint à legibus ſibi impoſitis ſeſe eximere? n. 115. In Electionibus Monialium, an, & in quem finem liceat variare publicato jam Scrutinio? T. 6. n. 300. F. 316. Monialium clauſuram tenentur Epiſcopi reſtituere; aut, ubi inviolata eſt, conſervare. T. 31. n. 141. F. 517. Monialium Monaſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta, qualiter gubernentur ab Epiſcopis? n. 142.

Mortis nomine, qualis intelligatur in Sacris Canonibus? P. n. 200. F. 40. Morte concedentis ſuperveniente, an, & quando expirent Reſcripta? T. 3. n. 232. uſque ad n. 263. F. 221. Vacatio Beneficij per mortem, vel per renunciationem, an differat? T. 7. n. 60. F. 334. Morte Delegati finitur ejus officium. T. 29. n. 126. F. 485. Fallit hoc, quando delegatio facta eſt Dignitati. num. 127. & ſeqq. Mors omnia tollit. n. 126.

Motus proprius, quid? T. 3. n. 7. & 202. F. 185. Rectè connumeratur inter Reſcripta. n. 6. Motus proprius purgat ſubreptionem Reſcripti. cit. Tit. 3. n. 79. F. 195. Motus proprius Principis habet locum, etiamſi præceſſerit ſupplicatio partis. cit. Tit. 3. n. 202. F. 216. Motus proprius tollit vitium ſubreptionis in Reſcriptis. n. 202. & ſeqq. Fallit hoc in nonnullis caſibus; & quibus? n. 206. & ſeqq. Motus proprius nihil operatur in præjudicium tertij. n. 210.

Munera accipere non poteſt Judex. T. 32. n. 9. F. 523. Tenetúrque ad reſtitutionem receptorum. n. 10. Differentia inter Xenium, & Munus. n. 13. Et cur illud à Judice recipi poſſit, non verò Munus? n. 14. & ſeqq.

Mutationes omnes ſunt periculoſæ. T. 2. n. 488. F. 173.

Mutilatio, in quo conſiſtat? T. 20. n. 5. F. 437. Mutilatus manu nequit ordinari; imò ad Abbatiam promotus deponitur. n. 10. Mutilans ſeipſum, aut ſui mutilationem ſine juſta cauſa procurans, fit irregularis. n. 25. Secùs, ſi ex juſta cauſa faciat ſe mutilari. n. 31. Vide ſuprà ℣. *Irregularis.*

N.

Negligens in præſentandis Reſcriptis, quando quis dicatur? T. 3. n. 66. F. 193.

Negligentia ut ſic, & Negligentia Prælatorum, quid? T. 10. n. 2. F. 362. Negligentia quorumcunq; Prælatorum eſt ſupplenda. n. 3. Ac ordinarie per immediatum Superiorem. n. 4. & 42. Fallit hoc in certis caſibus. n. 5. & 43. Negligentia Prælatorum generaliter contingit duobus modis. n. 6. Quibúsq; modis deprehendatur? n. 8. An univerſaliter poteſtas Epiſcopi propter ejus negligentiā devolvatur ad Archiepiſcopum? n. 9. & ſeqq. Quid agendum in caſu negligentiæ Epiſcopi? n. 14. & 15. Lex de ſupplenda negligentia Prælatorum ſpectat ad materiam prohibitoriam. n. 16. Enumerantur caſus, in quibus per Archiepiſcopum ſuppletur negligentia Epiſcopi. n. 17. & ſeqq. Negligentia Epiſcopi exempti ſuppletur ſolùm per Papam. n. 34. Quomodo ſuppleatur impotentia Epiſcopi? n. 35. & ſeqq. Negligentiam Judicis Sæcularis poteſt ſupplere Eccleſiaſticus, non tamen econtrà. n. 44. & 45. ac ſeqq. Quâ ratione ſit ſupplenda negligentia Regū Chriſtianorum circa Adminiſtrationē Regni ſui? n. 50. & ſeqq.

Negotiorum geſtor, quis, & quomodo differat à Procuratore? T. 38. n. 6. F. 575.

Neophytus, quis? T. 6. n. 225. F. 305. Prohibetur eligi, atque ordinari in Epiſcopum. Ibid.

Nepotes an contineantur Filiorum appellatione? T. 17. n. 41. F. 431. Liberorum, & poſterorum appellatione comprehenduntur Nepotes, etiam in materia odioſa. Ibid.

Nihil poteſt dare, qui nihil habet. T. 6. num. 32. F. 275. Nihil cenſetur actum, cùm aliquid ſupereſt addendum. T. 16. n. 12. F. 421.

Nominatio triplex; & quid ſit Nominatio ſolemnis? T. 6. n. 10. F. 271. Hæc in pluribus differt ab Electione & Poſtulatione. n. 9. & 11. ac ſeqq. Per nominationem an acquiratur jus nominatis? n. 14. Primò nominatus cenſetur cæteris dignior. n. 13.

Novitates plerumque pariunt diſcordias. T. 2. n. 488. F. 173.

Novitiorum renunciationes ſunt nullæ, ac irritæ, niſi fiant cum licentia Epiſcopi &c. T. 31. num. 154. F. 520. Iſtud tamen locum non habet in Teſtamentis; & Codicillis; & cur? n. 155. Novitijs ante Profeſſionem abeuntibus, ut omnia ſua reſtituantur, poteſt Epiſcopus compellere Regulares. n. 156.

Nullitas actûs in contrarium geſti inducta per legem, an ſit pœna? T. 2. n. 124. F. 111.

Nuntij Apoſtolici, qui, & à quo conſtituantur? T. 30. n. 8. F. 494. Et quales ad id muneris deputari ſoleant? n. 9.

Nuntij Apoſtolici cum poteſtate Legati à latere miſſi, an eandem cum his poteſtatem habeant? T. 30. n. 41. & ſeqq. F. 498.

Nuptiæ terram replent, Virginitas cœlum. T. 21. n. 5. F. 442.

O.

Obedientia, ut eſt virtus ſpecialis, quid? T. 33. n. 9. F. 534. Ejus objectum, quod? n. 10. Dividitur in ſpecialē & generalem. n. 11. Obedientia, ut eſt virtus ſpecialis, eſt major omni virtute Morali. n. 13. Ac præponitur victimis; & cur? num. 14. Obedientia conſiſtit in tribus, num. 15. Nempe in reverentia Superiori exhibenda. num. 16. In mandato ejus ſuſcipiendo. n. 17. Ac in Judicio ſubeundo. n. 20. Obediendum eſt Superioribus præcipientibus in dubio,

an liceat actus ? n. 18. Secùs, quando conſtat, id eſſe contra Deum, quod præcipitur. n. 19. Declaratur iſtud exemplo militum Chriſtianorum, ſub Juliano Apoſtata ſervientiū. Ibid. Mandato Superioris, etiam oneroſo, humiliter eſt obediendum; & tolleranda correctio, etiam injuſta. n. 21. Cui magìs ſit obediendum ex duobus Superioribus contraria præcipientibus. n. 22. & ſeqq. In obediendo major poteſtas præponitur minori; ídque declaratur exemplis. n. 22. Proponuntur, & ſolvuntur nonnullæ inſtantiæ. n. 23. 24. & ſeqq. Si Superiores illi ſint æquales Domini, tenetur quis obedire utrique, ſi poteſt. n. 27. Quòd ſi utrique obedire nequeat, tenetur obedire illi, cui majori vinculo, ſeu potiori titulo eſt obligatus. n. 28. Declaratur iſtud exemplis. n. 29. 30. & 31. & 32. Clericus magìs tenetur obedire Epiſcopo, quàm Principi ſæculari contrarium præcipienti. n. 33. Contra obedientiam non poteſt præſcribi *extinctivè*, benè tamen *translativè*. T. 4. n. 60. F. 236.

Oblationum tertia pars, eſt de Lege Diœceſana. T. 31. n. 101. F. 512. Et quid de facto? Ibid.

Obreptio, & ſubreptio Reſcriptorum; quomodo committatur? T. 3. n. 152. & ſeqq. F. 207. An ſit differentia inter obreptionem, & ſubreptionem? n. 155. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Reſcriptorum ſubreptio.*

Oculo carens, vel in eo habens maculam, an ordinari poſſit? T. 20. n. 16. F. 438. Quid; ſi quis careat ſolo viſu oculi dextri? n. 17. Aut ſiniſtri, quem vocant *Oculum Canonis*? n. 18. Vide ſuprà ℣. *Corpore vitiati.*

Officialis Epiſcopi, an differat â Vicario Generali Epiſcopi? T. 28. n. 59. & ſeqq. F. 460. Officialis Epiſcopi in Jure vocatur etiam *Vicarius generalis*. n. 61. Officialis in Italia, apud nos dicitur Vicarius Generalis. n. 62.

Officium judicis nobile, & mercenarium, quid? T. 29. n. 24. F. 470. & T. 32. n. 25. & 26. F. 525. Quæ exerceantur Officio judicis mercenario? cit. T. 32. n. 27. F. 525. Officium judicis nobile dupliciter exercetur; nimirum vel ex mero ejus facto, vel ad inſtantiam partis. n. 28. Imploratio officij judicis, in quo differat ab Actione? n. 29. & ſeqq. Imploratio officij judicis eſt remedium extraordinarium. n. 30. An ad eam requiratur conteſtatio litis? n. 31. Officium judicis, & Poteſtas judicis differunt; & quomodo? T. 29. n. 94. F. 481.

Olea tria benedicit Epiſcopus in Cœna Domini. T. 16. n. 24. F. 421. Videlicet Chriſma. n. 25. Oleum Cathecumenorum. n. 26. Et Oleum infirmorum, quod, & an differat à cæteris? n. 27. An ſit iterandum Sacramentum Extremæ Unctionis, ſi per errorem Chriſma pro Oleo infirmorum adhibeatur? n. 24. & 28. & ſeqq.

Opera SS. Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. T. 1. n. 14. & ſeqq. F. 48. Opera Potentiæ appropriatè tribuuntur Patri, opera Sapientiæ Filio, & opera Bonitatis Spiritui Sancto. n. 16. Diſparitas inter opera Trinitatis ad extra, & Incarnationem Verbi. n. 18.

Oraculum vivæ vocis, quid? T. 3. n. 5. F. 185.

Ordinarius generatim, quis dicatur? T. 31. n. 2. F. 499. Differentia inter Ordinarium, & Diœceſanum. n. 3. Ordinarius Ordinariorum cur dicatur Papa? n. 6. Ordinariorum nomine veniunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. n. 9. Nomine Ordinarij etiam venit Vicarius Generalis Epiſcopi. n. 12. Et Capitulum Sede vacante. n. 12. & 13. Imò & quicunque Prælatus inferior in materia ſibi adaptabili. n. 14. Decretum quidpiam ſtatuens de Ordinarijs, extenditur ad omnes juriſdictionem ordinariam habentes, niſi materia ſubjecta aliud expoſcat. n. 15. Vide ſuprà ℣. *Judex ordinarius.*

Ordines Religioſi an poſſint condere Statuta ad Succeſſores tranſeuntia? T. 2. n. 97. & ſeqq. F. 107. Et quid dicendum de Ordine FF. Minorum? n. 98. & ſeqq. In Ordine FF. Minorum electio Miniſtri Provincialis debet fieri eodem die, quo Capitulum fuerit Congregatum. T. 6. n. 58. F. 278. In ordine FF. Minorum electiones Superiorum Majorum fiunt per Compromiſſum limitatum. n. 78. In ordine FF. Minorum quæ electiones fiant per Schedulas ſecretas, & quæ per Ballottationes, ſeu globulos? cit. T. 6. n. 341. & 342. F. 323. Vide ſuprà ℣. *Electiones Regularium.* Ordines Regulares hodie plerîque ſunt exempti. T. 31. n. 108. F. 513. Vide infrà. ℣. *Regulares &* ℣. *Religioſi.*

Ordo ſumitur dupliciter. T. 11. n. 2. F. 371. Ordo, ſeu ſacra Ordinatio, quid? n. 3. & 4. Septem ſunt Ordines juxta Theologos, juxta Canoniſtas novem; & quo myſterio? n. 5. & 6. Ordines alij ſacri ſeu majores. n. 7. Alij minores, ſeu non Sacri; qui, & cur ſic dicantur? n. 8. prima Tonſura an ſit Ordo propriè dictus? n. 10. & ſeqq. Vide infrà ℣. *Tonſura prima.* Epiſcopatus eſt Ordo propriè dictus. n. 26. & 27. Ordo Epiſcoporum quadripartitus eſt; & quomodo? n. 28.

Ordines ſinguli, quo tempore ſint conferendi? T. 11. n. 30. & ſeqq. F. 376. Quatuor Ordines minores quando conferendi? n. 31. Hi in quibusdam Eccleſijs conferuntur Feriâ ſextâ Quatuor Temporum. n. 32. Ordines majores, quo tempore ſint conferendi? n. 33. Et quid de Epiſcopatu? n. 34. Ex privilegio Papali poteſt quis ordinari extra Tempora. n. 35. Poteſt pars Ordinationis differri in ſequentem Dominicam, continuato tamen jejunio. n. 36. An in tali caſu requiratur jejunium naturale? n. 37. Vel ſufficiat Eccleſiaſticum? n. 38. Liceâtque tunc ſumere prandium, & collationē veſpertinam? n. 39. Religioſi communicationem privilegiorū habentes, an poſſint ordinari extra Tempora à Jure ſtatuta? n. 40. & ſeqq. uſq; ad n. 51. Quid intelligatur nomine Diei Feſtivi, quo tum Ordines minores, tum etiam virtute privilegiorum Ordines majores conferri

ferri

ferri poſſunt? n. 52. & ſeqq. Notabilis Declaratio S. Congregationis quoad hoc. n. 55.

Ordo poteſt dupliciter intelligi recipi, validè & licitè; & quid? T. 11. n. 56. F. 381. Ordo ut validè recipiatur, quæ ſufficiant? n. 57. & 59. Soli maſculi ſunt capaces Sacramenti Ordinis. n. 57. & 58. Nec recipitur ſine Baptiſmo. n. 59. Ordo ut licitè recipiatur, quæ requirantur? n. 60. & ſeqq. Qualis ætas ad ſingulos Ordines requiratur? n. 63. & ſeqq. Et quæ ſcientia? n. 66. In Regularibus non requiritur tanta ſcientia, ac in alijs; & cur? n. 67. Titulus ſuſtentationis requiritur ad Ordines Sacros. n. 69. Secùs ad Ordines minores. n. 70. Vide infrà ℣. *Titulus*.

Ordines plures an poſſint eodē die cuipiam conferri, & recipi? T. 11. n. 160. & ſeqq. F. 398. Quatuor Ordines minores de conſuetudine pluribus in locis ſimul eodem die ſuſcipi poſſunt. n. 160. & 167. Duo Sacri Ordines eodem die nulli ſunt conferendi, ne quidem Regularibus. n. 161. Etiamſi Metropolitanus id jubeat. n. 162. Nec etiam quando unus in Sabbato, & alter Die Dominico, continuato jejunio confertur. n. 163. Et quid, ſi aliquis ſit diſpenſatus, ut poſſit extra Tempora tribus Dominicis, vel Feſtivis diebus ordinari? n. 164. Epiſcopatus an poſſit eodem die recipi cum Sacerdotio? n. 165. Stando Juri communi, non poſſunt quatuor Ordines minores ſimul eodem die unacum Subdiaconatu recipi. n. 166. Secùs de conſuetudine alicubi recepta. n. 167. Ordines, an, & qui poſſint conferri per Epiſcopum, qui renuntiavit Epiſcopatui? T. 13. n. 4. & ſeqq. F. 309. Ordines, præſertim Sacri, an ex privilegio Papæ poſſint conferri per Abbatem, vel alium Sacerdotem? num. 14. & ſeqq.

Ordo ſacer, an, & ad quod Beneficium Eccleſiaſticum obtinendum requiratur? T. 6. n. 220. F. 304. & T. 14. n. 10. & ſeqq. F. 414. Præficiendus Epiſcopatui debet ſaltem eſſe Subdiaconus. cit. T. 14. n. 10. F. 414. Ac ſucceſſivè receptis alijs Ordinibus, intra trimeſtre poſt obtentam confirmationem conſecrari. n. 11. Qualis Ordo requiratur in promovendis ad Abbatiam, Decanatum &c. n. 12. & ſeqq. Et in præficiendis Archidiaconatui, vel Eccleſiæ Parochiali? n. 16. & ſeqq. Aut Canonicatui Cathedralium, vel Collegiatarum Eccleſiarū? n. 19. & 20. Præficiendi vel jam habeant Ordinem requiſitum, vel ſint in ea ætate, ut infra tempus à Jure ſtatutum ordinari valeant. n. 21. Neque hodie circa talem ætatem poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut antiquitus. n. 22. Clerici ſunt arctati ad recipiendos Ordines, quos Beneficia requirunt, ſub pœna privationis horum. n. 23. Quid ſi Canones obſiſtant, quò minùs jam promotus ad Beneficium ob ſuperveniens impedimentum ordinari valeat? n. 24. & ſeqq. Pœna privationis Beneficij ob non receptum Ordinem debitum, olim ſolùm incurrebatur poſt ſententiam, ac prævià monitione. n. 27. Idque quoad Abbatiam, Archidiaconatum &c. etiamnum procedit. n. 28. Secùs defactò eſt dicendum de promotis ad Eccleſias Parochiales, ſi infrà annum non ordinentur Presbyteri; nam vacat Eccleſia ipſo jure n. 29. Atq; hoc ipſum procedit in Vicarijs perpetuis Eccleſiarum Parochalium. n. 30. Non tamen in Eccleſijs Curatis non Parochialibus. n. 31. Neque rigor ille procedit in Eccleſijs Parochialibus Collegiatis, & aſſumptis ad earum regimen. n. 32. Nec etiam in harum Præpoſitis, & Decanis. Ibid. Sicut nec in juſtè impeditis, quò minùs infra annum ordinentur. n. 33. Pœna privationis Eccleſiæ Parochialis non incurritur ipſo jure ob neglectum Presbyteratum, donec annus integer ſit completus. n. 34. Et tunc dicta Eccleſia non poteſt pro ea vice iteratò conferri illi, qui neglexit ſic ordinari. n. 35. Benè tamen pro alia vice. n. 36. Recipiens Eccleſiam Parochialem abſque animo ſuſcipiendi Ordinem Sacerdotij intra annum, tenetur ad reſtitutionem fructuum. n. 37. Secùs, ſi habuit talem animum aſſumendi Presbyteratum, licèt Poſtmodùm non ordinetur. n. 38.

Ordinari nullus debet, niſi à proprio Epiſcopo. T. 11. n. 77. F. 385. Subditus Epiſcopi quoad Ordines recipiendos, quatuor modis quis cenſetur; quibus? n. 78. Natus in una Diœceſi, & in alia habens Domicilium, vel Beneficium, poteſt à quolibet earum Epiſcopo Ordinari. Ibid. An etiam uno horum electo poſſit quis variare, ſuſcipiendo cæteros Ordines ab alio? n. 79. An, & quibus concurrentibus poſſit quis ordinari ab Epiſcopo ratione Beneficij in ejus Diœceſi obtenti? cit. T. 11. n. 80. & ſeqq. F. 385. Olim ad hoc ſufficiebat Beneficium modicum. n. 82. Secùs defactò ob noviſſimam Conſtitutionem Innocentij XII. *Speculatores Domûs Iſraël.* n. 83. Quænam vi hujus Conſtitutionis requirantur, ut quis ordinari valeat ab Epiſcopo ratione Beneficij in ejus Diœceſi obtenti? n. 84. Referuntur verba dictæ Conſtitutionis. n. 85. & 86. Ordinari quis poteſt ab Epiſcopo loci ratione Originis n. 87. & ſeqq. Dummodò ibi non fuerit natus fortuitò. n. 88. An quoad Ordines ſuſcipiendos etiam inſpiciatur origo patris? n. 89. & ſeqq. Defactò poſt Conſtitutionem Innocentij XII. ſubditus Epiſcopi ratione Originis, quis cenſeatur? n. 90. & 91. Origo Matris an attendatur quoad Ordinationem filij, præſertim illegitimi? n. 92. Quid dicendum de Expoſitis? n. 93. Ratione Domicilij quomodo quis efficiatur ſubditus Epiſcopi quoad Ordines ab ipſo recipiendos? n. 94. & ſeqq. Ad hoc non ſufficit quaſi Domicilium. n. 95. Refertur nova Conſtitutio Innocentij XII. circa hoc. n. 97. Ut Epiſcopus Familiarem ſuum ordinare valeat, quæ requirantur? n. 98. & ſeqq. Epiſcopus ordinans ſuum Familiarem, ſtatim debet ei conferre Beneficium. n. 101. Dictio *Statim*, quid

quid hîc importet? n. 102. Epiſcopus Titularis nequit ordinare ſuum Familiarem. n. 103. Quæ alia ex Conſtitutione Innocentij XII. defactò requirantur ad hoc, ut Epiſcopus Familiarem ſuum ordinare valeat? n. 104. & ſeqq. Referuntur poſteriora verba dictæ Conſtitutionis n. 105. & ſeqq.

Ordinari an, & cur non poſſint Servi invitis Dominis? T. 18. n. 15. & ſeqq. F. 432. Vide infrà ℣. *Servi.* Ordinari prohibentur Obligati ad ratiocinia ante redditas rationes; & cur? T. 19. n. 3. & ſeqq. F. 434. Vide infrà ℣. *Ratiocinia.* Ordinari quando poſſint, vel non poſſint corpore vitiati? T. 20. n. 3. & 7. & ſeqq. F. 436. Ubi vitium corporis vel impedit exercitium Ordinis, vel notabilem deformitatem cauſat, inducitur irregularitas, & prohibetur quis ordinari. n. 9. Mutilatus manu nequit ordinari. n. 10. Carens medietate palmæ, ordinari non poteſt. n. 11. Benè tamen jam Ordinatus poteſt exercere actus Ordinis, in quantùm valet; & cur? n. 12. Carens pollice, vel indice, aut ejus ungula, num poſſit ordinari? n. 13. Et quid de eo, qui caret alio digito? n. 14. Vel qui habet ſex digitos? n. 14. & 28. Claudus an valeat ordinari? n. 15. Carens oculo, vel in eo habens maculam, an ordinari poſſit? n. 16. Quid, ſi careat ſolo viſu oculi dextri? n. 17. Aut ſiniſtri, quem vocant *Oculum Canonis.* num. 18. In dubio de gravitate vitij corporalis, pertinet ad Epiſcopum id dijudicare. n. 20. Etiam reſpectu Religioſorum ab ipſo ordinandorum. n. 21. Vide ſuprà ℣. *Corpore vitiati,* & infrà ℣. *Irregulares.*

Ordinandorum idoneitas in dubio nō præſumitur, ſed eſt probanda. T. 12. n. 6. & 8. & ſeqq. F. 406. Quâ ratione Ordinandorum idoneitas poſſit probari? n. 14. & ſeqq. Cur ab Ordinando ſit probanda ſua libertas, cùm tamen omnes homines naturaliter naſcantur liberi? n. 17.

Ordinantis malè, & malè Ordinati pœnæ, partim continentur in Jure Canonico, partim in Bullis Pontificiis. T. 11. n. 168. F. 400. Pœnæ in Conſtitutione Pij II. *Cùm ex ſacrorum,* contentæ referuntur. n. 169. Hæ pœnæ ſolummodò locum habent de malè ſuſcipientibus Ordines Sacros, non autē de prima Tonſura, vel Ordinibus minoribus malè ſuſceptis. n. 170. Procedunt tamen etiam quoad Regulares. n. 171. Bulla Sixti V. contra Clericos malè promotos, *Sanctum & ſalutare,* eſt revocata per Clementem VIII. cur, & quomodo? n. 172. Pœnæ Ordinantium, vel Ordinatorum ante legitimam ætatem, quæ? n. 174. & ſeqq. Ordinatus Ordinibus majoribus ante Legitimam ætatem, defactò ipſo jure eſt ſuſpenſus. n. 179. Quid ſi ignoranter ita fuit ordinatus? n. 180. Pœnæ Ordinantis vel Ordinati extra legitima Tempora, quæ? n. 181. & ſeqq. Ordinatus extra Tempus defactò ipſo jure eſt ſuſpenſus. n. 183. Num in tali ſuſpenſione poſſit Epiſcopus diſpenſare? n. 184. Quæ ſit pœna Ordinantis alienum ſubditum, & ſic Ordinati? n. 185. & ſeqq. Quæ ſit pœna Ordinantis aliquem, & Ordinati abſque competenti Titulo ſuſtentationis? n. 191. & ſeqq. Et quæ pœna Ordinantium Religioſos non profeſſos, vel ſolùm profeſſos ad certum tempus? n. 196. An, & quas pœnas incurrat Ordinans, & Ordinatus non ſervatis temporum Interſtitiis? n. 203. Vide ſuprà ℣. *Epiſcopus ſcienter.*

Ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, recipit characterem Ordinis, ſed non ejus executionem. T. 13. n. 8. & 9. F. 410. Ignoranter ſic ordinatus, quando id reſcierit, debet abſtinere ab executione Ordinum, donec per Epiſcopum ſuum diſpenſetur. n. 10. Et cur ipſum non excuſet ignorantia. n. 11. Scienter ordinatus ab Epiſcopo excommunicato, per ſolum Papam poteſt diſpenſari. n. 12. Præmiſſa defactò procedunt de Epiſcopo excommunicato vitando, & ordinatis ab eo. n. 13.

Origenis ſcripta, quomodo citentur? T. 1. n. 221. F. 87.

Origo patris an inſpiciatur quoad ordines ſuſcipiendos? T. 11. n. 89. F. 387. Et quid de origine matris? n. 92. Poteſt quis ordinari ab Epiſcopo loci ratione Originis. n. 87. 90. & 91. Dummodò ibi non fuerit natus fortuitò. n. 88. Natus in mari, habet originem in domicilio patris. Ibid. Quæ defactò requirantur, ut quis ratione originis poſſit ordinari ab Epiſcopo illius loci? n. 91.

P.

Pactum, unde ſic dicatur? T. 35. n. 1. F. 540. Pactum. quid ſit? n. 2. Et quomodo differat à Pollicitatione? n. 3. Ad pactum requiritur reciprocus duorum in idem conſenſus. n. 4. Pactum eſt nomen genericum; nec differt à Contractu & Transactione, niſi ſicut genus à ſpecie. n. 5. Pactum continet ſub ſe omnes Contractus, & Transactiones. n. 9. Cum eo tamen coincidit Contractus largè ſumptus. n. 10.

Pacta alia ſunt publica, alia privata. T. 35. n. 11. F. 542. Alia expreſſa, alia tacita. n. 12. Reddens debitori chirographum, cenſetur tacitè debitum remittere: ſecùs, ſi reddat ei pignus, & cur? n. 13. Pacta in rem, ſeu realia; & Pacta in perſonam, ſeu perſonalia, quæ? In dubio cenſetur eſſe Pactum in rem. n. 15. Pactum obligatorium, ſeu promiſſorium; & Pactum litteratorium, quod? n. 16. Pactum nudum, quid, & unde ſic dicatur. n. 17. Pactum veſtitum, quid? n. 18. Pactum variis modis veſtitur. n. 19. & ſeqq. Videlicet. I. Specifico nomine contractûs. n. 20. II. Cohærentiâ cum Contractu nominato. n. 21. III. Per interventum rei. n. 22. IV. Litteris, ſeu proprio chirographo. n. 23. V. Veſtimento verborum, ſeu per Stipulationem. n. 24. VI. Juramento &c. n. 25. VII. Juris auxilio, ſeu Legis aſſiſtentiâ. n. 26.

Pactorum effectus, qui ſint? T. 35. n. 27. F. 543.

Forum

Eorum primarius effectus, eſt obligatio naturalis, quam etiam Gentiles agnoverunt. n. 27. Ex pacto cum Subditis inito obligatur Princeps. n. 28. Pacta quæcunque ratione naturalis obligationis habent alios notabiles effectus, etiam pro Foro externo. n. 29. & 30. Pariunt enim exceptionem. n. 30. Impediunt debiti ſoluti repetitionem &c. Ibid. Ex pacto nudo an detur actio? n. 31. Affirmatur iſtud ſpectato Jure Canonico. n. 31. 32. & ſeqq. De rigore tamen Juris Civilis non datur actio ex pacto nudo, ſed ſolùm exceptio. n. 35. & 36. Secundùm hodiernos tamen mores etiam in Foro Civili datur actio ex pacto nudo; & cur? n. 37. Pactum nudum, an defactò detur? n. 31. & 37. Actio ex pacto nudo, quomodo vocetur? n. 38.

Pacta inire, ſeu paciſci, poſſunt omnes, quibus nō reperitur id prohibitum. T. 35. n. 39. & ſeq. F. 545. Paciſci prohibentur aliqui à natura, alij à Lege; & qui? n. 40. & ſeqq. Mutus, & ſurdus, an poſſint paciſci? n. 40. Impuberes an paciſci valeant? n. 41. Et quid de Minorennibus? n. 42. 43. & ſeq. A lege quinam prohibeantur paciſci? n 46. An ſicut aliquis poteſt ſibi paciſci, ita poſſit & alteri? n. 48. & ſeqq. Regulariter non poteſt quis paciſci alteri. n. 48. & 49. Niſi ad hoc habeat mandatum. n. 50. Aut niſi quis Subjectus ſit poteſtati alterius. n. 51. Vel niſi hoc ipſum ſtipulantis interſit. n. 52. & ſeqq. Extraneus non poteſt directè paciſci tertio, benè tamen indirectè. n. 53. & 54. Etiam de Jure Canonico non poteſt quis paciſci alteri. n. 55. Niſi id fiat mediante juramento. n. 56. Donatio facta determinatæ Eccleſiæ, an poſſit à quolibet acceptari? n. 57.

Paciſci de quibus rebus liceat? T. 35. n. 58. & ſeqq. F. 547. Paciſci nemo poteſt de ijs, quæ ſunt contra bonos mores. n. 59. Aut impoſſibilia de jure, vel facto. n. 60. Et quæ non ſunt in commercio hominum. n. 61. Paciſci ſolùm poteſt de ijs rebus, quæ ſunt paciſcentium propriæ. n. 62. Nequit promitti factum alienum. Ibid. Cur poſſit legari res aliena, non autem promitti factum alienum? n. 63.

Pactum pro obtinenda re ſpirituali, an valeat? T. 35. n. 64. & ſeqq. F. 548. Eſt irritum, quando datur temporale pro ſpirituali. n. 64. Vel quando illud intervenit circa Beneficia, aut alia Jure Eccleſiaſtico prohibita, &c. n. 65. Alioquin promittere ſpirituale pro ſpirituali, non eſt illicitum. n. 66. Pactum, vi cujus Beneficium Eccleſiaſticum debet pecuniâ reſignari, non valet, imò eſt ſimoniacū. n. 67. Etiamſi quis cedat Beneficio litigioſo, & alter viciſſim quid temporale offerat. n. 68. Atque iſtud detur nomine expenſarum, quas alter fecit in conſecutione Beneficij. n. 69. Quid, ſi interveniat authoritas Superioris, v. g. Epiſcopi? n. 70. Pactum, quo quis promittit novam penſionem, vel augmentum antiquæ, ſi in Beneficio inſtituatur, eſt illicitum, atque ſimoniacum. n. 71. Sive id fiat ante collationem Beneficij, ſive in ipſa. n. 72. Quid ſi primùm interveniat poſt collatum Beneficium? n. 73. Pactum de ſuccedendo in Eccleſiaſticis Beneficijs, non valet. n. 74. Nec valet pactum in præjudicium Juris Parochialis. n. 75. Idque exemplificatur. n. 76. Pacta Superiorum Localium Religioſorum Mendicantium ſine licentia Miniſtrorum, vel Capitulorum Provincialium inita cum Prælatis Eccleſiarum, de Jure Communi valent. n. 78. Secùs ſpectatis eorundem privilegijs. n. 79.

Pactum, quod filia dote contenta patri ab inteſtato non ſuccedat, improbatur à Jure, nec valet. T. 35. n. 80. & 81. F. 550. Niſi fuerit juramento firmatum. num. 82. Quid, ſi hoc juramentum vi, aut dolo fuit extortum? n. 83. Filia ex jurata renuntiatione dotis enormiter læſa, poſt obtentam abſolutionem à juramento, poteſt petere ejus reſciſſionem. n. 83. & 84. Pacta inferiorum cæteroquin invalida, an per conſenſum Superioris convalidentur? n. 86. & ſeqq. Reſpondetur diſtinguendo inter pacta de Jure naturali invalida, & valida. n. 87. & 88. Pacta inferiorum confirmare debet ſuperior requiſitus. n. 89.

Paleæ nomine, cur inſcribantur nonnulla Capitula Decreti Gratiani? P. n. 83. & ſeqq. F. 17.

Pallium, quid? T. 8. n. 2. F. 335. Et cujus formæ? n. 2. Ejuſque myſtica ſignificatio. Ibid. Quibus conferatur? n. 4. Sumitur de Corpore B. Petri; & cur? n. 5. Datur à ſolo Papa; & quibus concurrentibus? n. 6. Olim etiam quatuor Patriarchæ principales Pallium contulerunt ſuis Suffraganeis. n. 7. Pallium eſt præcipuum Inſigne Dignitatis Archiepiſcoporū ac Superiorum Epiſcoporum. n. 4. Quamvis ex ſpeciali privilegio etiam quibuſdam Epiſcopis conferri ſoleat. Ibid. Per Pallium confertur plenitudo Pontificialis officij, & nomen Archiepiſcopale. num. 9. Ubi & quando ſit utendum Pallio? n. 10. & ſeqq. Nequit unus alteri ſuum Pallium commodare. n. 19. Pallium non tranſit perſonam, ſed cum perſona ſepelitur. n. 21. Vide ſuprà ℣. *Archiepiſcopus.*

Papa eſt Chriſti in terris Vicarius, ac Ordinarius Ordinariorum &c. T. 31. n. 6. F. 500. Duplex in Papa poteſt diſtingui poteſtas; nimirum abſoluta, ſeu ſuprema, & ordinaria. n. 7. & 8. & T. 2. n. 459. F. 168. Papa poſt Chriſtum eſt Sponſus Eccleſiæ univerſalis: alij Epiſcopi ſunt Sponſi Eccleſiarum particularium. T. 7. n. 23. F. 330.

Papa cenſetur omnia Jura in ſcrinio pectoris ſui habere. P. n. 213. F. 42. In quo ſenſu dictum iſtud procedat? n. 214. & ſeqq. Papa non uſurpat Jura Imperatoria. n. 218. Papa an poſſit facere novum Articulum Fidei? T. 1. n. 72. F. 61. Aut reddere aſſertionem modò falſam, quæ priùs erat vera? n. 73. & 74. Papa non intendit gravare eandem Eccleſiam, ſeu Collatorem, ſuper receptione duorum ad Beneficiū, niſi id expreſſerit. T. 3. n. 95. F. 198. Papa

 non

non cenſetur jus quæſitum alicui tollere, niſi id exprimat. cit. T. 3. n. 117. & 118. F. 201.
Papa poteſt ferre Leges, ſive Conſtitutiones Eccleſiaſticas pro toto Orbe Chriſtiano. T. 1. n. 53. & ſeqq. F. 97. Habet ſuam poteſtatem immediatè à Deo. n. 50. 53. & 44. Eamque exercet absque alia confirmatione, & ante ſuam conſecrationem. n. 55. Papa in ſuis Ditionibus obtinet etiam temporalem poteſtatem; & unde hanc acceperit? n. 56. Habet indirectè poteſtatem judicandi, & diſponendi de bonis temporalibus omnium Chriſtianorum. n. 57. Et in quibus caſibus tali poteſtate utatur? n. 58. Papa convocando Concilium, non per hoc cenſetur huic abſolutè dare poteſtatem novas leges condendi. T. 2. n. 63. & 64. Nec tamen iſtud fruſtrà convocat. n. 65. Supra Papam non eſt Concilium Generale. n. 66. Papa eſt ſubjectus Legi Divinæ. cit. T. 2. n. 273. F. 138. An etiam teneatur præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis, vel Communionis Paſchalis? Ibid. Omni humanæ creaturæ eſt neceſſarium ad ſalutem, ſubeſſe Papæ. n. 281. & 285.
Papa diſpenſare nequit in Jure Divino. T. 2. n. 455. F. 167. Imò tenetur iſtud usque ad animam, & ſanguinem confirmare. n. 456. Poteſt tamē id interpretari. n. 457. Ac ſecundùm plenitudinem poteſtatis in omni Jure Eccleſiaſtico diſpenſare. n. 458. Papæ poteſtas duplex, ordinaria, & abſoluta, quæ? n. 459. An poſſit diſpenſare circa Canones Apoſtolorum? n. 460. Vel contra univerſalem ſtatum Eccleſiæ? n. 461. Nefas eſt, quid ſiniſtri de Summa Sede ſuſpicari. n. 468. Papa ſcienter aſſumendo inhabilem ad Officium, vel Dignitatem, ipſo facto cenſetur cum eo diſpenſare. n. 481. Secùs, ſi ignoret defectū, nec aliud exprimat. n. 482. Quomodo verum ſit, quòd Papa non cenſeatur diſpenſare, niſi hoc ſpecialiter exprimat? Ibid. Papa cur poſſit diſpenſare, ut quis in eadē Eccleſia unà cum Canonicatu habeat duas Dignitates, Perſonatus, vel Officia, cùm tamen hoc ſit irrationabile, Eccleſiæ damnoſum &c. T. 4. n. 70. F. 238.
Papa, & cui is commiſerit, poteſt diſpenſare cum illegitimis. T. 17. n. 8. & ſeqq. F. 427. Papa ſolus diſpenſat, ut filius immediatè ſuccedat patri in Beneficio. n. 36. Papa cum corpore vitiatis regulariter diſpenſat ſolus, & quidem non facilè. T. 20. n. 36. F. 440. Nec ſolet Papa directè diſpenſare cum corpore vitiatis. n. 37.
Papa poteſt ex parte derogare Immunitati Eccleſiaſticæ. T. 4. n. 64. F. 237. Ex conceſſione Papæ poſſunt Clerici Epiſcopo inferiores conferre Sacramentum Confirmationis. T. 4. n. 82. F. 239. Imò & Sacramentum Ordinis. n. 82. An ex privilegio Papæ poſſit Abbas, vel alius Sacerdos conferre Ordines, præſertim ſacros? T. 13. n. 14. & ſeqq. F. 410. Et Sacramentum Confirmationis? n. 22. Papa non poteſt compelli ad Poſtulationem admittendam. T. 5. n. 75. F. 269. Neque poteſt compelli ad concedendam confirmationem Electi. T. 6. n. 28. F. 274. Electus in Papam, poteſt ſtatim adminiſtrare. T. 6. n. 53. F. 277. Papæ Electio debet fieri à duabus partibus Cardinalium præſentium. T. 6. n. 149. F. 293. In electione Papæ poſſunt Cardinales variare poſt publicatū ſcrutinium; & quando? T. 6. n. 301. F. 316.
Papa an poſſit Epiſcopum invitum ab una ad aliam Eccleſiam transferre? T. 7. n. 19. & ſeqq. F. 328. Vide ſuprà ℣. *Epiſcopus invitus.* Papa in Miſſarum Solemnijs utitur Pallio ſemper, & ubique; non ſic inferiores Prælati, & cur? T. 8. n. 10. & 11. F. 336. Papa poteſt renuntiare Papatui absque conſenſu Cardinalium. T. 9. n. 16. F. 340. & n. 44. F. 345.
Papæ Delegatus, vel Subdelegatus, debet eſſe in Dignitate Eccleſiaſtica, &c. T. 29. n. 70. & ſeqq. F. 476. Vide ſuprà ℣. *Delegatus.* Papa non poteſt delegare Diacono poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti, benè tamen ſimplici Sacerdoti poteſtatem conferendi certos ordines, confirmandi, reconciliandi Eccleſias &c. T. 29. n. 86. F. 479. Poteſt etiam cauſas Eccleſiaſticas, imò & criminales Clericorum, delegare Laico, v. g. cuipiam Regi. n. 92. Non tamen tollere Clericorum exemptionem in totum. n. 93.
Parochia quando nimis ampla eſt, poteſt in Eccleſia Filiali poni perpetuus Vicarius, una cum congrua proventuum aſſignatione. T. 28. n. 29. F. 457. Idem dicendum, quando Eccleſia Parochialis eſt unita Cathedrali, Collegiatæ, ac alteri Eccleſiæ, ſeu Monaſterio &c. n. 27. Demptis nonnullis caſibus, in quibus ſolummodò poteſt conſtitui Vicarius temporalis. n. 27. & 28.
Parochi, ſeu ad regimen Eccleſiæ Parochialis promovendi, debent eſſe ætatis viginti quinque annorum, ad minùs inchoatorum. T. 7. n. 212. F. 303. Adeò, ut diſpenſatus ad Presbyteratum anteà recipiendum, non idcircò cenſeatur diſpenſatus ad Beneficium Parochiale obtinendum, niſi hoc exprimatur. n. 213. Ad Parochialem Eccleſiam promotus, vel debet jam eſſe ſacerdos, vel intra annum promoveri ad Sacerdotium. T. 6. n. 210. F. 304. Parochiali Eccleſiæ præficiendus debet eſſe, aut intra annum fieri ſacerdos. T. 14. n. 16. F. 415. Quòd ſi promotus ad Eccleſiam Parochialem infra annum non ordinetur Sacerdos, vacat defactò Eccleſia ipſo jure. n. 29. Atque hoc ipſum procedit in Vicarijs perpetuis Eccleſiarum Parochialium. n. 30. Quid dicenum de non promotis intra annum, qui habent Eccleſiam Curatam non Parochialem? n. 31. Ac de Aſſumptis ad regimen Eccleſiarum Parochialium Collegiatarum? n. 32. Et de juſtè impeditis, quò minùs intrà annum promoveantur ad Sacerdotium? n. 33. Annus hujusmodi quomodo ſit computandus? Ibid. Qui ob neglectam receptionem Sacerdotij poſt lapſum anni ipſo jure privatus exiſtit Eccleſiā Parochiali, hæc pro ea

vice denuò ipſi conferri non poteſt. n. 34. & 35. Benè tamen pro alia vice. n. 36. Recipiens Eccleſiam Parochialem abſque animo ſuſcipiendi Sacerdotium intra annum, tenetur ad reſtitutionem fructuum. n. 37. Secùs, ſi talem animum habuit; & ſi poſteà non ordinetur. n. 38. Parochus num ad modicum tempus poſſit conſtituere Vicarium temporalem ſine licentia Epiſcopi? T. 28. n. 52. F. 459.

Parochi an veniant nomine Prælatorum, ſeu Ordinariorum? T. 31. n. 21. & ſeq. F. 502. Spectato Jure Canonico non habent jurisdictionẽ in Foro externo, ſed pœnitentiali tantùm. n. 29. Solvitur inſtantia. n. 30. Parochus non niſi largè dicitur Prælatus. n. 31.

Patriarcha, quis, & an ſit idem ac Primas? T. 31. n. 11. F. 500. Venit nomine Ordinariorum. n. 9.

Patriarchales Sedes, quæ? P. n. 109. F. 22. Olim etiam quatuor Patriarchæ principales Pallium contulerunt ſuis Suffraganeis. T. 8. n. 7. F. 336.

Pax, quid? T. 34. n. 4. F. 538. Et quæ ejus commoda? n. 5. Judicum Eccleſiaſticorum eſt, diſcordantes ad pacem reducere. n. 2. Tutior eſt pax incertâ victoriâ; & ſatis lucratur, qui ſe à litibus eximit. n. 3. In litibus ſeu controverſijs cauſarum, quæ mala oriantur juxta S. Ivonem. Ibid. Si pax per hoſtem publico facto violatur, illicò altera pars poteſt arma reaſſumere. n. 17. Secùs, ſi ea violetur facto duntaxat privato. n. 18. & 19.

Penſione annuâ in ſignum ſubjectionis ſibi reſervatâ, poteſt Superior Eccleſiam ſibi ſubjectam gratis eximere. T. 36. n. 44. F. 564.

Permutatio Beneficiorum, ſi fiat privatâ permutantium authoritate, eſt illicita, & ſimoniaca. T. 9. n. 82. 83. & 84. & ſeqq. F. 350. Et ſic permutantes perdunt ſua Beneficia. n. 85. Quatenùs eisdem ſunt privandi per ſententiam. n. 86. Si fiat authoritate Superioris, tunc ipſa eſt licita. n. 87. Solvuntur rationes in oppoſitum. n. 88. & 89. Renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis, qualiter ſit inſtituenda? n. 90. & ſeqq. Clerici permutare volentes debent ſua Beneficia reſignare in manus Ordinarij loci. n. 91. Et quid, ſi Beneficia ſint diverſarum Diœceſium? n. 92. Quorum conſenſus ad permutationem illam accedere debeat? n. 93. Ad ipſam etiam requiritur juſta cauſa. n. 94. & 96. Licèt ſufficiat ſola expedientia, ſeu utilitas permutantium. n. 95. Requiritur inſuper nova Beneficiorum permutatorum collatio. n. 97. Per Ordinarium, vel ejus Superiorem facienda. n. 98. Etiamſi cæteroquin collatio ſpectet ad inferiorem. n. 99. Permutatio Beneficij debet fieri cum Beneficio, non cum Penſione. n. 100. Alia ejus requiſita breviter referuntur. n. 101. Ante permutationem poſſunt Clerici priùs de ea inter ſe tractare. n. 102. Solvitur inſtantia. n. 103.

Permutatio eſt Contractus innominatus; & cur? T. 35. n. 109. F. 554. Solvitur notabilis inſtantia. n. 110.

Perſonæ conjunctæ, quæ? T. 3. n. 58. F. 191. & T. 37. n. 14. F. 569. & T. 38. n. 80. F. 584.

Petitio ſimplex ad Beneficium, quid? T. 6. n. 5. F. 272.

Pignus reddens debitori ſuo, non cenſetur tacitè debitum remittere: Secùs, ſi reddat ei Chirographum; & cur? T. 35. n. 13. F. 542.

Plebanus, quis? T. 31. n. 28. F. 502.

Plebis, & Populi vocabula, in quo differant? P. n. 175. F. 33.

Plebiſcitum, quid, & quomodo differat à Lege? P. n. 175. F. 33.

Pœna ſanguinis nunquam imponitur per Sacros Canones. P. n. 199. F. 40. Pœna latæ ſententiæ, & ferendæ ſententiæ, quæ? T. 2. n. 207. F. 125. Unde colligi poſſit, pœnam eſſe latæ, vel ferendæ ſententiæ? n. 207. & 208. & ſeqq. In dubio pœna cenſetur eſſe ferendæ ſententiæ. n. 208. Idem dicendum quando lex ſolùm comminatur pœnam. n. 209. Vel per verba futuri temporis loquitur imponendo pœnam. n. 210. Aut utitur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediatè ipſam pœnam. num. 211. Quid, ſi verba Legis imperativi modi immediatè pœnam afficiant? n. 212. & ſeqq. Hæc verba *Sit excommunicatus, Sit anathema*, an denotent pœnam latæ ſententiæ? n. 215. & 216. Pœna latæ ſententiæ denotatur per ly. *Excommunicamus*. n. 217. Et per ly, *ipſo facto, ipſo jure* n. 218. Aut quando Legiſlator ſibi, vel legi ſuæ, vim ipſius attribuit, ut *Authoritate noſtra*. n. 219. & 220. Pœna ipſo jure impoſita, quomodo non raro in Sacris Canonibus dicatur imponi per Judicem? n. 220. Leges pœnam ferendæ ſententiæ continentes, quâ ratione obligent? T. 2. n. 221. & ſeqq. F. 121. Et quomodo obligent continentes pœnam latæ ſententiæ? n. 226. & ſeqq. Pœna ipſo jure impoſita, ſi aliam executionem externam non requirat, commiſſo crimine ſtatim habet locum in conſcientia. num. 226. Ibid. Secùs eſt in pœnis externam executionem requirentibus; nam in his ulteriùs opus eſt ſententiâ declaratoriâ Judicis. n. 227. & 228. Dumodò pœna non ſit impoſita ſub clauſula, *Aliâ etiam declaratione non ſecutâ*, n. 229. Notabilis differentia inter pœnas latæ, & ferendæ ſententiæ. n. 230. Et inter ſententiam condemnatoriam, & declaratoriam Judicis. n. 231. & ſeqq. Quid operetur jus bonâ conſcientiâ retinendi pœnam usque ad ſententiam Judicis? n. 232. & 233.

Pœnitentiæ Sacramentum eſt ſecunda poſt naufragium Tabula. T. 2. n. 147. F. 75. Cur ſit iterabile, non autem Baptiſmus? n. 148.

Pollicitatio, quid, & quomodo differat à Pacto? T. 35. n. 3. F. 541.

Polygamia, quid? T. 21. n. 1. F. 441. Polygamia nunc prohibita. n. 2.

Populi & Plebis vocabula, in quo differant? P. n. 175. F. 33. Populus Romanus. Vide infrà ℣. *Romanus*. Populus peccat non acceptando legem juſtam, & ritè publicatam, poteſtque puniri,

niri. T. 2. n. 147. & ſeqq. F. 116. Quid agendum, ſi Populus juſtam habeat cauſam non acceptandi legem? n. 143. Vide ſuprà ℣. *Acceptatio.* Populi nomine in materia odioſa non comprehenditur Clerus. T. 2. n. 318. F. 147.

Poſſeſſio immemorialis, eſt titulus melior de toto mundo. T. 4. n. 189. F. 257.

Poſtulare latè, & ſtrictè, quid? T. 37. n. 2. & 3. F. 567. Poſtulantes alio nomine dicuntur *Advocati* &c. n. 4. Conſulens in loco privato, non poteſt dici poſtulare. n. 5. Poſtulandi munus eſt publicum, atque honorificum. num. 6. & 7. Poſtulare, ſeu Advocatum agere in Judicio, poſſunt omnes, quibus id non reperitur interdictum. n. 8. Succeſſu temporis iſtud eſt reſtrictum ad peritiam Juris habentes. n. 9. Et quid hodie ſervetur ex Receſſibus Romani Imperij? n. 10. Aliqui de Jure communi prohibentur in totum poſtulare. n. 11. & 12. Aliqui pro alijs non poſſunt poſtulare, benè tamen pro ſeipſis. n. 13. & 11. Aliqui & pro ſe, & pro conjunctis perſonis poſtulare poſſunt, non verò pro alijs. n. 14. Poſtulare, ſeu agere Advocatum ad lites, an poſſint Clerici? n. 15. uſque ad n. 23. Vel Monachi, aliique Religioſi? n. 24. & ſeqq. Poſtulantium, ſeu Advocatorum obligatio, quotuplex? n. 27. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Advocatus.*

Poſtulatio, quid, & quotuplex? T. 5. n. 2. & ſeqq. F. 259. Poſtulatio ſolemnis, & non ſolemnis, quæ? n. 5. & 6. Differunt multipliciter. n. 7. Poſtulatio non ſolemnis fit dupliciter. n. 8. Et non nam eſt Poſtulatio, quàm Electio. n. 9. Poſtulatio ſolemnis in quibus differat ab Electione? n. 10. & ſeqq. Poſtulatio innititur gratiæ, Electio juri. n. 13. & ſeqq. Poſtulatio dicitur *admitti*, Electio *confirmari*; & cur? n. 16. Electio poſt publicatum Scrutinium nequit revocari, benè tamen Poſtulatio. n. 17. Etiamſi hæc jam fuiſſet poſtulato præſentata. n. 18. Limitatur hoc ultimum. n. 19. & ſeqq. Ad Poſtulationem, ſi concurrat cum Electione, requiritur poſtulantium numerus duplo major. n. 22. Secùs, ſi non concurrat cum Electione. n. 23. Poſtulatio, & Electio, quoad jus ſuffragandi æquiparantur. n. 27. & ſeqq. Ad Poſtulationem ſolemnem an neceſſariò requiratur forma ſcrutinij? cit. T. 5. n. 59. & ſeqq. F. 268. Quænam formæ poſtulandi à Jure Canonico ſint ſpecialiter reprobatæ? n. 63. Quot vota ſufficiant ad valorem Electionis, quando hæc concurrit cum Poſtulatione? T. 6. n. 153. & ſeqq.

Poſtulatio, quo tempore ſit præſentanda Poſtulato? T. 5. n. 66. F. 268. Hujúſque conſenſus præſtandus? n. 67. & 68. & ſeqq. Poſtulantionē an Superior teneatur admittere, vel hanc poſſit repellere abſque illius injuria? n. 70. & ſeqq. Et quid, ſi ejus admiſſionem exigat publica cauſa? n. 72. Habet tunc locum imploratio officij judicis. n. 73.

Poſtulatus, an, & quâ ratione poſſit conſentire? T. 5. n. 15. F. 261. & n. 67. & ſeqq. F. 268. Poſtulantes an poſſint revocare poſtulationem? n. 19. & ſeqq. Poſtulatus non tenetur procurare admiſſionem ſuæ poſtulationis. n. 26. Poſtulare quinam poſſint? cit. T. 5. n. 27. F. 263. Compromiſſarius datus ad eligendum, poteſt poſtulare. n. 28. Procurator tamen datus ad proſequendam electionem, nequit proſequi poſtulationem; & quæ diſparitas? Ibid. Qui præſcripſit jus eligendi, etiam jus poſtulandi præſcripſit? n. 29 & 30. Qui generatim ſint poſtulandi. n. 31. & ſeqq. Poſtulantes illum, qui poteſt eligi, nihil agunt. n. 32. In poſtulando ſemper defectus intervenit, & qualis? n. 33. & ſeqq. Defectus, ſeu inhabilitas ex parte poſtulandi, alia indiſpenſabilis, alia diſpenſabilis? & quæ? n. 34. & 35. Epiſcopi an debeant ad alium Epiſcopatum poſtulari, vel eligi? cit. T. 5. n. 37. & ſeqq. F. 264. Et quid de Epiſcopis Titularibus? n. 40. & ſeqq. Hi ad alium Epiſcopatum ſunt poſtulandi, non eligendi. n. 41. & ſeqq. Cardinales S. R. E. an poſſint eligi in Epiſcopum, vel debeant poſtulari? n. 44. & ſeqq. Utrùm Abbates, aliique Clerici Epiſcopis inferiores, ad aliam Eccleſiam poſſint eligi, vel potiùs ſint poſtulandi? n. 52. Quæ ſint pœnæ poſtulantiū indignum? n. 55. Vel minorem viginti ſeptem annis ad Epiſcopatum? n. 58. In poſtulatione ad Superiorem directa oportet omnes defectus exprimere. n. 36. Poſtulatus, an, & quomodo poſſit præſtare conſenſum poſtulationi de ſe factæ? cit. T. 5. n. 67. & ſeqq. F. 268. Poſtulatus ſi intra menſem non explicet mentem ſuam, an incurrat pœnam aliquam? n. 69.

Poteſtas Pontificalis, & Imperatoria ſunt diſtinctæ, ſe tamē mutuo adjuvare debent. P. n. 185. F. 35. Poteſtas Legislativa humana, quotuplex? T. 2. n. 47. F. 97. Eſt duplex, alia Eccleſiaſtica, alia Civilis. n. 49. Hæ differunt ratione originis. n. 50. Ac ratione objecti, & finis. n. 51. Propriiſque officijs, ac dignitatibus. n. 52. & ſeqq. Poteſtas ſpiritualis, ſive Pontificalis, eſt diverſa à temporali ſeu Imperiali, ſe tamen mutuo adjuvare debent. n. 59. Poteſtas Legislativa Civilis, unde proveniat? n. 50. & 59. Poteſtatem condendi ſtatuta pro ſuis ſubditis, quam habeant Epiſcopi, & Archiepiſcopi? cit. T. 2 n. 69. & ſeqq. F. 101. Aut Capitulum Cathedrale? n. 48. & ſeqq. vel Collegium Cardinaliū Sede Papali vacante? n. 91. Aut Eccleſiæ Collegiatæ, aliæq; ? n. 91. & ſeqq. Poteſtas tam Papalis, quàm Epiſcopalis eſt à Deo; & quomodo? T. 2. n. 71. & 80. F. 103. Poteſtas condendi leges datur in Imperatore. cit. T. 2. n. 102. & 103. F. 107. Et in Regibus, ac quibusdam alijs. n. 104. Poteſtas publica, dicitur jurisdictio. T. 29. n. 3. & 4. F. 468. Poteſtatis publicæ actus, qui? n. 5. Poteſtas duplex poteſt diſtingui in Papa, nimirùm abſoluta ſeu ſuprema, & ordinaria. T. 31. n. 7. F. 500. & T. 2. n. 459. F. 168. Poteſtas Epiſcopi generatim eſt duplex, nempe Ordinis, & jurisdictionis. n. 65. & 66. Vide ſuprà ℣. *Epiſcopi poteſtas.*

Præ-

Præcepta Juris ſunt tria, quæ? T.2. n.26. F.93. Cur hæc dicantur præcepta Juris. n. 27. A præcepto ſimplici differt Lex in pluribus. n. 43 & ſeqq. Præceptum afficit perſonas, & cũ eis extinguitur. n.43. & 44. Præceptum ſimplex expirat poſt mortem præcipientis. n. 45.

Prædicare non poſſunt Regulares ſine licentia, vel benedictione Epiſcopi. T.31. n.146. & 147. F.519. Si Prædicator errores, ſcandala, vel hæreſes diſſeminaverit in populum, quomodo contra eum Epiſcopus procedat? n. 141.

Præficiendi, ſeu promovendi ad Eccleſias, Prælaturas, aliáq; Beneficia & Miniſteria Eccleſiaſtica, quibus qualitatibus pollere debeant? T. 14. n. 1. & ſeqq. F.413. Ex parte præficiendorum præſertim ad Beneficia curata, requiritur debita ſcientia, morum honeſtas, & legitima ætas. n. 3. & ſeqq. Si Papa reſcribit pro non habente dictas qualitates, an, & quando talis ſit inſtituendus in Beneficio? n. 4. Quando Eccleſia diſpenſativè conceditur minorenni, debet ipſa interim non per Laicos, ſed Clericos regi. n. 5. In præficiendis requiritur ulteriùs intentio ſtatûs Eccleſiaſtici; & quomodo? n. 7. Item carentia alterius Beneficij incompatibilis. n. 8. Ac Cœlibatus. n. 9. Qualis Ordo requiratur in præficiendis? n. 10. & ſeqq. Ut quis ritè præficiatur Epiſcopatui, debet is ſaltem eſſe Subdiaconus &c. n. 10. Ac ſucceſſivè receptis alijs Ordinibus, intra trimeſtre poſt obtentam confirmationem conſecrari. n.11. Præficiendi Abbatijs, Decanatibus, aliiſq; Dignitatibus curam animarũ annexam habentibus, debent eſſe, vel intra annum fieri Presbyteri. n.12. & ſeqq. Præficiendus Archidiaconatui, & Eccleſiæ Parochiali &c. debet eſſe, aut fieri Diaconus, ſeu Presbyter intra annum. n. 16. Ut quis in Cathedrali, vel Collegiata Sæculari, vel Regulari Eccleſiâ, vocem in Capitulo habeat, requiritur, ut ſit Subdiaconus. n. 17. & 18. Canonicatus, & portiones Eccleſiarum Cathedraliũ, habent annexũ Ordinem ſacrũ. n.19. Secùs dicendũ de Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum. n.20. Præficiendi vel jam habeant Ordinẽ requiſitum, vel ſint in ea ætate, ut infrà tempus à Jure ſtatutum ordinari valeant. n. 21. Neque hodie circa talem ætatem poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut antiquitus. n.22. Contra præficiendos, ſeu Clericos Beneficiarios, quæ pœnæ ſint ſtatutæ, ſi nõ recipiant Ordines à Jure ſtatutos? n.23. & ſeqq.

Prælati delictum non debet in Monaſterij detrimentum redundare. T.1. n.227. F.87. Prælatorum negligentia, quid, & qualiter ſupplenda? T.10. n.2. & ſeqq. F.362. Vide ſuprà ℣. *Negligentia*. Prælati Eccleſiarum tenentur ad corrigendos Subditorum exceſſus diligenter intendere. T. 10. n. 40. F. 368. Quid juris, ſi inferiores Prælati negligant juſtitiam adminiſtrare? n.41. Omiſſa per negligentiam Prælatorum ordinariè ſupplentur per Superiores. n.42. & 43. Prælati inferiores nõ poſſunt dare Litteras Dimiſſorias ſubditis ſæcularibus. T. 11. n. 128. F.392. Et revocata ſunt quoad hoc omnia privilegia, &c. n. 129. Quid de Prælatis non exiſtentibus intra fines alicujus Diœceſis? n. 130. & 131. Prælati Regulares poſſunt concedere ſuis ſubditis Regularibus Litteras Dimiſſorias ad Ordines. n. 132. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Dimiſſoriæ litteræ*. Prælati Regulares an habeant poteſtatem diſpenſandi in Interſtitijs reſpectu ſuorum Religioſorum? n. 157. 158. & 159.

Præparatoria ad futuram adminiſtrationẽ, non prohibetur facere Electus ante ſuam confirmationem. T. 6. n. 39. F. 276. Inter præparatoria ad electionem inſtituendam, quænam connumerentur? n.55. & ſeqq. Inter hæc exiſtit vacatura Eccleſiæ &c. n. 55. & 56. Item honorifica ſepultura mortui Prælati. n. 57. Aſſignatio loci, & diei certæ ad electionem celebrandam. n.58. Vocalium canonica vocatio, preces, ſupplicationésque Sede Epiſcopali vacante indicendæ, celebratio Miſſæ Solemnis in ipſo die electionis. n. 59. Et an hæc ſit de eſſentia electionis? Ibid. Item determinatio formæ electionis. n. 60.

Præſcriptio, quomodo differat à Conſuetudine? T. 4. n.23. & ſeqq. F.230. Præſcriptio eſt odioſa. n. 26. Præſcriptio fit cum damno unius, & lucro alterius; conſuetudo cum æquali damno, vel lucro omnium. n. 24.

Præſentatio, quid? T. 6. n. 18. F. 272. Poteſt fieri per litteras. n. 19. Multiplex differentia inter Præſentationem, & Electionem. n. 20. & 21.

Præſumitur quis bonus, & idoneus, donec contrarium probetur. T. 12. n.7. & 8. F. 407. Fallit hæc regula, ubi agitur de præjudicio tertij. n. 9. Et procedit potiſſimùm quoad qualitates intrinſecas, non quoad extrinſecas. n. 10. Regula illa ampliùs declaratur. n. 11.

Præſumptio, ac Lex in præſumptione fundata, quid? T. 2. n. 162. F. 118. An, & quomodo Lex in præſumptione fundata ſit obligatoria? n.162. & 163. ac ſeqq. Præſumptio cedit veritati; & quomodo? n. 164. & 170. Vide ſuprà ℣. *Lex in præſumptione fundata*. Præſumptio juris differt in pluribus à Fictione juris; & in quibus? cit. T. 2. n. 181. & 182. ac ſeqq. F. 121.

Prætorum origo, & authoritas. P. n. 178. F. 33. Prætorum Edicta, quæ? Ibid.

Presbyter olim idem erat, ac Epiſcopus. T. 13. n. 20. F. 411. Et T. 24. n. 1. F. 450. Presbyteri illi, qui loco principalis Rectoris deſerviunt Eccleſiæ, propriè dicuntur Vicarij, non Parochi. T. 28. n. 10. F. 454.

Presbyteræ, quæ? T. 11. n. 58. F. 381.

Primates, qui? T. 31. n. 10. F. 500. Veniunt nomine Ordinariorum. n. 9.

Primicerius generatim, quis? T. 25. n. 1. F. 452. Primicerius in propoſito, quis, & quod ejus officium? num. 2. Primiceriatus alicubi eſt Dignitas, alibi Perſonatus, vel Officium. n. 3.

Principum Placita, quæ, & an rectè dicantur leges? P. n. 177. F. 33. Principes Sac. Rom. Imperij poſſunt condere leges municipales contra Jus Civile, non verò Epiſcopi contra Jus Canonicum. T. 2. num. 81. F. 103. Et quæ ratio diſparitatis? num. 82. & 83. Principum Sæcularium præſertim Gentilium leges, an, & unde obligent in conſcientia? T. 2. n. 152. & 155. ac ſeqq. F. 117. Principum, ſeu Regum Chriſtianorum negligentia circa adminiſtrationem Regni ſui, quâ ratione ſit ſupplenda? T. 10. n. 50. & ſeqq. F. 370.

Principis nomine, quis intelligatur? T. 29. n. 51. F. 475. Principes ſupremi poſſunt delegare cauſas meri, & mixti Imperij n. 78. Et quid dicendum de Judicibus inferioribus? n. 79. & ſeqq. Princeps obligatur ex pacto cum ſubditis inito. T. 35. n. 28. F. 543.

Prior Conventualis poteſt eſſe Delegatus, vel Subdelegatus Papæ. T. 29. n. 70. F. 476. Secùs dicendum de Priore Clauſtrali. n. 71.

Prioritas. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*, quando procedat? T. 3. n. 104. F. 199.

Privilegia per Laicos Eccleſiæ conceſſa valent, haud obſtante, quòd non valeant Leges Civiles de Eccleſijs nominatim diſponentes, etiam in earundem commodum; & cur? T. 2. n. 294. & 292. & ſeqq. Fol. 142. Privilegium, quid? T. 5. n. 17. F. 186. Et quomodo differat à Reſcripto propriè dicto? n. 16. Et Beneficio? num. 19. Privilegia propriè, non ſunt diſpenſationes conceſſæ circa unum duntaxat actum. T. 3. num. 30. F. 187. Privilegium eſt lex privata. cit. T. 3. num. 114. F. 200. Privilegium priùs conceſſum non tollitur per aliud privilegium ſive Reſcriptum, niſi de ipſo faciat mentionem. num. 112. & ſeqq. Fallit hoc inter alia, quando primum privilegium fuit generale, & ſecundum ſpeciale. n. 115. & ſeqq. In privilegijs qualis interpretatio locum habeat? cit. T. 3. n. 30. & ſeqq. F. 203. Objectio probans, nullum privilegium eſſe late interpretandum, ſolvitur. num. 34. & ſeqq. Regula illa, *Privilegium conceſſum contra jus eſt ſtrictè interpretandum*, patitur plures limitationes; & quales? n. 135. & ſeqq. Privilegium ita debet interpretari, ut aliquid conferat, & non reddatur inutile. num. 135. In Privilegijs favore Cultûs Divini conceſſis fit lata interpretatio, etiam in præjudicium tertij. num. 138. Conceſſa in favorem publicum latè ſunt interpretanda. num. 137. Sicut & Privilegia motu proprio Principis conceſſa. n. 140. Privilegia, & Litteræ Beneficiales, in materia ſubreptionis parificantur. T. 3. num. 160. F. 208. *Acquiſibilia privilegiò, ſunt acquiſibilia conſuetudine, vel præſcriptione*, quomodo intelligendum? Tit. 4. num. 65. F. 237. *Privilegio eodem gaudent bona Clericorum, & Eccleſiarum*, quomodo intelligendum? T. 41. n. 34. F. 614.

Privilegiatus contra pariter privilegiatum non utitur privilegio: declaratur. T. 41. n. 44. & 45. ac ſeqq. Fol. 615. Inter duos privilegiatos reſpectu ejusdem cauſæ præfertur, qui habet potentius privilegium. n. 47. Et quid, ſi privilegia exiſtant paris potentiæ? n. 48.

Probationes Juris, & probationes Facti, quæ? T. 32. n. 57. F. 530. Quid agendum Judici, quando ex utraque parte apparent probationes æquè probabiles? n. 60. & ſeqq.

Proceſſiones publicas accedere tenentur Regulares vocati; niſi diſtent per dimidium milliare &c. T. 31. n. 128. & 129. F. 516. Controverſias de præcedentia in Proceſſionibus inter Regulares componit Epiſcopus. n. 130. Proceſſiones facere ſine licentia Ordinarij, an poſſint Regulares? n. 140.

Procurationes tempore viſitationis præſtari ſolitæ, an pertineant ad Legem Diœceſanam? T. 31. n. 105. F. 512. Ad has etiam tenentur Monaſteria viſitata. Ibid.

Procurator datus ad proſequendam electionem, non poteſt proſequi poſtulationem. T. 5. n. 28. F. 263. Procurator in electionis negotio an poſſit conſtitui? T. 6. n. 181. F. 298. Et quæ conditiones ad id requirantur? n. 182. & ſeqq. An ſit neceſſe, ut in Procuratorem eligatur unus de Capitulo? num. 185. & 189. Procurator in electionis negotio an unus duntaxat conſtitui poſſit? num. 184. & ſeqq. Quando plures ad eligendum Procuratores fuerunt conſtituti, unius votum tunc valet. num. 187. & 188. Procurator de Collegio conſtitutus, an alium ſuo nomine & alium nomine mittentis eligere poſſit? n. 190. Procuratoris officium eſt vile, privatum & oneroſum T. 37. n. 7. F. 568. An per Procuratorem poſſit fieri profeſſio Fidei? Tit. 1. n. 18. & ſeqq. F. 80.

Procurator dicitur ex parte Actoris, Defenſor ex parte Rei. T. 38. n. 1. F. 574. Procurator, quid? n. 2. & 3. Procuratoris nomen eſt generale. n. 4. In proprijs rebus nemo dicitur Procurator. n. 5. Procurator quomodo differat à negotiorum Geſtore, Tutore, Curatore? n. 6. Et ab Advocato? n. 7. & ſeq. Procuratoris officium eſt privatum, & vile; & quid in Camera Imperiali? n. 8. Nemo invitus cogitur eſſe Procurator, benè tamen Advocatus. n. 9. Ille tenetur actione Mandati; non ſic Advocatus. n. 10. Procurator ad lites fit dominus litis poſt ejus conteſtationem, nō ſic Advocatus. n. 11. Defactò plerumq; Advocati partiū, ſimul conſtituuntur harum Procuratores. n. 12. Procuratorum diviſio, & diſtinctio, quæ? n. 13. & ſeqq. Procuratores ad lites, ſeu judiciales; & Procuratores ad negotia, ſeu extrajudiciales, qui? n. 13. Et quomodo differant? n. 14. & 15. Procurator generalis, & ſpecialis, quis? n. 16. Procurator ſimpliciter ad lites conſtitutus, cenſetur generalis. Ibid. Procurator generalis adjectâ clauſulâ, *Cum libera*, & generalis ſimpliciter, quis? n. 17. Et quæ poteſtas

teſtas utriusque. n. 18. & 19. Procurator *Cum libera*, an poſſit donare? n. 18. Procurator in rem alienam, & Procurator in rem ſuam, quis? n. 20. Iſte ſolùm impropriè dicitur Procurator. n. 20. Procurator verus, & falſus, quis? n. 22. Procuratores ſimpliciter conſtituti, & Procuratores in ſolidum conſtituti, qui? n. 23. & 24. Procurator an, & quomodo differat à Syndico? T. 39. n. 3. & 4. F. 595.

Procuratorem conſtituere quilibet poteſt, qui nō reperitur prohibitus. T. 38. n. 25 F. 577. Idque exemplificatur. n. 26. Procuratorem conſtituere nequit Pupillus, vel Minor ſine Tutoris, vel Curatoris authoritate. n. 27. & 28. Filiusfamilias captus ab hoſtibus &c. an conſtituat Procuratorem? n. 29. Excommunicati an poſſint conſtituere Procuratorem? n. 30. & ſeq. Procurator judicialis, an, & quando poſſit conſtituere, ſeu ſubſtituere alium Procuratorem? n. 33. & ſeqq. Procurator quando fiat dominus litis? cit. T. 38. n. 36. & n. 109. F. 578. & 587. Præſertim in cauſis, ubi Sum̄ariè, ac de plano proceditur? n. 37. Procurator extrajudicialis poteſt alium liberè deputare. n. 38. Demptis certis caſibus. n. 39. 40. & 41.

Procurator quis poſſit, vel non poſſit conſtitui? T. 38. n. 42. & ſeqq. F. 578. Plures ſunt perſonæ, quæ per Canones, vel Leges prohibentur conſtitui Procuratores. n. 47. & ſeqq. Ut Religioſi ſine Licentia Prælati. n. 48. Et infames, ſaltem ſecundùm Canones. n. 49. & 50. Impuberes, ac Minores ſeptendecim annis. n. 51. Fæminæ, exceptis certis caſibus. n. 52. Milites. n. 53. Abſentes Reipublicæ causâ, & inviti &c. n. 54. Potentiores, alienarum litium Redemptores, Perſonæ illuſtres &c. num. 55. Procurator debet conſtitui certus; aliàs non valet talis conſtitutio. n. 56. Idq; variè probatur. n. 57. Valet tamen poteſtas data Procuratori de ſubſtituendo alio, nullâ certâ perſonâ expreſsâ. n. 58.

Procurator in quibus cauſis poſſit, vel non poſſit intervenire? T. 38. n. 51. & ſeqq. F. 581. Poteſt is intervenire in omnibus cauſis, ubi hoc non reperitur prohibitum. n. 59. Specialiter in cauſis civilibus, tum temporalibus, tum ſpiritualibus. n. 60. & 61. Non tamen in cauſis criminalibus criminaliter motis. n. 62. & ſeq. Saltem quando venit imponenda pœna capitalis, vel alia pœna major relegatione. n. 63. Quod limitatur. n. 64. Ubi ſolùm eſt imponenda relegatio, vel alia pœna minor, tunc etiā in criminalibus admittitur Procurator. n. 62. & 65. Procurator an admittatur, quando vir accuſat uxorem de crimine adulterij? n. 64. In contrahendo matrimonio, an de facto, & quâ ratione, poſſit intervenire Procurator? n. 67. & ſeq. Procurator ad contrahendum matrimonium datus, non poteſt alium ſubſtituere. n. 70. Nec validè contrahit poſt Mandatum revocatum, licèt ignoret revocationem. n. 71.

Procuratori incumbit probare, ſe eſſe talem; alioquin poteſt puniri. T. 38. n. 76. F. 583. Quid, ſi Dominus ſcivit, Procuratorem ſuo nomine agere, & non contradixit? n. 77. Vel ſi Dominus cuipiam tradidit inſtrumenta, ſeu Jura ſua? n. 78. In Procuratore an requiratur ſpeciale mandatum? n. 79. & ſeqq. Quid, ſi dubitetur de mandato Procuratoris ad agendum, vel ejus validitate? n. 84. Aut certum ſit, quòd quis non habeat mandatum? n. 85. Mandatum Generale Procuratori datum, quam poteſtatem ei tribuat? n. 86. & ſeqq. Procurator ſimpliciter conſtitutus ad agendum, intelligitur etiam datus ad defendendum, ſeu reſpondendum. n. 88. & 89. Solvitur inſtantia. n. 90. Vide ſuprà ℣. *Mandatum procuratorium.*

Procurator Generaliter conſtitutus ad omnia, etiamſi mandatum exigant ſpeciale, quid poſſit? T. 38. n. 91. & ſeqq F. 585. Si aliqua eorum ſunt expreſſa, poteſt Procurator exequi etiam cætera. n. 92. Dum̄odò non ſint graviora expreſſis; idque exemplificatur. n. 93 & 94. Referuntur plures caſus, in quibus Procurator procedere nequit abſque ſpeciali mandato. n. 93. & 95. ac ſeqq. Sic requiritur ſpeciale mandatum in matrimonio contrahendo, licèt non in alijs cauſis matrimonialibus. n. 96. Requiritur etiam ſpeciale mandatum, ut Procurator poſſit opponere crimen, ſeu defectum contra perſonam Electi, ſeu Proviſi de Beneficio. n. 93. & 97. Item ad appellandum contra electionē, poſtulationem, ſeu proviſionem alicujus. n. 97. Item ad præſtandum juramentum calumniæ, & de veritate dicenda. n. 98. Item in deferendo juramento ad deciſionem litis. n. 99. In tranſigendo, ac paciſcendo de rebus Domini ſui. n. 100. In compromiſſo per ipſum ineundo. n. 101. In impetratione Reſcripti ad lites. n. 102. Ac in petendo reſtitutionem in integrum. n. 103. & 104.

Procurator non præjudicat Dominò, ſi extra fines mandati quid egerit. T. 38. n. 107. F. 587. Aliàs ratum eſt, quod ab eo agitur vi mandati. n. 106. Procurator acquirit ſibi actiones &c. n. 108. Fitque poſt litem conteſtatam Dominus litis; & cur? n. 109. Procurator, an teneatur de leviſſima culpa? n. 112. Quas expenſas repetat à Domino? n. 113. & 114. Verba ſententiæ condemnatoriæ, an ſint concipienda in perſonam Procuratoris præſentis, vel Domini abſentis? n. 115 & 116. ac ſeqq. Procuratoris negligentia, vel dolus, utrùm noceat Domino? n. 119. & 120 ac ſeqq. An etiam confeſſio, aut error Procuratoris noceat Domino? n. 125. & 127. Contra Procuratorem negligentem, aut doloſum, competit Domino actio Mandati directa. n. 128. Et ſi Procurator non eſt ſolvendo, conceditur reſtitutio in integrum Domino petenti. n. 129.

Procuratoris officium quinque potiſſimùm modis finitur; quibus? T. 38. n. 130. & ſeqq. F. 590. Procurator ſuccumbens tenetur appellare, vel Domino denuntiare. n. 131. Per mortem

tem Domini, an, & quando finiatur officium Procuratoris? n. 132. 133. & 134. Procurator tum judicialis, tum extrajudicialis, re integrâ liberè à Domino revocatur: ſecùs re non integrâ, niſi ſubſit cauſa. n. 136. & 137. ac ſeqq. Res integra, quamdiu dicatur? n. 138. Cauſæ juſtæ revocandi Procuratorem re non integrâ, quæ? n. 139. Procurator poteſt revocari dupliciter, expreſsè, & tacitè. n. 140. & ſeqq. Prior Procurator an revocetur per conſtitutionem ſecundi? n. 141. Ac per hoc, quòd Dominus ſuperveniens ipſemet cauſam tractet? n. 142. Renunciatione, ſeu mutuo conſenſu Domini & Procuratoris, ceſſat hujus officium. n. 143. Invito Domino nequit Procurator poſt ſuſceptum mandatum ſuo officio renunciare. n. 144. Niſi ſubſit juſta cauſa. n. 145, Atque Judicis authoritas accedat. n. 146.

Procuratoris falſi exceptio poteſt ſemper objici, ac per hanc ejus geſta redduntur invalida. T. 38. n. 147. & 148. F. 592. Secùs, ſi nemo contra ejus geſta excipiat. n. 149. & ſeqq. Ratihabitio confirmat judicium agitatum cum falſo Procuratore. n. 150. Dummodò hic aliundè non fuerit inhabilis ad tale officium. n. 151. & 152. Dominus appellans à ſententia per falſum Procuratorem reportata, cenſetur eam ratihabere. n. 153. Dominus poteſt ratificare Proceſsũ ac ſententiam per falſum Procuratorem in ſui favorem obtentam, ſi anteà pars adverſa non exceperit. n. 154. Solvitur inſtantia contra hoc. n. 155. Geſta per Procuratorem revocatũ regulariter valent, ſi revocatio eidem nondum fuit intimata. n. 156. Idémque dicendum de mandante maleficium, v. g. percuſſionem Clerici, in ordine ad incurrendam excommunicationem. n. 157. Fallit iſtud in Procuratore ad contrahendum matrimonium. n. 158. Et in nonnullis alijs caſibus. n. 159. & 160. Procuratoris revocatio, ut habeat effectum ad inducendam nullitatem geſtorum per ipſum, quibus ſit intimanda? n. 161. & ſeqq. Quid, ſi Procurator inquiſitus celet revocationem ſui mandati? n. 167. Procuratoris conſtitutio, ſi fiat ex gravi metu, an valeat? T. 40. n. 74. F. 605.

Profeſſio Fidei, à quibus fieri debeat? T. 1. n. 152. & ſeqq. F. 76. Vide ſuprà ℣. *Fidei profeſſio.* Profeſſio Religioſa ex metu gravi, & injuſtè incuſſo emiſſa, ipſo jure eſt irrita. T. 40. n. 57. F. 604. Adversùs profeſſionẽ Religioſam Minor nunquam reſtituitur. T. 41. n. 89. F. 622. Benè tamen, ut, ſi allegaverit nullitatem ejus, poſt quinquennium poſſit audiri. n. 90. Reſtitutio hæc adversùs lapſum quinquennij, à ſolo Papa poteſt concedi. num. 91. Solvitur inſtantia. n. 92.

Prohibitum intelligitur, quod non reperitur conceſſum, declaratur. T. 3. n. 33. & 34. F. 188. Prohibitorium Edictum, quod? n. 35.

Promulgatio legum requiritur ad earum obligationem. T. 2. n. 105. & ſeqq. F. 108. Sive ea fiat voce Præconis, ſive per ſcripturam, n. 106. Solvuntur objectiones notabiles. n. 107. & ſeq. Qualis promulgatio requiratur ad rationem legis? n. 110. & ſeqq. Leges Imperiales debent promulgari in cujuslibet Provinciæ Metropoli. n. 111. Neque obligant, niſi poſt lapſum duorum menſium. Ibid. Fallit hoc in Statutis inferiorum Principum, vel Civitatum. n. 112. & 113. Aut quando in lege aliud tempus eſt expreſſum. n. 114. Lex, ſive Conſtitutio Pontificia Romæ promulgata, an obliget pro toto Mundo absq; alia publicatione in Provincijs, vel Diœceſibus? n 117. & ſeqq. Refertur ſententia affirmativa unàcum ſuis fundamentis. n. 118. & ſeqq. Sententia negativa tenetur à pluribus Authoribus. n. 125. Hujúsque rationes. n. 126. & ſeqq. Quid in praxi attendendũ? n. 132. & ſeqq. Promulgari an debeat interpretatio authentica legis, ut obliget? T. 2. n. 373. & ſeqq. F. 155.

Proteſtatio contraria facto non relevat. T. 1. n. 218. & 219. F. 86. Proteſtatio contraria facto, quæ? n. 218. Proteſtatio Auctoris, ſcripta ſua judicio Eccleſiæ ſubmittentis, utiliter libris apponitur. n. 215. Alia proteſtatio Auctorum ſcribentium de Vita & Miraculis nondum Beatificatorum. n. 216. & 217.

Provincia, quæ dicatur ſecundùm Canones? P. n. 197. F. 39. & quæ ſecundùm Leges? Ibid.

Proviſio, & Collatio Beneficij, an idem ſint? T. 3. n. 97. F. 198. & T. 6. n. 16. F. 272. Proviſio eſt nomen ſatis latum, comprehendens ſub ſe omnes modos providendi Eccleſijs. cit. Tit. 6. n. 16. F. 272. An, & quandò ſub ſe comprehendat electionem? n. 17.

Publicatio Scrutinij, quæ? T. 6. n. 285. F. 384. Et quomodo fiat? n. 286. Publicatio electionis communis, ſeu capitularis, quæ? n. 287. Quibúsque verbis fieri ſoleat? n. 288. Publicatio legum. Vide ſuprà ℣. *Promulgatio legum.* Publicatio reſignationis Beneficiorum qualiter ſit facienda? T. 9. n. 127. & ſeqq. F. 357. Vide infrà ℣. *Renunciationes Beneficiorum.*

Pupillus ſine Tutoris authoritate meliorem ſuam conditionem facere poteſt, non deteriorem. T. 2. n. 316. F. 146.

Q.

Qualitates Reſcriptis Pontificijs inſertæ, inde non probantur: ſecùs de Superſcriptionibus. P. n. 111. F. 22. Qualitates in eligendis requiſitæ, quæ? T. 6. n. 204. F. 301. & ſeqq. uſque ad n. 334. Qualitates quæ requirantur in præficiendis, ſeu promovendis ad Beneficia Eccleſiaſtica? T. 14. n. 2. & 3. ac ſeqq. F. 413. Si Papa reſcribit pro non habente debitas qualitates, an, & quando talis ſit inſtituendus in Beneficio? n. 4.

Quarta Decimationum eſt de Lege Diœceſana. T. 31. n. 97. F. 511. Quarta Mortuariorum, ſeu Funeralium, ſpectat ad Legem Diœceſanam. n. 98. An ab hac eximantur Monaſteria? n. 99. & 100.

Qui citò dat, bis dat, quâ ratione? T. 3. n. 191. Fol. 214.

R.

Raſura, vel cancellatio in loco ſuſpecto, vitiat Reſcriptũ, & aliud Inſtrumentum. T. 3. n. 224. F. 219. Locus ſuſpectus raſuræ, quis? n. 225. Quid, ſi fiat raſura in Narratione facti? Ibid. Aut raſura ſit modica? n. 226. Vel ſcriptura abraſa, manu ejusdem Notarij reſcripta fuerit? n. 227. Cautela notabilis circa hoc adhibenda. n. 228. Raſura, vel cancellatio, præſumitur facta ab eo, penes quem reperitur Inſtrumentum, niſi probetur oppoſitum. num. 230.

Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, quando? T. 35. n. 53. & 54. F. 547.

Ratio legis, eſt anima legis. T. 2. n. 388. & 429. F. 157. Ubi eadem eſt ratio, eadem eſt juris diſpoſitio. cit. T. 2. num. 410. & ſeqq. F. 160. Nec tunc fit extenſio legis, ſed magis declaratio. n. 412. Ob identitatem rationis in lege expreſſæ, fit extenſio etiam in materia odioſa, & pœnali. n. 423. & 429. ac ſeqq. Et idem dicendum, quando unica tantùm ratio legis afferri poteſt. n. 431. Ratio unica legis, quæ? num. 432.

Ratiocinia, quid ſint, quiq; dicantur ad ea obligari? T. 19. n. 1. & 2. F. 434. Obligati ad ratiocinia prohibentur ordinari ante redditas rationes. n. 3. Et cur? n. 4. Generaliter omnes implicati ſæcularibus officijs, & negotiationibus, quæ in Clericis non tolerantur, ordinari nequeunt. n. 5. & ſeqq. Secùs dicendum de gerentibus talia munera, quæ Clericis ſuſcipere licet. n. 7. Quid agendum, ſi quis ad ratiocinia obligatus, invito creditore ordinetur? n. 8. & ſeqq. An talis ſit ſuſpenſus, vel irregularis? n. 11.

Reconventio coram Arbitro compromiſſario, non valet. T. 43. n. 60. F. 637. An reconventio locum habeat ſaltem coram Arbitro juris? n. 60. & 61.

Recuſatio Judicis delegati, quid, & quando fieri poſſit? T. 29. n. 148. F. 489. Per eam extinguitur officiũ Judicis delegati. n. 149. & 150. ac ſeqq. Cauſa recuſationis Judicis delegati regulariter debet tractari per Arbitros. n. 152. Exceptis tribus caſibus, & quibus? n. 153.

Regimen eſt triplex, Monarchicum, Ariſtocraticum, & Democraticum. T. 2. n. 100. & ſeqq. F. 107. In quolibet Regimine, quis poſſit ſtatuere Leges? Ibid.

Regulæ Cancellariæ, licèt nondum publicatæ, obligant. T. 2. num. 107. F. 109 Regula Cancellariæ *De Viginti* refertur; ac declaratur. T. 9. n. 68. & ſeqq. F. 347. An procedat in illis, qui, dũ ſani erant, reſignaverunt, & caſu inſperato intra viginti dies deceſſerunt? n. 71. Tempus viginti dierum, quomodo ſit computandum? n. 72. & ſeqq.

Regulares Ordines plerique hodie ſunt exempti ab Epiſcoporum poteſtate. T. 31. num. 108. F. 513. Exceptis certis caſibus, in quibus Regulares exempti ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum; & cur? n. 109. Ejusmodi caſus ſingulatim enumerantur. n. 110. usque ad num. 169. Regulares extra Clauſtra degentes, ſi delinquant, poſſunt puniri ab Ordinario loci; & qualiter? n. 111. & ſeqq. Facultas tamen puniendi Regularem extra Clauſtra degentem, & delinquentem, non eſt conceſſa Epiſcopis privativè quoad Prælatos Regulares, ſed cumulativè. n. 115. Regularis intra Clauſtrum degens, & extra illud ſcandaloſe delinquens, quomodo ſubſit Epiſcopo? num. 116. & ſeqq. Quid, ſi Regularis ita ſcandaloſè delinquat intra Eccleſiam, vel Clauſtrum? n. 119. Ejecti è Religionibus, vel ſine legitimo mandato à ſuis Conventibus recedentes, ſubſunt jurisdictioni Epiſcoporum. n. 120. & 121. Sicut & Regulares in perſonam Epiſcopi delinquentes, aut exercitium ſuæ jurisdictionis impedientes. n. 122. Regulares notoriè excomunicati, poſſunt denunciari ab Epiſcopo, ut evitentur. n. 123. Jurisdictioni Epiſcopi ſubſunt Regulares in Conventibus, ubi non ſunt duodecim ipſorũ. n. 124. Tenentúrque ad publicas Proceſſiones accedere vocati. n. 128. Niſi diſtent per dimidium milliare, aut ſint ſpecialiter excepti. n. 129. Regulares non poſſunt Confeſſiones ſæcularium audire ſine approbatione Epiſcopi. n. 133. Nec Miſſas privatis in domibus celebrare Epiſcopo prohibente. n. 135. & ſeqq. Regulares aſſiſtentes matrimonio ſine licentia Parochi, ipſo jure ſuſpenduntur, donec ab Ordinario ejus abſolvantur. n. 134. Et quid, ſi præſumant aſſiſtere matrimonio non præmiſſis denunciationibus? Ibid. Regulares an poſſint SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorandũ proponere? n. 138. & 139. Aut Proceſſiones facere ſine licentia Ordinarij? n. 140.

Regulares ſunt ſubjecti Epiſcopis quoad Editionem Librorum, utpote per ipſos examinandorum & approbandorum. T. 31. n. 143. F. 518. Quid dicendum de Lectionibus, Diſputationibus, vel Concionibus? n. 144. Regulares ſine Ordinarij licentia nequeunt novas Indulgentias publicare. n. 145. Subſunt Epiſcopis quoad officiũ Prædicationis; & quomodo? n. 146. 147 & 148. Contra Regulares aſſerentes, quòd Beata Virgo Maria ſit concepta cum peccato Originali, procedunt Epiſcopi. n. 149. Regulares exempti ſubſunt Epiſcopis in cauſa Hæreſis, ubi non ſunt Inquiſitores. n. 150. Sicut & Confeſſarij, quomodolibet exempti, ſollicitantes in Confeſſione. n. 151. Subduntur etiam Epiſcopis quoad acceſſum ad Synodum Diœceſanam, ſed cum limitatione. n. 152. & 153.

Regulares omnes ſubijciuntur Epiſcopo quoad renunciationes Novitiorum. T. 31 n. 154. F. 520. Iſtud tamen locum non habet in Teſtamentis, & Codicillis. n. 155. Epiſcopus poteſt com-

compellere Regulares, ut Novitijs ante profeſſione abeuntibus omnia ſua reſtituant. n.156. Regulares ſubduntur Epiſcopis quoad explorationes voluntatis Puellarum Deo dicandarum n. 157. & 158. Item in judicio nullitatis Profeſſionis Religioſæ. n.159. Regulares Sabbato ſancto nequeunt pulſare campanas ante Eccleſiam Cathedralem, vel majorem. n.160. & 161. Poſſunt compelli ad habendam Lectionem Sacræ Scripturæ. n.162. Regulares debitores extra Conventum degentes, poſſunt in cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum, coram Ordinarijs conveniri. n. 163. & 164. An etiam coram eiſdem conveniri valeant ratione delicti, contractûs, vel rei, de qua agitur? n.165. & 171. Regulares ſubijciuntur etiam Ordinarijs in reddenda ratione de executione ultimarum voluntatum, ſi quam geſſerunt. n. 166. Item quoad executionem Decretorum Concilij Tridentini, & quomodo? n. 167. Regulares, quantumvis exempti, tenentur Epiſcopis reverentiam præſtare, eiſque in ſuis Eccleſijs uſum Baldachini concedere. n.168. Alij caſus, in quibus Regulares exempti ſubſunt Epiſcopis. Remiſſivè. n. 169. & 170. Vide infrà ℣. *Religioſi.*

Rejectus ab electione an poſteà ſit ineligibilis, & quando? T.6. n. 229. & ſeqq. F. 305.

Reipublicæ graviter læſæ competit beneficium reſtitutionis in integrum. T.41. n. 36. F. 615. Vide infrà ℣. *Reſtituere in integrum.*

Religioſis eſt prohibitum, ne è Clauſtris exeant ad audiendum Jus Civile, vel Medicinam; & ſub quibus pœnis? P.n.228. Et in quo ſenſu? n. 230. & ſeqq. Non tamen, quin intra Clauſtrum Juris Civilis ſcientiam addiſcant. n.229.

Religioſi nequeunt conſentire electioni de ſe factæ extra Monaſterium, absque licentia obtenta ſui Superioris. T.6. n. 315. F. 319. Nec valet Superioris licentia, ut Religioſi poſſint conſentire electioni primùm faciendæ. num.316. Quid de Religioſis electis in diſcordia ad aliquam Prælaturam extra Ordinem? n. 317. Alia conſenſum Superioris reſpectu electionis Religioſorum concernentia, breviter expediuntur. n.318. Circa Regularium Superiorum electiones, quid ſtatuerit Concilium Tridentinum? T.6.n.328. & ſeqq. F. 321. Vide ſuprà ℣. *Electiones Regularium.* Regulares in electionibus nō tenentur obſervare apices Juris. n.339. In Regularibus ad Ordines ſuſcipiendos non requiritur tanta ſcientia, ac in alijs; & cur? T. 11. n. 67. F. 382. Religioſi non profeſſi, aut qui ad certum duntaxat tempus ſunt profeſſi, nequeunt ordinari ad titulum paupertatis. n. 74. Et quid de Religioſis Societatis JEſu? n.75. Pœna ordinantium Religioſos non profeſſos, vel ſolùm profeſſos ad certum tempus. n. 196. Religioſi alij habent exemptionem communem, alij ſunt plenè exempti, ut Mendicantes. T.31. n.171. F. 521. Religioſorum Mendicantium Superiores locales an validè ineant pacta, & compoſitiones, ſine licentia Miniſtrorum, vel Capitulorum Provincialium, cum Prælatis ſeu Rectoribus Parochialium Eccleſiarum. T.35. n.78. & 79. F. 550. Religioſi non poſſunt Advocatum agere in judicio. T.37. n. 24. F. 570. Niſi pro utilitate ſui Monaſterij, & accedente licentiâ Prælati. n. 25. Religioſi non poſſunt conſtitui Procuratores ſine licentia ſui Prælati &c. T.38. n.48. F. 579 Religioſi debent habere Syndicum. T.39. n.5. F. 595. Saltem de honeſtate, licèt non de neceſſitate. n. 6. Vide ſuprà ℣. *Regulares.*

Remedium ordinarium habenti, non eſt tribuendum extraordinarium: limitatur, niſi extraordinarium ſit pinguius. T.41. n. 6. F. 611. Exemplificatur hoc in Minore vel Eccleſia ultra dimidium læſâ in venditione. n. 7.

Renunciare quilibet poteſt juri ſuo, & favori privato, non obſtante confirmatione Superioris. T. 2. n.545. F. 182. Non tamen favori publico. n. 547. Quilibet poteſt juri ſuo renunciare; quomodo intelligendum? T. 9. n. 15. F. 340.

Renunciari nequeunt Beneficia ſine conſenſu Superioris. T. 9. n. 13. & ſeqq. F.340. Neque valet conſuetudo in contrarium. n.14. Papa poteſt renunciare Papatui absque conſenſu Cardinalium. n. 16. Liberè etiam renunciat, qui plenum jus in Beneficio necdum habet; putâ, qui eſt tantùm electus, & necdum confirmatus. n.17. An idem dicendum in Beneficio litigioſo? n.18. & 19. Utrùm quis poſſit renunciare Beneficio Eccleſiaſtico ex cauſa ingrediendi Religionē? n.21. & ſeqq. Nequit hoc facere Epiſcopus. n.21. Benè tamen inferior Clericus. n. 22. & 23. Etſi in praxi conſultum ſit, petere licentiam ſui Ordinarij; & cur? n.24. & 25. Renunciari quæ Beneficia poſſint, vel non poſſint? cit. T. 9. n.43. usque ad n.74. F. 345.

Renunciatio, quid? T.9. n. 2. F.338. Quibusque alijs nominibus appelletur? n.3. Debet eſſe ſpontanea; aliàs poteſt reſcindi. Ibid. Renunciatio Beneficij, coram quo fieri poſſit? num. 4. & ſeqq. Facta in manibus Laici, eſt invalida. n.4. Nec poteſt fieri in manibus Vicarij Generalis absque ſpeciali cōmiſſione Epiſcopi. n.6. Et quid de Capitulo Sede vacante? n. 7. Renunciatio Beneficiorum alia eſt tacita, cujus varia exempla referuntur. n.8. & 9. Et quid ſit renunciatio tacita magis propriè? n. 10. Alia expreſſa. n. 11. Pura, vel conditionalis. n. 12. An Beneficia poſſint renunciari propriâ authoritate, & ſine conſenſu Superioris? n.13. Renunciatio Beneficij, num comprehendatur ſub Decreto Concilij Tridentini *Seſſ. 25. cap. 16. de Regularib. n.27. & ſeqq.* Ad renunciationem Beneficij requiritur juſta cauſa. cit. T. 9. n. 34. F.343. Sex cauſæ reſignandi Epiſcopatum. n. 35. Quæ pariter ſufficiunt ad renunciationem inferiorum Beneficiorum. n.36. Refertur circa has Conſtitutio B. Pij V. *Quanta Eccleſiæ.* n.37. Factâ renunciatione purâ, & à Superiore admiſſâ,

non eſt locus pœnitentiæ. n.38. & 39. Benè tamen anteà. n. 40. Poteſt quis ex novo titulo redire ad Beneficium anteà reſignatum. n. 41. Sed tunc ultimum locum tenebit præ alijs. n.42. Reſignatio, quorum Beneficiorum fieri poſſit, vel non poſſit? n.43. & ſeqq. Renunciatio Beneficij patronati, atque electivi, ſine conſenſu Patroni, vel Eligentium facta, non eſt ipſo jure irrita, ſed irritanda. n.61. & 62. In Curia Romana non admittuntur reſignationes Parochialium, niſi exprimatur, per quantum tempus poſſederit reſignans Beneficium. n.63. & 64. Rigor iſte non procedit in reſignationibus, quæ fiunt extra Curiam in manibus Ordinarij. n. 65. Renunciatio Beneficij facta ex cauſa infirmitatis, ſeu ante mortem, an, & quando ſit valida? n. 67. & ſeqq. Refertur ac declaratur Regula Cancellariæ *De Viginti*, n.68. & ſeqq.

Renunciatio Beneficij debet eſſe pura; & quomodo? T. 9. n.75. & ſeqq. F.349. Et cumprimis ab omni pecunia. n.75. Renunciatio facta cum pacto, ut Reſignatarius ſolvat expenſas olim in Beneficij aſſecutione factas, eſt ſimoniaca. n.76. Solvitur inſtantia. n. 77. Item, ut Reſignatarius ſolvat omnes expenſas in admiſſione reſignationis &c. n. 78. Sicut & pactum, involvens ſimoniam confidentialem. n.79. Renunciatio Beneficiorum etiam debet eſſe pura ab omni pacto, conditione, ac modo. n. 80. Privatâ partium authoritate facto: aliàs ſecùs. n. 81. Renunciatio Beneficiorum ex cauſa permutationis, an ſit licita? n.82. & ſeqq. Et qualiter inſtituenda? n. 90. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Permutatio Beneficiorum.*

Renunciatio in favorem tertij, ſeu cum clauſula *Non aliter*, an ſit illicita, quin & ſimoniaca? T. 9. n. 105. & ſeqq. F. 353. Ea non continet ſimoniam Juris Divini, ſed poteſt fieri in manus Summi Pontificis. n. 105. Utrùm ipſa facta in manus Epiſcopi contineat ſimoniã Juris Eccleſiaſtici; variant Doctores. n. 106. & ſeqq. Affirmativa ſententia eſt cõmunior, ac pro Foro externo retinenda. n. 108. & 109. Reſignatio Beneficij in favorem tertij, nequit fieri coram Epiſcopo. n. 110. & ſeqq. Simpliciter tamen reſignando Beneficium licet certam perſonam Epiſcopo recõmendare, ut illud huic conferat. n. 112. Sed tunc Epiſcopus non eſt adſtrictus huic conferre. n. 113. Quid juris circa hoc poſt Bullam B. Pij V. *Quanta Eccleſiæ* ? n. 114. uſque ad n. 119. Dicta Bulla non procedit in Beneficijs jurispatronatûs. n. 117. Ubi ipſa eſt recepta, nequit Epiſcopus ad Concurſum Parochialis Eccleſiæ admittere ſuos, vel reſignantium Conſanguineos, &c. n. 118. Poteſt tamen conferre Beneficium reſignatũ uni Familiarium ſui Vicarij Generalis. n. 119. An factâ renunciatione cum clauſula *Non aliter*, poſſit Epiſcopus rejectâ conditione, veluti turpi, Beneficium conferre, cui voluerit? n.120. ſeqq. Sententia negativa eſt probabilior. n. 121. & 122.

Renunciatio reciproca, triangularis, & quadrangularis Beneficiorum, quæ? T. 9. n. 123. F. 356. Tales renunciationes Beneficiorum nequeunt fieri, niſi in manus Summi Pontificis. n. 124. Quid conſilij ita renunciare volentibus? n. 125. & 126.

Renunciationes Beneficiorum, an, & qualiter ſint publicandæ? T. 9. n.127 & ſeqq. F. 357. Dicta renunciationum publicatio juxta Conſtitutiones Apoſtolicas eſt facienda; & cur? n. 127. & 128. Alioquin invalida eſt proviſio de Beneficijs reſignatis. n. 129. Reſignationes quorumvis Beneficiorum ſunt publicandæ. n. 130. Et quibus in locis? n. 131. Quâ formâ? n. 132. Et quo tempore, loquendo de renunciatione facta in manibus Summi Pontificis? n. 133. Quid dicendũ de publicatione reſignationis, quæ fit in manibus inferiorum Collatorum? n.134. Bulla Gregorij XIII. *Humano vix judicio*, non videtur ubique recepta. n. 135.

Renunciationis Beneficiorum, qui ſint effectus? T.9.n.136. & ſeqq. F. 359. Per eam inducitur vacatio Beneficij. n. 136. Et reſignans in iſto amittit omne jus, habetúrque pro mortuo. Ibid. Renunciatio admiſſa excludit à Beneficio reſignantem, etiam pœnitentem. n. 138. Alij ejus effectus enumerantur. n. 139. Eos tamen ſolùm inducit renunciatio valida. n. 140. & ſeqq. Renunciatio invalida non abdicat jus reſpectu Beneficij. n. 141. Putà, ſi fiat in manibus non valentis eam recipere. n. 142. & ſeqq. Facta in manibus Laici, an teneat in præjudiciũ reſignantis? n. 143. Per renunciationem ſimoniacã jus non abdicatur. n 144. Tamen ſimoniacè reſignans, poteſt privari Beneficio. num. 145. Renunciatio Beneficij ex cauſa permutationis, quando abdicet jus? n 146. Et quid dicendũ de alijs renunciationibus conditionatis? n. 147. Ut renunciatio Beneficij operetur ſuos effectus, debet ejus admiſſio eſſe intimata Reſignanti. n. 148. Atque acceptata à Reſignatario, ſi eſt facta in favorem tertij. n. 149. Utrùm Clericus Beneficium reſignans, poſſit percipere fructus ejus, & quales? num. 150. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Fructus.*

Res quandonam deſinat eſſe integra, ita ut valor Reſcripti non cenſeatur expirare morte concedentis? T.3. n.237. & ſeqq. F.221. Concordatur *c. Relatum*, 19. *& c. Gratum.* 20. *de Offic. Delegat.* n. 242. uſque ad n. 249. Res integra in Compromiſſo, quamdiu ſit? T.6. n.82. F.282. Res aliena legari poteſt, non tamen factum alienum promitti. T.35. n.63. F.548. Res integra, ſeu Mandatum procuratorium integrum quamdiu dicatur? T. 38. n. 138. F. 591.

Reſcriptum, alio nomine appellatur Decretalis Epiſtola. T.2. n. 10. F.91. In Reſcriptis ſub generali derogatione non comprehenduntur Decreta Concilij Generalis. cit. Tit. 2. n. 527. F. 179. Diſparitas inter Reſcripta, & Conſtitutiones Pontificias quoad hoc. n. 527. & 528. Litteræ in forma Brevis ſunt ejuſdem auctoritatis, ac Reſcripta ſignaturæ. n. 532. Conve-

venientia, & differentia inter Leges, & Reſcripta. T. 3. n. 1. F. 184.

Reſcriptum, quid? T.3.n.2.& ſeqq. F. 184. Reſcripti nomen, quibus conveniat? n.3. Abſolute prolatum in Eccleſiaſticis, accipitur pro Reſcripto Papali. n. 4. Quibus de cauſis Reſcripta concedi ſoleant? n. 6. Motus proprius rectè connumeratur inter Reſcripta. n.6. & 7. Reſcripta tribus partibus conſtant, Narratione, Supplicatione, & Concluſione. n.8 Reſcriptum, an habeat vim Legis? T.3.n.9. & ſeqq. F. 185. Facit jus inter partes. n. 10. Reſcriptum largè acceptum comprehendit ſub ſe Privilegium, Beneficium, Mandatum, ac Reſcriptum propriè dictum. n. 5. Reſcriptum propriè, quid, & quomodo differat ab alijs enumeratis? n 16. & ſeqq. Reſcriptum, quotuplex ſit? n. 22. Reſcriptum contra legem, præter legem, & ſecundùm legem, quid? n.23. Et quomodo ſumatur in Rubrica Tituli *De Reſcriptis?* n.24. *Reſcriptum contra jus non valet*, quomodo intelligendum? n 25. & 26. Reſcripta juſtitiæ ſeu ad lites, & Reſcripta gratiæ ſeu ad Beneficia, quid? n. 28. & 29 & 30. Reſcriptum mixtum, quid? n. 31. In dubio Reſcriptum præſumitur juſtitiæ, & non gratiæ. n. 32.

Reſcriptum impetrare poteſt, qui expreſsè à Jure non prohibetur. T.3.n.33. F. 181 Reſcriptum an poſſint impetrare Servi? n. 36. & 37. Hæretici? n. 38. Excommunicati? n. 39. & ſeqq. Saltem per procuratorem? n. 42. Reſcriptum ab excommunicato impetratum, an ſit ipſo jure nullum, vel duntaxat ope exceptionis? n. 45. & ſeqq. Quid juris, ſi poſt impetratum Reſcriptum ac durante lite, impetrator ejus incidat in excommunicationem? n. 49. Reſcriptum ab excommunicato impetratum eſt nullum, licet excommunicatio ſit occulta, & excommunicatus non vitandus. n. 50. & ſeqq. Reſcriptum, an quis poſſit impetrare pro alio abſque ejus ſpeciali mandato? n. 56. & ſeqq. Quid de Stylo moderno Curiæ Romanæ dicendum? n. 59.

Reſcripta intra quod tempus ſint præſentanda? T.3. n. 60. & ſeqq. F. 192. Reſcripta juſtitiæ, & Reſcripta gratiæ, an ſint perpetua? n. 63. & 64. & ſeqq. Circa præſentationem Reſcriptorum ad Beneficia, quid diſponant Concordata Germanica? n. 68. In Reſcriptis gratiæ attenditur tempus *Datæ*: in Reſcriptis juſtitiæ tempus *Præſentatæ*. n. 69. Idque exemplificatur variè, n. 70. 71. & ſeqq. In ordine ad quos effectus in Reſcriptis attendatur tempus *Præſentatæ*, vel tempus *Datæ*? n. 76. & 77. ac ſeqq. Motus proprius purgat ſubreptionem Reſcripti. n.79. Ex pluribus Reſcriptis juſtitiæ, quodnam ſit præferendum? cit. T. 3. n. 81. & ſeqq F. 196. Secundùm Reſcriptum juſtitiæ abſque mentione prioris impetratum, non eſt ipſo jure nullum, ſed ope exceptionis annullandum. num. 92. & ſeqq. Reſcriptum Beneficiale quodnam prævaleat, ſi diverſa à duobus Reſcripta ſuper Beneficio in eadem Eccleſia ſibi conferendo impetrantur? n. 95. & ſeqq. uſque ad num. 111. Referuntur varij caſus, & diſtinctiones circa hoc. Ibid. Quid dicendum de alijs Reſcriptis gratioſis, & quodnam eorum ſit præferendum, ſi plura à diverſis fuerunt impetrata circa idem? n. 112. & ſeqq. Ob Reſcriptum Principis nequit revocari transactio. T. 36. num. 48. F. 564.

Reſcriptorum interpretatio, qualis facienda? T. 3. n. 119. & ſeqq. F. 202. Reſcripta juſtitiæ in dubio ſunt interpretanda ſecundùm Jus commune. n. 120. Itaque ſunt ſtrictæ interpretationis, neque extendendæ ad caſum, vel perſonam non expreſſam. n. 121. & ſeqq. In Reſcripto juſtitiæ ſub clauſula, *Et quidam alij*, non comprehenduntur perſonæ digniores expreſſis. n.122. Neque effrænata multitudo. n.123. Reſcripta gratiæ, & ad beneficia, qualiter ſint interpretanda? n. 126. & ſeqq. Reſcripta ad Beneficia Eccleſiaſticà, veluti ambitioſa, ſunt ſtrictè interpretanda. n.128. & ſeqq. In Reſcriptis quænam clauſulæ, comuniter apponantur, vel ſaltem ſubintelligi debeant? cit. T.3.n.141. & ſeqq. F.205. Forma in Reſcriptis præſcripta neceſſariò eſt obſervanda. n. 144. & ſeqq. Nec ſufficit, formam per aliud æquipollens implere. n 145. Signa colligendi, an in Reſcriptis quidpiam ſit poſitum pro forma ſubſtantiali, nec ne? n. 147. & ſeqq.

Reſcriptorum ſubreptio, & obreptio, quomodo committatur? T.3. n. 152. & ſeqq. F. 207. Reſcriptum ſubreptitium, & obreptitium, quid? n. 154. & 155. Subreptio an, & quando vitiet Reſcriptum? n. 156. & ſeqq. Tres regulæ Abbatis circa hoc. n. 159. Capitulum, *Super litteris. de Reſcriptis.* eſt clavis totius Tituli. n. 156. An etiam locum habeat in Reſcriptis gratiæ, & ad Beneficia, atque privilegijs? n. 160 Per ſubreptionē doloſam vitiatur quodlibet Reſcriptum in totum. n.161. & 157. Reſcriptum ſubreptitium an ipſo jure ſit nullum, vel duntaxat ope exceptionis? n. 170. & ſeqq. Eſt diſtinguendum inter Reſcripta gratiæ, & ad Beneficia, qualia ipſo jure ſunt nulla: & inter Reſcripta juſtitiæ, quæ vitiantur duntaxat ope exceptionis. Ibid. Et ratio diſparitatis inter hæc Reſcripta. n.173. Subreptio contingens in una parte Reſcripti, habentis plures partes, an vitiet totum? cit. T.3.n.174. & ſeqq. F. 211. Subreptio faciliùs vitiat Reſcripta gratiæ & ad Beneficia, quàm Reſcripta juſtitiæ; & cur? n. 176. & 173. Reſcripta an vitientur per ſubreptionem, quæ contingit circa cauſam non motivam, ſed impulſivā tantùm? n. 182. & ſeqq. Quid, ſi pro impetratione Reſcripti plures allegentur cauſæ motivæ, & una earum ſit falſa? n. 188. & ſeqq. Taciturnitas Beneficij Eccleſiaſtici præhabiti, quantumvis modici, cur vitiet Reſcriptum ad novum Benefi-

Beneficium obtinendum? n. 192. Quoties in Reſcripto exprimitur unica cauſa, tunc ea cenſetur eſſe motiva. n. 194. Quid, ſi plures allegentur in eo cauſæ? n. 195. & ſeqq. De quibus mentio ſit facienda in Reſcriptis juſtitiæ? n. 197. & 198. Ac in Reſcriptis beneficialibus? n. 199. Reſcriptum impetratum contra conſuetudinem, vel Statutum particularis Eccleſiæ, aut loci, non valet, niſi fiat mentio hujus. n. 200. In impetratione Reſcriptorum, quæ generaliter ſint exprimenda? n. 201.

Reſcriptum vitiat manifeſtus error latinitatis. T. 4. n. 212. F. 217. Dummodò error ille non ſit omnino levis. n. 214. Nec aliunde appareat de veritate Litterarũ Apoſtolicarũ. n. 215. Reſcripta an vitientur per errorẽ in nomine, vel pronomine? n. 218. & ſeqq. Aut per errorem in nomine Diœceſis? n. 221. & ſeqq. Reſcriptum an, & quando vitietur per raſuram. n. 224. Vide ſuprà ℣. *Raſura*.

Reſcripta juſtitiæ, an morte concedentis ſuperveniente expirent? T. 3. n. 232. & ſeqq. F. 221. Ea expirant tunc re integrâ, licet Delegatus ignoret morteDelegantis. n. 232. & 233. Dummodò non concurrat ſimul error comunis. n. 234. Expirant etiam re integrâ, ceſſatione officij Delegantis. n. 235. Non item, ſi hic poſtmodùm incurrat excommunicationem. n. 236. Quandonã res deſinat eſſe integra quoad propoſitum, eſt celebris quæſtio. n. 237. uſque ad n. 239. Vide ſuprà. ℣. *Res integra*. Reſcripta gratiæ, ſeu ad Beneficia, non expirant morte concedentis, etiam re integrâ, quando continent gratiam factam, ſecùs, ſi contineant gratiam faciendam. Tit. 3. n. 250. & ſeqq. F. 224. Reſcripta quæ cenſeantur continere Gratiam factam, & quæ faciendam? n. 251. & ſeqq. Reſcriptum gratiæ conceſſum ſub clauſula, *Uſq; ad beneplacitum noſtrum &c.* expirat morte concedentis. n. 260. Et quid, ſi morte concedentis comuniter ignoratâ procedatur ad executionẽ Reſcripti? n. 261. Reſcriptum gratioſum conceſſum ſub clauſula, *Uſque ad beneplacitũ Sedis Apoſtolicæ &c.* durat perpetuò, donec revocetur. n. 262. & 263.

Reſcripto renuntiare, an quis poſſit? T. 3. n. 264. & ſeqq. F. 226. Et quid, ſi emanaverit Motu proprio Principis ad privatam alicujus utilitatem? n. 264. Vel contineat favorem plurium? n. 265. & 266. Reſcripto juſtitiæ an quis poſſit renuntiare, etiam invito adverſario? n. 267. & ſeqq. Reſcripta qualiter revocentur? n. 271. & 272.

Reſponſa Prudentum; quæ? P. n. 179. F. 33.

Reſtituere in integrum generatim, quid? T. 41. n. 2. F. 611. Reſtitutio in integrum ſtrictiùs accepta, quid? n. 3. Hæc eſt extraordinarium Juris remedium, ac introducta in ſubſidium. n. 4. Nec competit habenti actionem. Ibid. Secùs, ſi quis ſolam exceptionem habeat. n. 5. Regula illa: *Habente remedium ordinarium non eſt tribuendum extraordinarium,* limitatur, niſi extraordinarium ſit pinguius. n. 6. & 7. Ad reſtitutionem in integrum, quænam requirantur? n. 8. & ſeqq. Ad eam requiritur læſio gravis. n. 8. & 9. Et quòd læſio illa gravis acciderit dolo adverſarij, vel ſuâ facilitate &c. n. 11. Idque per læſum ritè probetur. n. 12. Item juſta cauſa. n. 13. Et quòd actus, ſeu contractus ille fuerit validus. n. 14. Et quid in dubio, num contractus ille ſit validus? n. 15. Forma petendæ, & faciendæ reſtitutionis in integrum, quæ? n. 16. & ſeqq. Hæc non petitur jure actionis, ſed implorato officio Judicis competentis. n. 17. Et qualis hîc ſit Judex competens? n. 18. Judex minor non poteſt reſtituere contra ſententiam majoris. n. 19. Reſtitutio in integrum debet fieri citato adverſario. n. 21. Reſtitutio in integrum non poteſt peti per Procuratorem ſine ſpeciali mandato. T. 38. n. 103 F. 586. Intellige, quando reſtitutio petitur principaliter: ſecùs, ſi petatur ſolùm incidenter. n. 104 & ſeqq.

Reſtitutio in integrum competit Minoribus. T. 41. n. 22. & ſeqq. Fol. 613. Fallit hoc in certis caſibus. n. 25. & ſeqq. Beneficio reſtitutionis in integrum gaudent Eccleſiæ, Monaſteria &c. n. 32. Non verò Perſonæ Eccleſiaſticæ in ſuis bonis patrimonialibus; & quæ ratio diſparitatis? n. 33 & 34. Beneficium reſtitutionis in integrũ competit quibusvis Locis pijs. n. 35. Sicut & Reipublicæ graviter læſæ. n. 36. Et Principi, ac Univerſitati Civitatis, Caſtri &c. n. 37. Imò & Collegijs, ſeu Univerſitatibus Studioſorum. n. 38. Majorennibus etiam competit reſtitutio in integrum ex clauſula generali; hoc eſt, juſtâ cauſâ interveniente. n. 49. Cauſæ juſtæ reſtituendi Majores, quæ? n. 50. 51. & 52 Differentia multiplex inter reſtitutionem in integrum competentem Minoribus, & Majoribus. n. 53. 54. & 55.

Reſtitutionis in integrum beneficium ſemel denegatum, non eſt Eccleſiæ, vel Minori in alio Judicio concedendum. T. 41 n. 39. F. 615. Niſi nova cauſa emergat. n. 40. Poteſt tamen Eccleſia, vel Minor, reſtitui ad jus appellandi à ſententia denegatæ reſtitutionis. n. 41. Minor læſus poteſt contra alium Minorem petere reſtitutionem in integrum. n. 42. Sicut & Eccleſia contra aliam Eccleſiam. n. 43. Solvitur inſtantia. n. 44. & ſeqq.

Reſtitutio in integrum defactò poteſt peti intrà quadriennium. T. 41. n. 56. F. 617. Tempus quadriennij pro petenda reſtitutione conceſſi, uno reſpectu eſt continuum, alio utile; idque declaratur. n. 59. & ſeqq. Quadriennium ejusmodi in Minoribus incipit currere à primâ die Vigeſimi ſexti anni inchoati. num. 60. Exceptis Minoribus, qui veniam ætatis impetrârunt, n. 61. In Majoribus, & Eccleſijs, quando quadriennium illud currere incipiat? n 62. Illud non currit ignoranti. n. 63. Eccleſia poſt quadriennium, an poſſit aliquando petere reſtitutionem in integrum? n. 64. & ſeqq. Eccleſiæ competit reſtitutionis remedium contrà contractus, & contra ſententiam tum interlocutoriam, tum diffinitivam. n. 65. Sed poſt lapſum quadriennij non admittitur ad illud,

niſi ob probatam colluſionem, fraudem, vel aliam rationabilem cauſam. n. 66. Ut, ſi læſio ſit valdè enormis. n. 67. Aut Prælatus malè alienans, tanto tempore ſupervixerit. n. 68. Vel Eccleſia læſa multas interim habuerit mutationes Prælatorum. n. 69. Eccleſia poteſt petere reſtitutionem etiam adversùs lapſum temporis. n. 72. & 73. Tum judicialis, tum extrajudicialis. n. 74. Dempto lapſu quadriennij ad petendam reſtitutionem conceſſi. num. 75. Cauſa reſtitutionis adversùs lapſum temporis, finiri debet intra quadriennium. n. 76. Idémq; dicendum de qualibèt reſtitutione in integrũ. n. 77. Quamvis hoc de conſuetudine non ſervetur. n. 78. Ac etiam limitetur, quando non per Eccleſiam, ſed per Judicem, vel adverſarium ſtat, quò minùs tam citò terminetur. n. 79. Reſtitutio in integrum adversùs lapſum temporis, ad quantum tempus ſit concedenda? n. 80. & ſeqq. Duplex tempus in propoſito eſt diſtinguendum, nempe Tempus *intra quod*, & Tempus *ad quod*. n 81.

Reſtitutio in integrum, in quibus cauſis locum habeat, vel non habeat? T. 41. n. 82. & ſeqq. F. 621. An ſit danda Clerico, in renunciatione Beneficij Eccleſiaſtici graviter læſo? n. 83. & ſeqq. Vel Minori adversùs profeſſionem Religioſam? n. 89. & ſeqq. Vel adversùs matrimonium? n. 93. & ſeqq. Vel contra propriam confeſſionem Minoris? n. 96. Et in delictis? n. 101. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Minorennis.*

Reſtitutio in integrum poteſt tripliciter conſiderari. T. 41. n. 105. F. 624. Quos effectus habeat reſtitutio obtinenda, ſed nondum petita? n. 106. & ſeqq. Beneficium reſtitutionis in integrum, etiam obtinendæ, eſt tranſitorium ad hæredes, & ſucceſſores univerſales. n. 106. Et cur non extinguatur cum perſona? n. 107. Eſt magis reale, quàm perſonale. Ibid. Datur tamen aliquod beneficium reſtitutionis in integrum, quod non tranſit ad hæredes. n. 108. Poteſt beneficium reſtitutionis cedi alijs. num. n. 109. Reſtitutio in integrum obtinenda, ſed nondum petita, an etiam hunc operetur effectum, ut poſſeſſorem rei per eam avocabilis conſtituat in mala fide, adeò ut fructus reſtituere teneatur? n. 110. uſque ad n. 115. Effectus reſtitutionis petitæ, ſed nondum obtentæ, quis? n. 116. & ſeqq. Hæc regulariter ſuſpendit executionem latæ ſententiæ. Ibid. Reſtitutio in integrum quoad effectum ſuſpendendi executionem ſententiæ, æquiparatur appellationi. n. 117. Reſtitutionis obtentæ effectus principalis eſt, quòd per eam unusquisque integrum jus ſuum recipiat. n. 121. & ſeqq. Etiam iſtud intelligendo de eo, contra quem impetratur; idque variè exemplificatur. n. 121. 122. & ſeqq. Utrùm obtentâ in integrum reſtitutione, v. g. fundi, etiam fructus ejus ſint reſtituendi? n. 126. & ſeqq. Reſtitutio in integrum conceſſa Minori, an etiam profit Majori communem cauſam cum eo habenti? n. 136. Saltem, quando hæc eſt individua? n. 137.

Revocatio Legũ, ſeu Conſtitutionum, declaratur. T. 2. n. 484. & ſeqq. F. 172. Vide ſuprà. ℣. *Legis abrogatio.* Revocatio Decretorum Concilij Generalis, declaratur. T. 2. n. 519. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Concilij Generalis Decreta.* Revocatio Statutorum ab inferioribus juratorum, vel à Superiore confirmatorum, an, & qualiter fieri poſſit? cit. T. 2. n. 533. & ſeqq. F. 181. Revocatio factæ Delegationis non anteà ſortitur effectum, donec legitimè ſit intimata Delegato. T. 29. n. 141. F. 481. Fallit hoc in certis caſibus. n. 142. & 143.

Reus captus poſt latam ſententiam mortis poteſt fugere; & cur? T. 2. n. 224 F. 128. An in hunc finem poſſit vincula, & carceres perfringere? n. 225.

Rubricorum nomine, quid in Jure intelligatur? P. n. 92. Fol. 19. Rubricæ Decretalium, Clementinarum, & Extravagantium ſunt authenticæ. n. 93. Non item Rubricæ Decreti Gratiani. n. 94. Etiam loquendo de prima ejusdem Rubrica. n. 95. Rubricæ Decretalium &c. rectè allegantur ad deciſionem cauſarum. n. 96. & ſeqq. Et quidem ad quatuor potiſſimùm effectus. n. 99. & 100. & ſeqq. Ex pluribus Lecturis ejusdẽ Canonis prævalet, quæ magis convenit Rubricæ ſuæ. n. 104. Rubricæ quædam continent perfectum ſenſum, aliæ non. P. n. 98. Fol. 20. Valet argumentum à Rubro ad Nigrum. n. 96. Dumodò Nigrũ nõ contradicat Rubro. n. 97.

S.

Sacerdos eſt Chriſtus Dominus. T. 1. n. 130. & ſeqq. F. 72. Sacerdos ſolus poteſt conficere Euchariſtiam. n. 136. Sacerdos non Epiſcopus, an ex privilegio Papæ poſſit conferre Ordines, præſertim ſacros? T. 13. n. 14. & ſeqq. F. 310. Per Sacerdotem ſimplicem poteſt conferri Sacramentum Confirmationis ex conceſſione Papæ. n. 22. Sacerdotum poteſtas in Corpus Chriſti verum poteſt ſtare ſine poteſtate in Corpus Chriſti myſticum, ſed non econtrà; & cur? T. 16. n. 15. & 16. F. 421. Sacerdoti ſimplici poteſt Papa delegare poteſtatem conferendi certos Ordines, confirmandi, reconciliandi Eccleſias &c. T. 29. n. 86. F. 479.

Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non poſſe iterari, de Fide eſt. T. 16. n. 1. F. 419. Unde, ſi in eis conferendis quidpiam fuerit omiſſum, id cautè eſt ſupplendum, non tamen aliquid iterandum. n. 1. & ſeqq. Imò etiam in aliorum Sacramentorum collatione nihil eſt iterandum. n. 2. Quid agendum in dubio de valore Sacramenti? n. 3. Tres aureæ regulæ Scoti circa hoc obſervandæ. n. 4. Quâ ratione de Ordinato in Subdiaconum ſine impoſitione manuum, *cap. 1. de Sacrament. non iterand.* dicatur, hanc eſſe cautè ſupplendam? n. 5. Et ratio dubitandi. Ibid. Refertur ſententia, aſſerens, textũ ejus eſſe corruptum. n. 6. Alia ſententia explicat textum illum de manuum impoſitione deprecatoria, nõ conſecratoria: ſed impugnatur. n. 7. & 8. Ponitur ſententia cæteris probabilior per omiſſam manûs impoſitionem intelligens

omiſſam collationem primæ Tonſuræ &c. n. 9. Impoſitio manûs, ſi prætermittatur in ordinatione Diaconi, vel Sacerdotis, eſt cautè ſupplenda. n. 10. Cùm ſit materia partialis dictorum Ordinum. n. 11. Quæ manuum impoſitio pertineat ad ſubſtantiam Ordinis Presbyteratûs? n. 13. Et cur dicatur Ritus ab Apoſtolis inſtitutus? n. 14. Alio modo fit impoſitio manuum Epiſcopi in collatione Diaconatûs, & Presbyteratûs. n. 14. Manuum impoſitio in ordinatione Presbyteri omiſſa, quâ ratione ſit ſupplenda? n. 15. Omiſſa manûs impoſitio reſpectu Diaconatûs, quomodo ſuppleri valeat? n. 17. Differentia inter hanc, & priorem ſupplendam, quæ? n. 18. Omiſſa in collatione Sacramentorum ſunt ſupplenda, licèt ſolùm ex præcepto Eccleſiæ pertineant ad ſolemnitatem ipſorum. n. 12. An ſit iterandum Sacramentum Extremæ Unctionis, ſi per errorem Chriſma pro Oleo infirmorum adhibeatur? n. 24. & 28. ac ſeqq.

Sacriſta, quis, & quod officium ipſius? T. 26. n. 4. F. 452. Quomodo tam ad Sacriſtam, quàm Archidiaconum pertineat cuſtodia Eccleſiæ, & vaſorum ejus? n. 5. Sacriſta alio nomine appellatur *Theſaurarius* n 4.

Salutationi Angelicæ quando fuerit appoſitum ly, *Sancta Maria Mater Dei*? T. 1. n. 115. F. 69.

Sanctio, quid? T. 2. n. 14. F. 91.

Satisdatio de judicatum ſolvendo, quid importet? T. 38. n. 83. F. 584.

Scholaſticus idem, ac Primicerius. T. 25. n. 2. F. 452. Vide ſuprà *v. Primicerius.*

Scientia triplex, eminens, medicoris, & ſufficiens, quæ? T. 6. n. 205. F. 302. Scientia tanta requiritur in eligendis ab Prælaturas, atque Officia Eccleſiaſtica, quanta eſt neceſſaria ad ritè obeundum officium ſuum. n. 206. In Epiſcopis exoptanda eſt ſcientia eminens. n. 207. Sed competens, ſeu ſufficiens toleranda. n. 208.

Scrutatores, quot, & quales ſint aſſumendi in electione? T. 6. n. 121. F. 289. An tres ſint de ſubſtantia electionis? n. 122. Eorum officium. n. 123. & ſeqq. Debent exquirere vota ſingulorum ſecretò, ac ſingilatim; & quomodo? n. 124. & 125. Poſſunt tamen adhiberi Teſtes, & Notarius. n. 126. Scrutatores etiam exquirere debent vota cunctorum. n. 127. & ſeqq. An, & quomodo poſt publicatum Scrutinium, teneantur Scrutatores procedete ad collationem votorum? n. 130. & ſeqq. Quid agendum, ſi Scrutatores collationem votorum, & electionem communem differe conentur? n. 131.

Scrutinij forma, an ſit neceſſariò obſervanda in ſolemni Poſtulatione? T. 5. n. 59 & ſeqq. F. 268. Scrutinij publicatio, quæ? T. 6. n. 285. F. 314. Et quomodo fiat? n. 286. Poſt publicatum Scrutinium Electores variare non poſſunt, benè tamen ante ejus publicationem. n. 290. & ſeqq. Et quæ ratio diverſitatis? n. 291. & 292. & ſeqq. Publicato Scrutinio non poſſunt Electores variare nec ut ſinguli, nec ut Collegium. n. 294. Dummodò ex votis ſingularibus in Scrutinio datis. poſſit ſequi communis electio. n. 295. Aliàs ſecùs. n. 296. & ſeqq. Si electio non ipſo jure eſt irrita, ſed per ſententiam caſſanda, non licet variare publicato ſcrutinio. n. 299. In electionibus Monialium, an, & in quem finem liceat variare publicato jam ſcrutinio? n. 300. In electione Summi Pontificis poſſunt Cardinales poſt publicatum Scrutinium variare; & quando? n. 301.

Scrutinium in Ordine faciendo, quid, & quotuplex? T. 12. n. 2. & ſeqq. F. 406. Scrutinium a Concilio Tridentino præſcriptum, quale ſit, & an ubique uſu receptum? n. 3. Alterum Scrutinium. n. 4. Et tertium in actu Ordinationis peragendum, explicatur. n. 5. An is, qui ordinari deſiderat, in dubio præſumatur idoneus, vel hoc probare teneatur? n. 6. & ſeqq. Quâ ratione idoneitas Ordinandorum poſſit probari? n. 14. & ſeqq.

Senatus-Conſultum, quid? P. n. 176. F. 33.

Sententia condemnatoria, & declaratoria judicis, notabiliter differunt; & quomodo? T. 2. n. 231. & ſeqq. F. 130. Sententia gemina conformis inducit conſuetudinem. T. 4. n. 176. F. 254. Sententiæ venales ſunt ipſo jure nullæ. T. 32. n. 11. F. 523.

Sepulti à Schiſmaticis, non ſunt exhumandi. T. 16. n. 30. F. 423.

Sepulturam eligere, & ad hanc eligendam inducere Parochianos, an liceat? T. 35. n. 77. F. 550.

Servitutes ſunt Juri naturali contrariæ, quomodo? P. n. 22. F. 5.

Servus meliorem conditionem domini facere poteſt, non deteriorem. T. 2. n. 316. F. 146. Servi an Reſcriptum impetrare valeant? T. 3. n. 36. & 37. F. 189. Servi in Jure, qui dicantur? T. 18. n. 2. F. 431. Servorum triplex eſt genus. n. 3. & ſeqq. Servi propriè dicti, ſeu Mancipia. n. 4. Servi adſcriptitij, & Servi originarij, qui? n. 5. Famuli pro annua mercede ſervientes, in ſenſu Juris non ſunt Servi. n. 6. Servus quis efficitur tribus potiſſimùm modis. n. 7. & ſeqq. Videlicet nativitate; & quid ad hoc requiratur? n. 8. Captivitate. n. 9. Et venditione. n. 13. Cur capti in bello dicebantur ſervi, ſeu Mancipia? n. 9. Defactò capti in bello inter Chriſtianos geſto non ampliùs efficiuntur ſervi: & cur? n. 10. Benè tamen capti in bello contra Infideles, v. g. Turcas geſto. n. 11. Chriſtiani in ſervitutem Turcicam abducti, à nobis reputantur liberi. n. 12. Quibus alijs modis quis efficiatur ſervus? n. 14. Servi propriè dicti, ac etiam Servi adſcriptitij, & originarij, prohibentur ordinari abſque conſenſu dominorum. n. 15. & 16. Ordinariè requiritur expreſſa domini licentia in ſcriptis obtenta; ut ſervus ordinetur. n. 17. Quamvis etiam tacitus domini conſenſus ſufficere poſſit. n. 18. Et

tunc ſervus eo ipſo acquirit libertatem. n. 19. Servus ad Ordines minores invito domino promotus, debet huic ipſum repetenti reſtitui. n. 20. Quid juris, ſi ſervus invito domino initiatus fuerit ſacris Ordinibus? n. 21. & ſeqq. Vel etiam ad Sacerdotium promotus? n. 24.

Simile. *De ſimilibus idem eſt judicium*: declaratur. T. 2. n. 413. & ſeq. F. 160. & n. 504. F. 176. Argumentum à ſimili eſt fragile, ſi datur vel parva diſſimilitudo. n. 414. Ex ratione ſimilitudinis non eſt facienda extenſio in correctorijs Jurium. n. 503.

Spes, in quibus differat à Fide? T. 1. n. 49. F. 57.

Spirituale vinculum, quâ ratione ſit fortius carnali? T. 7. n. 13. 14. & ſeqq. F. 326. Spirituale fortiùs operatur præ carnali. n. 17.

Spiritus Sanctus pariter procedit à Patre & Filio. T. 1. n. 19. & 20. F. 51. Hæc Catholica Veritas probatur ex S. Scriptura. n. 21. & 29. Atque ex Teſtimonijs SS. Patrum, præſertim Græcorum. n. 22. & ſeqq. Item ratione Theologicâ. n. 25. & 26. Solvuntur inſtantiæ Græcorum. n. 27. & ſeqq. Cur Græci Patres dixerint, Spiritum S. procedere à Patre per Filium? n. 31. Spiritus S. procedit à Patre & Filio, tanquam ex uno principio, & unicâ ſpiratione, n. 33.

Sponſalia ex metu gravi injuſtè incuſſo contracta, probabiliùs ipſo jure ſunt nulla; adeò, ut non inducant impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. T. 40. n. 45. & 46. F. 602.

Sportularum appellatione, quid intelligatur? T. 32. n. 17. F. 524. De Jure Civili poteſt Judex Delegatus ſportularum nomine aliquid exigere, non verò Ordinarius. n. 18. De Jure Canonico neuter poteſt eas exigere, num. 19. & 20. Imò recipiens tenetur ad reſtitutionem, non obſtante remiſſione eorum, quibus reſtitutio facienda eſſet. n. 21. & 22. Quamvis iſtud poſterius ſolùm procedat in Delegatis Summi Pontificis. n. 23.

Status hominum triplex in Eccleſia, Virginum, Continentium, & Conjugatorum. T. 1. n. 149. F. 75. Status Virginalis antecellit cæteris, eique attribuitur Fructus centeſimus. n. 150. Status Clericalis requiritur in eligendis ad Beneficia Eccleſiaſtica. T. 6. n. 219. F. 304. Status Eccleſiaſtici intentio requiritur in præficiendis ad Beneficia Eccleſiaſtica; & quomodo? T. 14. n. 7. F. 413.

Statuta nova facere pro ſuis ſubditis, an poſſint Epiſcopi? T. 2. n. 69. & ſeqq. F. 101. Archiepiſcopi? n. 74. & ſeqq. Et Capitulum Cathedrale? n. 84. & ſeqq. Statuta an poſſint facere Eccleſiæ Collegiatæ? n. 94. An aliæ Univerſitates, Collegia & Societates? n. 95. & 96. Imò & Ordines Religioſi? n. 97. & ſeqq. Quis poſſit Statuta condere pro Ordine Fratrum Minorum? n. 98. & 99. An etiam Congregatio intermedia poſſit facere Statuta? Ibid. Statuta perpetua poſſunt condere Legati Sedis Apoſtolicæ, T. 30. n. 15. F. 494. Vide ſuprà ℣. *Conſtitutiones.* & ℣. *Epiſcopus.* & ℣. *Archiepiſcopus.* &c.

Statuta ſæcularia Laicorum an obligent Clericos? T. 2. n. 290. & ſeqq. F. 141. Statuta inferiorum Laicorum, quæ diſponunt circa contractus, & non ſunt præjudicialia Clericis, nec ſacris Canonibus contraria, an extendantur ad Clericos? cit. T. 2. n. 322. & ſeqq. F. 148. Sententia negativa eſt communis. n. 324. & ſeqq. Differentia inter Statuta particularia locorum, & Leges Juris Civilis. n. 325. Dantur nihilominùs certi caſus, in quibus Statuta inferiorum Laicorum extenduntur ad Clericos, vel hos afficiunt; & qui ſint illi caſus? n. 328. & 329. ac ſeqq. Aliud eſt, Statuto coërceri: aliud, ſub certa lege alicujus præſtationis ad Statuti commodum invitari. n. 358. Statutum Laicale præjudicans Immunitati Eccleſiaſticæ, aut favori Religionis, non valet; idque exemplificatur. n. 350. Vide ſuprà ℣. *Clerici an obligentur.* Statutum & Conſuetudo non differunt, niſi ſicut tacitum & expreſſum. cit. T. 2. n. 315. F. 47. Statuta Laicorum per Eccleſiam approbata, quâ ratione conſtringant Clericos? n. 332. Statuta Laicorum approbare in ordine ad Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas eſt caſus Papæ reſervatus. n. 333. Cautela pro Epiſcopis, cupientibus, ut Clerici Principum ſæcularium Statutis ſe conforment. n. 333. & 334. Conceſsâ poteſtate interpretandi Statuta, qualis concedatur? T. 2. n. 355. F. 153. Clauſula, quòd Statuta aliqua non recipiant interpretationem, quid operetur? n. 356. In Statutis, aliiſque diſpoſitionibus, eſt evitanda correctio pro poſſibili. cit. T. 2. n. 492. & 493. & ſeqq. F. 174.

Statuta à ſe condita poſſunt tollere Capitula, & aliæ Communitates. T. 2. n. 533. F. 181. Quid, ſi hæc ſint jurata? n. 534. & ſeqq. Cautelæ pro perpetuatione Statutorum. n. 539. Statuta à Superiore confirmata, an poſſint tolli ab inferioribus ſtatuentibus? n. 540. & ſeqq. Et quid de Statutis Religionum per Papam approbatis? n. 544. Quando ex Statuto eſt jus alteri quæſitum, nequit illud abſque hujus conſenſu per ſtatuentes tolli. n. 548. & 549.

Statuta, quâ ratione differant à Conſuetudine? T. 4. n. 19. & ſeqq. F. 230. Statutum aut conſuetudo, ut homicida, vel ſimilis criminoſus puniatur ſolùm pecunialiter, non valet. T. 4. n. 74. F. 239.

Stipulatio defactò valet, per quæcunque verba ſit concepta. T. 35. n. 100. & n. 24. F. 553.

Stulti non debent eſſe melioris conditionis, quàm prudentes. T. 21. n. 19. F. 444.

Subditus Epiſcopi quoad effectum Ordinum ab eo recipiendorum, quatuor modis quis cenſetur; & quibus? T. 11. n. 78. & ſeqq. F. 385. Vide ſuprà ℣. *Ordinari.*

Subreptio, & Obreptio Reſcriptorum, quomodo committatur? T. 3. n. 152. & ſeqq. F. 207. An ſit differentia inter ſubreptionem, & obreptionem?

nem? n. 135. & ſeqq. Vide ſuprà ✠. *Reſcriptorum ſubreptio.* Subreptio faciliùs vitiat Reſcripta gratiæ, & ad beneficia, quàm Reſcripta juſtitiæ. n. 176.

Suffraganei dicuntur Epiſcopi Metropolitano ſubjecti; & cur? T. 31. n. 34. F. 504. Vide ſuprà ✠. *Archiepiſcopus.* Suffraganei, etiam appellantur Epiſcopi Titulares; & cur? T. 5. n. 40. F. 264.

Summaria Capitulorum non ſunt de Textu. P. n. 106. F. 22. Tamen ſunt habenda in magna æſtimatione. n. 107. Quomodo ea differant à Notabilibus? Ibid.

Superioris mandato, etiam oneroſo, humiliter eſt obediendum; & toleranda correctio, etiam injuſta. T. 33. n. 21. F. 537. Ex duobus Superioribus contraria præcipientibus, cui magis ſit obediendum? n. 22. & ſeqq. Superior requiſitus debet pacta inferiorum confirmare T. 35. n. 89. F. 551. An per Superioris conſenſum convalidentur pacta inferiorum cæteroquin invalida? n. 86. & ſeqq.

Superſcriptiones Capitulorũ in Decretalibus, ſunt authenticæ. P. n. 106. & 108. ac ſeqq. F. 22.

Suſpenſi prohibentur eligere. T 6. n. 170. F. 296. Poſtquàm tamen ſunt expreſse denunciati. n. 171.

Symbolo, cur fuerit additum ly, *Filióque*? T. 1. n. 36. F. 54. Symbolum Fidei, quid? cit. T. 1. n. 52. F. 58. Unde dicatur *ſymbolum*? n. 53. Plura Symbola Fidei ſucceſſive fuerunt edita. n. 54. Omnia tamen in effectu concordant. n. 55. Quatuor Symbola Fidei magis principalia enumerantur. n. 56. Symbolum Apoſtolorum ſic dictum, quia ab Apoſtolis confectum. cit. T. 1. n. 57. F. 59. Et cur id fecerint? n. 58. Quos Articulos ſinguli Apoſtoli poſuerint? n. 59. & 60. Quot Articulos contineat? n. 61. & ſeq. Symbolum Nicænum, quale? n. 64. Quale Symbolum cantetur in Miſſa? n. 65. In Symbolo Apoſtolorum, quomodo Fides ſufficienter contineatur? n. 66. Et cur poſt illud fuerit conditum Symbolum Nicænum? n. 67. Symbolum S. Athanaſij, quale, & quando ab ipſo compoſitum? n. 77. Unde habeat authoritatem? n. 78. & 79. Symbolum ordinare, ſpectat duntaxat ad Summum Pontificem. n. 79. Symbolum Apoſtolorum, Nicænum, & S. Athanaſij, quando, & ex quo myſterio dicatur in Officio Divino? n. 80. Quid ſentiendum de quarto Symbolo, in Capitulo *Firmiter, de Conſtitut.* relato? n. 81. Brevis explicatio hujus Symboli refertur. cit. T. 1. n. 82. usque ad n. 150. F. 63. & ſeqq.

Syndicus, quid? T. 39. n. 2. F. 595. An, & quomodo differat à Procuratore, & Actore Univerſitatis? num. 1. 3. & 4. Religioſi debent habere Syndicum. n. 5. Saltem de honeſtate, licèt non de neceſſitate. n. 6. Monachus Abbate imperante poteſt eſſe Syndicus in rebus ſui Monaſterij. Ibid.

Synodus eſt mixti juris. T. 31. num. 103. F. 512. Convocatio ad Synodum pertinet ad Legem Diœceſanam. num. 102. Quoad acceſſum ad Synodum Diœceſanam ſubduntur Epiſcopis Regulares etiam exempti. cit. T. 31. n. 152. F. 519. Niſi ſubdantur Capitulis Generalibus, nec curam Eccleſiæ ſæcularis gerant. num. 153.

T.

Tempus longum, in Jure vocatur decennium, T. 4. n. 91. & 96. F. 242. Quantum temporis requiratur, ut conſuetudo contra jus aboleat Legem Civilem? n. 92. & ſeqq. Et quantum ſufficiat ad inducendam conſuetudinem contra Jus Canonicum, ſeu Conſtitutiones Eccleſiaſticas? n. 102. & ſeqq. Tempora faciendarum Ordinationum, quæ? T. 11. num. 30. & ſeqq. F. 376. Tempus continuum, & utile, quod? T. 41. n. 57. F. 618. Tempus utile eſt multiplex. n. 58. Tempus quadriennij pro petenda reſtitutione conceſſi, uno reſpectu eſt continuum, alio utile. n. 59. A quo tempore quadriennium illud currere incipiat? n. 90. & ſeqq. Iſtud non currit ignoranti. num. 63.

Teſtamentum metu gravi factum, aut ubi teſtes ex gravi metu detenti fuerunt, an valeat? T. 40. n. 71. F. 605.

Teſtis ſi quandam falſitatem adijcit ſuò teſtimonio, an dictum ejus reprobetur in totum? T. 2. num. 180. & 181. F. 112. Teſtes, ut probent conſuetudinem, quæ conjunctim deponere debeant? T. 4. n. 179. F. 155. Et cujus ætatis eſſe debeant, quando deponunt de conſuetudine immemoriali? n. 180. Teſtium depoſitio eandem vim probandi obtinet, ac fides inſtrumentorum. T. 29. n 99. F 482. Teſtibus poteſt probari metus; & qualiter? T. 40. n. 89. & ſeqq. F. 607. Magis eſt credendum duobus teſtibus de metu atteſtantibus unàcum exiſtente conjecturâ, quàm mille negantibus. n. 89. & 90. Teſtes debent reddere rationem dicti ſui. n. 90.

Thalmut Judæorum per Papam juſſus fuit comburi. T. 2. num. 289. F. 140. Et cur? num. 288.

Theologus an ſit præferendus Canoniſtæ in promotione ad Dignitates Eccleſiaſticas? P. n. 44. & ſeqq. F. 9. Sententia S. Joannis Capiſtrani circa hoc. n. 46. Quoad officium Vicarij Capitularis Sede vacante, præfertur Canoniſta Theologo. T. 28. n. 73. F. 461.

Theſaurarius, alio nomine dicitur Sacriſta. T. 26. num. 4. F. 452. Et quod ejus officium? n. 4. & 5.

Titulus, ut quis ordinari valeat, quid? T. 11. n. 69. F. 383. Vocatur à nonnullis *Titulus ſuſtentationis.* Ibid. Requiritur ad Ordines ſacros, non verò ad minores. n. 69. & 70. Titulus eſt triplex. I. Beneficij Eccleſiaſtici. n. 71. II. Patrimonij; & an tale poſſit alienari? n. 72.

72. III. Paupertatis, ſeu Profeſſionis Religioſæ. n. 73. Nequeunt ordinari ad hunc Titulum Religioſi non Profeſſi, aut quia ad certũ duntaxat tempus ſunt profeſſi. n. 74. Et quid de Religioſis Societatis JEſu? num. 75. Quid cenſendum de Titulo Menſæ? n. 76. Quæ ſit pœna Ordinantis aliquem, & Ordinati, abſque competenti Titulo ſuſtentationis? n. 191. & 192. & ſeqq. Ordinatus ſcienter ſine Titulo olim erat ſuſpenſus, ſed non hodie. n. 197. & ſeqq. Dummodò ſolus Ordinatus non fuerit in culpa, fingendo Titulum, quem non habuit. n. 198. & 199. Notabilis objectio, ejúsque ſolutio. n. 200. & ſeqq.

Tonſura prima requiritur ad quodlibet Beneficium obtinendum. T. 6. n. 219. F. 304. Tonſura prima an ſit Ordo propriè dictus? T. 11. n. 10. & ſeqq. F. 372. Ponitur ſententia negativa Theologorum. n. 11. & ſeqq. Effectus primæ Tonſuræ, quales? n. 14. Prima Tonſura dicitur Ordo Clericalis, latè accipiendo nomen Ordinis, juxta Theologos? n. 15. Refertur ſententia Canoniſtarũ tenentium, quòd prima Tonſura ſit Ordo propriè dictus. n. 16. & ſeq. Prima Tonſura imprimit characterem. n. 20. Requirit certam materiam; & formam; & qualem? n. 20. Ac de neceſſitate præcepti prærequirit characterem Confirmationis. n. 21. Sententiæ Canoniſtarum non obſtat Concilium Tridentinum; & cur? n. 22. Prima Tonſura juxta Canones obtinet nomen Ordinis. n. 23. Idipſum ſupponit Rota Romana. n. 25. Inferuntur Corollaria. n. 23. & 24. Quid tenendum pro Foro externo? n. 25. Tonſura prima, quando, & ubi conferri poſſit? n. 30.

Traditiones, qua ratione differant à conſuetudine? T. 4. n. 22. F. 230.

Transactio ex falſis inſtrumentis inita, ſolùm retractatur quoad capitula, quæ inde compoſita ſunt, non quoad alia. T. 3. n. 171. & 181. F. 212. Transactio quas conventiones complectatur? T. 35. n. 8. F. 542. Pactum continet ſub ſe Transactiones. n. 9.

Transactio largè, & propriè accepta, quid? T. 36. n. 2. & 3. F. 558. Non valet, niſi ſit de re dubia; idque declaratur. n. 4. Neque valet ſuper ſententiâ jam latâ, exceptis certis caſibus. n. 5. & 6. Transactio eſt pactio quædam. n. 7. Atque contractus oneroſus, & innominatus. n. 8. & 9. In ea non habet locum pœnitentia. n. 10. Ad Transactionem tria requiruntur; & quæ? n. 11. & ſeqq. Quomodo differat à pacto gratuito, & amicabili compoſitione? n. 14.

Transactio, de quibus generatim fieri poſſit? T. 36. n. 15. & ſeqq. F. 560. Eſt ſalubris. n. 17. Nequit fieri, niſi ſuper re dubia. n. 18. Super matrimonio non poteſt fieri transactio, quando per eam aliquid fieret contra vinculum matrimonij: aliàs ſecùs. n. 19. & 20. In Sponſalibus de futuro valet transactio. n. 21. An ſit licitum tranſigere ſuper relictis in Teſtamento, vel Codicillo? n. 22. & ſeqq. Et an valeat transactio ſuper alimentis in ultima voluntate relictis? n. 25. & ſeqq. Aut de alimentis præteritis, vel non mortis causâ donatis? n. 28. & 29. De Jure Civili licitum eſt tranſigere de quolibet crimine capitali, & ſanguinem ſuum quoquo modo redimere. num. 30. Excepto adulterio. n. 31. De criminibus verò non capitalibus tranſigere non licet. num. 32. Niſi ſuper crimine Falſi. n. 33. An etiam ſpectato Jure Canonico, licitum ſit tranſigere ſuper crimine? n. 34. & 35.

Transactio ſuper Beneficio Eccleſiaſtico, dato ac retento aliquo temporali, nequit fieri. T. 36. num. 36. F. 563. Si datur ſpirituale pro ſpirituali, tunc in ſpiritualibus locum habet transactio. n. 37. Loquendo de re ſpirituali quoad ejus proprietatem. n. 38. Secùs, ubi agitur de Beneficio Eccleſiaſtico quoad titulum. n. 39. Transactio ſuper ſpirituali ſubjectione, an valeat? n. 43. Quid, ſi Superior gratis eximat Eccleſiam reſervatâ in ſignum ſubjectionis annuâ penſione? num. 44. Transactio ſuper annexis ſpirituali, v. g. ſuper jure patronatûs, non valet, ſi fiat interveniente temporali. num. 45.

Transactionis effectus, qui? T. 36. num. 46. & ſeqq. F. 564. Primarius ejus effectus eſt, imponere finem litibus. n. 46. Per eam tolluntur omnes actiones, obligationes, probationes, inſtrumenta & jura in contrarium militantia. n. 47. Nequit invitâ alterâ parte revocari ob Reſcriptum Principis. n. 48. Vel ex prætextu inſtrumentorum de novo repertorum. Ibid. Extenditur ad connexa & acceſſoria, imò & ad ignota; & quando? n. 49. Alius transactionis effectus eſt, parere exceptionem litis finitæ. n. 50. Solvitur inſtantia. n. 51. Transactio an poſſit reſcindi ob læſionem ultra dimidium? n. 52. & ſeqq. Si Eccleſia, vel Minor in transactione graviter lædatur, poteſt petere reſtitutionem in integrum. n. 53. Graviter lædens alterũ in transactione, tenetur in Foro conſcientiæ ad reſtitutionem; & in Foro externo datur actio de dolo, ac reſcinditur transactio &c. n. 54. & 55. Probabilius eſt, quòd transactio etiam bonâ fide hinc inde celebrata, reſcindi poſſit ob læſionem ultra dimidium. n. 56. & ſeqq. Transactio eſt ſpecies alienationis, nec poteſt fieri de rebus Eccleſiæ immobilibus, aut pretioſis abſque ſolemnitatibus juris. n. 62. Transactio per Prælatum, vel Rectorem Eccleſiæ facta ſine conſenſu Superioris, non obligat Succeſſorem, ſed ſolum, tranſigentem. n. 63. Secùs, ſi fuerit confirmata ex certa ſcientia per Sedem Apoſtolicam. n. 64.

Translatio, quid? T. 7. n. 2. F. 325. Translatio Epiſcopi à quo fieri poſſit? n. 2. & 3. Effectus translationis Epiſcopi, quales? n. 12. Vide ſuprà *v. Epiſcopi translatio.*

Tranſubſtantiatio, hæc vox in Generali Concilio primùm adinventa fuit. T. 1. num. 133. F. 72. Idque convenienter. n. 134.

Treu-

Treuga, quid? T. 34. n. 6. F. 539. Treugæ vocabulum, quale? num. 7. An differat ab Inducijs? Ibid. Treuga eſt duplex. n. 8. Nempe conventionalis, & Canonica ſeu Legalis. n. 9. & 10. Treugæ Canonicæ, çur fuerint ſtatutæ? n. 11. An ſint uſu receptæ? n. 13. & 16. Si facto publico per hoſtem violatur Treuga, illico altera pars poteſt arma reaſſumere. n. 17. Secùs, ſi ea violetur facto duntaxat privato. n. 18. Tunc enim ſatisfactio priùs petenda eſt, n. 19. & 17.

Trinitatis Sanctiſſimæ nomine, quid intelligatur? T. 1. n. 5. F. 48. Trinitatis vocabulum à tempore Apoſtolorum uſitatum. n. 6. Myſterium SS. Trinitatis explicatur à Concilio Generali *in c. Firmiter. de Summ. Trinit.* n. 7. & ſeqq. A tota Trinitate Chriſtus JEſus eſt communiter incarnatus. n. 13. & ſeqq. Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. n. 14. & ſeqq. Diſparitas inter opera SS. Trinitatis ad extra, & Incarnationem Verbi. n. 18. In Divinis datur vera & realis unitas quoad eſſentiam. num. 10. Nec tamen hinc ſequitur quaternitas. Ibid. & n. 8. & 9.

V.

Vacatio Beneficij per mortem, & Vacatio per renunciationem, ſunt diverſa. T. 3. num. 168. F. 209. Vacatio Beneficij durat usque ad confirmationem novi Prælati. T. 6. num. 33. F. 275.

Verba ſunt interpretanda, ut aliquid operentur. P. num. 114. F. 23. Verborum ſuperfluitas in Jure eſt vitanda. n. 113. & ſeqq. Argumentum à ſuperfluitate vitanda, eſt fortiſſimum in Jure. n. 115. Verba debent potiùs impropriari, quàm quòd ſint ſuperflua. n. 116. Dummodò inde non ſequatur aliquid abſurdum, vel iniquùm. n. 117. & 123. Dantur tamen caſus, in quibus vel ſuperfluitas verborum non cenſetur intervenire, vel toleratur; & quando? n. 118. & ſeqq.

Verba clara nõ admittunt interpretationem, neq; voluntatis conjecturam. T. 2. n. 384. & 385. F. 157. Verba Statuti an debeant impropriari, ut reducantur ad Jus commune? n. 385. Interpretatio potiùs menti, quàm verbis legis convenire debet. n. 386. & ſeqq. Non tamen eſt recedendum à verbis, niſi manifeſtum ſit, aliud ſenſiſſe diſponentem. n. 389. Verba ſunt intelligenda ſecundùm propriam ſignificationem, niſi aliud ſuadeat ſubjecta materia &c. n. 390. Duplex verborum proprietas, naturalis & civilis. n. 391. Verba ſunt improprianda, quando hoc ſuadet ſubjecta materia. n. 392. Vel natura actûs, ſive contractus. n. 393. Verba ita ſunt intelligenda, ut res, de qua agitur, potiùs valeat, quàm pereat. n. 394. Etiam verba impropriando, ſi opus fuerit. n. 395. Et ne ſequatur abſurdum, neve verba remaneant ſuperflua. n. 396. Verba generalia generaliter ſunt intelligenda, n. 398. Niſi per aliud diſtinguatur. n. 399. Verba legis pœnalis, aut odioſæ, ſi ſunt clara, debent ſervari. cit. T. 2. n. 428. F. 163. Verba legis pœnalis debent intelligi cum effectu; niſi ſint caſus excepti. n. 433. & 434. Verba in Reſcripto, quando ſunt clara, intelliguntur ſecundùm propriam ſignificationem. T. 3. n. 119. F. 202. Verba ſunt ſic intelligenda, ut res de qua agitur, magis valeat quàm pereat. cit. T. 3. n. 196. F. 215.

Veſtes Sacerdotales nõ iterùm ſunt benedicendæ, neque Altaria reconſecranda, in quibus Schiſmatici &c. celebrârunt. T. 16. n. 30. F. 423.

Vicarius generatim, quis? T. 28. n. 2. F. 453. Vicario eſt obediendum, & deferendum, tanquam illi, cujus vices gerit. n. 3. Vicarius locum habet non ſolùm in negotijs civilibus, ſed etiam Eccleſiaſticis. n. 4. & 5. Solvitur inſtantia. n. 6. & 7. Vicariorum diviſio, quæ? n. 8. & ſeq. Vicarij in Divinis, qui? n. 9. Presbyteri illi, qui loco principalis Rectoris deſerviunt Eccleſiæ, propriè dicuntur Vicarij; non Parochi. n. 10. Vicarij jurisdictionis, qui? n. 11. Vicarius quomodo differat à Judice delegato? T. 29. n. 28. F. 471. & T. 28. n. 17. F. 455.

Vicarij Epiſcoporum dantur triplicis generis. T. 28. n. 12. F. 454. Vicarij nati, ſeu legitimi Epiſcoporum, qui? n. 13. Vicarij dati, ſeu conſtituti Generales ipſorum, & Vicarij Foranei, qui? n. 14. & 15. Vicarius Generalis Epiſcopi, quis? n. 16. Inter Vicarium Generalem, & Foraneum Epiſcopi, multiplex datur differentia. n. 18. & ſeqq. A Vicario Generali non appellatur ad Epiſcopum, benè tamen à Foraneo. Ibid. Ille poteſt eſſe Delegatus Papæ, non hic. n. 19. Vicarius Generalis Episcopi habet dignitatem, imò (ſpectato Jure communi) præcedit Canonicos Cathedrales: ſecùs eſt in Foraneo. n. 20. Iſte non eſt Ordinarius, benè tamen ille. n. 21. Vicarij Foranei jurisdictio eſt delegata. Ibid.

Vicarij alii ſunt perpetui, alii temporales. T. 28. n. 22. F. 455. Vicarij perpetui, qui? n. 23. Tales habent titulum in Beneficio, ſicque nequeunt removeri. n. 24. Vicarij temporales qui, & cur ſic appellentur? n. 25. Vicarij perpetui inſtitutio, ad quem pertineat? n. 26. Quando, quibusque de cauſis inſtitui poſſit, & ſoleat? n. 26. & 27. ac ſeqq. Recenſentur caſus, in quibus nequit inſtitui Vicarius perpetuus. n. 28. Is acquirit jus in re, verùmque titulum in Beneficio. n. 30. Et habens Vicariam perpetuam, cenſetur Beneficiatus. n. 31. Quæ à Jure ſtatuta ſunt de Eccleſijs curatis, locum habent in Vicarijs perpetuis. n. 32. Idque declaratur ſingillatim. n. 33. 34. & 35. Titulus Vicarij perpetui in Beneficio, qualis. n. 36. Congrua portio de fructibus Beneficij, quâ ratione ei debeat aſſignari? n. 37. & ſeqq. Quid circa eam ſtatuerit B. Pius V. in Bulla; *Ad Exequendum*? n. 38. Portio illa fructuum nequit Vicario perpetuo poſteà minui, ſimúlque hic cum ea,

licèt ſit tenuis, debet eſſe contentus. num. 39.

Vicarius perpetuus Eccleſiæ habet curam animarum in actu, Rector principalis in habitu. T. 28. n. 40. F. 458. Vicarius perpetuus propriè non dicitur Rector Eccleſiæ. n. 41. & n. 10. Tamen penes eum eſt exercitium curæ, non penes Rectorem Eccleſiæ. n. 42. Unde Rector principalis eo invito nequit curam animarum in illa Eccleſia exercere. Ibid. Quæ nihilominùs circa talem Eccleſiam agenda pertineant ad Rectorem principalem? cit. n. 42. Rectore principali mortuo, non expirat officium Vicarij perpetui. n. 43. Solvitur inſtantia. Ibid. In Vicarium, præſertim perpetuum, quandoque transfertur tota cura. n. 44. Vicarius perpetuus Eccleſiæ Parochialis tenetur intra annum promoveri ad Sacerdotium ad inſtar verorum Parochorum. n. 34. & T. 14. n. 30. F. 416. Vide ſuprà ℣. *Parochus.*

Vicarij temporales propriè non ſunt Beneficiarij. T. 28. n. 45. & ſeqq. F. 458. Habentque ſe adinſtar Mercenariorum. n. 46. Generatim loquendo cauſa excuſans Clericum à perſonali ſervitio, ſufficit ad conſtituendum Vicarium temporalem. n. 47. & ſeqq. Vicariorum temporalium nominatio, & approbatio, ad quem pertineat? n. 51. Num ad modicum tempus poſſit Parochus conſtituere talem Vicarium abſque licentia Epiſcopi? n. 52.

Vicarij Generalis nomine, quis intelligatur? T. 28. n. 58. F. 460. Inter Vicarium Generalem, & Officialem Epiſcopi, an ſit diſcrimen? n. 59. & ſeqq. Officialis Epiſcopi, in Jure vocatur etiam Vicarius Generalis. n. 61. Officialis in Italia, dicitur apud nos Vicarius Generalis. n. 62. & 63. Vicarium Generalem poteſt Epiſcopus conſtituere, etiam ſine conſenſu Capituli. n. 64. Ac ordinariè tenetur eum conſtituere. n. 65. Niſi velit, & ſufficiat ſe ſolo cauſas expedire. n. 66. Poteſt etiam binos Vicarios Generales conſtituere. n. 67. Laicus in Vicarium Generalem eligi nequit. n. 68. Poteſt tamen eſſe Aſſeſſor Judicij Eccleſiaſtici. n. 69.

Vicarij Generalis, & Epiſcopi, quomodo ſit idem Auditorium? T. 4. n. 78. F. 239. Conſuetudo appellandi à Vicario Generali ad Epiſcopum non valet; & cur? n. 75. Hoc procedit in Vicario Generali principali, non in Foraneo. n. 76. Imò & ille poteſt recuſari veluti ſuſpectus, ac ſupplicari Epiſcopo propter ejus gravamen &c. n. 77. Renunciatio Beneficij non poteſt fieri in manibus Vicarij Generalis abſque ſpeciali commiſſione Epiſcopi. T. 9. n. 6. F. 339. Vicarius Generalis Epiſcopi, an concedere poſſit Litteras Dimiſſorias? T. 11. n. 126. F. 392. Poteſt eas ſolùm concedere Epiſcopo in remotis agente, aut de ſpeciali ejus mandato. n. 126. Epiſcopus quando cenſeatur in remotis agere? n. 127. Vicario Generali an competat poteſtas diſpenſandi in Interſtitijs? n. 155. Vicarius Generalis quomodo differat ab Archidiacono? T. 23. n. 7. F. 449. Vicarius an poſſit ſubſtituere alium Vicarium? T. 28. n. 53. & ſeqq. F. 459. Ac præſertim, an Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit conſtituere alium Vicarium? n. 57.

Vicarij Generalis officium, ac juriſdictio, quibus modis ceſſet? T. 28. n. 102. ac ſeqq. F. 466. Id contingit tum per mortem ipſius Vicarij, tum per ejus renunciationem expreſſam, vel ſaltem tacitam. n. 102. Item per mortem Epiſcopi. vel ejus depoſitionem, &c. n. 103. & 100. An valeant geſta tunc à Vicario ignorante mortem Epiſcopi longè diſtantis? n. 104. Suſpensâ Epiſcopi juriſdictione per excomunicationem, etiam ſuſpenditur juriſdictio ſui Vicarij Generalis. n. 105. Vicarius Generalis ad libitum Epiſcopi poteſt revocari. n. 107. & 108. Diſparitas inter ipſum, & Vicarium perpetuum in Divinis. n. 109. Vicarius Generalis poteſt eſſe Delegatus, vel Subdelegatus Papæ. T. 29. n. 70. F. 476. Secùs dicendum de Vicario Foraneo Epiſcopi. n. 71. Quamvis hìc poſſit eſſe Delegatus Epiſcopi. n. 72. & 73. Vicarius Generalis Epiſcopi venit nomine Ordinarij. T. 31. n. 12. F. 501. An etiam veniat nomine Epiſcopi? n. 27.

Vicarius Generalis Epiſcopi ſtatim, ac electus eſt, accipit juriſdictionem à Canone. T. 28. n. 75. F. 462. Et vi officii ſibi generaliter commiſſi regulariter poteſt ea omnia, quæ Epiſcopus. n. 76. Quia conſtituit unum Tribunal cum Epiſcopo. n. 77. Dummodò non ſint in Jure ſpecialiter excepta, neque res arduæ, & magni præjudicii. n. 78. Unde is cognoſcit omnes cauſas ad Epiſcopalem juriſdictionem pertinentes, quæ non requirunt ſpecialem commiſſionem; adeò, quòd ſtet præſumptio pro ipſo. n. 79. Excipiuntur tamen cauſæ criminales. n. 80. Vicarius Generalis, an nihilominùs ſine ſpeciali commiſſione poſſit inquirere de ſubditorum defectibus, hoſque punire; & quâ ratione? n. 81. Is non poteſt Beneficia conferre. n. 82. Benè tamen electos & præſentatos, ſi digni reperiantur, in Beneficiis inſtituere; & quæ ratio diſparitatis? n. 83. Nequit unire, vel dividere Beneficia. n. 84. An Vicarius Generalis ſine ſpeciali commiſſione poſſit diſpenſare in votis, juramentis, denuntiationibus matrimonii &c. n. 85. Vel abſolvere à Caſibus Epiſcopo reſervatis? n. 86. Ac diſpenſare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus &c. in vim Concilii Tridentini? n. 87. In praxi circa talia debet attendi Forma Vicariatûs. n. 88. Facultas expediendi omnia, quæ ſunt Epiſcopalis poteſtatis, licèt ſpeciale mandatum requirant quouſque ſe extendat? n. 89.

Vicarii Generalis poteſtas utrùm ſit ordinaria, vel, delegata? T. 28. n. 90. & ſeqq. F. 462. Hæc quæſtio non eſt tantùm de nomine; & cur? n. 90. Concluditur, ac variè probatur, quòd is habeat juriſdictionem ordinariam. n. 91. 92. & ſeqq. Idque procedit etiam quoad negotia requiren-

quirentia ſpeciale mandatum, quando hæc in prima collatione Vicariatûs exprimuntur. n. 94. Secùs de illis, quæ ſeorſim ac ſingulariter eidem committuntur. n. 95. Niſi Epiſcopus talia committat Vicario Generali ut Vicario. n. 96. Solvuntur objectiones. n. 98. & ſeqq. Jurisdictio, quæ penes Epiſcopum eſt primariò & principaliter, in Vicario Generali ipſius exiſtit ſecundariò ſeu acceſſoriè. n. 98. Cur ejus jurisdictio expiret mortuo Epiſcopo? n. 100. Et cur is ad nutum Epiſcopi ſit revocabilis? n. 101.

Vicarium Capitularem tenetur hodie Capitulum Sede Epiſcopali vacante conſtituere. T. 28. n. 70. F. 461. Secùs ſpectato Jure communi, & ante Concilium Tridentinum. n. 71. Vicarius Capitularis intra quod tempus ſit eligendus? n. 72. Debet is eſſe Doctor, aut Licentiatus Sacrorum Canonum; ſicque præfertur Canoniſta Theologo. n. 73. Quid agendum, ſi non adſit Canoniſta in Capitulo? n. 74. An in Vicarium Capitularem poſſit eligi extraneus? Ibid. Vicarius Capitularis ſtatim, ac electus eſt, accipit jurisdictionem à Canone. n. 75. Ejus jurisdictio eſt ordinaria, non delegata. n. 97. & n. 90. ac ſeqq. Ejus jurisdictio tanta eſt, quanta ipſius Capituli Sede vacante, niſi quid ſpecialiter fuerit exceptum. n. 111. An is à Capitulo Sede vacante poſſit revocari ad libitum? n. 110. Quâ ratione Sede vacante reſideat jurisdictio penes Capitulum & Vicarium ab ipſo conſtitutum? n. 111. & 112.

Violentum, quid? T. 40. n. 3. F. 596.

Vis, quid? T. 40. n. 2. F. 596. Vis, ſeu coactio abſoluta, excludit conſenſum. n. 3. Vis eſt multiplex, nimirum Vis compulſiva. num. 4. Vis ablativa. num. 5. Vis expulſiva. n. 6. Vis turbativa. n. 7. Vis inquietativa, quid, quámque actionem pariat? n. 8. Vis publica, & privata, quid? n. 9. Geſta per vim, ſeu coactionem abſolutam, ipſo jure ſunt irrita. num. 10. Solvitur inſtantia. n. 11. Vis, ſeu coactio eſt duplex, abſoluta & conditionalis. Ibid. Vis æquiparatur metui. Ibid. Si quis in bonis fortunæ vim ſibi illatam conqueratur, tenetur hanc probare, nec ſufficit ſolum ejus juramentum. n. 12. Probatâ tamen violentiâ ſufficit juramentum damnum paſſi ſuper rebus amiſſis. n. 13. & 14. Juramentum illud qualiter ſit præſtandum? n. 15. & 13.

Vis directiva, & Vis coactiva legum, quid? T. 2. n. 269. F. 137. Differentia magna inter Vim directivam, & coactivam legum. T. 2. n. 308. F. 144.

Vinco ſi vincentem te, multò magis vinco te. T. 21. num. 41. F. 505. Fallit in certo caſu. Ibid.

Virginitas cœlum replet, nuptiæ terram. T. 21. n. 5. F. 442.

Vitium perſonæ non poteſt objici per viam ſubreptionis, ſed tantùm opponi per viam juris. T. 3. n. 209. F. 217.

Unctio duplex, exterior ac interior. T. 15. n. 1. F. 418. Omnes ſacræ Unctiones in Eccleſia Catholica uſitatæ, reducuntur ad ſex capita; & quæ? num. 2. Eccleſia non judaizat adhibendo ſacras Unctiones; & cur? n. 3. & ſeqq. Unctiones ſacræ fiunt diverſo, & excellentiori modo in Lege Evangelica, quàm in Lege veteri. n. 4. Unctionis Extremæ Sacramentum probabiliùs eſt validum; nec iterandum, licèt pro Oleo infirmorum adhibeatur Chriſma. T. 16. n. 28. & 29. F. 423.

Univerſitates quædam impetrârunt privilegium admittendi Clericos ad publicas Legum Civilium Lectiones. P. n. 232. F. 46. Univerſitates, & Societates, an poſſint facere leges proprium ſtatum concernentes? T. 2. n. 94. & 95. & ſeq. F. 106.

Vocales. Vide ſuprà ℣. *Capitulares.*

Vota ſingulorum in electione debent ſecretè, ac ſingillatim exquiri; & quomodo? T. 6. num. 123. & ſeqq. F. 289. Vota ſunt in ſcriptis redigenda; & à quo? n. 129. Poſt publicatum Scrutinium, ſtatim collatio votorum eſt facienda; & quomodo? n. 130. & ſeqq. Collatio votorum non tantùm debet eſſe numeri ad numerum; ſed etiam zeli ad zelum; & meriti ad meritum. num. 132. Contra electum à duplo majori parte nequit opponi, quod votum extenuat; benè tamen, quod votum annullat. n. 135. Vide ſuprà ℣. *Collatio votorum.* Conſenſus electi auget numerum votorum in Compromiſſo. cit. T. 6. n. 103. F. 284. Imò & in quibusdam alijs electionibus. num. 104. An iſtud procedat in electione Summi Pontificis? n. 104. & n. 149. Vota infirmorum in Electione etiam ſunt inquirenda. n. 191. & ſeqq. Et quomodo hi votum ſuum dare poſſint? n. 192. & ſeqq. Nequeunt infirmi, aut alij legitimè abſentes, votum ſuum mittere in ſcriptis. n. 194. Aliud eſt, conſtituere procuratorem: aliud, dare votum in ſcriptis; & cur? n. 195. Examinatur ſententia aſſerentium, poſſe aliquando dari votum in ſcriptis. n. 196. Si ſchedula vacua mittatur in urnam votorum, ejus nulla habetur ratio. n. 203. Vota eligentium, ſive dentur in ſcriptis, ſive coram tribus Scrutatoribus, vivâ voce proferantur, adhuc cenſentur dari ſecretè; & cur? T. 6. n. 331. & ſeqq. F. 322. Electiones Regularium debent fieri per vota ſecreta; cur, & ſub qua obligatione? num. 343. & ſeqq. Vide ſuprà ℣. *Electiones Regularium.*

Votum quodlibet ex metu gravi, & injuſtè incuſſo emiſſum ipſo jure eſt irritum. T. 40. n. 57. & 58. F. 604. Quamvis ſecùs accidat in juramento. n. 59.

Vox in electionibus, quæ? T. 5. n. 7. & 8. F. 271. Vocem activam, & vocem paſſivam habere, quid? n. 8. Simpliciter privatus voce, in dubio cenſetur privatus ſolâ voce activâ. Ibid. Privatus voce paſſivâ, hoc ipſo eligi prohibetur. T. 6. n. 228. F. 305. Vocem in Capitulo

ut

ut quis habeat, requiritur, ut ſit Subdiaconus. T. 14. n. 17. F. 415. Fallit hoc in Regularibus, qui Divinis Officijs non ſunt mancipati. num. 15.

Utile non debet per inutile vitiari; & quando? T. 3. n. 177. & 179. F. 212.

X.

Xenium inter & Munus, quæ ſit differentia? T. 32. n. 13. F. 524. Et cur illud à Judice recipi poſſit, non iſtud? n. 14. & ſeqq.

FINIS.

1750